8
4 N
33

SOLIS AQVINATIS SPLENDORES

CIRCA SACROSANCTVM EVCHARISTIÆ MYSTERIVM,

Aliaque Chriſtianæ Religionis Arcana :

HOC EST,

COMMENTARIVS

IN PROSAM, SEV CANTICVM D. THOMÆ Doctoris Angelici,

LAVDA SION SALVATOREM, &c.

Vbi S. THOMÆ mens in mirabili Opere veluti latitans aperitur, Sanctiſſimi corporis Chriſti in Euchariſtia præſentia propugnatur, majeſtas illuſtratur, virtus oſtenditur : ſicque catholicæ veritates circa hoc Myſterium aliaque roborantur, Nouatorum errores refelluntur, multaque alia Fidelibus vtilia explanantur.

Authore R.P.F. CAROLO BOVQVIN, Taraſconenſi, Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſtro, Studij Generalis Aquenſis Provinçiæ Provinciæ præfati Ordinis olim Regente.

OPVS VERBI DEI CONCIONATORIBVS, AC VERITATVM Catholicarum propugnatoribus perjucundum; ac perutile, cui acceſſere Indices quatuor copioſiſſimi, quorum duo in fronte, duo verò in calce Operis reperiuntur.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

Ad usum fris Dominici Salterij B.O.S. fr ... L. 50

LVGDVNI,

Sumptibus FRANCISCI BARBIER, Typographi Regij.

M. DC. LXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Convt S. Cosmæ et Damiani

[illegible]

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI D.

DOMINO HIERONYMO
GRIMALDO,
S.R.E. CARDINALI,
EPISCOPO ALBANENSI,
Necnon Aquenſium Archipræſuli Vigilantiſſimo.

FELICISSIMIS tuis ſub auſpiciis in publicum audacter prodeunt SOLIS AQVINATIS SPLENDORES CIRCA SACROSANCTVM EVCHARISTIÆ MYSTERIVM, ALIAQVE CHRISTIANÆ RELIGIONIS ARCANA (CARDINALIS EMINENTISSIME) fulgentiſſimis Nobiliſſimæ Proſapiæ, Purpuræ, ac meritorum tuorum radiis aucti, illuſtrati, cumulati; nulloſque timent vel obtrectatores, vel deriſores, tantâ protectionis tuæ firmitate donati. Securi varias in Orbis partes, Fidelium mentes colluſtraturi, ſeſe, ſuamque latiſſimè lucem effundent, inclyto tuo Nomine, micantiſſimo veluti ſydere præeunte; nulluſque ab eorum ſe abſcondet fulgoribus, quos & ab Eminentia tua ſplendidiores agnoſcet, & in illa adamuſſim videbit expreſſos.

Chriſtum etenim Dominum, quem Saluatorem, Ducem, ac Paſtorem optimum in Euchariſtia, Sacramentorum omnium iubare, nitido, eleganti, ac florido ſtylo, in mirabili, quam hoc Commentario exponimus, Proſa pangit Doctor Angelicus Sanctus Thomas, pietate, manſuetudine, charitate, ſalutis animarum zelo, miſericordiâ, vigilantiâ, prudentiâ, aliiſque Paſtoralibus dotibus ita exhibes, vt in Te cerni valeat, & admirari. Illius vices tantâ ſedulitate in Eccleſiarum Tibi commiſſarum regimine exequeris, vt eius, qui in Te adeſt, & agit Chriſtus, nemo va-

leat quærere experimentum. Omnibus per Te, & in Te patet: omnibus præſto eſt, & ſemper in Te videtur mirabiliter expreſſus. Animarum ſaluti ſedulò incumbis, grauiſſimoſque tanto operi neceſſarios exantlas labores, ac *Paſtoris & Epiſcopi animarum* partes Tibi commiſſas tanto feruore ac diligentiâ obire contendis, vt Saluatoris nomine & honore decoreris. Sic enim & *Teipſum ſaluum facis, & eos qui Te audiunt*; immò & qui Te vident, dum in Te virtutum omnium effigiem aſpiciunt animatam. Simul autem & videris, & audiris; verius enim de Te dixerim, quàm de Philoſopho Tertullianus, *Tunc audiris, cùm videris: & ſi eloquium quieſcat, ipſe habitus ſonat: occurſu tuo confundis vitia*, & cunctis ad ſalutem hortamenta etiam tacendo concedis, magiſque tua viam ſalutis docent exempla, quàm verba. Paulum Apoſtolum imitatus quotidie immolaris, propter gloriam & ſalutem ſubditorum; non ſolùm *vt ſaluum facias aliquem ex ipſis, ſed vt omnes facias ſaluos.* Vnde non ſolùm Epiſcopatu, ſed charitate, & zelo ſuccedis Apoſtolis, *quos ipſe Saluator*, vt Sanctus Hieronymus loquitur in Abdiam, *mundi eſſe voluit Saluatores*; & meritò præſtanriſſimos inter illos Viros numeraris, de quibus ſacrum loquitur Oraculum Abdiæ 21. *Et aſcendent Saluatores in montem Sion iudicare montem Eſaü, & erit Domino regnum.*

Nec ſolus in montem Sion, hoc eſt in virtutum omnium culmen aſcendis: aſcendunt & Tecum quamplurimæ oues tuæ, quarum etiam Dux perfectiſſimus extas: *Ante eas vadis, & oues Te ſequuntur, quia ſciunt vocem tuam*, vtique bonis operationibus ſemper coniunctam; & tua terentes veſtigia, virtutum omnium normam accipiunt exemplum tuum, *in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate.* 1. Tim. 4. 12. Tui etenim *Gregis forma factus* es, exemplarque morum & ſanctimoniæ. *Sacerdos Dei iuſtitiam induiſti*, pietatis ſemper operibus exornatus. Vita tua iubet; non voces, ſed opera ſuadenr: viam vitæ ſubditis viuendo denuncias: manu potiùs, quàm linguâ ducis, Tibique commiſſi populi mores potiùs tuos, quàm vocem ſequuntur, & per exempla tua meliùs quàm per verba gradiuntur. Hoc modo in Eccleſia Chriſti Dux es, CARDINALIS EMINENTISSIME, & illorum, quos per viam ſalutis conducis, bonis moribus inſtituens, etiam Paſtor euadis. *Optima* enim *ouium paſcua ſunt exempla Paſtoris*, vt loquitur S. Gregorius 1. *part. Paſtor. cap.* 3. Verùm ampliora gregi dilectiſſimo præbes pabula: illum etenim, vt Mellifluus Doctor notat Bernardus *ſerm.* 2. *de Reſurr.* Paſtores debent paſcere *mente, ore, & opere.* Quod ſanè feliciter præſtas, oues paſcens *mente*, nempe *animi oratione: ore, verbi* ſcilicet *exhortatione:* & tandem *opere*, temporalium bonorum diſpenſatione, necnon & copioſâ eleemoſynarum largitione. Bonus igitur animarum Tibi commiſſarum Paſtor, quas & orationibus foues, & doctrinâ illuſtras, & ſubſidio temporali ſuſtentas, etiam Pater exiſtis; vnde & illæ, quæ quotidianâ tuâ

reficiun

reficiuntur beneficentiâ, Te non ſolùm Paſtorem optimum, ſed & *Patrem pauperum* prædicant, & extollunt.

Tres ergo, Saluatoris, Ducis, ac Paſtoris dotes egregias, quas in Chriſto, tremendo in Euchariſtiæ Sacramento latitante Sanctus Doctor obſeruat, eaſque in varios, mirabileſque erumpentes effectus, hac in Sequentia proſequitur, in Te videmus extenſas, qui Chriſti *Paſtorum Principis* vices gerens, in Eccleſiarum regimine Saluatoris, Ducis, ac Paſtoris munera diligenter ac fideliter exerces. Regiam inſuper, ac Sacerdotalem dignitatem, ſapientiam, manſuetudinem, bonitatem, miſericordiam, cæteraſque Redemptoris noſtri in homines per ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, amoris diuitias effuſas, ab eodem Angelico Magiſtro commemoratas, quas noſtro Commentario vtcumque illuſtrare conati ſumus, in Te fideliter exhibes, omnibuſque vitam, & pia opera tua conſiderantibus exprimis, & oſtendis.

Quid plura? Taceo Te in ſeculo non ſolùm Principum, ſed & Heroum ſanguine ſatum, vt in Eccleſia Chriſti inter primores ſublimem; in ſacro Purpuratorum Patrum Collegio eminentiſſimum; inter Antiſtites Principem, Archiepiſcopum ſcilicet Sanctæ Aquenſis Eccleſiæ Sacerdotali maieſtate fulgentem dicam. Attamen nec ſola Gallo-Prouincia, vel Aquenſis Eccleſia prudentiam tuam, benignitatem, magnificentiam, aliaſque præclaras dotes demiratur; illas, ingeniique tui ſublimitatem, ſagacitatem, amplitudinem, ac in agendo dexteritatem vniuerſa Gallia, Germania, & Italia ſunt expertæ. Dum enim apud Chriſtianiſſimum noſtrum Galliarum Monarcham Ludouicum XIII. & apud Romanorum Imperatorem Ferdinandum II. Apoſtolicæ Sedis Nuncium ageres, Te ſtupentes Gallia, & Germania ſuſpexere, variiſque in muneribus ab eadem Sede Apoſtolica demandatis mirabiliter Te gerentem admirans ſtupuit Italia.

Cæterùm maiora à Te Aquenſis Eccleſia, cui ſanctiſſimè præes, ſuſcepit beneficia: hanc etenim ardenti zelo, incredibilique vigilantiâ dum regis, præſtantiſſimis moribus, agentibus pietatis tuæ exemplis, mirabiliter inſtituis; ſed præſertim illuſtriorem eius portionem, Clericos ac Sacerdotes, ad quos doctrinâ & ſanctimoniâ efformandos, propriis ſumptibus præclaram domum (Seminarium vocant) liberaliſſimè erexiſti, conſtruxiſti, ædificaſti, eamque omnibus ad Clericorum inſtitutionem neceſſariis non ſolùm exornaſti, ſed cumulaſti. Illam ante Palatium Archiepiſcopale meritò collocaſti, vt ſub oculis Epiſcopi, veluti Solis fauentibus radiis, Cœleſti Militiæ Clerici operam dantes, altiores in pietate radices mittant, vberiùs creſcant, & feliciùs ad perfectam conſummationem perueniant. Ingentis prouidentiæ tuæ hoc munus eſt, & ſummæ, quâ Chriſtum ſacra in Euchariſtia colis, reuerentiæ. Simul enim & Auguſtiſſimo Sacramento pios, doctos, ac fideles

ã 3 Miniſtros,

Miniſtros, & ſingulis Aquenſis Diœceſis animabus bonos ſub cura tua præparas Paſtores, vt ſcilicet Tibi ſubditi pietatis, & doctrinæ ſpirituali refecti alimoniâ, in ſcientia Dei creſcant, & maiorem erga tremenda Corporis & Sanguinis Chriſti myſteria habeant reuerentiam, & ſuſcipiant deuotionem.

Hæreticos ſanctiſſimæ Euchariſtiæ hoſtes infenſiſſimos doctrinæ ſuæ gladio jugulat, & confodit hac in Sequentia ſanctiſſimus Thomas Aquinas, ac de illorum erroribus glorioſè *calamo, non enſe triumphat.* Idem præſtas paſtorali ſolicitudine, ardenti zelo, ac feruidâ charitate, in oues tuas errantes Caluinianâ hæreſi infectas, juxta Druentiæ fluuium in Aquenſi Diœceſi commorantes, teneram exercens militiam per Euangelicos Concionatores, quos ad illarum errores diſſipandos, illaſque ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum reuocandas, atque ad ſacroſanctæ Euchariſtiæ veritatem, & adorationem profitendam mirâ pietate deſtinaſti. Vnde & illarum triumphis inclytus, illarum ſimul & Pater, & Paſtor, & Victor exiſtis. Cúmque, vt Sanctus loquitur Gregorius in Paſtor. *Lux gregis ſit flamma paſtoris*, charitatis tuæ feruoribus ſimul & ouium tenebras fugas, & veræ Fidei lumina pandis. Ardendo luces, & nouum, ac rationale ſydus magis operibus, quàm verbis coruſcas.

Prælatos, lucentes Stellas, ac in cuſtodiis ſuis manentes, diuinum vocat eloquium, Baruch 3. 35. *Stellæ*, inquit, *dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt. Vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Epiſcopi etenim, & Sacerdotes, vt Stellæ in cœlo, in Eccleſia ſuper Gregem commiſſi populi vigilantes, excubias agunt, lucentque Deo factori ſuo, dum pietatis & doctrinæ fulgoribus emicantes, ad ſe, vt ad Dei Vicarios, omnium rapiunt oculos, illoſque ad Deum Paſtorum omnium Paſtorem adducunt. Hæc in Te feliciter adimpleta, Cardinalis Eminentissime, ab omnibus comprobantur. Vt ſtella, immò vt Sol, in Eccleſia luminis fulgorem effundis: nec vna Tibi ſufficit cuſtodia, in gemina ſplendes, & vtrique Diœceſi, Albanenſi, & Aquenſi, gemino veluti in Zodiaco coruſcas. Vtramque tuâ præſentiâ decoraſti, luſtraſti, illuſtraſti. Super vtrumque vtriuſque Eccleſiæ populum vigilas, & ſtatim ac Albanenſem regendam ſuſcepiſti, ad illam ſummâ diligentiâ, ac feſtinatione acceſſiſti, cucurriſti, volaſti, & oues tuas in illa viſitaſti; omnibuſque rectè diſpoſitis, mox ad Aquenſem es reſtitutus, non tamen relictâ Albanenſi, cui à Summo Pontifice illuſtriſſimum D. D. F. Angelum Mariam Grimaldum, Tibi ſecundùm carnem propinquum, ex Ordine Prædicatorum aſſumptum, virum pietate & doctrinâ inſignem, Epiſcopum Medonenſem, Suffraganeum prouidere ac concedere curauiſti, vt in illo veluti reproductus geminâ præſentiâ geminas, ac diſtantes Eccleſias,

Eccleſias vnus ipſe regeres, & gubernares; ſimulque Italis, & Gallis; Albani, & Aquiſſextiis Pater, & Paſtor Fidelium, *in omnibus Teipſum præberes exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate*, vt Tito ſuadebat Apoſtolus *ad Tit.* 2. 7.

Ea ſunt, CARDINALIS EMINENTISSIME, quæ dum Te Chriſti Domini Sacerdotem *omninò irreprehenſibilem*, eiuſque viuam oſtendunt effigiem, mouent nos, vt Commentarium noſtrum, SOLISQVE AQVINATIS SPLENDORES CIRCA SACROSANCTVM EVCHARISTIÆ MYSTERIVM, Tibi ſacrorum myſteriorum diſpenſatori fideliſſimo, ac ſtrenuo propugnatori offeramus, & conſecremus.

Accedit, quod quæ in hoc Opere explanantur myſteria, alteri quàm Tibi non poterant ſiſti patrono: Sanctæ enim Aquenſis Eccleſiæ, cui tanta cum vigilantia præes Archiepiſcopus, deuotioni maximè ſunt conſentanea. Inter omnes quippe Galliarum Eccleſias Auguſtiſſimum Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramentum ſedulò venerantes, Aquenſis maiori ac feruentiori illud colit obſequio, celeberrimamque toto Orbe Sanctiſſimæ Euchariſtiæ feſtiuitatem ſplendidiori apparatu, pompa magnificentiori, ac ſanctiori exultatione ſibi veluti peculiarem agit, celebrat, reueretur: vnde & Proſam S. Thomæ ad hoc Feſtum cum jubilatione celebrandum, noſtra Expoſitione dilatatam, & ad Euchariſtiæ venerationem augendam, Nouatorum contra illam errores profligandos, corporis Domini in hoc Sacramento præſentiam realem propugnandam, & hæreticorum contra illam tela retundenda, argumentaque refellenda, aptatam Tibi Aquenſis Eccleſiæ Capiti, Sponſo, & Antiſtiti non poſſumus non offerre.

Addam, Commentarium iſtum in Aquenſi Ciuitate conceptum, immò formatum, & productum, Tibi veluti fructum in ſolo tuo natum jure debitum eſſe. Dum enim in Conuentu, ac Studio Generali Aquenſi FF. Prædicatorum Primarij Theologiæ Profeſſoris, ſeu Regentis munus obirem, fauente Eminentiâ tuâ, à qua non ſemel beneuolentiæ, protectionis ac fauoris indicia ſuſcepi, de mirabili Doctoris Angelici Proſa, LAVDA SION SALVATOREM, amplo Commentario exponenda cogitaui, ac deinde dum ibidem Prioris onus ſuſtinerem, diuino annuente Numine Opus inchoaui, quod poſteà, abſoluto Prioris officio, vtcumque conſummaui. Multis ergo Titulis Tibi debitam lucubrationem ſupplex offero, CARDINALIS EMINENTISSIME, immò & reddo, rogans vt illam non dedigneris. Veritates Catholicas continet, profert, ac tuetur; nec minimum quidem vnguem ab inconcuſſa Doctoris Angelici S. Thomæ doctrina recedit, illam ſemper ſequitur, illi ſemper inhæret; & ſi ſtyli elegantiâ non fulgeat, attamen veris vbique ſententiis decoratur. Illam ergo accipe, CARDINALIS EMINENTISSIME, in perennis obſequij mei, ac æternæ gratitudinis monumentum, dum pro ſoſpitate & incolumitate

Eminentiæ tuæ, vt ad longos in Eccleſia Dei ſplendeat annos, vota & preces offero. In Conuentu Buxenſi FF. Prædicatorum, ſexto Kalendas Decembris, Anno reparatæ Salutis milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto.

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
in Chriſto Seruus

Fr. CAROLVS BOVQVIN,
Ord. FF. Prædicatorum.

Digitized by Google

ERVDITO LECTORI.

MESSIS *multa, operarij pauci*: ſolennis incarnatæ Veritatis hæc vox eſt, *Luc.* 10. 2. At nunquid hoc beato ſeculo, quod ex innumera Doctorum hominum, immò & ſacrorum Scriptorum multitudine aureum rectè dixerim, pauci inueniuntur operarij, ita vt meſſores meſſis ſuperet? Nunquid indigent Chriſtianæ Religionis myſteria nouis hominum ſcriptis propugnari, exponi, dilatari? Minimè gentium: ſed infinita, immenſaque immenſi operis moles finitis nuſquam operariis ſatis exponetur, qui licèt plurimi in ſe, tamen vaſtiſſimæ vineæ Domini operationi pauci cenſentur. Vnde jubente Saluatore, rogandus eſt Dominus meſſis, *vt mittat operarios in meſſem ſuam*; ipſique qui in foro otioſi remanent operarij, vrgendi ſunt, vt ſedulò operi manum admoueant, ne acriùs, quòd ſtent tota die otioſi, à diligenti Patrefamilias reprehendantur.

Hæc mente voluens, auſus ſum ego omnium operariorum nedum poſtremus, ſed minimus, ad vineam Domini excolendam, eiuſque meſſem colligendam accedere, ne coram ſummo Patrefamilias, æquiſſimoque domus Dei Iudice otioſus inuentus, minimique mihi crediti talenti ſepulturæ culpatus, deſidiæ ac inertiæ reus, tanquam reprobus, infiduſque miniſter à fideliſſimorum conſortio ſeruorum ſegregatus, à facie Dei ejiciar. Porrò ſicut meipſum, ita Opus meum, omnemque quem hac in elucubratione exantlabo laborem, ipſi optimo deuoui Patrifamilias, amantiſſimoque Saluatori, de ineffabilibus Chriſti Domini ſacra in Euchariſtia latitantis myſteriis ſermonem habiturus. Ad Solem accedo, non aquila, ſed veſpertilio: verùm luce nocturna roboratus, Fide inquam, quæ in tenebris lucet, quæque *adeo eſt oculata, vt lynceos habeat oculos*, ſicut loquitur D. Bernardus *ſerm. de Epiphan.* Ad Regem venio, ſed ſupplex, ſed humilis, non ſolùm infinitam eius maieſtatem, ſed etiam fulgentiſſimam illius purpuram venerabundus, quia & deitatis, & humanitatis eius gloriam ſumma cum reuerentia enarrabo. Mare tranſeo, ſed ſtellâ duce, quæ Dei nuncia, non ad Chriſti præſepe, ſed ad omnium gratiarum ſcaturiginem, omniſque gratiæ thronum, ſacram ſcilicet Euchariſtiam adducet. Magnam prouinciam ſuſcipio, & longam peregrinationem aggredior; ſed fideliſſimo, potentiſſimoque ductore roboratus, & alter veluti Tobias Angelico nobilitatus comitatu. Vt enim illum Raphaël è domo paterna eduxit, & ad illam feliciter reduxit: ſic ego Thomam Aquinatem Doctorum Angelum, qui linguâ Angeli, & ſtylo Angelico panem Angelorum angelicè celebrauit, ducem ſuſcipio. Illum ſequor, illius veſtigiis inhæreo, illius doctrinam amplector, colo, reuereor, & celeberrimæ illius Proſæ rithmicæ in Miſſa Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti pretioſiſſimæ veluti gemmæ coruſcantis expoſitionem ac elucidationem tradere non formido. Sanctiſſimi Doctoris mentem, quæ licèt primâ fronte plana videatur, tamen altiſſima eſt ac profun-

diſſima, aperiam; ipſaſque, quas vnico verbo tantus Author pronunciat veritates, integro ſermone propalabo, & perſpicuâ oratione exponam: tremendumque diuinæ Euchariſtiæ myſterium omnibus proponens adorandum, ab hæreticorum veſania, infidelium irriſionibus, peccatorum blaſphemiis, ac malorum omnium iniuriis propugnare, ac vindicare conabor. Rogo te (HVMANISSIME LECTOR) conatum noſtrum non crimineris: ineleganti ſtylo, ac obſcuro, & nequaquam fulgenti, nequaquam fluido ſermoni parce. Veritatem ſectatus veritatem indagaui, ac illam ſeipsâ formoſam, nullâ ex parte fucatam expono. Nec pulcherrimæ omnium præſtantiſſimâ ſpecie ſuâ victrici ornatus addendus fuit, ne natiuus veritatis ſplendor peregrino nitore decreſceret. Labore noſtro vtere: ſi tibi vtilis, gaude: ſi tanti maieſtati Sacramenti inæqualis, ſcito quod ſicut exaltantur cœli à terra, ſic viæ ac verba hominum à viis rebuſque diuinis elongantur. Cæterùm labori non minimo non iraſcaris, ſed potiùs ignoſce. Faciliùs arguunt homines, quàm meliora præſtent. Commentarium noſtrum lege, nec te ab eius lectione arceat ſtyli inelegantia: nuces in nucleis deliteſcunt, ſuauiſſimoſque fructus tegunt amaræ cortices, ipſaque ſapientia rudis ſermonis inuolucris obuoluitur, & tamen pretioſam doctrinam comprehendit. Vale.

SERIES
LIBRORVM, TEXTVVM,
ELVCIDATIONVM, SECTIONVM, &c.

Quæ in quatuor Libris huius Commentarij in Canticum *Lauda Sion Saluatorem*, continentur.

PROEMIVM. pag. 1
Proſa, ſeu Canticum Diui Thomæ Doctoris Angelici, de Sacroſanctâ Euchariſtia. pagina 4

LIBER PRIMVS.

Solis Aquinatis Splendorum, ad lætitiam, & gratitudinem Fideles, ob conceſſum corpus Chriſti in Euchariſtia inducentium. pag. 5

TEXTVS PRIMVS.

LAuda Sion Saluatorem, &c. p.6
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO PRIMA.

Cur Eccleſia nomine Sion appelletur. p.8
SECTIO I. Eccleſia vocatur Sion propter maximam firmitatem. ibid.
§. j. Eccleſiæ firmitas à ſuo Capite. ibid.
§. ij. Eccleſiæ firmitas à fide. p.10
§. iij. Eccleſiæ firmitas à charitate. p.13
SECT. II. Eccleſia meritò Sion nomine inſignitur propter ſuam amplitudinem. p.16
SECT. III. Eccleſia meritò Sion nuncupatur propter ſuam altitudinem. p.20

ELVCIDATIO II.

Chriſtus Dominus maximè in Euchariſtia Saluator dicitur. p.23
SECT. I. Chriſtus in Euchariſtia Saluator eſt hominum, quia hoc Sacramento Dæmones ſuperantur. ibid.
SECT. II. Chriſtus in Euchariſtia Saluator eſt hominum, quia per eam peccata remittuntur. p.27
§. j. Peccata præterita per Euchariſtiam delentur. p.28
§. ij. Peccata præſentia per Euchariſtiam extinguntur. p.29
§. iij. Peccata futura per Euchariſtiam cauentur. p.31
SECT. III. Chriſtus Saluator eſt in Euchariſtia, quia per illam mors deſtruitur. p.34

ELVCIDATIO III.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia Dux Chriſtianorum meritò nuncupatur. p.36
SECT. I. Chriſtus in Euchariſtia Dux noſter eſt, quia nos ducit intra nos. ibid.
SECT. II. Chriſtus ſacram per Euchariſtiam Dux noſter eſt, quia nos ducit extra nos. p.39
SECT. III. Chriſtus in Euchariſtia Dux perfectus, quia nos ſupra nos ducit. p.41

ELVCIDATIO IV.

Chriſtus verus eſt Chriſtianorum Paſtor. p.45
SECT. I. Chriſtus verus Eccleſiæ paſtor, illam verbi pabulo ſuſtentat. ibid.
SECT. II. Chriſtus optimus paſtor exemplo paſcit Eccleſiam. p.50
SECT. III. Chriſtus optimus Eccleſiæ paſtor illam proprio corpore paſcit. p.54

ELVCIDATIO V.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia laudibus ac ſanctæ jubilationis hymnis & canticis à fidelibus eſt proſequendus. p.58
SECT. I. Chriſtum Dominum cœlum laudat, hoc eſt, Sancti Angeli, & homines beati præconiis & hymnis Chriſti laudes celebrant. ibid.
§. vnic. In cœlo etiam Beati homines Chriſtum Dominum laudibus proſequuntur. p.61
SECT. II. Ab Eccleſia adhuc in terris militante Chriſtus Dominus laudibus celebratur. p.67
SECT. III. Ab illis Chriſti fidelibus, qui in purgatorio patiuntur, ipſe Dominus Ieſus laudes recipit. p.71
§. j. Purgatorij veritas ſtabilitur. ibid.
§. ij. Animæ in Purgatorio exiſtentes Chriſtum Dominum laudibus proſequuntur. p.75

TEXTVS II.

QVantum potes, tantum aude, &c. p.79
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO VI.

A quo poteſtas hominis deriuetur. ibid.
SECT. I. Quidquid homo in creatione, vel productione ſuſcepit, illud omne à Chriſto recepit. p.81
SECT. II. Mala hominis non à Deo, ſed à ſolo homine procedunt. p.84
§. j. Subſtantia, ſeu entitas actus peccati eſt à Deo: malitia autem à ſola voluntate creata. p.86
§. ij. Quomodo cordis obduratio ſit à Deo. p.88
SECT. III. A peccato reſurgere, & bona per illud amiſſa recuperare nequit homo ſine ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio. p.90
§. j. Vt homo à peccato ſurgat, diuinâ gratiâ præueniente efficaci, ac ipſum ad agendum applicante debet excitari. p.92
§. ij. Gratia efficax voluntates humanas applicans ad

agendum, non lædit, vel deſtruit, ſed perficit libertatem. p.98
§. iij. Homo diuinæ gratiæ auxilio roboratus, ipſique Chriſto Domino charitate ac iuſtitiâ copulatus, illius laudes debet audacter depromere. p.100

TEXTVS III.

LAudis thema ſpecialis, &c. p.105
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS IV.

QVem in ſacræ menſæ Cœnæ, &c. p.105
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS V.

SIt laus pura, ſit ſonora, &c. p.106
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS VI.

DIes enim ſolennis agitur, &c. p.109
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO VII.

Circa quatuor Textus præcedentes. p.110
Sect. I. Euchariſtiæ Sacramentum verus Chriſtianorum cibus, ſpecialem ab eis exigit gratitudinem. ibid.
Sect. II. Sola Euchariſtia panis viuus meritò appellatur. p.114
§. j. Chriſtus panis viuus verè, & non figuratè eſt in Euchariſtia. p.117
§. ij. Euchariſtia panis viuus viuum Chriſti Domini corpus, ſine vllo alio pane complectitur. Vbi error Lutheri Chriſtum in Euchariſtia impanatum aſſerentis confutatur. p.121
Sect. III. Chriſtiani, quibus in Apoſtolorum perſonis corpus ſuum tradidit Chriſtus, meritò fratres appellantur. p.124
§. j. Chriſtiani verè fratres ſunt, vtpote ex eiſdem parentibus nati. ibid.
§. ij. Chriſtiani fratres ſunt, quia eodem lacte nutriti. p.127
§. iij. Chriſtiani fratres ſunt, quia ad eandem hæreditatem prouehuntur. p.129
Sect. IV. Cur duodenus ſit Apoſtolorum numerus. p.133
§. j. In duodeno Apoſtolorum numero Chriſti maieſtas ſplendeſcit. ibid.
§. ij. Duodenus Apoſtolorum numerus Eccleſiæ dignitatem exornat. p.136
§. iij. Propria Apoſtolorum dignitas in duodenario numero elueeſcit. p.137
Sect. V. Iuſtè ac rationabiliter dies ſolennis ad ſacroſanctæ Euchariſtiæ honorem ab Eccleſia inſtitutus eſt. p.139

LIBER SECVNDVS.

Solis Aquinatis Splendorum, victorias ac triumphos Chriſti Domini illuſtrantium. p.143

TEXTVS VII.

IN hac menſa noui Regis, &c. ibid.
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS VIII.

VEtuſtatem Nouitas, &c. p.144
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO PRIMA.

De Regia Chriſti Domini dignitate. p.145
Sect. I. Chriſtus ab æterno Rex eſt, æternâ ſuâ ex Diuini Patris intellectu proceſſione. ibid.
Sect. II. Chriſtus etiam temporali ex Virginis vtero natiuitate Rex extitit. p.150
§. j. Chriſtus Dominus vt homo, ac intemeratæ Virginis filius, ad Regiam dignitatem electus eſt. p.151
§. ij. Chriſtus Dominus ad Regiam dignitatem in materno Virginis vtero vnctus eſt. p.153
§. iij. Chriſtus Dominus Rex in materno Virginis vtero coronatus. p.160
Sect. III. Chriſtus pendens, ac moriens in cruce verus hominum Rex exhibetur. p.165
Sect. IV. Etiam in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento Regiam Chriſtus Dominus pandit maieſtatem. p.169

TEXTVS IX.

QVod in cœna Chriſtus geſſit, &c. p.172
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS X.

DOcti ſacris inſtitutis, &c. p.173
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO II.

De Sacerdotio Chriſti Domini. p.174
Sect. I. Chriſtus verus ac primus eſt omnium Sacerdos. ibid.
Sect. II. Suum in cruce Chriſtus Dominus exercuit Sacerdotium, hoſtiam immaculatam Deo ſemetipſum offerens. p.177
§. j. Chriſtus in cruce Sacerdos. ibid.
§. ij. Crux Chriſti altare eſt, in quo ſemetipſum Deo obtulit. p.178
§. iij. Chriſtus cruci affixus hoſtia eſt omnium perfectiſſima. p.180
Sect. III. Chriſtus in vltima cœna corpus & ſanguinem ſuum præbens Apoſtolis Sacerdos apparuit, & verum ſacrificium obtulit. p.183
Sect. IV. Sacerdotes nouæ legis Chriſti miniſtri in Miſſa verum Deo offerunt Sacrificium. pagina 185
§. j. Chriſtiani Sacerdotes, Chriſti Sacerdotij participes, verè ac propriè Sacerdotum nomine & officio inſigniuntur. p.186
§. ij. Euchariſtia à Sacerdotibus oblata eſt verum, ac proprium Sacrificium. p.188
§. iij. propriam, & formalem ſacrificij rationem Sacræ Euchariſtiæ conuenire demonſtratur. p.191
§. iv. Sacrificium Euchariſtiæ verè propitiatorium eſſe ſuadetur. p.194
§. v. Quomodo Euchariſtia ſit ſacrificium propitiatorium,

rium, explicatur. p.198
§. vj. De nominibus, & valore ſacrificij Euchariſtiæ. p.200

ELVCIDATIO III.

De præſtantia Sacerdotij nouæ Legis. p.202
SECT. I. In quo præcipuè conſiſtat dignitas Sacerdotij nouæ Legis. ibid.
§. j. A poteſtate conſecrandi, & offerendi Euchariſtiam Sacerdotum dignitas præcipuè oritur. p.204
§. ij. A poteſtate clauium, ſeu ab authoritate remittendi peccata Sacerdotalis dignitas illuſtratur. p.208
§. iij. A verbi Dei prædicatione Sacerdotalis dignitas commendatur. p.211
§. iv. Summa in viris Apoſtolicis virtus requiritur, vt dignè verbum Dei annuncient. p.213
SECT. II. Vtrum omnes Sacerdotes æqualis ſint dignitatis, & an rectè alij maiores, nempe Epiſcopi; alij minores, ſcilicet ab ipſis dependentes Presbyteri diſtinguantur. p.217
§. vnic. An Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio. p.219
SECT. III. De fine Sacerdotij nouæ Legis. p.221
§. j. Ad Dei gloriam propagandam poſiti ſunt in Eccleſia Sacerdotes. ibid.
§. ij. Salus animarum poſt gloriam Dei alter finis Sacerdotij nouæ Legis. p.226

TEXTVS XI.

Dogma datur Chriſtianis, &c. p.232
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO IV.

De conuerſione panis, & vini in corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia, ſeu de tranſubſtantiatione. pag.234
SECT. I. Vtrum dogma conuerſionis panis & vini in corpus, & ſanguinē Chriſti ſit nouū in Eccleſia. ib.
SECT. II. Vtrum ad hoc, vt corpus Chriſti ſit realiter præſens in Euchariſtia, neceſſariò admitti debeat tranſubſtantiatio. p.238
§. Vnic. Veritas tranſubſtantiationis magis illuſtratur. p.240
SECT. III. Vtrum panis, & vinum in Euchariſtia annihilentur. p.242

LIBER TERTIVS.

Solis Aquinatis Splendorum Chriſtianos ad fidem, & Sacræ Euchariſtiæ venerationem exhortantium. pag.244

TEXTVS XII.

Quod non capis, quod non vides, &c. ibid.
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XIII.

Sub diuerſis ſpeciebus, &c. p.245
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO PRIMA.

Circa textus præcedentes. De neceſſitate, & vtilitate Fidei. p.246
SECT. I. De neceſſitate fidei. ibid.
§. Vnic. Summa ad diuinam Euchariſtiam fides eſt neceſſaria. p.247
SECT. II. Chriſtianæ fidei dignitas expenditur. p.251
§. j. Præſtantiſſimum Dei donum fides eſt. p.252
§. ij. Quomodo fides viua poſſit eſſe, & mortua, oſtenditur. p.254
§. iij. Quem locum obtineat fides inter alias virtutes Theologicas. p.256
SECT. III. De fidei vtilitate. ibid.
§. j. Quænam fides juſtificet, & an ſit formata, vel informis. p.258
§. ij. Fides formata, & bonis moribus voluntatis aucta requiritur ad juſtificationem. p.261
§. iij. Chriſtianus non eſt, cuius fides bonis operibus non exornatur. p.263
§. iv. Malè agentes Chriſtiani, hoc nomine expoliantur, & pœnis æternis addicuntur. p.266

ELVCIDATIO SECVNDA.

De ſpeciebus, & rebus Euchariſtiæ. p.268
SECT. I. Species, ſeu accidentia panis & vini, remanent ſine ſubiecto in Euchariſtia. ibid.
§. j. Congruum fuit panis & vini ſpecies, ſeu accidentia remanere in Euchariſtia ſine ſubiecto. ibid.
§. ij. Accidentia panis, & vini in Euchariſtia abſque vllo ſubiecto exiſtunt. p.271
§. iij. Accidentia Euchariſtiæ iiſdem ſubiacent ſeparata à ſubſtantia, ac ſi illi inhærerent. p.272
SECT. II. Quænam res eximiæ, & quomodo ſub ſpeciebus panis & vini lateant in Euchariſtia. p.273
SECT. III. Corpus & ſanguis Chriſti verè, & realiter exiſtunt ſub ſpeciebus panis & vini, non ſolùm in vſu, & ſumptione Euchariſtiæ, ſed quamdiu verè & realiter incorruptæ permanent illæ ſpecies. p.275

TEXTVS XIV.

Caro cibus, ſanguis potus, &c. p.277
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XV.

A Sumente non conciſus, &c. p.278
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XVI.

Sumit vnus, ſumunt mille, &c. p.280
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XVII.

Sumunt boni, ſumunt mali, &c. p.281
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XVIII.

Mors eſt malis, vita bonis, &c. ibid.
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XIX.

Fracto demùm Sacramento, &c. p.283
Expoſitio Textus. ibid.

TEXTVS XX.

Nulla rei fit ſciſſura, &c. p.284
Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO III.
Circa textus præcedentes. ibid.
SECT. I. De præſtantia cibi, & potus Euchariſtici. ibid.
SECT. II. Quomodo, & quo tempore teneantur Fideles cibari cibo & potu Euchariſtico. p.287
SECT. III. Vtrum omnes fideles debeant ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, Euchariſtiam ſumere. p.289
§. j. An Eccleſia potuerit aliquando fidelibus laïcis, & Sacerdotibus actu non celebrantibus vſum Calicis, ſeu ſpeciem vini in Euchariſtia concedere, & aliquando denegare. p.291
§. ij. Vtrum Sacerdotes celebrantes, ac ſub duplici ſpecie communicantes, maiorem gratiam recipiant, quàm laïci ſub vna tantùm ſpecie Euchariſtiam recipientes. p.295
SECT. IV. Vtrum liceat quotidie ſacram Euchariſtiam ſumere. p.296
ELVCIDATIO IV.
De diſpoſitionibus ad ſumendam Euchariſtiam, ac de eius effectibus. p.298
SECT. I. Nullus niſi à lethali culpa purgatus, ad ſacram accedat Euchariſtiæ communionem. ibid.
SECT. II. Lethali culpâ pollutus, nonniſi præmiſsâ ſacramentali confeſſione ad ſacram communionem accedat. p.300
SECT. III. De diſpoſitionibus corporis ad Sacram Euchariſtiæ communionem. p.301
SECT. IV. Vtrum ille, qui cum peccato mortali, & abſque debita diſpoſitione ſacram Euchariſtiam recipit, recipiat ibi verum corpus Chriſti ſacramentaliter. p.303
SECT. V. Vtrum ad dignè, & fructuosè communicandum requiratur actualis deuotio excludens mentis diſtractionem, & peccata venialia actu exercita. p.305
SECT. VI. Quinam ſint proprij ſacræ Euchariſtiæ effectus, & quo tempore producantur. p.306
SECT. VII. A ſacra Euchariſtia vita in bonos, & mors in malos dimanat. p.309
SECT. VIII. Vita bonis à ſacra Euchariſtia communicatur. p.311
§. j. Vita naturalis ab Euchariſtia procedit. ibid.
§. ij. Vita ſpiritualis ab Euchariſtia confertur. p.313
§. iij. Æterna vita bonis ab Euchariſtia donatur. p.317
SECT. IX. Sacram indignè ſumentibus Euchariſtiam, triplex infligitur mors, ſpiritualis, corporalis, & æterna. p.319
§. j. Vitam corporis amittunt Euchariſtiam indignè ſuſcipientes. p.320
§. ij. Mors ſpiritualis indignè communicantibus infligitur. p.321
§. iij. Mors æterna indignè communicantibus infligitur. p.322

LIBER QVARTVS.

Solis Aquinatis Splendorum Fideles ad mirabiles Euchariſtiæ effectus percipiendos, ipſamque gloriam aſſequendam roborantium. pag.323

TEXTVS XXI.
ECCE Panis Angelorum, &c. ibid.
Expoſitio Textus. ibid.
ELVCIDATIO PRIMA.
De Chriſto Angelorum, & hominum pane. p.325
SECT. I. Quomodo Chriſtus ſit panis Angelorum. ibid.
SECT. II. Quomodo Chriſtus fiat panis viatorum. p.328
SECT. III. Chriſtus in Euchariſtia fit verus panis viatorum. p.330
§. j. Vtrum Chriſtus quibuſdam verbis panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum conſecrando, & conuertendo vſus fuerit. ibid.
§. ij. Vera forma conſecrationis panis in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, conſiſtit. p.332
§. iij. Omnia verba, quæ à Sacerdote in conſecratione calicis proferuntur, ſunt de eſſentia formæ. p.333
SECT. IV. Ex qua materia panis Angelorum fiat in Euchariſtia cibus viatorum. p.336
SECT. V. Vtrum Chriſtus in pane azymo vel fermentato Euchariſtiam inſtituendo conſecrauerit. pag.338
SECT. VI. Quodnam vinum, & an aquâ temperatum, ſit materia Euchariſtiæ. p.341
SECT. VII. Non indecens eſt, nec dignitati Chriſti derogat ipſum panem Angelorum factum cibum viatorum ab illis vere, & realiter manducari. pag.344
ELVCIDATIO II.
De filiatione adoptiua Dei. p.348
SECT. I. Quomodo homines à Deo adoptentur, & filij Dei dicantur. ibid.
§. j. Quid ſit adoptio, & quomodo Deo adoptare conueniat. ibid.
§. ij. Chriſtus Dominus gratiam adoptionis hominibus obtinuit. p.349
§. iij. Adoptiuam Dei filiationem homo recipit per Baptiſmum. p.350
§. iv. Hominum in filios per Baptiſmum adoptio magis illuſtratur. p.352
§. v. Cur aqua materia Baptiſmatis aſſumatur, expenditur. p.354
§. vj. Formæ Baptiſmatis verba expenduntur. p.356
SECT. II. De effectibus, ſeu fructibus diuinæ adoptionis. p.357
§. j. Nouum nomen homini adoptato diuina tribuit adoptio. ibid.
§. ij. Nouis bonis diteſcit homo per Baptiſmum diuinâ adoptione decoratus. p.361
§. iij. Ad æternam filius Dei adoptiuus jus habet hæreditatem, ad quam aſſequendam totis debet viribus inſudare. p.366
SECT. III. Adoptio diuina in hominibus ſacrâ Euchariſtiâ fouetur, & roboratur. p.369
ELVCIDATIO III.
De adoratione Euchariſtiæ. p.372
SECT. I. Quid & quotuplex ſit adoratio. p.373
SECT. II. Vtrum Euchariſtiæ Sacramentum ſit adorandum, & quâ adoratione. p.374
SECT. III. De adoratione crucis, & imaginis Chriſti. p.379
§. vnic. Crux Domini eſt adoranda. p.381
SECT. IV. De Sanctorum, eorumque imaginum veneratione. p.384

TEXT. XXII.

Elucidationum, Sectionum, &c.

TEXTVS XXII.

IN figuris præſignatur, &c. p.386

Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO IV.

De Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſupra eius figuras dignitate, & excellentia. p.390

SECT. I. Ex antiquis Euchariſtiæ figuris conuincitur corpus, & ſanguinem Chriſti in hoc Sacramento realiter exiſtere. ibid.

SECT. II. Ex manna Euchariſtiæ figura rectè colligitur corpus Chriſti hoc in Sacramento realiter exiſtere. p.393

SECT. III. Realis præſentia corporis Domini in Euchariſtia adhuc firmatur, & contra Hæreticos propugnatur. p.398

SECT. IV. Eadem veritas præſentiæ realis corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia magis illuſtratur. p.401

§. vnic. Hæreticorum obiectiones cootra veritatem Euchariſtiæ confutantur. p.404

TEXTVS XXIII.

BOne Paſtor, panis vere, &c. p.408

Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO V.

De Chriſti Domini miſericordia. p.414

SECT. I Ex Sanctiſſimo nomine Ieſu ſumma in Chriſto effulget miſericordia. ibid.

SECT. II. Chriſti Saluatoris miſericordia verè eſt vniuerſalis. p.418

§. j. Chriſtus in omnes homines eſt miſericors. ibid.

§. ij. Chriſtus Dominus miſericordiam ſuam in omnem locum effudit. p.422

§. iij. Diuina Chriſti miſericordia in omne tempus extenditur. p.428

§. iv. Diuina Miſericordia in omne tempus, & omnem cuiuſcumque hominis ætatem extenditur. p.431

SECT. III. Vtrum diuina in homines miſericordia menſuretur. p.433

SECT. IV. Diuina Chriſti miſericordia ab eius juſtitia non ſeparatur. p.438

SECT. V. Vt diuina ſuper nos miſericordia effundatur, orationibus debemus à Deo poſtulare. p.442

§. j. Peccator, vt veniam peccatorum obtineat, & ab illis ſurgat, frequentibus orationibus diuinam debet miſericordiam implorare. p.443

§. ij. Peccatorom Dei miſericordiam poſtulantium oratio lacrymis roboratur. p.446

§. iij. Iuſtus oret, diuinamque imploret miſericordiam, vt in gratia ſtet, & perſeueret. p.451

TEXTVS XXIV.

TV qui cuncta ſcis, & vales, &c. p.455

Expoſitio Textus. ibid.

ELVCIDATIO VI.

De Chriſti Domini, & Sanctorum inuocatione. p.462

SECT. I. Chriſtus Dominus tanquam Redemptor, Saluator, & Diuinus bonorum omnium propriâ authoritate diſpenſator, à cunctis fidelibus eſt inuocandus. ibid.

SECT. II. Etiam Sancti in cœlis cum Chriſto regnantes ab Eccleſia ſunt inuocandi. p.464

SECT. III. Inuocatio Sanctorum ampliùs ſtabilitur, & Nouatorum inſtantiæ refelluntur. p.469

SECT. IV. Præ omnibus Sanctis Beatiſſima Virgo Maria Dei genitrix eſt inuocanda. p.472

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quibus Doctrina in hoc Opere tradita ſtabilitur; quæve ſparſim allegata, etiam ipſa exponuntur.

Ex Geneſi.

Cap.1.℣.1. *IN principio creauit Deus cœlum & terram.* p.82.n.317

1. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis: & volatile ſuper terram, ſub firmamento cœli.* p.354.n.185

1. 28. *Creſcite, & multiplicamini.* p.33.n.125.& p.294. n.297

2.17. *Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, &c.* p.311.n.414.& p.439. n.592

2.23. *Caro de carne mea, & os ex oſſibus meis.* p.286.n.245

3. 4. & 5. *Nequaquam moriemini: ſcit enim Deus, quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* p.24.n.82.p.33.n.122.& p.439.n.592

3.8. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* p.47.n.180

3. 19. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* p.34.n.127

4.13. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* p.91.n.349. & p.443.n.603

6. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* p.458.n.658

11. 4. *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* p.20.n.63

13.2. *Erat diues valde in poſſeſſione auri, & argenti.* p.362. n.231

15. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* p.318.n.450.p.366.n.249.& p.412.n.481

15.6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* p.261.n.99

16. 14. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis.* p.215.n.344

ibid. 22. *Fecit Noë omnia quæ præceperat illi Deus.* p.215. n.344

22. 4. *Die autem tertio, eleuatis oculis vidit locum.* p.387. n.355

22. 16. *Per memetipſum juraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito, &c.* p.387.n.354

22. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* pag.362. n.232

23. 6. *Princeps à Deo tu es nobis.* p.152.n.41

24. 10. *Abiit ex omnibus bonis eius portans ſecum.* p.362. n.231

28.18. *Lapidem in titulum erigens Iacob, fuſo oleo deſuper.* p.179.n.160

28. 20. *Si fuerit Deus mecum, &c.* p.113.n.428

28. 21. *Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum.* p.7.n.9.& p.55.n.210

32. 28. *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis.* p.450.n.633

33. 11. *Suſcipe benedictionem, quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* p.111.n.422

39. 8. & 9. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* p.30.n.112

48. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* p.465.n.692

ibid. *Inuocetur nomen meum ſuper pueros hos, & nomina patrum meorum.* p.471.n.723

48. 22. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* p.73.n.284

49. 19. *Salutare tuum expectabo Domine.* p.134.n.533

49. 27. *Benjamin lupus rapax, mane rapiet prædam, & ad veſperam diuidet eſcas.* p.47.n.183

Ex Exodo.

Cap.3.℣.5. *SOlue calceamenta de pedibus tuis.* p.153. n.42

ibid. *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* p.381.n.322

3. 6. *Ego ſum Deus patris tui.* p.333.n.53

3. 14. *Ego ſum, qui ſum.* p.257.n.73

4. 21. & 7. 3. *Ego indurabo cor Pharaonis.* p.437.n.582

7. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* p.213.n.333

9.34. *Videns autem Pharao quod ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, &c.* p.89.n.342

12. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* p.338.n.93

12. 6. *Seruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius, immolabitque eum, &c.* p.338.n.94

12. 8. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes.* p.389.n.362

12. 11. *Phaſe, ideſt tranſitus Domini.* p.197.n.256

12. 14. *Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino, &c.* p.109.n.412

12. 27. *Cùm dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt, &c.* p.198. n.258

12. 46. *Os non comminuetis ex eo.* p.139.n.560

15. 1. *Cantemus Domino, glorioſè enim, &c.* pag.2

15. 3. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* p.360.n.221

15. 25. *Venerunt autem in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, &c.* p.138.n.554

16.7. *Mane*

Sacræ Scripturæ.

16. 7. *Mane videbitis gloriam Domini.* p.111.n.422
16. 12. *Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus.* p.394.n.393
16. 16. *Colligat vnuſquiſque man quantùm ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* p.372.n.265
16. 18. *Non amplius habuit qui collegerat: nec qui minùs parauerat, minus reperit.* p.295.n.308
16. 33. *Sume vas vnum, & mitte ibi man quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino.* p.371.n.265
19. 12. *Omnis qui tetigerit montem, morte moriatur.* p.320. n.460
20. 4. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, &c.* p.380.n.315
20. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, &c.* p.380.n.317
ibid. 23. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* p.380.n.317
22. 20. *Qui ſacrificat Diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* p.191.n.225
22. 22. *Diis non detrahas, & Principi populi tui non maledicees.* p.210.n.320
28. 25 *Vt audiatur ſonitus quando ingredietur, & egredietur Sanctuariũ in conſpectu Domini, &c.* p.222.n.385
31. 5. *Impleuique eum omni ſapientia, intelligentia, & ſcientia ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & marmore, & gemmis, &c.* p.380.n.317
31. 13. *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum, &c.* p.465.n.692
31. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* p.230.n.413
33. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi.* p.412.n.484

Ex Leuitico.

Cap. 2. ℣. 23. **Q** *Vidquid offeres, ſale condies.* pag.32. n.119
ibid. *Non auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio.* p.32.n.119
6. 22. *Ignis in altari meo ſemper ardebit.* p.141.n.567
4. 35. *Offeret ſacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* p.195.n.246
10. 2. *Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.* p.320.n.460
11. 44. *Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum.* p.388.n.213
15. 15. *Faciet vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* p.191.n.231
23. 5. *Menſe primo, quarta decimâ die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt.* p.338.n.94
23. 31. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra.* p.338.n.94
26. 5. *Comedetis panem veſtrum in ſaturitate.* p.17.n.96
ibid. 6. *Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos tuos.* ibid.
26. 9. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* p.454.n.644
26. 10. *Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus projicietis.* p.144.n.7.& 8

Ex Libro Numeri.

Cap. 11. ℣. 7. **E** *Rat autem manna quaſi ſemen coriandri.* p.322.n.465

Ex Deuteronomio.

Cap. 4. ℣. 24 **D** *Eus noſter ignis conſumens eſt.* pag.32. n.129
5. 5. *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.* p.470.n.717
5. 31. *Tu verò hic ſta mecum.* p.10.n.20
6. 4. *Audi Iſraël, Deus tuus vnus eſt.* p.13.n.36
7. 6. *Te elegit Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, &c.* p.153.n.44
10. 12. *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum, &c.* p.264.n.113
16. 12. *Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus, in loco, quem elegerit Dominus.* p.340.n.110
32. 6. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te.* p.148.n.22
32. 13. *Conſtituit eum Dominus ſuper excelſam terram, vt ſugeret mel de petra, &c.* p.157.n.64
32. 15. *Incraſſatus eſt, & recalcitrauit.* p.29.n.104
32. 27. *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* p.102.n.387
33. 2. *In dextera eius ignea lex.* p.224.n.391

Ex Libro Ioſuë.

Cap. 8. ℣. 26. **I** *Oſuë verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Haï.* p.27.n.95
10. 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon.* p.475.n.741
ibid. 14. *Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* p.475.n.741
11. 20. *Domini ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſraël.* p.89.n.340

Ex Libro Iudicum.

Cap. 4. ℣. 21. **S** *Oporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt.* p.322.n.471
7. 14. & 20. *Panis hic, gladius Domini eſt, & Gedeonis.* p.26. n.92
13. 20. *Cumque aſcenderet flamma altaris in cælum, Angelus pariter in flamma aſcendit.* pag.77.num.301.& p.172.n.127
14. 8. *Declinauit, vt videret cadauer leonis: & ecce examen apũ in ore leonis erat, & fauus mellis.* p.323.n.2

Ex Libro I. Regum.

Cap. 2. ℣. 1. **N** *On eſt ſanctus vt Dominus, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* pag.26.n.90.& p.86.n.330
2. 30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* p.108.n.407. & p.377.n 299
7. 6. *Et conuenerunt in Malphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, &c.* p.447.n.620
9. 19. *Ego ſum videns, & omnia quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi.* p.472.n.729
10. 1. *Tulit lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius,* p.153.n.47
10. 6. *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* p.270.n 141
12. 22. *Non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum.* p.428 n.548
15. 21. *Tulit de præda populus oues & boues primitias eorum quæ cæſa ſunt, &c.* p.181.n.171
16. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* p.153.n.47.& p.421.n.520
17. 43. *Dixit Philiſthæus ad Dauid: Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo.* p.324.n.11
18. 1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit quaſi animam ſuam.* p.316.n.439
21. 13. *Et immutauit os ſuum.* p.270.n.143
21. 9. *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* p.26.n.91.

Ex Libro II. Regum.

Cap. 1. ℣. 17. **P** *Lanxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, &c.* p.73 n.283
6. 7. *Percuſſus eſt à Domino ſuper temeritate ſua, & mortuus eſt ibi juxta Arcam Dei.* p 381.n.323
ibid. 13. *Cùm tranſcendiſſent qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabant, &c.* ibid.
6. 14. *Saltabat totis viribus ante Dominum.* p 67.n.258

Index locorum.

6\. 22. *Ante Dominum ludam, & vilior ſiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* pag.67. n.258.& p.377.n.299

18\. 5. *Seruate mihi puerum Abſalon.* p.427.n.341

22\. 2. *Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus.* p.30.n.110

24\. 13. *Tribus diebus erit peſtilentia in terra.* p.33.n.126

ibid. 15. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane vſque ad tempus conſtitutum.* p.33.n.126

Ex Libro III. Regum.

CAP.4.℣.22. E*Rat autem cibus Salomonis per ſingulos dies triginta cori ſimila, & ſexaginta cori farina, &c.* p.371.n.267

6\. 7. *Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur.* p.13.n.42

10\. 20. *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus, hinc atque inde.* p.139.n.538

15.14. *Occidit eum leo, & ſtabat juxta cadauer.* p.149.n.27

17\. 1. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto.* p.10.n.20

17\. 6. *Corui deferebant ei panem, & carnes manè; & ſimiliter panem & carnes veſperi, &c.* p.149.n.27

18\. 23. *Ego faciam bouem alterum.* p.192.n.232

Ex Libro IV. Regum.

CAP.2.℣.21. E*Greſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus, &c.* p.269.n.139

8\. 12. *Scio quæ facturus ſis filiis Iſraël mala, ciuitates eorum munitas igne ſuccendes, &c.* p.472.n.729

Ex Libro I. Paralipomenon.

CAP.12.℣.18. T*Vi ſumus, ô Dauid; & tecum, fili Iſai, pax: pax tibi, pax adiutoribus tuis.* p.153.n.43

29\. 14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* p.112.n.425

29\. 20. *Benedixit omnis Eccleſia Domino Deo patrum ſuorum, & inclinauerunt ſe, &c.* p.374.n.280

Ex Libro II. Paralipomenon.

CAP.9.℣.22. M*Agnificatus eſt Salomon ſuper omnes Reges terræ præ diuitiis, & gloriâ.* p.371.n.267

12\. 5. *Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos.* p.89.n.341

20\. 37. *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, cõtritæque ſunt naues, &c.* p.378.n.301

28\. 19. *Humiliauerat enim Dominus Iudam, propter Achaz Regem Iuda, &c.* p.89.n.342

ibid.22. *Inſuper & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum.* ibid.

32\. 31. *Dereliquit eum Dominus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.* p.89.n.340

38\. 8. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum phaſe pecora duo millia, & boues ſexcentos.* p.340.n.110

Ex Libro Tobiæ.

CAP.4.℣.18. P*Anem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* p.73.n.284

12\. 10. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, &c.* p.467.n.699

12\. 15. *Ego ſum Raphaël vnus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum.* p.60.n.232.p.206.n.303.& p.327.n.24

12\. 19. *Ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* p.460.n.666.& p.327.n.24

Ex Libro Eſther.

CAP.13.℣.9. I*N ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.* p.94. numero 361. & pagina 146. numero 17

15\. 11. *Conuertit Dominus cor Regis in manſuetudinem.* p.95.n.365

Ex Libro Iob.

CAP.1.℣.1. E*Rat iuſtus, & rectus, timens Deum, & recedens à malo.* p.247.n.18

1\. 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* p.75.n.294.& p.363.n.239

5\. 1. *Voca ſi eſt qui reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* p.465.n.692

7\. 20. *Peccaui, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, &c.* p.92.n.353

8\. 13. *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia eius.* p.259.n.81

9\. 5. *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt.* p.25.n.78

10\. 8. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me.* p.82.n.316

10.12 *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi.* p.212.n.329

19\. 21. *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* p.465. n.692

ibid. *Manus Domini tetigit me.* p.363.n.239

1. 18. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. p.45.n.175. p.34 n.209. p.227.n. 403.& p.348.n.162
2. 2. Qui peccat in vno, factus eſt omnium reus. p.234. n.431
2. 14. Quid prodeſt, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? p.261.n.98
2. 22. Fides ſine operibus mortua eſt. p.245.n.3
ibid. 24. Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm. ibid. & p.262.n.101
ibid. 26. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine ſpiritu mortua eſt. ibid.
4. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. p.157. n.72

5. 16. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multùm enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* p.474.n.739

Ex Epiſtola I. B. Petri Apoſtoli.

Cap.1.℣.4. *IN hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cœlis.* p.136.n 542

1. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* pag. 326. n. 18

1. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* p.465. n.693

1. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, &c.* p.312.n 415

2. 2. *Sicut modò geniti infantes rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, vt in ipſo creſcatis in ſalutem.* p.42. n.161.& p.128.n.504

2. 4. *Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.* p 137.n.151

2. 5. *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias.* p.207. n.309

2. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* p.193. n.237

ibid. *Gens ſancta, genus electum, & populus acquiſitionis.* p.133.n.532

5. 9. *Cui reſiſtite fortes in fide.* p.16.n 93

Ex Epiſtola II. B. Petri.

Cap.1.℣.4. *MAxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* p.130.n.513.& p 175.n.146

1. 9. *Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* p.156.n.60

1. 19. *Donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* p.205.n.300

Ex Epiſtola I. B. Ioannis Apoſtoli.

Cap.1.℣.1. *QVod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, hoc annuntiamus.* p.54 n.206

1. 5. *Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ.* pag.59. n.227

2. 1. *Filioli, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis: ſed & ſi quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem, Ieſum Chriſtum.* p.352.n.177.& p.470.n.719

2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* p.180.n.165: p.420 n.517.p 436.n.580.& p.463.n.(8:

2. 6. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* p.263.n.112

3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus?* p.131.n.515.p.265. n.115.p.351.n.173.& p.358. n.210

3. 2. *Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* p 367.n.252

ibid. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* p.412.n.483

3. 6. *Omnis qui in eo manet, non peccat.* p.351.n.176

3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* p.28.n.98

3. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, &c.* p 351.n.176

3. 14. *Tranſlati de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* p.262.n.102

ibid. *Qui non diligit, manet in morte.* p.29.n.102. & p.116.n.439

3. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, &c.* p.230.n.414

4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* p.261.n.97.p.131.n.514.& p.317.n.442

4. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* p.264.n.113

4. 26. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* p.39.n.149. & p.351 n 174

5. 4. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* p.144. n.2.p.265 n.116.& p.359.n.217

ibid. *Omne enim quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* p.359.n.217

5. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei, &c.* p.450.n.635

Ex Epiſtola III. Beati Ioannis.

Verſ.11. *QVi benefacit, ex Deo eſt.* pagina 435. numero 574

Ex Epiſtola B. Iudæ.

Verſ.12. *ARbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* p.255.n.62

Ex Apocalypſi.

Cap.1.℣ 5. *QVi eſt primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* p.53.n.202

ibid. *Dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* p.159.n.73

1. 6. *Fecit nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* p.186. n.195 & p.193.n 237

1. 13. *Præcinctus ad mammillas zonâ aureâ.* p.42.n.161. & p.372.n.269

1. 15. *Gladius vtraque parte acutus exibat.* p.232.n.420

1. 16. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* pag.454. n.645

1. 18. *Habeo claues mortis, & inferni.* p.91.n.348

1. 20. *Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* p.454. n.645

2. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, &c.* pag.468. n.707

3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* p.468.n.708

3. 17 *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper.* p.414.n.492

3. 18. *Eme tibi aurum ignitum.* p.15.n.42

ibid. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & vici, & ſedi, &c.* p.468.n.708

4. 5. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* p.216.n.345

4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* p.60.n.233

4. 10. *Adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum eius, dicentes, Dignus es, &c.* p.62.n.141.& p.102.n.387

5. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid.* pag. 25. num.89

5. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* p.469.n.711

5. 12. *Dignus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, &c.* p.31.n.116

5. 13. *Sedenti in throno & agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* p.75.n.291. & p.375.n.287

7. 9 *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c.* p 61.n.239.& p.462.n.673

ibid. 11. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium.* ibid.

8. 3. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, &c.* p.467.n.699

10. 3. *Loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.* pag.216. n.345

12. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, &c.* p.136.n.347

14.1.*Et*

14. 1. *Et ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia,&c.*p.360.n.221
14. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem, ſedentem ſimilem Filio hominis, &c.* p.167. n.107
16. 9. *Æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Domini, &c.* p.75.n.291
17. 15. *Aquæ quas vidiſtis, populi ſunt & gentes.*p.342. n.126
19. 16. *Rex regum,& Dominus dominantium.*p.53.n.200. p.100.n.378.p.152.n.39.& p.469.n.711
20. 4. *Vidi animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, &c.* p.468.n.707
21. 4. *Ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, & abſterget Deus omnem lacrymam.* p.460.n.666
21. 6. *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* p.459. n.662
21. 14. *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum Agni.* p.11. n.25. & p.22.n.76
22. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici.* pag.324. num.9

Facultas R. P. Generalis Ordinis FF. Prædicatorum.

NOS Fr. Ioannes Thomas de Rocaberti, ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſeruus: Tenore præſentium, & noſtri authoritate officij tibi R. P. Magiſtro Fr. Carolo Bouquin noſtri Conuentus Buxi Prouinciæ Prouinciæ licentiam concedimus, & facultatem typis mandandi Opus quoddam à te compoſitum, cui Titulus eſt *Commentarius in Proſam ſeu Canticum Sancti Thomæ Doctoris Angelici,* Lavda Sion Salvatorem, &c. Vbi Sancti Doctoris mens veluti latitans aperitur, veritates Catholicæ circa Euchariſtiæ Myſterium propugnantur, & Nouatorum errores confutantur, dummodo præfatum Opus fuerit reuiſum & approbatum à R.P. Magiſtro Fr. Ioanne Lange, & duobus RR. Patribus Regentibus Studij Generalis noſtri Conuentus Aquenſis; ſeruatis tamen aliis de jure ſeruandis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 8. Ianuarij 1675.

Fr. Ioan. Thom. de Rocaberti,
Magiſter Ordinis.

Locus † Sigilli. *Regiſtrata fol.* 15.

Fr. Stephanvs de Thoro,
Magiſter & Socius.

APPROBATIONES THEOLOGORVM ORDINIS.

NOS Fr. Ioannes Lange in ſacra Theologia Magiſter, Prouinciæ Prouinciæ Ordinis FF. Prædicatorum Prior Aquenſis, *Solis Aquinatis Splendores circa ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, aliaque Chriſtianæ Religionis arcana, ſeu Commentarium in Proſam, ſiue Canticum D. Thomæ*, Lavda Sion Salvatorem, &c. per R. A. P. Magiſtrum Fr. Carolum Bouquin, ſumma claritate perfuſi vidimus, & examinauimus ex commiſſione P. Noſtri Reuerendiſſimi Generalis, & his ſplendoribus recreati, ſumma doctrina, ſolida, vera, gratò probauimus, quò typis mandentur, & luce per lucem aucta dentur in lucem maximam: vbique ſplendidus Sol fulgentiſſimus ſplendeat D. Thomas, hæreticorum caligine, nube, ac tenebris plenè depulſis, Fidelium luce ad meridiem vſque deducta: & indicato quem diligit eorum anima, viſo quod paſcat in meridie, cubet, ibi quieſcat, & laudet eum totis viribus, ore pleno filia Sion. In quorum fidem his ſubſcripſimus. Aquiſextiis die 18. Maij 1675.

Fr. Ioannes Lange.

SPlendores Solis Aquinatis mirè in ſuo & Eccleſiæ *de Euchariſtia Cantico*, LAVDA SION SALVATOREM, compreſſos, à R. adm. Patre Fratre Carolo Bouquin ſacræ Theologiæ Magiſtro ſapientiſſimo, Capituli Prouincialis Definitore meritiſſimo, necnon Vniuerſitatis ac Studij generalis Aquenſis FF. Prædicatorum jubare ornatiſſimo expanſos admiratus Ego infrà ſcriptus eiuſdem Studij Regens, hunc mirificum in illam Angelicam Angelici Doctoris D. Thomæ, ac planè diuinam de diuiniſſimo Altáris Sacramento Proſam inter omnes primum Commentarium, mira ſtyli claritate, clara doctrinæ profunditate, & profunda materiæ varietate perſpicuum de mandato Reuerendiſſimi Patris Noſtri Generalis FF. Prædicatorum, non ſine magna animi voluptate perlegi, & in eo nihil veritati Catholicæ diſſonum, ſed omne Fidei orthodoxæ, morum puritati, & Angelici Præceptoris ſoliditati conſonum; immò totum vel fidem Catholicam, vel pietatem Chriſtianam, vel doctrinam Thomiſticam defendens offendi. Quod ſanè Opus floribus Theologiæ de arido Scholæ, ac diſputationum campo collectis, & in præclaros & gratos prædicationum ac meditationum faſciculos compoſitis conſperſum, non modò Scholaſticis & Controuerſiſtis, ſed etiam piis diuini verbi Præconibus gratiſſimum, & toti Eccleſiæ vtiliſſimum, non in lucem ſolùm edi poſſe, ſed in publicam vtilitatem etiam typis mandari debere judicaui, vt Splendores Solis Aquinatis Solem Iuſtitiæ Chriſtum ſub figuris Euchariſticis, quaſi nubibus velatum oſtendentes, jucundè tamen ſub rhitmicis verſibus coarctatos, & tectos omnibus clariſſimè pandat & detegat, qui eos juxta nominis anagramma, Pater Frater Carolus Bouquin, claro verbo profert vt Aquinas. Datum Aquiſſextiis, die 29. Maij an. 1675.

Fr. SEBASTIANVS CAIRE, Studij generalis Aquenſis FF. Prædicatorum Regens Magiſter.

IN hoc Libro, cui Titulus, *Solis Aquinatis Splendores circa ſacroſanctum Euchariſtiæ Myſterium*, &c. quique ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris noſtri Generalis fuit à nobis euoluendus, nihil niſi aurum purum inuenimus. In eo namque Caluinianam Sectam deruncinat Author; vna manu, ſuo nempe chirographo, præfocat; atque deformiſſimam hanc multiformium hæreſum hydram ſic conterit, ſic ingeniorum mendacia ingenioſis rationibus emendat, vt calamus claua fiat, & Liber liberos faciat, nimirum ſi huc proram obuertant, & anchoram figant. Eſt quippe eius de Sacratiſſimo Euchariſtiæ Myſterio in hoc Opere methodus & inuentione fœcunda, & ſententiarum pondere grauis, argumentorum numero neruoſa, conquiſitis ex hiſtoria plantis lectiſſimis perjucunda, ac omnigenæ eruditionis cumulus. Nec mirum, cum & ipſe Author (ſicut partim experientiâ, dum hunc Magiſtrum in Scholis habuimus, partim fide dignâ relatione didicimus) ſic in ſtudia Theologicæ Facultatis diebus inſudauerit, ac noctibus; ſic per continuationem ſtudij, & exercitium lectionum profecerit laudabiliter; ſic nullo tractus labore, ingenti adeò fructu, ſeu diſcipulorum concurſu ſtudium noſtrum Generale Aquenſe illuſtrauerit; ſic adamantinæ ſuæ memoriæ tam multa continuo perlecta ſtudio commiſerit; atque contra errabundos Catholicæ Veritatis congregatos hoſtes ab Eccleſiæ Principibus pluries vocatus, velut in Cathedra fulgur & fulmen ſic mentis & pectoris ſui fulminibus igneis errores fugauerit, profligauerit, ablegauerit; vt virum non immeritò dixerim omni ex parte benemeritum, facundum ſcilicet in dicendo, fœcundum in docendo, indefeſſum in ſtudendo, in componendo vberrimum; aut ſi quid aliud deſideraueris, virum omni ferè ſcientiarum peritiâ clariſſimum. Quamobrem meo quidem calculo prælo adeò dignum Opus, vt vel aureis typis recudatur licet, nec ſemel, ſed centies. Aquiſſextiis die 30. Maij 1675.

Fr. ALEXANDER PINY, Ordinis FF. Prædic. ac in Studio generali Aquenſi Baccalaureus & Regens.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE, ET DE NAVARRE. A nos Amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Senêchaux, Prevôts, leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra. SALVT: Nôtre cher & bien-amé FRANÇOIS BARBIER, Marchand Libraire, & Imprimeur à Lyon, Nous a expoſé qu'il auroit un Livre, intitulé, *Solis Aquinatis Splendores circa Sacro-ſanctum Euchariſtiæ Myſterium, aliaque Religionis Chriſtianæ Arcana, hoc eſt Commentarius, in Proſam ſeu Canticum D. Thomæ Doctoris Angelici, Lauda Sion Saluatorem; Authore* R. P. CAROLO BOVQVIN *Taraſconenſi, Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſtro*, qu'il deſireroit donner au Public, s'il nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Permiſſion d'Imprimer ſur ce neceſſaires: A CES CAVSES Nous avons permis & accordés, permettons & accordons par ces preſentes audit Expoſant d'imprimer ou faire imprimer vendre ou debiter en tout lieu de nôtre obeïſſance ledit Livre en un ou pluſieurs volumes, en telle marge & caractere, & autant de fois qu'il voudra durant dix années, à compter du jour qu'il ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois, faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Libraires & Imprimeurs, & autres de l'imprimer vendre & debiter en aucun lieu de nôtre obeïſſance, ſoûs pretextes d'augmentation, correction, changement de titre ou fauſſe marque, d'en faire des Extraits; & à tous Marchands étrangers d'en apporter en ce Royaume d'autre impreſſion que de celles qui auront été faites du conſentement dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, en vertu des preſentes, à peine de ſix mille livres d'amande, payable ſans dêpôt par chacun des Contrevenans, & applicable un tiers à nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des Exemplaires, & de tous dêpens, dommages, & interêts; à condition qu'il ſera mis deux Exemplaires à nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre cher & feal Chevalier le Sieur Daligre, Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes, leſquelles ſeront enregiſtrées gratuitement, & ſans frais, dans les Regiſtres de la Communauté des Marchands Libraires de nôtre bonne Ville de Paris. SI VOVS MANDONS que du contenu des preſentes vous faſſiés joüir & vſer plainement & paiſiblement ledit Expoſant, & ceux qui auront droit de luy, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empêchemens au contraire: Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre autant des preſentes, ou Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit ajoûtée aux copies collationnées par nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'original. MANDONS au premier Nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution d'icelles tous Exploits neceſſaires, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. Car tel eſt nôtre plaiſir. DONNÉ à S. Germain en Laye le vingt-huitiéme Ianvier, l'An de Grace, mil ſix cents ſoixante & dix-ſept, & de nôtre Regne le trente-quatre.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL.

PEPIN.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 9. Fevrier 1677. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1633. & celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Fevrier 1663.

THIERRY, Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 6. Mars 1677.

Les Exemplaires ont été fournis.

SOLIS

SOLIS AQVINATIS SPLENDORES,

CIRCA SACROSANCTVM EVCHARISTIÆ MYSTERIVM,

Aliaque Chriſtianæ Religionis arcana:

HOC EST,

COMMENTARIVS

IN PROSAM, SEV CANTICVM D. THOMÆ Doctoris Angelici, *Lauda Sion Saluatorem, &c.*

PROOEMIVM.

NOVVM non eſt, ſed antiquiſſimum in Eccleſia Dei PROSÆ nomen. Octo ante ſecula in ea receptum eſſe liquet: primuſque proſas ſeu ſequentias, pro pneumis ſeu pro inarticulato ſono, quo vox Alleluia ante Euangelij lectionem protrahitur, quo magnus de gloria jubilus Fidelium exprimitur, Nocherius Sancti Galli in Teutonia Abbas compoſuit, & Nicolaus Papa in Miſſis cantari conceſſit. Proſa autem iuxta D. Iſidorum eſt producta oratio à lege metri reſoluta; ſic dicta ex eo, quòd ſit profuſa. Sequentia verò dicta eſt, quia pneumam jubili ſequitur; canticum quippe eſt exultationis ad notandam geminam glorificationis ſtolam, quam Sancti in cœlo recipient, vt ait Durandus *lib.4. rational. diuin. offic. cap.22.*

Quid ſit PROSA. D. Iſidor.

Durand.

Plures ſunt in Eccleſia Proſæ; verùm celebriores, quæ ab omnibus recipiuntur, ſunt, illa quæ Paſchalis feſtiuitatis ſolennitatem condecorat, *Victimæ Paſchali laudes*: ea quæ in Sacro Pentecoſtes feſto canitur, *Veni Sancte Spiritus*; quam Chriſtianiſſimus, piiſſimuſque Galliarum Rex Robertus compoſuit; necnon ea, quæ à quibuſdam Eccleſiis in Natalis Domini feſtiuitate cantatur, *Lætabun-*

Varij Proſarum Authores.

dus exultet fidelis Chorus, ab inclyto mellifluoque Doctore D. Bernardo edita; poſtremumque locum non obtinet præclara illa in agenda Mortuorum, *Dies iræ, Dies illa, &c.* decantari ſolita, quæ authorem indubitatum habet Latinum Vrſinum de Frangipanis, Ord. Fr. Prædicatorum S. R. E. Cardinalem, & Nicolai III. Pont. Max. nepotem.

Doctor Angelicus tranſcendit Angelos.

Cæterùm nulli ſecunda mihi videtur egregia illa, totoque orbe celeberrima Diui Thomæ Proſa, *Lauda Sion Saluatorem*; in qua Myſteriorum omnium Chriſtianæ Religionis auguſtiſſimum Sanctus Doctor mirabiliter explanans, admirandum omnibus ſeculis ingenij ſui reliquit monumentum. Sanè magnus Aquinas vbique Angelicus, quia vitæ innocentiâ, ingenij ſublimitate, & ſplendore doctrinæ ſemper Angelus; ſed dum de ineffabili Euchariſtiæ Sacramento verba fecit, etiam ſupra Angelos coruſcauit. Aſcendit ſuper Cherubim & volauit; volauit ad aureum Deitatis Thronum, cuius diuino colluſtratus fulgore, omnium arcanorum cacumen attingens, occulta pandit, reſerauit occluſa, abſcondita propalauit, inaudita ſcripſit, ipſumque panem Angelorum, cibum factum Viatorum omnibus aperiens, & Hominum, & Angelorum Doctor euaſit. Nec ſine præmio fuit illibata de Sanctiſſimo Sacramento D. Thomæ doctrina; ab ipſo omnium Saluatore, cuius adorandum ſub ſpeciebus panis hoc in myſterio latitat corpus, approbata fuit, & vt bona rectaque laudata: necnon ab Eccleſia, Immaculata Chriſti Sponſa, Vrbano IV. jubente, & Vniuerſo eruditorum cœtu applaudente, ſectata, amplexata, promulgata.

Vrbanus IV. iuſſit componi officiũ SS. Euchariſtiæ.

Pet. Cell. lib. de pan.

Nec mirùm; ſi enim de Sanctiſſimo Patriarcha Abbas Cellenſis loquutus eſt, *Ioſeph vbique gratioſus, ſed magis in conuiuio*: de Doctore Angelico veriùs dixerim, Thomas vbique gratioſus, ſed magis in Dei conuiuio; quippe in omnibus operibus ſuis veritatis indagator indefeſſus eſt, & fideliſſimus aſſecla; gratiaque in labiis, & ſcriptis ſuis diffuſa refulget: at de Sacro Euchariſtiæ conuiuio tractans, verba bona, & ita gratioſa Deo, Angelis & hominibus eructauit, vt ſpecie ſua & pulchritudine ſua proſperè procedens & regnans, omnium corda ſibi deuincta ad ſe conuerterit: ſed præcipuè hac in ſequentia, in qua quidquid acutum, quidquid ſplendidum, quidquid mirandum docuit ſuis de Euchariſtia opuſculis, comprehendit.

Canticorum quatuor genera:

Illam generale Eccleſiæ Militantis Canticum meritò dixerim: omnia enim Canticorum genera, quæ quatuor ponit D. Bernardus *in ſententiis*, hæc Proſa complectitur. Aliud iuxta Abbatem Mellifluum, Canticum eſt victoriæ, ſicut illud Moyſis Num. 1. *Cantemus Domino, glorioſè enim, &c.* Alterum adhortationis, ſicut Iſraëlitæ cecinerunt ad ingreſſum promiſſæ Terræ, *Ioſuë 24.* Tertium lætitiæ, vt Annæ Matris Samuëlis Canticum, 1. *Reg.* 2. Quartum fortitudinis, vt Dauid ab hoſtibus liberatus cecinit.

In Proſa Euchariſtiæ comprehenſa.

Primò igitur Proſa hæc, lætitiæ canticum eſt, quo fideles ſacris paſti deliciis exultant & delectantur in Chriſto, memores vberum eius dulciorum ſuper mel & fauum. Deinde canticum eſt victoriæ, quo Chriſtiani generoſum triumphorum Chriſti inſtrumentum, corpus eius venerantes, ipſi Dæmonum domitori, mortiſque victori, triumphi carmina modulantur. Etiam adhortatorium canticum eſt, quo credentes in Chriſtum Fidei ſcutum ſumere admonentur, vt tantum myſterium attingere, eiuſque mirabiles percipere valeant effectus. Fortitudinis tandem hymnus eſt, quo homines Chriſto, qui nobis factus eſt fortitudo, vt loquitur Pſaltes, *pſal.* 117. nutriti ac roborati, ab eo ſuos in cœlo commenſales, cohæredeſque, necnon Sanctorum Ciuium ſodales effici poſtulant.

Vnde

Vnde Canticum hoc quatuor in partes diſtribui conſtat. In prima hortatur Eccleſiam S. Doctor, vt magna cum lætitia & jubilo Deum Saluatorem, Paſtorem & Ducem laudibus celebret; quod præſtat ab illis verbis, *Lauda Sion, &c.* ad illa, *In hac menſa noui Regis*, vbi ſecunda huius Proſæ incipit pars, quæ Chriſti amore & charitate de hoſtibus ſuis triumphantis, in vltima Cœna corpus ſuum tradentis, triumphaliſque mortis ſuæ memoriam in Euchariſtia relinquentis victoriam pangit. Dum verò ſubdit D. Thomas, *Quod non capis, &c.* adhortationem, quæ tertia pars eſt, aggreditur; monetque homines Fidei adminiculo indigere ad credendum Chriſti corpus hoc in Sacramento realiter contineri: charitatemque ſeu juſtitiam, ad vitam, quæ proprius tanti Sacramenti effectus eſt, recipiendam, omninò neceſſariam eſſe. Denique quarta huius Cantici pars, quæ eſt fortitudinis, complectitur reliqua à verbis, *Ecce panis Angelorum, &c.* vbi Chriſtiani cibo nutriti Angelico, imò & Diuino, Chriſtum Dominum Paſtorem bonum experti, protectorem poſtulant, & præmiatorem.

Quatuor partibus gaudet Proſa, ſeu Canticum Euchariſtiæ.

Iuxta ergo quatuor huius Cantici partes, Commentarium noſtrum quatuor in Libros diſtribuemus, in quibus textum D. Thomæ à nobis expoſitum elucidationibus illuſtrabimus, ſed in omnibus Chriſti Domini in Euchariſtia abſconditi gloriam, Euchariſtiæ venerationem, Eccleſiæ vtilitatem, hæreticorum ad Fidem Catholicam reductionem, peccatorum conuerſionem, omniumque Fidelium ſanctificationem procurare conabimur. Non ingratus, vti ſperare fas eſt, noſter erit labor, Lectorumque vtilitati, imò & voluptati non parum conferet; non quidem ex nobis qui nulli ſumus, ſed ex ſubiecti ſeu obiecti huius Cantici maieſtate, ex Authoris dignitate, ex finis excellentia. Subiectum enim eſt auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, gratiarum omnium perennis ſcaturigo, ipſum gratiæ Authorem veraciter continens. Author Doctor eſt Angelicus D. Thomas, cuius immenſas laudes modò proſequi, noſtri non eſt inſtituti; ipſi in Cœlo laus eſt ab eo, qui illum adhuc in terris verſantem, benè de ſe ſcribentem commendauit, laudauit, approbauit. Finis denique eſt gloria Dei, Euchariſtiæ reuerentia, & Eccleſiæ vtilitas, quæ cùm ſit toti myſtico Chriſti corpori bonum commune, nihil eo diuinius, aut nobilius poteſt inueniri.

Vnde hic Commentarius in quatuor Libros diſtribuitur.

Cantici huius præſtantia.

Ad opus ergo manum admoueo: ſed Tu æterni Patris æterne Fili, lucidiſſimi Solis Sol lucidiſſime, Verbum Diuinum, incarnatum, carne, & tandem in carne ſpeciebus panis velatum, auſui parce, conatui indulge, ingenium illuſtra, ſermonem præbe, calamum dirige: & ſi aliàs mutorum ora aperuiſti, & linguas infantium feciſti diſertas; os meum aperi, linguam ſolue, vt de te & per te recta loquar hac in lucubratione.

Inuocatio Authoris ad opus feliciter inchoandum.

Faue & Tu Verbi Dei Incarnati optima Parens, & quæ in corde tuo conferens conſeruaſti, quæque Fidei noſtræ Satores docuiſti, mihi Tibi ab incunabulis addictiſſimo famulo verba concede.

Tu verò Doctor Angelice, quo fulges lumine mentem meam reple, vt tuam hoc in mirabili Opere, ſi non aſſequi, ſaltem ſequi valeam. Sequar vtique, ſed te duce, & tuâ inconcuſsâ præeunte doctrinâ, cuius ego alumnorum minimus. Senſum tuum inueſtigabo, ipſique adeo firmiter adhærebo, vt in diſcipulo ſanctiſſimus Præceptor cognoſcatur. Verba mea tua ſunt: quæ in ore meo tua in ſchola aliquando poſuiſti, ea nunc meo calamo exara, vt riuulus fonti concordet, Commentarius ab Authoris ingenio non diſcrepet, & rectus ſit ſermo diſcipuli cum corde Magiſtri.

PROSA,

SEV CANTICVM S. THOMÆ, Doctoris Angelici,

DE SACROSANCTA EVCHARISTIA.

I.

LAVDA Sion Saluatorem,
Lauda Ducem & Paſtorem
In hymnis & canticis.

II.

Quantùm potes, tantùm aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare ſufficis.

III.

Laudis thema ſpecialis,
Panis viuus & vitalis
Hodie proponitur.

IV.

Quem in ſacræ menſa Cœnæ,
Turbæ Fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

V.

Sit laus plena, ſit ſonora;
Sit iucunda, ſit decora
Mentis jubilatio.

VI.

Dies enim ſolennis agitur,
In qua menſæ prima recolitur
Huius inſtitutio.

VII.

In hac menſa noui Regis,
Nouum Paſcha nouæ Legis
Phaſe vetus terminat.

VIII.

Vetuſtatem nouitas,
Vmbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

IX.

Quod in cœna Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit
In ſui memoriam.

X.

Docti ſacris inſtitutis,
Panem, vinum in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.

XI.

Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſanguinem.

XII.

Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmat fides,
Præter rerum ordinem.

XIII.

Sub diuerſis ſpeciebus,
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res eximiæ.

XIV.

Caro, cibus; Sanguis, potus:
Manet tamen Chriſtus totus
Sub vtraque ſpecie.

XV.

A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diuiſus,
Integer accipitur.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

Sumit vnus, ſumunt mille,
Quantùm iſti, tantùm ille:
Nec ſumptus conſumitur.

XVII.

Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ, vel interitus.

XVIII.

Mors eſt malis, vita bonis:
Vide paris ſumptionis,
Quàm ſit diſpar exitus.

XIX.

Fracto demùm Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.

XX.

Nulla rei fit ſciſſura:
Signi tantùm fit fractura,
Quâ nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.

XXI.

Ecce panis Angelorum,
Factus cibus Viatorum:
Verè panis filiorum,
Non mittendus canibus.

XXII.

In figuris præſignatur,
Cùm Iſaac immolatur,
Agnus Paſchæ deputatur,
Datur manna Patribus.

XXIII.

Bone Paſtor, panis vere,
Iesv noſtri miſerere:
Tu nos paſce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viuentium.

XXIV.

Tu qui cuncta ſcis, & vales;
Qui nos paſcis hîc mortales:
Tuos ibi commenſales,
Cohæredes, & ſodales
Fac ſanctorum Ciuium.

LIBER PRIMVS

SOLIS AQVINATIS SPLENDORVM, Ad lætitiam, & gratitudinem Fideles, ob conceſſum Corpus Chriſti in Euchariſtia, inducentium.

Vrbanus IV. Feſtum corporis Chriſti inſtituit.

DIVINISSIMO Sanctiſſimi Corporis Chriſti Sacramento deuotiſſimus Vrbanus IV. Pont. Max. natione Gallus, patriáque Trecenſis, Fidelium omnium reuerentiam, amorem & deuotionem erga tantum à Deo Eccleſiæ ſuæ conceſſum beneficium augeri cupiens, anno Domini 1264. ſolenniſſimum Diuinæ Euchariſtiæ inſtituit Feſtum, maximâ pompâ, ſummoque cordis jubilo vbique celebrandum feriâ quintâ poſt Octauam Pentecoſtes, quæ à Feria quinta in Cœna Domini tremendorum inſtitutione myſteriorum celeberrima, ipſiſque morti ac paſſioni Saluatoris ſacra, prima vacat, tantæque Altaris Sacramenti ſolennitati aptiſſima eſt. Verùm vt ea quæ à ſacris Altarium Miniſtris hac in Feſtiuitate canuntur, Angelorum panis, cibi Viatorum facti, maieſtati reſponderent, Angelicum Doctorem, tunc cum hominibus conuerſantem, ac mirifico ſanctimoniæ, doctrinæque odore orbem replentem, præfatus elegit Pontifex, vt totum eiuſdem Solennitatis ederet Officium; quod adeo feliciter præſtitit, vt vniuerſæ Eccleſiæ admirationi fuerit, tam in iis quæ in Choro, quàm in iis quæ in Sacroſancti Miſſæ Sacrificij celebratione canenda ordinauit. At ſicut in toto Opuſculo 57. quod ſanctiſſimi illius diei Officium complectitur, reli-

S. Thomas Officium eiuſdē Feſti eo iubente compoſuit.

quos æui ſui Scriptores ſuperauit, ita in hymnis, quos de hoc Myſterio compoſuit, ſeipſum vicit, & præſertim hac in Proſa ſeu Sequentia omninò admiranda, quam modò exponere tentamus. In cuius prima parte, quam hoc primo enucleabimus libro, Eccleſiam ad tantam ſolennitatem cum gaudio & lætitiâ cordis, & oris canticis expreſſâ, celebrandam hortatur, vt patet ex verbis ſequentibus.

TEXTVS PRIMVS.

Lauda Sion Saluatorem,
Lauda Ducem & Paſtorem
In hymnis & canticis.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. GLORIOSIS magis placent præconia quàm tributa, ait Caſſiodorus: ideoque Chriſto Domino ſupra omnes Principes, etiam in Euchariſtia glorioſo, imò Regi gloriæ placere volentes, præconia conſecrare debemus. Nunquid autem & tributa? Vtique ipſi vtraque debemus; & præconia, & tributa: vtraque ſimul ſoluimus, quia hæc duo minimè ſeparamus. Cum enim labia ſine corde canentia repellat Dominus, vocales laudes reſpuit, niſi ex intimo cordis affectu procedant.

Laudes vt tributa Chriſto debentur.

2. Reprobus ille eſt hypocritarum cœtus, cui iuſtè ab ipſa Veritate fuit exprobratum: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*; Matth.15. quia ſummo gloriæ Domino inania verborum præconia, non juſta cordium tributa ſoluebat. Illi ergo, qui totum ſe nobis in Euchariſtia tradidit, noſmetipſos integros debemus; & ex intimis præcordiis eius præconia perſonantes, os & cor, verba & affectus, iure ſimul vt impendamus hortatur D. Thomas in duobus prioribus huius Sequentiæ textibus. Nec placebunt hymni Chriſto Domino decantati, niſi à corde proueniant. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, ait Regios Pſaltes *pſal.* 83. 3. En vtroque, Deo viuo vitam nobis abundantiùs largienti debemus laudes canere, vt ad aures Dei perueniant. Oculos ſuos à muneribus Caïn auertit, quia rem ſuam Deo hic obtulit, & retinuit ſibi cor ſuum, vt inquit Rupertus *lib.4. in Gen.cap.2.* ſeu vt loquitur Caſſiodorus *in pſalm.* 65. quia *Caïn creaturam Creatori obtulit; ſed ſe, quod charius eſt, ſubtraxit.* Aures ſuas obturabit, ne voces ore tantùm laudantium audiat. Apetiet ad percipiendas cordis ſimul & oris precationes, quæ cùm ſint debitæ gratiarum actiones, non tantùm nos prioribus gratiis Deo rependimus, ſed nouis donis cumulati, nouo Deum modo in nobis recuperamus. Accepta quippe beneficia qui ſpernit, minuit; qui regit, diſſipat; qui retinet, perdit; qui pandit, auget; qui reddit, congregat; qui laudat, multiplicat. Magna ſunt, immenſa ſunt, quæ à Chriſto Domino bonorum omnium largitore quotidie Eccleſia recipit bona; ſed omnium maximum eſt Corpus ſuum, quod amantiſſimæ Sponſæ, amoris ſui pignus, in Sacramento reliquit: illo enim adorando Myſterio ſaluat, ducit, ac paſcit Fideles; quod ſigillatim infrà illuſtrabimus. Iure igitur munificentiſſimum Benefactorem laudare debet Eccleſia, ſed corde amoris igne ſuccenſo, ſed ore lætitiæ jubilo dilatato. Si enim Apoſtolus illis quos per Euangelium genuerat charitatis viſceribus, dicebat: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt*: 2.Cor.6.11. nonne Saluatori qui voluntariè genuit nos verbo veritatis, qui morte ſua vitam tribuit, qui carne ſua nos paſcit, qui exemplis nos ducit, debemus dicere: Os noſtrum patet ad te, ô Rex gentium, vt te laudemus, hymnoſque canamus: cor noſtrum dilatatum eſt, vt te diligamus. Quod D.Thomas in hoc textu ſuadet.

Munus Caïn reprobatum & cur. Rupert. Caſſiod.

Gratitudo noua obtinet beneficia.

Lauda Sion Saluatorem.] Eccleſiam Sion nomine indigitat Sanctus Doctor; quia ſpeculatio hac voce deſignata illi competit; Fide enim, quæ vt loquitur Bernardus *ſerm. 2. Epiph.* adeo eſt oculata, *vt lynceos habeat oculos*, in terris manens, myſteria in cœlis recondita intuetur; corpuſque Chriſti in Euchariſtia abſconditum, omni naturali lumini inacceſſum deregit, ipſumque animarum noſtrarum agnoſcit cibum, in cuius fortitudine, vt olim Elias 3. *Reg.* 19. ſubcineritij panis in virtute, ad montem Dei, hoc eſt ad cœleſtem vſque patriam ambulamus. Chriſtum ergo nobis, nedum bona ſua, ſed ſeipſum largientem, fidelis anima laudibus celebret, cibumque verè diuinum, quo nuſquam moriturus viuit, encomiis & præconiis extollat, quod docet Angelicus Præceptor dum ait, *Lauda Sion Saluatorem.* 3.

Eccleſia Sion apellatur.

Fides eſt oculata.

Sanè Regius olim Vates futura prænoſcens, diuinaque hæc beneficia nondum conceſſa ſuboloratus, tanti myſterij nouitate perculſus, ſtupens dixit: *Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Pſal.147. 1. 2. Haud dubiè Eccleſiam nomine Ieruſalem & Sion alloquutus Propheta, ad laudes Dei celebrandas inuitat, propter immenſum illud beneficium quo pacem, laborum ſuorum omnium præmium, terminumque præfigens, illam adhuc mortali in ſtadio militantem, frumenti ſatiat adipe, hoc eſt pretioſo Corpore & Sanguine Chriſti, qui mirificam Paſſionis ſuæ virtutem frumento in terram cadente, multumque ex morte fructum afferente declarauit, *Ioan.*12. Meritò igitur poſt acceptum beneficium fideles ad laudes Dei inducit D. Thomas, quos antequam accepiſſent, etiam Dauid induxerat. Verùm ſpeciali titulo Dominum nos carne ſua paſcentem collaudemus, ſcilicet quia Saluator eſt; quippe ſi effectus cauſam; filij parentes; redempti redemptorem diligere ac laudare tenentur: etiam ſalute donati hymnis & laudibus, ſalutis libertatiſque ſuæ aſſertorem extollere non recuſent. Sed præcipuè Sion os ſuum laude repleat; cùm enim in cœnaculo ſupra montem Sion ædificato tremenda myſteria Chriſtus primò celebrans, Euchariſtiam inſtituerit, dilectiſſimiſque præceperit Apoſtolis, vt in mortis ſuæ memoriam ſacram Synaxim ad vſque ſæculorum interitum repeterent, gratitudinis ergò pleno ore Seruatoris encomia Sion prædicare conetur. 4.

Adeps frumenti, eſt Corpus Chriſti.

Cœnaculum in quo Chriſtus corpus ſuum dedit, ſupra montem Sion eſt ædificatum.

Lauda Ducem & Paſtorem.] Nouas gratitudines poſtulant noua beneficia; nouaſque benefactoris laudes exigunt nouæ gratiæ. Vnicum donum 5.

non

non recipimus in Euchariſtia, ſed multa, imò omnia; nam qui ſanctiſſimum corpus ſuum tradidit., *nonne cum illo omnia nobis donauit?* Quod demiratus D. Thomas, poſtquam Saluatorem in Euchariſtia Chriſtum laudandum propoſuit; Ducem eundem, ac Paſtorem glorificare ſtudet. Dux noſter Chriſtus eſt; illo præeunte, militiæ ſpiritali nomen dedimus: colluctantes ſub eius præſidio, non ſolùm contra carnem & ſanguinem, ſed etiam contra principatus & poteſtates, contra mundi rectores tenebrarum harum feliciter præliamur; quia illius auxilio roborati, qui ſuâ hoſtes noſtros proſtrauit morte, quique per nos iterum & pugnat, & vincit. *Illo ergo congredimur, illo vincimus, illo coronamur*, vt Diuus loquitur Cyprianus *epiſt. ad Martyres:* illique victoriæ noſtræ authori omnes noſtros debemus triumphos.

Plurima in Euchariſtia bona conferuntur.

Per Chriſtũ pugnamus & Superamus.

6. Ante thronum Agni coronas ſuas mittebant ſeniores. *Apoc.* 4. 10. quia ab Agno ad militandum, ad ſuperandum, ad triumphandum vires acceperant; eaque, quæ ipſo ſuccurrente, lucrati fuerant diademata, ipſi iure debita conſecrabant: etenim quæ ab aliquo recepimus, ipſi debemus. At *non noſtra merita, ſed ſua dona coronat Dominus*, vt ait Auguſtinus *lib. de verb. Apoſtoli, ſer.* 15. *&* 16. *& lib.* 50. *homil. hom.* 14. ſeu vt loquitur fideliſſimus eius diſcipulus Proſper Aquitanus:

Quidquid habes meriti, præuentrix gratia donat:
Nil Deus in nobis niſi ſua dona coronat.

7. Seniores nos decet imitari: & ſicut Chriſti fide, quâ ſacro abluti Baptiſmate, diabolo, & omnibus pompis eius abrenunciantes, inimicum debellauimus: ita fide adiuuante, noſtrorum præliorum triumphos Chriſto inuictiſſimo, magnificoque ſemper victori conſecrantes, eius gloriam ineffabili voce debemus promulgare. Nec mirum, ſi ex quo militiæ Chriſti adſcripti ſumus, victores exitimus; quia Chriſtum omnia vincentem induimus, iuxta D. Paulum *ad Gal.* 3. 27.

8. Verùm enim verò, minora non debemus Chriſto Paſtori noſtro, quàm Duci. Diligendus, laudandus, & à te prædicandus eſt bonus Paſtor, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, & pro ſuo grege mori dignatus eſt, ac carne ſuâ dilectam Sponſam nutrit Eccleſiam. Sed verba noſtra talem laudare Paſtorem non ſuppetunt, etiam opera adiungamus, omneſque vires, cùm animæ, tum corporis; quas ab ineffabili, quo paſcit nos, cibo recipimus, ei conſecremus. Quis enim ſanæ mentis optimum, amantiſſimumque Paſtorem ex tota fortitudine non amabit? Paſcuis cœleſtibus priuari dignus eſt, qui contemnit, quique Paſtorem non diligit.

Chriſtus paſtor eſt diligendus.

9. Erexit lapidem in titulum, altare conſtruxit, oleum fudit, nomen Domini cum laudibus inuocauit olim Iacob poſtulans ab eo panem ad veſcendum. *Si dederit* (inquit) *mihi Dominus panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. 21. Sed Chriſtiani non panem, non frumenti adipem; ſed corpus & ſanguinem Saluatoris in cibum recipientes, maiori titulo ad illum Deum ſuum prædicandum, diligendum, & laudandum vrgentur. Sit ergo nobis Rex Regum, Dominus Dominantium, omnium Opifex, hominumque Redemptor in Deum, & amoris noſtri, hymnorumque ſubiectum, qui non dedignatus eſt ſe tradere nobis in cibum. Terra ad cœlum ſeſe extollat; Angelos tranſcendat Chriſtianus cœleſti diuinoque corporis Chriſt cibo vegetatus; & ipſum Saluatoris corpus ſupra ſidera ad Patris dexteram viſibiliter collocatum mente ac corde veneretur, colat, amplectatur. O ter quaterque beatæ oues Chriſti, non ſcabioſæ, non errantes, non perditæ; ſed ſanatæ, inuentæ, & ad ouile ab ipſo Paſtore illas propriis humeris ferente reductæ, ibique non corruptibilium animalium corruptibilibus carne & ſanguine, non ambroſia & nectare, non mirabili Hebræorum alimento mannâ portentoſo, ſed ipſius Paſtoris carne & ſanguine paſcendæ. Quis paſtor oues proprio paſcit cruore? inquit Chryſoſtomus. Nullus vtique præter Chriſtum, qui cùm Deus ſit Opt. Max. humanæ naturæ fragilitatem diuinæ ſuæ Maieſtati copulauit; noſtrâ in carne, diuina patrauit; cúmque ſecundùm naturam conueniat Deo dare, imò ipſa natura Dei ſit dare, vt loquitur Philo *lib. de inſomn.* & Deus *fons bonitatis* appelletur à D. Thoma 1. *cont. gent. cap.* 39. immensâ ac inauditâ liberalitate, non tantùm ſua, ſed ſemetipſum in cibum, quo firmiùs cordi noſtro adhæreret, donauit. Laudes ergo ab omnibus regali diuinoque ferculo recreatis, tanto Paſtori promantur.

Chryſoſt. hom. 60. *ad pop. Ant.*

Dare eſt proprium Dei. D. Thom.

In hymnis & canticis. Gaudium cordis ore canoro exprimitur. Quia ergo debet Eccleſia de tantis per Euchariſtiam acceptis gratiis exultare, necnon erga Chriſtum Saluatorem, Ducem, & Paſtorem ſe gratam exhibere; ideo S.D. hortatur vt hymnos & cantica, quibus & gratitudinem, & gaudium profitetur, Redemptori optimo offerat. Ὕμνος Græcè, Latinè laus Dei eſt. Canticum verò eſt exultatio mentis habita de æternis, in vocem humanam prorumpens. Vtrumque præſtamus hymnis & canticis, quibus & lætitia cordis noſtri oris cantu declaratur, & Deo gratiæ immortales aguntur. Ipſe Chriſtus, qui vltima in cœna primò panem in corpus, & vinum in ſanguinem conſecrauit, & laudis Dei, & ſummæ cordis ſui lætitiæ exemplum ſuæ reliquit Eccleſiæ. Præmiſſa enim gratiarum actione accepit panem, benedixit, & verbi ſui omnipotentia in proprium conuertit corpus, vt teſtantur Matthæus 26. *cap.* & Marcus *cap.* 14. Et ideo Chryſoſtomus *hom.* 22. *in* 2. *ad Cor.* & *hom.* 26. *in Matth.* Euchariſtiam ſacram gratiarum actionem interpretatur; hoc enim Sacramentum quædam recordatio eſt beneficiorum Dei: & ſacrâ peractâ cœnâ, ſumptoque diuino cibo, hymnum cecinit Chriſtus, *Matth.* 26. 30. quo non ſolùm Patri ſuo gratias egit, & de morte quam cupiebat, gaudium teſtatus eſt; ſed etiam lætitiam ſpiritualem, quam ex ſacro ſuo quod ſuſceperat corpore, manifeſtauit. Quamvis enim Chriſtus ex ſuſceptione huius Sacramenti non receperit augmentum gratiæ; habuit tamen quandam ſpiritualem delectationem in noua inſtitutione huius Sacramenti, vt docet Angelicus Doctor 3. *p. q.* 81. *art.* 1. *ad* 3. Gaudet enim aliquis de poſſeſſione obiecti, quod longo cupiuit tempore: ipſe autem Dominus, *Luc.* 22. Apoſtolis ſuis dicebat: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Quod Euſebius, vt refert D. Thom. loco ſuperiùs laudato, exponit de nouo myſterio noui Teſtamenti, quod tradebat diſcipulis. Si igitur Chriſtus hoc in myſterio & Deum gratias agendo laudauit, & hymnum canendo gauiſus eſt; nunquid Chriſtiani filij eius myſtici, eius communicantes carni & ſanguini, Deo gratias agen- 10.

Hymnus eſt laus Dei.

Chryſoſt. Chriſtus cecinit in Euchariſtiæ inſtitutione.

D. Thomas. Ex Communione lætatur Dominus.

Euſeb.

tes

tes, laudes eius canere; maximumque cordis iubilum vocibus exprimentes, hymnos & cantica debent modulari? ad hoc enim hymni in Eccleſia publicè decantantur. In Eccleſia Occidentali Hilarius Epiſcopus Pictauienſis, conſubſtantialitatis Filij Dei contra Arianos acerrimus propugnator, primus hymnorum carmine floruit, & poſt ipſum Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis; ideoque hymni Ambroſiani dicuntur, quia eius tempore in Eccleſia Mediolanenſi primùm cantari cœperunt. Vt enim refert Auguſtinus *lib. 9. confeſſ. cap. 7.* cùm Ambroſius à Iuſtina Imperatrice, Arianâ perfidiâ domnatâ, perſequutionem pateretur, & intra Eccleſiam cum plebe latitans inſidiis vrgeretur, hymnos & pſalmos inſtituit ſecundùm morem Orientalium decantandos, ne populus mœroris tædio contabeſceret; qood ad omnes poſtmodùm fuit diriuatum. Hymnos ergo ac cantica exultans Eccleſia Filio Dei offerat in perennis tantorum beneficiorum gratitudinis monumentum. Sed textum D. Thomæ, vt promiſimus, illuſtremus.

Hilarius primus in Occidente, & poſt eum Ambroſius hymnorum Author.

ELVCIDATIO PRIMA.

Cur Eccleſia nomine Sion appelletur.

11. Eccleſia Chriſti, quam D. Thomas initio huius cantici alloquitur, ab ipſo nomine Sion eſt inſignita; quod oon abs re factum putandum eſt. Montis quippe Sion, in quo celeberrimum Salomonis Templum, Chriſtianæ Eccleſiæ typus, eſt ædificatum, titulus propter tria præcipuè capita ipſi Eccleſiæ conuenit. Sion enim mons eſt, cuius moles in altum protenditur: Eccleſia dilectiſſima Chriſti Sponſa, mons etiam Sion jure merito nominatur propter eius firmitatem, amplitudinem & altitudinem. Singula expendemus, ſed maioris claritatis gratiâ, ſingulas in ſectiones elucidationem hanc diſtribuimus; quod & in ſequentibus, fauente Deo præſtabimus.

Eccleſia Sion dicitur, quia firma, ampla, & alta.

Sectio Prima.

Eccleſia Sion vocatur propter maximam firmitatem.

12. Firma eſt Eccleſia Chriſti; ſupra firmam petram domus hæc non ſolùm à viro ſapiente, ſed ab ipſa æterna incarnataque Sapientiâ ædificata. Verùm firmitatem omninò inconcuſſam ab ipſo ſapientiſſimo Architecto recipit, quia & ipſam ſupra ſeipſum tanquam ſupra fundamentum immobile collocauit. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 3. Io hoc ſuperat Chriſtianorum Eccleſia magnificum Regis Pacifici Templum; hoc enim ſupra montem Sion, & Moria, voragine hos montes diuidente altiſſimis aggeribus æquatâ, vt grauiſſimi aduertunt Expoſitores, conſtructum videbatur: hæc autem ſupra diuiniſſimum montem, Chriſtum Deum verum, hominemque verum fundata conſurgit. Nunquid ergo mons vocabitur, omnium montium io cacumine collocatus? Vtique. De illa enim Euangelicus loquutus eſt Vates, dum dixit: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Iſai. 2. Omnium montium vertex Chriſtus eſt, quia omnium Sanctorum Hominum & Angelorum caput eſt. Eccleſia ergo quæ in ipſo fundata eſt, non ſolùm ſupra omnes eleuatur montes, ſed omnibus montibus firmior exiſtit. Quod quidem triplici titulo ſibi vendicat; cunctis ſiquidem montibus firmior eſt Eccleſia, quod ab eius capite, ab eius fide, ab eius charitate deriuari, nemo non nouit.

Chriſtus firmum Eccleſiæ fundamentum.

Villalpandus. Pineda lib. 5. de reb. Salom. ſect. 9.

Eccleſia firma à capite, fide, & charitate.

§. I.

Eccleſiæ firmitas à Capite.

Firmum cuiuſvis corporis caput firmitatem illi concedit. Quid fortius firmiuſque Chriſto? Firmus eſt omoipotens ille Sermo, qui cùm in forma Dei eſſet, non tapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Cur enim rapinam committeret Dei ſibi vendicans æqualitatem, qui Deus eſt, ſplendor gloriæ, viuuſque Dei ſubſtantiæ character, Patri omouſios, ſeu conſubſtantialis, quique omninò immutabilis? cùm apud illum non ſit tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Firmus etiam, dum ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, habitu inuentus vt homo: illa enim, quæ ſibi relicta, mutationi obnoxia eſt natura humana, Verbo Dei perſonaliter vnita, illius, vt par fuit, induit firmitatem; illius quippe voluntas rationis diuinæ ſuæ voluntati ſemper obtemperans, nuſquam à diuina firmitate receſſit: vnde peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius; ſed totius ſanctitatis origini coniuncta, firmiter ad diuinum adimplendum decretum adhæſit. Chriſtus enim vt homo, ore Pſalmiſtæ dixerat: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Pſal. 39. Firmus denique homo Chriſtus, firmiſſimo Verbi Diuini ſuppoſito copulatus, à quo nec in morte receſſit. Quod enim Filius Dei ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſit. Non igitur infirmum Eccleſiæ corpus, firmiſſimo hoc Capite decoratum: nec vacillat magnum hoc ædificium, cuius adeò ſtabilitum eſt fundameotum. 13.

Philip. 2.
Eccleſiæ firmitas ab eius capite.

Humanitas Chriſti, eius Deitate firmatur.

Enimverò adeò immobilis, firmuſque fuit Chriſtus Dominus, vt tranſiturus ad Patrem per Crucem & paſſionem, neque à beatitudinis ſtatu, quem eius ſanctiſſima anima obtinebat; neque ab vnione hypoſtatica, quâ corpus, & anima cum Diuino Verbo nectebantur, emigrauerit. *Traditus*, inquit, *ſum, & non egrediebar.* Pſal. 87. 10. Quod eleganter exponit Ambr. *Cùm*, inquit, *deſcendiſſet in terras, vt crucifigeretur, vt ſepeliretur, non emigrauit à Patre, ſed in Patre manſit; nec depoſuit quod erat, ſed reſeruauit; nec deſiuit eſſe in Dei forma, ſed perſeuerauit: non imminutâ per ſuſceptionem corporis Dei gloriâ, ſed manente, triumphum acquiſiuit, potentiam non amiſit.* 14.

Quid igitur hoc Eccleſiæ capite firmius, quid munitius poteſt excogitari, quod nec opprobria, nec vulnera, nec mors ipſa expugnarunt? Immobile, & inexpugnabile mediis in ærumnis, ac laboribus perſeuerauit. *Poteſtas eius*, inquit Propheta, *poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur.* Daniel 7. 14. Quæ maior ergo firmitudo Eccleſiæ poterat aduenire, quàm ea, quæ ei ab inconcuſſo capite largitur? 15.

Sanè

16\. Sanè totus ſuo pondere, ſuaque mole immobilis mons Sion Eccleſiæ cedit immobilitati, quæ non minùs in agone decertans, quàm in cœlis triumphans, tantâ conſtantiâ roboratur, vt illam Regnum immobile fas ſit appellare: quod nomen, æternæ patriæ ſtabilitati tribuit D. Paulus *Hebr.* 12. *num.* 28. Ecquidem inuariabili modo longa ſæcula decurrit, nec annis mutata, nec ſenectute oppreſſa, nec viribus diminuta his vltimis temporibus reperitur: adhuc iuuenili vigore ſplendeſcit; non habet maculas, rugis caret, conſtantique pectore antiquitate vireſcit; & dum immobilis regnat, errores diſſipat, monſtra confodit, hoſtes iugulat, ipſaque ſemper eadem, ideſt ſemper victrix, triumphatrixque perſeuerat. De illa loquebatur Apoſtolus, dum Hebræos ad fidem Chriſti aggregatos alloquens aiebat: *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis.* Hebr. 12. 22. Mons eſt, quia non mutatur; ſed mons Sion, propter altitudinem diuinæ contemplationis, vt magnus interpretatur Aquinas *in Epiſt. ad Hebr. cap.* 12. *lect.* 4. Nec ſolùm diuinâ ſpeculatione, ſed ipſius Dei præſentiâ nobilitata, Dei viuentis ciuitas appellatur etiam. Apud illam regnat Regum omnium Rex; imò cum omnium Principum Monarcha æterni, immobiliſque Regni habenas moderatur. Illud hoc eſt cœleſte regnum nullis obnoxium mutationibus, de quo vaticinabatur ille egregiæ formæ Propheta: *Suſcitabit*, inquit, *Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Daniel. 2. 44.

Eccleſia regnum immobile.

Mons Sion, & ciuitas Dei dicitur.

Et cœli regnum.

17\. Quotquot ab initio naſcentis ſæculi exortæ ſunt hominum ſectæ, falſorum Deorum cultus inanes, execrandæque ſuperſtitiones, comminutæ, abolitæ, & omninò deletæ ſunt; euanuerunt impij idolorum cultores in cogitationibus ſuis: at Dei Eccleſia ſupra firmam petram ædificata, cum æterno Rege ad thronum eleuata non ruit, non titubat, non mouetur, ſed ſemper firma, ſtabiliſque manens, omnium dæmonum conatus ſuperans, veritate quâ ſolâ diteſcit, cunctas inanes diſſipauit religiones, ſinguloſque toto terrarum orbe iugulauit errores.

18\. Illam inuincibilem prædicauit Dominus, humanæ fragilitatis & patientiæ mirificæ ſpeculum alloquutus. *Nunquid*, ait, *gyrum Arcturi poteris diſſipare?* Iob 38. 31. Vbi Olympiod. & D. Greg. Mag. Arcturi nomine, Eccleſiam Militantem intelligunt. Vt enim Arcturus, quæ eſt conſtellatio Aquilonaris, eo differt à cæteris ſtellis, quòd cæteræ oriantur, & occidant; appareant, & euaneſcant; occeano immergi, indeque emergere videantur: Arcturus verò ita verſetur circa polum, vt nunquam occaſum ſubeat, ſemper conſpicuus appareat; ideoque à Poëta, *Axis inoccidu(us)* appellatur, vnde & Virgilius ait:

Arctos Oceani metuentes æquore tingi:

vt ſignificet has ſtellas à ſuis locis nuſquam ruere, ſed ſemper conſpicuas apparere. Ita planè Eccleſiæ Militantis regnum à cæteris arte dæmonum confictis pſeudo-religionibus differt, quòd hæ perpetuæ viciſſitudini ſubiiciantur; dum incipiunt, deſinant; dum florent, areſcant; dum naſcuntur, moriantur: Eccleſia verò perpetuâ ſtabilitate firmetur, nullus ſit illius occaſus, nulla illius ruina. *Fundauit illam Deus* (meliori titulo quàm terram) *ſupra ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Pſalm. 103. 5.

Eccleſia Arcturus vocatur.

Et nullum habet occaſum.

Nec portæ inferi, nec dæmonum poteſtates, nec malorum hominum artes aduerſùs eam præualebunt. Et ſicut impij Ægyptiorum Regis impiorum magorum arte peſſima efformatos ſerpentes Moyſis virga etiam in ſerpentem conuerſa abſorbuit, deglutiuit, deuorauit: ita omnium contra Deum ſuperſtitioſorum hominum cœtus, venenatos veluti ſerpentes, Eccleſia ſerpentis prudentiâ donata, doctrinâ, fide, ſermone & charitate vorauit & in propriam ſubſtantiam impurum hoc alimentum tranſmutans, impiis hominibus pietatem, infidelibus fidem, idolorum cultoribus verum æterni Dei cultum ſacro renatis fonte Baptiſmatis eſt elargita, de quibus aliquando loquebatur Propheta: *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Pſal. 106. Nam vt tranſacta mentis vertigine, quâ laborant ebrietate ſopiti, conſumptiſque nimiùm hauſti vini vaporibus, ſerena ebriis illucet ratio, quâ & præteritum læſi intellectus errorem, & præſentis optimam diſpoſitionem ſtatus agnoſcunt: ita inſenſiſſimis Chriſtianæ Religionis hoſtibus idolorum cultu, errorum nefandorum, omniumque flagitiorum vino ebriis, ad Eccleſiam conuerſis, ac mundi ſapientiâ, quæ Dei eſt inimica, euangelicæ ſtultitiâ prædicationis in eis deuoratâ, Sol illuxit intelligentiæ, cuius radiis illuſtrari, veram didicerunt ſapientiam, quam nemo Principum huius ſeculi cognouit; Chriſtumque crucifixum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam adorauerunt. 19. *Matth.* 19.

Cunctas pſeudoreligiones deuicit.

Vtique, vt Regius loquitur Pſaltes, *abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.* Quia dum gentilium, & idololatrarum proceres, petræ quæ Chriſtus eſt, Chriſtianæ fidei profeſſione ſunt copulati, ab ipſa abſorpti, illius firmitatem ſuſcipientes, vt myſticæ quædam petræ ita ſolidati ſunt, vt nullis nec quaterentur motibus, nec tormentorum ictibus frangerentur. Ea eſt Eccleſiæ à ſuo capite firmitas, vt omnibus, quos filios recipit, & ſancto ſuo Capiti annectit membra, perpetuam tribuat ſtabilitatem, nec vllius mobilitatis feruntur vertigine, quamdiu firmiſſimæ matris ſugentes vbera, eius adhærent doctrinæ; & ſancta ſuſcipientes præcepta, ſanctas illius per ſemitas gradiuntur. Dum enim ſic incedunt, ſemper ſtant; quia nunquam ab immobili fidei petra recedunt. Sed qui minimum vel vnguem ab ea deuiant, & amittunt firmitudinem, & criminoſam mobilitatem nanciſcuntur; nam dum Eccleſiam ſuâ inconſtantiâ lacerant, firmiſſimæ illius non nocent vnitati, ſed ſemetipſos ab vnitate diuiſos, in plures proprium ad exterminium partiuntur: vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, ait Pſaltes *pſal.* 79. *num.* 13. de turbatoribus Eccleſiæ militantis hoc in loco loquutus, vbi ſolitâ elegantiâ ait Ambroſius: *Tranſeuntes vindemiant, non manentes. At dum vineam Domini impetunt, tranſeuntes ſuis ipſi mutationibus deſtruuntur, ipſaque inexpugnabili permanente, ipſi ſoli expugnantur.* Nutantes transferantur & mendicent, ait diuinum Oraculum *pſal.* 108. 10. Eget enim, ait Ambroſius, & mendicat, qui mouetur. Non egebat, nec mendicabat conſtantiſſimus ille fidei Athleta, qui cruore proprio primus omnium naſcentem Eccleſiam purpurauit, inter lapidum grandines immobilis ſtetit; & Eccleſiæ firmitatis propugnator, & particeps, Chriſtum Dominum ſtantem in cœlo 20. *Pſal.* 140. 7.

Tormentis non franguntur.

Qui ab Eccleſia recedunt, ſeipſos lacerant.

Stephanus immobilis inter lapidũ grandines.

reſpexit. Pro ſtante Chriſti Sponſa ſtrenuus ſtabat in agone miles; ſed ſtantem Regem intuebatur. Stabant tres vnicâ firmitate: non mouit ſe Stephanus, non mouit ſe Chriſtus, inquit Ambroſius. Nec mirum, quia cum Chriſto immobilis erat Stephanus: Chriſtus enim, qui aſſumptus in cœlum, Patris dexteræ aſſidet, ſtare viſus eſt, quia *cum* Stephano *bellante bellabat*, vt loquitur D. Petrus Damiani *ſerm. de S. Steph.* Quâ igitur firmitate firmior non videbitur Eccleſia, quæ adeo firmo capite ſtabilitur? Ab ipſo erigitur, per ipſum ſurgit, & cum ipſo in æternum ſtabit. Alloquuturus Dominus Moyſen: *Tu verò*, inquit, *hîc ſta mecum*. Deut. 5. 31. Benè iubetur ſtare, *quoniam* (inquit Ambroſius) *qui Deo proximus eſt, lapſui non poteſt eſſe vicinus*. Nec minori pollebat firmitate, qui quaſi ignis ſurrexit Elias; hic enim, etiam Regibus in eum irruentibus, immobilis ſtetit; quia ſuper eum oculos ſuos firmauerat Dominus: ait enim ad Achab, 3. Reg. 17. 1. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto*. Cùm ergo præſentiâ diuinâ ſemper illuſtretur Eccleſia, ipſâ veritate promittente: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, Math. vlt. num. vlt. illamque perpetuò reſpiciat, vt Regij Vatis ore proteſtatus eſt: *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum*, Pſal. 100. 8. caſum neſciet, lapſum non formidabit, ſed immobilis in æternum ſubſiſtet.

§. II.

Eccleſiæ firmitas à Fide.

Iſai. 16.

21\. AVxit Eccleſiæ firmitatem optimum eius Caput, fide quâ ſibi Sponſam immaculatam copulauit: nam ſuperno hoc illuſtrata lumine, corporea ſuperans, humana tranſcendens, diuinæ nedum cognitionis, ſed vitæ firmitatem ſortita eſt, diuino pronunciante oraculo: *Iuſtus autem meus ex fide viuit*. Hebr. 10. 38. Hæc enim primò hominem ad Deum non tantùm ordinans, ſed vniens, prima omnium vitam ſupernaturalem illi tribuit. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei*, inquit Apoſtolus *ad Gal.* 5. Vtique fide viuebat, ſed illâ quæ per dilectionem operatur, & quæ ſine operibus mortua eſt. Vita corporis tui, anima tua: vita animæ tuæ, Deus tuus. Quo modo moritur corpus amiſsâ animâ; ita moritur anima amiſſo Deo, inquit Auguſtinus tract. 47. *in Ioan*. Cùm autem per fidem charitate formatam Deus animam fidelis ſuâ exorner præſentiâ, vt loquitur Apoſtolus Eph. 3. *Scimus habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*, Chriſtianum viuere vitâ ſupernâ quis inficiabitur? Viuere in viuentibus eſt eſſe, vt ait Philoſophorum Princeps Ariſtoteles: & omnia viuentium opera illorum vitæ nobilitati commenſurantur; quia operari ſequitur eſſe, iuxta commune Philoſophiæ proloquium. Si ergo fide, quâ viuit Eccleſia vitâ ſupernaturali, diuinum eſſe à diuina, quâ gaudet, vitâ ſortiatur, diuinæ erunt illius operationes, firma & inconcuſſa illius opera, ipſaque immobilis, & inuicta ſubſiſtet.

Eccleſiæ firmitas ab eius fide.

Auguſt.

22\. Huc reſpexit Doctor gentium, dum Timotheum filium chariſſimum docens, Dei viui Eccleſiam, *columnam, & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. 15. appellauit: vbi nobiliſſimam Eccleſiæ operationem, cognitionem ſcilicet, expreſſit. Quæ enim viuit vitâ Dei, etiam Dei cognitione per fidem, quamvis per ſpeculum, & in ænigmate, fruitur; veritas quippe, quæ eſt perfectio intellectus, quam omnis homo naturaliter cupit attingere, imperfectè à Philoſophis cognita, qui vel vacillantes, & propter cognitionis incertitudinem, variarum inter opinionum turbines fluctuantes; vel erroribus implicati, vel diuerſarum diſcordiâ ſententiarum inuolutі, vix eam ſalutauerunt, ab Eccleſia firmiter, maximaque certitudine agnita eſt, ita vt cognitionem diuinam imitata, inuariabilis & infallibilis exiſtat. Quamobrem non ſolùm firmiter veritatem attingit, ſed ipſam veritatem omnium fortiſſimam fulcit, tanquam firmiſſima illius columna: nec ſolùm columna immobilis ac firma, ſed ipſa immobilitas ac firmitas; quia nobiliſſimum eſt *firmamentum veritatis*. Sanè æterna, increataque Sapientia, ac Veritas non tantum *in Sole poſuit tabernaculum ſuum*, ſed in nube ſedem ſuam collocauit. *Thronus meus*, inquit, Eccl. 26. *in columna nubis*. Verùm quæ columna, quæ nubes thronum præbet diuinæ veritati, niſi fides? Columna eſt, quia firmiſſima, & totius vitæ ſupernaturalis ædificium ſuſtentat: nubes, quia obſcuro ſuo lumine in tenebris refulgente, æſtus caloris temperat, ſupernæ benedictionis aqnas tribuit, & hac in via fideles dirigens, velut illa, quæ Hebræos in Ægypto conduxerat, ad æternam patriam inducit. Sed columna nubis eſt, quia hypoſtaſis, ſeu *ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*, vt loquitur D. Paulus *Hebr.* 11. 1. Hac in Columna nubis loquitur nobis Deus, dum recondita ſuæ diuinitatis arcana, ab ipſa prima Veritate reuelata, per fidem credenda proponit. Per illam ad lucem inacceſſibilem accedimus; quia fides eſt *æterni ſplendoris temperatura, quæ videre poteſt æternam lucem*, vt inquit D. Clemens Alex. lib. 2. Pædag.

Eccleſia columna & firmamentum.

Fides certiſſima & infallibilis eſt.

Fides eſt columna & nubes.

Exod. 13.

Clem. Alex.

Adeo in ſe firma, fortiſque fides eſt, vt non ſolùm columna, & firmamentum veritatis exiſtat, ſed eos à quibus primò ſuſcepta eſt, columnas, & veritatis fundamenta effecerit. Columna, & firmamentum veritatis fuit Petrus, quem Dominus non tantùm immobile Eccleſiæ ſuæ poſuit fundamentum, ſuper Petrum tanquam ſupra firmiſſimum lapidem Eccleſiam ſuam ædificans; ſed etiam totius illius admirabilis domus ſtatuit fulcrum: *Et tu aliquando conuerſus*, inquit Chriſtus, *confirma fratres tuos*. Luc. 22. Etiam Paulus columna fuit, qui vt præclarum electionis vas, nomen Chriſti ad Reges, & Principes, & feras gentes deportans, veritates fidei feliciter diſſeminans, errores diſſipauit, populos Chriſto aggregauit, aggregatos fouit; ſed in fide vacillantes confirmauit, nutantes ſtabiliuit, & omnium Eccleſiarum ſolicitudine, omnium fidem verbo, ſcripto, opere erexit, ſuſtinuit, ſolidauit. Nec cæteri Chriſti Apoſtoli columnarum nomine, & dignitate priuantur: illos in mundum vniuerſum fidei Doctrinâ illuminaturos Dominus deſtinauit: accepta ab eis immenſa beneficia, ſibi Chriſtianus gratulatur orbis; illoſque diuini verbi ſatores, Eccleſiarum fundatores, animarum paſtores, ac inconcuſſos æternæ veritatis prædicatores, magiſtros, ac doctores colit & veneretur. Tot ergo, tantiſque veritatis columnis Eccleſia roborata, fide ſuâ ſtabilis 23.

Petrus & Paulus columnæ fideі.

nullos

Fides ſuâ firmitate vincit & victoria dicitur.

nullos errorum impetus reformidat. Quorſum formidabit, quæ non ſolùm ſtrenua pugnat, & contra ſe pugnantes ſuperat? Non ſolùm hoſtes vincens, ſed ipſamet victoria, ac triumphus nominatur. *Hæc eſt* (Diuinum ait Oraculam) *victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*. 1. Ioan. 5. 4.

24. Cùm ergo triumphus, vel victoria ſit fides noſtra, quæ dilectæ Sponſæ Chriſti, ſanctæ Eccleſiæ, veluti in dotem, quâ Dei Sponſa euaderet, conceſſa eſt; illa non ſolùm viribus ad pugnandum, ſed victoriâ ad triumphandum donata eſt, dum magnificum hoc ſupernaturalis Fidei donum ſuſcepit: *Deſponſabo te mihi in fide in ſempiternum*, Oſeæ. 2. 20. Hoc eſt, viribus Fidri te decorabo, illiuſque trophæis coronabo. Enimverò ſemper per Fidem triumphauit Eccleſia: per illam Sancti vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſionem, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. vt *Hebr*. 11. legitur. Fortem armatum fide ſubegit Eccleſia, quia Baptiſmate, quod fidei Sacramentum à Theologis nuncupatur, diabolo, & omnibus pompis eius abrenuncians, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulans, terribilem conculcauit leonem, & draconem. *Quomodo confractus, & contritus eſt malleus vniuerſæ Terræ?* inquit Ierem. 50. 23. Quod exponens Origenes *hom*. 3. *in Ierem*. ait: *Chriſtus confregit malleum in deſerto, contriuit in paſſione: ſimiliterque confringitur à nobis, cùm venimus ad Eccleſiam per fidem; conteritur autem, cùm per opera proficimus*. Hæc ille.

Orig.

Quàm ergo ſolida, firmaque per fidem eſt Eccleſia, quæ dæmonem totius mundi malleum confringit conteritque! *Quid ergo videbitis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Cant. 7. 1. Dicam ego, niſi choros victorum: dum enim pacifica (hoc Sulamitis nomen ſonat) Regis Pacifici Sponſa Fidei veritates pandit, omnes illius hoſtes oppugnat, hæreſes iugulat, errores diſſipat, ſeculi ſapientes ſuperat, ipſaque tota terribilis, vt *caſtrorum acies ordinata*, de cunctis inimicorum artibus, inſidiis, viribuſque glorioſam ſolo ſermone victoriam reportat.

Eccleſia pace & ſermone triumphat.

25. Verùm expeditius tantorum Eccleſiæ triumphorum inſtrumentum, quo faciliùs, frequentiuſque vincit Eccleſia, præclarum eſt illud totius Chriſtianæ Fidei Symbolum, quod à duodecim Apoſtolis, Chriſtianæ veritatis Anteſignanis, conditum vniuerſi orbis Fideles ſummâ veneratione ampleçtuntur. Hoc catechumeni erudiuntur, hoc neophyti creſcunt, hoc perfecti roborantur, hoc vnum eundemque ſermonem, variarum & nationum, & idiomatum gentes loquuntur: hoc ſacræ veritatis defenſores pugnant, ſuperant & triumphant. Per hoc enim duodecim Apoſtolis Fidei Chriſtianæ ſatoribus, & inconcuſſis Eccleſiæ fundamentis vtimur, illorumque conſtantiam ſortimur, & firmitatem. Nam *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni*, Apoc. 21. 14. Nec huiuſmodi fundamenta primi Eccleſiæ fundamenti, ſcilicet Chriſti, dignitati derogant. Chriſtus enim ex ſe primum eſt fundamentum; ipſe enim eſt petra ſolida, firmaque, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia: Sancti autem Apoſtoli, non ex ſe, ſed ex alio ſolido ſubiecto, nempe Chriſto, habent ſoliditatem: ſicut lapides, qui primæ imponuntur petræ ſolidæ, ſeu rupi, quæ primum totius ædificij eſt fundamentum, vt aduertit S. Thomas *in epiſt*. 1. *ad Cor. c*. 3 *lect*. 2. *R. P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.*

Fidei ſymbolo militat & vincit Eccleſia.

D. Thom.

Vnde *fundamenta eius in montibus ſanctis*. Pſal. 86. 1. Vbi D. Auguſtinus: Quare fundamenta, inquit, Apoſtoli & Prophetæ? Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtram.

D. Aug.

26. Apoſtoli igitur ſunt fundamenta Eccleſiæ, quia ipſi primò ſuperædificati ſunt Chriſto per fidem, & charitatem, ipſique Eccleſiæ Capiti copulati, fidelium Chriſti infirmitatem portant, quia eualuant, & maximam eis conferunt firmitatem. Quod eleganter expreſſit Apoſtolorum zelantiſſimus, dum dixit: *Non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Eph. 2. In Chriſto ergo, Apoſtoliſque fundati Fideles, ciues Sanctorum, ac Dei effecti domeſtici, loquuntur *quaſi ſermones Dei*, dum Symbolum Apoſtolorum, cui corde credunt, ore promunt, omneſque ſubtilitatis humanæ rationes, acutiſſimaque argumenta reſoluentes, adducunt in obſequium Chriſti. Illud, illud eſt ſcutum, quod ſumere in omnibus hortatur Paulus, dum inquit: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. Eph. 6. 16. Omnia enim quæ contra Chriſtianæ Religionis arcana, per membra ſua, vel rationum ſubtilitate, vel verborum elegantiâ, vel argumentorum acuminibus, iacula nequiſſimus vibrat dæmon, Fidei clypeo retunduntur; ipſoſque vel Philoſophos, vel Oratores, igneorum eiaculatores telorum, Chriſtianus hoc ſcuto munitus propriis ſagittis confodit. Vt enim notat Angelicus Doctor 1. *p. quæſt*. 3. *art*. 8. cùm Fides innitatur infallibili veritati, impoſſibile autem ſit de vero demonſtrari falſum, manifeſtum eſt, probationes quæ contra Fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta. Soluuntur itaque vanæ omnes contra Fidem inductæ ratiocinationes, immò confunduntur & cum authoribus ſuis pereunt; quia vt Sapiens loquitur, *vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*. Sap. 13. ideſt cognitio certiſſima, quæ de Deo per Fidem habetur.

Symbolum fidei, ſcutum Eccleſiæ.

D. Thom.

Fides cuncta ſoluit argumenta.

27. Vani igitur, inanes, debileſque homines infideles, qui nec aſtutiâ, nec ſapientiâ, nec compti ſermonis elegantiâ contra Fidem aliquid moliri potuerunt: vani, inquam, quorum *à Deo huius ſeculi*, vt loquitur Apoſtolus 2. Cor. 4. *excæcatæ mentes*, ſola veritatis manifeſtatione obtuſæ ſunt, & conuictæ: & quos ſapientia huius ſeculi Principes agnoſcebat, ſtultitia euangelicæ prædicationis indoctos agnouit. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, ait Paulus 1. *Cor*. 1. quia per Diuini Verbi Incarnationis, quæ gentibus & inſipientia & infirmitas videbatur, acceptam fidem, altitudinem conſilij diuini ſuper ſalutem generis humani conſiderantes, æternam abſcondito hoc in myſterio Dei ſapientiam, infinitamque virtutem admirantur. Qui verò ſuâ in cæcitate perſeuerantes non obediunt Euangelio, in ſenſum reptohum dati coram fidei prædicatoribus, myſteriorum nouitate perculſi obmuteſcunt: ſicque maxima totius Eccleſiæ moles non aheneis fulcris, non marmoreis columnis, ſed minimo ſynapis grano, & fragilibus velut piſcatoriis arundinibus ſuſtentatur, dum non ſolùm naturæ, ſed ingenij, & voluntatis humanæ conatus omnes impetuſque debilibus frangit armis, & ſuperat illâ, quâ piſcatores mundi triumphatores,

Debiles omnes infideles.

Fidè ſpecie minimâ, ſed re & virtute maximâ orbem illuſtrarunt; nam vt loquitur Diuus Chryſoſtomus hom.4.in 1.Cor.1. *Sicut Deus arene imbecillitate muniuit mare: ſic Platonem non per alium ſapientiorem Philoſophum ſuperauit, ſed per indoctum piſcatorem.* Quod etiam docuit Auguſtinus *tract.7.in Ioan.cap.1.*vbi ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem.*

Chryſoſt.

Aug.

28. In Eccleſiam, vel potiùs in fidem Eccleſiæ inſurrexit olim quidam Gentilis Philoſophicis imbutus facultatibus, qui inſolenti dicendi arrogantiâ fretus, Nicæam Bithyniæ vrbem, vbi ſolennis Epiſcoporum contra Arium Synodus agebatur, conuenit,vt veluti in publico certaminis campo, vniuerſique orbis theatro, cunctis ſpectantibus, ſacræ Religionis Antiſtites exquiſitis humanæ ſapientiæ verbis ſuperans, de ipſa Fide Catholica publicè triumpharet. Illius ſpem rei fefellit euentus; nam qui ſe alios vincere inaniter iactitabat, victus eſt: verùm à quo, ab idiota ouium paſtore, ab ipſo celeberrimo Tremithuntis in Cypro Epiſcopo Spiridione, ab egregio illo Chriſti confeſſore, cui effoſſum ob Chriſti confeſſionem oculum exoſculatus eſt Conſtantinus Magnus, beatos prædicans talia pro Chriſto perpeſſos: qui verboſi Philoſophi ſuperbiam non ferens, contra illum pugnaturus audacter deſcendit in arenam. Congreſſum in nomine Ieſu Chriſti inchoauit, felicibibus ſub cuius auſpiciis ſtrenuè & feliciter dimicauit. Verùm quibus armis militauit? Non enſe, non flammâ, non ferro, non clypeo, non inani verborum pompâ, ſed humili, inelegantique fidei Chriſtianæ confeſſione perſpicuâ, ac diſtinctâ Symboli Apoſtolorum pronunciatione, viuo & efficaci, penetrabiliorique omni gladio ancipiti ſermone, quo idiota Philoſophum, paſtor ouium lycæi ſapientem,ſenex iuuenem,monoculus virum perſpicaciſſimum deuicit, ſuperauit, & ad hæc verba coëgit: *Donec verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur dicendi arte ſubuerti: vbi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo aduerſari potuit Deo. Et ideo ſi quis veſtrûm potuit in his quæ dicta ſunt, ſentire quæ ſenſi, credat Chriſto, & ſequatur hunc ſenem, in quo loquutus eſt Deus.* En glorioſum fidei triumphum; en inconcuſſam ſupra rationis humanæ Philoſophiam Eccleſiæ firmitatem. Quotquot contra eam inſurgunt, ad hanc petram immobilem non ſolùm alliduntur, ſed conteruntur. Contritus eſt hic Philoſophus, & in alium derepentè mutatus; & qui pugnaturus fidei hoſtis aduenit, è certamine fidei prædicator exiuit. Sed amplior fuit ex hoc prælio fidei noſtræ triumphus. Gregorius enim Preſbyter Cæſareenſis refert, Menophantem Epiſcopum Epheſinum philoſophicis facultatibus apprimè imbutum, ſed Arianiſmo infectum, adeo ex hoc miraculo obſtupuiſſe, vt deſerens Arium Concilio Nicæno ſubſcripſerit.

Philoſophus fidei ſymbolo ſuperatus à Spiridione Epiſcopo.

Arianus Epiſcopus conuertitur.

29. Porrò tanta per Fidem eſt Eccleſiæ firmitas, vt non ſolùm mendacia, inanemque fallaciam ac ſæculi Philoſophiam ſuperauerit, ſed etiam ſemper inconcuſſa ipſos tortores,tormenta, omnemque Diaboli, hominumque crudelitatem conculcauerit. *Tyranni ridiculi eius erunt*, Diuinum inquit Oraculum, *Habac.* 1. 10. quia quos ſibi mortem irrogare videbat, deſpexit, eorum impetus retardauit, vires contriuit, ſupplicia fregit, ipſiſque robuſtior vulneribus trucidantes trucidauit, vulnerantes vulnerauit, & ipſum interitum inferentes extinxit. De qua meritò dixerim, quod aliàs de quercu ramorum exciſione, frondium, fructuumque feraciſſima cecinit Poëta:

Tormenta & Tortores fides vincit.

Per arma, per cædes ab ipſo ducit opes,
Animumque ferro.

Horatius.

Quod eleganter expreſſit Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ decus S. Chryſoſtomus, dum *hom.* 36. *in epiſt. ad Eph.* ait: *Virtus fidei in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur.* Cùm enim victoria ſit, vt ſuperiùs ex Ioanne Apoſtolo notauimus, præliis nutritur, creſcit certaminibus, congreſſibus coronatur, otio marceſſit, quiete languet, & tranquillitate decreſcit. Nouos parit filios Eccleſia, dum præliatur; & uno eodemque momento partu ſuo & cœlum illuſtratur, & ſolum. Martyrum animæ cœlos tormentis penetrant, & nouorum Chriſtianorum turbæ ex ipſis athletarum cineribus renaſcentes, Eccleſias in terris replent; nam vt ait Tertullianus in apolog. *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.* Sanè vt loquitur Caſſiodorus in pſalm. 4. *Tribulatio eſt, quæ ſemper dilatat Eccleſiam, quando eodem tempore Confeſſores fiunt, Martyres coronantur, totaque turba Iuſtorum contritionibus ſemper augetur.* Auxit Fidelium Chriſti familiam Paulus ſuis laboribus, plagis, & carceribus; nec vſquam Apoſtolus hic aut liberiur quàm in vinculis, aut in augendo fidem felicior quàm in tormentis. Se abundatiùs cæteris laborauiſſe Apoſtolis gloriatur 1.*Cor.*15. Verùm quo tempore abundantiores labores exantlauit? Quando Romæ pro Chriſti nomine vinctus epiſtolas diuino plenas ſpiritu ad diuerſos dedit populos, quos vel fidei myſteria docuit, vel in fide eruditos confirmauit.

Chryſoſt.

Hoſtium impetu roboratur & augetur Eccleſia.

Tertull.

Caſſiod.

30. Quod notauit D. Hieronymus dicens: *Scribit* (Paulus) *ad Philemonem Romæ vinctus in carcere, quo tempore etiam videntur mihi ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & ad Epheſios epiſtolæ eſſe directæ.* Mirabilis certè Chriſtianæ Fidei vigor, quo Apoſtolus propriæ ſalutis, libertatiſque immemor, totus animarum ſaluti, & fidei propagationi ſtudebat: nec quibus onuſtæ manus illius erant catenæ ab ſcribendi munere remouebant. *Laboro vſque ad vincula*, inquit 2. Tim. 2. *Sed verbum Dei non eſt alligatum.* Quod Theophilactus exponens, Paulum ſic fantem adducit: *Etiamſi aſtringimur vinculis, ſcribendi tamen & prædicandi fungimur munere.*

D.Hieron.

Paulus Romæ vinctus ſcribit epiſtolas.

Theophil.

31. *Credidi, propter quod locutus ſum; ego autem humiliatus ſum nimis*, inquit Dauid *pſal.* 115.1. *Nos credimus, propter quod loquimur*, ait Apoſtolus 2. *Cor.* 4. quia fides diuinorum præbens notitiam myſteriorum, dat animum, vires tribuit, ſermonemque ſuggerit, vt quod credimus, vbique dilatetur. Verùm, cur ſubdit Vates: *Ego autem humiliatus ſum nimis?* Cur dum corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem, non ſolùm propriam, ſed alienam, qui loquitur humiliatus eſt? Vt firmitas, virtuſque Fidei manifeſtetur: quod acutè notauit Auguſtinus, dum ait: *Cur addidit, Ego autem? niſi quia humiliari poteſt homo ab eis, qui veritati contradicunt, non ipſa veritas, quam credit, & loquitur.* At quæ nequit humiliari veritatis fides, perſecutionibus roboratur, ciuſque virtus etiam ad ipſos homines humiliatos extenditur. *Dum infirmor, tunc potens ſum*, inquit Paulus 2.*Cor.*12.10. quia

Auguſt.

Digitized by Google

quia pro Chriſto vinculis onuſtus, & annis grauidus, zelo fidei renouatus firmior euaſit, & fortior. *Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Chriſti Ieſu*: epiſt. ad Philem. 9. ait Apoſtolus. Sed videte & ſenis, & vincti liberam, miramque poteſtatem: *Obſecro te pro filio meo, quem genui in vinculis Oneſimo*: ibid. 10. Quænam maior virtus, quàm in vinculis filium chariſſimum generare? quem adeò perfectum edidit, vt illum *tanquam propria viſcera* Philemoni commendet. *Tu autem illum, vt mea viſcera ſuſcipe*: ibid. 13.

Et filios generat.

32. Verùm vnicus filius Pauli vincti miræ fœcunditati non ſufficit: alios fide, & ſermone generauit; ſed quos? Totius vrbis Romæ nobiliores. *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt*. Philip. 4. Neronis enim impiiſſimi, crudeliſſimique Imperatoris præcipuos aulicos Chriſti fidei aggregauit, illoſque in Chriſto Ieſu per Euangelium genuit; ipſamque domum ſceleſtiſſimi Principis in paradiſum Sanctis repletum commutauit: quia *à Cæſare miſſus in carcerem*, inquit D. Hieronymus, *notior familia eius factus, perſequutoris domum Chriſti fecit Eccleſiam*.

Hieron.

33. Cæterùm qui *vincenti dat manna abſconditum*, Eccleſiæ per Fidem hoſtium omnium victrici dat corporis & ſanguinis ſui mirabile Sacramentum, quo nutrita & impinguata, nouâ fidei firmitate donatur. Cùm enim myſterium fidei ſit Euchariſtia, in eaque *accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtant, vt fides locum habeat, dum inuiſibile viſibiliter ſumitur alienâ ſpecie occultatum*, vt loquitur D. Thomas *opuſc*. 57. ſanctiſſimo hoc Sacramento ſuæ recipit fides firmitatis complementum. *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium*. Pſal. 71. 16. vbi paraphraſis Chaldaïca habet: *Erit placentula in capitibus Sacerdotum*. Quorſum hoc? Quid firmamento, & placentulæ? Maximum ſanè fœdus; hæc enim accidentium panis in Euchariſtia remanentium, quæ ſupra Sacerdotum capita extolluntur, typus eſt. Cùm ergo corpus Chriſti ſub illis latens ſit firmamentum immobile totius Eccleſiæ, & præcipuè Sacerdotum, qui ob maximam in fide firmitatem montes dicuntur, meritò paraphraſtes Chaldaïcus pro firmamento placentulam, pro ſummis montium capita Sacerdotum poſuit, vt ingens ab Euchariſtia robur oriri demonſtraret. *Panis cor hominis confirmet*. Pſal. 103. 15. Nam ſi panis, quem quotidie in cibum ſumimus, cor humanum corroborat, quid non præſtabit *panis de cœlo verus, panis Angelorum, panis viuus*, nempe Corpus & Sanguis Domini ſub ſpeciebus panis? Vtique *non in fortitudine ſua roborabitur vir*, vt dicitur 1. Reg. 2. ſed in fortitudine cibi illius, per quem ambulauit Helias ad montem Dei, Fides firmabitur, eius firmitas corroborabitur, augebitur, coronabitur, & per illam ſic confirmatam (*per fidem enim ambulamus*, inquit Apoſtolus 2. *Cor*. 5.) ad cœleſtem patriam ambulabimus, vbi fidem euacuantes, facie ad faciem videbimus, quod nunc per ſpeculum & in ænigmate intuemur. Fide igitur Eccleſia Sion vocabuli digna eſt; quia per illam non minùs ac mons iſte firmatur.

Philip. 4.

D. Thomas.

34. Myſterio non caret character ille, ſeu titulus ס, Samech, quo Dauid octonarium quintumdecimum, *Pſal*. 118. prænotauit: nam interprete D. Ambroſio ibidem, duo ſignificat, auditum, & firmitatem. Cùm enim auditus fidem deſignet, quia vt ait Apoſtolus Rom. 10. 7. *fides ex auditu*, ipſaque ſit firmitas Eccleſiæ, quæ neque vacillat, neque ſibi adhærentes patitur vacillare; ideo rectè character vnicus & firmitatem deſignat, & auditum. Nam vt notat D. Thomas *in cap*. 1. *Epiſt. ad Coloſſ. lect*. 5. fides eſt ſicut fundamentum, ex cuius firmitate tota firmatur Eccleſiæ ſtructura. Fideles ergo adeo firmos quis expugnabit? *In fide fundati & ſtabiles*, & immobiles reperientur, vt ait Apoſtolus *Col*. 1. ſeque abundantes in opere Domini, ſanctos, & immaculatos & irreprehenſibiles coram Deo exhibebunt, vt in omnibus ſuis Eccleſia partibus ſolidiſſima, ac per fidem firmiſſima comprobetur.

Rom. 10. 16. Fides eſt firmitas Eccleſiæ.

§. III.

Eccleſiæ firmitas à charitate.

35. VErùm enim verò quæ à capite firma, à fide ſolida eſt Eccleſia, ab ardenti, quâ flagrat, charitate exiſtit inconcuſſa. *Charitas nunquam excidit*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 13. 8. *In charitate radicati & fundati*, ait idem Paulus *Eph*. 3. 17. Totum ergo Eccleſiæ ædificium quod firmiſſimo charitatis fundamento nititur, ſemper ſtabit, nec vſquam ruere formidabit. Firmam ſe, fortemque gloriabatur quædam Galliæ Narbonenſis ciuitas mutuâ ciuium ſuorum dilectione, ſeque & inuictam illorum concordiâ, & diſcordiâ victam exiſtimabat; quod in ſua teſſera hoc lemmate declarauit: VNITAS FORTITVDO, DISSENSIO FRAGILITAS. Sed illa fortior eſt Eccleſia, quæ tantâ charitate filios, membraque ſua connectit, vt nullo iurgio, nullâ lite, nullâ diſſenſione ſeparentur. Credentium omnium *cor vnum eſt, anima vna*: & quos vnum caput vnius corporis efficit membra; quos vnus ſpiritus vnius fidei doctrinâ illuſtrat, vnus paſtor vnius corporis pretioſo reficit alimento; vna charitas conglutinat, & ex pluribus hominibus vnum præſtat. Sanè vnum ſunt Eccleſiæ filij, non ſolùm perfectionis vinculo, ipsâ ſcilicet charitate ad inuicem colligati; ſed ipſi omnium entium vniſſimo, vt Mellifluus loquitur Bernardus, Deo optimo, maximo, eadem agente charitate copulati. Qui ſapientiâ fundauit cœlos, cunctaſque verbo ſuo ex nihilo eduxit creaturas, infinitâ efficaciſſimi ſermonis ſui potentiâ Chriſtus ſibi, Patrique ſuo fideles omnes conglutinauit, dum dixit: *Rogo vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint*. Ioan. 17. 21. ſtatimque ſubdit: *Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum*: ibid. 23.

Eccleſiæ firmitas à charitate.

Ciuitas Carpent.

Fideles omnes Deo charitate copulantur, & ad inuicem colligantur.

36. Mirum ſanè, Chriſtianos in vnum conſummari ineffabili illa dilectione, quâ in Chriſto Pater eſt, & vterque in Eccleſia: ſi enim conſummantur in vnum, in vnum tranſeunt, in vnum coaleſcunt, nec ab vno diſcrepantes vnum ſunt vni, ſed vni, de quo dictum eſt: *Audi Iſraël, Deus tuus vnus eſt*. Deut. 6. 4. Ergo ſi cum Deo vnum ſunt, à Deo indiuiſi cenſendi ſunt. Verùm quod à Deo non diuiditur, à Deo non differt; quidquid enim in Deo eſt, Deus eſt. Quid ergo? Deus erit Deo optimo igne charitatis vnitus? Cur non ita? Si enim Scriptura vocat Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, quorſum Deos non appellabimus, quos ipſa Veritas, vnum cum Deo prædicauit? Nunquid non Regius dixit Pſaltes: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*. Pſal. 81. 7. Cùm autem per charitatem in Deo maneant fideles, & ſimiliter Deus

Diligentes Deum vnum ſunt cum illo. & Dij vocantur.

Digitized by Google

in ipſis habitet, etiam filij Dei, Diique poterunt appellari. Sed quæ *foras mittit timorem perfecta charitas*, animum vireſque tribuit Eccleſiæ; quæ enim filios Deo intimè copulatos, in vnũ conſummatos, & quodammodo Deos in ſinu ſuo complectitur, diuinâ firmitate ſtabilitur, inuicta hoſtes omnes ſuâ vnitate ſuperat, ipſaque iuuante charitate omninò inexpugnabilis inſurgentes omnes debellabit. Quis enim vnquam contra Deum pugnauit feliciter? Cum Deo, & propter Deum pugnat Eccleſia igne charitatis accenſa; nec ſolùm cum illa homines dimicaturi in arenam deſcendunt: ipſe Deus militat, ipſe in Fidelibus pugnat, vincit & triumphat; totaque Iuſtorum turba illius adiutorio roborata infenſiſſimos hoſtes, etiam ipſos tenebrarum rectores conculcat, iugulat, & confodit. Quæ enim non poteſt, quæ in ſe Deum omnium victoriarum, triumphorumque diſpenſatorem legitimum portat? *Omnia poſſum*, inquit Apoſtolus, *in eo qui me confortat*. Philip. 4. 13.

Fortes ſunt & victores.

37. Omnia pariter poteſt per Fideles igne charitatis accenſos ſancta Eccleſia; ſed omnia poteſt, non in ſe, ſed in eo qui charitas eſt, & Chriſtianorum corda ardentiſſimâ diuini amoris flammâ comburit: quique dilectione, quæ ſicut mors fortis eſt, Fideles corroborat. Tantâ igitur per charitatem firmitate gaudet Eccleſia, vt cum Deo diuina & inexpugnabilis; cum vno omninò indiuiſibilis; cum omnipotente inuincibilis etiam ab aduerſariis ſentiatur, cognoſcatur, comprobetur. Quis enim vincet Eccleſiam, cuius vires præliis augeſcunt? Quis illam ſuperabit, quam etiam morte à Deo nequit auellere? Quis expugnabit, quam impugnando nequit diuidere? Charitas enim illius vel erga Deum, vel erga proximum præliis augetur, certaminibus perficitur, patientiâ roboratur, congreſſibus coronatur, morte non excidit, vulneribus non minuitur, perſecutionibus non frigeſcit: immò tormentis confirmatur. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, neque principatus, neque inſtantia, nec futura, nec creatura aliqua poterit nos ſeperare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Rom. 8. 39.

38. Etiam moriens Chriſtus tortores deuicit; dum mortem guſtauit, mortem occidit, & obſcuriſſimis ſuppliciis clarior, in cruce victor triumphauit: ſed præcipua victoris Domini gloria in tunica, quâ corpus ſuum tegebatur, enituit. A militibus accepta Saluatoris crucifixi veſtimenta, quatuor in partes diuiſa ſunt: at tunica inconſutilis deſuper contexta per totum, indiuiſa remanſit; nec eam aut partiri, aut lacerare potuerunt, quia Dominus exercituum Eccleſiam ſuam ſibi ſuâ tunicâ chariorem, ac coniunctiorem, ipſaque tunicâ adumbratam, contra omnium bellatorum impetum indiuiſione, ſeu charitatis vnitate firmauit. Verùm Chriſti tunicam Chriſti Eccleſia quodammodò ſuperat: illam exuit Chriſtus, hanc chariſſimam Sponſam ſibi ſuo ſanguine acquiſitam nunquam dimittit: illa à Chriſto diuiſa, indiuiſa extitit, nec eam Deus diſſecari permiſit: hæc Chriſto firmiter vnita, & ab ipſo omnino indiuiſa, non ſolùm indiuiſam ſuorum omnium membrorum retinet vnitatem, ſed ad omnes ſuperandos aduerſarios inſuperabilem poteſtatem. Scindi non poteſt, diſſecari non valet: ipſi vnico Spõſo immobiliter adhærens ab eo nequit diuelli. Vna ſemper eſt columba, ipſi grata, ipſi pulchra, omnibuſque aduerſariis terribilis, ac formidanda.

Tunica Chriſti non diuiſa, Eccleſiæ vnitatem ac firmitatem deſignat.

Sciſſi ſunt, diſſectique qui eam ſcindere, aut 39.
diſſecare voluerunt: ſciſſus eſt ille, qui impudentiſſimâ proditione Sponſum ſuum Iudæis tradens, Eccleſiæ caput amputare voluit: ſciſſus eſt, inquam, dum ſuſpenſus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius. Sciſſus eſt impius ille Arius, Chriſti & Eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis, qui Filium à Patre diuidens, & ab Eccleſia ſeparans, Redemptorem dum creaturam ore maledico prædicabat, tanti ſceleris iuſtiſſimas pœnas luens, diuiſa à corpore ſuo ſenſit viſcera, & in loco impuriſſimo homo impuriſſimus impuriſſimâ morte vitam finiuit. Sciſſi ſunt omnes ſchiſmatum, hæreſeon, aliarumque diuiſionum authores, quos ſuo in ſcelere permanentes, ab vnitate remotos, ſacri Chriſti corporis expertes diris deuouit Eccleſia, ipſique diſſenſionum authori excommunicationis fulmine copulauit, à Deo pacis iuſtè, ſancteque ſeiunctos. Sciſſus etiam eſt Epiſcopus ille Parmenſis Cadalous nomine, qui Romanæ Eccleſiæ Pontificiâ dignitate vſurpatâ ſub Honorij II. falſa nomenclatura, Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, pacemque tempore Alexandri II. Papæ turbauit. Illum acriter increpauit miræ ſanctimoniæ ac doctrinæ S. Petrus Damiani Cardinalis, qui *lib. 1. epiſt. 21.* ſic in ipſum inuehitur: *O ſcelus inauditum. Pilati milites inconſutilem Domini non præſumunt ſcindere tunicam, & tu in duos Papas Catholicam partiris Eccleſiam? Illi pendentis in cruce Saluatoris oſſa non frangunt, & tu ſectis Eccleſiæ membris, quæ proculdubio corpus eius eſt, ſacramentum violas vnitatis?* Quæ tamen à tanto viro per auxeſin dicta fuiſſe arbitror; nam Parmenſis Epiſcopus tentauit quidem Eccleſiæ concordiam frangere, ſed non fregit, nec vnitatem diuiſit. Ille ipſe diuiſus, & fractus eſt, qui à conſortio fidelium ſuâ impietate ſegregatus, pſeudo-paſtor, immò ouis ſine paſtore aberrans, ex diuino iudicio peſſimam mortem incurrit.

Diuiſi & ſecti ſunt, qui Eccleſiam diuidere voluerunt.

Cadalous ſub Honorij nomine Antipapa.

Pet. Dam.

Baron. tom. 11. an. 1064. num. 39.

Vna ſemper, firmaque, ac inconcuſſa manet 40.
Eccleſia, Chriſto immobili fundamento charitate coniuncta: varios complectitur Fideles, qui vnico ſpiritu acti, vnâ dilectionis flammâ accenſi, vni capiti obedientes, non plures ſunt, ſed vnus. Quod Origenes eleganter expreſſit. *Cur*, inquit, *non omnes vnus dicantur, quorum cor & anima vna eſſe deſcribitur, vnam ſemper omnes ſapientiam meditantur, vnum ſapiunt, vnum ſentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur, vno ſpiritu Dei replentur?* Vnde meritò & ipſi omnes non ſolùm vnum, ſed & vnus dicuntur, ſicut & Apoſtolus deſignauit dicens: *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam*. 1. Cor. 9. 24. Eapropter Eccleſiæ filij apud Ezechielem oculis ſunt adumbrati; myſticus enim ille currus oculis repletus Eccleſiam Chriſtianis plenam repræſentabat, de quo Propheta: *Totum corpus oculis plenum*. Ezech. 1. 18. Nam vt inquit D. Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap. 63. Omnes iuſti concordia tanta erunt, quanta ſunt in præſenti oculi noſtri*. Sicut enim oculus vnus verti non poteſt, quin vertatur & alius, ſed in eandem partem ſemper volvuntur; ſic ſocietas illa Iuſtorum (quâ conſtat Eccleſia) nihil poterit velle diuerſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebit. Sed cur oculis Fideles iuſtos comparatos commemoro, cùm vnico oculo à Deo conferantur, & exprimantur. Sub Salomonis typo ſuam Sponſam alloquentis, verus Pacificus Princeps Chriſtus Eccleſiam ſuam aliquando ſic alloquitur:

Orig. hom. de Elcana.
1 Reg. 1.
Fideles omnes ſunt vnũ, immò & vnus.

tur: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. 9. Vbi oculorum nomine Eccleſiæ Antiſtites, Proceres & Doctores intelliguntur. At cur in vno tantùm oculorum ſeu Doctorum Chriſtus dicitur vulnerari, qui alios innumeros habebat? Arbitror, non quia vnus tantùm placuit; ſed quia multorum placuit vnitas. Ac ſi clariùs diceret: Vulneraſti cor meum in vnitate oculorum tuorum; ſicut Doctor Angelicus interpretatur, dum ait: *Bene, cùm ſuperius dixerit oculos, hic ſingulariter in vno oculo dixit, vt per hoc vnitas Sanctorum exprimatur.* Quanta ergo per charitatem Eccleſiæ firmitas? cùm vnitate oculi, ideſt vnius aſpectus eiaculatione, etiam ipſum Deum vulneret. Sauciatur itaque Chriſti Domini cor oculi vnius radio, viſionis vnius telo, ſed maximâ cum voluptate: nec vulnus læſum cor diuidit, ſed oculum ferientem vulnerato cordi coniungit; totaque Eccleſia vnico reſpiciens oculo vnicum Filium Dei, vnico firmiùs hærens Deo, non ſolùm vnita eſt, ſed vnica, eaque fortiſſima & inuictiſſima. *Dilectio enim*, vt inquit D. Greg. Nyſſ. *efficit vt vnitas ſit id, quod ſalutem conſequatur omnibus inter ſe vnitis cum vno, ſoloque bono.*

D. Thom.

Greg Nyſſ in Cant. 6.

41. Quæ cùm ita ſint, arma reſpuit Eccleſia, munitiones neſcit, gladios abhorret, clypeos non admittit, galeas projicit, ſolà charitate roboratur, amor ſolus illius præſidium eſt, cunctiſque cum aduerſariis ſuis audenter militat ſolà dilectione munita. *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, inquit Chriſtus *Ioan. 13. num. 35.* Nec portentoſa ab Apoſtolis patrata miracula, nec innumeræ ægrotis conceſſæ curationes, nec vita mortuis reſtituta, nec variarum idiomata nationum probabunt Chriſti diſcipulos: ſola dilectio quæ magiſtrum è cœlis ad terram detulit, ſuadet in terris conuerſantes homines cœleſtis audire verba magiſtri: ſola exhibet diſcipulum Chriſti, quia ſola igne quo flagrat Dominus, diſcipulorum corda comburit: ſola denique probat diſcipulum, quia per illam diuini ſequens veſtigia Præceptoris, vincit mundum. Tenera militia! conflictus delicatus! formoſa pugna! Amore ſolo de cunctis hoſtibus triumphat Eccleſia: pace militat, quia dilectione decertat; charitate dimicat, & ſolo amore triumphat.

Amore pugnat & vincit Eccleſia.

42. Magnificum Salomonis templum orbis ſtupet, maximumque miraculum in tantam exreuit molem arte mirabili, ſed ſine ſtrepitu, ſine fragore, proculque remotis omnibus ferreis inſtrumentis. *Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt ſunt audita in domo, cùm ædificaretur.* 3. Reg. 6. 7. non ſolùm quia ferrum quod eſt ad perniciem comparatum, diuino cultui ſeruire non debebat; ſed etiam vt concordia & charitas inter Eccleſiæ Dei miniſtros commendaretur. Si enim ab Eccleſiæ Chriſtianæ vmbra ferrum arcetur, nunquid ab ipſa veritate ferrum violandæ charitatis debet exulare? Pace, non bello nutritur dilectio charitatis; ipſaque ſancta Eccleſia bellantes non ferro ſuperat, ſed ignito amoris auro, de quo in Apocalypſi 3. 18. *Eme tibi aurum ignitum.* Quod planè illius debebatur dignitati, vt tranquillitate militans, etiam pace triumpharet; cùm etiam profana Ethnicorum templa nec ferrum cognoſcerent, nec vllo modo concordiam violarent. Lex enim olim apud illos, fuit referente Tullio 2. de legibus: *Æs & ferrum arceto a delubris, duelli inſtrumenta, non fani.* Quæ Deo pacis militat, debet omnia diſcordiarum inſtrumenta neſcire. Quamobrem vt omnia quæ in Eccleſia ſunt, redoleant concordiam, ſpirent vnitatem, ille vnicus Dei Filius, vnius Eccleſiæ vnicus Sponſus, immò vnicum caput, vt maiori ad vnitatem inclinatione fideles erudiret, qui Iudæorum ſynagogam ſuper duos fratres ſtatuerat, ſupra duo paria fratrum, nempe Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, *Matth.* 4. 18. & 21. Eccleſiam fundauit, vt non ſolùm per gratiam, ſed etiam per naturam ipſa charitas firmiùs habeatur, vt notauit author operis imperfecti *in Matth. hom.* 7. Et cùm abundantior ſit gratia noui teſtamenti, quàm veteris; ideo primum populum ædificauit ſuper vnam fraternitatem, hunc autem ſuper duas, vt loquitur idem author.

Ferrum pernicei deſtinatum, diuino cultui nō deſeruit.

Cicero.

In geminâ fraternitate Eccleſia fundatur ad maiorem charitatem.

Verùm duabus fraternitatibus Chriſtianorum Eccleſia ſtabilita, vni regenda committitur, vniuerſæque Chriſti oues vnico paſtori paſcendæ mandantur. Soli enim Petro à Chriſto dictum eſt, Ioan. 21. 17. *Paſce oues meas*: vt totius ouilis, vniuſque paſtoris dum innuitur vnitas, perfectio demonſtretur. Quod acutè expendit Bernardus libro 2. de conſider. ad Eugenium Papam: *Committens* (inquit) *vni, vnitatem omnibus commendauit. Vbi vnitas, ibi perfectio.* Vt autem Dominus oſtenderet, hanc à charitate vnitatem proficiſci, antequam Petro oues committeret, an præ cæteris ab illo amaretur, ter inquiſiuit: non ſolùm itaque *interrogatur amor, & imperatur labor, quia vbi eſt amor, non eſt labor*, vt loquitur D. Auguſtinus: ſed vt ex amore & vnitate paſtoris, ouium etiam charitatem, & vnionem ſuaderet, certus quod ea quæ in Principe reperiuntur, nuſquam in ſubditis deſiderantur. 43.

D. Bern.

Vnitas Paſtoris vnitatem Eccleſiæ ſuadet.

Auguſt in 2. Ioan.

Neque ſolùm mutua fidelium inter ſe & cum viſibili Paſtore charitatis connexio, Eccleſiæ commendat firmitatem: etiam cum Deo, ipſa agente charitate, ſociatur. Quod planè diſertè expreſſit D. Bern. *ſerm. 59. in Cant.* dum amorem quo Chriſtus Eccleſiam proſequitur, illam ſibi tanquam ſponſam copulans, ſic expendit: *Conditor eſt, & conſortem ſe reputat: amor loquitur, qui Dominum neſcit; amicos habet, non ſeruos. Neminem ſuſpicit amor, ſed nec deſpicit quidem. In ſeipſo celſos, humileſque contemperat: nec modò pares, ſed vnum eos facit; nam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* 1. Cor. 6. 17. Quam filiorum Eccleſiæ cum Deo vnitatem D. Cyprianus admiratus *in epiſt. de vnitate Eccleſiæ*, ait *tantam eſſe, quanta eſt radiorum cum Sole, riuulorum cum fonte, ramorum cum radice.* Vt enim inter hæc, ita inter Deum & Eccleſiam nequit fieri ſeparatio. 44.

D. Bern.

Cyprian.

Meritò igitur Doctor Angelicus Eccleſiam nomine Sion interpellat, eamque ad laudandum Saluatorem inuitat: cùm propter eius inuictam firmitatem, quam à Capite, à Fide & à Charitate elicit, huius montis ſuperet ſtabilitatem. Hæc eſt illa munita ciuitas, cuius Vates Euangelicus præuidens fortitudinem, inquit Iſai. 26. 1. *In illa die cantabitur canticum illud in terra Iuda, nempe: Vrbs fortitudinis noſtra Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Fortis ſiquidem Sion myſticus mons, quia Saluator in eo poſitus, tanquam firmiſſimum eius caput, per fidem & charitatem, muri & antemuralis locum obtinet, dum illam & inuictam, & omnes aduerſarios vincentem reddit. Quod Tertull. docuit *lib. ad martyres, cap. 1.* dum ait: *Pax veſtra* (quam habet 45.

Eccleſia

Chriſtianorum pax, dæmonum eſt bellum.

Eccleſia à Chriſto) *bellum eſt diabolo*. Dicam ego, Diaboli vltimum excidium eſt. Quod dixit ille Apoſtnlorum diſcipulus, diuinus (vt ipſum D. Dyoniſius *lib. de diuinis nominibus* appellauit) Ignatius *ep.4. ad Epheſios*, dum ante medium ait: *Veſtra concordia & conſenſus fidei, exitium eſt Sathana, & ſatellitibus eius ſupplicium.* Nihil enim nobilius Charitate, quæ fidem operantem præſtat: nihil præſtantius pace Chriſtianâ, quâ & firmatur Eccleſia, & omne tam aëteorum, quàm terrenorum ſpirituum bellum frangitur, & aboletur.

Sectio II.

Nomine Sion inſignitur Eccleſia propter ſuam amplitudinem.

46. CElebris ille Mons Sion, cui D. Thomas confert Eccleſiam, intra ciuitatem ipſam Ieruſalem, quamuis prægrandis molis, tamen vndique erat præruptus & inacceſſus, niſi per portam quam habebat ex vna latere, quæ à Zach. *cap.* 14. 10. appellatur *prior porta*; & ab Ezech. cap.40. *porta populi*. Aſcendebatur autem in montem Sion per gradus 780. pedum, vt quidam volunt, hoc eſt 390. paſſuum: nec aliunde ad illum patebat ingreſſus. Sioni adiacet aliquantò depreſſior mons Moria, obliquus, in arcûs formam per Aquilonem excurrens, quò & Abraham iuſſus eſt immolare filium ſuum, & area Iebuſæi fuit, quam ab illo Dauid numeratâ pecuniâ redemit ad ædificandum Templum, quod à Salomone ſuper vtrumque montem poſtea fuit ædificatum. Igitur mons Sion ampliſſimum Regis Pacifici templum complectens, non tantùm firmitate, ſed amplitudine decoratur.

Montis Sion amplitudo.

47. Ecclesia amplior monte Sion.

Verùm materiali Sion monte amplior eſt mons Sion myſticus ac ſpiritualis, Eccleſia Chriſtiana. Hæc non intra cuiuſvis Regni limites, non intra peculiaris ſepta regionis, non intra mœnia alicuius recluditur ciuitatis: vniuerſas orbis nationes luſtrauit, & per quatuor mundi partes, Aſiam, Europam, Africam, & tandem Americam ſeſe feliciter effudit. Auguſtus Sion anguſta in Iudæa collocatus, imò & Ieroſolymitanæ ciuitatis muris circumſcriptus. Ampliſſima Eccleſia, Sion nomine deſignata, quæ licèt in Iudæa veluti concepta, ac nata; tamen Paleſtinæ terminos tranſiliens, per omnes mundi plagas ſe tranſtulit: pleroſque vel montibus vel mari diſſitos populos, licet barbaros & feroces, Chriſtianâ manſuetudine mitigatos adunauit; & ex omnibus quæ ſub cœlo ſunt nationibus vnicum populum Chriſtianum electum copulauit.

48. De ſphæræ globo, quo vtuntur Mathematici, qui cœleſtes, terrenas, ac marinas orbis Regiones exiguis expreſſas apicibus complectitur, dicebat olim Caſſiodorus: *Parua machina, ſed grauida mundo.* Etenim totius orbis compendium mihi videtur, cœleſtes quippe conſtellationes, ſyderum ſitus, zodiaci diſpoſitionem, ſignorum ordinem, ſtellarum poſitiones, orbis ſublunaris ſtatum, varias terræ portiones, regna, prouincias, ciuitates, flumina, montes, maria, promontoria, ſcopulos, inſulas, portus, aliaque in mundo notabilia continens, diſtinctè oculis aſpicientibus exhibet. At in Eccleſiam veriùs hæc verba quadrant Chriſtianam. Illa eſt *parua machina, ſed grauida mundo*. Parua eſt, imò & minima, minimo omnium ſynapis grano à Chriſto Domino comparata, ſed ex modico principio magnam excreſcens in molem. Magna eſt, imò & maximam in arborem protenſa, cuius in ramis volucres cœli habitant: magna, inquam, eſt; nam ex omnibus terræ gentibus homines ſacro tinctos Baptiſmate, adhuc in via pro patria militantes; animas in inferno ſuperiori, hoc eſt in Purgatorio macularum reliquias purificantes; ipſoſque in cœlis Beatos triumphantes, ampliſſimo ſuo ſinu complectens, totum in ſe vniuerſum veluti corporauit. An non vnius Eccleſiæ vaſtiſſimum gremium admiraris? Infernum, terrarum orbem, imò & ipſos omnia corpora ambientes cœlos circumſcribit. Nunquid ergo verum eſt, quod Eccleſia veriſſimè *parua* eſt *machina, ſed grauida mundo.*

Caſſiod.

Eccleſia vniuerſum in ſe concludit mundum.

49. Sed quid dico? Nunquid ſolum continet mundum? Nequaquam: etiam infinitum totius mundi opificem, cuius immenſa maieſtas nullo complectitur loco, Eccleſia mirabiliter includit. De illa quippe loquutus eſt Euangelicus ille Propheta, dum ait: *Exulta & lauda, habitatio Sion; quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Iſai. 12. Ipſos ergo cœlos tuâ amplitudine ſuperaſti, ampliſſima Chriſtianorum Eccleſia; tibique ea quæ intemeratæ Dei matri Mariæ, exultans concecraſti verba, meritò conueniunt, nempe: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Cur non ita? Cùm etiam ſanctiſſimam Virginem, Deum ipſum ſacratiſſimo vtero continentem complectaris: illa enim nobile Eccleſiæ extitit membrum, vel vt D. Bernardus loquitur, Chriſto Dei Filio, Eccleſiæ Capiti indiſſolubiliter vnita, *collum totius* extat *Eccleſiæ*: caput enim cum corpore iungitur per illam, veluti per collum caput inclinatur; & omnes in corporis partes tanto vehiculo cœleſtem influxum mirabiliter effundit.

Deum ipſum continet Eccleſia.

50. Quàm ergo ſpatioſa eſt Eccleſia, quæ nullis terminis clauditur, & ipſum mundi Creatorem, eiuſque Sanctiſſimam Parentem, omneſque creaturas toto terrarum orbe longè lateque diffuſas in ſe concludit. Sanè hæc parua machina, non tantùm grauida mundo, ſed etiam grauida Deo iure meritò prædicatur; Deo enim plena eſt, ipſumque & Caput, & Sponſum & Pontificem portat & veneratur. Cur non ita? Cùm etiam Paulus tantam gratiam ſingulari Corinthiorum Eccleſiæ conceſſam litteris mandauerit: *Empti eſtis*, inquit, *pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1.Cor.6.

51. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. 2. Sic olim ſub typo Salomonis ſuam alloquentis Sponſam, Eccleſiam dilectiſſimam Sponſam Chriſtus eſt alloquutus. Verùm quid expreſſit hoc modo loquendi, niſi maximam Eccleſiæ amplitudinem? Venter eius, immò illius benignitatis & charitatis viſcera, rectè dicuntur aceruus, ſed aceruus tritici. Et Sion aceruus eſt, ſic enim vox illa hebraicè ſonat. Aceruus ergo Sion, aceruus venter Eccleſiæ: ſed Sion aceruus lapidum: venter Eccleſiæ aceruus tritici plurimis innumeriſque frumenti granis coaleſcens, ideſt quamplurimis hominibus ſacro tinctis ſoore baptiſmatis, fide ac charitate vero viuoque frumento, ideſt Chriſto copulatis. Ampliſſima ergo Eccleſiæ viſcera quæ Chriſtum Deum & hominem, eiuſque fideles, veluti membra capiti coniuncta, circumſcribunt: at non ſolùm

Eccleſia aceruus tritici liliis vallatus.

Digitized by Google

lùm ampla, ſed pulchra; ſed ſpecioſa cernuntur, albentibus, totamque Salomonis gloriam ſuperantibus liliis vallata. Nam venter eius non ſolùm acervus tritici, ſed vallatus liliis deſcribitur; quæ non ſolùm Eccleſiæ filiorum multitudinem indicant (lilia quippe triticum vallantia, vberem maximamque in Palæſtina annonam exprimebant;) ſed etiam miram eius & pulchritudinem & latitudinem oſtendunt. Quibus quippe vallatur Eccleſia, ſanctorum Angelorum cuſtodiam diu noctuque vigilantium lilia non obſcurè deſignant: at fideliſſimi cuſtodes Eccleſiam non terminant, nec concludunt; vallant, ſed non circumſcribunt; circundant, ſed non capiunt; immò ab Eccleſia continentur, illius membra ſunt, quia dum viatores extiterunt, fide, ſpe, & charitate Deo vt Authori ſupernaturali vniti; nunc autem Ipſi Verbo vt præmiatori, clarâ & ſine ænigmate viſione, ardentique charitate copulantur: ita vt partes myſtici corporis Chriſti meritò nominentur; nam Chriſtus eſt Caput omnium hominum & Angelorum. Vnde & Apoſtolus *Coloſſ. 2. 11.* de illo inquit: *Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.*

Quia fideles Angelis Cuſtodibus circumdantur.

52. Verùm tota Eccleſiæ Fidelium vbertas, quæ longè lateque diffuſa cunctas replet orbis partes, à Chriſto Eccleſiæ Sponſo deriuatur. Granum frumenti, quod cadens in terram mortuum non ſolùm manet, ſed multum fructum affert, fuit Chriſtus; quia morte ſua, piiſſimoque cruore Eccleſiam generauit. Cumque infinita fuſi ſanguinis virtus ex illo, quem in Caluaria rigauit, loco ad omnes mundi extendatur regiones, plurimos vbique parit filios, qui non peculiari vel Prouinciâ, vel Regno concluſi vniuerſas orbis ambiunt portiones. Diuini, ſummique boni proprium eſt ſeſe latè diffundere, necnon vbique communicare. Semper Deus Chriſtus, ſemperque diuinæ illius actiones; quæ cùm etiam ab humanitate diuino ſuſtentata Verbi ſuppoſito eliciantur, Theandricæ, ideſt diuinæ ſimul & humanæ, à ſacris Theologis nuncupantur. Sed diuino, eoque immenſo in crucem actus amore, diuinam magis Patris ſui effigiem, viuamque eius imaginem moriendo exhibuit: nuſquam enim minùs ſolus, nuſquam magis fœcundus quàm in cruce fuit Chriſtus: pleroſque filios hominum, filios Dei generans, diuinam Patris ſui exprimebat fœcunditatem, quâ non ſolus Pater manet, ſed cum Filio, quem acerrimo præſtantiſſimæ mentis oculo concipit, gignitque, etiam Romanos morte ſuâ Eccleſiæ peperit alumnos, egregiâ illius confeſſione centurionis, qui ex aduerſo crucis ſtans, & videns quod clamans, & clamore veniam inimicis exorans, & infinitam pandens clementiam exſpiraſſet, dixit: *Verè Filius Dei erat iſte.* Tunc enim, vt notat Origenes *tom. 1. in Ioan.* diuinam Patris imaginem exhibuit. *Audendum eſt dicere*, inquit Origenes, *maiorem atque diuiniorem, & verè ad Patris imaginem factam bonitatem Chriſti extitiſſe tunc cùm ſeipſum humiliauit & abiecit, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecquidem inenarrabilem Chriſti morientis fœcunditatem, eiuſque paſſione filios Eccleſiæ multiplicatos admiratus eſt Iſaias, dum ait: *Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium.* Iſai. 53. 8. Quod in eodem capite clariùs exprimit, dum de Meſſia ſubdit: *Si poſuerit animã ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum.* ib. 10.

Sanguine Eccleſiam genuit Chriſtus.

Origen.

Chriſtus in cruce, germana Dei Patris effigies.

53. Vt autem immenſa Chriſti morientis fœcunditas elueſceret, immenſaque illius proles, ex qua formatur Eccleſia vniuerſum mundum occupatura, euidentiùs manifeſtaretur, non in angulo, non in carcere, non in domo, non in prætorio, ſed in communi, omnibuſque patenti Caluariæ loco paſſus eſt, vt & omnes vbique vagantes nationes è Chriſti viſceribus (dicamne cineribus? abſit; corpus enim illius nec incineratum, nec ſanctum eius vidit corruptionem) dicam meliùs, è vulneribus Chriſti morientis, imò & mortui Fideles in nouam creaturam transformati orirentur: quod eleganti, vt ſolet, ſtylo proſequutus eſt Romanæ Eccleſiæ os aureum D. Leo Papa *ſerm. 8. de paſſ.* dum ait: *Chriſtus non in templo, nec intra ſepta ciuitatis, ſed foris & extra caſtra crucifixus eſt, vt crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Cùm enim Chriſtus ſit propitiatio non tantùm pro peccatis Iudæorum ad templum conuenientium, ſed pro offenſis totius mundi, vt loquitur Ioan. 1. *ep. c. 2. 2.* rectè ſemetipſum in cruce obtulit Deo, vt tanto ſacrificio Deo Patri gratiſſimo omnium hominum peccata delens, omnes ad Eccleſiam vndique patentem, & in cruce foris poſitam, acceſſuque facilem aduocaret. Hìc ergo, non in priuato, ſed in publico Chriſtiana incœpit Eccleſia, quæ non intra muros captiua tenetur, ſed extra muros, ac terminos libera euagatur. Hinc liquet quanto iure apud Zachariam Angelus ille ſuperior ad Angelum inferiorem Hieroſolymam menſorio fune metiri volentem exclamarit: *Abſque muro habitabitur Ieruſalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.* Zach. 2. 4. Vbi de materiali Hieroſolyma, quæ teſte Ioſepho *lib. 6. de bello Iudaico, c. 6.* triplici muro cingebatur, non eſt ſermo; ſed de noua Eccleſia, quæ licèt habitura eſſet murum quo defenderetur, vt patet ex Apoc. 21. 12. non tamen murum, quo limitaretur; quia tanta eius capacitas & amplitudo futura erat, vt non vrbs, ſed orbis videretur. Quod notauit D. Ambroſius *ſerm. 12. in pſal.* 118. in illa verba: *Fundaſti terram, & permanet.* Vbi ait: *Verè orbis terrarum in Eccleſia, in qua non Iudæus tantummodò, aut Græcus; non Barbarus, aut Scytha; non ſeruus aut liber, ſed omnes in Chriſto vnum ſumus.*

D. Leo.

Eccleſia muris & terminis carens, vbique diffuſa.

Ambr.

54. Anguſtiſſimam igitur Synagogam Iudæorum, Palæſtinæ finibus olim incluſam, ſolamque Hebræorum gentem continentem ampliſſima, & vbique terrarum diffuſa Chriſtiana ſuperat Eccleſia, quæ Græcos & Barbaros, Hebræos & Gentiles indiſtinctè vaſtiſſimo complectitur ſinu. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci*, vt loquitur Apoſtolus *Rom.* 10. 12. Omnibus terræ gentibus annunciatum eſt Chriſtianæ Religionis ſacramentum, miſſiſque à Chriſto Domino in mundum vniuerſum, vt prædicarent omni Euangelium creaturæ ſanctis Apoſtolis, *in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal. 18. Diuinum æternæ vitæ verbum ex omnibus hominum nationibus quamplurimi vbique homines ſumma cum exultatione ſuſceperunt, frementibus idolorum Sacerdotibus, aduerſantibus ſeculi Principibus: ſed fauente cœlo, terrâ applaudente, ipſaque diuinâ gratiâ triumphante, idola contrita ſunt, fana euerſa, calcatæ ſuperſtitiones, feritas mitigata, abominandi ritus obliterati, ipſæque impiæ pias in gentes mutatæ; Chriſtianæ triumphis veritatis, & glorioſis Chriſti crucifixi trophæis æternum teſtimonium perhibent, &

Omnes nationes Chriſto aggregatæ.

exhibent monumentum. Sicque toto in orbe Chriſtus Dominus vnicus illius reſonat triumphator. Quod maximus Eccleſiæ Doctor Hieronymus teſtatus eſt *epiſtola 3. ad Heliodorum*, vbi ait : *Ante reſurrectionem Chriſti notus tantùm in Iudæa Deus. Nunc paſſionem Chriſti & reſurrectionem cunctarum gentium & voces, & litteræ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quos ſuæ crucis titulo Dominus dedicauit. Beſſorum feritas, & Pelliторum turba Populorum ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi vna vox Chriſtus eſt.* Quod etiam prænouit Iſaias *cap. 24. num. 16.* dicens : *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iuſti*; ſeu vt ex Hebræo codice interpretatur Leo à Caſtro, *gloriam Chriſti*. A remotiſſimis enim terræ finibus ipſa gloria Chriſti ore ſuæ reſonat Eccleſiæ. Quid ergo amplius de Eccleſiæ amplitudine diſſeram? An non totus orbis Eccleſia, vel in toto orbe Eccleſia congregatur? Vtrumque verum eſt : & totus orbis Eccleſia, quia totum occupat orbem; & in toto orbe Eccleſia, quia in qualibet mundi parte reperitur.

Hieron.

55. Romam olim Poëta laudaturus cecinit:

Romanæ ſpatium eſt vrbis, & orbis idem.

Alterque Caroli V. Hiſpaniarum Regis, ac Romanorum Imperatoris gloriam exaltaturus, ambas in numiſmate columnas, quibus vterque polus, arcticus & antarcticus, ſideribus expreſſi inſidebant, Aquilamque Romani Imperij ſymbolum, columnas ac vtrumque polum ſupra volitantem hoc lemmate ornauit:

Numine Cæſareo plenus vterque polus.

Typotius lib. Symbol.

Verùm potiori titulo in Eccleſiam hæc præconia conueniunt. Suo Imperio vniuerſas mundi partes Roma licèt victrix non ſubdidit; gentes quamplurimæ & armis illius reſtiterunt, & eius dominationem ſpreuerunt : neque Romanus Imperator Carolus V. in vtrumque polum ſuum extendit Imperium : nec omnibus polo arctico ſubiectis gentibus præfuit; nec multis ſub polo antarctico regionibus imperauit. Aſſentatoria, falſaque ſunt Poëtarum præconia : erga ſolam Eccleſiam Chriſtianam indubitatam continent veritatem. Spatium illius, totius orbis ſpatium eſt. Nec aliqua mundi plaga inueniri poteſt, quæ non illius ſubiaceat poteſtati. Quod eleganter D. Bern. *lib. 3. de conſid. ad Eugenium*, expreſſit dum hunc Pontificem totius Eccleſiæ Paſtorem alloquutus ſic ait : *Orbe exeundum eſt ei qui volet explorare quæ non ad tuam pertinent curam.* Non ergo totius ſe orbis Dominam antiqua glorietur Roma; nec ſuâ vtrumque polum authoritate repleuiſſe ſeſe extollat Carolus Imperator. Solus ille, qui vt loquitur Auguſtinus in pſal. 54. *Domuit orbem, non ferro, ſed ligno*, ſibi vniuerſum ſubdidit orbem, quem ſua vbique repleuit Eccleſia. Per hanc noua ac Chriſtiana Roma totius orbis euaſit Domina, quia *minus eſt* (vt cum Magno Leone *ſer. 1.* loquar) *quod illi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubiecit.* Huius Sacerdotes latiùs *præſident religione diuina, quàm Imperatores dominatione terrena.* Nam vt ait Rupertus lib. 7. in Gen. c. 18. *Terreno Imperio potentius factum eſt in gentibus cæleſte Imperium, in tantùm vt feros Principes, & barbaras nationes, quas Imperatorum gladius non attingeret, Sacerdotum lingua liget; & latiùs Romana Eccleſia Pontifices, quàm Romani Imperij dominentur Cæſares.*

Bernard.

Eccleſia maius habet Imperium quàm antiqua Roma.

D. Leo ſer. 1. in nat. Ap. Petri & Pauli.

Rupert.

Porrò tantam Eccleſiæ amplitudinem, & credentium multitudinem ita demiratus eſt D. Hieronymus, vt non ſolùm barbaras, eaſque remotas in nouiſſimis terræ angulis nationes Chriſtianas factas, ſed etiam ipſa idola fidem Chriſti vel profiteri, vel reuereri docuerit *epiſt. 7. ad Lætam*, vbi lætabundus exclamat : *Solitudinem patitur & in vrbe Gentilitas : Dij quondam nationum cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt. Vexilla militum, crucis inſignia ſunt : Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat. Iam & Ægyptius Serapis Chriſtianus factus eſt. Marnas Gazæ luget incluſus, & euerſionem templi iugiter pertremiſcit. De India, Perſide, Æthiopia monachorum quotidie turmas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt pſalterium, Scythiæ frigora feruent calore fidei, Getarum rutilus & flauus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria; & ideo forſitan contra nos æquâ pugnant acie, quia pari religione confidunt.* Hæc diſertè ſanè, & eleganter Hieronymus : vbi præclarum Chriſtianæ Fidei exponit triumphum, cùm Serapidem falſum Ægyptiorum Deum Chriſtianam Religionem profiteri; & Marnam, ſeu Iouem illam reuereri declarat. Quos enim etiam barbaros homines non ſubigeret Eccleſia, quæ etiam infidelium numina ſubigebat? Nulla igitur feros, truculentaque natio Euangelium reſpuit; nulla quæ non grato ac lubenti animo Chriſto ſubjiciatur. 56.

Hieron.

Marnas Iouem ſignificabat.

Etiam noſtris, patrumque noſtrorum temporibus dilatata eſt Eccleſia : nouaſque illas orbis partes ante Alexandri VI. Pontificatum Europæis incognitas, & agentibus vel Chriſtophoro Columbo Ianuenſi, vel Americo Veſpucio Florentino, vel Iacobo Corteſio, vel aliis tum Luſitanis, tum Hiſpanis, tum etiam Gallis feliciter inuentas feliciùs Chriſtiana Fides occupauit; ac nouiſſimè in inferiori Æthiopia vaſtiſſimarum regionum Regem Monomotapæ, Reginam coniugem, eiuſque Aulæ proceres quarto Auguſti die inclyto Patriarchæ Dominico ſacro, perennis vitæ fonte in Baptiſmate tinctos Chriſtianæ Fidei ac Catholicæ Eccleſiæ aggregarunt Fratres Prædicatores Prouinciæ Luſitaniæ, anno Domini 1652. Adhuc anno 1667. propagata & dilatata eſt Eccleſia, multique Euangelij Prædicatores zelantiſſimi, Chriſtianiſſimo Galliarum & Nauarræ Rege Ludouico XIV. à Deo dato, Ludouici XIII. & Annæ Auſtriacæ ſanctiſſimorum parentum pietatis hærede imperante, nouum in orbem directi ſunt, nouamque in Franciam vti vocant miſſi, qui plurimos in inſula Canada, Guadaloupe & aliis in locis doctrinâ Fidei eruditos, ſacro renouatos Baptiſmate quotidie Chriſtianæ Fidei & Eccleſiæ, ipſique Deo pariunt filios : ſicque etiam noſtris diebus illud de propagatione Eccleſiæ adimpletur vaticinium, quo Deus per Iſaiam homines ex quatuor mundi partibus in Eccleſiam congregandos eſſe prædixit. *Ab oriente*, inquit, *adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Auſtro, Noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Iſai. 43. 5. 6. Huc pertinere videtur id quod ſuadet Pſalmographus, dum ait pſal. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Diuini enim verbi Concionatores, fide & charitate Filij Dei appellati, 57.

Nouus orbis Euangelij luce colluſtratus.

Galli Concionatores in nouam Franciam orbis noui directi.

debent

debent ſemper nouos homines Deo comparare, & ex filiis vel hominum, vel damnatum, vel peccatorum, in arietum filios tranſmutatos ipſi diuinæ deuouere Maieſtati. Cur autem potiùs filios arietum, quàm arietes offerre iubet? niſi quia præuidebat Eccleſiam non eſſe primis Fidei parentibus circumſcribendam, ſed in longas poſterorum ſeries propagandam. Quod D. Petrus Chryſologus attigit, dum ait ſerm. 10. *Afferte filios arietum, hoc eſt filios Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, quando grex Dominicus Fidei laxatur in paſtum. Afferte Domino baptizandos; afferte quos Fides concipiat, non caro; afferte, quos Dei gratia generet, non mundana natura; afferte quos agnos præſtet innocentia, non habeat pecoris hebetudo.* Hinc fuit quod Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ Petro Apoſtolo curam committens, triplici commendatione, ſemel tantùm ſuas oues, bis tamen ſuos agnos commendauit. *Ioan.* 21. 15. nam vt iam laudatus Chryſologus *ſerm.* 6. inquit: *Commendas oues; ouium commendas germina, quia fœcunditatem gregis ſui paſtor præſcius nouerat jam futuram.*

Chryſol.

Chryſol. Serm. 6.

58. Myſterio non caret, egregium eiuſdem Petri Apoſtoli factum poſt optimi Magiſtri ac Domini reſurrectionem. Cùm enim piſcationi vnà cum cæteris Apoſtolis operam daret, ſtatim ac à condiſcipulo Ioanne didicit, Chriſtum Dominum in litore ſtare, miſit ſe in mare, & ad Dominum properauit, cæteris nauigio ad terram venientibus. *Ioan.* 21. Nam quia ſoli Petro totius regimen promiſſum eſſet Eccleſiæ à Chriſto, ſolus ille, tanquam totius mundi Pontifex, vaſtiſſimo pelago, vniuerſi orbis ſymbolo, cæteris in naui remanentibus, ſe committit. Quod non parùm Eccleſiæ amplitudinem illuſtrat, quæ ab hac Petri actione totius mundi amplitudinem adæquauit, ſicut notauit D. Bern. *lib.* 3. *de conſid. ad Eugenium*, vbi huius facti poſtulans rationem, reſpondet: *Signum eſt ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauim vnam, vt cæteri quiſque ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſeculum eſt; naues Eccleſiæ: inde eſt, quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquam vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet: ſiquidem aquæ multæ, populi multi ſunt. Ita cùm quiſque cæterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis ex omnibus facta, ipſa vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa.* Nec ſolùm D. Petrus mare ingrediens latitudinem demonſtrauit Eccleſiæ; adhuc in naui exiſtens illam manifeſtauit. Nam qui iubente Domino hamum tantùm miſerat ad piſcandum, *Matth.* 17. 27. poſt reſurrectionem, eodem præcipiente, *mittit ad dexteram nauigij rete.* Ioan. 21. 6. Quia ſicut hamus vnum, rete plurimos complectitur: ita olim Synagoga paucos, Eccleſia innumeros comprehendit, & ideo ſtatim ſubditur, *Petrum traxiſſe è mari rete plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* Ibid. 11. At cur non pluribus, non paucioribus? Quia hic numerus vniuerſitatem piſcium continens, vniuerſos homines ad Eccleſiam vocari deſignabat: quod docet Hieron. in cap. 47. Ezech. *Aiunt*, inquit, *qui de animalium ſcripſere naturis, de quibus Oppianus Cilex Poëta doctiſſimus, centum quinquaginta & tria eſſe genera piſcium; quæ omnia capta ſunt ab Apoſtolis, & nihil remanſit inceptum, dum & nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, & omne genus hominum de mari huius ſeculi extrahitur ad ſalutem.*

Bern.

Petrus ſolus mari ſe committit, quia ſolus vniuerſum per orbem effuſam Eccleſiam ſuſcepit gubernandam.

Hieron.

Denique immenſam probat Eccleſiæ amplitudinem immenſa eius ſoboles, quam ingenti fœcunditate quotidie omnibus in orbis partibus effundit. Illa, illa eſt, quæ longo ſterilis tempore, tandem diuinâ benignitate filiorum feraciſſima vbique concipit, vbique parit; natoſque vbique ſummâ charitate complectens, optimam vbique ſe comprobat genitricem. Exultat in filiis quos è tenebris ereptos luci dedit, quoſque à diaboli faucibus ereptos Chriſti corpori copulauit. At mirabilis prorſus illius fœcunditas, quæ omnem neſciens corruptionem, ſummam omninò redolet puritatem. *Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, Ioan. 1. Eccleſiæ filij: & quos fidei, charitatiſque viſceribus concipit, ſacri fonte Baptiſmatis ablutos ſermone diuino parit. Pura igitur fidelium immenſa natiuitas, quæ ex puriſſimo Eccleſiæ ore procedit. Immò puriſſima Eccleſiæ fœcunditas, quæ virgo concipit, & non ſemel virgo parit. *Sancta Eccleſia*, inquit Ambroſius lib. 1. de virginibus, *immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole: parturit itaque nos virgo, non viro plena, ſed ſpiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum.* Etiam poſt partum virgo permanet, nec quo filios nutrit, lac integritatem eius minuit, quia diuinum Verbum eſt, eiuſque cum Deo inſeparabilem probat vnionem. Quamobrem Dei ſemper ſponſa dicitur, non vxor, vt ſemper intemerata cognoſcatur. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, Dei promiſit oraculum *Oſeæ* 2. 19. quia ſemper virgo caſta Chriſto exhibetur. Quod D. Auguſtinus agnouit, dum *ſerm.* 22. *de tempore*, ait: *Semper virgo eſt, quæ ſemper ſponſa eſt; & quæ vocabulo ſponſæ non caruit, in æternum virgo permanſit.*

59. Eccleſia vbique filios effundit.

Ambr.

Auguſt.

Verùm quæ tam ſplendidâ, tam decorâ fœcunditate decoratur, nunquid anguſta ac coarctata remanebit? Nequaquam. Multi filij multa per loca diſperſi, & indiſſolubili Fidei vinculo colligati, non anguſtum, non arctum, ſed vaſtiſſimum totius orbis ſpatium occupabunt. Vnde rectè nomine Sion inſignitur, quia in maiorem excreuit molem, & ad illam celeriùs ac faciliùs properant nationes: ad illam namque ita citò properant, vt ad illam omnes gentes non tantùm venire, non ambulare, non currere, ſed fluere prædicentur ab Euangelico Propheta, qui de ea ſic ait, Iſai. 2. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Fluent vtique, quia calore Fidei ſuccenſi, æſtuque charitatis homines liquefacti, renati fonte Baptiſmatis, ad Eccleſiam ſumma cum facilitate, ac manſuetudine veluti dimanant. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini*, inquit Pſalmographus *pſal.* 96. 15. Quia quos gentilitatis error indurauerat, Euangelicæ prædicationis feruor emolliuit. Quæ enim, etiam aſperrima rupes, tanto calore non ſolueretur? Quæ ingens montis moles diuini ſermonis imbre non flueret? Nulla gens adeo fera eſt, vt Apoſtolici pectoris viris reſiſtere vel poſſet, vel auderet. Nubibus irrigantibus terra fluit & mouetur: & ſacris nouæ Legis Prædicatoribus cœleſtis

60.

Cur gentes ad Eccleſiam fluere dicantur.

doctrinæ rorem infundentibus terreni homines tranſmutantur, & in viros ſpirituales conuertuntur. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columba ad feneſtras ſuas?* dixit Iſaias de Christianæ Fidei ſatoribus, *Iſai.* 60. 8. ſeu vt vertunt Septuaginta, & *quaſi columba cum pullis ſuis.*

61\. *Summa verbi Dei Prædicatorum fœcunditas.*

At quorſum nubibus ac columbis Apoſtolici viri comparantur? Planè, ſicut Hugo Cardinalis annotauit, vt ſumma eorum in filiis Eccleſiæ producendis fœcunditas innuatur: vt enim inter cætera meteora, nubes; & inter cætera volatilia columbæ fœcundiſſimæ ſunt: ita verbis ſuis innumeros Dei filios ſacri lucrantur Concionatores. Sed non alieno titulo decorantur diuini verbi miniſtri, dum columbæ nominantur. Ipſa, ipſa Eccleſia, cuius zelo, charitate, fide, ac manſuetudine ornati diuino operi incumbunt, columba eſt; huiuſque nomen auis propria illius eſt nomenclatura. Sic enim à Deo interpellatur: *Surge, propera amica mea, columba mea.* Cant. 2. 10. Vt enim toto anni curriculo concipit & parit, incubat & ſuos columba pullos educat: ita innumeros quotidie ſancta Eccleſia concipit, parit, ac nutrit alumnos. Quàm ergo immenſa Eccleſiæ proles, quæ ſine intermiſſione generatur! Quàm amplus Eccleſiæ ſinus, qui nouos vbique quotidie filios amplectitur! Sanè vaſtiſſima ſpatia amplitudine ſuâ ſuperat Eccleſia, omneſque familiarum multitudines immenſa filiorum ſuorum numeroſitate vincit. Quod olim demiratus D. Ambroſius *lib. de Virginibus*, ait: *Quæ nupta plures liberos habet, quam ſancta Eccleſia? quæ virgo eſt ſacramentis, mater eſt populis.*

Eccleſia columba meritò dicitur.

Ambr.

Sectio III.

Eccleſia meritò Sion nuncupatur propter ſuam altitudinem.

62\. *Suâ dignitate excelſa eſt Eccleſia. Pſal. 47.*

DVm altam dico Eccleſiam, ipſoque monte Sion altiorem, non de ſitus ſublimitate, ſed de ſtatus illius excellentia, ac maieſtate intelligo. Sanè excelſa eſt, quæ vniuerſæ terræ exultatione fundata ciuitas Regis magni, montis Sion nomen eſt adepta. Ideo enim Dominus in antiqua lege ſemper fermè in montibus habitauit; vnde à ſeruis Regis Syriæ Iſraëlitarum Deus, *Deus montium* eſt appellatus, 3. *Reg.* 20. *n.* 23. quia in nouo fœdere Eccleſiam Filij ſui ſanguine comparatam, non habentem maculam aut rugam, cæteros hominum cœtus doctrinæ, vitæ & morum dignitate facilè ſuperantem debebat incolere. Sed quid dico? Non ſolùm incolere, ſed ipſi immobiliter adhærere voluit; Chriſtianis quippe potius quàm Iudæis conglutinatus eſt Dominus: qui veriſſimo dilecti filij ſui ore ſanctæ promiſit Eccleſiæ, ab ea nunquam ſe diſceſſurum. *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Matth. vlt. verſ. vlt. Nunquid ergo alta tibi videtur Eccleſia, quæ altiſſimo, excellentiſſimoque omnium enti, Deo optimo maximo adeo firmiter eſt coniuncta?

63\. Illorum petulantiam virorum, qui terræ impiè dominari, vel cœlorum imperium euertere, vel in ipſum Deum irruere cogitabant, iuſtè cohibuit Dominus, dum ſummæ altitudinis, quam communiter excitabant, turris ædificationi obſtitit: repentè ſiquidem vna, quâ tum vtebantur omnes, lingua in duas & ſeptuaginta, quot erant familiæ, diuinitus diſpertita eſt; ſublatoque ſermonis commercio, ſuperbis mortalium conatibus eluſis, incœptum opus abiectum eſt. Vana ex hoc, & inanis fuit ambitioſa illa vox: *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum*, Gen. 11. 4. Nam *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, vt loquitur Pſalmiſta *pſal.* 113. 25.

64\. Verumtamen quod improbis hominibus diuina ſapientia non conceſſit, hoc Chriſtianis populis eſt elargita. Amplam munitiſſimamque incolunt ciuitatem, quæ licet firmiſſimis in terra gaudeat fundamentis, in tantam altitudinem porrigitur, vt non ſolùm illius culmen cœli attingat limina, ſed ipſa tota etiam intra cœlum eleuata ſupernas occupat ſedes. Eccleſia hæc ciuitas eſt, quæ in terreſtri plaga, veluti extorris & peregrina, ad cœleſtem patriam totis viribus anhelans, cœlos deſiderio & affectu poſſidet, quos immenſo vehementique amore concupiſcit. At ſublimis Chriſtianorum ciuitas ſublimiori arce roboratur: turrim habet altiſſimam, cuius culmen ad cœlum pertingit, ſacram dico Scripturam è cœlis oriundam, ore Dei per Prophetas, & per Filium Eccleſiæ in terris militanti promulgatam, & ſtatim ad cœlos vnde exiuit remeantem. Illa, illa eſt quæ improborum hominum turrim longè ſuperat: hæc enim quam inſipientes ædificare, & ad cœlum vſque educere conabantur, non aliis telorum ictibus corruit, quàm ædificantium verbis inter ſe malè concordibus: dum enim eorum linguæ confunduntur, irrita ſtudia diſſipantur. At turris Eccleſiæ fortiſſima, Scriptura ſacra, nullis telis, vel hoſtibus ſuccumbit, quia ſolis verbis è cœlo lapſis ſibi inuicem concinentibus ſe ſuoſque tuetur; vnde Rupertus *lib. 3. de victoria Verbi*, *c.* 3. vtramque turrim inter ſe componens: *Sancta*, inquit, *Scriptura, turris vera, & verè pertingens vſque ad altitudinem cœli, conſtruenda erat, Sacramenta continens iamdictæ promiſſionis, ſcilicet Incarnationis Verbi.* Conſilio igitur Dei quo turris ad cœlum pertingens diſſipata eſt, Eccleſia ſua in terris firmata, etiam vſque ad ſidera ſubleuata eſt; illoque diſponente factum, vt ſacra Scriptura in ea arx alta maneret, vnde non ſolùm contra infenſiſſimos hoſtes collimarentur iacula, ſed etiam ad ipſos cœlos adhuc in terris Fideles conuerſantes eueherentur.

Cœlum iam tenet Eccleſia.

Scriptura ſacra veluti turris altiſſima cœlos attingit.

Rupert.

65\. Sanè ſurſum tendere, & à terra in cœlum eleuari, Eccleſiæ proprium eſt, nec immeritò *ciuitas ſupra montem poſita*, Matth. 5. 14. appellatur: ſed vt ſummam Capitis ſui eleuationem, omniumque Fidelium ad illud aſcenſiones exteræ etiam admirentur nationes: *Quæ ſurſum ſunt quærimus, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapimus, non quæ ſuper terram.* Col. 3. 1. Ea quippe quærimus, per quæ vitæ noſtræ perfectio obtinetur; & ea ſapimus, in quibus viuimus. Cùm ergo vita, quâ ſacro in Baptiſmate donati ſumus, à Chriſto perficiatur, & in illo ſolo conſeruetur, vt loquitur Apoſtolus, *vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Col. 3. 3. non mirum ſi terram reſpuentes cœlis adhæreamus; cunctaque mundana contemnentes cœleſtia cogitemus, menteſque noſtras ad ſolium

vſque

Digitized by Google

vſque Diuinitatis erigamus. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, proprio Veritas ore pronunciauit, Math. 6. 21. Omnis Eccleſiæ theſaurus, omneſque diuitiæ in Chriſto Domino continentur, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*, *opeſque ſuperbæ*. Ipſe autem Chriſtus *ſedet ad dexteram Dei maieſtatis in excelſis*. Quid ergo ſequitur? niſi quod omnium Fidelium corda ipſi Salvatori Dei throno aſſidenti fixa ſunt, vbi vera gaudia, immenſæque facultates reperiuntur.

66. Quæ ſola in penetralibus, quàm nemo virorum videbat, immaculata virgo morabatur, dum diuinum ore Angeli didicit conſilium, ſeque in matrem Dei electam agnouit, ipſumque Dei Verbum ſuo in vtero carne indutum ſuſcepit; repentè *exurgens abiit in montana*, vt dicitur Luc. 1. 39. *Quo enim*, vt inquit D. Ambr. lib. 2. in Luc. *iam Deo plena*, *niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet*? Nuſquam ſine Deo Eccleſia: ipſo ſemper repletur; ipſo ſemper gravida, ab ipſo ad altiſſima vrgetur, per ipſum ad ſuperiora contendit, & cum ipſo in cœleſtibus commoratur. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*, inquit Apoſtolus. *Philip.* 3. 20. vt vbi Caput ſuum in ſua maieſtate fide videt Eccleſia, charitate diligit, & ſpe amplexatur, ibi perpetuò converſetur.

Ambr.

Ad cœlum ſemper tendit Eccleſia.

67. De Stella, quæ à Deo in firmamento poſita, etiam vſque ad terram ſua lumina fundit, ingenioſè dixit quidam: *Cœlo hæret, & terris lucet*. Veriùs de Chriſtiana hæc comprobantur Eccleſia. Illa eſt quæ cœlo, immò & cœlorum Conditori immobiliter adhærens, quibus fulget lumina in terris fundit. Lucet in templis ſacrorum Antiſtitum maieſtate, Virorum Apoſtolicorum doctrinâ, Martyrum inuicto robore, Sacerdotum zelo, Religioſorum hominum ſanctitate, puritate virginum, coniugatorum modeſtiâ, pœnitentium humilitate, omniumque Fidelium ſanctimoniâ: ſed è cœlis omnia hæc coruſcant lumina, nec poſſet in terris tantis fulgoribus emicare, niſi in cœlis infinito omnium luminum fonti immobiliter adhæreret. Eccleſia igitur eſt, quæ cœlo hæret, & terris lucet.

Cœlo hæret & terris lucet.

68. Quàm ergo alta eſt Eccleſia, quæ omnia altiſſima loca ſuperans, etiam ipſos attingit cœlos! Quàm excelſa quæ ſupra cœlos ad ipſum Diuinæ Maieſtatis thronum accedit; immò & ad ipſum ſuper ſolium excelſum ſedentem Deum eleuatur! Quid igitur de illius immenſa dicam altitudine? Verba deficiunt, nec infimo ſtylo humilique ſermone eminentiſſimam hanc poſſum exprimere ſublimitatem. Dicam nihilominus Eccleſiam Dei filiam, ſimul & ſponſam, Sanctos omnes homines, immò & Angelos ſuperare; quod ſanè nemo ambiget, cùm & Angelos, & ſanctos homines complectatur, ac omnium juſtorum in cœlis regnantium alma mater illos ſuo in gremio comprehendat.

69. Sedere in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; aſcendere ſuper altitudinem nubium, ſimilis eſſe Altiſſimo ſuperbus ille voluit Angelus, *Iſai.* 14. 15. qui beneficiorum ſuâ in creatione à Deo receptorum immemor, ingratus ea amiſit; & vt loquitur D. Bernardus ſer. 74. in Cant. *Perdidit gratiam cùm fecit ſuam, & non retulit gratiam pro gratia*. Cui etiam idem Bernard. inſipientiam imptoperat de inſana illa cogitatione, quâ ſedere voluit in throno Dei, dum ait: *Itane modò creatus Patri ſpirituum conſidebis?* Et ſtatim: *Siccine vbi ſtant omnes, vniuerſi miniſtrant, tu pacis inimice ſedebis?* Bernard. *ſerm. 2. in octau. Paſcha.* Illic, inquam, ſuperbus Angelus in profundum detruſus ad inferos cecidit, æternum diuinæ vltionis monumentum. Plura ex his quæ inſanus cupiuit ſuæ gloriæ oſtentator, humilis obtinet Eccleſia. Omnis gloria huius filiæ Regis ab intus eſt, quia omnem gloriam à Deo, quem in corde geſtat, recipit: dum enim ſui oblita omnes ingenij ſui vires amantiſſimi Sponſi in cognitione & amore occupat, nouis ab illo cumulata donis, illo euehente ad ſuprema conſurgit. Sedet in monte Teſtamenti, quia ſuper vnigenitum Dei Filium ſtabilita; in lateribus Aquilonis, quia in ſuperiori omnium loco, Aquilone altiſſima cœli parte deſignata; aſcendit ſuper altitudinem nubium, quia ſupra omnes exaltatur creaturas, ipſique Altiſſimo ſimilis eſſe perhibetur, dum ſplendidiſſima illius imagine viuoque charactere Verbo æterno humana carne induto, & tanquam ſponſo, & tanquam capite decoratur. Nonne ergo quæ ambitioſus Lucifer concupiuit, & nuſquam eſt adeptus, humilis obtinet Eccleſia? quæ de deſerto aſcendit deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum, ut conceſſarum ſibi abundantiâ deliciarum leuior effecta, velociùs in Chriſtum dextræ Patris aſſidentem feratur, à quo tantis donis ac favoribus trahitur.

Bern.

Quæ inaniter cupiuit Lucifer, hæc obtinet Eccleſia.

Cant. 8. v 5.

De ſolio, quod iniuſtè vſurpabit, exturbabitur filius ille perditionis, qui vt loquitur Apoſtolus 2. *Theſſal.* 2. 41. aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus: at ad ſolium eleuabitur Eccleſia filia dilectionis, quæ dilecto ſuo innixa, extollitur ſupra omne quod non dicitur Deus. Exturbatum Antichriſtum interficiet Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui: exaltatam Eccleſiam reficiet idem Dominus oſculo oris ſui. Iſtum deſtruet illuſtratione aduentus ſui: hanc confirmabit, & ad amplexus ſuſcipiens, omnibus bonorum ſuorum theſauris ditabit, exornabitque. 70.

Ibid.

Etiam dum in terris verſatur corpore, animo Eccleſia cœli faſtigia tenet: etiam Sponſo ſuo vnitur, ſed amore, ſed charitate, quæ foras mittens timorem; mirabili illam replet audaciâ. Suæ enim immemor infirmitatis, & ſolius dilectiſſimi ſponſi dignitatis ac bonitatis cupida, in hæc verbo prorumpit, Cant. 1. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Tantam quis non mirabitur audaciam? Summa eſt confidentia tua, electa Chriſti ſponſa; ſummum deſiderium, ſummaque petitio. An non ſatis tibi eſt dilecto tuo innixæ, cum eo ſurſum aſcendere? An non ſatis tibi cum eo ſupra cœlos habitare? Cur adhuc maiora quæris? Nonne illius præſentia, quæ Angelos beat, & homines, etiam te beatam præſtat? Quid ergo poſtulas? Quid requiris? Oſculum vis? Oſculum cupis? Sed quid habebis ab oſculo, quod ab eius præſentia non recipias? Omnia in vno habes, dum dilectum habes. Sed audi amantis Chriſtum Eccleſiæ reſponſum mellifluo ore Bernardi, qui eam *ſerm. 9. in Cant.* ſic fantem adducit; *Accepi fateor meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis. Deſiderio feror, non ratione. Ne, quæſo, cauſemini præſumptionem, vbi affectio vrget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro quod honor regis iudicium diligit; ſed præceps amor nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec rationi ſubjicitur. Rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui.* Hæc in exceſſu mentis loquitur Eccleſia, quæ diuini amoris iaculo ſauciata, ad eum quem 71.

Mira Eccleſiæ audacia.

Bern.

 perfectè

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMA.

perfectè diligit, vehementiùs quotidie tendens, reliquit infima, & petit ſuperna, ac extra ſe amoris impetu facta, ea poſtulat, quæ iam habet.

72. *Diuinus amor ecſtaſin facit*, inquit Dionyſius. In

Extra ſe amore fertur Eccleſia.

ecſtaſin rapta, & ad ipſum Deum amore eleuata eſt Eccleſia: & ideo illius, quem tenet, nec dimittet, oſculum enixè cupiens, enixè rogat. At nihil hic inſolitum, nihil nouum: extra ſe fiunt cuncti amantes, eorumque animus proprio relicto corpore ad dilectionis obiectum transfertur, ibique ea poſtulat, quæ licèt habeat, tamen ſe habere ignorat. Ille totius caſtiſſimæ dilectionis author & origo, dum ſuo in corde recipit amorem, extra ſe ſuum emittit animum, ſeſeque totum obiecto tradit amato. Quod eleganter

Dion.

Dionyſius Areopagita expreſſit lib. de diuin. nomin. cap. 4. *Audemus*, inquit, *illud pro veritate dicere, quod ipſe omnium cauſa propter amatoria ſua bonitatis excellentiam extra ſe factus ſit.* Verùm Eccleſiam ferventiori dilectione proſequutus, diuinum in ea amoris excitauit incendium: & ſicut ſe totum amando donauit Eccleſia; ita hæc redamando, tota in Deum effuſa, extra ſe omninò facta ſupra ſe erecta eſt, nouaſque non ſolùm aſcenſiones, ſed ad Deum acceſſiones meditans extra ſe cogitat quod intus abſcondit, eaque poſtulat quæ iam tenet.

73. Verùm Sponſi amantis, & ab Eccleſia amati viget affectio, illiuſque immenſus excitat ardor vt ipſa ſurſum vergat, corporea ſuperet, immò & cœleſtia tranſcendat, nec vſquam in via ſiſtens, ſemper ad vlteriora, ad ſuperiora tranſgrediatur: quam ad nouos progreſſus excitans, non ſolùm mouet intus, ſed etiam foris aduocat. Illamque iam in montibus eleuatam ad eminentiora inuitat: *Veni de Libano ſponſa mea*, inquit Cant. 4. 8. *veni de Libano, veni coronaberis.* Vbi Chri-

Ad altiora ſemper tendit.

Greg. Nyſ.

ſtus Dominus Eccleſiam ſponſæ nomine ſæpiùs euocat, vt nunquam deſinat venire, ſed ſemper ad ſublimiora enitatur. Nam vt inquit D. Greg. Nyſſenus, *nunquam aſcendenti deeſt exhortatio, quâ ſemper ad maiora pertrahatur.* Igitur ſic euocata aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit Eccleſia, totaque in altum alis charitatis elata, non ambulat, non incedit, ſed currit, ſed volat, & ad ipſum Deitatis thronum accedit. Nec mirum; *ad Deum enim aſcendit zelando, qui aſcendit amando*, vt loquitur D. Auguſtinus *præf. in pſal.* 121.

74. Altiſſimam igitur Eccleſiam quis non videt? Mons Domini eſt, in vertice montium collocata, ac ſuper omnes colles eleuata. Nec rationem huic veritati comprobandæ negabit Philoſophia: ſi enim in naturalibus ea quæ ſitu à centro terræ, omnium elementorum grauiſſimæ, ſemperque

Alta & infima quæ ſint.

deorſum tendentis, maximè recedunt, & ad ipſos cœlos accedunt, alta eleuataque cenſentur; quæ verò à cœlis magnoperè diſtant, & ad ipſum terræ grauitatis centrum appropinquant, infima & profunda dicuntur: Eccleſia ab infimo, grauiſſimoque terræ centro, immò ab ipſa terra non parum elongata, ipſis cœlis, immò & cœlorum Creatori vicina, non infima, non profunda, ſed altiſſima, ſed eminentiſſima ab omnibus comprobatur. At quomodo à terra diſtat Eccleſia, quæ in terra commoratur? Quia *in carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus*, vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 10. 3.

75. Terram habitat (fateor) Eccleſia; ſed vt terram pedibus premat, illaque calcatâ ad ſuperna exurgens, ad cœleſtia rapitur. In terra eſt, non terrena, ſed à terra omninò ſegregata: & ſicut rationalis in corpore anima ſemper ſpiritualis, & nuſquam carnea exiſtit, aut nominatur: ita Eccleſia in terris militans, nuſquam terrena dicitur aut iudicatur. Quorſum ita? Quia omnes illi qui fide Eccleſiæ filii recenſentur, nec terreni, nec carnei, ſed cœleſtes & ſpirituales iure merito nuncupantur. *Vos autem*, inquit Apoſtolus Fideles alloquens, *non eſtis in carne, ſed in ſpiritu; ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Rom. 8. 9. Cùm ergo nec ſpiritus Dei ab Eccleſia Dei vſquam recedat, immò ipſam ſemper foueat, conſeruet, ac protegat; Eccleſia non terrena, ſed ſpiritualis appellatur. At non ſolùm ſpiritualis extat, ipſamet eſt Spiritus. Quod etiam docuit Paulus Apoſtolus, dum ait 1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* Vbi D. Thomas *lect.* 5. ait, qui *D. Thom.*

adhæret, ſcilicet per Fidem, eſt vnus ſpiritus cum illo, quia ſcilicet vnitur ei in vnitate ſpirituali, non corporali: & hanc vnitatem precabatur ipſe Filius Dei in carne, dum dicebat: *Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Vnde & ſpiritus, & vnus Spiritus cum Deo eſt Eccleſia. Si autem ſecundùm Philoſophos vnum dicitur indiſtinctum in ſe, & diſtinctum à quolibet alio, Eccleſia cum Deo vna, à Deo eſt indiſtincta; & à terra, à corpore, & ab omnibus quæ cœleſtem animum ad inferna deprimunt, diſtincta videtur: ſi autem diſtincta, ergo & ſegregata: ergo & alta, immò & altiſſima, quia cœlis vicina, Deo propinqua, imò Deo vnita, & cum eo vnus ſpiritus effecta.

Spiritus eſt Eccleſia. *Ioan.* 17. 20. 21.

Cæterùm ſemper ſurgit Eccleſiæ altitudo, nec ſolùm omnium rerum verticem occupat, quia 76.

terram deſerens cœlos petit; verùm etiam quia & in ipſis cœlis immobilia eius fundamenta collocantur. Chriſto Domino firmiſſimo, ſummoque illius fundamento alia duodecim ab ipſo firmitatem trahentia fundamenta ſuperpoſita dilectus docuit Chriſti diſcipulus, dum ait Apoc. 21. *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum.* Cœlos autem fulgentiſſimos, ſanctos eſſe Apoſtolos ſacræ cùm inſinuent paginæ, immenſam gloriam Dei vbique reſonantes, vt loquitur Pſalmographus, *Cœli enarrant gloriam Dei*; pſal. 18. 1. vnde D. Am- *Ambr.*

In cœlo fundata Eccleſia altiſſima eſt.

broſ. ſerm. 12. in pſal. 118. *Sunt etiam*, inquit, *in terris cœli, qui enarrant gloriam Dei*: in cœlis, & ſupra cœlos Eccleſiam ædificatam quis negabit? *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pſal. 32. 6. Quod exponens D. Gregorius *hom.* 20. *in Euang.* de ſanctis Apoſtolis Eccleſiæ fundamentis ait: *Verbum Domini Filius eſt Patris; ſed eoſdem cœlos, videlicet ſanctos Apoſtolos, vt tota ſimul ſancta Trinitas oſtendatur operata, repentè de ſancti Spiritus diuinitate adiungitur: Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Cœlorum ergo virtus de ſpiritu ſumpta eſt, quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent, niſi eos ſancti Spiritus fortitudo ſolidaſſet.* Sancti igitur Apoſtoli cœli ſunt, & Domini verbo firmiſſimi, & eius ſpiritu ſolidiſſimi, & à tota celſiſſima ſanctiſſimaque Trinitate altiſſimi; cœlos qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt, ſuperantes, quia viui, quia ſancti, & quia intellectuales: de illis enim ſunt pſalmi 135. 5. verba, *Qui fecit cœlos in intellectu.* D. Bern. exponit *ſerm.* 27. *in Cant.* mundi huius Principum poteſtates fran-

Apoſtoli ſunt cœli rationales.

gentes

Digitized by Google

gentes, ipſamque Eccleſiam portantes, quam ſupra omnem altitudinem ipſi, rebus omnibus poſt Deum, ſanctiſſimamque eius Parentem in orbe Chriſtiano altiores, efferunt & extollunt.

77. Verùm non ſolùm Eccleſiam portant cœli, eamque ſurſum ſemper eleuant: illa ſeipſâ ſuperior quotidie euadit, cœloſque non ſolùm complectitur, ſed producit, ſed extollit. Sponſi ſui fœcunditatis particeps, & ſanctiſſimorum Apoſtolorum parentum ſuorum, ac fundatorum virtutem imitata, cœlos concipit, cœlos parit, cœloſque ad ipſum cœlorum cœlum, nempe Deum, extollit. Ipſi à Deo Euangelici Vatis ore dictum eſt: *In vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos.* Iſai. 51. 16. Quæ verba licèt primitus à Patre Filio ſuo carne induto dicta cenſeantur, vt eligat Apoſtolos, vt Gloſſa interlinearis aduertit; poſſunt tamen Eccleſiæ, quæ vt Chriſti Sponſa perdilecta illi maximè vnitur, conuenire. Vmbrâ igitur manus Dei Eccleſia roborata in tantam euaſit fœcunditatem, vt cœlos pariat, ideſt viros Apoſtolico ſpiritu plenos vbique terrarum effundat. Cùm enim iuxta D. Gregorium citatum, *ornamenta cœlorum ſint virtutes prædicantium*; ipſi Apoſtolici Verbi Diuini Prædicatores, quos Eccleſia parit, cœli dicendi ſunt: ipſaque cœlos plantare meritò prædicatur. Quod ſanè eleganter attigit D. Bernardus *ſerm.* 27. *in Cant.* dum de Eccleſia loquens ait: *Habet cœlos ſuos, homines ſpirituales, vitâ & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos: & hi pluentes pluuiam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis.* Alta ergo ac ſublimis ab omnibus agnoſcatur Eccleſia, quæ ſuâ altitudine etiam ipſos cœlos exaltat. Planè ita eſt, cùm etiam ex iis quos cœlos edidit, montes efformet.

Cœlos producit, extollitque Eccleſia.

D. Greg.

D. Bern.

78. Quamplurimis cœleſtibus ſideribus, immò & cœlis ornabatur celebre illud Sanctorum Seminarium, Monaſterium Lerinenſe: à terræ continenti videbatur diſcretum, vt Empyreum quoddam à terra ſegregatum: omni ſanctimoniâ ac doctrinâ plenis Apoſtolicis viris totum per Occidentem, immò & vſque ad Orientem coruſcabat; Honoratis, Vincentiis, Capraſiis, Eucheriis, Lupis, Maximis, Cæſariis, aliiſque ſexcentis cœleſtibus viris egregia hæc Eccleſiæ pars effulgebat: omnes illos ad cœlos miſit; ſed quoſdam tantùm cœlos, alios verò vt cœlorum montes deſtinauit; ſicque & ipſis nouam ſublimitatem cœlis Lerinenſis Monaſterij operâ Eccleſia tribuit: quod feſtiuo elegantique ſtylo expreſſit eloquentiſſimus D. Sidonius Appollinaris, Aruernorum decus, dum in carmine Euchariſtico ad Fauſtum, ex Monacho Lerinenſi Rhegienſem Epiſcopum, de Lerinenſi inſula loquens ait:

Lirinenſe Monaſteriū, altiſſima Eccleſiæ portio, montes in cœlum miſit.

Sidon. Apollin. car. 16.

——Quantos illa inſula plana
Miſerit ad cœlum montes? quæ ſancta Capraſij
Vita ſenis, iuueniſque Lupi? quæ gratia patrem
Manſit Honoratum, &c.

Quod etiam ſoluto ſermone attigit D. Cæſarius, ex Monacho Lerinenſi Arelatenſis Metropolis Epiſcopus, dum *hom.* 20. ſic fatur: *Beata & felix inſula Lerinenſis, quæ cùm paruula, & plana eſſe videatur, innumerabiles tamen montes ad cœlum miſiſſe cognoſcitur.* Huc reſpexiſſe videtur ille miræ patientiæ vir, dum ait: *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt.* Iob 9. 5. Sancti enim quos diuina prouidentia cœleſtes in Eccleſia montes ad æternam tranſtulit Patriam, minimè cognouerunt; nec locum mutantes, amorem, ſanctitudinem aut pietatem commutauerunt: ea in cœlis poſſident, quæ in terra poſſidebant; illi reuelatâ facie coniunguntur, cui per Fidem copulabantur: montiumque germanam ſic tranſlati ſuſcipiunt rationem, quia immobilem in gratia, ac gloria retinent firmitatem. Neſcierunt igitur, quia & tranſlati, etiam in cœlis ab altitudine non defecerunt, immò & in ipſis cœlorum verticibus montes extiterunt.

Cæſar.

Qua ergo ſublimitate ſublimior non erit Eccleſia? Quam altitudinem non ſuperabit? Quem montem, vel ipſum Sion etiam non excedet? Eminentiſſimorum omnium eminentiſſima ipſa eſt, quæ Deum ſupremum omnium entium Caput reueretur, & Sponſum dilectiſſimum habet; quæ cibum etiam altiſſimum, ipſumque panem viuum de cœlo deſcendentem altiſſimi manu Chriſti ſuſcipit; quæ Sacramenta excelſa, & ad ipſum cœlum euehentia poſſidet; quæ fide ſupra cœlos ambulat, quæ ſpe Deum tenet, quæ charitate ſummè infinito, eoque altiſſimo bono indiſſolubiliter vnitur, & quæ finem omnium laborum ſuorum habet vitam æternam, in ſola ſolius Dei æterna fruitione, cognitione, ac comprehenſione adæquatè collocatam. 79.

Omnem altitudinem ſuperat Eccleſia.

ELVCIDATIO II.

Chriſtus Dominus maximè in Euchariſtia Saluator dicitur.

AVguſtiſſimum Ieſu nomen Chriſto Domino, iubente Deo, & Angelo pronuntiante, meritò impoſitum eſt: ipſe enim *ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. Vbique igitur Chriſtus nomine Ieſu illuſtratur, quia vbique Saluator eſt: nihilominus adorando in Euchariſtiæ Sacramento, vbi omnes bonitatis & amoris diuitias effudit, vt ſacrum loquitur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. potiori iure Saluator videtur; & ideo D. Thomas Eccleſiam ad illius laudes cum iubilo celebrandas inuitans, ipſum ei primò exhibet Saluatorem, vt ex ſummo ſalutis beneficio, tanto nobis Sacramento conceſſo, ora noſtra ad illius encomia proſequenda laxemus. Saluator ergo in Euchariſtia Chriſtus, quia tria quæ hominum ad perditionem concurrunt, hoc myſterio ſubigit, calcat, deſtruit. Dæmon hominem ad peccandum ſuâ aſtutiâ ac inuidiâ impulit: peccatum ipſum ab homine à dæmone victo conſummatum ipſum morti addixit æternæ. Hæc omnia à Chriſto Domino in Euchariſtia hominum Saluatore non tantùm remouentur, ſed conteruntur, deſtruuntur, quippe mirabili Euchariſtiæ Sacramento dæmones ſuperantur, peccata remittuntur, ipſaque mors deſtruitur, & conſequenter per Euchariſtiam homines ſaluantur. 80.

Chriſtus dicitur Ieſus, quia eſt Saluator.

In Euchariſtia Saluator apparet.

Sectio Prima.

Chriſtus in Euchariſtia Saluator eſt hominum, quia hoc Sacramento dæmones ſuperantur.

HOminem Sacræ conſilio Triados efformatum, in paradiſi deliciis conſtitutum, originali iuſtitiâ præditum, ſummaque libertate 81.

donatum

donatum, tantis donis vetiti comeſtione edulij cacodæmonis incitamento exutum, omnemque cum parente perditam prolem reparans Saluator, operis ſui deſtructorem, hominiſque debellatorem dæmonem ipſum mirabiliter debellauit: artem arti oppoſuit; cibum cibo comparauit, & eum qui per cibum ementitæ diuinitatis collatorem mortem homini contulit, panis viuifici munere, quo homini & vita tribuitur, & ipſa Deitas communicatur, ſtrenuè ſuperauit.

Cibo vetito homini mors collata: & per Eucharistiā ei vita conceſſa.

82. In ſumma hominem inuidiâ è cœlo lapſus Angelus proſequebatur, dum non minori malitiâ, quàm aſtutiâ Deum de ligni ſcientiæ boni & mali fructûs prohibitione culpans, impudenti aſſeruit mendacio, hominem diuinitatem aſſequuturum, & mortis iugum nequaquam ſubiturum, ſi ſpreto mandato fructum vetitum manducaret. Credidit imprudens verbis mendacij; fructum comedit, & mortem incurrit: itaque victus eſt à dæmone qui de hac victoria triumphabat. Verùm iniuſtus victor iuſtâ eſt victoriâ ſuperatus: mendacium eius propalatum eſt ſupplicij veritate, quo inobediens homo punitus eſt; vtque torqueretur ille, qui noxia tormenti occaſio fuit, ipſe Dei Vnigenitus humanâ carne indutus morienti, ne dicam mortuo homini vitam admirabili, cœleſtique cibo reſtituens, nouo dæmonem pœnæ genere cruciauit. Ecquidem tantus homini conceſſus fauor, vt ipſa Dei carne veſcens etiam in Deum tranſmutaretur, horrendam contra hominem in malo angelo inuidiam excitauit: nam ſi hominem Dei amicitiâ locupletem omniumque virtutum fœdere exornatum inuidus ſpiritus in Paradiſo ferre non valuit, numquid menſæ cœleſtis participem, ipſiuſque quodammodo diuinitatis conſortem ſuſtinebit? Minimè gentium. Bonum hominis, illius eſt malum; & qui hominem cibus præſtat liberum, idem dæmonem efficit captiuum. Quod acutè ſanè expreſſit Tertullianus *lib. 2. cont. Marcion.* dum immenſum hoc corporis Chriſti hominibus conceſſum beneficium perpendens, ait: *O Deum non naturà, ſed æmulatione beneficum.* Non enim ſolâ naturâ ſuâ, quæ, vtpote ſummum bonum, ſeſe libentiſſimè beneficiis effundit, hominibus duntaxat ſe exhibet beneficum, ſed etiam quadam veluti æmulatione compellitur, vt ſe, bonaque ſua largiatur, ipſoſque homines ad imaginem ſuam efformatos proprio corpore nutriat; & ſimul dæmonem qui per cibum, illum ad mortem impulerat, vincat: ipſe enim mendacij pater Deum Opt. Max. incuſauerat, Diuinitatis participationem homini denegare ſolenni illâ fructus ſcientiæ boni & mali prohibitione. Dixit enim: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Gen. 3. 4. 5.

Eucharistiā vitam homini conferente, torquetur dæmon.

Tertull.

83. Sed falſa conuincuntur hæc verba veriſſimis ipſius Saluatoris ſermonibus, quibus corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum offerens, tanquam conſequendæ immortalitatis, imò & diuinitatis medium, alimentum tradit. Et ſicut dæmonis ſermone, vt cibum à Deo vetitum comederent, tentati ſunt primi parentes, vnde & morti addicti ſunt; ita ab ipſo vnigenito Dei Filio, vt æternæ vitæ ſumant alimoniam veluti tentantur Chriſtiani. Primâ tentatione victi ſunt homines, ſecundâ ſubacti ſunt dæmones: quia per primam, inſtigante tentatore, homines vitam perdiderunt; per ſecundam, operante Saluatore, æternam recipiunt vitam. Illâ dæmon homini necem parauit, iſtâ dæmoni Chriſtus pœnam, vltionem, ac tormenta cumulauit; maximè quia tantus à Deo homini conceſſus fauor inuidiam dæmonem torquentem concitauit. Quod agnouit Rupertus Abbas *lib. 3. in Exod. c. 12.* dum ait: *Tentati ſunt primi homines a Diabolo, dicente: In quocumque die comederitis, eritis ſicut Dij; ideo tentantur a Filio Dei, dicente de pane & vino: Comedite, hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. Comedite, & eritis Filij Dei. Credamus ergo verbis eius, pluſquam oculis noſtris carnalibus.* Vbi verba Chriſti Domini à Ruperto verbis dæmonis opponuntur: nam mentitus eſt cacodæmon, dum dixit: *Si comederitis, eritis ſicut Dij.* Sed veriſſimè loquitur Chriſtus, dum ait: *Comedite, & eritis Filij Dei.* Quæ verba licèt expreſsè à Saluatore non inueniantur dicta in ſacris Euangelij codicibus; tamen ſermo Chriſti Domini illis æquiualet, quando dixit Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quomodo enim corpus Chriſti manducans, & ſanguinem eius bibens manet in Filio Dei, & Filius Dei in ipſo, & ipſe Filius Dei non efficitur? Quæ vnum ſunt, ſecundùm Philoſophos (quod etiam ſuperiùs tetigimus) indiſtincta ſunt, & indiuiſa: ergo è conuerſo, quæ indiſtincta & indiuiſa ſunt, vnum ſunt. Vnde ſi Filius Dei manet in homine ſacram recipiente Euchariſtiam, de quo nulla eſt dubitandi ratio; ab homine illo indiſtinctus eſt Filius Dei, ipſeque homo à Filio Dei indiuiſus. Ex quo ſequitur, quod ambo vnum ſunt, & quod homo cibo hoc cœleſti ſatiatus, Filius Dei verè ſit. Quod planè didicit D. Auguſtinus adorando Chriſti Domini ore, qui ſic eum eſt alloquutus: *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Liquet igitur hominem ſanctiſſimo Altaris Sacramento in Chriſtum mutatum, verè Filium Dei exiſtere. Sed de hac ſacra metamorphoſi, admirandaque tranſmutatione inferiùs redibit ſermo.

Rupert.

Falsò deitatem promiſit dæmon cibi vetiti manducatione: verè illam tribuit Chriſtus corporis ſui ſumptione.

Auguſt.

Vincitur itaque à Chriſto in Euchariſtia malus Angelus, dum & mendax oſtenditur, & hominem, quem ad barathrum edulio vetito dedit præcipitem, diuino pane ad ſupremum Deitatis thronum ſubleuari cognoſcit. Vincitur, quia torquetur; torquetur, quia hominem cibo perditum, cibo videt recuperatum, immò ad Deitatis conſortium ſublimatum. Torquetur, inquam, dum ille in malitia obſtinatus, nec miſericordiâ quæritur, nec cibo recuperatur. Semper ieiunus miſerrimus iacet apoſtata; nullo vnquam cibo nec curatur, nec paſcitur: ſolâ inuidiâ repletur, quæ cum illius malitia ſemper aſcendit, ſemperque famelicus, & nuſquam ſaturatus, æternâ fame cruciatur. Eapropter adorandum Euchariſtiæ Sacramentum à ſeculis abſconditum, & tandem in Eccleſia propalatum, etiam ore Eccleſiæ Angelis manifeſtatum Deus dæmoni noluit eſſe incognitum, vt maius ex hac myſterij cognitione tormentum patiatur. Quod acutè expreſſit D. Bernardus *ſerm. 54. in Cant.* dum de illo loquens, ſic ait: *Videat & inuideat, & ſuâ inuidiâ acriùs torqueatur.* 84.

Eucharistiā vincitur dæmon.

Malitia eorum qui te oderunt aſcendit.

Bern. ſerm. 54. in Cant.

Verùm enimverò adeo expugnatur Diabolus Euchariſtiâ, vt non ſolùm maiori erga homines inuidiâ puniatur; ſed ita eius robur debilitatur, 85.

eiuſque

Digitized by Google

eiuſque eneruantur vires ; vt omni ex parte debellatus nullo modo contra hominem audeat inſurgere. Vt enim hoc tremendo roboratur homo myſterio, ita dæmon omninò debilitatur. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus omnes qui tribulant me*, inquit Pſalmographus. *pſal.* 22. Nouum ſanè pugnandi genus, menſam parare contra tribulantes: iam non clypeum ſumere, non exerere enſem, non tela, aut iacula collimare, non haſtam vibrare, non ferro, non flammâ dimicare debet Chriſtianus miles; ſed ad menſam Domini properare, ipsáque ſanctiſſimâ Euchariſtiâ contra omnes aduerſarios, etiam contra dæmones, fortiſſimos, infenſiſſimoſque hoſtes audenter decertare. Felix fauſtumque Chriſtiani hominis erit certamen, quia victum hoc myſterio diabolum effugabit.

86. Superbum pudet angelum à Chriſto Domino crucifixo, vulneribus, paſſione, humilitate, morte, omnibuſque eius infirmitatibus. ſe deuictum, exſpoliatum, ac è toto terrarum orbe factum extorrem, profundiſſimaque in abyſſo incarceratum. Dæmonis pudorem auget publicus Chriſti Domini triumphus, qui non in angulo, non in templo, non in domo, non in palatio, ſed patenti ac publico in Caluariæ loco, extra mœnia ciuitatis, coram omnibus ex omni natione congregatis, coram Hebræis, Græcis, ac Romanis, ligno crucis fortiſſimum armatum inermis ipſe, imò nudus debellauit: nam vt ait Paulus Coloſſ. 2. n. 15. *Exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Quid autem eſt diuina quâ paſcimur Euchariſtia, niſi Chriſti morte ſua triumphi ſolennis memoria? Cùm ergo Dei ſpeciebus panis velatum corpus exhibetur, glorioſa Chriſti de ſathanâ victoria celebratur, ait enim: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Luc. 22. 19. quod ille qui à Domino ad tertium cœlum raptus myſterium hoc didicit, clariùs docet, dum ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Maximam Euchariſtiâ confuſionẽ recipit dæmon.

1. Cor. 11. Quid ergo eſt mortem Domini annunciare, niſi eius de dæmone propalare triumphum, ac ſuperbiâ de cœlo lapſum angelum æterno exſufflare pudore (ſi æterna in malitia firmatus pudorem habere poteſt;) ſed ſi pudoris eſt incapax, confuſionem recipiet non minimam ambitioſus ſpiritus, dum hominis Dei morte ſe proſtratum, ac penitus profligatum agnoſcit.

87. Cùm ergo in Euchariſtia Chriſti Domini de dæmone victoria iugiter ſacro quo triumphauit corpore celebretur, iugiter iterum dæmon vincitur, ſicque victus, ſacro hoc alimento ſatiatos aut tentare, aut conturbare formidat. Si enim, vt aduertit D. Ambroſius in c. 4. Luc. *Diabolus inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari*: & vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 114. *art.* 5. ſuperatus ab aliquo ipſe tentator, à victore recedit quaſi rubore ſuffuſus, nec citò in eum denuò inſurgit; vnde & à Chriſto Domino, conſummata omni tentatione receſſit vſque ad tempus, vt dicitur *Luc.* 4. ab ipſo Saluatore omninò profligatus: tantæ victoriæ in Euchariſtia exhibitione ſuperatus, nunquid inſtare audebit? Nunquid non fugiet? fugiet vtique ante illum quem Euchariſtiæ clypeo ſentiet præmunitum. Si autem præteritæ ſupra ipſum reportatæ victoriæ immemor, rurſus hominem vanis ſuis inſtigationibus aggrediatur, haud dubium iterum profligabitur, & illo, quem iam ſen-

D. Ambr.

D. Thom.

ſit, gladio exterminabitur. At gladium dæmonem trucidantem, ſacrum dico corpus Chriſti, quo Saluator in cruce inimicitias omnes interficiens, per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra ſunt, pacificans, ipſum dæmonem omnium diſcordiarum authorem ſtrenuè inermis dimicans debellauit.

88. Verùm quid corpus Chriſti, qui vt agnus manſuetiſſimus in cruce oblatus, peccata expians Patris iram placauit, gladium commemoro? Quomodo gladius dicitur corpus eius, qui diſcipulum hoſtes ferire prohibuit, & cui gladium in vaginam mittere præcepit? Sanè tanquam ouis ad occiſionem Chriſtus ductus eſt; os ſuum iniquo coram iudice non aperuit, huiuſque manſuetudinem in cruce habuit animalis. Nihilominus gladius dæmonem obtruncans, in cruce corpus eius veriſſimè dicitur. Donec exhalaret animam, agnus manſuetiſſimus, patientiſſimuſque, ipſiſque tortoribus clemens, ac pius, pro quorum ſalute rogauit, apparuit: verùm eo quo ſpiritum momento reddidit, mortemque ſubiuit, agnus in leonem conuerſus eſt, manſuetiſſimique corpus agni in acutiſſimum tranſiuit gladium Saluatoris: ipſeque dæmon, qui membris ſuis cruci hoc ſanctiſſimum corpus affixit, ac mortem intulit, ab illo veluti gladio ancipiti obtruncatus eſt. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.* Pſal. 44. 4. Nuſquam potentiùs, quàm in cruce, Filius Dei gladio femori ſuo accincto vſus eſt, quia tunc ſanguinis, corporiſque pretio peccatum ſuſtulit, mortem occidit, ipſumque dæmonem contriuit, profligauit.

Corpus Chriſti gladius eſt.

89. Eapropter dilectus Domini Diſcipulus paſſionem & Chriſti victoriam deſcribens, illum nomine agni, & leonis inſigniuit, vt manſuetudinem ſimul & fortitudinem; clementiam & ſeueritatem; hominum redemptionem, ac dæmonum ruinam exprimeret; ait enim: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem, &c.* Apoc. 5. 12. qui priùs dixerat: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David*, &c. ibid. 5. Quid eſt hoc. Quomodo idem Dominus, & agnus, & leo pronunciatur? Quomodo cum agno debilis; cum leone robuſtus; cum agno manſuetus; cum leone terribilis? Quomodo cum agno occiditur, & cum leone vincit? Planè duo hæc in Chriſto crucifixo perfectiſſimè ſunt coniuncta: agnus fuit, & leo. Agnus cruci affixus os non aperuit: leo moriens magnum rugitum emiſit. Cum clamore valido exſpirans agnus manſuetus occiſus eſt; leo terribilis occidit. Agnus vulneribus confoſſus omnem corporis ſui fudit ſanguinem: leo cum Diabolo in morte ſua dimicans vulneribus confodit, obtruncauit, iugulauit. Ante mortem agnus, in morte leo, qui mortem occidit, dæmonem momordit, ipſumque infernum deuaſtauit; vnde & inquit: *O mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne.* Oſeæ 13. 14. Denique vt agnus occubuit, & vt leo reſurrexit, ac rugitu ſuo catulos, ideſt iuſtos, qui in Lymbo Patrum detinebantur, ſuſcitauit. Igitur ſi Chriſtus, qui agnus eſt, etiam leo debellans dæmonem eſſe perhibetur, non mirum ſi corpus eius gladius obtruncans diabolum à nobis nuncupatur. At gladius eſt non ſæuitiæ, ſed iuſtitiæ, qui iniuſtum hominis vſurpatorem iuſtè ab hominibus ſeparans, iniuſtâ poſſeſſione priuauit, & *per mortem de-*

Chriſtus in cruce agnus & leo.

ſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, ideſt Diabolum, vt loquitur D. Paulus *Hebr.* 2. Non quidem tanquam Iudex imperium, hoc habebat Diabolus, ſed tanquam latro, qui ex demerito ſibi mortem acquirit; & ipſe Diabolus ſuadendo homini peccatum, morti ipſum addixit, vt notat D. Thomas *in cap.* 2. *epiſt. ad Hebr. lect.* 4.

D. Thom.

90. Quàm ergo ſacra, & potens eſt Euchariſtia, quæ gladium omnes Chriſtianorum aduerſarios trucidantem, corpus ſcilicet Saluatoris veraciter complectitur! Quàm validum, quàm inuictum eſt hoc alimentum! Planè ſi iuxta Ariſtotelem *ex eiſdem ſumus ex quibus nutrimur*, quàm validos, quàm fortes Chriſtianos præſtat cibus iſte robuſtiſſimus. De mirabili, quo in deſerto Hebræos pauit Deus alimento, manna inſolitum ob miraculum nuncupato, dixit Pſalmographus: *Panem Angelorum manducauit homo.* Pſal. 77. 31. vbi D. Hieronymus ex Hebræo legit: *Panem fortium manducauit homo.* Sed veriùs Euchariſtia mannâ præfigurata non ſolùm Angelorum, & fortium panis eſt, ſed Dei, de quo *non eſt fortis ſicut Deus noſter*, ſcribitur 1. *Reg.* 2. Cibus homines validos, cunctoſque infenſiſſimos contra hoſtes efficit inconcuſſos: omnes enim Euchariſtiam venerantes, & ad ipſam, vt ad præſidium militare confugientes, tenent gladium, vt ad bella doctiſſimi ipſum domant dæmonem orbis domitorem. Omnes enim factos Sacramenó participes generoſos eſſe volens Chriſtus Dominus, vt loquitur D. Chryſoſt. *hom.* 61. *ad pop.* corpore ſuo mirificè roboratos hoſtium ſuorum victores præſtat.

Ariſtoteles. Gladius eſt Euchariſtia.

D. Chryſoſt.

91. Illum, quo ſpurium impudentiſſimum Dei contemptorem Goliath obtruncauit gladium, inuolutum pallio poſt Ephod in Tabernaculo Domino exercituum conſecratum poſuit Dauid; ipſumque contra inimicos pugnaturus ab Achimelech recepit, in illam vocem prorumpens: *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* 1. Reg. 21. 9. Ita non diſſimili modo, quo debellauit dæmonem ſuperbum Dei contemptorem, corpus ſuum, ancipitem veluti gladium, panis ſpeciebus ceu pallio inuolutum, Eccleſiæ ſuæ tradidit Chriſtus, & ab Sponſa dilectiſſima in ſacrorum Altarium Tabernaculis collocatum recipiunt Fideles ad congreſſum contra Diabolum ex eo audaciam vireſque ſumpturi. Sanè nullus alius, etiam acutiſſimus, huic gladius ſimilis eſt: vnde infeſtationibus dæmonum oppetitus, tentationibuſque turbatus, audacter hunc gladium poſtulet, audacter accipiat, ipſumque Dauid imitatus, dicat: *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum*; eoque munitus audacter militet, quia hoſtem ſuperans glorioſè triumphabit. Ipſe in Euchariſtia latens Chriſtus, non tantùm vt agnus, qui quotidie immolatur, abſconditur; ſed etiam vt leo ſemper vincit. Nam in ea recolitur memoria paſſionis eius, eiuſque ſanctiſſimæ reſurrectionis triumphus; corpuſque animatum, & vitâ viuens glorioſâ, quæ mortem neſcit, inſuperabilem ſuam contra omnes hoſtes fortitudinem tribuit Chriſtianis. Optato igitur robore ab ipſo inuictiſſimo Domini corpore donati, in ſtrenuos ac generoſos tranſmutati leones, terrificum ipſum draconem terrebimus, territumque ad orcum vſque effugabimus. Quod docuit D. Chryſoſtomus, dum *hom.* 61. *ad pop.* ait: *Tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti Diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, &c.*

Gladio quo Dauid caput Goliath obtruncarat, nullus ſimilis.

Euchariſtia gladius acutiſſimus.

D. Chryſoſt.

Sed nulli mirum videatur Euchariſtiam, quæ ſub modici panis ſpecie Altaria noſtra condecorat, gladij nomine inſigniri, quo Chriſtiani tartareas debellant legiones. Cùm etiam in ſacris Scripturæ paginis modicus quidam reperiatur panis, qui acutus contra Dei hoſtes extitit gladius, eorumque milites profligauit. Is ille eſt ſubcinericius ex hordeo panis, qui contra Madian deſcendens, tabernacula percuſſit, ſubuertit, ac terræ funditus coæquauit. Verùm ne ſtupeas: *Panis hic gladius Domini eſt, & Gedeonis.* Iud. 7. 14. 20. Quid hîc conſpicis? quid hîc tibi exhibetur, niſi glorioſus Euchariſtiæ de diabolo triumphus. Illa eſt, quæ modico pane adumbrata, ſpeciebus panis ſacrum Chriſti corpus inuoluens, contra rebelles Angelos in Deum litigantes, per Madian ſignificatos (Madian enim litigans interpretatur) deſcendens impia dæmonum caſtra fugat, diſſipat, & euertit. Dum autem dæmonum exercitus profligat, & diſſipat, nunquid non eſt gladius. Vtique gladius eſt, ſed gladius Domini & Gedeonis; gladius Chriſti, & Eccleſiæ per Euchariſtiam draconis caput conterentis, & conſequenter Gedeonis nomine donata (Gedeon quippe conterens interpretatur.) Quis autem pacis myſterium & vnitatis Sacramentum diceret gladium? Vel potiùs, quis vnitatis & pacis medium, gladium non requirat, enſem non euocet? Nam ex bello pax oritur. Cùm ergo profundiſſimæ pacis myſterium ſit Euchariſtia, ac per eam non ſolùm Deo contra quem præliantur peccatores, reconciliemur, tanquam infallibili amoris ſui pignore, ſed etiam interiori pace fruamur: illâ veluti gladio, quietis noſtræ inuidos ac perturbatores expugnamus, vincimus, ſuperamus. *Deus autem pacis conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter*, ait Paulus *Rom.* 16. 20. Vbi Apoſtolus non obſcurè illuſtrem, quam de diabolo diuinâ Euchariſtiâ reportamus victoriam expreſſit. 92.

Dæmones vincit Euchariſtia.

Nuſquam Deus potiori iure pacis Deus appellatur, quàm ineffabili hoc in myſterio, quo ſanguinem Filij ſui pacem ipſis cœlis, terriſque conferentem, Chriſtianis tribuit. Conterunt igitur Chriſtiani ſathanam, dum Deus pacis pedibus eorum illum terit: ſed dum pedes dico, non illos quibus corpus portatur, ſed eos, quibus anima ſubleuatur, intellige. Anima enim velociùs currit, quàm corpus, quia velociores habet pedes. Hos dico affectus, quibus ipſa mouetur, ambulat, curritque. Quo ſenſu D. Bernard. *ep.* 319. ait: *Cœleſtem requirere Hieroſolymam, monachorum propoſitum eſt: & hoc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.* Et Diuus Auguſt. *in pſal.* 144. docet ad Deum accedendum eſſe, *animo, non vehiculo; affectibus, non pedibus.* Præcipui autem animæ Chriſtianæ pedes duo ſunt: fides, de qua Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 7. ait: *Per fidem ambulamus*; & Dei amor, quo non ſolùm ambulamus, ſed volamus, iuxta illud Auguſtini, quod ſuperiùs tetigimus. *Ad Deum aſcendis volando, qui aſcendit amando. Aug. praf. in pſal.* 121. Cùm ergo fides & amor, quibus tanquam pedibus ſaciam ad Euchariſtiam accedimus, hoc diuino myſterio roborentur, & quia eſt myſterium Fidei, & quia eſt centrum charitatis, immenſi amoris opus, Chriſtum Dominum infinitâ charitate ſeipſo homines paſcentem complectens: cumque fide & charitate iuguletur diabolus; nam fide fortes ipſi reſiſtimus, iuxta illud 1. *Petri* 5. 9. *Diabolo reſiſtite fortes in fide*: & igne charita- 93.

Affectibus mouetur anima.

tis,

Fide & charitate veluti duobus pedibus calcamus dæmonem.

tis ; quæ eſt ſcutum fidei , ardentia dæmonum tela extinguimus , vt ait Paulus Eph. 4. 29. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei , in quo poſſitis ignea tela nequiſſimi extinguere.* Ideo velociter ſub pedibus noſtris Deus ſathanam proſternit & terit ; noſque cœleſtis menſæ deliciis enutriti , fide calcamus , charitate premimus , & duabus his animæ noſtræ dotibus , tanquam duobus pedibus ſathanam velociter conterimus, profligamus, trucidamus.

94. Nec difficilis nobis eſt nefarij adeo hoſtis ſanctiſſimam per Euchariſtiam victoria ; immò nullo negotio illum ſuperamus : & ſicut denſiſſimæ fulgentiſſimis Solis radiis faceſſunt tenebræ, nullumque obſcuritatis relinquunt veſtigium ; ita micantiſſimis iuſtitiæ Iubaris admirabili Sacramento vibratis luminibus , tenebrarum rectores effugantur , diſſipantur. *Ortus eſt Sol , & congregati ſunt , & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Pſal. 103. 20. Qui enim mundi huius in tenebris impudentes , & impuniti graſſabantur diaboli, nato Chriſto iuſtitiæ Sole , & ſacrâ nobiſcum Euchariſtiâ in æuum permanente , illius ſplendore deuicti, effugati , nimiaque verecundiâ ſuffuſi , ſe in ſuas orci ſpeluncas abdiderunt : ſed quanta celeritate ſe in inferni latibula receperint , ex vltimis verbis citatis liquet , vbi quidam ex Hebræo legunt: *Et in cubilibus ſuis collabuntur.* Adeo enim ante faciem Chriſti in Euchariſtia properant , vt non ſolùm ſe recipiant , ſed turmatim colligati dæmones ad inferos collabantur.

95. *Manu veluti ſcuto pugnat Ioſue.*

Planè vrbem Haï fortiter oppugnarunt , & feliciùs expugnarunt olim Hebræi : ſed eorum Duci Ioſue inſignis hæc debetur victoria. Vicit ille , & cum eo vniuerſus vicit Iſraëlitarum exercitus. At quomodo pugnauit Ioſuë qui tam illuſtrem victoriam reportauit ? Non enſem exeruit, haſtam non vibrauit, iacula non direxit , tormenta non diſplodit , nec vllas ſuas vires ſtrepitu armorum effudit : ſolo Clypeo vſus eſt , eoque nouo & inaudito modo decertauit : in ſublime porrexit manum , ac clypeum erigens , infelicem Haï ciuitatem deuaſtauit. *Ioſue verò* (ſacrum inquit Oraculum Ioſuë 8.26.) *non contraxit manum quam in ſublime porrexerat , tenens clypeum , donec interficerentur omnes habitatores Haï.* Præclarus ſanè hic mihi videtur Chriſtianorum de diabolo victoriæ typus : infernus ipſe , horrenda ciuitas, à Chriſtianis deuaſtatur , eiuſque infelices incolæ ſubuertuntur : ſed à clypeo eleuato in manibus Ioſuë inclytus hic oritur triumphus , ac incruenta Euchariſtiæ hoſtia , quæ vt inexpugnabile totius Eccleſiæ ſcutum , à myſtico Ioſuë, ideſt à Sacerdote Domini Ieſu vices Altaris in miniſterio exequentur , quotidie in altum eleuate, audaciam vireſque tribuit Chriſtianis , dæmoneſque vincit , conterit ac proſternit. Nec mirum: leo ignem non ſuſtinet ; & diabolus à D. Petro leonis nomine inſignitus , quamuis vindicibus exuſtus flammis , diuinum ignem ferre non poteſt : ipſáque ſacroſanctâ Euchariſtiâ , *quæ ignis eſt* , vt loquitur D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 11. *de ador. in ſpir. & verit.* immenſique amoris opus, non poteſt non effugari. Quomodo enim crudeliſſimus ille tartareus leo coram clementiſſimo inuictiſſimoque , immò omnium victore de tribu Iuda Leone Chriſto Domino ſtaret ? *Ad nihilum certè deductus eſt in conſpectu eius malignus.* Pſal. 14. 4.

Scutum eſt Euchariſtia.

Immò & ignis quo dæmon torquetur ac fugatur.

96. Bacchabatur in agrorum vaſtationibus leo furiali rabie , nec vllis hominum remediis ſiſti poterat ; cùm ecce tibi D. Chryſoſtomus iubet crucem humanæ ſalutis vexillum in eodem campo erigi , quem ſæpius furor terrorque indomiti animalis afflabat : manè leo ad trophæum crucis inuentus eſt mortuus , non machinis humanis, ſed ſalutaris ligni robore ſuperatus & extinctus. Non in agro aliquo tantùm , ſed in vniuerſo terrarum orbe longe lateque cacodæmon debacchatus eſt ; ſed ſanctiſſimæ crucis vexillo illum deturbauit Dominus ; ipſáque Euchariſtiâ , in qua omnis crucis virtus , immò & ipſe crucifixus veraciter continetur , omnem illius furorem fregit , & quotidie hoc tremendo myſterio improbiſſimos eius conatus , malignas infeſtationes, execrandaſque artes deſtruunt Chriſtiani ac diſſipant : ipſumque , ſi ita loqui fas eſt , penitus extingunt. *Comeditis panem veſtrum in ſaturitate*, dicebat olim Deus *Leuit.* 26. *n.* 5. Hoc eſt , vt interpretatur Nicolaus de Lyra , panem Euchariſtiæ , qui dat hîc plenitudinem gratiæ , & poſtea ſatietatem gloriæ. Sed vide huius panis effectum qui ſtatim in textu ſequitur : *Auferam malas beſtias , & gladius non tranſibit terminos tuos :* ibid. 6. Ideſt, vt exponit idem Lyranus , auferam dæmonum furias , quorum per Chriſtum reſtricta eſt poteſtas : & gladius non tranſibit terminos veſtros ; ideſt , dæmonum virtus non prævalebit ſuper vos.

R.P.Car.Bonquin Comm. in Proſam D.Thom.

Vita D. Chryſoſt.

Leo à cruce proſtratus.

Quod ita verum eſt , vt in debellandis , deturbandiſque malignis ex corporibus hominum ſpiritibus , nullo vrgentiori medio quàm ſacrâ Euchariſtiâ Catholica vtatur Eccleſia , quæ olim ſancta etiam arreptitiis myſteria largiens , eos quamocyſſimè liberauit. Quod teſtatum à Sereno Abbate legimus apud Caſſianum *collat.* 7. *c.* 30. vbi inquit : *Communionem eis* (energumenis) *ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam.* Et infrà ſubdit : *Quæ ab homine percepta , eum qui in membris eius inſidet ſpiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur , velut quoddam exurens fugat incendium.* Quod etiam noſtrâ tempeſtate ſæpiſſimè comprobatum eſt : plerique enim quos obſidentes , immò & poſſidentes torquebant dæmones , ſimul ac cœleſti corporis Chriſti pabulo ſunt refecti , omninò liberati ſunt. *Quæ enim conuentio lucis ad tenebras, aut Chriſti ad Belial* , vt ait Paulus ? Exeat è domo ſpiritus ſuperbus , impudens ac rebellis miniſter neceſſe eſt , ſtatim ac verus omnium Dominus eam ingreditur : & ſicut Dagon idolum corruit fractum ante Arcam Fœderis , ſanctiſſimi typum Sacramenti ; ſic ante venerandum Chriſti Domini corpus dæmones attriti effugantur & diſſipantur. Quod plurimis exemplis illuſtrare non eſſet mihi difficile , niſi conſulerem breuitati. 97.

Energumeni Euchariſtiâ liberantur.

Sectio II.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia Saluator eſt, quia per eam peccata remittuntur.

PEccato homines perdidit cacodæmon , dum callidiſſimâ illos impulit malitiâ vt peccarent. Verùm qui dæmonem omninò triumphat pientiſſimus humani generis Saluator , ſacram per Euchariſtiam homines ab imperio dæmonis erutos , etiam à peccatis hoc Sacramento liberat , ſicque mirabili corporis ſui cibo ſimul & 98.

diabolum trucidat, & hominem redintegrat ac reſtaurat. Si enim *in hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*, vt dilectus eius diſcipulus loquitur 1. *Ioan.* 3.8. & magnificâ Ieſu, ideſt Saluatoris nomenclaturâ decoratur, *quia ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum*, vt aît Angelus *Matth.* 1.21. tremendo Euchariſtiæ myſterio, vbi & Dei Filius, & hominum Seruator nouo ſplendore coruſcat, vmbras tartari, ac peccatorum tenebras fugabit, diſſipabitque. Quod vt clariùs pateat, omnia peccata, præterita, præſentia, & futura, tanto Sacramento deſtructa & obliterata attentiùs perpendamus.

§. I.

Peccata præterita per Euchariſtiam delentur.

99. *Ab omni peccato liberari in Miſſæ ſacrificio poſtulat Eccleſia.*

QVam in tremendorum celebratione myſteriorum gratiam à Chriſto ſupplex poſtulat Eccleſia, vt à cunctis malis, præteritis, præſentibus, & futuris liberetur; hanc ſacrâ operante Synaxi dilectæ Chriſtus effundit Sponſæ. Primò namque diuiniſſimo hoc Sacramento præterita peccata delentur, non quidem lethalia, per ſe, & ex vi huius Sacramenti: cùm enim Euchariſtia, quæ ſecundùm communem Theologorum conſenſum, eſt Sacramentum viuorum, detur per modum cibi, proprius illius effectus eſt gratiam augere, animæque vires corroborare, & non primam gratiam producere, nec conſequenter peccata mortalia delere, quæ alio Sacramento, nempe Pœnitentiâ, quæ ſecundum Sacramentum mortuorum, & ſecunda poſt naufragium tabula nuncupatur, remittuntur; hæc enim actualia contra crimina poſt Baptiſmum perpetrata à Chriſto Domino eſt inſtituta: ſicuti contra peccatum originale primum mortuorum Sacramentum, primaque poſt naufragium tabula Baptiſmus poſitus eſt; vnde cuiuſlibet lethalis culpæ expers debet eſſe Chriſtianus, qui cœleſtis huius menſæ delicias cupit prægustare: quippe vt dicitur 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Vbi Gloſſa interlinearis à D. Thoma relata *3. p. q. 79. art. 3. in arg. Sed contrà*, ait, quod *ille manducat & bibit indignè, qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat; & talis manducat & bibit ſibi iudicium, ideſt damnationem.* Ex quo concludit Angelicus Doctor, quod ille qui eſt in peccato mortali, per hoc quod accipit hoc Sacramentum, magis accumulat ſibi peccatum, quàm remiſſionem ſui peccati conſequatur. Non enim eſt conueniens ſuſceptor huius Sacramenti, propter impedimentum quod in ſe habet percipiendi illius effectum: tum quia non viuit ſpiritualiter, & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viuentis: tum quia non poteſt vniri Chriſto (quod fit per hoc Sacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter.

D. Thom. 3. p. q. 79. art. 3.

Lethalis peccati labe pollutus effectū Euchariſtiæ nō ſuſcipit.

100. Quamuis non me lateat, diuiniſſimo hoc cibo etiam primam gratiam aliquando conferri, ac conſequenter peccatum mortale dimitti. Dum enim aliquis ad cœleſtem menſam bonâ fide accedit, exiſtimans ſe eſſe in gratia, ſi ſupernaturalem attritionem, quæ eſt ſufficiens ad gratiam diſpoſitio, præmittat, Angelorum pane primam gratiam recipiet, vt grauiſſimi docent Theologi poſt D. Thomam, qui 3. *articulo, quæſt.* 79. 3. *p.* *ſuprà citato*, ſic loquitur de Euchariſtia: *Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter; vno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cùm quis primò iuſtificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet; fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed deuotè & reuerenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati.* Si enim cætera Eccleſiæ Sacramenta bonâ fide recipientibus cum ſupernaturali attritione remiſſionem peccati operantur, primamque gratiam conferunt; quis hoc Sanctiſſimo Altaris Sacramento, in quo totius gratiæ ac ſanctitatis perennis fons continetur, denegabit? Sicque quamuis ad delendum peccatum mortale hoc Sacramentum per ſe non ſit inſtitutum, ſed ad conſeruandam ſpiritualem vitam, eiuſque gratiam augendam; aliquando tamen mortem expellit, & vitam tribuit, dum peccatum, quod mors eſt, minimè ſuſcipientis voluntati vel affectu, vel ſcientiâ adhæret.

Aliquando peccatum mortale delet Euchariſtia.

Peccata ergo præterita, quæ tanto myſterio in nobis delentur, ſunt peccata venialia, quæ licèt mortem non præbeant animæ, quam gratiâ ſanctificante non ſpoliant; tamen illam debilitant, cùm feruorem diminuant charitatis, quâ omnia poſſunt Chriſtiani. Vnde non paruum nobis hoc cibo præſtatur beneficium, dum nobis venialia præterita dimittuntur peccata: quod vt docet Angelicus Præceptor *3. p. q. 79. art.* 4. ex duobus, quæ tremendo hoc in myſterio conſiderantur procedit, & ab ipſo ſcilicet Sacramento, & à re Sacramenti. Primò ergo venialium remiſſio delictorum ab ipſo operatur Sacramento, quod ſub ſpecie cibi nutrientis ſumitur: nutrimentum autem cibi neceſſarium eſt corpori ad reſtaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem charitatis; & ideo competit huic Sacramento vt peccata venialia remittat: vnde & D. Ambroſius *lib. 5. de Sacram. c.* 4. ait, quod *iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Secundò etiam venialia dimittuntur ab huius Sacramenti re, quæ eſt charitas, non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia ſoluuntur. Quod ſanè eleganter expreſſum eſt à D. Ioanne Damaſceno *lib. 4. fid. orth. c.* 14. vbi ait: *Ignis eius quod in nobis eſt deſiderij, aſſumens eam qua ex carbone, ideſt ex hoc Sacramento, ignitionem, comburat peccata noſtra, & illuminet corda noſtra, vt participatione diuini ignis igniamur & deificemur.* Cùm ergo feruor accendatur charitatis mirabili Euchariſtiæ cibo, in quo vt ſacrum loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 2. *Saluator noſter diuitias diuini ſui erga homines amoris veluti effudit*: præterita peccata venialia hoc Sacramento deuotè & reuerenter ſuſcepto obliterata & deleta remanere nulli penitus dubium eſt. 101.

Venialia ab Euchariſtia delentur.

Ambr.

Damaſc.

Immaculatum, ac ſemper intactum Deiparæ Virginis corpus, licèt morte ab eius anima ſeparatum, incinerationi aut corruptioni minimè fuit obnoxium: ſed quia ſacrum Chriſti Domini corpus vtero concluſerat, denuò animatum ipſa rediuiua Virgo ſupra ſidera, cœleſteſque Angelorum choros euexit: *Quomodo enim mors deuoraret* 102.

Corpus ſuum in cœlo tulit B. Virgo.

raret

Digitized by Google

raret? quomodo inferi ſuſciperent? quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? vt loquitur D. Damaſcenus orat. 2. de dormit. B. Mariæ. *Huic recta, plana, ac facilis ad cœlum parata eſt via.* Non diſſimili planè modo anima quæ ore corporeo ſacrum Chriſti ſuſcipit corpus, ipſa cœleſti vitâ nutritur; dum Euchariſtiâ, quæ exordio naſcentis Eccleſiæ à Fidelibus *Vita* antonomaſticè eſt appellata, paſcitur, vitam perfectam recipit, ac feruentiſſimum diuini amoris ardorem; ab hac enim caſtiſſima dilectione ſpiritualis vita procedit, *qui enim non diligit, manet in morte*, vt dicitur 1. *Ioan.* 3. 14. Quomodo igitur veniales culpæ feruorem charitatis minuerent in anima, quæ reuerenter Euchariſtiam ſuſcipiens, totius ardoris charitatis originem ſuſcepit? Quomodo anima amore non ferueret, quæ ipſo ardentiſſimo amoris igne comburitur, dum Euchariſtiâ, quæ à D. Cyrillo *lib. 11. de ador. in ſpir. & ver.* ignis appellatur, ſuſtentatur? Sanè nulla amoris impetûs retardatio, nulla charitatis diminutio, nulla in diligendo mora erit in anima, quæ ipsâ Chriſti carne cibatur. Huic recta, plana, ac facilis ad cœlum patet via: ipſaque dilectio quam recipit, illam ſupra ipſa ſydera, ipſoſque cœlos, imò & Angelos, vt ipſi Deo vnita, diuina quodammodo efficiatur, extollit.

Damaſc.

103. Tertull. Nec auxeſin ſapit hæc veritas, cùm etiam doctiſſimus ac profundiſſimus Tertullianus animam ipſo Deo impinguatam hoc adorando myſterio ſcriptis reliquerit; nam *lib. de reſurrect. carnis*, c. 8. in hæc verba prorumpit: *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* At de hoc loquendi modo nemo miretur: ſi enim humani corporis pinguedo optimi caloris natiui effectus eſt, vt rei medicæ periti docent poſt Ariſtotelem; cur anima non ſolùm calore maximo, ſed igne diuino incenſa, tanti effectum ardoris ſpiritualem pinguedinem non recipiet? Alimenti partes corporei in adipem calor conuertit natiuus: ipſum diuinum corporis Chriſti pabulum, infinitæ Dei dilectionis donum,

Charitas eſt Adeps animæ.

adeps ſpiritualis eſt animæ, ipſaque non in ſe cibum tranſmutando, ſed ſe in illum qui hoc in cibo tribuitur, nempe Deum conuertendo ſaginatur. Non ergo ſolùm fortem ac intimam per charitatem inter Deum & animam Euchariſtia parit vnionem, immò & mirabilem transformationem. Quod ex ipſo Veritatis ore didicimus, quæ

D. Aug. Auguſtinum alloquuta dixit: *Non tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

D. Thom. Vnde Angelicus Doctor 3. *p. q.* 73. *art.* 4. aduertit, quod Euchariſtia, græcè metalepſis, id eſt aſſumptio, nominatur; quia vt notat D. Damaſcenus

D. Dam. lib. 4. fid. orth. c. 14. *per hoc Sacramentum Filij Deitatem aſſumimus.*

104. Superbus ille & ingratus Iudæorum populus, aliquando à Deo dilectus, ſuiſque magnificis donis cumulatus, *incraſſatus eſt & recalcitrauit*, vt dicitur *Deuteron.* 32. nec aliam huius ingratitudinis, quâ Deum factorem ſuum dereliquit, & dæmoniis immolauit, adducit cauſam Moyſes, quàm immenſa Dei beneficia; addit enim: *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus.* Haud ita Chriſtianus populus erga Deum optimum maximum egit: ſuis donis auctus, gratiis ditatus, boniſque non tantùm cumulatus, ſed veluti oppreſſus, immenſo corporis ſui munere vegetatus, recreatus, roboratus, immò & incraſſatus, impinguatus, ac dilatatus non recalcitrauit, non reliquit factorem ſuum, non dæmoniis, vel nouis recentibuſque diis immolauit; ſed incraſſatus fortitudinem ſuam ad Deum ſuum cuſtodiuit; impinguatus velociùs ad benefactorem properauit, cucurrit aſcendit & volauit; ac dilatatus nouis cor ſuum diis non aperuit, ſed ipſum Deum, ſacra agente Euchariſtiâ, in ſe veluti corporauit; ardentique diuinæ dilectionis ardore ipſi Deo vnitus, in ipſum Deum veluti tranſmutatus eſt. Mira ergo impinguatio quæ feruorem charitatis accendit: mira dilatatio quæ hominem in conſortium facit tranſire Deitatis; omneſque defectus veniales excludens, Chriſtianum expurgat hominem, vt gratiſſimum Deo vivo immolet ſacrificium laudis, & debita multis titulis altiſſimo vota ſua reddat & conſecret.

§. II.

Peccata præſentia per Euchariſtiam extinguuntur.

NOn ſolùm à præteritis Eccleſia cupit liberari delictis, ſed etiam à præſentibus expurgari: vtrumque à ſanctiſſimo Chriſti corpore accipit beneficium; quia tanto myſterio & præterita obliterantur, & præſentia extinguuntur. Verùm antequam longiùs protrahatur oratio, præſentium extinctionis delictorum modum aperire operæpretium erit. 105.

Indubitata, certiſſimaque apud omnes res eſt, peccata actu exercita Chriſtianorum corda aggrauantia mirabilibus Euchariſtiæ effectibus impedimenta præſtare: quod non tantùm de lethalibus, ſed etiam de venialibus intelligendum eſt; hæc enim quamuis non ex toto impediant huius Sacramenti effectum, tamen in parte ponunt obicem: actualis quippe refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ eſt illius effectus, impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 8. Vnde tantùm abeſt quod actualia peccata per Euchariſtiam deleantur, quin potiùs temerario auſu quo conſcientiæ criminis reus diuina myſteria præſumit manducare, augentur, & cumulantur. Vnde & D. Thomas hac in Sequentia expreſsè ait de tanto Sacramento: *Mors eſt malis, vita bonis.* 106.

Dum igitur per ſacram Synaxim præſentia extingui peccata dicimus, non de culpis actu exercitis, animamque actualiter onerantibus, ſed de illorum veluti radice ac ſcaturigine verba facimus. Vnde conſultò dicimus, quod peccata præſentia per Euchariſtiam extinguuntur, non verò remittuntur; vt innuamus nos non de ipſis peccatis perpetratis, ſed de facultate, ſeu inclinatione quâ ad committenda peccata impellimur, ſermonem inſtituere. Si enim Apoſtolus concupiſcentiam, ſeu fomitem peccati, omnium malorum hominis originem *peccatum* appellauit, *Rom.* 7. dum ait: *Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud; ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt fomes peccati, & infrà: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*: rectè peſſimam ad peccandum inclinationem, ipſumque peccati fomitem nomine peccati inſignire poſſumus: & quia auguſtiſſimo agente Altaris Sacramento frenatur concupiſcentia, fomes premitur, ipſaque ad peccandum prona voluntas, ne cadat roboratur, peccata præſen- 107.

Concupiſcentia, ſeu fomes peccati dicitur peccatum.

tia ab Euchariſtia extingui nemo dubitabit.

108. Petrum Apoſtolum optimi iuſſione Magiſtri maris ſuper aquas ambulantem, dum mergeretur omnipotens Chriſti dextera ſubleuauit; & quem infidelitas demergebat, ſacra Domini manus firmauit contactu. *Matth.* 14. 30. Nam vt ait D. Hieron. ad cap. 2. Nahum: *Petrus qui antè lenis pendulo greſſu calcabat vndas, poſtquam infidelitate aggrauatus vorabatur à fluctibus, manu Domini ſubleuatur.* Si tantum labenti diſcipulo vna Chriſti manus præſtitit beneficium, quanta ab integro ſanctiſſimo illius corpore Chriſtianorum animæ bona non ſuſcipient? Fideliſſimè accedentes, maximaque reuerentiâ panem Angelorum deguſtantes, virtutibus augebuntur; iamque in charitate radicatæ, nec vitiorum vorticibus, nec concupiſcentiæ fluctibus mouebuntur, ſed omni ex peccati incitamento diuina huius cibi virtute ereptæ & expeditæ, quæ antea imbecilles erant & infirmæ, adeo ſolidabuntur, vt integro Domini corpore ſuſtentatæ in nullum barathrum labantur peccati.

D. Hieron.

Petrus ne mergeretur, à Chriſto manu erigitur.

Anima ne in peccatũ labatur, Chriſti corpore roboratur.

109. Archiſynagogi Iaïri nòmine filiam ſuſcitaturus Chriſtus non ſolùm imperauit, ſed etiam tetigit. *Tenuit manum eius*, ait Matthæus *c.* 9. 25. Sanè vt è carne ſua vitam ad homines proficiſci comprobaret. Quod D. Cyrillus *lib.* 4. *in Ioan. c.* 24. aduertit, vbi etiam ad noſtrum inſtitutum ſubdit: *Quod ſi ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus qui carnem illam guſtamus & manducamus?* Vitam ergo à viuifico Domini corpore perfectam recipientes, nullis peccatorum infirmitatibus aggrauamur, nullis quatimur concupiſcentiæ motibus, nulláque malâ peccandi voluntate ab ipſo perennis vitæ fonte ſegregamur. Fortiſſimo cibo muniti, deſideria quæ militant aduersùs animam, extinguimus, omneſque & fomitis, & dæmonum ad delinquendum impulſus vincimus, & ſuperamus.

D. Cyrill.

110. Magnum inuictumque à Deo recipit præſidium, qui Deum inuocat homo, Deoque agente etiam infenſiſſimos debellat inimicos. Saülem, alioſque ſexcentos non timuit hoſtes Rex ille qui Deo iubente Saülis thronum repleuit; dum *pſalm.* 17. prout legitur 2. *Reg.* 22. ait: *Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus.* Ipſum enim Dauid Saluatorem nominat, quia vt à petra firmiſſima, contra aduerſarios non modicam ab illo accepit fortitudinem. Sed nuſquam Chriſtus Dominus potiori iure Fidelium petra, roburque nuncupatur, quàm tremendo in Euchariſtiæ myſterio. Vt petra firmiſſima, in illa quæ à Moyſe percuſſa aquarum effudit latices, adumbrata à nobis recipitur, quia in paſſione etiam ab æterno Patente percuſſus non ſolùm cruorem, ſed gratiarum fudit flumina, quibus contra omnia malorum incitamenta tanto Sacramento præmuniti, dæmonum inſidias, fomitis impetus, carnis petulantiam coërcemus; ſicque diuino epulo roborati, illum quem vt petram ſuſcipimus, etiam vt Saluatorem prædicamus, extollimus, collaudamus.

Chriſtus in Euchariſtia petra eſt, quâ ſuſcipientes roborantur.

111. Quam fortitudinem admiratus Innocentius III. Pont. Max. *lib.* 4. *de myſteriis Alt. c.* 44. ait: *Myſterium crucis eripuit nos à poteſtate peccati; myſterium Euchariſtiæ eripit nos à voluntate peccandi.* Quomodo enim vellet homo illi à quo immenſa recipit bona, & inter innumera quæ recenſere non licet, cuius proprio corpore paſcitur, & ſanguine potatur, inferre malum? Quomodo vellet eum deſtruere, à quo diuino carnis ſuæ cibo in eſſe conſeruatur? Quomodo vellet eum occidere, cui intimè & tanquam vnica, eademque caro vnitur? Cùm ergo peccatum ex intrinſeca ſui malitia ipſi Deo malum inferat, inquantum eius legem conculcat; ipſumque deſtruat tanquam malum intentatum, vt loquuntur Theologi, omniaque diuina attributa funditus euertat, vt aduertit D. Bernardus; & tandem Chriſtum Dominum peccato ſemel mortuum, & nunc immortalitate donatum, iterum lædere, vulnerare, immò & occidere moliatur: vnde & Apoſtolus *Hebr.* 6. 6. ait, *Rurſus crucifigentes Filium Dei in ſemetipſis*: ille qui deuotè & ſumma cum reuerentia cœleſtem adit menſam, tantique myſterij fit particeps; nec Deo quo paſcitur, malum inferre, aut illum deſtruere; nec Chriſtum, cuius carne veſcitur, trucidare proprij malitiâ peccati cogitabit: ac conſequenter Euchariſtiæ myſterium *eripit nos à voluntate peccandi*; aliàs iuſtè Deus Chriſtiano ſacra myſteria percipienti, vt olim pigro ac infideli famulo, exprobraret; *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20. 15. Quod certè extremæ, necnon inſanabilis malitiæ indicium eſt. Quod in Lucifero donis Dei cumulato, & tamen erga Deum ingratiſſimo notat D. Bernardus *tract. de gradib. humilitatis*, dum ait: *Quia de magno eius bono in te, tu magnum in eum excogitas malum; meritò iniquitas tua inuenitur ad odium. Quæ maior namque iniquitas, quàm vt inde a te Creator contemnatur, vnde plus amari merebatur?* Non ergo exiſtimandum eſt ſacra deuotè frequentantem myſteria prauam contra tantum benefactorem gerere voluntatem.

Innoc. III.

Euchariſtia eripit nos à voluntate peccandi.

Peccatum ex ſe Deum deſtruit, quia tollit rationem vltimi finis.

Ingratiſſimus eſſet qui ſumptâ Euchariſtiâ peccaret.

D. Bern.

112. Animosè adulteræ reſtitit caſtiſſimus ille ac fortiſſimus Ioſeph; ſéque non ſolùm dominæ ſuæ nolle commiſcere, ſed non poſſe clamauit: *Ecce*, inquit, *dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua; nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, præter te, quæ vxor eius es. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum.* Gen. 39. 8. 9. Quia cum à quo tot amoris indicia acceperat, in gloria ſua offendere non valebat, neque eam quæ iuxta Apoſtolum 1. Cor. 11. 7. *gloria viri eſt*, domini ſui vxorem violare. Quod D. Bernardus *ſerm.* 13. *in Cant.* attigit, dum ait: *Ioſeph, cùm omnia bona domini ſui ſibi credita ſciret, dominam non ignorauit exceptam: mulierem nouerat gloriam eſſe viri, & iniquum ſibi iudicauit, vice contraria ingloriam facere eum, qui ſe fecerat glorioſum.* At maiora à Chriſto accipit amoris ſigna, qui eius nutritur carne & ſanguine. Omnia bona ſua Ægyptius ille herus Ioſeph Fideli famulo tradiderat: ſed vxorem ac ſeipſum ſibi reſeruauerat. Nihil ſibi retinet Chriſtus; omnia bona ſua, proprium corpus ac ſanguinem, immò & animam ſanctiſſimam, ipſamque Diuini Verbi perſonam innocentiſſimæ eius humanitati hypoſtaticè vnitam ſacro Euchariſtiæ myſterio Chriſtiano deuotè ſuſcipienti tradit. Quomodo ergo poterit in eum peccare? Quomodo eius gloriam criminibus opperere? Quomodo cibo diuino nutritus, ac mammillâ Regum lactatus, ipſaque cœleſtis menſæ participatione glorioſus ſeſe maculis peccatorum præſtabit inglorium? Vel quomodo eum à quo tantâ gloriâ donatus eſt, opprobriis ac contumeliis afficiet? Sanæ mentis non erit ille, qui tantis Euchariſtiâ collatis benefi-

Ioſeph heræ reſtitit, & ſe non poſſe peccare clamat.

D. Bern.

ciis

ciis oblitis, tantiſque ſpretis amoris indiciis, in magnificum adeo inſurget benefactorem. Immò vel indignè recepit, vel gratiam quam acceperat amiſit, qui tot donorum immemor noua crimina non dubitat perpetrare. Magna ſiquidem ad non peccandum immenſa hæc beneficia auxilia conferunt: nec ſolùm voluntas peccandi à nobis tollitur, ſed etiam omnium peccatorum radix, ipſiuſque peccati fomes frenatur ac coërcitur.

Indignè cõmunicauit qui facilè poſt communionem peccat.

113. Quamuis enim auguſtiſſimum Altaris Sacramentum ad reprimendum peccati fomitem directè & per ſe non ordinetur, cùm hoc Baptiſmi, quo in nouos homines regeneramur, proprium ſit; tamen vt docet D. Thomas 3. p. qu. 79. art. 6. ad 3. *Diminuit fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem.* Quia ſicut D. Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſtionum, qu. 36. *Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* Vnde qui mirabili hoc veſcuntur cibo, non tantùm amici, ſed chariſſimi à diuina Sapientia appellantur: *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5. num. 1. Vbi D. Cyrill. Alexandr. *lib. 3. in Ioan. cap.* 16. legit: *Inebriamini qui prope eſtis.* Ex quo non abs re erit expendere, eos qui ſacrâ cibantur Euchariſtiâ, & Deo prope eſſe, & ipſi chariſſimos appellari. Deo vtique prope ſunt, quia hoc Sacramento refecti Deo pleni ſunt. Deo chariſſimi ſunt, quia ipſo Deo nutriti ac ſaginati, ipſi adhærent felici amicitiæ vinculo colligati. Bonorum ergo omnium affluentiam cœleſti conuiuio deliciis omnibus refertiſſimo recipientes, ipſaque, quâ intus ardent, charitate conſeruantes, mala omnia, malorumque cogitationes euaneſcunt; ſicque ipſa præſentia peccata quæ ieiunos vincerent, à Chriſtianis cœleſtibus paſtis deliciis extinguntur.

Baptiſmus directè contra fomitem ordinatur. D. Thomas. Euchariſtia auget charitatem, & minuit cupiditatem. D. Aug. D. Cyrill. Chriſtiani per Euchariſtiam Deo chariſſimi.

§. III.

Futura per Euchariſtiam peccata cauentur.

114. PEritiſſimi in re medica viri eſt, non ſolùm præſentes ab ægroto morbos depellere, ſed etiam comparata ad tuendam ſanitatem adminicula præbere; præſertim cùm omnia agentia phyſica, vt tritum eſt apud Philoſophos, illud quod dederint eſſe ſedulò conſeruent. Cùm ergo Dei Filius, qui vt loquitur D. Auguſtinus, *magnus de cœlo venit medicus, quia per totum mundum magnus iacebat ægrotus*; mirabili Euchariſtiæ Sacramento, quod à D. Ignatio Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo ep. 14. ad Epheſios, *Mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis* appellatur; animæ noſtræ debilitates ac infirmitates ſanet, illius tanto cibo paſtum, vigorem ac feruorem charitatis ita ſolidabit, vt ab omni lapſu, omnique peccato præſeruetur. Viuunt ergo panis vitæ virtute: ſed non breue tempus vitam iſtam menſurabit, in æuum protrahetur hæc vita, nec vllius infirmitatis languore turbabitur, nec mortis impetu diſſoluetur; quia gratiarum fonte ſatiatus homo, ad nullius dæmonis pauebit occurſum, nullo frangetur ſcelere, omnemque offenſam conſtanti ac generoſo animo prætermittet.

D. Auguſt. Chriſtus medicus. D. Ignat. Per Euchariſtiam debilitates animæ curat.

115. Quod quidem ex ipſo Chriſti Domini ore colligimus, qui *Ioan.* 6. 50. ait: *Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Quod quidem, vt rectè notat D. Th. 3. *p. q.* 79. *art.* 6. manifeſtum eſt non intelligi de morte corporali: ergo intelligitur quod hoc Sacramentum præſeruet à morte ſpirituali, quæ eſt peccatum: nam vt inquit Innocentius III. lib. 4. de ſacr. myſter. Altar. *Hoc Sacramentum venialia delet, & cauet mortalia*, à quibus ille qui reuerenter ſacra ſuſcipit myſteria præſeruatur. Non autem diſſimili modo Diuino hoc operante Sacramento futurâ aliquis à culpa præſeruatur, quo corpus à morte præſeruatur futurâ: peccatum enim eſt mors animæ, iuxta illud Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Sicuti ergo duplici modo aliquis ſe à morte præſeruat corporali, primò namque in quantum natura hominis interiùs roboratur contra interiora corruptiua, & ſic præſeruatur à morte per cibum & medicinam; ſecundò verò per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſeruatur per arma quibus munitur corpus: vtroque etiam modo hoc Sacramentum præſeruat à peccato; nam primò per hoc quod Chriſto coniungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina, ſecundùm illud ſpalmi 103. *Panis cor hominis confirmat.* Et Auguſt. *tract.* 16. *in Ioan.* ait: *Securus accede, panis eſt, non venenum.* Alio modo, in quantum eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem, vnde ſacris myſteriis potentibus veluti armis etiam contra externas aëreaſque poteſtates protegimur & roboramur, ideoque Chryſoſt. *hom.* 45. *in Ioan.* ait: *Tanquam leones ignem ſpirantes, ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.* Dum enim inuictiſſimi de tribu Iuda leonis corpus ſacrum, quo tartara deuicit, exhibetur, rugientes tanquam leones dæmones fugantur ac diſſipantur.

D. Thom. Innoc. III. Euchariſtia cibus, medicina & arma. D. Auguſt.

Omnium animantium qui princeps eſſe dicitur leo non modò viuus obtinet totius naturæ monarchiam, ſed etiam mortuus, ac cum eo poſt mortem viuit terror; atque id non modò in tota mole corporis, verùm in eius particula, in oculo, cuius eam vim eſſe aiunt, vt ſub axilla geſtatus cæteris animantibus non leue ſit terriculamentum. Sanè non paruum dæmonis incutient terrorem pretioſo Chriſti, leonis myſtici, corpore vegetati: non ferunt ſub axilla mortui leonis oculum, ſed ferunt in pectore animatum diuini de tribu Iuda leonis corpus integrum, oculis præditum, omnibuſque ſenſibus donatum, olim poſt paſſionem mortuum, ſed à triduo mortis in ſecula rediuiuum, gloriâ coronatum, imperio ac fortitudine ornatum. Tale præſidium ferentes cunctos hoſtium cuneos frangunt, impetus retardant, ipſoſque dæmones non tantùm terrent, ſed conterunt, dum eorum inſidias detegunt, malignaſque ad peccandum incitationes repellunt. Nam vt loquitur D. Cyrill. Ieroſolymit. catech. myſtagog. cap. 4. *Efficimur Chriſtiferi, hoc eſt Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus eius & ſanguinem in membra noſtra recipimus.* Vnde ſi Chriſtus Dominus, qui vt agnus occiſus vicit vt leo, *dignus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra*, vt habetur *Apocal.* 5. 12. 13. Chriſtiani ſacra in Euchariſtia agnum occiſum, victoremque leonem Chriſtum in ſe recipientes, eius pariter virtutem & fortitudinem recipiunt ſuper omnes quæ Chriſto aduerſantur poteſtates, præſertim ſupra peccata, & ipſos dæmones ad peccata homines promouentes. 116.

Mortui Leonis oculus terror eſt animaliū. Chriſti corpus terror eſt dæmonū. Cyrill. Per Euchariſtiam Chriſtiani Chriſti virtutem participantes non peccant.

Digitized by Google

uentes. Cùm enim in Chriſto maneant dum eius carnem manducant, vt expreſsè docuit Dominus, Ioan.6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: eius fortitudinem participant Chriſtiani, ac ſanctitatem, & quamdiu in gratia Sacramenti perſeuerant, ipſique Chriſto permanent colligati, ab omni lethali ſcelere præſeruantur.

117. Claræuallenſes Monachi Ord. Ciſtercienſis ſacrâ Euchariſtiâ à peccatis præſeruantur. D. Bern.

Verùm quæ modò literis exaramus, experti ſunt olim religioſiſſimi illi Ciſtercienſes D. Bernardi Monachi, quibus Mellifluus ille Doctor *ſerm. de Cœna Domini*, ſic loquebatur: *Duo illud Sacramentum operatur in vobis, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò conſenſum.* Et ſtatim ſubdit: *Si quis veſtrûm non tam ſæpe modò acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi; gratias agat corpori & ſanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Adeò verum eſt ſacra agente Synaxi inordinatos concupiſcentiæ frenari motus, ipſoſque mali inſtigatores dæmones longiùs à nobis exturbari.

118. Vitâ Chriſti donamur ſacra Communione.

Innocentiſſima ſemper fuit Chriſti Domini vita, nullis partis inferioris motibus perturbata, nec vllius peccati ſorde fœdata; ſemper tranquilla, ſemper pura: & quos aduerſarios habuit, conſtantiſſimè, & tamen pacificè ſuperauit. Sanctiſſimæ huius vitæ munere ſacrum eius corpus degustantes ditamur, ac decoramur, nec modò Diuini Corporis ſanctitate, ſed etiam diuinâ Chriſti Domini vitâ contra omnes aduerſariorum inſidias roboramur. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, Ioan. 6. 57. ait Chriſtus; vt oſtenderet, quod ſicut Pater Filio vitam communicat; ita etiam Chriſtus ſuam ritè ſuſcipienti largitur: ac conſequenter ſicuti Chriſtus propter vitam diuinam, & Diuini Verbi vnionem hypoſtaticam non poteſt peccare; ſic Chriſtianus vitâ Chriſti donatus vires maximas recipit, vt non peccet; quamdiu enim ſecundùm excellentes huius vitæ motiones operabitur, non offendet; licèt ſemper dum eſt in via, nec in gratia confirmatus, poſſit peccare, propter flexibilitatem liberi arbitrij in bonum & in malum. Nam vt optimè notat D. Th. 3. p. q. 79. art. 6. ad 1. *Licèt hoc Sacramentum, quantùm eſt de ſe, habeat virtutem præſeruatiuam à peccato; non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi.*

Euchariſtia dat vires ad non peccandum.

119. Nec mirum: *pauca ſalis mica multam conſeruant à putredine carnem*, vt ait Procopius *in cap.* 18. *Gen. num.* 32. ipſumque Chriſti Domini corpus myſticum, veluti ſal carnem noſtram, animamque condiens, ab omni peccati putredine liberabit. Ingenioſus ſanè Chriſti in Euchariſtia erga homines amor, non ſolùm vt cibus deperdita reparat, ſed vt ſal ab omni perditione præſeruat. Sed dum ſalis nomine Chriſtum appello, ne ſtupeas. Aquam & ignem ſalem efformare experientia conuincit, duoque maximè contraria intimè in ſale vniri conſtat. In illo enim ineſt aqua marina, ex qua præcipuè conflatur. Ignis etiam ineſt, quia aqua à ſole & igne ſiccata, perfecta, & in formam debitam ſalis calore redacta eſt: vnde & apud antiquos amicitiæ ſymbolum ſal fuit, & in ſacris Paginis ad omne ſacrificium deſideratum. *Sal fœderis* appellatur Leuit. 2. 13. *Nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.* Ex quibus Chriſtum myſticum ſalem eſſe non dubites: ſi enim ignis & aqua marina ſalem efformant, quid tibi Chriſtus videtur, niſi ineffabile quoddam ex igne & aqua compoſitum, ex diuino Verbi ſuppoſito, & ex humana natura: *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Deut. 4. 24. *Aquæ multæ populi multi*, omneſque homines coram Deo ſunt *ſicut gutta roris antelucani*. Sap. 11. 23. Cùm ergo ignis Deus ſit, & homo gutta aquæ, Deumque & hominem veluti aquam & ignem ſummus Solis diuini, ſeu Patris æterni ardor, ſeu charitas in Chriſto ad vnitatem vnius ſingularis perſonæ copulauerit, mortaleſque inimicos, Deum offenſum & hominem peccatorem reconciliauerit, non immeritò Chriſtum ſalis nomine vocitamus; immò illum in ſale omnibus in veteribus Legis ſacrificiis requiſitum liquet fuiſſe adumbratum: *Quidquid offeres, ſale condies*. Leuit. 2. 13. Nec à Deo accepta fuiſſent vetera Iudæorum ſacrificia, niſi Filij ſui *Agni immaculati præcogniti ante conſtitutionem ſeculorum*, vt habetur 1. *Petri* 19. figurâ per ſalem fuiſſent nobilitata: vnde Euchariſtiam à peccato præſeruare non ambigas, cùm Chriſtus Dominus, veluti ſal mundi, in ea hominem à peccato præſeruet, & à corruptione liberet.

Chriſtus ex Deitate vt igne, & ex humanitate vt aqua cōpoſitus, ſal appellatur.

Quem optimis legibus populum inſtituerat Solon Salaminus adeò dilexit, vt ſuos cineres poſt mortem ſeminari iuſſerit per vniuerſam Salaminam, inquiens: *Ego hanc prouinciam colo ſparſus per omnem vrbem.* Quia ſcilicet ſicut moribus eam prouinciam ornauerat, ſic ad modum ſalis per eam ſparſus eſſe voluit. At Solonem ſapientiſſimum, *qui factus eſt nobis ſapientia*, Chriſtus ſuperauit: vniuerſum per orbem diffuſam Eccleſiam poſtquam ſanctiſſimis legibus inſtituit, illam adeò dilexit, vt poſt mortem ſuam non non cineres ſuos, quos non habuit (non enim ſacrum eius corpus fuit incineratum,) ſed proprium, idque integrum, viuum, glorioſum, ac immortalitate donatum idem corpus non per terram ſpargere, ſed in omnibus Fidelium pectoribus, cordibuſque ad modum ſalis collocare iuſſerit, vt tanto amoris ac ſapientiæ pignore omnem corruptionem fugerent, futuraque cauentes delicta, nec legem frangerent, nec tantum cum ipſo myſtico ſale initum amicitiæ fœdus violarent. Nam vt cum Diuo Cyrillo Alexandrino *lib.* 4. *in Ioan. c.*17. concludam; *Tremendum corporis Domini myſterium ſedat ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni nos erigit caſu.* 120.

Solon cineres ſuos per Salaminam ſpargere iubet.

Chriſtus carnem ſuã in cordibus Fidelium præcipit collocare.

Euchariſtia ſedat appetitûs inordinatas motiones.

Sectio III.

Chriſtus Saluator eſt in Euchariſtia, quia per illam mors deſtruitur.

Mortem iuſtam ſceleris pœnam hominum Protoparenti comminatus fuerat Dominus, 121.
ſi impoſitam ſibi legem inobediens violaret. At quid egit imprudens? Sui muneris, Deique minarum immemor, falſis cacodæmonis pollicitationibus deluſus, blandiente vxoris exemplo legem ſoluit, fructum vetitum manducauit, ſtatimque incurrit mortem, quæ à quibuſdam ab iniuſto, rebellique illo Adami morſu nomen trahere dicitur. Vnà cum impio parente, quem veriùs peremptorem dixerim omnes perempti ſunt eius filij: itaque perditi erant homines, quia à Diabolo ſuperati, peccatis inuoluti, morti addicti

Mors à morſu dicitur.

addicti erant : ſed opus ſuum reſtaurante Saluatore noſtro Ieſu Chriſto dæmones ſuperati, peccata deleta ſunt, vt in ſuperioribus ſectionibus oſtendere tentauimus : nunc etiam illos à Saluatore, ſacro agente ſui corporis myſterio, à morte ereptos eſſe ſuadere nobis incumbit.

122. *Inuidiâ Diaboli mors intrauit in orbem terrarum*, vt dicitur *Sap.* 2. 24. Dolebat enim nequam ille & ſuperbus ſpiritus, infimæ conditionis hominem & gratiâ, & immortalitate potiri, ideoque ſimul ad peccatum & ad mortem impulit. Mentitus eſt impoſtor, dum dixit : *In quocumque die comederitis ex eo* (fructu vetito) *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & & malum*, Gen. 2. Nam ſtatim ac legem fregerunt, clauſi ſunt primorum parentum mentis oculi, vt iumenta ſcientiâ orbata facti ſunt, mortiſque imperio ac iuribus ſubditi extiterunt. Sed Chriſtus Dominus magni conſilij Angelus mali angeli damna reſtaurauit ; cibum tribuit, quo & ſcientiam reciperent, & à morte liberarentur.

Euchariſtia panis vitæ & intellectus, à morte & ignorantia liberat.

Sacra hæc eſt Euchariſtia, quam meritò *panem vitæ & intellectus* appellare conuenit, quia ſimul illius fulget mens illuſtrationibus, eiuſque munimine contra necis impetum fit homo ſecurus. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, inquit Dominus *Ioan.* 6. 9. vbi quamuis Saluator de morte viſibili & corporali ſermonem non faciat, *nos enim ſic morimur, qui manducamus panem de cœlo deſcendentem*, vt aduertit D. Auguſtinus *tract.* 16. *in Ioan.* tamen illam ad longiores annos protrahi, longioreſque nobis hoc ſacramento cumulari dies omninò certum eſt.

D. Aug.

123. Omnis vita à Deo eſt.

Nulla in homine poteſt concipi vita, etiam corporea, niſi participata à primo totius vitæ fonte, ſcilicet à Deo, qui propterea Deus viuus, *Matth.* 16. Deus viuorum, & non mortuorum, *Marc.* 12. immò & ipſa vita, *Ioan.* 14. nuncupatur. Cùm enim omne bonum ab illo dependeat, nam *deſurſum eſt dependens à Patre luminum*, vt ait Iacobus *cap.* 1. 18. & vita bonum ſit, imò cæterorum bonorum fundamentum, vt ait Ariſtoteles, à Deo corporalem etiam vitam oriri, nobiſque ab eo communicari non ambigitur. Cúmque ipſe Filius Dei viui vnigenitus reſpectu creaturarum vitæ principium exiſtat, *ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*, vt dicitur *Ioan.* 5. 16. tremendumque Euchariſtiæ myſterium carnem Chriſti animâ rationali informatam, Verbique Diuini hypoſtaſi perſonaliter vnitam, ad modum cibi communicet, & per modum alimenti nobis intimè coniungat ; vitæ corporalis munus etiam ab ea recipimus, & longioribus tanto Sacramento diebus à Filio Dei cumulamur : ſicque, quam vetiti comeſtione edulij amiſimus, Euchariſtici manducatione panis vitam recuperamus. *Comedite*, dixit ſerpens, *& eritis ſicut Dij.* Gen. 3. Mortui ſunt omnes Dij, nec aliud præter vana ſimulachra, quibus & vita, & ſenſus, & cognitio deeſt, exiſtunt. Cùm ergo non dixit, *& eritis ſicut Deus*, qui viuus eſt, vitæque principium ; ſed, *eritis ſicut Dij*, homines decipiens diabolus, mortem quæ à falſis inanibuſque non ſeparatur idolis, illis certiſſimam prænunciauit.

Vita omnium bonorum fundamentum.

Vita nobis ab Euchariſtia tribuitur.

Dij mortui & manes ſunt.

R.P. Car. Beuquin Comm. in Proſam D. Thom.

124. Sed Chriſtus, vt loquitur Rupertus Abbas *in cap.* 3. *Gen.* dixit diſcipulis, *Comedite, & eritis gratiâ quod ego ſum naturâ* ; ſcilicet filij Dei, ideſt vitam habebitis : Filius enim Dei ex vi ſuæ proceſſionis, vt loquuntur Theologi poſt D. Thomam 1. *p.* *q.* 27. *art.* 2. oritur viuens à Patre viuente actione vitaliſſimâ, nempe intellectione quæ immanens, & intrinſeca terminum producit principio ſuo ſimillimum in natura : vnde & hic terminus ſimillimus ſuo principio eandem etiam numero ex vi proceſſionis habet naturam, ideoque appellatur Filius, Verbum, eiuſque viuus ſubſtantiæ character, gloriæ ſplendor, perfectiſſimaque Dei inuiſibilis imago. Si ergo ſacræ participatione Synaxeos Filij Dei adoptiui titulo decoramur, gratiam quæ diuinæ naturæ quædam formalis eſt participatio, vt docent Theologi cum Diuo Thoma 1. 2. *q.* 110. *art.* 3. recipientes non tantùm ſpiritualem & ſupernaturalem vitam habebimus, ſed ex quadam exſuperantia dulcedinis bonitatis diuinæ redundabit ad naturalia mirabilis illa viuificatiua potentia, ipſaque Deo impinguata anima per Euchariſtiam, vt ſuperiùs ex Tertulliano notauimus, corpori vitam largietur longiorem.

D. Thom.

Filius Dei ex vi ſuæ proceſſionis viuus vitam homini tribuit in Euchariſtia.

125. Cadauer olim à quibuſdam Moabitarum latrunculorum metu in ſepulchrum Eliſæi proiectum, ſimul ac Prophetæ mortui oſſa tetigit, reuixit, ſtetitque homo ſuper pedes ſuos, vt refertur 4. *Reg.* 13. 21. Quid ergo faciet homini viuo viuum corpus Filij Dei viui ? Vitam vtique tribuet diuturniorem. Nec mirum ; corpus iſtud Diuino Verbo, quod verè vita eſt, hypoſtaticè vnitum, vitam non poteſt non augere : quod notauit D. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. c. 12. & 14. *Viuificatiuum*, inquit, *Dei Verbum, vniens ſeipſum propria carni, fecit ipſam viuificatiuam : decebat enim cum noſtris quodammodo vniri corporibus per ſacram eius carnem, & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & vino.* Vbi ſacra myſteria quæ nobis ſub ſpeciebus panis & vini miniſtrantur, à nobis accipi in benedictionem viuificatiuam à Cyrillo dicuntur, quia & illis vita noſtra etiam corporea creſcit, noſtrique multiplicantur dies : quod propriè Dei benedictionis effectus eſt ; dum enim parentes noſtros benedixit : *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini*, vt dicitur Gen. 1. 28.

Oſſa Eliſæi mortuum ad vitam reuocant.

Caro Chriſti longiorem vitam tribuit.

126. Qui populum ſuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in litore maris, innumerabilem fideli famulo Abrahæ pollicitus fuerat, hoc populo Dauid Regis iuſſu numerato ita offenſus eſt, vt tanti in pœnam ſceleris Regem in plebe mulctans, duriſſimam in Iſraëlitas peſtilentiam immiſerit. Triduo debebat graſſari lues : *Tribus diebus erit peſtilentia in terra*, ait textus Sacer 2. *Reg.* 24. 13. quæ tamen vix dimidium expleuit diem ; mox enim, vt ibidem *num.* 25. ſubditur, *immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël de mane vſque ad tempus conſtitutum* ; ſeu vt habent Septuaginta Interpretes, *de mane vſque ad horam prandij.* Mirandus ſanè videtur hic euentus, ipſique Scripturæ contrarius. Tres dies peſtilentia erat duratura, & tamen in primo ſub horam prandij penitus extincta eſt ? Vide ſacræ etiam in typo Euchariſtiæ virtutem : vitæ ferculi vmbra

Dauid ob populum numeratum à Deo punitur.

Lues Iſraëlitas deuaſtans Euchariſtiæ typo diſſipatur.

ſævientem fugauit mortem ; & diuinum , vt loquitur Diuus Ignatius , *immortalitatis pharmacum* , illo in prandio adumbratum omnia à peſtilentiâ illata vulnera ſanauit. Quod acutè ſanè & eleganter à D. Cyrill. Alexandr. *lib.* 3. *de adoratione* , excogitatum eſt , ait enim : *A mane , hoc eſt à primis ſeculi temporibus , mors depaſta eſt eos , qui in terra erant , vſque ad horam prandij , hoc eſt vſque ad menſæ tempus : vbi enim aduenit nobis ſancta menſa tempus , nimirum illius myſtica , in qua veſcimur pane illo cœlitus dato , quæ priùs terribilis erat mors ceſſauit.* Cùm ergo ante Euchariſtiæ imaginem mors non feriat ; nunquid ipſo viuifico pane deguſtato , vita non longiùs protrahetur ?

D. Cyrill. Alex.

127. Cæterùm licèt viam vniuerſæ carnis tandem aliquando ingreſſuri mortis iuribus obtemperemus , adhuc tamen viuere dicimur ; tum quia animæ noſtræ vita obitu corporis non ſoluitur : tum quia & ipſum mortis iaculo confoſſum corpus , tanti quo cibatur myſterij virtute aliquando rediuiuum mortem ipſam iugulabit. *Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors* , vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 15. 26. Quia quæ viuifico pane ſatiata eſt , mortis nexibus ſolutis , caro denuo ſimul animâ & vitâ donabitur. Audierat in primis ſuis progenitoribus homo : *Puluis es , & in puluerem reuerteris* , vt habetur *Gen.* 3. 19. Audiuit à Reparatore ſuo ; *Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem , habet vitam æternam , & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Ioan. 6. 55. Vnde & immaculata Chriſti Sponſa ſpiritu veritatis afflata , in Concilio Nicæno congregata , quam à Sponſo accepit , ore proprio protulit veritatem , dum Euchariſtiam *Symbolum reſurrectionis* appellauit. Cùm enim per illam *futuræ gloriæ nobis pignus detur* , vt ex Diuo Thoma canit Eccleſia ; & homo ex anima & carne coaleſcens integrè felix non dicatur , niſi corpus laborum & dolorum particeps , etiam partem gloriæ ſuo modo ſortiatur ; dum anima ſacrâ agente Euchariſtiâ gratiis augetur , corpus ſymbolo , ſeu pignore reſurrectionis donatur , nec alio modo morti obnoxia hominis caro corruptionis expers eſſe poterat. Quod eleganter attigit Diuus Cyrill. Alexandr. *lib.* 10. *in Ioan. cap.* 13. dicens : *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci , niſi naturalis vita corpus ei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti ; Chriſto, te obſecro , fidem præbe. Amen dico vobis , niſi manducaueritis carnem Filij hominis , non habebitis vitam in vobis , &c.* Et ibidem ſubdit : *Caro vitæ , facta vnigeniti caro ad vnitatem vitæ traducta eſt : non poteſt igitur morte ſuperari. Propterea in nobis facta , interitum à nobis expellit.*

Mortui Euchariſtiæ virtute reſurgent.

Conc. Nic.

D. Cyrill. Alex.

Caro Chriſti vnita Verbo , vitam communicat.

128. Verùm ſi tremendorum virtute myſteriorum incinerata hominis caro aliquando rediuiua reſurget : ergo homines Ethnici , & infideles , qui carnem non manducauerunt Filij hominis , non reſurgent , nec tranſactis omnibus ſeculis vllam in ſe vitam habebunt ? Nequaquam. Reſurgent Ethnici , reſurgent infideles ; reſurgent , inquam , cum Chriſtianis , immò & tanti virtute Sacramenti , quia per eandem potentiam mortui omnes , iuſti & impij , boni & mali ad vitam reuocabuntur. Quod vt faciliùs capiatur , neceſſariò ſciendum eſt , Chriſti Domini reſurrectionem , omnnium hominum reſurrectionis efficientem & exemplarem cauſam extitiſſe , vt docent Theologi cum Diuo Thoma 3. *p. quæſt.* 56. *art.* 1. Cùm enim origo humanæ viuificationis ſit verbum Dei , de quo dicitur pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ* ; vnde & Chriſtus Ioan. 5. dicit : *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat , ſic & Filius quos vult viuificat:* cúmque naturalis ordo rerum diuinitus inſtitutus habeat , vt quælibet cauſa primò operetur in id quod eſt ſibi propinquius , & per illud operetur in alia magis remota : ſicut ignis primò calefacit aërem ſibi propinquum , per quem calefacit corpora diſtantia ; ſic ipſe Deus primò illuminat ſubſtantias ſibi magis propinquas, per quas illuminat magis remotas , vt D. Dion. dicit 13. *cap. Cœl. Hierarch.* ideò Verbum Dei primò tribuit vitam immortalem corpori ſibi naturaliter vnito, & per ipſum corpus ſic rediuiuum operatur reſurrectionem in omnibus aliis : vnde & Apoſtolus 1. *Cor.* 15. ait : *Chriſtus reſurrexit a mortuis , primitiæ dormientium ; quoniam quidem per hominem mors , & per hominem reſurrectio mortuorum.*

Etiam infideles Euchariſtiæ virtute reſurgent.

D. Thomas.

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens & exemplaris reſurrectionis hominum.

D. Dion.

Verbum Dei per corpus ſibi vnitum vitam aliis tribuit.

Prout igitur reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis , quod illi competit inquantum humanitas Chriſti ſecundùm quam reſurrexit , eſt quodammodo inſtrumentum Diuinitatis ipſius , & operatur in virtute eius , quæ eſt infinita , & attingit præſentialiter omnia loca & tempora , ſe extendit ad omnes homines , bonos & malos , fideles & infideles , qui ſunt Chriſti iudicio ſubiecti. Si verò reſurrectio Chriſti conſideretur vt eſt cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis , prout id quod eſt perfectiſſimum ſemper eſt exemplar eius quod eſt minùs perfectum ſecundùm ſuum modum , tantùm propriè ſe extendit ad reſurrectionem bonorum Chriſtianorum , qui eius corpore in hac vita ſunt refecti , & facti ſunt conformes filiationis ipſius ; maximè quia cauſa exemplaris non eſt neceſſaria ex parte reſuſcitantis , ſed ex parte teſuſcitatorum , quos oporter illi reſurrectioni conformari, ſecundùm illud Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* 129.

Reſurrectio Chriſti eſt tantum cauſa efficiens reſurrectionis infidelium.

Eſt efficiens & exemplaris reſurrectionis bonorum.

Vnde patet quod licèt infideles & Ethnici tremendi corporis Chriſti myſteriis participes non extiterint ; tamen quia omnium hominum reſurrectio efficienter cauſabitur ab ipſo Chriſti corpore , cui Verbum Diuinum prius vitam tribuit immortalem , vt per ipſum tanquam per inſtrumentum cæteris hominum corporibus eam largiretur ; ideo etiam infidelium reſurrectio , ſacro agente corpore Domini , quod realiter in Euchariſtia continetur , adimplebitur : & ſic etiam ipſorum infidelium , ſicut & Fidelium mors hoc pane vitæ deſtruetur , & trucidabitur ; ipſumque diuiniſſimum Altaris Sacramentum , quamuis ab omnibus hominibus non fuerit actu receptum , tamen omnibus prodeſt , omniumque interitum reparat & reſtaurat. Quod & Euangelici Prophetæ inſinuat vaticinium. *Faciet* , inquit Iſaias , *Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium , conuiuium vindemiæ , pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Iſai. 25. 6. 130.

Corpus Chriſti, eius inſtrumentum diuinitatis.

Vbi

Vbi omnibus omninò populis ſacrum Euchariſtiæ conuiuium paratum Vates præloquitur: ſed effectum illius vide ſtatim à Propheta adductum; ſubiungit enim ibidem 8. *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* A cibo enim viuifico mors non poterat non exterminari.

131. Nec ſolùm corporalem hominis vitam vel labentem conſeruat, vel deperditam ſacra reſtaurat Euchariſtia. Spiritualem, quæ verè vita eſt, quia per eam diuinæ per gratiam vitæ Chriſtiani fiunt participes, auget & multiplicat. Sub ſpeciebus panis & vini, & conſequenter per modum cibi & potus hoc diuiniſſimum Fidelibus tradi Sacramentum, non vacat myſterio; immò hinc innuitur, quantùm ad vitam ſpiritualem id omninò in nobis ſacram præſtare Synaxin, quod cibus & potus materialis operantur quantum ad vitam corporalem: & ſicut alimentum corporeum, vt notat D. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 1. ſuſtentat, auget, reparat, & delectat; ita ab auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento vita ſpiritualis animæ ſuſtentatur, augetur, reparatur, & delectatur. Quæ ſigillatim modò exponere abſtinemus, ne diuerſâ ab inſtituto materiâ hanc ſectionem cumulemus; illa enim fusè proſequemur dum ſeſe inferiùs offeret occaſio. Et ideo panem vitæ æternæ, Euchariſtiam vocat D. Ambr. *lib.* 5. *de Sacram. c.* 4. dum ait: *Iſte panis eſt vita æterna, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.* Cùm enim gratia ab ipſo fonte inexhauſto per hoc Sacramentum in animam dimanet, nouo veluti fulcro ſtabilitur, firmatur, ſuſtentatur. Ipſa enim Redemptoris noſtri paſſio, quæ ſuâ humilitate iacentem mundum erexit, ſicut & infirmitate titubantem hominem ſolidauit, tremendo Euchariſtiæ myſterio non ſolùm exhibita, ſed inuoluta, quem in mundo produxit effectum, hunc in homine operatur, ipſumque ſacro Chriſti cruore rigatum renouat, erigit & confirmat. Quidni? Firmiſſimæ illi non à Moyſe, ſed ab æterno Patre propter ſcelus populi ſui percuſſæ petræ copioſos gratiæ latices effundenti Euchariſtiâ coniungimur, ipſaque pietatis vitæque ſupernaturalis fluenta ex Domini lateris fonte potamus: ſacrumque illud pectoris vulnus, quod aliàs ſanguinem & aquam continuò fudit, & nunc gratiam ac ſanctitatem exhibet hauriendas, oſculamur. Nam vt notauit Diuus Chryſoſtomus explicans illud Ioan. 19. *Continuo exiuit ſanguis & aqua*, hom. 84. in Ioan. *Quia hinc ſuſcipiunt principium ſacra myſteria, cùm acceſſeris ad tremendum calicem, vt ab ipſa bibiturus Chriſti coſta, ita accedas.*

Vitam ſpiritualem dat Euchariſtia.

Suſtentat, auget, reparat & delectat animã.

Euchariſtia animam ſuſtentat.

Vulneri Chriſti Domini lateris adhæremus per Euchariſtiam.

132. Cùm ergo adorando Chriſti Domini, vnde non ſolùm omnia Eccleſiæ Sacramenta ſpiritualis vitæ principia, ſed omnes gratiæ fluxerunt, vt ſancti Patres loquuntur, lateri lanceâ aperto tanto myſterio copulemur, imò & ipſi Deo coniungamur, nos ab illo ſpiritualis vitæ augmentum liquet percipere; maximè quia, vt notat Doctor Angelicus 3. *p. q.* 79. *art.* 1. *ad* 1. per hoc Sacramentum perficitur ſpiritualis vita, ad hoc quod homo in ſeipſo perfectus exiſtat per coniunctionem ad Deum. Vnde D. Ambroſius huius vitæ munus nobis viuifico pane collatum perpendens *ſerm.* 18. *in pſal.* 118. ſic fatur: *Quomodo morietur, cui cibus vita eſt?* Et ſtatim ſubdit: *Accedite ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum, & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eum, & liberamini, quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & abſoluimini, quia remiſſio peccatorum eſt.* Vbi omnia quæ vitam corpoream perficiunt & delectant, ab Euchariſtia in vitam ſpiritualem promanare eleganter demonſtrat: nam cibus, potus, lux, libertas, ac ſanitas, ſine quibus vita vel iniucundo, vel nullo modo tranſigitur corporea, animæ Chriſtianæ Sacramento donantur Altaris; per ipſum quippe anima iam per gratiam viua (eſt enim viuorum, & non mortuorum Sacramentum) nutritur tanquam cibo & potu, illuminatur tanquam ſole, liberatur tanquam totius libertatis principio; eiuſque ſanitas ſeu vigor conſeruatur, dum à culpa præſeruatur mirabili eius, qui remiſſio peccatorum eſt, virtute ac potentiâ.

D. Thom.

Diuerſa ab Euchariſtia homini conferuntur beneficia.

Sed parum eſſet Chriſtianæ animæ hoc in ſeculo ſpirituali per Euchariſtiam vitâ donari, niſi illi in æternum viuere concederetur. *Quid enim prodeſt benè viuere, cui non datur ſemper viuere? Nam ad hoc debet vnicuique prodeſſe benè viuere, vt detur illi ſemper viuere*, vt loquitur D. Auguſtinus *tract.* 43. *in Ioan.* Vtrumque præſtat diuinus cibus. Dat animæ benè viuere, quia ſpiritualem eius vitam ſeruat & auget: dat inſuper ſemper viuere, quia feliciter ad cœleſtem eius virtute patriam currimus; & ſicut olim in panis ſubcinericij fortitudine vſque ad montem Dei Oreb ambulauit Helias, ita ſanctiſſimi corporis Chriſti cibo roborati ad Regna ſiderea ſubleuamur. Nec mirum; fructus iuſtè poteſt expectare, eoſque in agro ſuo colligere, qui illorum ſemen bonam in terram mandauit. Semen gloriæ (quæ eſt vita æterna) gratia eſt, vt communiter docent Theologi: at tremendo myſterio non ſolùm gratia, ſed omnium gratiarum ſcaturigo in auctore ſuo nobis confertur. Quid ergo, niſi fructus illius vberes, æternam ſcilicet felicitatem, poterimus expectare? Meſſis in ſemine virtualiter includitur; ipſaque diuina gloria, quâ beamur in patria, ſacrâ in Euchariſtia continetur: dumque illam recipimus, etiam æternæ initium felicitatis in illa accipere meremur; quia vt optimè cum D. Thoma loquitur Eccleſia, per Euchariſtiam *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quæ fusè proſequi modò non tentamus conſulentes breuitati; ſed de his inferiùs redibit ſermo. Itaque cùm à Diuiniſſimo Altaris Sacramento corporea protrahatur vita, immò & deſtructa reſtauretur, necnon ſpiritualis augeatur, conſeruetur, & tandem æterna conferatur: numquid viuifico hoc pane mors deſtruitur, ſicut & peccata delentur, ac dæmones ſuperantur: ſicque omnibus hominis malis à Chriſto Domino in Euchariſtia abolitis, nonne liquidò illum hominum tanto Sacramento eſſe Saluatorem conſtat. 133.

Spiritalem & æternam vitam dat Euchariſtia.

ELVCIDATIO III.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia Dux Chriſtianorum meritò nuncupatur.

134. TOtis animæ noſtræ viribus Chriſtum Dominum collaudare adorando in Euchariſtiæ Sacramento ſuadens Doctor Angelicus, poſtquam in primo huius Sequentiæ textu primam iuſti huius muneris rationem adduxit, ſcilicet quia Saluator eſt, ſtatim ſecundam ſubiungit, addens, *Lauda ducem*; vt quem Saluatorem in hoc tremendo myſterio credimus & experimur, etiam ducem optimum comprobemus. Conſideratis igitur in præcedenti elucidatione quæ per ſacram Synaxin à Chriſto Saluatore recipimus beneficiis, ea quæ nobis ab eodem vt Duce, ineffabile per idem myſterium conferuntur, nunc perpendemus. Quod vt perſpicuè præſtemus, nos à tanto Duce triplicem in locum deduci demonſtrabimus: nam ducit nos intra nos, ducit & extra nos, & tandem ſupra nos. Quæ tria à noſtra methodo minimè aberrantes ſigillatim proſequemur.

SECTIO PRIMA.

Chriſtus in Euchariſtia Dux noſter eſt, quia nos ducit intra nos.

135. INcredibile ſanè videbitur hominem, Chriſto ductore, intra ſe reduci, cùm penitus ſit incredibile, hominem extra hominem diuagari. Etenim ſi *ſpiritus hominis in ipſo eſt*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 2. quomodo extra hominem homo erit? Attamen extra ſe homo eſt, affectu & amore totus in externas creaturas effuſus; extra ſe à ſeipſo factus eſt, qui à Deo intra ſe factus fuerat. Cor ſuum, vitæ ſuæ principium, extra corpus ſuum, exteriori ac corruptibili in ſuæ dilectionis obiecto collocauit, ipſumque vt pretioſum vitæ ſuæ theſaurum diligens, ei totus adhæſit: *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, vt dicitur *Matth.* 6. 21. Errauit ergo homo amoris ſui pondere extra ſe pulſus, ſicque neque ſeipſum, nec illum à quo fuerat conditus agnoſcens, extra ſe vagabatur. Verùm ouem errantem bonus Paſtor quæſiuit, & hominem qui perierat, diuinæ gratiæ ſuæ munere reſtaurans Chriſtus Dominus, totum in ſe corporis & ſanguinis ſui myſterio reuocauit.

Creaturarũ amore homo fit extra ſe.

136. Inordinatorum omnium hominis extra hominem egreſſuum radix fuit inordinatus propriæ excellentiæ appetitus. Seipſum à Deo dependentem neſciuit; & à ſe Dei ſimilitudinem in ſcientia boni & mali, & in poteſtate exiſtimans propriæ virtute naturæ æternam poſſe conſequi felicitatem, & non à Deo habere geſtiens, ſuperbâ & impiâ extra ſe factus eſt elatione; etenim *initium omnis peccati ſuperbia*, vt dicitur *Eccl.* 10. Cæcus ergo propriæ excellentiæ in homine amor, dum propriam ſui abſtulit cognitionem, hominem extra hominem deiecit. Vt ergo ad ſeipſum Chriſtus Dominus errantem reducat hominem, contrarium per Euchariſtiam tanto vulneri aptat remedium, ipſamque hominis ſuperbiam & propriæ infirmitatis ignorantiam perfectâ ſui diſſipat cognitione, profundaque, quam tribuit, fugat humilitate.

D. Th. 2. 2. q. 168. art. 1. ad 2.

Ex eiſdem ſumus, ex quibus nutrimur, inquit Ariſtoteles. Cùm ergo ſacratiſſima quæ per Euchariſtiam myſteria, etiam ore corporis, tanquam diuina ſuſcipimus alimenta, humiliatam Verbi Dei hominis facti carnem nobis præbeant, haud dubiè nobis magnam conferunt humilitatem. Quamuis enim Doctorum verba diſcipulorum animis virtutem inſinuent, tamen altiùs eam cordibus exempla illorum infigunt: vnde apud omnes tritum emanauit proloquium: *Verba mouent, exempla cogunt*. Humilitatem ore proprio diſcipulos, & cum illis Chriſtianos omnes edocuit iuſtitiæ Doctor Chriſtus: *Diſcite*, inquit Matth. 11. 29. *à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Sed quia *parum illi fuiſſet fideles docuiſſe verbo, niſi firmaſſet exemplo*, vt loquitur D. Auguſtinus *in pſal.* ideò tantam cordibus noſtris virtutem ſanctiſſimis ac theandricis, vt cùm Dionyſio loquar, actionibus impreſſit: etenim cùm in forma Dei, ipſique Deo coæqualis ac conſubſtantialis eſſet, *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*, vt ait Apoſtolus Philip. 2. *Neque tantùm formam ſerui accepit vt ſubeſſet; ſed mali ſerui, vt vapularet*, ſicut eleganter dixit Mellifluus Doctor Bernard. *ſerm. fer. 4. hebd. pæn.* ipſumque ſacrum ſuum corpus contumeliis & cruciatibus vſque ad mortem crucis humiliatum, nouâ in Euchariſtiæ Sacramento humiliatione affectum nobis tradens, cum illo humilitatem intra nos collocauit. Cùm enim omne agens intendat ſibi paſſum aſſimilare, vt apud Philoſophos tritum eſt; ſimile ſibi, ideſt humiliatum animum in nobis producet humiliata Chriſti Seruatoris in Euchariſtia caro; nam vt inquit Auguſt. ſerm. 127. de tempore: *Vnde commendauit Dominus corpus & ſanguinem ſuum? Vnde, niſi de humilitate ſua? Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur; quis enim ad eum poſſet accedere, qui lucem habitat inacceſſibilem, & in Sole poſuit tabernaculum ſuum, niſi is qui Diuinitatem velauit corpore, ipſum etiam glorioſum corpus humilis dignaretur tegere panis ac vini pallio?* 137.

Chriſtus in Euchariſtia humilis.

Quapropter Sponſi ſui ſacra in Euchariſtia deſcenſûs non ignara ſancta Eccleſia, quos ad cœleſtem menſam accedere videt filios, eos ad propriam ſui abiectionem inuitat, vt humiliati ac exinaniti Saluatoris corpus ſummâ & humilitate & exinanitione diſpoſiti ritè ſuſcipiant. Omnes enim ſacram ante Synaxin cum centurione loquentes inducit: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Sanari ergo deſiderat à primo lethali vulnere, ſcilicet ab animi elatione, qui ad cœleſtem appropinquat menſam, dum ſe indignum præſentiæ Domini confitetur. Sicque ſuæ infimæ ac à Deo pendentis naturæ memor, ſui cognitionem callet; ac qui aliquando à ſeipſo ſuperbiâ exulabat, intra ſeipſum humilitate regreditur. 138.

Humiles Chriſtianos ad Communionem vult venire.

Subiectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliando ſe ſubjicit, præcipuè reſpicit humilitas, vt docet Angelicus Præceptor 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. *ad* 5. Cùmque diuino ac potentiſſimo Euchariſtiæ alimento alitum in ſeipſum conuertente, Deo ſubdatur Chriſtianus, ipſius humilitatis formaliſſimam tanto Sacramento obtinet rationem. Cùmque Deo verè non 139.

D. Thom.

ſubdatur

Deo ſubdit hominem Euchariſtia.

ſubdatur homo extra hominem errans, cæteriſque per amorem creaturis adhærens, quarum immoderato appetitu intumeſcit, vanamque ſui excellentiam cæco concupiſcit affectu, intra ſe cœleſti agente cibo remeare certiſſimum eſt. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, ait Chriſtus *Matth.* 24. quia dum intra corporeum hominum pectus diuina myſteria reconduntur, ſacrumque Redemptoris corpus velut diuinum alimentum à Fidelibus manducatur, ad ipſum Chriſtianæ, immò & ad ſeipſas remigrantes volitant animæ; & quæ extra ſe vagantes vbique errabant, ſacro Chriſti corpori adunatæ intra ſe colliguntur. Sed aquilæ iure merito Dei corpori animæ congregatæ nuncupantur, propter acutiſſimam oculorum aciem, ac viſus perſpicuitatem. Nam & Solem Iuſtitiæ fixâ acie in Sacramento, & ſeipſas eius ſplendore colluſtratas intuentur. Si enim *humilitatis radix eſt timor Dei, & memoria omnium præceptorum eius*, vt docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 161. *art.* 6. (quod quidem ex infinitate Dei maieſtate, & hominum nihilitate oritur) ab illa, quam nobis confert Euchariſtia, bonorum affluentia humilitatem recipientes, ac cum ipſa cognitionis perfectiſſimæ principium; *Initium quippe ſapientiæ timor Domini*, vt dicitur *pſal.* 110. 9. Dei, & hominum notitiam recipimus. Quis enim verè ſapiens, qui ipſam diuinam ſapientiam neſcit? Aut quomodò ſapiens aliquis putabitur, qui ſeipſum ignorat? Cùm & apud Ethnicos propria alicuius hominis notitia, totius ſapientiæ dicatur fundamentum: hoc ipſo enim quod aliquis à limine ſapientiam ſalutabat, ſtatim ſibi illud quod præ foribus Delphici templi lemma legitur, ſcilicet *Noſce teipſum*, perſonabat. Aquilæ igitur Chriſtianæ animæ intra homines Chriſtianos ſacro Domini corpore paſtos remigrant; ſed aquilæ perſpicaces, quæ etſi & viſus acumine, alarumque pernicie ſemper ad excelſa ferantur; tamen ex propria ſui notitia, quâ ſe à Deo pendere cognoſcunt, ad infima & profunda deſcendunt, ac in hominibus veluti reconditæ, totæ ſacro corpori colligatæ requieſcunt.

Chriſtiani aquilino viſu ab Euchariſtia donantur.

Noſce teipſū, in foribus templi Delphici.

140. Verùm quid de animabus diuinæ Chriſti carni adhærentibus humile ſentis? Excelſum eſt omne quod in eis eſt; & quamuis alimento hoc humiles fiant, nihil de eis infimum aut terrenum cogites. Excelſus Dominus ideo humilia reſpicit, vt ea ad excelſa euehat, & ad ſublimia extollat. *Omnis enim qui ſe humiliat, exaltabitur*, vt dicitur *Luc.* 18. 14. vnde nobiliſſimæ omnium auium ſemper ſublimia petentis aquilæ titulo decorantur; quia vt ait D. Chryſoſtomus hom. 24. in priorem ad Corinth. *oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, eſſe ſublimem, & cum terra nihil habere commune; aſſiduè volare, & ad Solem iuſtitiæ aſpicere.* Tamen ne mireris, dum hominem intra hominem, Chriſto in Euchariſtia ductore reuerſum, ibique humilitate commorantem, aquilam nomino, & ſublimem dico. Sanè ſicut *in puſillo nemo magnus*, ita nec in infimo poteſt aliquis eſſe ſublimis; ſed magnus excelſuſque eſt homo cœleſti alimento vegetatus. Magnus eſt, quia maximo, nempe Dei Filio copulatus: excelſus eſt, quia viſibilibus omnipotentis Dei operibus eminet vniuerſis. Ex quo Angelicus Doctorum Magiſter illum tantùm perfectum hominem dixit, *qui ſub Deo eſt, & ſupra cæteras creaturas.* Neque hæc humilitatem euacuat hominis ſublimitas; ſiquidem eodem Doctore Angelico teſte *art.* 2. *ad* 2. iam laudatæ ſuperiùs quæſtionis, *ex* 2. 2. quod aliquis ex confidentia diuini auxilij in maiora tendat, hoc non eſt contra humilitatem; præſertim cùm ex hoc aliquis magis apud Deum exaltetur, quòd ei ſe magis per humilitatem ſubjicit. Vnde D. Auguſtinus *in lib. de pœnit. cap.* 1. ait: *Aliud eſt leuare ſe ad Deum, aliud eſt eleuare ſe contra Deum. Qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur: qui aduerſus illum ſe erigit, ab illo projicitur.*

Chriſtiani Aquilæ per Euchariſtiā.

Sublimes, magnique fiunt.

2. 2. *q.* 161. *art.* 2. *ad* 2.

Auguſt.

Cùm ergo diuino paſtus alimento ſe Deo ſubjiciat homo, ac intra ſeipſum coram cœleſti pabulo ac Paſtore ſe projiciat, ab illo ſine dubio erigitur, & ad ſublimia ſubleuatur; ſicque quæ extra ſe concupiuerat, nec habere potuerat vanâ inflatus elatione, intra ſe recipit profundâ ſubleuatus humilitate: & quia edulio vetito iumentis inſipientibus ſimilis factus fuerat, cœleſti eſcâ nutritus diuinam recuperat imaginem, ſcientiaque boni & mali decoratur, ipſi conformis factus Saluatori, à quo paſcitur, qui vt Vates Euangelicus prophetauit, *Butyrum & mel comedere* debuit, vt *ſciret reprobare malum, & eligere bonum.* Iſai. 7. 15. Ille enim qui corporis Dominici melle ac butyro cibatur, ſeipſum, Deumque Opt. Max. finem vltimum creaturæ rationalis agnoſcit, media quibus finis hic conſequendus eſt, eaque quæ ab illius nos remouent aſſecutione, bonum & malum, virtutes & vitia clariſſimâ videt agnitione; ipſumque finem vltimum cupiens & propter ipſum media ad illum non ſolùm deſiderans, ſed inueſtigans, malum certè reprobat, & bonum eligit ac ſectatur. 141.

Totus igitur homo intra hominem collocatus inæſtimabiles à Chriſto ſpeciebus panis velato in ſe delicias recipit, nec extra ſe ſummi boni, à quo omnis manat delectatio, poſſeſſionem quærit: intra ſe illud tenet, complectitur, amplexatur. Ipſi ergo totus adhærens, totus in illo ſibi complacet, inquietumque dum per cuncta vagabatur creata illius cor, in ipſo, & per ipſum placidiſſimè requieſcit. *Dediſti lætitiam in corde meo à fructu frumenti & vini*, inquit Regius Vates *pſal.* 4. 7. iuxta originale Hebræum, vbi nulla olei fit mentio. Nam vt ibidem ait D. Ambroſius: *Data eſt lætitia in corde noſtro ab illo tempore quo accepimus frumentum in corpore, & vinum in ſanguine.* Aliis quippe in conuiuiis, vbi homo extrà effunditur, lætitiâ tantùm foris circumfunditur; hoc quo homo intra ſe colligitur, intra hominem lætitiam fundit: illic os, hîc cor exultat: illic palatum delectatur, hîc anima ſatiatur: illic denique corporeorum abundantia ciborum corpus necat & animam cruciat, totumque deſtruit hominem; hic ſpiritualis corporis Domini ſuauitas delectat animam, & corpus reficit, totumque in ſe hominem adunans cœleſtibus conſolationibus replet. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſal. 83. 3. Quomodo enim cor humanum vitæ naturalis principium, hominiſque caro à corde vitâ donata exultarent, niſi in Deum viuum, qui & vita, & totius vitæ fons eſt & origo? Cùm autem tremendo Euchariſtiæ myſterio Deus viuus, panis viuus factus, nobiliſſimo omnium modo animam ac corpus Chriſtianorum repleat & tanto Sacramento, & mirabili eius virtute, ſiue re Sacramenti, vt loquuntur Theologi; nunquid myſticum illorum cor, ſeu ſuperior animæ rationalis portio, eiuſque corporis 142.

In corde lætitiam ab Euchariſtia recipit homo.

Digitized by Google

caro nouis ac inenarrabilibus gaudiis intra ſe exultabunt? Si enim iuxta Philoſophos, gaudium eſt quies animæ in obiecti ardenter deſiderati poſſeſſione; nonne in Deo viuo ſpeciebus Sacramenti velato, quem anima vehementer deſiderauit, ſeu vt loquitur Dauid, *ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita ſitit anima ad Deum fortem viuum*, Pſal. 41. ſummum habebit gaudium, cùm illum habeat, illo fruatur, ac in illo pacificè requieſcat? *Non ergo*, vt loquitur D. Auguſt. lib 50. hom. in 33. tom. 10. *exultat Chriſtianus in hoc mundo, non in diuitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni ſuo amore morituris, ſed in Deum viuum. Quare non dixit in Deum tantùm, ſed addidit, in Deum viuum? Vt oſtenderet, quia totum quod non pertinet ad Dei cultum, debere-mus habere quaſi mortuum.* Cùm ergo nihil extra Deum viuat, ipſeque Deus Opt. Max. ineffabili Altaris Sacramento in homine maneat Chriſtiano, nullibi niſi in ſeipſo vir poteſt viuere Chriſtianus. Cùmque ibi maneat vbi viuit, nonne diuino hoc cibo in ſeipſum reuocatus, in ſeipſo commoratur, ibique ſpiritualium omnium à tanto Sacramento affluentiam recipit gaudiorum?

Chriſtiano nihil extra Deum viuit.

143. Seruum Fidelem præmiaturus Dominus, optimæ diſpenſationis mercedem gaudium ſuum conſtituit. *Intra*, inquit, *in gaudium Domini tui.* Matth. 25. 21. hoc eſt, felicitatis ac vitæ Domini tui in æternum duraturæ particeps eſto. Planè hac in peregrinatione, quâ peregrinamur à Domino, vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 5. 6. non diſſimilis nobis gratia conceditur: & licèt bonorum retributionis mercedem non omninò, ſed tantùm ex parte recipiamus; tamen in nos intrat gaudium Domini noſtri, dum ſacra corda noſtra Euchariſtia ingreditur, ex qua vt docet Angelicus Doctor 3. *p. q.* 81. *art.* 1. *ad* 3. Chriſtus Dominus ſpiritualem delectationem ſuſcepit; in eius enim inſtitutione vehemens eius adimpletum fuit deſiderium. De nouo enim myſterio noui Teſtamenti, Euchariſtia ſcilicet, quod tradebat diſcipulis, loquebatur dum dixit Luc. 22. 15. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Nec ſolùm Domini gaudium, ſed eius vita, caro, anima, diuinitas, & ab his omnibus inſeparabilis gloria in animas noſtras ſe transferunt: vnde non ſolùm in ſpe, ſed in re, ea quæ à Beatis in patria, a nobis in via, ſacrâ operante Synaxi, ſuſcipiuntur. Ideóque ex Angelico Doctore *opuſc.* 57. vniuerſa Eccleſia hoc admiratur, dum ait quod in hoc ſacro conuiuio, *mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Cùm ergo ſummi boni poſſeſſionem omnis homo naturaliter cupiat, idque tremendis in myſteriis latêre fide certiſſimum ſit, qui devotè intra ſe ineffabile hoc Sacramentum recondit, intra ſe totus reuerſus, totus Filio Dei, cuius carne cibatur, conglutinatur; ita vt Chriſtus in ipſo, ipſeque in Chriſto reperiatur: nam Chriſtus hoc docuit *Ioan.* 6. 57. dum dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Gaudium Dei cum Euchariſtia cor noſtrum intrat.

D. Thom.

144. Ad cœleſtia aſpirans, ipſique Dei gaudio ac fruitioni inhians anima ſancta, deſiderium ſuum his expreſſit verbis: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. 7. Verùm quod à cœleſti Sponſo retulit reſponſum? Audi illum dicentem: *Si ignoras te, egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* ibid. 8. Quaſi illam de termino cogitantem, ad viam remiſerit; nam ſi ſumma appetuntur, ima peti neceſſe eſt; gradu enim humili ad ſublimia paratur aſcenſus, & ea quæ poſt gregum ſuorum veſtigia humilitate ambulat anima, ad Paſtoris ac Sponſi Diuini paſcua & thalamum feliciter acceder. Felicior tamen ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio euadit Sponſa; ipſam enim rogantem de paſcuis, ac Sponſi in meridie cubili, non ad egreſſum, ſed ad ingreſſum diuino reſponſo hortabitur, nec ampliùs ei diuinâ voce dicetur: *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum*: ſed, ingredere, & abi poſt veſtigia Paſtoris tui. Ex quo enim dilectus ſub diuino pabulo corporis os Sponſæ ingreſſus eſt, ſimulque gratiarum copiâ eius animam impinguauit, diuinum ad Paſtorem intra ſe latitantem debet Chriſtianus accedere, eiuſque ſacra non tantùm ſequens, ſed tenens veſtigia, *in meridie*, hoc eſt, *in plenitudine lucis & ardoris*, vt Diuus exponit Bernardus, & in paſcuis ſaginari, & in cubili quieſcere: quia dum ſanctiſſimâ carne ſua Chriſtus immenſo amoris zelo Chriſtianam reficit Animam, adorandæ ſuæ Diuinitatis ſimul poſſeſſionem præbet; ſicque ea quæ Beatis in patria exhibet oſcula & amplexus, homini viatori intra hominem viatorem largiens, ipſi paſcua ſua aperit, & cubile; ipſumque ad menſam ſimul & thalamum poſitum, & ſuo corpore ſatiat, & ſuâ Deitate coronat. Tantis donis homo intra hominem à Deo homine auctus ſeipſum non ignorat; ſplendidiſſimiſque iuſtitiæ iubaris in meridie ardenter intra ſe collucentis fulgoribus illuſtratus, propriam videt infirmitatem, ſuamque optimi Sponſi, Paſtoris, ac Ductoris benignitate ad ſublimia eleuationem: hincque & ex propriis ad ima deſcendens, & ex alienis ad excelſa ſubleuatus, & totus in ſe humilitate concluſus, cum Chriſto, à quo pretioſo ſui corporis alimento paſcitur & exaltatur, charitate coniunctus commoratur. Non ergo amplius errat, *ſicut ouis quæ periit*, Chriſtianus ille, qui panem Angelorum comedens, Chriſto Ductore ac Paſtore ad propria rediens, ſed vana cuncta deſpiciens, perenne & ſolidum cupiens, Deo per Euchariſtiam in ſe manenti totus adhæret.

Quæ in patria habent Beati, ea in via præbet Chriſtus per Euchariſtiã.

Sanè faciliùs ei conceditur quod aliquando cupiebat Hebræorum ille Monarcha Dauid, dum 145.
dicebat: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Pſal. 26. 4. Si enim domus Domini verè dicitur Chriſtianus ille, in cuius corpore & anima venerandum per Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtus Dominus immoratur, nonne cunctis diebus vitæ ſuæ in domo Domini habitabit, qui intra ſe Chriſto adunatus manebit. Domum Domini vitæ expertem incolebat Dauid, at domum Domini viuam, imò & Dei vitâ viuentem vir incolit Chriſtianus: corruptibilem ille; incorruptam iſte ac immortalem, & aliquando æternâ felicitate donandam habitat. Omnibus diebus vitæ ſuæ tantùm in domo Domini verſari poſtulabat Propheta: at non ſolùm per totum vitæ decurſum, ſed etiam poſt mortem, & per interminabilem æternitatis durationem in ſe, velut in viua Dei domo, imò & magnifico Deitatis templo, homo cœleſtibus deliciis enutritus permanebit.

Chriſtianus ſacrâ refectus Euchariſtiâ, viua Domini domus.

SECTIO

Sectio II.

Chriſtus ſacram per Euchariſtiam Dux noſter eſt, quia ducit nos extra nos.

146. QVi diuino Duce Chriſto Domino, ſacratiſſimoque carnis ſuæ myſterio in ſe reuocatus Chriſtianus in ſe permanet, in ſe non ſiſtit, ſed ſemper in maiora ſe extendens, & ad vlteriora progrediens, etiam extra ſe deportatur. Nec repugnantia profero, dum in ſe manentem hominem, extra ſe ferri dico: immò vnum ex alio rectè ſequitur. Ex eo enim quod corpore Domini paſtus, humilitate intra ſe commoratur, extra ſe amore & charitate diffunditur. Verùm quò tendit homo extra hominem exiens? Non vanas fertur ad creaturas, non ad inferiora deprimitur, non ad caduca deſcendit, non ad falſas anhelat voluptates, ſed diuini amoris impulſu non ad aliud niſi ad ipſum Deum Opt. Max. præſtantiſſimum tanti amoris obiectum defertur. Egreditur ergo à ſe, ſed vt in Deum ingrediatur. A ſe recedit, vt ad Deum accedat; immò & ad Deum charitatis ardore accedens, ad ſe propiùs accedit. Cùm enim nobiliori modo in Deo exiſtat Chriſtianus quàm in ſeipſo, dum à ſe veluti recedit, vt ad Deum accedat, ad ſe proximiùs accedit: ſibi enim firmiùs adhæret, dum Deo intimiùs ac fortiùs copulatur.

Homo intra ſe humilitate: extra ſe charitate fertur.

147. Sanè humanum cor diuinæ dilectionis flammâ inardeſcit adorando Euchariſtiæ Sacramento. Si enim *nulla maior eſt prouocatio ad amandum, quam præuenire amando*, vt eleganter inquit D. Auguſtinus lib. de catech. rudibus, c. 4. *magnes* enim *amoris amor*; & ideo, *vt ameris ama*, ait Martialis; infinitus, quo Chriſtianos Dei Filius proſequitur amor, dum corpus in cibum, & ſanguinem in potum eis tradit, omnes diuini ſui amoris diuitias in eo ineffabili Sacramento veluti effundens, vt ſacrum loquitur Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. in hominis corde non paruum, non mediocrem, ſed maximum generat erga Chriſtum amorem. Nimis enim durus eſſet animus, qui dilectionem etſi non impediat, impenſam nollet rependere. Quamuis enim ſæpiùs bonum non diligat, tamen veluti neceſſariò illud à quo diligitur, amat.

D. Auguſt.

Martial.

Amor amoris cauſa.

148. Optimus igitur Dux noſter Chriſtus, immò Paſtor, & pabulum, in finem homines hoc Sacramento diligens ardenter ab hominibus redamatur; ſicque mutua inter illos intercedit dilectio charitatis, quâ & in hominibus Chriſtus, & in Chriſto homines collocantur. *Cùm enim*, vt ait D. Dion. lib. de diuin. nominib. c. 4. *amor quilibet ſit virtus vnitiua*; & vt inquit D. Auguſtinus lib. 8. de Trin. c. 10. *Sit quaſi iunctura quadam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amatum ſcilicet, & quod amatur*: adeò Chriſtum nectit homini, hominemque iungit Chriſto diuinus per Euchariſtiam amor, vt non ſolùm duo copulentur, vnumque in aliud veluti transfundatur, ſed etiam ex duobus vnum coaleſcat; ſicque dum totus in homine tanto Sacramento Chriſtus eſt, totus etiam in Chriſto per ſacram Synaxim Chriſtianus exiſtit. Quod adeò verum eſt, vt Dei corpus verè & realiter per Euchariſtiam efficiamur, ſicut expreſſit D. Ioan. Chryſoſtomus *hom.* 60. *ad populum Anchanchenum*, dum ait: *Semetipſum* (Chriſtus) *nobis commiſcet, & non fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus.*

Amor eſt virtus vnitiua.

Chriſto Chriſtianum nectit diuinus amor per Euchariſtiam.

Diuiſiones omnes amor fugit, ſeparationes 149.
neſcit, abhorret ſchiſmata, diſſentiones formidat: ſed vnionem quærit, cupit, ſectatur; quia vnione viuit, diſcordiâ deſtruitur, diſſentione vulneratur, ac ſeparatione necatur. Cognouit hoc Philoſophus ille Ariſtophanes, qui vt refert Philoſophorum Princeps Ariſtoteles *lib.* 2. *Politic. cap.* 2. dixit quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri vnum. Sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt vnionem quæ conuenit & decet; vt ſcilicet ſimul conuerſentur, & ſimul colloquantur, & in aliis huiuſmodi coniungantur. Quod ſanè amoris naturalis egeni, & in omnibus infirmi operum ſumma eſt ac miraculum. Sed à diuino amoris igne omninò vincitur & ſuperatur. Qui enim illius flammâ feruent caſtiſſimâ, intimè adeo vniuntur, vt ſine alicuius amantis iactura ex duobus vnum mirabiliter reſultet. Non ſolùm Deo hominem, ac Deum homini coniungit amor; ſed etiam hominem in Deo, & Deum in homine collocat: nam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, vt dicitur 1. *Ioan.* 4. 27. Quod quidem tantâ gloriâ afficit hominem, vt cum Deo quem diligit, & à quo adamatur, vnum conſtituat. Vnde de diſcipulis à ſe dilectis dicebat Chriſtus: *Rogo vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Ioan. 17. 21. Non ſolùm enim charitate flagrantes mutuò ad inuicem colligati vnum efficiunt; ſed etiam Deo nobiliſſimo ſanctiſſimæ illius dilectionis nedum principio, ſed obiecto, vt itam dicam, conglutinati, cum illo vnum ſunt; non quidem tantùm apprehenſione, ſed verè & realiter: ſunt enim vnum cum Patre & Filio, eodem amore quo Pater in Filio, & Filius in Patre reperitur: eodem enim Spiritu ſancto qui, vt inquit Auguſtinus lib. 6. de Trin. c. 10. *eſt genitoris genitique ſuauitas*, & vinculum ac nexus vtriuſque, Deo nectuntur Chriſtiani ſacro ſuccenſi charitatis igne. Nam charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, vt inquit Apoſtolus *Rom.* 5. 5. Quæ verba cum Chriſti Domini verbis, quæ poſtquam perfectiſſimam Fidelium cum Deo per amorem vnitatem poſtulauit, protulit, optimè quadrant: ſubdidit enim, *Vt dilectio, quà dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Ioan. 17. 26. Quæ quidem dilectio alia non fuit, niſi increatus, diuinus & infinitus amor perſonalis, nempe ipſe Spiritus ſanctus, Patris & Filij oſculum adorandum, reſpiratio ſacra, ac feliciſſimum in quo vterque quieſcit centrum.

Diuiſiones amor neſcit.

Amantem in amatũ tranſformare nititur.

Spiritus ſanctus ſuauitas, nexus, & vinculũ Patris & Filij.

Cùm ergo magnificum quo paſcimur, carnis 150.
Dei conuiuium flammas in nobis augeat charitatis, nonne cor noſtrum ad ipſum Dominum mouet, inclinat, & impellit, ac ſic motum, inclinatum, & impulſum ipſi connectit? Cùmque Dei Filio, ſacro per Euchariſtiam agente charitatis igne copulemur, ac in illo permaneamus, extra nos tanto deportari myſterio quis ambiget? *Charitas Chriſti vrget nos*, inquit Apoſtolus 2. *Cor.* 5. 14. quia diuinus ille ignis ſacrâ Euchariſtiâ roboratus, quaſi ſtimulus ſtimulat nos, vt velociùs ad Dominum properemus, ſimulque à nobis recedamus: anima enim magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, vt ex Platone apud Philoſophos tritum eſt. Quæ omnia Græcus Apoſtoli textus in loco iam à nobis adducto clariùs exprimit; ſic enim habet: *Conuiuium Chriſti detinet, poſſidet,*

Charitas in nobis Euchariſtiâ augetur.

inhibet

Digitized by Google

inhibet & ligat nos : nam hoc ipſo qood cœleſti menſâ paſcimur, à diuino detinemur conuiuio illo quo flagramus amote : cumque *non ſuos eſſe amantes patiatur diuinus amor*, à Chriſto Domino tanquam aliquid proprium eius poſſidemur : ſicque detenti, ac diuini amoris igne poſſeſſi, io oobis non ſumus, ſed ad illum quem amamus tranſferimur; tranſlatique ne ab illo tecedamus, ille inhibet charitatis ardor, qui ſuauiſſimo fortiſſimoque perfectionis vinculo Deum & hominem colligauit.

151. Amicus dimidium animæ amici.

Dictum vnius Auguſtinus olim mirabatur amici, dum *libro 4. confeſſ. cap. 6.* loquebatur: *Benè quidam dixit de amico ſuo, dimidium animæ ſuæ.* Verùm maius quid ioter Chriſtianum corpore Saluatoris refectum, & ipſum Chriſtum Domioum reperitur: non dimidium animæ chriſtianæ Chriſtus eſt; nec dimidiuum Chriſti anima chriſtiana : ſed tota anima illa Chriſtus eſt; & totus Chriſtus anima illa. Quorſum non ita, cùm vnum ſint? Vnum autem apud Philoſophos, indiſtinctum in ſe, & diſtinctum à quolibet alio nuncupatur. Non ergo amicum dimidium animæ amici miretur Auguſtinus; ſed Dominum Ieſum Ducem & Paſtorem optimum, Chriſtianos ſuos, oues & ſubditos ardentiùs amote proſequentem; eoſque ſuo corpore & ſanguine paſtos in ipſum Chriſtum transfuſos, imò conuerſos, ac veluti transfiguratos celebret & extollat. Loquatur ergo inclytus ille Doctor quem *Linguam Chriſti & cælorum vocem* ſacra appellat Eccleſia, eaque quæ à diuino Chriſti Domini ore accepit verba tranſmittat. *Nec tu*, inquit Dominus Auguſtinum alloquens, *me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Lib. 4. confeſſ. cap. 10.

Eccleſ. in Seq. D. Aug.

152. Planè ita factum eſt, dum turbâ cinctus duodenâ in cœna ſedens Rex noſter Chriſtus, ſe tenens io manibus, ſeque cibus ipſe cibans, etiam dilectos corpore ſuo eibauit Apoſtolos : quos enim carne ſuâ pauit tunc diſcipulos, vno excepto traditore, qui vt loquitur D. Auguſt. tract. 26. in Ioan. *bonum malè malus accepit*, io ſeipſum mirabiliter tranſmutauit, huiuſque mirabilis conuerſionis eorum in vultibus viſibilem impreſſit characterem. Cur enim ipſe Dominum ſuis hoſtibus tradens Iudas, ingratæ ac perfidæ Iudæorum dixit turbæ : *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Matth. 26. 48. An non Ieſum vultu nouerant, qui eius ſæpiſſimè & verba audierant, & miracula comprobarant? An non ex diſcipulis Petro, Iacobo, & Ioanne ſibi notis magiſtrum etiam agnoſcere poterant? Cur ergo oſculo Iudæis Dominum diſcipulus prodit? Ne vtique errarent Iudæi, vnum ex tribus Apoſtolis cum Chriſto io horto exiſtentibus, Chriſti ſpecie ac vultu ſacra communione quodammodo ioſignitis, pro magiſtro capientes; adeo enim ſacrum Chriſti corpus, diſcipulorum effigiem etiam in externam Magiſtri figuram tranſmutarat. Quod acutè ſanè attigit D. Ioannes Chryſoſtomus, dum ait : *Signum dedit proditor, quia per ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti Chriſtiferas facies habebant.* At mirabilem amoris per Euchariſtiam effectum, quo amans in amatum impellitur, ac transformatur, propriâ voce æterna ac incarnata nos docet Veritas : neque ſolùm à diſcipulo tranſfuga, ſed à fideliſſimo illius addiſcimus Magiſtro. Ille quippe contra ſe ad hortum venientem alloquutus cohortem : *Quem quæritis?* Ioan. 18. 4. audito eius iterato reſponſo, *Ieſum Nazarenum*, ibid. 5. & 7. ſtatim ſubjunxit : *Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* ibid. 8. ne ſcilicet quidam ex tribus dilectiſſimis ſibi Apoſtolis maximâ cum eo vultus ſimilitudine pro ipſo Magiſtro detineretur, ipſeque ſolus ſeipſo deſignatus, faciliùs ab illis ſine vllo errore cognitus caperetur. Quod eleganter expreſſit D. Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſi myſtagog.* 4. dum allatum Ioannis 18. textum exponens, ait : *Eos abire iubet, quia Chriſtiferi per ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti effecti erant.* Cùm ergo animarum noſtrarum Dux amantiſſimus Chriſtus adorando carnis ſuæ Sacramento non ſolùm noſtros in ſe traducat affectus, ſed etiam nos mirabiliter in ſe tranſmutet, liquidò conſtat nos extra nos ab illo tanto myſterio duci.

Apoſtoli ſacrâ communione in Chriſtum transformati.

Chryſoſt. in Matth. 26.

D. Cyrill. Hier.

Nec mirum; ipſe enim *diuinus amor ecſtaſin facit*, vt loquitur D. Dionyſius *c. 4. de diuinis nominibus*; ipſumque hominem eius ardore ſacram per Euchariſtiam deflagrantem, extra hominem transfert. Etenim ſicuti ardere & lucere ſemper corporeo competit igni, omniaque quæ ad ipſum admouentur corpora, & lucem recipiunt & ardorem : ita diuini amoris flammæ, quod ignit cor, ſemper mouere & extra ſe compellere proprium eſt; vnde & ipſe Deus Opt. Max. amore ſolo extra ſe propter homines veluti effuſus eſt. *Audemus illud pro veritate dicere* (inquit Dionyſ. loc. iam citato) *quod ipſe omnium cauſa, propter amatoria bonitatis excellentiam extra ſe factus ſit.* Vnde Mellifluus Doctor Bernardus *ſerm. 64. in Cant.* diuinos per amorem exitus admiratus, inquit : *Scias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt.* Ex quo rectè infertur, amorem in Chriſtiano homine ſacrâ Euchariſtiâ roboratum ecſtaſin in eo producere, ipſumque totum in amatum transfundere : qui enim Deum extra ſe fudit, altiſſimum humili adæquauit, ipſumque Creatorem creaturæ aſſociauit diuinus amor. Ille hominem extra hominem ferens, ad ſublimia erigit, altiſſimo adæquat, ipſique Creatori ac Redemptori coniungit, ſicque perfectiſſimam in eo ecſtaſin operatur. 153.

Diuinus amor ecſtaſin facit.

Diuini amoris effectus. *Bern.*

Doplici modo per amorem poteſt aliquis ecſtaſin pati, vt docet Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 28. *art.* 3. vel ſecundùm vim apprehenſiuam, ſeu intellectiuam; & ſic extra ſe poni dicitur aliquis, quando ponitur extra cognitionem ſibi propriam, & ad ſuperiorem ſublimatur; ſicut dum homo eleuatur ad comprehendenda aliqua, quæ ſunt ſupra ſenſum & rationem, dicitur ecſtaſin pati in quantum ponitur extra connaturalem apprehenſionem rationis & ſenſus. Vel ſecundùm partem appetitiuam, & tunc dicitur aliquis ecſtaſin pati, quando appetitus ſeu voluntas alicuius in alterum fertur, exiẽs quodammodo extra ſeipſum. Vtroque igitur modo in nobis facit ecſtaſin diuinus per Euchariſtiam amor : primò namque in noſtro ecſtaſis ab illo eſt intellectu, non ſolùm quia tantum ſemel apprehenſum beneficium ſemper io mente gerit, ac de eo meditatur; ſed quia in eo ſupremorum omnium arcanorum arcanum maximum, & ſenſum, & humanam rationem ſuperexcedens attingit, eiuſque ſupernaturali illuſtratione, quod oculus non vidit, nec in cor hominis aſcendit, agnoſcit; Chriſtique vtroque modo amor diuinus per Euchariſtiam ecſtaſin facit, Chriſtique corpus glorioſum modici ſpecie panis inuolutum detegit, ſicque naturalis cognitionis tranſcendens limites omninò extra ſe poſitus cenſetur. 154.

D. Thom.

Duplex ecſtaſis per amorem.

Nec

Digitized by Google

155. Nec noſtra voluntas ecſtaſi caret, immò illam diuinus amor ſacrâ agente Synaxi in voluntate propriè & directè operatur; tunc enim ardore feruens charitatis, Criſtum propriè diligens, amore & affectu ſimpliciter exit extra ſe, quia illi à quo in infinitum tanto Sacramento diligitur, omne quod poteſt, gratitudinis ergò vult bonum, eius gloriam cupiens, eius laudem appetens, eiuſque iniurias reformidans; ex quo nobiliſſimo huic ſui amoris obiecto adhærens, ipſi omnino conformis euadit, ipſique per omnia contemperatur. Vt enim notauit Angelicus Doctor lib. 3. cont. gent. cap. 55 s. *Conformitas voluntatis eſt proprius effectus dilectionis, & idem velle & nolle.* Immò cùm amare non ſit trahere, ſed trahi ab amato, vt docet idem ſanctus Doctor 1. *p. q.* 19. *art.* 3. *ad* 6. & 1.2. *q.* 23. *art.* 6. *ad* 1. & alibi ſæpe, quod etiam confirmat Auguſtinus *in Manuali, cap.* 20. dum ait: *Anima amans fertur votis, trahitur deſideriis:* & lib. 13. confeſſ. cap. 9. *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*; amoris igne Euchariſtiæ myſterio noſtra ſuccenſa voluntas à Chriſto amato trahitur, imò ad illum amore veluti pondere fertur, tanquam pedibus currit, ac veluti alis volat: nam vt inquit D. Auguſtinus præf. in pſalm. 125. *Ad Deum aſcendit volando, qui aſcendit amando.* Totaque extra ſe & in amato poſita, nonne perfectiſſimam patitur ecſtaſin? nonne conſequenter extra ſe homo à Chriſto per Euchariſtiam ducitur?

D. Auguſt.

Ad Chriſtum amoris pondere fertur homo per Euchariſtiã.

156. Sed hactenus dictis omninò ſuffragatur D. Dionyſius Areopag. qui *lib. de Eccleſiaſtica Hierarc. cap.* 3. ſacram Communionem appellat quandam *ſpiritualem inſitionem.* Vt enim truncus in quem ſurculus inſeritur & viuit, & propriis ramis ac frondibus ſpoliatur, vt quaſi propriam ac ſylueſtrem animam exuens, non iam amplius flores ſuos, frondes ac fructus agreſtis ac degenerantis naturæ producat, ſed nobiliorem ſurculi vitam hauriat, illiuſque in flores, frondes, fructuſque mitiores ac feliciores propagetur, ac à ſe veluti exiens, totus in meliorem ſurculum transferatur: ſic Chriſtiana gratiâ & charitate viuens Anima, propriis prauiſque affectionibus, ſylueſtribus veluti floribus ac frondibus amputatis, diuinum in ſe ſurculum Chriſtum Dominum, ſacrâ, quæ ſpiritualis eſt inſitio, Communione ſuſcipiens & amplectens, nouam eamque ſanctiſſimam illius haurit vitam, totaque extra ſe, & intra Chriſtum veluti transfuſa, in illius erumpit gemmas, dilatatur flores, extenditur frondes, propagatur fructus, ita vt non amplius inutilibus ac ſylueſtribus ramuſculis ac frondibus, ideſt humanis actionibus, & affectibus ſylueſcat, ſed diuinis Chriſti operibus effloreſcat. Vnde ſicuti truncus & ſurculus ita in vnum coaleſcunt, vt ex eis vna arbor efficiatur; ita ex Chriſtiano veluti trunco, & Chriſto Domino per Euchariſtiam ſurculo in eo inſito vna res mirabiliter efformatur, vnaque in eis vita reperitur, ita vt non ſuam, ſed Chriſti Domini vitam diuino epulo ſatiatus viuere videatur, poſſitque cum Apoſtolo dicere: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Galat. 2. 20. Ac proinde non iam vt homo operetur, ſed quaſi totus in diuinitatem transfuſus, diuinam agendi rationem ſortiatur. Quod D. Dionyſius *loc. cit.* aduertit, dum inquit: *Si igitur ipſius ſacratiſſimæ inſeramur vitæ, ipſum quantum fas eſt imitando, veraciter conſortes Dei, diuinorumque participes efficiemur.*

D. Dion.

Communio eſt ſpiritualis inſitio.

Dionyſ.

157. Felix igitur, fortunataque Chriſtianorum hominum ſors; cùm non ſolùm mammillâ Regum lactari delicias deguſtent Deitatis, ſed etiam extra ſe diuino per Euchariſtiam amore acti in conſortium tranſeant Dei. Quod ſanè miro loquendi modo ſacra olim expreſſit Sponſa, dum dixit; *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt.* Cant. 5.6. Seu vt alij legunt, *anima mea exiuit, dum ille loqueretur.* Hoc ipſo enim quo verbis ſuis amorem ſuum erga Chriſtianam Animam declarauit, ad ſe eius voluntatem attraxit, ipſaque amantis amore rapta, in ſe veluti liquefacta, tota extra ſe effuſa à ſe exiuit, vt in amati cor tota amoris flammis ignita ſubintraret. At ſi ſolo Chriſti verbo anima diligentis extra ſe ponitur, quid pretioſum corporis & ſanguinis munus non operabitur? Si ſolus Redemptoris ſermo animam è corpore trahit, quid non præſtabit omnipotens illa vox, quæ in corpus & ſanguinem Chriſti panem & vinum mirâ virtute conuertit, eaque nobis in cibum & potum immenſâ liberalitate concedit? Educet vtique animam, eamque vinculis attrahet charitatis, ac ſic attractam & liquefactam, totam in Chriſti diuinitatem transfundet. Verùm fallor: ſemetipſam dilectione impellet anima, ac diuino charitatis pondere grauidam, ad vaſtiſſimum Deitatis centrum transmittet, ibique tanquam in optatiſſimo placidiſſimoque deſideriorum omnium fine vltimo, hærebit, immorabitur, requieſcet. Sicque ab optimo Duce Chriſto tremendorum virtute myſteriorum ad ſe reuocatus Chriſtianus, etiam extra ſe conſtituitur.

Anima amore Dei liquefacta extra ſe exit.

Sectio III.

Chriſtus ſacram per Euchariſtiam perfectus Dux, quia nos ſupra nos ducit.

SVperna regna, ipſumque ſummum Cœleſtis Imperij Monarcham, magnam veluti bonorum operum mercedem Chriſtianus aliquando poſſeſſurus, ſupra ſe tendit, ſupra ſe ſperat; auxilioque vires ſuas natiuas ſuperante, quo tantum & deſideriorum, & ſpei finem conſequi valeat, indigere nemo non nouit. Illud à perenni gratiarum omnium ſcaturigine Chriſto Domino recipit, qui nedum vt cœleſtia adipiſcatur Chriſtiano ſubſidia præbet, ſed ipſum adhuc in terris immorantem, etiam ad regna ſydcrea diuino corporis ſui ſubleuat cibo: quippe vt cum Doctore Angelico ſacra canit Eccleſia, ſalutifero Euchariſtiæ Sacramento, *Mens impletur gratiâ, & futuræ gloria nobis pignus datur.* 158.

Sanè nos ſupra nos diuinus Ductor ſacro extollit conuiuio. Quid enim aliud eſt gratiâ mentem noſtram impleri, ac futuræ gloriæ pignus nobis dari, quàm etiam in corpore mortali immortalitatis munera delibare; quàm in terra manendo cœlos aſcendere, ipſumque finem vltimum Deum Optimum Maximum etiam in via poſſidere? Immenſum vaſtiſſimumque humani cordis ſinum quis niſi immenſus ac infinitus replere valet? Parua ſunt, immò & minima, quæcunque in omnium creaturarum congerie exhibentur; cunctaque extra Deum creata bona infinitam mentis noſtræ capacitatem adæquant minimè: infinitã, immenſam, increatamque ac diuinam bonitatem, quæ verè ſummum bonum eſt, cordis noſtri poſtulat latitudo, ipsâque ſolâ repleri deſiderat. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum,* inquit Auguſtinus lib. 1. confeſſ. c. 1. *donec requieſcat* 159.

Ad cœlos nos euehit Euchariſtia.

Nulla re creatâ ſatiatur homo. *D. Auguſt.*

in te. Cùm ergo diuinâ gratiâ per Sacram Euchariſtiam *mens noſtra impleatur*, eiuſque latiſſima vndequaque capacitas ſatietur, ipſo ſummo bono, quod ipſe Deus Opt. Max. exſtat, vtique repletur, ac ſuprà ſe eleuata, humana ſuperans, ac cœleſtia tranſcendens, vltimo fine fruitur, totumque Sanctorum felicitatis obiectum capit, poſſidet, complectitor.

160. Quæ cùm ita ſint, mirum ſanè videbitur, cur Doctor Angelicus non gloriam, ſed *futura gloria nobis pignus dari* ineffabili Euchariſtiæ Sacramento dixerit. Myſterio non caret modus iſte loquendi: intenſiſſimum Chriſti Domini erga homines amorem, maximamque in illos bonorum omnium prodit effuſionem; nec illorum ſacro conuiuio minuit, ſed auget felicitatem. Pignus enim pretioſum ſemper eſt, ac re pro qua datur, maius ſolet exhiberi: vnde cùm non ſolùm ipſam Deitatem, quæ & Angelos, & Hominum Sanctorum in cœlis beat animas, auguſtiſſimum ſuſcipientes Sacramentum poſſideamus, immò & aliquid noſtro Viatorum ſtatui conuenientiſſimum, maximéque pretioſum, gloriam ipſam, immò & gloriæ augmentum recipimus; Deum ſine ænigmate vident Angeli & Beati, ipſaque omni ex parte, ſiue quia virginea, ac virginei partus fructus; ſiue quia crucifixa, fulgidis vulnerum monilibus formoſa Chriſti humanitas æternam Sanctorum vitam complet, & Deitas, & humanitas vnigeniti Filij Dei, panis ſpeciebus mirabiliter occultatæ Fidelibus ſacrâ præbentur Synaxi. Nec horum, quàm illorum minor eſt poſſeſſio, quia non diuerſa: idemque Deitatis ac humanitatis obiectum ab vtriſque indiuiſibiliter receptum diſſimilem nequit cauſare felicitatem. Verùm patriam via quodammodo prætergreditur, tantoque cibo paſti viatores ipſos videntur ſuperare comprehenſores. Hi enim vltimo fini in patria copulati, illo gaudent, in illo quieſcunt, ac vlteriùs progredi non valent. Creſcere neſcit illorum felicitas, nec ſplendidum, quo ſunt redimiti, gloriæ augeri diadema; quia nec illorum virtus incrementa, nec progreſſus poteſt habere meritum. At illi Chriſti Domini Deitate ac humanitate ſatiati, æternæ beatitudinis delicias prægustantes, etiam ad ampliora contendunt, adhuc in ſtadio currunt, ad centrum velociùs properant; ipſiſque fide, & ſpe ſtatui Beatorum minimè conuenientibus, gemino tanquam volatu ad ſublimiora conſcendunt, virtutibus ac meritis augentur, nouoſque ſplendidis gloriæ coronis fulgores imponunt: atque vt vno verbo res exprimatur, Deo adhærentes, intimiùs Deo vniti valent; finemque vltimum veluti poſſidentes, illum denuò valent adipiſci.

Cur per Euchariſtiam non gloria, ſed pignus gloriæ nobis datur.

Ea quæ Beatis in gloria, viatoribus per Sacram Euchariſtiã conferuntur, immò & quodammodo maiora.

161. Verùm ad huiuſmodi augmenta ne ſtupeas. Semper creſcunt qui hoc mirabili veſcuntur alimento; mirumque planè non eſt: lac enim neſcit non incrementa præſtare. Et lac Euchariſtia eſt: ipſeque Chriſtianorum optimus Paſtor à Ioanne viſus eſt *præcinctus ad mammillas zona aurea*, Apocal. 1. Quia infinito, quo nos proſequitur amore, carnis & ſanguinis ſui Sacramento dulciſſimo nos reficit lacte. Cur non ita? cùm & ipſe nutricis erga nos officium gerere non dedignetur. *Ego*, inquit, *nutritius Ephraim.* Oſeæ 11. 3. Ipſe enim Deus eſt Sadai, vt illum Hebræi vocitarunt: quod planè idem eſt, ac *Deus vberum*, quæ nobis vtique iucundè præbet, vt ſuauiſſimos in illis diuinæ dulcedinis fontes admirantes, torrente voluptatis ſuæ potemur. Vinum in patria deguſtant Beati; eos ſic inuitat Dominus: *Bibite, & inebriamini, chariſſimi*, Cant. 5. 1. De illiſque Regius Vates cecinit: *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei.* Pſal. 35. 9. Congruè equidem; nam cùm inenarrabilem ex ipſius Dei fruitione lætitiam ſuſcipiant, vnde & à Chriſto Domino fidelis Dei famulus *in gaudium Domini intrare* dicitur, dum inter Beatorum conſortium annumeratur, meritò *vinum quod lætificat cor hominis*, in cœlis Beati potare dicuntur. At Chriſtiani viatores diuinæ menſæ participes, lac ſugere cenſentur. *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite*, inquit Apoſtolorum Princeps 1. Pet. 2. 2. ſeu vt legit D. Clemens Alexandrinus, *verbale lac concupiſcite.* Quod etiam agnouit Vates Euangelicus Iſaias, dum ait: *Gaudete, vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius.* Iſai. 66. 11.

Euchariſtia lac; Chriſtus nutritius.

Chriſtus Deus vberũ in Euchariſtia.

Beati vinum, viatores lac deguſtare dicuntur: & quare.

Clem. Alex.

Verùm enimverò, ſi non diſſimile, nullaque ex parte diuerſum eſt Beatorum & Viatorum per Euchariſtiam conuiuium, cur illis vini nomine, iſtis lactis titulo miniſtratur? Non abs re puto varia idem obiectum ſortiri vocabula. Dum omni ex parte felices delectationes in dextera Dei vſque in finem, & ſine faſtidio recipiunt, & ſine mutatione deguſtant, vinum quo ſuſtentantur & delectantur homines, diuino veluti in calice bibunt: at dum Chriſtiani ſacro Chriſti corpore reficiuntur, quia aſcendunt *de virtute in virtutem*, eorumque & gratiæ, & virtutes augeſcunt, lac quo pueri nutriuntur, & creſcunt, & tandem perfectos in viros euadunt, ex ipſo Dominici pectoris vbere ſugere comprobantur. Beatos ipſos gratiâ & ſanctitate veluti conſummatos vinum gloriæ condelectat. Viatores adhuc virtutis in ſtadio decurrentes, Chriſti corporis lac fouet, auget, & ad glorioſum æternæ vitæ brauium aſcenſionibus, quas in cordibus illorum diſponit, feliciter adducit. Quàm mirabilis cibus! Quàm ineffabile Sacramentum! Angelos & Beatos tanquam diuinæ conſolationis vinum reficit: Chriſtianos Viatores vt dulciſſimum Chriſti pectoris lac nutrit, & auget. 162.

Nec lac in patria Sanctis potuit exhiberi; 163.
nec vinum in via puriſſimum potuerunt homines deguſtare. Vinum in lac miro, ſed vero modo debuit tranſmutari, vt cibus Angelorum fieret cibus Viatorum. *Oportuit*, inquit D. Auguſtinus, *vt menſa illa Angelorum lacteſceret.* Lacte indigent, non ſolido cibo, qui creſcere debent, & qui ſimul ex alimentis & vires hauriunt, & incrementum. Quoties ad Sacram Euchariſtiam accurrimus, non ad ſolida fercula, ſed ad mollia vbera properamus, ibi lac ſugimus; nam vt ait D. Auguſtinus tract. 3. in epiſt. Ioan. *Lac noſtrum Chriſtus eſt: hoc lacte creſcimus.* Vnde ipſum Diuum Auguſtinum ad noua Chriſtus hortatus incrementa, ad diuinum hoc lac ſugendum hortabatur, dicens lib. 7. conf. c. 10. *Cibus ſum grandium: creſce, & manducabis me.* Hoc ſiquidem carnem Chriſti eſt veraciter manducare, in virtutibus creſcere, in charitate augeri, in gratia progredi, & omnium ſpiritualis vitæ diuitiarum abundantiâ cumulari.

Nec in Patria lac, nec in via vinum potuit hominibus exhiberi: & quare.

Auguſt.

Sed nihil infirmum, nihil languidum, nihil humile hoc in lacte ſuſpiceris: eandem habet, 164.

ac

ac vinum virtutem, & ſolo ſtatus diſcrimine ab illo variatur. Vino ſatiantur Beati, at ſatiati non creſcunt, non progrediuntur: lacte reficiuntur Viatores, ſed refecti augeſcunt, extolluntur, & nouis ſemper meritorum muneribus decorantur. Quid ergo? Vino lac melius videbitur? Et hoc ſacræ inſinuant literæ: *Meliora ſunt vbera tua vino*, inquit Sponſus *Cant.* 1. Vbi de ineffabili Euchariſtiæ Sacramento ſermonem inſtitui aduertit D. Greg. Nyſſenus *in Cant. cap.* 1. dum ait: *Per vbera illa admiranda, & vino præſtantiora cogita illos ineffabiles Altaris fontes, ex quibus nos alumni pietatis nutrimur.* Si igitur præſtantiora vbera, præſtantius eſt & vberum lac, præſtantius eſt Euchariſtiæ Sacramentum: & vino, & gloriâ Angelorum; præſtantius vtique Viatori, quia & ad viam perficiendam dirigit, & ad vltimum finem conſequendum adducit.

Vbera Euchariſtiæ meliora ſunt vino gloriæ.

165. Merum, non mixtum in patria vinum bibunt Angeli; & illud aliquando Chriſtiani potabunt. Sed lac Euchariſticum nec ſuxerunt Angeli, nec ſugere potuerunt. Corpore non nutriuntur ſpiritus, nec omnipotens Saluator in ſpiritum ſuum panem mirabili verbi ſui virtute Angelos cibaturus tranſmutauit, dicens: Hæc eſt anima mea. Sed viatores homines humanitatis ac Deitatis ſuæ deliciis ſuauiſſimo veluti lacte nutriturus, in corpus ſuum panem conuertit, dum dixit: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Vnde ad carnem Chriſti *ex vi verborum*, vt loquuntur Theologi, panis tranſubſtantiatio terminatur, quamuis ex naturali concomitantia & anima, & diuinitas Chriſti cum eius carne reperiantur, vt homo ſpiritu & carne coaleſcens, carne illa veſcatur, ac lacte ſuauiſſimo nutriatur: ſimulque in lacte vinum, in carne animam & deitatem Chriſti ſuſcipiat, & vtrâque, humanitate ſcilicet & Deitate, etiam in via fruatur. Quod vtique gaudens exprimit, dum & cum Scriptura immortales pro tanto conuiuio gratias agens Eccleſia dicit: *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo.* Quæ verba meritò ab Angelico Doctore ſanctiſſimi corporis Chriſti officio inſerta ſunt, vt oſtenderet Chriſtianum hominem pane Angelorum, & vino Beatorum ſatiari, dum lacte Euchariſtico ſatiatur: ſimulque illum & mel, & fauum comedere, cùm Beati mel ſine fauo, id eſt diuinitatem ſine ænigmate in patria videant, & deguſtent.

Chriſtus non animã, ſed corpus homini dedit.

Chriſtiani lac & vinum, id eſt corpus Chriſti & deitatem in Euchariſtia recipiunt.

166. Optimus ergo Dux noſter Chriſtus, cùm ſupra nos breuiſſimâ, eâque aptiſſimâ viâ nos ducat, vt etiam in terra manentes cœlos poſſideamus; in via ambulantes etiam finem & terminum teneamus; in Eccleſia militantes, iam ſupra ſydera regnemus; ipſique Viatores etiam verè Beati exiſtamus. Quod ſanè optimè attigit B. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *Pædagog. cap.* 6. vbi poſtquam Chriſtum Dominum, *mammillam patris* appellauit, ſic eleganter concludit: *Verè Beati qui hanc lactant mammillam.* Quid enim Beati ex viſione diuina, quæ æternæ Beatitudinis ſumma eſt, vt docet D. Thomas 1. 2. *q.*... *art.*... recipiunt, quod carni & ſanguini Domini communicantes non ſtatim poſſideant? Iam & Deum, & hominem hominis Saluatorem recipi ſacra Synaxi ex ſuperioribus liquet; ipſaque omnis humani deſiderij ſatietas, quæ felicitatem ipſam complet, cum ſit *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, vt R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom. loquitur Boëtius; etiam habetur ſacrorum participatione myſteriorum. Quid enim cupit homo, quod in tremendo myſterio carnis Dei, qui ſummum omnium bonum eſt, non recipiat. Totum ergò quod & capere, & concupiſcere valet humana voluntas, illud perfectiſſimè ſanctiſſimo aſſequitur Euchariſtiæ Sacramento: *Edent pauperes & ſaturabuntur*, inquit Pſalmographus: *Laudabunt Dominum qui requirunt eum; viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.* Pſal. 21. 28. Vbi Meſſiæ, ſeu Chriſti Domini paſſionem non ſolùm vt Propheta prænuncians, ſed etiam vt Hiſtoricus & Euangeliſta enarrans Dauid, magnificum, quod moriturus Dominus, carnis ſuæ Eccleſiæ epulum præparauit, demiratus, quaſi tripudians de illa mirabili hominum tanti virtute conuiuij ſatietate, exultabundus cecinit, *Edent pauperes & ſaturabuntur*: ac ſi diceret, qui ex ſemetipſis ſolâ bonorum omnium egeſtate notabiles, propriam explere cupientes vacuitatem, bona omnia tanquam famelici auidiſſimè concupiſcunt, viuifico carnis Saluatoris myſterio ſemel deguſtato replebuntur, diteſcent, ipſumque ſummum bonum recipientes; ſaturabuntur, ipſorumque mentes gratiarum omnium chariſmatibus impinguatæ æternâ fruentur vitâ. *Viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.*

Chriſtus mammilla Patris.

In via per Euchariſtiã beati ſumus.

At quid hæc inter verba Regius Vates inſeruit, *Laudabunt Dominum qui requirunt eum?* Quomodò quærent quem iam poſſident? Quomodò requirent, quo pleniſſimè ſatiantur? Vtique laudantes requirunt; quia Dei præſentiâ decorati, miraque eius ſuauitate repleti, gratiarum actionibus, feruidiſque charitatis flammis, ac maiorum meritorum incrementis, nouis veluti ſemitis Deum inueſtigantes, ad ipſum nouis motibus propetant & aſcendunt. Pauperes ergo & famelici, & ſaturantur, & diteſcunt; immò iam diuites, ditiores, boniſque repleti, nouis bonorum copiis cumulantur. Vnde & ſubdit Propheta; *manducauerunt omnes pingues terræ*, ibid. 27. & 30. Accubuerunt quidem pauperes, ſed pingues & diuites ſurrexerunt, taleſque ab illo diuino cibo effecti ſunt, vt inquit Theodoretus. Cùm ergo mendici ac famelici homines, cœleſti menſâ potiti diteſcant & ſatientur, iam illis ſuperna illuxit felicitas, ipſique in carne ambulantes, iam ſupra carnem militant, immò & triumphant; ac ſeipſis ſuperiores, etiam in terris cœlorum regna inhabitant, cùm ipſorum gloriâ iam fruantur. Hæc enim ſola menti humanæ ſatietatem præſtat, vt Regius cecinit Vates pſal. 16. 17. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* 167.

Summum bonũ, quod ſatiat hominem, in Euchariſtia recipitur.

Diteſcunt pauperes, famelici impinguantur ſacrâ communione.

Quod agnoſcens immaculata Chriſti Sponſa, ſacra myſteria celebrantis ore eos qui tanto ſacrificio interſunt Fideles hortatur, vt mentes ad cœleſtia ſubleuent, dum ait: *Surſum corda.* Cui obtemperantes parænesi egregiâ voce reſpondent: *Habemus ad Dominum.* Ac ſi clariùs dicerent, ſe ſolo corpore terram, mente autem iam cœlos inhabitare. Si ergo extra & ſupra ſe eleuantur homines qui ſacrum Chriſti corpus veneraturi ſolenni Miſſæ celebrationi ſe præſentes cum reuerentia exhibent, nonne qui diuinum ac cœleſte pabulum deuotè manducauerit, ad cœlos, immò & ad ſummum Dei omnipotentis thronum eleuabi- 168.

Mentes ad cœlos haberi iubentur qui Sacro interſunt.

tur? Qui Chriſti Domini paſſioni ac doloribus communicat, eius & gloriam, & lætitiam obtinebit. *Si ſocij eſtis paſſionum, ſic eritis & conſolationum*, inquit Apoſtolus 2. *Cor.* 1.7. Optimi Saluatoris paſſionis memoria in Euchariſtia recolitur, vt loquitur magnus Aquinas; & quoties panem hunc manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus, vt ait D. Paulus 1. *Cor.* 11. ipſaque mentis deuotione, quâ tremenda myſteria ſumimus, Chriſti paſſioni ac morti configuramur: ergo & illius reſurrectionis participes, eleuationis conſortes ac gloriæ erimus, immò & ſumus. Si enim *momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſempiternum gloriæ pondus operatur in nobis*, vt eiuſdem Apoſtoli ore pronunciatum fuit 2. *Cor.* 4. 7. crucis, paſſionis ac mortis Saluatoris voluntaria ſacrâ communione ſuſceptio, ſtatim reſurrectionis ac gloriæ immenſam elargitur mercedem. Statim ergo reſurgit, viuit, aſcendit & eleuatur Chriſtianus, ita vt ſublimem, eamque cœleſtem vitam agat; ſoloque corpore peregrinatur à Domino, animâ menteque totus & in cœlum & in Deum ſubleuatus.

Chriſti paſſioni ac gloriæ per Euchariſtiam communicamus.

169. Eapropter maximus gentium Apoſtolus Chriſtianos Domini reſurrectionis participes, ad cœleſtia, imò & diuina hortabatur. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Col. 3. Quod aureo exponens ſtylo aureum illud Orientalis Eccleſiæ Os D. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* 13. *ad pop. Antioch.* ſic ait: *Quæ ſurſum ſunt, qualia dic mihi? Vbi Sol? Vbi Luna? Vbi Angeli & Archangeli? Vbi Cherubin & Seraphin? Non*, inquit, *ſed vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Sublimes omnes, cœleſteſque præteruolat creaturas, ſublimia ſapiens, & ad ſuperna ſemper aſpirans vir ille Chriſtianus, qui & paſſionis, & Chriſti reſurrectionis ſacris myſteriis fit particeps: diuinæ Chriſti perſonæ ſanctiſſimæque eius humanitati totus adhæreſcit, à tanto theſauro nuſquam diuellitur, ibi totus reperitur; & quamuis corpore in terra maneat, corde tamen Chriſto fixus in cœlo eſt. Nam *vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, vt dicitur *Matth.* 24. 28. Quo in loco aquilarum nomenclaturâ Chriſtiani inſigniuntur, propter vitæ nouitatem, viſus perſpicuitatem, ac volatus ſublimitatem. Quia, vt eleganter loquitur D. Chryſoſt. hom. 24. in 1. epiſt. ad Corinth. *Oportet enim, qui ad hoc corpus accedit, eſſe ſublimem, & cum terra nihil habere commune: aſſiduè volare, & ad Solem iuſtitiæ aſpicere.* Quis ergo hominem corpore Chriſti ſaginatum, & ad ipſum corpus renouatam velut aquilam volitantem, in terra tepere cogitabit? Quis illum ſupra ſe ductum, & ad diuina ſubleuatum inficiabitur?

Cœlos aſcendimus, ipſique Chriſto inhæremus Euchariſtiâ.

Vt aquilæ volamus, & cœlos ſacrâ Euchariſtiâ aſcendimus.

170. Aureus ille, venuſtiſſimuſque Solis veluti effigie decoratus flos, ac Heliotropion, id eſt Solis typus, nuncupatus, ſolâ radice ſolo adhærens, cœlum petit, ſurſum vergit, Solem ipſum, cuius figurâ ſplendeſcit, vbique ſequuturus. Illum fulgentiſſimum iubarem intueri diceres; vt appareat, præſtolatur; ſimul ac ortus eſt, ipſi orienti ſubmittitur, ſuumque veluti ſinum aperiens, aureos eius lætus excipit radios: cum eo ad meridiem progreditur; ipſumque ad occaſum curſu velociſſimo properantem aſpectu ſequitur; ſemperque ſeipſo ſuperior, ſupra ſe viuit, ſupra ſe immoratur, totuſque in Solem & votis, & aſpectu transfertur. Vnde & à quodam hoc lemmate mirabilis huius floris ingenium declaratur! *Non quæ ſuper terram.* Solum enim deſerens, cœlum petit, Solem ſequitur, typum prototypo feliciter copulaturus. At plantam exanimem, ſenſus & cognitionis expertem longè ſuperat viuus iuſtitiæ Solis character; homo, inquam, Chriſtianus, qui non ſolùm Dei imaginem, quam ipſi omnipotens illius efformatrix manus impreſſit, ſed etiam Deum ipſum, quo auguſtiſſimo reficitur Sacramento, in corde gerit, à quo ſurſum erigitur, à terra ſeparatur, & ad regna ſyderea ſubleuatus totus in ipſum mente & affectu deportatur.

Heliotropiō ſolâ radice terram, votō cœlū tenet.

171. Alta ſectatur, ipſumque Solem cupit heliotropion; ſed quæ deſiderat, fugiunt; & quem fixis veluti obtutibus reſpexit interdiu, ipſum Sol noctu derelinquit. Vacuus flos, qui incorruptum ac lucidum ſydus appetens obſcurus manet, totuſque Sole priuatus corruptioni maximè obnoxius facillimè contabeſcit. Felicior certè homo Euchariſtico paſtus conuiuio, qui non ſolùm vero Dei viui ſignaculo decoratus, ipſum æterni ſplendoris iubarem ſequitur, ſed iam feliciſſimè aſſequutus, illius vitæ, ſplendoris ac incorruptionis diteſcit muneribus; & dum mente ſupra ſe volitans ad ipſum iuſtitiæ Solem aquilinâ velocitate conuolat, ipſum iam veraciter mente & pectore gerit. Illi ergo optimè quadrat egregium lemma, *Non quæ ſuper terram.* Hic enim quamuis terram incolat, nec ſuper terram viuit, nec ſuper terram immoratur, nec ſuper terram agnoſcit, diligit, meretur, augetur, beatur: toto mentis affectu à terra alienus ſupra ſe eleuatur, cœleſtia quærit, cœleſtia vult, & ipſum Chriſtum Dominum cœlorum Creatorem diligit, tenet, amplexatur. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe*, ait Ieremias, vt multi legunt, *Thren.* 3. 28. quia ſcilicet carne Domini ſatiatus, ab hominum terrenorum moribus & conſortio ſegregatos, totam vitam à mundi ſtrepitu vacantem in magna cum Dei familiaritate collocabit, & vt optimè exponit D. Bernardus ſerm. 2. in feſto Apoſt. Petri & Pauli, *Non reſpexit ad ſe, ſed ad illum, qui eſt ſupra ſe.* Sui enim oblitus omnem mentis ſuæ conatum ad Chriſtum ſupra ſe in dextera Dei patris ſedentem ordinauit. Ibi ergo ſupra ſe leuatus ſedet, & ſolitarius ſedet à tumultuantium creaturarum turbis ſemotus; ſoli Redemptori totus adhærens, ibi cum eo viuit, cum eo regnat & dominatur. Quod acutè ſanè D. Auguſtinus *in meditat. cap.* 15. expreſſit, dum ait: *Vbi portio mea regnat, ibi me regnare credo: vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco: vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamuis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido.* Quod ſanè rationi conſentaneum maximè videtur: ea quippe à membris habetur vita, quæ à capite tribuitur: illoque, quo caput fulget, honore totum corpus nobilitatur: Chriſtiani autem ſupernum ac cœleſtem cibum manducantes, Chriſti membra, immò & corpus, *non ſolum fide, ſed etiam re ipſa*, vt loquitur D. Chryſoſtomus, *efficiuntur*; & ideo & cum capite viuere, & cum illo regnare perhibentur: ſicque Chriſto ductore ſacram per Euchariſtiam non ſolùm intra & extra ſe, ſed etiam ſupra ſe feliciſſimè adducuntur. Hinc dicebat Chriſtus: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur; & vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus.* Ioan. 12. 26. Quod à D. Baſilio *ſerm.* 1. *exercitam. pietatis*, ſic exponitur: *Vbi eſt Chriſtus Rex? In cælo videlicet; eò te curſum facere miles conuenit. Obliuiſcere*

Chriſtianus ſacrâ Euchariſtiâ iuſtitiæ Solem in ſe gerit, & cum eo in cœlis habitat.

Cum Chriſto in cœlis regnat, & glorificatur.

omnia

omnis in terra quietis : nullus miles domum conſtruit, neque agrorum poſſeſſiones aſſumit , neque mercimoniis variis ad acquirendas pecunias implicatur. Dirumpamus ergo terrenorum omnium bonorum vincula, vt expediti ſupra nos cum Chriſto Domino in æternum habitemus.

ELVCIDATIO IV.

Chriſtus verus eſt Chriſtianorum Paſtor.

172. NOn ſolùm quia ducitur, verùm etiam quia à Chriſto paſcitur, immenſas ei & gratiarum actiones, & laudes debet Eccleſia. Vnde poſtquam Doctor Angelicus ad Chriſti Domini debita encomia celebranda hortatus eſt Eccleſiam, quia & intra, & extra, & ſupra ſe dirigente Saluatore ducitur, ſtatim nouam ſubiungens rationem, eandem vt iuſtiſſimo muneri faciat ſatis, admonet, quia egregius ille Dux, optimi etiam Paſtoris munere fungitur. Ecquidem præconiis vbique extollendus eſt Paſtor hic amantiſſimus triplici nos ſuſtentans pabulo: ab illo enim, nedum vt oues, ſed vt eius filij paſcimur verbo, exemplo & proprio corpore.

Chriſtus paſcit oues verbo, exemplo, & corpore.

Sectio Prima.

Chriſtus verus Eccleſiæ Paſtor, illam verbi pabulo ſuſtentat.

173. PAſtor eſt, immò Paſtorum omnium optimus æterni Patris æternus Filius: immaculato ex vtero virginali noſtræ trabeâ carnis indutus exiens, Paſtoris nomen, quod in Patris gerebat ſinu, in Matris gremio habere voluit, moxque natus Angelico vſus miniſterio, Iudææ paſtores ad ſua, eaque pauperrima in præſepio cunabula aduocauit, vt belluarum ac pecorum primò viderent paſtores, rationalium aliarumque omnium natum ex Virgine creaturarum paſtorem ac præceptorem. Sic enim exultans in natalis hymno ſacroſancta canit Eccleſia: *Palamque fit paſtoribus Paſtor creator omnium.* Ouem errantem, imò & perditam recuperaturus in terram deſcendit; non alteri eam ad ouile reuocandi curam demandauit; ipſemet fugientem, pereuntem, ac morientem ſequutus eſt, vocauit, reuocauit, ſaluauit, & ad vitam ſimul & ad ſe feliciter reduxit. Vnde & illius egregia vox eſt: *Ego ſum Paſtor bonus.* Ioan. 10. Bonus vtique Paſtor eſt, qui animam ſuam pro malis ac vitiatis ouibus ponens, ex malis optimas fecit. Bonus inſuper paſtor, qui ex ſumma errantis ouis malitia ſummam ac infinitam benignitatem in eam oſtendendi anſam accepit; quique immenſam miſericordiam in miſerrimum ac peſſimum ſeruum & inimicum mirabiliter effudit, dum quaſi fugientem ac repugnantem humanam naturam quaſi manu tenens arripuit, ſibique in ſponſam hypoſtaticâ omniumque maximâ vnione copulauit. Peccantes Angelos ſuæ libertati dimiſit, ſeque deſerentes deſeruit: at peccantem hominem quæſiuit, errantem vocauit, fugientem inſequutus eſt, ac repugnantem retinuit, ſuæque diuinæ vnione nobilitauit perſonæ. *Nuſquam enim Angelos aprehendit, ſed ſemen Abraha aprehendit.* Hebr. 2.

Chriſtus ex virginis vtero paſtor naſcitur, & à paſtoribus propterea viſitatur.

Oues ex malis bonas facit.

Quo homo peior, Deus melior.

174. Miraculum bonitatis ac miſericordiæ auget, quod lucidiſſima Eccleſiæ docent ſydera Auguſtinus *ſerm. 9. de verbis Apoſtoli*, & Doctor Angelicus *3. p. q. 1. art. 3.* nimirum ſummam hominum malitiam ſummam Dei prouocaſſe miſericordiam, ac Filium Dei inter homines, vt vnus eſſet ex illis, attraxiſſe. Nam ſi Adam non peccaſſet, Filius Dei nuſquam Filius hominis extitiſſet: Vt enim eleganter loquitur Auguſtinus proximè citatus: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.* Sicque in auguſtiſſimo Chriſtianæ Religionis myſterio verum apparet illud quod Socrates diuino afflatus numine protulit apud Platonem in Sympoſio, *ſ. dial. de amore*, ſcilicet; *Amorem eo die genitum fuiſſe ex paupertate, quo alma Venus inter Deos orta eſt.* Diuinus enim erga homines amor prodiit cum indigentia; egeſtas, ac miſeria noſtra remedium, curam & auxilium poſtularunt: ipſeque Deus ſe venuſtiſſimum, pulcherrimum, & optimum etiam ſupra Venerem diligens, Filium bonitatis ſuæ florem, pulchritudinis ſplendorem, ac maieſtatis ſpeciem ad egenos inopeſque homines mittere decreuit, vt & languores ac dolores noſtros ad ſe aſſumens, decorem ſuum, gratiam, gloriam ac omnia bona ſua nobis elargiretur.

D. Auguſt.
D. Thom.

Sine peccato non fuiſſet Incarnatio.
Socrates.

Dei amor ex paupertate & miſeria noſtra ortũ & augmentũ habet.

175. Quod vt præſtaret faciliùs, vbereſque in homines bonitatis ſuæ fluuios effunderet, boni officium geſſit paſtoris, primóque ad ſe errantem ouem remeare cupiens, propriâ voce, proprio ſermone, ore proprio vocans, diuino verbo enutriuit. Semel omnipotentis Dei manu efformatus homo, quod accepit eſſe amitteret, niſi eadem ſuccurrente ſeruaretur. Quæ eadem benigna manus alimenta ſubminiſtrat, datam vitam fouent, vires præbent, natiuum calorem paſcunt, ipſumque, vt rei medicæ loquuntur periti, radicale humidum reſtaurant; ſicque mirabilis totius hominis fabrica longos in dies protrahitur & conſeruatur. Verùm præſtantius quàm corporeum habens eſſe in ordine ſpirituali ac ſupernaturali, quo ad finem naturæ vires ſuperantem, rationalis creaturæ omninò completiuum ac beatificatiuum, Dei bonitate ac prouidentiâ ordinatus homo nobiliori indiget cibo, nobiliori ſtatui non diſſimili. Sed quo? Diuino verbo. Ab illo enim ad ſuperiora eleuatur, ab infimis diſtrahitur, in mente illuſtratur, in affectu accenditur, ac de fine ſuo ſupernaturali aſſequendo pleniſſimè eruditus, media ad illum aptiſſima ſeligens, impedimenta remouens, obices deuitans, à malo declinans, & faciens bonum, æternam inquirit pacem, proſequitur, conſequitur: vnde & illo iuuante ſpirituale quod recepit eſſe, ſeruatur, augetur, perficitur, ac tandem in patria coronatur. Quod certè rationi maximè conſentaneum videbitur, ſi mira diuini potentia verbi notetur. Vitæ ſupernaturalis principium ab illo in hominem deriuatur, eiuſdemque progreſſus ab illo eſt; immo perfectio & complementum. Quod acutè Iacobus Apoſtolus expreſſit, dum ait: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*, Iac. 1. 18. ſiue vt Græcè legitur, *Vt principatum obtineamus inter creaturas eius.*

Chriſtus paſtor oues paſcit verbo.

Homo ad finem ſupernaturalem ordinatus ſupernaturali indiget cibo, nempe Dei verbo.

Verbum Dei initium eſt vitæ ſupernaturalis.
Iacob. 1.

176. Quamuis enim perfecta in ordine ſupernaturali hominis natiuitas ſacro operetur Baptiſmate, quod etiam ſermone perficitur, dum accedente verbo à Chriſto præſcripto ad aquæ elementum, fit Sacramentum, quo renaſcitur homo adoptiuus Dei Filius; & licèt hac in regeneratione verba ſacramentalia patris, aqua verò matris vicem dicatur ſubire, vnde & D. Dionyſ. *de cæl. Hierarch.* Baptiſterium vocauit *Matrem adoptionis.* Tamen prior natiuitatem hanc antecedens generatio verbi

Chriſtianus verbo Dei genitus, Baptiſmate naſcitur.

D. Dionyſ.

diuini effectus eſt; nam cùm Baptiſmus, niſi credentibus vel per ſe, vel per Eccleſiam aut parentes, Chriſto Domino iubente, nuſquam debeat miniſtrari: ille enim dixit Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* &c. verſ. 19. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Marc. vlt. quod etiam explicat D. Th. 3. *p. q.* 68. *art.* 7. & 8. gratia enim, quæ eſt vltimus effectus Baptiſmi, & quæ nobis vitæ nouitatem confert, non datur niſi credenti & habenti rectam fidem, vt dicitur Rom. 3. 22. *Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti.* Cùmque fides nullatenus habeatur, niſi poſt auditam credendorum per diuinum verbum expoſitionem, & ideo Apoſtolus *Rom.* 10. 14. inquit: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante?* Et poſtea ſubdit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti,* ibid. 17. ideo nos in lege noua verbo Dei progenitos eſſe conſtat, miramque gignendi virtutem diuinum verbum ſemper habere. Vnde & Apoſtolus ſe tanquam filios in Chriſtiana Religione & vita ſpirituali Corinthios procreaſſe diuini ſemine verbi, quo non ſolùm gentium magiſter, ſed pater diceretur, gloriabatur 1. Cor. 4. *Si decem millia pædagogorum habeatis, ſed non multos patres; nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Cuius quidem ratio eſt, quia cùm generatio ſit proceſſus ad vitam, vt notat D. Th. *ibid. lect.* 3. homo autem viuat in Chriſto per fidem, vt habetur ad Gal. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei:* ipſaque fides ex diuini verbi auditu hominum mentes illuſtret; ideo verbum Dei ſemen eſt quo Apoſtolus Corinthios genuit Chriſto. Sed quia iuxta Philoſophorum placita, *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe;* infirmum enim eſſet agens, ſi quod produxit ſeruare non poſſet; cæcum & imprudens, ſi neſciret; ac ſi nollet, improbum: vitam ſupernaturalem quam verbo veritatis hominibus impertiit Chriſtus, eiuſdem ſermonis virtute cuſtodit, protrahit ac conſummat.

Nemo perfectum Baptiſmi effectum ſuſcipit, niſi credat vel per ſe, vt adultus; vel per alios, vt infans.

D. Thom.

Rom. 10.

Verbo Dei Chriſtianos Corinthios genuit Apoſtolus.

1. Cor. 4.

D. Thom.

Verbo Dei tanquam ſemine Chriſtiani generamur.

177\. At quomodo augeretur, conſeruaretur, immò & conſummaretur ſupernaturalis Chriſtiani hominis diuini virtute ſermonis vita, niſi præſtantiſſimi alimenti rationem ſermo hic ſortiretur? Cibus ergo eſt, ſed cibus animæ, panis intellectus, & cunctarum rationalis creaturæ debilitatum refocillamentum. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* æterna incarnataque Veritas protulit, *Matth.* 4. 4. Si ſolo corpore conſtaret homo, ſolo materiali viueret pane: ſed quia immortali, ſpirituali, Deoque ſimillimâ rationali etiam conſtat animâ; ſpirituali, rationalique indiget alimento, diuino ſcilicet verbo. *Quod enim corpori eſt cibus,* inquit D. Chryſoſtomus ſerm. cont. Anomæos, tom. 5. *hoc animæ eſt verbum Dei.* Illo creſcit corpus, hoc augetur ſpiritus: illo caro nutritur, hoc anima impinguatur: illo denique in terra viuit homo, iſto ſupra cœlos cum Deo verſatur Chriſtianus.

Paſcimur tanquam cibo.

D. Chryſoſt.

Verbum Dei cibus animæ.

178\. Famelicos ſatiant terreni cibi, parteſque ſubſtantiæ corporeæ natiui caloris actione quotidie deperditæ alimentis corporeis inſtaurantur; vnde & nutritio à Philoſophis aggeneratio, ſeu partialis generatio vocitatur. Amplior eſt ſpiritualis pabuli effectus; non enim quod naturalis igne concupiſcentiæ quotidie in anima deperditur, tantùm ſermo diuinus reſtaurat, ſed etiam ipſam ab omnibus vulneribus ſanatam rationalem renouat animam. Sauciauit illam infelix omnium hominum Protoparens, vanoque ac inordinato felicitatis ac ſcientiæ appetitu ſcientiam amiſit, vniuerſumque in ſe veluti reconditum genus humanum in anima vulnerauit; intellectum veritatis cognitione, voluntatem rectâ ad Deum ordinatione, immò & Dei affectu orbauit; omnemque animalis hominis infimam partem contra ſuperiorem ſuſcitauit. Tot tantiſque malorum copiis quis occurret? Immò animæ tantis vulneribus ſauciatæ quis ſuccurret? Omnipotens verbum Dei: illud enim, quod rectum opus efformauerat; diſtortum debet rectificare: quod ſanum, ſanctumque creauerat; vulneratum, impiumque & ſanare debet, & ſanctificare. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos; ſed tuus, Domine, ſermo qui ſanat omnia,* inquit Sapiens *Sap.* 16. 12. Certè vnum eſt panchreſtum omnium ægritudinum medicamen ſermo diuinus, nec ſanitati niſi per illum Adamus reſtitutus eſt.

Mentis reparat languores, & ſanat vulnera.

Acutiſſimæ primi hominis mentis aciem obtrudit primum eiuſdem inobedientiæ ac ſuperbiæ flagitium. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum,* falsò cacodæmon promiſerat. Immò verum quid ſpopondit ſpiritus mendax, nec dicere auſus eſt: *Eritis ſicut Deus;* ſed, *eritis ſicut Dij.* Gen. 3. 5. ſibi, cæteriſque apoſtatis ac rebellibus angelis inobedientem ac peccatorem hominem omninò ſimilem prænuncians. Quod aduertit Procopius *in c.* 3. *Gen.* dum ait: *Non dixit tentator, eritis ſicut Deus, ſed ſicut Dij: ſeipſum enim & apoſtatas angelos hoc nomine dignos cenſuit; quia omnes Dij gentium dæmonia.* Itaque ſe parem Deo veriti manducatione edulij dum exoptauit Adamus, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Dei imaginem in ſe quantum ad ſupernaturalia deletam ſenſit; nec propterea diis, ideſt dæmoniis ſimilis effectus eſt, deteriorem in ſtatum lapſus: ipſis enim angelis peccantibus ſupernaturalia & gratuita dona abolita ſunt, at naturalia in eis remanſerunt integra, vt docent Theologi cum D. Thoma 1. *p. q.* 64. *art.* 1. Vnde rerum omnium naturalium, quarum à creatione ſpecies habent congenitas, notitiam dæmones per peccatum non amiſerunt: humanam autem adeo vulnerauit naturam peccatum, vt iuſtitiâ originali amiſſâ, omniumque ſupernaturalium dotibus obliteratis, etiam naturalia admodum diminuerit. Scientiam amiſit intellectus, voluntas rectitudinem, ipſaque rationalis anima mente veluti capta, oculis orbata & pedibus, cæca remanſit & clauda. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt,* inquit Propheta Sophon. 1. 17. Malitiâ ergo excæcatus homo ac immobilis factus, ex eodem recipit medicamenta vnde facta ſunt vulnera. Falſum, aſtutumque cacodæmonis ſerpentis ore prolatum verbum, cui libens homo præbuit aurem, rationalem animæ partem veluti profligauit, mentis oculos eruit, affectus vigorem ac feruorem extinxit: at verum, viuumque Dei Opt. Max. verbum cæcum illuminauit, claudum iacentemque erexit, ſimulque totius hominis & medicamen extitit, & alimentum. 179.

Procop.

Homo per peccatum dæmonis ſimilis, immò & abiectior.

D. Thom.

Scientia remanſit in Angelis peccatoribus, nō verò in homine.

Lapſos Protoparentes, iumentis æquales, & ſeipſis inferiores ad priſtinum, immò & ad ſublimiorem Vnigeniti incarnatione ſtatum reuocaturus Omnipotens hominis efformatur, primo, vnico, excellentiſſimoque omnium tantæ curationis medio vſus eſt, dum ſtatim poſt peccatum 180.

Deus Adamum voce ad pœnitentiam reuocauit.

Digitized by Google

vocem ſuam, verbúmque ſuum miſit, vt ſimul & aures eorum & corda percutiens, colliſa rediutegraret, vulnerata ſanaret, totúmque læſum, lapſúmque interiorem hominem repararet; quod ſacræ ſic narrant Paginæ, *Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, &c.* Geneſ. 3. 8. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Vide ſummi Opificis proprium erga opus amorem: fugienti appropiat, rebelli loquitur, & mortuum ad vitam reuocaturus, vt miſerum in quo per peccatum jacet, tumulum videat, inuitat. Verùm quomodo videbit qui mente captus, oculis orbatus eſt? Quomodo miſerum, tetrúmque in quem ſeſe detrudit, carcerem reſpiciet qui ſeipſum non agnoſcit? Diuini vtique verbi ſubſidio. Audiat Deum loquentem, qui tentatorem dæmonem audiuit; ipſaque quæ dæmonis verbis cognitionem rapuit auris, diuino ſermone notitiam homini reſtituat: ad hoc enim Deus loquitur vt homo audiat, audiendo illuminetur, & illuminatus ſanetur.

Verbum Dei Adamo viſum mentis reſtituit.

181. Quod eleganter expreſſit mellifluus Gallicanæ, immò & totius Eccleſiæ Doctor inclytus Bernardus *ſerm.* 28. *in Cant.* vbi præfata Geneſis verba, *Adam vbi es*, expoaens, Adamum ſic loquentem inducit: *Non videbam jam peccator, audiebam tamen: ſed auditus aſpectum reſtituet, ſi pius, ſi vigil, ſi fidelis praceſſerit.* Ita planè accidit; ex quo enim Dei vocem primus homo audiuit, timuit, latuit, pœnituit, ipſoque apud cum agente Dei verbo, mentis viſum accepit, ſéque miſerum, Deúmque miſericordem agnouit, à quo denuò gratiâ donatus, totius ſtirpis per verbum ſuum liberationem didicit. Nec diſſimili modo, *qui naturâ filij, iræ & maledictionis*, progenitoris labe infecti naſcimur, originali à peccato mundamur, lumenque quo cæcus illuſtretur intellectus recipimus. Ab aure in nobis ſalus incipit; ac ille quo intrauit peſtiferum ſerpentis verbum, diuinum ſuſcipiens ſermonem ſenſus, & lucem menti noſtræ tribuit, & munditiem. Quod notauit D. Bernardus jam citatus. *Auris*, inquit, *prima mortis janua, prima aperiatur & vita. Auditus qui tulit, reparet viſum; quoniam niſi crediderimus, non intelligemus.* Fides quippe quæ noſtræ iuſtificationis initium eſt, juxta illud Apoſtoli, *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, &c.* Hebr. 11. in nobis oritur ex diuini ſermonis auditu. Cúmq; lumen fidei, quamuis obſcurum, ſit perſpicaciſſimum, fulgore ſuo noſtras nequit non illuſtrare mentes, ac viſum non reſtituere: nec enim illius mentis caligant oculi, qui oculatiſſimâ fide reſpiciunt: ipſa enim, vt loquitur Bernardus ſerm. 2. de Epiphania, *adeo eſt oculata, vt lynceos oculos habeat.* Ea eſt diuini vis verbi, vt ſimul animas noſtras paſcat, & omnes ſpirituales curet infirmitates; ſicque optimus Paſtor etiam Medici munere fungens, interiorem hominem renouet & reſtauret. Cui ſuffragatur inuictiſſima Chriſti Sponſa B. Agatha, dum Apoſtolo Petro ad vberum ſuorum curanda vulnera remedia exhibenti reſpondit: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui; ſed habeo Dominum Ieſum-Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa.*

D. Bern.

Nos ipſi à verbo diuino illuminamur.

D. Bern.

Fides lynceos habens oculos, acutiſſimum viſum fidelibus tribuit.

D. Bern.

Verbo omnia Chriſtus reſtaurat.

182. Sed mirabiles à Verbo Diuino curationes, mutationes, ac renouationes attentiùs expendamus. Rapacem ouium Chriſti lupum furiis inuectum, dirúmque toto pectore in Eccleſiam virus efflantem, ac Sanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitientem quis dedit manſueſcere? quis in agnum tranſmutauit? quis in Paſtorem conuertit? quis ex Paulo infenſiſſimo Eccleſiæ hoſte zelantiſſimum Eccleſiæ Doctorem, protectorem ac propagatorem fecit Paulum? *Viuus ſermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus*, vt dicitur Hebr. 4. 12. Viua, inquam, illa Chriſti Domini ex mortuis rediuiui è cœlis clamantis, egregiáque vox: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. 4. quâ in aures cordis & corporis intonante, repentinâ mutatione *Saulus ſpirans cædis ac minarum in Diſcipulos Domini*; ita Magiſtro loquenti addictiſſimus, perfectiſſiméque obtemperaturus reſpondit: *Domine, quid me vis facere.* Fortis ſanè Dei Filij, victrixque loquela perſequutorem proſtrauit, vt fideliſſimum erigeret Prædicatorem. Glorioſus ſermonis Chriſti triumphus, qui dum crudeliſſimum Eccleſiæ ſuæ hoſtem profligauit, non occidit, ſed viuificauit; non ſanguinem eius fudit, ſed eius menti gratiam infudit; non arma rapuit, ſed præbuit; non animum, viréſque abſtulit, ſed mutauit; humi dejecit, ſed vt illum ſupra tertium cœlum eueheret: Iudæorum Synagogæ eripuit ſuæ crudelitatis miniſtrum, vt Chriſtianorum Eccleſiæ benignitatis ac manſuetudinis diſpenſatorem prouideret: ac denique immanium Sacerdotum Principis contra Chriſtianæ Religionis profeſſores decretorum ſæuiſſimum portitorem in pretioſiſſimum electionis vas, vt Chriſti nomen vbique coram Regibus & Principibus deportaret, ac glorioſum prædicaret, mirabiliter conuertit.

Verbum Dei lupum mutauit in agnum & paſtorem.

Chriſti voce Paulus Eccleſiæ perſequutor, Chriſti nominis egregius fit prædicator.

Majora heroum orbis domitorum, exercituúmque victorum trophæa quis inueniet? Nuſquam glorioſior verbi Dei Paulum Apoſtolum ſubitò efformantis victoriâ, triumphus vllus extitit. Non ferro, non flammâ, non armis, non ſagittis, ſed ſolâ voce Paulus victus, proſtratus, erectus, ac Apoſtolus ex perſequutore effectus eſt. Lupum ſubitaneâ mutatione in agnum conuerſum quis non mirabitur? Vel vt veriùs loquar, lupum ouium vaſtatorem, earum factum protectorem, immò & paſtorem, quis videns non ſtupebit? *Benjamin lupus rapax mane rapiet prædam, & ad veſperam diuidet eſcas.* Gen. 49. 27. Quod non ſolùm à Iacob de filio Benjamin, cui benedicebat, dictum; ſed etiam de Paulo, qui vt ipſe teſtatur, de Tribu Benjamin ortus erat, putandum eſt. Ille ergo qui mane, id eſt priùs, vt exponit D. Auguſtinus *ſerm. 4. de Sanctis*, crociſſimus tanquam lupus rapuit prædam, ipſámque Dei deuaſtauit Eccleſiam; ad veſperam, id eſt poſteà, diuino Chriſti ſermone fideliſſimum, manſuetiſſimúmque in paſtorem commutatus, eſcas Chriſti diuiſit ouili; & quos vinctos in Ieruſalem Chriſtianos perducere conabatur, diuini ſermonis pabulo ſuſtentauit. Sed vide optimi Paſtoris zelum: propriæ obliuiſcitur, vt aliorum conſulat ſaluti: non ſolùm Chriſtianos fouet, ſed Iudæos etiam cum propriæ vitæ periculo ſaluare laborat: ipſámque, quam Damaſci ſuſcepit Baptiſmi gratiam, in alios refundere cupiens, *Continuo in Synagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt Filius Dei*, vt dicitur Act. 9. 20. Suóſque ſtupentes ac repugnantes auditores multò magis inualeſcens confundebat, ac diuini miniſterio verbi ſuperabat. Sed Tertullianum, lupum in Paſtorem verſum admirantem audiamus lib. 5. cont. Marcion.

183.

Mira verbi Dei de Saulo victoria.

D. Auguſt.

Lupus rapax Paſtor fidelis Paulus efficitur.

Tertull.

Marcion.cap.1. *Iacob*, inquit, *ex Tribu Benjamin oriturum Paulum prauidebat; lupum rapacem ad matutinum comedentem, id eſt primâ ætate vaſtaturum pecora Domini, vt vaſtatorem Eccleſiarum: dehinc ad veſperam eſcam daturum, ideſt devergente jam ætate oues Chriſti educaturum, vt Doctorem gentium.*

184\. Vetùm cur diuino in Paulum triumphum agente Chriſti verbo, Pauli caligant oculi? *Si præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, vt Regius Pſaltes cecinit *pſalm.* 18. 9. cur Saluatore jubente vt Paulus ſurgat & ciuitatem ingrediatur, vt ibi Chriſtianæ fidei myſteriis imbuatur, & ſacri Baptiſmatis vndâ tingatur, dum *ſurrexit Paulus de terra, apertis oculis nihil videbat?* An quia *deſinit videre ſecularia, qui incipit audire diuina.* Ita cenſet D. Ambroſius *lib.2.de Abraham, cap.9.* An verò quia *oculi*, qui vt ait Quintilianus, *ſunt tota luxuria noſtra*, optimè, vtilitérque cæcutiunt, dum à terreſtribus ad cœleſtia, & à creaturis ad Deum reuocamur? Ita exiſtimauit D. Bernard. *ſerm.1. de conuerſione Pauli*, vbi ait: *Felix cæcitas, quâ in conuerſione oculi ſalubriter excæcamur.* An quia nouam incipiebat vitam, veteres oculos ac antiquos obtutus debebat amittere; & nouâ popillâ, nouiſque luminibus noui hominis vitam agentem Paulum donari oportebat? Ita planè: nec luce de cœlo circa eum fulgente, erga cœleſtia objecta poterat cæcutire. Immò mentis ſuæ diuinis rebus oculos figens, carnis apertis oculis nihil carneum, nihil corporeum, nil corruptibile intuebatur. Sed audito Ananiæ ore diuino verbo, ſuſceptáque Chriſtianæ Religionis catecheſi, Baptiſmum cupiens, Baptiſmum poſtulans, *ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.* Act.9. 18. Quod expendens Auguſtinus *in Pſal.* 67. aſſerit tunc adeptum fuiſſe Paulum lumen oculorum carnalium, vt innuatur conceſſum lumen oculorum ſpiritualium; quorum quidem acies perſpicaciſſima euaſit ex diuina colluſtratione, quâ & voce diuinâ, & cœleſti ſplendore Pauli mens illuſtrata eſt. Rectè ergo apertis oculis ſic illuſtratus nihil videbat, licèt Chriſtum Dominum mundi lucem ſplendidiſſimam tunc viderit: oculis enim primam lucem ſpectantibus ſecundæ res deliteſcunt, & in tenebris minimè conſpiciendæ ac æſtimandæ latent, vt idem loquitur Auguſtinus *ſerm.2. de conuerſ. Pauli*, dum ait: *Eo tempore quo Paulus cætera non videbat, Ieſum videt; in eius cæcitate myſterium reformabatur credentium, quoniam qui credit in Chriſtum, ipſum intueri debet, cætera nulla computare: cætera creatura vileſcat, vt Creator in corde dulceſcat.*

Paulus cæcutit oculis carnis, vt clariùs videat oculis mentis.

Quintilian.

D. Bern.

Vt ſolùm Creatorem agnoſcens, creaturas minime videat.

185\. Alij ſunt ſermonis diuini, ſuauiſſimi animæ noſtræ pabuli mirabiles effectus, fructus vberes: nec minora quàm in Paulo aliis in hominibus, quos ex infidelibus in piiſſimos, fideliſſimóſque tranſmutauit, patrauit miracula. Sanè obſcurus non fuit diuinæ vocis Romano de Centurione triumphus: nec minùs vicit in Duce militum quàm in ſæuiſſimo Principis Sacerdotum crudelitatis miniſtro. In hoc Iudæam, in illo idololatriam ſuperauit. In Saulo Synagogæ ex Scripturis ſibi creditis faſtum; in Centurione gentilitatis ex imperio ſibi demandato arrogantiam compreſſit, ac viuifico Chriſti Domini crucis ſigno feliciter ſubmiſit. In cruce pendebat totius humani generis Creator vniuerſum genus humanum redempturus: ab adſtantibus videbatur, at minimè agnoſcebatur. Immò malus & injuſtus putabatur, cum ſceleratis & iniquis latronibus vtique crucifixus. Adfuit Centurio, patientem vidit, pendentem reſpexit, ſed eum qui patiebatur, & qui pendebat non agnouit; mortuum tamen cognouit; mortuum prædicauit, mortuum Dei Filium confeſſus eſt, primúſque Gentilium mortuum ac crucifixum hominem Deum annunciauit. Quis tantam lucem menti Centurionis infudit? quis eius aperuit oculos? Quis linguam, vt egregiam adeò Chriſti Diuinitatis confeſſionem palam, coram Romanis, Hebræis & Græcis audacter promeret, ſoluit? Quis Gentilem hominem etiam ſupra Chriſti Diſcipulos ſublimauit? Chriſtum Dei Filium coram condiſcipulis Apoſtolus Petrus pleno ore prædicauit, dum inquit Matth.16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Etiam dilecta Chriſti hoſpita Lazari & Mariæ ſoror Martha publicè Chriſtum Dei Filium eſt confeſſa, Ioan.11. *Vtique, Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Debebat Petrus Magiſtrum Dei Filium prædicare, quia & eius miracula viderat, ſacra verba exceperat, ac ſuâ vocatione gratiam, quæ à ſolo Deo eſt, feliciter comprobarat. Debuit & Martha, quæ diuinam Chriſti virtutem ſenſit, loquelam mirata eſt, ac ſigna eius & prodigia intuita, ipſúmque ſe Deum pronunciantem audiuit, Ioan. 11. *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet, &c.* Sed vnde Centurio mortui ac crucifixi, cujus miracula non vidit, cujus ſermonibus non eſt potitus, cujus virtutem non eſt expertus, Diuinitatem didicit? A diuina Chriſti Domini morientis voce: illa eſt quæ aurem eius replens, cor tetigit, mentem illuſtrauit, oculos aperuit, linguam ſoluit, ipſique verba ad crucifixum ac mortuum Dei Filium prædicandum ſubminiſtrauit. *Videns autem Centurio*, inquit Marcus c.15. 39. *qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Quod exponens D. Bernardus *ſerm.* 28. *in Cant.* ait: *Ergo ad vocem credidit. Ex voce agnouit Filium Dei, & non ex facie. Auditus inuenit quod non viſus; oculum ſpecies fefellit; auri veritas ſe infudit. Oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus morte turpiſſimâ condemnatum: auri Dei Filius, auri formoſus innotuit.* Ita elegnater Bernard.

Diuinum verbum de Centurione triumphat.

Nobilior Centurionis quàm Petri & Marthæ Chriſti Filij Dei confeſſio.

A morientis Chriſti voce eius Deitatē agnouit.

D. Bernard.

Nec ſolius huius Centurionis cor tetigit, & oculos aperuit morientis Chriſti Domini clamor: 186.
cæterorum quoque Gentilium & peccatorum quotidie mentes tranſmutat tanti Paſtoris optima vox; nullúſque extra ipſius errans ouile, vocem eius audit, qui ſtatim ipſum non agnoſcat, ipſum non ſequatur, & ad illius gregem non reducatur. Reliquos quos concupierunt, cibos faſtidiunt diuini verbi alimento ſemel deguſtato, ſummáque celeritate ad ſuauiſſima hæc paſcua feſtinant. Cur non ita? Cùm huiuſmodi paſcuis delicias ipſas in fonte deguſtent, ipſiúſque æternæ vitæ delectationes in eis præguſtent. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me; & ego vitam æternam do eis*, inquit Chriſtus *Ioan.*10.27. Mirabilis cibus, qui paſcens mortuos, facit viuos; peccatores nutriens, facit iuſtos; & homines mortales reficiens, ipſos efficit immortales. *Venit hora, & nunc eſt*, ait idem Saluator Ioan. 5. 8. *vt omnes qui in monumentis ſunt, audiant vocem Filij Dei; & qui audierint, viuent.* In tumulis jacentes

Nullus gregi Chriſti incorporatur, niſi per verbum Dei.

tes

Vitam & immortalitatem præbet Dei verbum.

Deitatem participatã tribuit Dei verbum.

D. Thom.

tes peccatorum, ſi ſemel diuinæ voci aures præbuerint, vitam auditu recuperabunt, vitam vtique ſpiritualem, ſupernaturalem, immò & immortalem. Nec mirum, cùm ipſum æternum Dei Verbum, quod voce ſuæ humanitatis hominũ in animas illabitur, vita ſit, totiuſque vitalis perfectionis origo. Verùm parum dixi, non enim ſolam immortalitatem recipiunt homines ab incorruptibili diuinoque ſermone, ipſam ab eo ſuſcipiunt diuinitatem. Si enim humani ore magiſtri prolata verba humaniores præſtant diſcipulos; ſi philoſophicæ pronunciante Præceptore loquelæ Philoſophos efformant auditores; ipſum ore Dei prolatum verbum ſuſcipientes audienteſque homines procul dubio diuinos efficiet. Vnde & Chriſtus Dominus Ioan. 10. 35. *illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt.* Quod exponens D. Th. ait: *Ideo vocauit Deos eos, inquantum participant aliquid diuinitatis, ſecundùm participationem verbi ad eos facti. Nam ex ſermone Dei homo habet aliquam participationem diuinæ virtutis & puritatis.* Quod ſi tanto Magiſtro mentem liceat ſubjicere diſcipuli, addam ex diuini participatione ſermonis ipſum æternum æterni Patris ſermonem animas noſtras inhabitare. Cùm enim fides ex verbo, & ex fide Dei Filius corda noſtra ſuâ præſentiâ cohoneſtet, vt loquitur Apoſtolus Epheſ. 3. 12. *Per fidem Chriſtum habitare in cordibus noſtris*: cúmque Chriſtus non ſolùm *Dei virtus* ſit, *& Dei ſapientia*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 1. 24. ſed etiam *ſplendor gloriæ, & figura*, ſeu character *ſubſtantiæ eius*; hoc ipſo quod Dei virtutem, ſapientiam, ſplendorem & imaginem ſacri miniſterio verbi recipimus, etiam ipſam Deitatem poſſidemus; & ab illa diuinum Numen participantes, etiam Dij poſſumus appellari. Quod Clementis Alexandrini in exhortatoria ad Gentiles teſtimonio roborari poteſt; ſic enim habet: *Sunt verè ſacræ literæ quæ ſacros faciunt & deificant.* Quod intelligendum eſt quando diuinum in eis exaratum verbum, & reuerenter ſuſcipitur, & ſtudioſiùs conſeruatur.

Chriſtus fide cor Chriſtiani inhabitat.

Clem. Alex.

187. Spiritalem Eccleſiæ eſcam, cœleſtemque Chriſtianorum doctrinam commendaturus amantiſſimus ouium ſuarum Paſtor Chriſtus Dominus ait Luc. 8. 4. *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Sacrum verbi pabulum ſemen appellat; ſubdit enim, *Semen eſt verbum Dei.* ibid. 11. Quorſum ita? Vt diuini verbi virtutem & fœcunditatem exprimeret, homineſque à verbo Dei in Deos generari demonſtraret. Verbum igitur ſemen eſt Dei, quia ab hominibus ſuſceptum, euacuat hominem, & producit Deum. *Sed quid facit hoc ſemẽ*, inquit D. Thom. ſup. Luc. c. 28. *Simile ei à quo procedit, quia facit filios Dei.* Semen enim eſt principium fructus. Quod quidem in naturalibus apparet: illi à quo deciſum eſt ſemen, ſeminis effectus aſſimilatur, vt in omnibus viuentibus conſtat; ſic enim ex leonis ſemine, leo; ex homine, homo: ergo & ex Dei ſemine Deus debet generari. Hanc illuſtret ratiocinationem illuſtri ex Philoſopho illuſtrior Chriſtianus Iuſtinus Martyr, qui *orat. 2. ad Græcos*, miram diuini verbi in Scriptura contenti virtutem ac fœcunditatem admiratus, hæc in verba prorumpit. *Hæc nos* (diuini ſermonis vis) *non efficit Poëtas, non Philoſophos reddit, neque Doctores excellentes: ſed ex morti obnoxiis immortales, & Deos ex immortalibus facit.*

Verbum Dei diuinum eſt ſemen Deos generans.

D. Thom.

D. Iuſtin. Mart.

188. Superna cœlorum regna, qui vbique præſens eſt, ſpeciali modo inhabitat Deus optimus maximus: at vaſtiſſima terrarum ſpatia replent homines veri terrenæ regionis incolæ; quod expreſſit Pſalmographus pſ. 113. 25. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Quid verò ſi filij hominum filij Dei efficiantur? Locum mutabunt, terram ſpernent, infima calcabunt, ſurſum vergent, ſurſum aſcendent, current, volabunt. Quibus alis, quibus pennis? His quas à verbo diuino recipient. Illos ex hominibus Deos pretioſus ſermo diuinus procreat, ac Deos ſic efformatos ad cœlos euehit & exaltat. Nonne ſtupes? nonne miraris, dum Fideles cum Eccleſia militante hoc in ſtadio pugnantes, jam veluti victores ac triumphatores in cœlum conſcendere cernis? *Quæ eſt iſta* (cœleſtes clamant ſpiritus militantem triumphare videntes Eccleſiam) *quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens.* Cant. 8. 5. Verùm ne miremini; terreni cum Eccleſia aſcendunt homines, quia diuini effecti, quia deliciis affluentes, quia verbis, ſermonibuſque diuinis carnis ſarcinâ exonerati, ac ſpirituales redditi, ſublimes in locos non poſſunt non euolare. Huc reſpexit D. Gregorius *lib.* 16. *Moral. cap.* 10. dum ait: *Sancta Eccleſia niſi verborum deliciis afflueret, de deſerto vitæ præſentis aſcendere ſuperiora non poſſet.* Deliciis ergo affluit & aſcendit, quia dum myſticis intelligentiis paſcitur, ad ſuperna quotidie contemplanda ſubleuatur.

Terreni homines per verbum Dei Dij effecti cœlos incolunt.

Verbi alis cœlos aſcendunt.

D. Greg.

Alata ergo Dei verbo militans Eccleſia, alati Fideles, alatæ illorum mentes; alatæ vtique, quia auibus leuiores, Angelis velociores ſemper volant, ſemper ad Deum, cuius participatâ Deitate decorantur, tranſvolant. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus loquutus eſt*, ore Sponſæ ſancta inquit Eccleſia *Cant.* 5. Seu vt ibidem veritas Hebræa habet: *Anima mea exiuit, dum ille loqueretur.* Semel enim dilectiſſimi Paſtoris auditâ voce, verboque percepto, Chriſtiani liquefacta anima extra ſe exiens toto cordis affectu in Deum fertur, quem jam per ſermonem in ſe recepit: mens quippe, *quæ ardere jam ex deſiderio cœperit ad ſequendum quem diligit, liquefacta per ignem amoris currit*, vt loquitur D. Gregorius *hom. 25. in Euang.* Quis autem animam accendit? quis ardere fecit, niſi diuinus ſermo, qui ignem in illam mittens, ſtatim à terrenis ad cœleſtia ſubleuauit. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, Regius inquit Pſaltes *pſal.* 118. 140. Ignitum ergo Dei verbum cor igneat neceſſe eſt, ac cor ignitum ſurſum aſcendere omnino oportet. Sed quò tendit ignis iſte? Non concauum Lunæ, non elementaris ignis ſphæram, non ſydereos petit cœlos, ſed ſupernaturalis ac diuini ignis fertur in centrum; ad illum, inquam, aſcendit ignem, de quo ſcriptum eſt, *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Deuteron. 4. Quid ergo ſi Deus ignis conſumens eſt? Conſumens eſt illius verbum. Conſumet vtique, ſed defectus, ſed terreſtres infirmitates; non conſumet cœleſtes qualitates. *Bonus ignis* (inquit Ambroſius in Pſal. 118. n. 140.) *qui calefacere nouit, neſcit exurere niſi ſola peccata. Mundat animum, conſumit errorem.* Et ſtatim ſubdit: *Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur: vrit enim ſermo diuinus, vt corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit, vt perdat.* Sanè de hoc ignito ſermone optimus diuini verbi ſator loquutus eſt, dum inquit Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram.* Quem locum exponens D. Hieron. *epiſt. 142. ad Damaſum*, inquit: *Quærimus vbi ſit hoc incendium ſalutare? Nulli dubium, in ſacris voluminibus, ex quorum lectione vniuerſa hominum vitia repurgantur.* Quia ſcilicet ex ſacrorum lectione voluminum diuini ſermonis puritatem cœleſti in fonte potamus.

189. (margin, beside "Alata ergo Dei verbo")

Chriſtiana anima verbo Dei liquefacta extra ſe ad Deum egreditur & currit.

D. Greg.

Verbum Dei ignis.

D. Ambr.

Conſumens peccata, non hominem.

Hic ignis eſt pabulum & cibus Angelorum.

190\. Verùm ſi ignis ſermo diuinus, quomodo pabulum eſſe poteſt? Imò quia ignis, ideo perfectius, præſtantiuſque pabulum cenſendus eſt. Cibus Igitur eſt non tantùm hominum, ſed Angelorum. Ab Auguſtino ſiquidem ſerm. 38. ad Fratres in eremo, *Angelorum ferculum, & Archangelorum pulmentum* appellatur. Quod ſanè rationi conſentaneum eſt. Ignitos ſpiritus Angelos Scriptura pronunciat. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Pſal. 103. 5. Seu vt legit D. Paulus Hebr. 1. 7. *Et miniſtros tuos flammam ignis.* Cùm ergo alitis non diſſimile eſſe debeat alimentum, igne nutriuntur, igne delectabuntur ignei, Angelicique Spiritus: ipſaque rationalis anima, cùm Angelis cōpat, ac myſtica flamma ſit, rectè etiam diuino ſermonis Dei igne ſuſtentatur. *Panem Angelorum manducauit homo.* Pſal. 77. 25.

Manna ab hoc Angelorum pane ſuperatur.

Non tantùm manna, eſca mirabilis Angelorũ manibus efformata, homini in deſerto cibus fuit; ſed diuini verbi ignis, verus Angelorum panis, hoc in ſeculo veluti in deſerto hominis, animæ ſuauiſſimum nutrimentum miniſtrauit. Manna Hebræorum in deſerto delectabile conuiuium, ſi diutiùs ſeruabatur, vermibus ſcatebat & putreſcebat, vt notatur *Exod.* 16. 20. Verbum diuinum, ignitum Angelorum & animarum pabulum, in dies ſeruatum neque internam deperdit dulcedinem, neque externam labem admittit. Incorruptum ſemper eſt, imò & eos quos paſcit immortales faciens, ad cœlos deportat. Quod expreſſit Drogo Epiſcop. Hoſtienſis lib. 1. de Sacram. Dominicæ paſſionis. *Panis*, inquit, *quem manducauit homo, putreſcere neſcit: non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum; illuc reducit hominem, vnde traxit originem.*

Ad tantas verbi Dei delicias properare debent Chriſtiani.

191\. Quàm ergo ſuauiter, quàm delicioſè verbo ſuo paſcit Eccleſiam Chriſtus Dominus! Quàm auidè cibum iſtum deſiderare ac guſtare debemus! Accedamus famelici, vt diuinâ hac eſcâ ſatiemur. Accedamus feruidi, vt ignem è manu Domini accipiamus; nam *in dextera eius ignea lex*, vt dicitur *Deut.* 33. 2. Ab illo ſemper pabulum verbi ſuſcipimus, quotieſcomque nobis confertur: ipſeque eſt qui in Prophetarum, Apoſtolorum, imò & Concionatorum omnium ore loquitur: ideoque Pater æternus, cuius Filius verbum eſt, lingua & loquela, de transfigurato inter Moyſem & Eliam Chriſto ſic Apoſtolis eſt loquutus: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Matth. 17. 5. vt omnes per ipſum loquantur diuini verbi ſatores, & vt in omnibus diuini ſermonis Prædicatoribus ſemper ipſe Filius Paſtor optimus audiatur, ſicut acutè dixit Auguſtinus *hom. 1. de Transfigur.* dum ait: *Loquitur Elias, ſed ipſum audite. Loquitur Moyſes, ſed ipſum audite. Loquuntur Prophetæ, ſed ipſum audite.* Chriſtum igitur omnium per ora Apoſtolorum ac Concionatorum loquentem audiamus, eius verba ſedulò ſeruemus, ſanctiſſimam Deiparam imitantes, quæ *verba* diuina *conſeruabat, conferens in corde ſuo*, vt dicitur *Luc.* 2. 19. Panem iſtum intellectualem comedere non obliuiſcamur, ne areſcat cor noſtrũ, & diuinâ gratiâ priuemur: imò *comedamus in lætitia panẽ noſtrum*, Præcurſoris Domini veſtigiis inhærentes, de quo *Ioan.* 3. 28. dicitur: *Amicus ſponſi ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Quis enim non gauderet gaudium Domini recipiendo, in gaudium Domini intrando? Quod quidem conceditur diuinum verbum deuotè audienti: *Beati enim qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. 28.

Chriſtus omnium ore Prædicatorũ Eccleſiæ loquitur.

Sectio II.

Chriſtus optimus Paſtor exemplo paſcit Eccleſiam.

192\. Non ſolùm vocem ſuam audire, ſed ſua veſtigia ſequi dilectiſſimas oues ſuas amantiſſimus Paſtor Chriſtus Dominus pronunciauit. *Oues meæ*, inquit Ioan. 10. 27. *vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* Procul dubio vt ſignificaret ſe fideles ſuos non tantùm diuini verbi ſoi pabulo, ſed etiam virtutum ſuarum exemplo ſuſtentare. Inordinato diuinæ ſimilitudinis deſiderio non ſolùm rebelles ceciderunt Angeli, quorum prior ſuperbâ voce dixerat: *In cœlum conſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo*, Iſai. 14. 13. ſed etiam homines, infelix quorum protoparens inani cacodæmonis promiſſione deluſus omnigenam, ſeu boni & mali ſcientiam, quæ planè diuina eſt, diuini tranſgreſſione præcepti adipiſci exiſtimauit. Vterque igitur, & homo & Angelus, vnigenitum aduerſus Dei Filium, cui Patris ſimilitudo ex vi proceſſionis per intellectum, quæ ſola in diuinis vera eſt generatio, vt cum D. Thoma docent Theologi 1. *p. q.* 27. *art.* 2. ſicut & ratio formaliſſima verbi, ac imaginis æterni Progenitoris, necnon Dei virtutis ac Dei ſapientiæ, vt loquitur D. Paulus 1. *Cor.* 1. imprudens decertauit: vterque quod Filij proprium eſt, nullique alteri communicabile, rapere voluit: vterque ab ſpe decidit, & in peccati barathrum lapſus, vt iuſtas tanti criminis pœnas lueret, nec Dei aut ſimilitudinem, aut ſcientiam, quam cupiebat, obtinuit; imò quam jam obtinebat, amiſit. Inflatæ mentis peruerſitati immobiliter adhærente Angelo, hominis leuitatis miſertus ipſe, quem offenderat homo, Dei Filius, humanæ miſeriæ ſummâ bonitate ſuccurrit: Patrem aduerſus ſe in feruentiſſimum, exortâ ſui occaſione procellâ, humani generis mare, fluctus tumentiſſimos ſedaturus, & tranquillitatem daturus mitti poſtulauit. *Propter me*, inquit apud D. Bernardum ſerm. 1. de Aduentu, *orta eſt tempeſtas: mitte me in mare, vt fiat tranquillitas.* Sed quàm mirabilis, quàm ingenioſa hominis à Filio Dei reſtauratio! Non ſolùm captiuum eduxit è carcere, mortuum ad vitam reduxit, ac contumacem ſeruum in libertatem priſtinam reuocauit: verùm etiam prauo, quo ceciderat deſiderio quodammodo indulgens, vt appetitam Dei Filij ſimilitudinem conſequeretur homo, conceſſit; imò vt tantum impleret votum, ipſe carnis noſtræ fragilitatibus amictus ſe homini præbens in exemplum, proprio ore mandauit.

Chriſtus paſcit oues verbo & exemplo.

Angelus & homo peccantes contra Filium Deii ſurrexerunt.

Angelos peccatores reliquit, hominũ miſertus Filius Dei.

Votum hominis implet.

193\. Ad hoc enim inacceſſibilem Maieſtatis ſuæ lucem humanitatis noſtræ tegit inuolucris, vt faciliùs intueri, & ſine periculo ab hominibus poſſet imitari: eaque ratio Incarnationis inſtituti non minima mellifluo Abbati Bernardo viſa eſt, qui Dei vnigenitum humanæ vnionem ſibi cupientem naturæ, æternum Patrem ſic alloquentem inducit jam citato ſerm. 1. de Aduentu: *Omnes inuident mihi, ecce venio, & talem eis exhibeo memetipſum, vt quiſquis inuidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei æmulatio iſta in bonum.* Itaque Chriſtus diuinũ ſe hominibus exhibens prototypum, ad optimam frugem non ſolùm voce, ſed opere eos ſatagit reuocare, eoſque non ſolùm vt Magiſter inſtruit, ſed etiam vt prudentiſſimus Legiſlator propriis actionibus ad benè operandum inducit: ſicque vt veræ Chriſti oues cenſeamur, eius verba attentè audientes, ſanctiſſimis eius veſtigiis vt

Se homini præbens in exemplum.

Appetitus ſcientiæ hominẽ à Deo ſeparauit : verbum diuinum nos ad Deum reducit.

immobiliter adhæreamus, piâ æmulatione laboremus. Nec conuenientiori modo, inordinato ſcientiæ appetitu *alienati à vita Dei*, vt loquitur Apoſtolus *Eph.*2.18.ad Deum vitæ ſupernaturalis originem redire poſſumus, quàm per verbum diuinum omnis ſcientiæ & ſapientiæ fontem, cui ſemel per Incarnationem copulari, iterum perfectâ eius imitatione coniungimur, ac coniuncti renouamur & perficimur, vt inſinuat D.Th.3.*p.q.*3. *art.*8.

Cæcitas hominis peccatoris.

194. Vetuſtate oppreſſum, criminum ſordibus fœdatum, erroribúſque ſopitum jacebat genus humanum. Antiqui dirique ſerpentis veneno infectum ſemper ruebat in peius, & à barathro in barathrum prouolutum, in nouas, eáſque profundiores deuoluebatur abyſſus. Quæ à peccato recepit vulnera non curabantur; quin potiùs augebantur in dies. Parum illi fuit Deum factorem ſuum dereliquiſſe: infenſiſſimum ſibi hoſtem tentatorem ſuũ ac in varia flagitia impulſorem dilexit, coluit, adorauit. Aras illi erexit, hoſtias obtulit, ac in eius reuerentiam etiã hominum ſanguinẽ fudit. *Immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Pſ.105.37. Quid plura? Tanta fuit eius cæcitas, vt etiam ipſa crimina coleret, & flagitia veneraretur. Sceleſtiſſimos, nefandiſſimoſque homines in Deorum numerum cooptauit, eoſque omni dolo, omnique nequitiâ plenos tanquam numina conſecrauit. Peſſimos ac flagitioſos Deos dum homines reuerebantur, etiam crimina conſecrabant, tantoque peiores fiebant, quantò ſe religioſiores putabant. Dum inanium horum Deorum templorum limina, tanquam cœli veſtibula tererent, in omnium turpitudinum cœnum, immò & ad ipſos omnium flagitioſorum infernales carceres detrudebantur. Iouis adulteria, Martis furores, Mercurij leuitates, Veneris libidines, áliaque ſexcenta cunctorum ſcelerum monſtra imitari ſedulò ſtudebant; dumque turpiſſimo exemplo Deorum vitia exprimerent, diuinos ſe exiſtimabant, cùm nec rationales, nec homines dici poſſent, ſed omnis ſtoliditatis ac ferocitatis belluæ. Nec ſe miſeros tot tantarumque culparum ac calamitatum ponderibus prægrauatos putabant, ſed ſe diuinitatis radium adeptos gloriabantur. Proh mentis humanæ cæcitatem! An cœlum quæris in luto? An Deum in tenebris obſcuritate obuolutum exiſtimas? An in Deo peccatum tanquam primi entis perfectionem reuereris? Et vt cum Apoſtolo loquar, *Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Rom. 9. Infelix ac miſer es, qui proprio concupiſcentiæ exuſtus igne, vt maiora ad peccandum habeas incitamenta, & ſcelera & crimina in Deo fingis. Verùm fallor: nec in Deo malitia tua culpam potuit excogitare; falſos, inaneſque ex peſſimis hominibus tibi Deos condidiſti, vt in numinibus crimina collocans, etiam propria, eaque turpiſſima flagitia nedum conſecrares, ſed deificares. *Adulterio delectatus aliquis*, inquit Iulius Firmic. lib. de error. relig. profan. *Iouem reſpicit, & inde cupiditatis ſuæ fomenta conquirit, probat, imitatur & laudat, quòd Deus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in ſatyro.* En miſerum vitioſa numina, inaneſque deitates infeliciter imitantis cæci hominis ſtatum.

Scelerato3 homines in Deos erexerunt homines, vt criminoſos reuerentes, crimini audacter indulgerent.

Iul. Firm.

195. Quis tantæ inueteratæque infirmitati medebitur? Quis cæcum hominem illuminabit, errantem reducet, perditum reſtaurabit? Ille ipſe qui hominem condidit, æternus Dei Filius: ille, inquam, quo tanquam formâ intellectuali, viua-

R.P.Car.Bonquin Comm. in Proſam D.Thom.

que arte, vt loquitur Auguſtinus, Omnipotens mundi Artifex hominem creauit, recreare geſtiens Filius Dei, qui filius hominis factus eſt, vt ſimul & opus ſuum reficeret, & humanam cupiditatem adimpleret. Dum enim vnus ex hominibus inter homines apparens, totius perfectionis, ſanctitudinis, ac juſtitiæ diuinum ſe exhibuit exemplar, ab inanibus Deorum ſimulachris, ac perditorum, flagitioſorumque hominum morum imitatione reuocauit homines, vt in ſe tanquam in ſpeculo virtutum omnium conſummationem conſiderantes, ad omnes aſſequendas illius accenderentur exemplo; ſicque Filium Dei filium hominis factum filij hominum imitantes, filij Dei efficerentur. Quod eleganti, floridoque Chryſoſtomus proſequutus eſt ſtylo *hom.*2.*in Matth.* dum ait: *Cum verus & dilectus Filius ſit ſempiterni Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt, modò vt te filium faceret Dei: ſeruum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo patrem faceret ipſum Deum.* Et poſt pauca ſubdit: *Natus eſt ſecundùm carnem, vt tu naſcerere ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.* Igneâ lege Deus Hebræos, loquente Moyſe erudiuit, viam æquitatis mandatis ſuis oſtendit: at pauci legem ſuſcepêre, paucique homines per juſtitiæ ſemitas ſeruo præeunte ambulauerunt. Omnes ad veritatis & ſanctitatis tramitem vocaturus ſupremus ille Legiſlator, viuaque ac æterna lex in terram venit, præſentiâ ſuâ nedum Iudæos, ſed Gentiles ſanctificaturus. Quod vaticinio comprobatur Baruch, qui cap.3. 37. & 38. ait: *Hic Deus adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Vtique vt homines cum Deo conuerſari, & ad modum Dei viuere & operari doceret; ſiquidem vt apud Iuriſperitos tritum eſt: *Conuerſatio obligat ad mores.*

Chriſtus totius ſanctitatis exemplar hominibus apparuit vt homines ſanctificaret.

Deus cum hominibus vixit, vt homines cum Deo doceret viuere.

Sanè Synagogâ felicior eſt Eccleſia: illi Prophetarum vocibus; iſti proprio ore, propriâ linguâ, proprioque verbo Deus loquutus eſt, vt notauit Apoſtolus *Hebr.*1. *n.*1. Nec ſolo ſermone, ſed opere bonitatem & diſciplinam docuit: vnde non ſolùm aures loquenti, ſed oculos operanti præbere tenemur, vt ſimul in cordibus altiùs eius verba figentes, ad eius actiones manibus, totoque corpore, immò & ſpiritu exprimendas laboremus. *Non faciet auolare à te vltra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum*, Euangelici Prophetæ ore promittur, *Iſai.*30. 20. Quia *quod ſemel aſſumpſit Filius Dei, nunquam dimiſit*, vt apud Theologos tritum eſt; nec vſquam Eccleſiam Sponſam ſuam dereliquit, nuſquam auolauit, ſemper manſit. *Ecce ego vobiſcum ſum*, inquit Chriſtus Matth.vlt. *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſecul.*. Ipſumque ſemper docentem, ac rectè agere præcipientem non ſolùm auribus audire, ſed etiam oculis intueri debemus, vt cunctis virtutum eius lineamentis inſpectis, perfectam eius in nobis effigiem depingere, ſeu efformare ſatagamus. Optima hinc vita noſtra, optimi mores, optimi ritus in nobis emanabunt. Si enim ex malo prototypo malæ efformantur icones, optimo ab exemplari perfectiſſimæ deriuantur imagines; intuentes inficiunt quæ morbo laborant pupillæ, & vt inquit Poëta:

196.

Chriſtus operans nobis exhibetur, vt illum operantem videamus.

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi.

At fulgentes ac ſplendidi qui reſpiciuntur oculi

cernentes recreant, exhilarant, ac confortant. Pulchriores vino ſunt Chriſti Domini oculi; in intuentes diuinos emittunt radios: hos dum aſpicimus, diuinâ luce perfuſi, nihil niſi diuinum cogitamus, diuino huic exemplari non abſimiles effecti; ipſamque internam Dei imaginem tum Protoparentis, tum proprij criminis labe deturpatam præſtantiſſimi huius exemplaris imitatione reformamus, humanam quam poſſidemus naturam priſtinæ reſtituentes dignitati. Ideo enim ſimilis Deo creatus eſt homo, vt ipſum Deum viua veluti eius imago imitaretur. Quod notauit D. Leo Papa *ſerm. 1. de ieiun. decimi menſis* dum ait: *Si fideliter atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator ſui eſſet Authoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo diuinæ benignitatis forma reſplendeat.*

Pulchri oculi Chriſti, illos videntes lætamur, & diuina in nobis imago reformatur.

197. Quod etiam gentium docuit Apoſtolus, dum immenſum in Verbi incarnatione amoris ac bonitatis diuinæ beneficium expendens, diuinam nobis apparuiſſe benignitatem aſſerit, vtique vt illam & redamemus ardenter, ac fideliter imitemur. *Apparuit*, inquit, *benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Ad Tit. 3. Ideſt, vt exponit Doctor Angelicus ibid. ſect. 1. *Amor interior profundens bona ad exteriora, quando ſcilicet Deus ex benignitate homo factus eſt, vt ab hominibus imitaretur.* Sed clariùs rem hanc aperit idem Apoſtolus in eadem ad Titum epiſtola, cap. 2. dum ait: *Apparuit gratia Dei, & Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, juſtè & piè viuamus in hoc ſeculo.* Vbi non ſolùm infinitam Dei erga homines miſericordiam æterni, vnicique Dei Filij incarnatione, ſed hominum ab illo ad rectè agendum eruditione commendat. *Eadem enim beneuolentia ac manſuetudine errantes homines inſtruxit, ſicut homo erudit filium*, vt aduertit D. Thom. *ibid. lect. 3.* noſque de duobus ſaluti neceſſariis, nempe de bono opere, rectâque in agendo intentione admonuit. Cùm autem vitæ chriſtianæ præſtantia duabus veluti columnis innitatur, bonorum operationi, ac malorum fugæ, juxta illud Pſal. 36. 27. *Declina a malo, & fac bonum*: vtramque præbet nobis Seruatoris amantiſſimi efficaciſſima doctrina, quæ nobis ſanctiſſimis eius operibus eluceſcens, ab omnibus nos remouendo peccatis, ad omnia nos promouet bona. Quod quidem illis Apoſtoli verbis, *Vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, juſtè & piè viuamus in hoc ſeculo*, declaratum eſt. Cùm enim omnia, quibus lædimur peccata, vel ſint directè contra Deum, quæ dicuntur peccata impietatis; vel conſiſtant in auſu temporalium, & hæc ſint *ſecularia deſideria*, quæ vel aduerſus propriam animam, vel contra proximum militant: omniaque bona quæ ab homine in viam veritatis conuerſo patrari poſſunt, vel Deum, vel ipſum hominem, vel proximum reſpiciant; ideò dum à Saluatore, vt impietatem ac ſecularia deſideria abnegantes, ſobriè, juſtè & piè viuamus, erudimur, rectè eiuſdem & auxilio & exemplo ad Deum, ad proximum, & ad noſmetipſos ordinamur. Oſtendit enim, vt notat D. Thomas, quid boni faciamus: *Sobriè, quantum ad ſe, id eſt ad ipſum hominem; juſtè, quantum ad proximum, & piè quantum ad Deum.*

Chriſtum imitari debemus.

Vitæ chriſtianæ eſt declinare à malo, & facere bonum.

Quid ſit abnegare impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, juſtè & piè viuere.

D. Thom.

198. Itaque perfectiſſima nobis viuendi regula Saluator proponitur, qui adeo nos docet rectè facere, vt etiamſi eius eloquium quieſceret, ipſe eius habitus, inceſſus, ac totius corporis ſtatus ſonaret, vt de Philoſopho inquit Tertullianus. Chriſtus enim potiori jure quàm humanæ ſapientiæ ſtudioſus, *tunc auditur cùm videtur; occurſu ſuo confundit vitia.* Quid mirum? Totius perfectionis ac ſanctitudinis norma Chriſtus hominibus datus eſt.

Chriſtus totius ſanctitatis norma.

199. Primum in quolibet genere eſſe *cauſam & menſuram omnium quæ ſunt poſt*, ſummus Philoſophorum Ariſtoteles tradidit *lib. 2. Metaph. text. 3.* Sic in mobilium corporum ordine cœleſtes ſphæræ rapidiſſimo primi Mobilis motu cientur, nec vllo poſſunt motu gaudere, niſi à motu primi cœli dimanet. Omnia lucida à Sole omnium lucidiſſimo, veluti à fonte, à cauſa, necnon à menſura ſplendidum mutuantur fulgorem. Nec Politica Philoſophi doctrinam rejicit. Regis totius Imperij capitis ſuprema voluntas cæteras primorum procerum, ac ſubditorum regulat voluntates. Nec æquitatis ac rectitudinis ſplendore eorum fulgebunt actiones, niſi primæ ac ſummæ illi menſuræ conueniant. Etiam anima rationalis Ariſtotelis axiomati ſe ſubditam vidit. Iuſtitiam originalem, & illam quam ab omnipotente mundi Opifice receperat, amiſit; immò & in omnibus hominibus tanta ſe ſpoliatam dote lamentatur, quia primus omnium hominum parens, omnium filiorum nedum caput, ſed & cauſa & menſura, dum vetiti manducatione edulij gratiam perdidit, poſteros omnes tanto honore priuauit: nec enim menſurati ac recti eſſe poterant filij, quorum parens ſponte à rectitudinis menſura deuiauit. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiuit, in quo omes peccauerunt.* Roman. 5. 12. Quod quidem intelligendum eſt non ſolùm imitatione, vt falsò volebant Pelagiani, ſed etiam propagatione, id eſt per carnis originem vitiatam, vt exponit D. Thom. *ibid. lect. 3.* & notat Apoſtolus Epheſ. 2. 3. *Eramus naturâ filij iræ.*

Ariſtot.

Primum in quolibet genere eſt menſura cæterorum.

D. Thom.

Cùm autem Chriſtus Dominus *omnium hominum, maximè fidelium Saluator*, vt loquitur Apoſtolus, primus illorum motor ſit, immò Sol, Princeps, ac Caput; quis in Eccleſia motum, lucem, rectitudinem, ac vitam ſine illo habere poterit? Horum omnium cauſa eſt & menſura: ſine illo nec fugari mors poterat, nec vita reparari, nec reparata virtutibus ornari, nec ornata ſubſiſtere. Motor primus eſt, omnem vitam tribuens & inſpirationem, omnémque ad agendum rectè voluntatem. *Sine me*, inquit Ioan. 15. *nihil poteſtis facere.* Quod exponens D. Auguſtinus *in Pſal. 30.* ait: *Domine ſi ſine te nihil, ergo tecum omnia poſſumus.* Sol eſt, ſed *Sol juſtitiæ*, vt ait Propheta Malac. 4. 2. *Et ſanitas in pennis eius*; id eſt, cujus radij non ſolùm tenebras ſuo diſſipant ſplendore, ſed morbos omnes animæ, putà peccata, ſuo curant vigore. Sed quid Solem commemoro? Lux ipſa infinita, immenſa, ineffabilis eſt. *Ego ſum*, inquit Ioan. 8. 12. *lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Princeps eſt, *ſed Princeps pacis*, omnibus Imperio ſuo ſubditis ſpiritalem ac æternam conferens pacem. Princeps eſt, ſed ſubditorum ſuorum pater, quos vt filios diligens, ad Regiam dignitatem ſublimare non dedignatur: ideoque in femore ſuo, hoc eſt, ſua in humanitate 200.

Chriſtus omnium hominum primus motor, Sol, Princeps & Caput.

manitate ſcriptum habet: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Apocal. 19. 16. quia vt exponit
D. Thom. Angelicus Præceptor præf. in Epiſtolas Canon. *Quotquot ſeruiunt ei, reges erunt, quia ei ſeruire regnare eſt*, vt loquitur D. Gregorius. Tandem
D. Greg. caput eſt, ſed caput digniſſimum, quia fideles omnes dignitate ſuperat, ſicuti caput ſitu cæteris præeminet membris, quorum & principium eſt, & monarcha: ſed pleniſſimum, immenſas fidelibus effundens virtutes, ad eum planè modum, quo in membra corporis omnes ſenſus à capite deriuantur: ac denique ſimillimum, quia in natura humana cum omnibus hominibus conuenit, ſicut à membris corporis ipſum caput in natura non diſcrepat. Itaque tali mouente motore rectæ erunt vitæ chriſtianæ motiones; tali fulgente Sole, talique luce coruſcante, copioſa Chriſtianorum erant lumina: tanto imperante Principe, æquiſſima æquiſſimis mandatis eius erit obedientia: tantóque influente capite, ſublimes erunt Fidelium operationes, intentiones rectæ, & vita ex omni parte perfecta. Sicque primæ omnium noſtrorum motuum, luminum, voluntatum, ac operationum non ſolùm cauſæ, ſed menſuræ Chriſto Domino conformes, ejus imitatione liberamur, renouamur, ſaluamur: ipſeque diuinus Eccleſiæ Paſtor Eccleſiam ſuam miro paſcit alimento, dum ſuo reficit exemplo.

Chriſtus caput digniſſimum, pleniſſimum, ſimillimum.

201. Illud hoc eſt hominibus conceſſum beneficium, vt non ſolùm hominum, ſed etiam gratiâ adoptionis Dei filij nuncupentur. Adoptio quippe, de qua Apoſtolus *Eph.* 1. 5. ait, *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei*, nihil aliud eſt quàm conformitas imaginis veri ac vnigeniti Filij Dei, vt inquit Apoſtolus Rom. 8. 29. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Ille enim, vt D. Thomas exponit *ibid. lect.* 6. qui adoptatur in Filium Dei, conformatur vero Filio ejus: primò quidem in jure participandæ hæreditatis, ſicut *eod. cap.* dicitur: *Si filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Secundò participatione ſplendoris ipſius; ipſe enim genitus eſt à Patre, tanquam *Splendor gloriæ ejus*, vt habetur *Hebr.* 1. Vnde per hoc quod Sanctos illuminat de lumine ſapientiæ & gratiæ, facit eos conformes fieri ſibi: vnde *in Pſal.* 109. 4. dicitur, *In ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*; ideſt perfundentem omnem ſplendorem Sanctorum.

Quid ſit prædeſtinari in adoptionẽ filiorum Dei.

202. Vnde & imaginis Filij dupliciter conformes eſſe poſſumus. Primò, vt ſit conſtructio appoſitiua, vt ſit ſenſus, conformes imaginis Filij ejus qui eſt imago. Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt imago inuiſibilis Dei.* Secundò, vt ſit conſtructio tranſitiua, vt ſit ſenſus, prædeſtinauit nos fieri cõformes Filio ſuo, in hoc quod portemus imaginem. 1. Cor. 15. 49. *Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus imaginem cæleſtis.* Cùm ergo imago in ipſa vocis expreſſione imitationem ſonet; imago enim quaſi imitago ab imitando dicitur: Chriſtiani conformes fieri imaginis Filij Dei prædeſtinantur, quia ejus actiones ac ſanctimoniam imitari tenentur, vt ex ipſorum ad Chriſtum ſimilitudine ejus fratres dignoſcantur, ipſeque Saluator amantiſſimus primogenitus in multis fratribus ex ſancta illorum conuerſatione exhibeatur. Nam vt optimè notat Angelicus Doctor loco jam citato, ſicut Deus ſuam naturalem bonitatem voluit aliis communicare, participantibus eis ſimilitudinem ſuæ bonitatis, vt non ſolùm ſit bonus, ſed etiam actor bonorum; ita Filius Dei voluit conformitatem ſuæ filiationis aliis communicare, vt non ſolùm ſit ipſe filius, ſed etiam primogenitus filiorum. Et ſic qui per generationem æternam eſt vnigenitus, ſecundùm illud Ioan. 1. 18. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*; ſecundùm collationem gratiæ ſit primogenitus in multis fratribus. Apocal. 1. 5. *Qui eſt primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Habet igitur Chriſtus nos fratres, tum quia nobis ſimilitudinem ſuæ filiationis communicauit, tum quia ſimilitudinem noſtræ naturæ aſſumpſit, ſecundùm illud Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari.*

Chriſtus primogenitus eſt in multis fratribus, & quomodo?

Addam ego, nos fratrem Chriſtum Dominum habere propter morum conformitatem & vitæ ſimilitudinem: ejus enim filiatio gratiæ diuinæ munere nobis communicata, noſtráque ab illo aſſumpta natura, perfectam non videremur complere germanitatem, niſi & ejus vitam, humilitatem, manſuetudinem, vniuerſámque ejus ſanctitudinem quotidianis operationibus exprimere ſedulò conaremur. Debet ergo fulgere in vita Diſcipuli Magiſtri ſanctimonia, & cum Chriſtiani nominis gloria Chriſti Domini innocentia coruſcare. 203.

Obſcuraretur equidem Chriſtiani cognominis ſplendor, niſi lucerent in nobis Chriſti Domini opera; tantoque honore juſtè priuaremur, niſi Saluatoris imitatione illo decorari mereremur: vt enim D. Ambroſius ait: *Conſortium meretur nominis qui conſortium meretur & operis.* Vnde D. Cyprianus de habitu Virginum ait: *Qui eſſe cupimus Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit imitari; ſcriptum eſt, & legitur, & auditur, & in exemplum noſtri Eccleſiæ ore celebratur: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit & ipſe ambulare.* 1. Ioan. 2. 6. *Ambulandum vtique eſt veſtigiis paribus, æmula ingreſſione nitendum eſt; tunc reſpondet ad fidem nominis ſectatio veritatis, & credenti præmium datur, ſi quod creditur & geratur.* Quod & Corinthios docuerat magnus Gentium Apoſtolus 1. *Cor.* 4. dicens: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Neque enim ſeipſum Paulus Corinthiis bonorum operum præbebat exemplum, niſi in quantum Chriſti Domini diuina ſequebatur exempla. Nam vt D. Thomas *ibid. lect.* 3. exponit: *Intantum Corinthij debebant Apoſtolum imitari vt Patrem, inquantum & ipſe Chriſtum imitabatur, qui eſt omnium principalis Pater: & per hoc*, ſubdit D. Thom. *ſubtrahitur ſubditis occaſio de adhærendo malis exemplis Prælatorum. Vnde in hoc ſubditi ſolùm Prælatos imitari debent, in quo ipſi Chriſtum imitantur, qui eſt infallibilis regula veritatis: vnde ſeipſum Apoſtolis in exemplum poſuit.* Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 204.

Chriſtianus Chriſtum imitetur.

Quàm ſublimis ergo, quàm excelſa vitæ noſtræ menſura ac regula nobis tradita eſt! Nec Ciuitatum Rectores, nec Prouinciarum Præſides, nec Regnorum Monarchas, nec Sapientiæ Principes, nec Philoſophorum Magiſtros, nec etiam cœlorum incolas Angelicos Spiritus præceptores ac ductores habemus. Eminentior omnibus his nobis datus eſt Doctor, Ductórque vnigenitus & Patris & Virginis Matris Filius Chriſtus Dominus, nobiſque diuinum in exemplar propoſitus: & non minùs quàm Hebræi jube- 205.

Chriſtus regula noſtra in montibus Thabor, Caluariæ, & Oliuarum.

Exod. 25.

Google

mur facere *ſecundùm exemplar quod nobis in monte*, ſiue Thabor, dum transfiguraretur; ſiue Caluariæ, dum pateretur; ſiue Oliuarum, dum ad cœlos aſcenderet, *monſtratum eſt*, vt omnis eius vita totius vitæ noſtræ actionum iuſtiſſima regula à nobis vbique & ſemper habeatur.

206. Celebre fuit olim vnius ex ſeptem Græciæ Sapientibus apophthegma, nempe: *Sequere Deum.* Verùm quomodo ſequebantur quem non agnoſcebant? cùm etiam omnium Græcorum periſſimi Athenienſes Deum verum ſe ignotare profeſſi ſint, dum *Ignoto Deo* aram erexerunt. Nobis conceditur quod Gentilibus eſt negatum: Deum cognouimus, Deum vidimus, Deum agentem inter homines reſpeximus; & vt dilectus ille Chriſti Diſcipulus ait 1. Ioan. 1. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, hoc annunciamus.* Hoc imitari, hoc ſequi, poſt hoc ambulare poſſumus & debemus. Quænam ergo nobis erit gloria, cùm Dei hominis veſtigiis inhærentes, Domini virtutes ſequentes, per ſemitas æquitatis ducimur? Sanè immenſa. *Magna quippe gloria eſt ſequi Dominum*, vt dicitur Eccleſiaſt. 23. quia per viam eius gradientes, ad eius thronum gloriæ immortalis tandem veniemus. Ad illum peruenit hoc regio itinere mellifluus Doctor Bernardus, qui *ſerm. ad Milites Templi, cap.* 11. ſic loquitur: *Vita Chriſti viuendi regula extitit.* Quod ſanè à Magno didicerat Gregorio, qui *lib.* 30. *Mor. c.* 30. inquit: *Deus inter nos homo factus eſt, vt non ſolùm nos ſanguine fuſo redimeret, ſed etiam oſtenſo exemplo commutaret.*

D. Bern.

Greg.

207. Magiſtrum dilectiſſimum, quem Dei Filium ſolenni confeſſione Petrus prædicauerat, ab horrendo crucis ſupplicio dum verbis ſuis ipſe reuocare conatur, *Matth.* 16. 22. dicens: *Abſit à te, Domine: non erit tibi hoc*; ſtatim durâ Domini redargutione corripitur. *Vade*, inquit, *poſt me, ſatana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Quorſum Petrus tantâ verborum ſeueritate mulctatur? Cur qui *eod. cap.* 16. *Matth. n.* 17. beatus, Patris reuelatione dignatus, & aliquando totius orbis Chriſtiani gubernaculo, ac cœli, terræque Imperij moderatione ſublimandus dicitur, ibidem numero 23. *Satanas* appellatur? Si Chriſtum Dei viui Filium verum pronunciauit, quomodo quæ Dei ſunt non ſapiebat, dum à turpiſſima in ligno morte Deum retrahebat? Vtique Petrus errabat, dum Magiſtrum à cruce retrahebat; vtique quæ Dei ſunt non ſapiebat, dum diuinitatis gloriam ſe ſine cruce ac Domini imitatione aſſequuturum putabat; mundum liberari non cupiebat, qui conuenientiſſimum liberationis eius per crucem medium impediebat; ipſoſque ſola Chriſti in cruce ſequelâ ſanctificandos homines, vitiis immerſos, erroribuſque inuolutos cupiebat, qui illos ad Deum morientis Redemptoris ſanguine attrahi non volebat. Qui enim dixerat, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*, Ioan. 12. 32. neminem traxiſſet niſi in cruce exaltatus fuiſſet: neque homines ſine cruce à vitiis erepti virtutibus operam dediſſent. *In cruce enim*, vt loquitur D. Th. in cap. 12. ep. ad Hebr. lect. 1. *inuenitur exemplum omnis virtutis.* Vnde D. Auguſtinus ait: *Crux non ſolùm fuit patibulum patientis, ſed etiam cathedra docentis.*

Cur Petrus à Chriſto ſatanas eſt appellatus.

D. Thom.

Auguſt.

208. Meritò igitur Petrus, qui Chriſtum ab omnium virtutum magiſterio ac mundi redemptione reuocabat, ſatanas, ideſt aduerſarius, appellatur, ac poſt Dominum ire jubetur, vt ſequendo ac imitando Saluatorem, diuinum eius amorem, ac mirificum in ſequela Chriſti comprobet omnium Chriſtianorum profectum. Quod ſanè attigit D. Hieronymus *in cap.* 16. *Matthæi*, vbi præfatum locum exponens, Dominum Apoſtolum Petrum ſic alloquentem adducit: *Meæ voluntatis eſt & Patris, vt pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantùm conſiderans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, vt multos afferat fructus; & ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes aduerſarius appellari.* (Satanas enim interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius.) *Vade poſt me, ideſt ſequere me qui contrarius es voluntati meæ.* Vt autem optimi Saluatoris voluntas verbis jam expoſitis expreſſa clariùs eluceſceret, & homines ad ſui imitationem properarent, protinus ſubdidit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16. 24. Quod exponens Chryſoſt. *hom.* 56. *in Matth.* inquit: *Si quis vult, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue Princeps, ſiue ſubditus, hanc viam ingrediatur.* Sola ſiquidem Chriſti crucifixi imitatio poſt ipſum homines ad cœlos ſubleuabit. Vt enim inquit D. Baſilius in Conſtitut. Monaſt. cap. 2. *Omnis actio, omnis item ſermo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti excolenda pietatis, virtutiſque obeundæ regula eſt.* Hanc ergo regulam ſequamur, huic conformemur, & vt loquitur Apoſtolus Hebr. 12. 2. *Aſpiciamus in authorem fidei & conſummatorem Ieſum*, vt in nobis eius pietatem, patientiam, humilitatem, manſuetudinem, obedientiam, cæteraſque eius virtutes depingamus, eiuſque imagine in terris nobilitati, etiam in cœlis æternâ gloriâ perfruentes conſummatâ eius pulchritudine donemur.

Et poſt Chriſtum ire jubetur.

D. Hieron.

D. Chryſoſt.

Sola Chriſti imitatio homines ad cœlos ſubleuat.

D. Baſilius.

Sectio III.

Chriſtus optimus Eccleſiæ Paſtor, illam proprio corpore paſcit.

IMmenſo quo Chriſtus Dominus Eccleſiam ſponſam dilectiſſimam proſequitur amori non ſufficit geminum verbo & exemplo pabulum illi præbere; tertium, idque præſtantiſſimum, ſuauiſſimumque, ſacrum ſcilicet corpus ſuum cupit elargiri. Parum ſiquidem eſſet Paſtori amantiſſimo oues docere verbo, firmare exemplo, niſi eas etiam propriâ carne cibaret, ſuſtentaret, roboraret. Ab eodem Authore res naturales & eſſe recipiunt, & in eſſe conſeruantur. Qui enim eſſe tribuit, & conſequentia ad eſſe præſtat, vt apud Philoſophos tritum eſt: vnde cùm eſſe ſpirituale & ſupernaturale, quo *filij Dei nominamur & ſumus*, Chriſtus Dominus *futuri ſeculi*, id eſt Chriſtianæ Eccleſiæ *Pater* nobis contulerit; *ipſe enim voluntariè genuit nos verbo veritatis*, vt inquit Iacobus Apoſtolus *cap.* 1. 18. etiam cœleſte ac ſupernaturale, quo vita ſupernaturalis in Chriſtianis fouetur & conſeruatur, alimentum, adorandum ac venerabile corpus ſuum Eccleſiæ ſuæ ſacra in Euchariſtia debuit miniſtrare. 209.

Tertio nos paſcit pabulo Chriſtus, ſcil. corpore ſuo.

Nec alter Chriſtiano homini ſufficiebat cibus; debilis, imò exinanitus in via defeciſſet, niſi Chriſti corpore eſſet refectus. Disiuncta à capite areſcunt membra; lacte priuati filij contabeſcunt; auulſi ab ſtipite ſiccantur rami, ipſique riuuli fonti non cohærentes euaneſcunt. Quid ergo 210.

Chriſtia

Christiani ſine pretioſo Christi corpore? Quid ſine capite membra? Quid ſine nutrice infantes? Quid ſine ſtipite rami, & ſine fonte riuuli? Vtique nihil. Vt ergo aliquid ſint, ſacti Christi corporis deliciis paſci debent, ac tanto cibo ſimul & capiti adhærebunt, & nutricis mammillis lactabuntur, & ſacro ſtipiti vnientur, & à perenni omnium bonorum fonte minimè diſiungentur. Felices viuent, felices ſtabunt, Parentis optimi, ſupremi Capitis, & Paſtoris amantiſſimi corpore & ſanguine lactati, enutriti, ſaginati. Cur non ita? cùm diuinum hunc percipientes cibum, ſimul & amoris, & bonitatis diuinæ fontem ſuo in pectore recondant, ſtatimque in ardentiſſimos diuinæ dilectionis actus prorumpant. Inclytus dixit olim Patriarcha: *Si Dominus dederit mihi panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. Numquid carnem ſuam Christiano in cibum præſtans, eum ad Christum Dominum & Deum redamandum non inflammabit? Maximè, cùm vt ait Clemens Alexand. lib. 1. pædagog. c. 6. *aluiſſe inter homines ſæpè afferat plura amoris incitamenta, quàm procreaſſe.* Vnde ſtatim ſubdit ad rem præſentem: *Dedit quidem panem ad manducandum in via, qui ſe iugiter ad manducandum præbebit in patria: non quemlibet panem dedit, ſed ſeipſum in panem: & qui tale viaticum conceſſit, quid ſuum nobis negabit in patria?* Meretur proinde, vt qui à nobis timetur vt Dominus, diligatur vt Deus, atque nobis Dominus ſit in Deum.

Christianus nihil eſt ſine Christi corpore.

211. Sanctiſſimi illius viri, quem *ante Euangelium Euangelicum, & ante Apoſtolorum tempora Apoſtolicum* D. Hieronymus appellauit, faciem videre adeo cupiebant ſerui eius, vt dixerint: *Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* Iob. 31. 31. Verùm nec dominum, qui optimus veluti pater ſupra modum illis erat deſiderabilis, ſemper intuiti ſunt, nec illius poſſeſſione, vel viſu, vel tactu, vel guſtu, vel denique ſummo affectu ſatiati. Saturari cupierunt; ſed nullus hominum, etiam ſanctiſſimus, animæ humanæ adimplere poteſt deſideria. Solius Christi Paſtoris ac Parentis optimi proprium munus eſt, corpore ſuo ſanctiſſimo fideliſſimos ſeruos, dilectiſſimoſque filios enutrire ac ſatiare: nec ſolùm ſupremus ille bonorum omnium largitor ab hominibus ex ſe indigentibus deſideratur; ſed ipſe homines, quibus ſeſe diffundat, ſummoperè cupit: *Amore* enim quo erga cunctos cruore proprio redemptos defertur, *extra ſe totus factus*, vt D. loquitur Dionyſius, intra nos etiam carne ſua voluit commorari. Quod etiam expreſſit aureum illud eloquentiæ flumen Chryſoſtomus *hom. 61. ad pop. Antioch.* dum ait: *Christus id fecit in maiorem nos inducens charitatem, & ſuum erga nos oſtendens deſiderium, non tantùm ſe præbens cupientibus videndum, ſed & palpandum & comedendum, & carni dentes infigere, & complicari, & omne deſiderium impleri.*

Christus dũ ab hominibus deſideratur, & ipſe deſiderat homines.

D. Dionyſ.

Chryſoſt.

212. Felix ſanè, fortunatáque Christianorum Eccleſia Capitis ſui ac Paſtoris optimi corpore, pane veluti deſiderabili vegetata: nec tanto enutrita eſt cibo vetus Iudæorum Synagoga. *Vmbram* dumtaxat *habebat lex futurorum bonorum.* At quæ illorum veritate ac poſſeſſione ſplendeſcit Eccleſia, propriâ ac mirabili Christi Domini carne ſaginatur. Eſurierunt antiqui Iudæorum Patriarchæ, ac veluti inediâ laborantes, Eucharisticum conuiuium ardentibus votis exoptarunt; nec tamen votorum compotes, quibuſdam Christianorum menſæ figuris enutriti, famelici interierunt. Eſuriuit ille ſecundùm cor Dei Iudæorum Princeps, Dauid Rex; eſuriuit, inquam, ſacrámque diuini Redemptoris carnem vehementi deſiderio concupiſcens, præ ardore defecit. Loquatur ille Regius Pſaltes, ac feruidum, quo Christum exoptabat, zelum ille ipſe propriis verbis exprimat: *Defecit*, inquit, *in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*; ſeu vt Ambroſius legit, *in verbum tuum, dicentes: Quando conſolaberis me?* Pſal. 118. Vnde quæſo tanta defectio? Cur in Propheta anima ſimul & oculi deficiunt. Sed cur deficiunt in Dei ſalutare, à quo omnis hominum fortitudo dimanat & profectus? Sanè ideo deficit Propheta, quia cupit, & cupiendo optatum non habet, deſideratum non poſſidet. Quod D. Ambroſius aduertit ſerm. 11. in pſal. 118. *Sanctus ac timens Deum,* Dauid, *neſcit aliud deſiderare niſi ſalutare Dei, quod eſt Christus Ieſus. Illum concupiſcit, illum deſiderat, in illum totis intendit viribus. Illum gremio mentis fouet, illi ſe aperit & effundit, & hoc ſolùm veretur, ne illum poſſit amittere. Itaque quanto maiori deſiderio excitata fuerit anima cupiens adhærere Salutari ſuo, tanto magis deficit: ergo iſta defectio imminutionem quidem fragilitatis, ſed aſſumptionem virtutis operatur.* Ambr.

Iudæi Euchariſtiam eſurierunt.

Deficiebat ergo Dauid, quia ſummoperè Christum deſiderabat; deſiderabat, quia Christum diligebat; diligebat, quia Christo indigebat: ſed quid præcipuè in Christo cupiebat? Corporis & ſanguinis ſui munificentiſſimam donationem. Famelicus erat, cibum diuinum, panem cœleſtem, & conuiuium Euchariſticum flagitabat. Deſiderium ſuum ſimul & defectum aperit pſal. 83. dum ait: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Verùm quid in atriis Domini requiris? Quid in domo Dei præſtolaris? *Altaria*, inquit, *tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.* Ibid. 4. Hoc eſt, tremenda corporis & ſanguinis tui, quæ in Christianorum Eccleſia quotidie offerentur, in Altari tuo, myſteria; & quæ nouæ legis fidelibus tanquam cœleſtia alimenta miniſtrabuntur. *Altare ergo quod habemus, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt*, vt loquitur Apoſtolus *Hebr.* 13. 10. Dauidis deſideriorum obiectum ac ſcopus fuit, ſacræ ac mirabilis eiuſdem defectionis cauſa; ſuauiſſimæ enim diuinæ Euchariſtiæ deliciæ, quibus paſcimur & potamur, ſuauiſſimum ſanctiſſimi Prophetæ cordi ſolatium contuliſſent, ſi recepiſſet, ſed tota mente, totoque affectu exoptans, ac ſpiritualiter eſuriens deficiebat, ac mentis oculis reſpiciens exclamabat: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando conſolaberis me.* Pſal. 118. 213.

Altaria in quibus offertur Euchariſtia, Dauid cupiebat.

Verùm Dei ſalutaris & aſpectu & præſentiâ Christianorum Eccleſia conſolata, illius ſacratiſſimi corporis cibo, pretioſiſſimique ſanguinis potu enutrita, ſupra omnes Moſaicæ legis proceres eleuata eſt, vt ſupra illos mortis aculeo obtuſo, ac robore debellato, nobiliorem ab alimento nobiliſſimo vitam in æternum poſſideret. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt; qui manducat hunc* 214.

panem

panem viuet in æternum, inquit Seruator optimus *Ioan.6. 59.* Cùm enim vita non diſtinguatur ab exiſtentia Dei in natura, quia *viuere in viuentibus eſt eſſe*, vt ait Philoſophus: cúmque *ex eiſdem ſimus, ex quibus nutrimur*, vt loquitur idem Ariſtoteles; hominem immortali, viuaque ac glorioſa Chriſti carne ſatiatum, vitam immortalem ſimul cum noſquam morituro eſſe à tanto alimento ſuſcipere liquet. Qui ergo hunc panem manducat viuet in æternum, quia nunquam deficientem vitam in ſe admittit. Planè non ita contigit priſcis iis qui manna ederunt Hebræis: manducauerunt enim, & mortui ſunt, quia non lucem, ſed vmbram; non rem, ſed figuram rei; non vitam, ſed vitæ imaginem; non Chriſtum panem viuum, ſed illius typum perceperunt. At non idem ſigni, reique ſignificatæ extat effectus: nec potuerunt ſemper viuere, qui cibo mortuo, imò & citò defecturo ſuſtentabantur.

Hebræi imaginem & figuram dumtaxat Euchariſtiæ habuerunt.

215. Cedant ergo vmbræ corpori, figuræ veritati, manna Euchariſtiæ, paniſque Angelorum miniſterio efformatus, Domino Angelorum ſub ſpecie panis hominibus in mirabili Sacramento verè & realiter in cibum ſubminiſtrato: ipſaque *vmbram habens lex futurorum bonorum*, verè inanis & vacua, Eccleſiæ bonis omnibus affluentem felicitatem demiretur. Hæc enim immaculata Chriſti Domini Sponſa, nedum illum ſemper ſibi præſentem, vt Caput ſuſpicit, vt Sponſum caſtiſſima dilectione proſequitur; vt fratrem, qui *inter homines viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, amplexatur; vt liberatorem, ac à dura dæmonis & peccati ſeruitute propriâ morte Redemptorem reueretur; verùm etiam vt Paſtorem amantiſſimum proprio corpore oues ſaginantem habet, poſſidet; & tanti nouitate miraculi ſtupens, tota in eum veluti effuſa ſummoperè gaudet, ac delectatur. Quod ſanè attigit Vates Euangelicus Iſaias *c. 66. 11.* dum ait: *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam, vt ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Neque enim poteſt quis niſi maximo cum gaudio & ſumma cum exultatione, cum ſpiritali Ieruſalem, quæ Eccleſia eſt, *mammillam Patris æterni*, nempe Chriſtum Dominum, vt ipſum appellauit aureum eloquentiæ flumen D. Ioannes Chryſoſtomus, in Euchariſtia ſugere; necnon ab vbere conſolationis eius repleti, quin dulciſſimum, omnique ſuauitate repletum mulgeat lac, ſtatimque deliciis affluat ab omnimoda gloria eius: quæ ſumma in hoc eſt, quod non carnibus hircorum, aut vitulorum, vt olim Synagoga; non ambroſiâ & nectare, ſicut aliàs inanes gentium Dij; ſed ipſo Chriſti Domini ſanctiſſimo, puriſſimoque corpore & ſanguine veſcitur & ſuſtentatur. Gloria certè ſumma hæc eſt, non ſolùm *mammillâ Regum lactari*, ſed ipſo Regis Regum corpore vegetari; ita vt, ſicut acutè obſeruauit Tertullianus *lib. de reſur. carnis, c.8.* non ſolùm corpus, aut anima tantum ſumentis Sacramentum ſeorſim, ſed vtrumque ſimul & ſemel paſcatur & roboretur. Corpus quidem vitam, & anima ab eo ſpiritualem accipit pinguedinem. *Caro*, inquit Tertullianus, *Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.*

Eccleſia bonis omnibus & ipſo Chriſti corpore gaudet.

D. Chryſoſt.

Magna gloria eſt Chriſti corpore ſatiari.

Tertull.

216. Vnde diuino nobilitata cibo humana caro, adeo vitæ æternæ pignore diteſcit, vt etiam mortis imperio aliquando ſubiecta, ſepulchri leges reſpuens, æternam neſciat incinerationem. Reſurget quæ mortis ſenſit aculeum, quia æternæ vitæ Sacramentum habuit cibum. Iterum poſt mortem etiam corporaliter viuet homo, qui dum in corpore viueret, ſacroſanctam corporis Domini hoſtiam mortis ſuæ ſignificationem, veluti contra mortem munimen ſuſcepit. Cui ratio non parum ſuffragatur; nam cùm diuinum verbum viuum & vita ſit, immò totius vitæ ſcaturigo, corpus eius ipſi ineffabiliter ac hypoſtaticè coniunctum vitam habet, vitamque largitur: immò cùm ordo diuinæ prouidentiæ, vt aduertit D. Thomas *3.p. q.56. art.1.* inferioribus per ſuperiora prouideat; ſicuti per Angelos homines regit, & per Solem priùs aërem ipſi vicinum, quàm terræ propinquum, ipſamque terram illuminat; ideo verbum Dei, totius motus, vitæque fons, ac principium, ſubſtantiis ſibi proximioribus priùs, deinde per ipſas aliis magis diſtantibus vitam tribuit. Cùm ergo in mortuorum reſurrectione priùs animæ Chriſti, vt corpus ſuum in cruce jam mortuum viuificaret, conceſſum ſit, & Chriſto tanquam primogenito mortuorum, omniumque hominum Capiti & Paſtori; per corpus Chriſti viuum, ac per ineffabile corporis huius myſterium hominibus mortuis vita aliquando reſtituetur. Quod quidem ſemper docuit Catholica contra hæreticos Eccleſia; ſic enim inuicti Martyris Sancti Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi ore & calamo contra Valentinianos negantes reſurrectionem *lib.4. cap.34.* diſputat: *Quomodo dicunt* (inquit Irenæus) *carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant ab offerendo quæ prædicta ſunt, &c.*

A corpore Chriſti æterna vita, & vis ad reſurgendum confertur.

D. Thom.

Irenæus.

Quod adeo apud omnes Catholicos certum & indubitatum ſemper extitit, vt apud illos Euchariſtia non ſolùm vitæ principium credita ſit, immò & ipſa nomine *Vita* antonomaſticè ſit appellata, vt videre eſt apud Cardin. Baronium *tom.1. Annal. edit. Romana, pag.160.* Quod etiam notauit D. Auguſt. *lib.1. de peccator. merit. & remiſſ. cap.24.* vbi inquit: *Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum nihil aliud quàm ſalutem, & Sacramentum corporis Chriſti nihil aliud quàm vitam vocant.* Vnde & diuinus ille, vt ipſum appellat D. Dionyſius, Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus *ep.14. ad Epheſios*, Euchariſtiam vitam cenſens, vitæque principium ac mortis deſtructionem, illam vocat *Mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis.* 217.

Baron.

D. Auguſt.

Dion.

Ignat.

Qui olim ſepelientes hominem, latrunculorum aſpectu conterriti, in ſepulchro Eliſæi cadauer proiecerunt, mortuum denuò viuere, & ſupra pedes ſuos ſtare, ſtatim atque ſanctiſſimi oſſa Prophetæ tetigit, ſtupentes, vehementer ſunt admirati mortis ſinum, vitæ fuiſſe in mortuo principium, ipſumque exanime Eliſæi cadauer, animam cum vita, in quod tetigit corpus reuocaſſe. Mirabile vtique hoc fuit, oſſa vitæ expertia vitam tribuiſſe: at mirum non eſt ſuauiſſimum Chriſti Domini corpus mortuum, & iterum vitâ donatum vitam elargiri, hominesque ſuauiſſimo hoc cibo ſatiatos mortis iura ſpernere, & ſemel mortis legibus inclinatos, æternam in vitam reuocari: quod ſanè patrata ab oſſibus Eliſæi reſurrectio annunciauit; ſiquidem *mortuum prophetauit corpus eius*, vt loquitur Sapiens *Eccl.48. 14.* Quid enim prædixit Eliſæi cadauer? Quid arentia in tumulo oſſa prophetauerunt? 218.

Cadauer Eliſæi mortuum ſuſcitat.

Mortui

Mortuis vitam in æternum iterum per tumulatum Chriſti corpus, idque denuò viuum, ac nunquam moriturum concedendam. Myſterium ex myſtica conjice appellatione: dum enim Eliſæi oſſa mortuo vitam conferunt, & conferendo prophetant, quid aliud niſi veri Eliſæi, hoc eſt Dei ſalutis, ſeu Dei ſaluantis, vel Saluatoris (hoc ſonat Eliſæi nomen) nempe Chriſti Domini carnem vitâ functis vitam æternam tribuere præloquuntur? Etenim fons vitæ Chriſtus ſemper eſt, & dum in cruce pendet, & dum in ſepulchro tumulatus jacet, & dum victor ab inferis viuus aſcendit, dumque immortali donatus vitâ ſe cunctis in edulium præbet Chriſtianis, vt in cunctis nuſquam perituræ vitæ veluti ſemina aliquando germinatura recondat. Ait enim Ioan. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat.* Omnes autem Chriſtianæ fidei profeſſores, quos carnis ſuæ Sacramento ſuſtentat, cœleſtis huius virtute pabuli æternæ vitæ munere præmiare contendit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, Ioan. 6.

Propheta corpus Chriſti vitã mortuis datum.

219. Nec ſolùm nouiſſimâ mundi horâ carnis ſuæ viuificæ virtute mortis ſtimulum obtundet, mortuoſque nobiliori vitæ ſtatu donatos ab eius rapiet poteſtate. Iamjam per carnem adhuc morituram vitam in mortuos feliciter ipſe tranſmiſit: non enim otiosè Archiſynagogi filiam ſuſcitaturus, *eiuſdem tenuit manum*, Matth. 9. Nec filium viduæ præ foribus Naim Ciuitatis mortuum matri ſuæ reddidit viuum, niſi poſtquam in quo ferebatur *loculum tetigit*, vt habetur Lucæ 7. Sed vt oſtenderet carnem quoque ſuam viuificam eſſe, vt optimè notauit D. Cyrill. *lib. 4. in Ioan. c.* 12. qui *eod. lib.* 4. *c.* 24. ad rem præſentem ait, loquens de Chriſto: *Si ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam guſtamus & manducamus?*

Tactus Chriſti mortuos ad vitam reuocat.

D. Cyrill.

220. Ex quibus omnibus verè & propriè, ac realiter amantiſſimum Paſtorem oues ſuas corpore ſuo nutrire, & ſanguine ſuo potare conſtat: nam ſi tantùm corporis ſui typo, aut ſanguinis ſui vmbrâ vegetaremur, inanes fructus ab inani, & vacuo alimento perciperemus. Cùm ergo veram, & realem, immò & diuinam, ac æternam ab hoc Sacramento ſugamus vitam, verè & realiter corpus eius, ac ſanguinem deguſtamus. Apage ergo hæretice, qui veritatem impugnas, qui lucem odis, qui contra veram Chriſti Domini, & realem in Euchariſtia præſentiam debaccharis. An Iudæus es? An Chriſtianus? Vmbras ſectaris, figuras quæris, ſigna vacua concupiſcis? Antiquus hic fuit legis Moſaicæ ſtatus; Hebræis enim tunc *omnia in figura contingebant*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 10. 11. at æterna Veritas verè humanâ carne induta, vmbras omnes, figuras, ac typos euacuauit; & vt canit Angelicus Doctor in hoc opere, ineffabili hoc in myſterio tenebras lucis ſuæ ſplendore reſoluit, & figuras omnes vero carnis ſuæ Sacramento tumulauit. Nam hic

Vera vita à vero corpore Chriſti procedit.

Iudæi vmbras, Chriſtiani rei veritatem habent.

Veſtuſtatem nouitas,
Vmbram fugat veritas,
Noctem lux illuminat.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Procul ergo hinc, procul eſte figuræ: ipſiſque Chriſtianis verè carnem Domini manducantibus cedite Iudæi. Vincunt vos hoc cibo paſti, ſed vos viciſſe ſciunt æternæ Veritatis ore. *Qua verba vitæ æternæ habens*, diuino hoc ſermone loquitur: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ioan. 6. Et poſt pauca, veritatem ſupra figuram, & ſupra manna Euchariſtiam extollens, ait: *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ex quibus verbis ſic hæreticus conuincitur. Chriſtianus aliquid in Sacramento manducat, quod non manducabat Iudæus in manna; quia ille moriebatur, & hic per Sacramentum habet vitam æternam: ſed Iudæus ſumens in deſerto manna in cibum, vmbram & figuram Euchariſtiæ ſumebat. Ergo Chriſtianus aliquid ſumit nobilius, & excellentius figurâ. Ergo ſumit rem ſignificatam per manna, nempe verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti. Vnde panis iſte appellatur à Chriſto *panis vitæ*, & *panis viuus*; quæ verba non conueniunt mannæ, quod cibus mortuus fuit, & pabulum morientium; immò hoc Sacramentum appellatur vita: vnde Diuus Ambroſius dicit, *Quomodo morietur, cui cibus vita eſt?* 221.

Non figuratè, ſed realiter corpus Chriſti eſt in Euchariſtia.

Quod patet ex verbis Chriſti.

Tu ergo hæretice, realitatem corporis, & ſanguinis Domini in Euchariſtia proteruè negans, vitam in hoc pane negas, & vitam tibi ſubripis. Cùm ergo carnem Domini in Sacramento manducare nolis, vitam reſpuis; ait enim Saluator: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Te ergo verâ orbatum vitâ ore proprio confiteris, dum carnem & ſanguinem Chriſti in Altaris negas Sacramento, teque pretioſum Saluatoris corpus non poſſe manducare contendis: ſicque te *alienatum à vita Dei*, & morti ſociatum tuo te errore conuincis. Caue tibi, fili tenebrarum; veræ fidei lumen tibi non illuceſcit. Neque enim voluntariè in regione vmbræ mortis habitantibus ſuperna hæc lux oritur: ab opaca infirmæ tuæ ratiocinationis caligine ad denſiſſimas inferorum tenebras detraheris, dum nos qui catholicæ veritatis ſententiam profitemur, *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, ipſum verum ac proprium Chriſti Domini optimi Paſtoris corpus quotidie manducantes, ipſi velut oues propriæ, in regione viuorum veram vitam poſſidentes, placere ſatagimus, vt in æternum cum illo in patria ſanctis Angelis & hominibus coæquales, ipſique commenſales, in æternum viuamus, regnemus, triumphemus. Verùm de his, ac præcipuè de reali corporis Domini in Euchariſtia ſub ſpecie panis præſentia inferiùs redibit ſermo copioſior, & contra nouatores validior. 222.

ELVCIDATIO V.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia laudibus, ac ſanctæ iubilationis hymnis & canticis à Fidelibus eſt proſequendus.

223. SAluatori glorioſiſſimo, imò æterni Patris gloriæ æterno ſplendori, Chriſto Domino Paſtori optimo, Duci ſapientiſſimo, amantiſſimoque in Euchariſtia latitanti Eccleſia Catholica non vulgaria debet præconia. Ad hæc Doctoris Angelici calamo ipſi perſoluenda inuitatur, dum illum & hymnis & canticis celebrare ſuadet. Optimum ſanè Sancti Doctoris conſilium, atque ad retribuenda quæ infinitis Chriſto Redemptori debemus titulis accommodatiſſimum. Ergò in encomia & in laudes hymnis & canticis prorumpamus, iubilemus, exultemus, ac totis præcordiis tanto Paſtori canamus. Placebunt vtique noſtra præconia, quia pro tributis quæ debemus, velut æquiſſima vectigalia conſecramus. Nec ſolùm à Fidelibus adhuc in carne peregrinantibus hæc præconia Chriſto deptomuntur: etiam ab Angelis, ſubſtantiis omnino à carne diſcretis; à Sanctis, quæ in patria gloriâ fruuntur, animabus; imò & ab illis, quæ in infimis terræ penetralibus, vt cœlos aliquando adeant, igne agente, & diuinâ diſponente juſtitiâ, purificantur, encomia, laudes, ac tributa ipſi præſtantur. Quod expreſſit Apoſtolus, dum omne genu ad tantæ reuerentiam Maieſtatis inclinari deſiderat, ſcribens ad Philip. 2. 10. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur.* Laudatur ergo Chriſtus hymnis & canticis, in cœlo, in terra, imò in illa inferorum parte, quam Purgatorij nomine Sancti Patres appellauerunt; quæ tria à nobis hac in elucidatione ſigillatim exponentur.

Ab Angelis & ſanctis animabus in cœlo, à viatoribus in terra, & à mortuis in Purgatorio Chriſtus laudibus celebratur.

SECTIO PRIMA.

Chriſtum Dominum cœlum laudat: hoc eſt, Sancti Angeli, & homines Beati præconiis & hymnis Chriſti laudes celebrant.

224. REgem gloriæ, ac omnium virtutum Dominum, Chriſtum æterni Patris æternum Filium, verum ac legitimum Regem, cœlorum incolæ, Sancti Angeli, hominesque beati, ingenti cum voluptate in decore ſuo ſuſpiciunt, admirantur, ac ſi ita loqui fas eſt, genibus veluti obuoluti, encomia ac præconia pleno ore proferentes, ſummis laudibus proſequuntur. Cuius enim bonitatem infinitam, ſapientiam inæſtimabilem, ac feruentiſſimam erga homines quos redemit charitatem, ſplendentis gloriæ luminis auxilio roborati contemplantur, in eius immenſas pro gratiarum actionibus laudes ora ſua relaxant: nec enim laudarent niſi laudabilem illum agnoſcerent, ſeque illius laudatores viderent. *Magnus quippe Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius*, vt ait Pſalmographus *pſal.* 47. 1.

Angeli & beati homines Chriſtū maximè laudabilem videntes, laudant.

225. Sed ſi à Propheta nedum laudabilis, ſed *nimis laudabilis* Dominus dicitur, profectò nec vllo modo mihi laudabilis perhibetur. Qui enim laudes excedit, nec laudibus adæquari, nec laudibus valet celebrari. Deus autem, vt *Ecclef.* 43. dicitur, & vt notat D. Thomas hoc in opere, *maior eſt omni laude*. Cui Philoſophus etiam ſuffragatur, dum *lib.* 1. *Ethic. cap. penult.* inquit: *Optimorum non eſt laus, ſed maius aliquid & melius.* Deus autem optimus eſt, & omnia optima ſuperans. Quomodo ergo laudabunt in cœlis Angeli, quem omni laude ſuperiorem demirantur? Quomodo præconiis extollent Beati, quem nullis encomiis valent exprimere?

Deus maior omni laude omnem ſuperat laudationem.

226. Nihilominus & Angelos, & Beatos Deum laudare in cœlis omnino certum eſt. Adorant illum vt optimum, ac incomprehenſibilem & ineffabilem, quantum ad eius eſſentiam; ſicque maiorem omni laude demirantur. Silentio colunt, & ſummo latriæ honore venerantur. Ipſi hac fronte conſiderato omnia ora obmuteſcunt, voces non ſonant, linguæ ſilent, & ipſum ſolum elingue loquitur ſilentium. Sic Deum decent cœleſtium ciuium hymni; dum enim ſilentio reuerentur, quem nequeunt agnoſcere, aut verbis celebrare, ſilentio extollunt; & hoc modo ex Hebræo legit D. Hieronymus initium Pſalmi 64. *Tibi ſilet laus, Deus*: vel, *Tibi ſilentium laus*; ſeu, vt alij linguæ ſanctæ periti legunt, *Tibi formoſa laus eſt ſilentium.* Quod attigiſſe videntur Ægyptij, qui vt Dei Maieſtatem omnino ineffabilem exprimerent, illamque ſolo ſilentio venerari docerent, ſummum hoc Numen ſub ſpecie crocodilli linguâ carentis colebant, adorabant. Propriè autem & verè Deum, quantum ad effectus ipſius, qui in noſtram vtilitatem ordinantur, conſiderantes, & agnoſcunt, & laudant ſuperni cœlorum Ciues. Cúmque Chriſtum Dominum totum ad hominum redemptorum vtilitatem effuſum, *totumque in illorum vſum expenſum*, vt loquitur Bernardus, Beati cum gaudio videant, ſumma cum lætitia laudibus extollunt: quo etiam modo ab hominibus viatoribus Deus collaudatur, vt docet Angelicus Præceptor 2. 2. *qu.* 91. *art.* 1. *ad* 1. Quod ſuadere videtur Vates Euangelicus Iſaias *c.* 63. dum ait: *Miſerationum Domini recordabor; laudem Deo ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* Et Diuus Dionyſius *cap.* 1. *de diuinis nominibus*, ait: *Omnem ſanctum Theologorum hymnum*, ideſt diuinam laudem, *inuenies ad Beatos Thearchia*, ideſt diuinitatis, *proceſſus manifeſtatiuè & laudatiuè Dei nominationes diuidentem.*

Deus ex ſua eſſentia eſt ineffabilis, nec poteſt vt ſic laudibus celebrari.

Silentio colitur & honoratur.

D. Hieron.

Quantùm ad effectus ad bonum noſtrum ordinatos, eſt maximè laudabilis.

D. Bern.

D. Thom.

D. Dionyſ.

227. Laudatur igitur ab Angelis magnus ille Dominus, & laudabilis nimis: ac de Sanctorum Spirituum encomiis exultans aliquando, ſanctiſſimo viro ſic loquebatur: *Vbi eras, cùm me laudarent ſimul Aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Iob 38. 7. Quo in loco vt hymnorum Cœleſtium Spirituum præſtantiam demonſtraret, honorifico matutinorum Aſtrorum, ac filiorum Dei titulo Angelos decorauit. Sanè matutina Aſtra ſunt in ipſa mundi naſcentis aurora, & omnium

Angeli dicuntur Aſtra matutina, & quare?

Digitized by Google

omnium ſeculorum dilnculo orta: & in ipſo omnium cœlorum ſupremo, Empyreo ſcilicet, immenſis fulgoribus coruſcantia. Aſtra item matutina ſunt, quia ſemper dum in via exiſtebant, ad maiora lucis & ardoris incrementa, gratiæ ſcilicet & charitatis augmenta progrediebantur. Ac denique aſtra matutina ſunt & tenebras & occaſum omnino neſcientia. At non ſolùm aſtra putes matutina: inſuper filij Dei ſunt, nec enim aſtra potuerunt eſſe matutina, niſi filij Dei extitiſſent. *Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt vllæ*, vt dicitur 1. *Ioan.* 1. 5. Eiuſque ab æterno Vnigenitus eandem indiuiduam naturam, ac ſubſtantiam poſſidens, etiam ex vi ſuæ per intellectum proceſſionis, quæ vera & rigoroſa generatio nuncupatur, vt oſtendunt Theologi cum D. Thoma 1. *p.* *q.* 27. *art.* 2. non ſolùm verbum, imago, ac eius gloriæ ſplendor, ſed etiam vera lux eſt. Vnde de eo loquens Ioan. cap. 1. 9. inquit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c.* Ipſeque carne humana indutus æternæ ſuæ filiationis dignitatem inſinuans, Ioan. 8. 12. inquit: *Ego ſum lux mundi.* Sed vt ſe *Deum de Deo, ac lumen de lumine*, ſicuti à Symbolo Nicæno appellatur, profiteretur, in hæc verba prorumpit, Ioan. 12. 45. & 46. *Qui videt me, videt eum qui miſit me. Ego lux in mundum veni.* Et Ioan. 17. 5. *Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate quam habui priùs quam mundus eſſet apud te.* Vbi & claritatem ſuam, ſicuti & ſubſtantiam, à Patre ab æterno accepiſſe ſe demonſtrat, ſeque ab eo in eſſentia ac natura indiuiduum, ac nullo omnino modo diſcretum exhibet, dum *ibid. cap.* 10. 30. ait: *Ego & Pater vnum ſumus.*

Angeli ſunt filij Dei.

229. Chriſtus ergo qui verus ac proprius Dei Filius exiſtit, vera ac propria lux eſt, ac verum, necnon ſplendidiſſimum ſydus; immò omnium ſyderum fons & origo. Vnde & ab Eccleſia omnis ſplendoris ſcaturigo dicitur, non ſolùm temporalis, inquantum & Solis, & Lunæ, ac omnium ſtellarum author; *omnia enim per ipſum facta ſunt*, vt dicitur *Ioan.* 13. ſed etiam ſpiritualis, tum naturalis, nempe rationis; tum ſupernaturalis, putà gratiæ, fidei, charitatis, ſanctitatis, &c. dum ſanctiſſimam Deiparam Virginem in nono ſuæ Aſſumptionis Officij reſponſorio ſic alloquitur: *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Et in Miſſæ ad tantæ Virginis decus ac gloriam celebratæ præfatione, de ea ſic fatur: *Virginitatis gloriâ permanente, mundo lumen æternum effudit, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Chriſtus verus Filius Dei lux eſt, & omnis lucis origo.

230. Cùm igitur ipſi omnino à corporibus ſegregati ſpiritus Angelici, vtpote ſuper omnes alias creaturas, etiam humanas intellectuales, Dei effigiem in ſe referant, atque ad illius imaginem ſint efformati, vt notat Angelicus Doctor 1. *p.* *q.* 93. *art.* 3. & docet Greg. Magnus *hom.* 34. *in Euangel.* dum ait, quod *Angelus dicitur ſignaculum ſimilitudinis, quia in eo ſimilitudo diuinæ imaginis inſinuatur expreſſa.* Cúmque ratio imaginis à ratione filij non diſtinguatur; *ſimilare enim conuenit filiis ad patres ſuos*, vt loquitur Chryſoſtomus; & illud appellatur genitum, nomenque filij ſortitum, ex Philoſophorum doctrina, quod in naturæ ſimilitudinem à generante procedit, vt patet ex vulgata generationis definitione: Angelos filios Dei, non quidem æternos ac naturales, ſeu de intrinſeca eius ſubſtantia ab æterno genitos (vnicus enim eſt huiuſmodi æternus Dei Filius, vnicum à Patre Verbum ab æterno prolatum) ſed temporales voluntariè à Deo in tempore efformatos, & gratiâ adoptionis in filiorum numerum cooptatos eſſe, liquet. Cúmque etiam per adoptionem filij paternum nomen, ac externam ſubſtantiam, diuitias putà, & hæreditatem, adoptionis titulo ſibi vendicent; ac diuina, quæ adoptionem hominum & Angelorum præſtat, gratia diuini eſſe ac ſubſtantiæ emanatio quædam ſit ac participatio, vt aduertit D. Thom. 1. 2. *q.* 110. *art.* 3. Angelos non ſolùm lucidos ac ſplendidos, ſed lucem ac ſplendorem appellari poſſe, nemo non nouit: vnde dum Deus lucem condidit, & vt habetur *Gen.* 1. imperauit, *Fiat lux*, Angelorum productionem imperaſſe, omneſque tunc Angelos è nihilo eduxiſſe, ac in cœlo Empyreo fulgentes veluti luces produxiſſe, Sancti Patres, & præcipuè Auguſtinus *lib.* 11. *de Ciuit. Dei, cap.* 33. & D. Thomas 1. *p.* *q.* 61. *art.* 1. *ad* 1. *& art.* 4. *in corp.* docuerunt. Meritò igitur qui & ſuâ intellectuali naturâ, & adoptionis gratiâ filij Dei cenſentur, immò & omnium filiorum voluntariè genitorum primi, Aſtra matutina nuncupantur.

Angeli Dei imagines.

Sub lucis nomine Angeli ſunt creati.

D. Auguſt. D. Thom.

Sed ſicut Solem ſuum ſydera norunt, vt tritum fert proloquium, iubarem à quo ſplendorem & naturæ & gratiæ mutuantur, ſpiritualia ac matutina Aſtra agnoſcunt, laudant, colunt, ac glorificant; ſimulque quibus fulgent lumina, Soli à quo oriuntur Deo optimo maximo, gratiarum actionibus, ſubiectionibus, adorationibus, humiliationibus, obedientiis, omnibuſque aliis huiuſmodi refundentia, ſumma cum exultatione de tam juſtè exhibitis obſequiis, ac laudibus ad vnum omnes jubilant.

Deo refundunt quæ acceperunt Angeli lumina.

Planè non laudant, nec de Dei laudibus jubi- 231.
lant Angeli, qui infelices veluti planetæ è cœlo ceciderunt. Obtenebrata ſunt ſuperbiæ tumore hæc ſydera, & cuncto gratiæ ſplendore euacuato, in obſcuriſſimam inferorum abyſſum detruſa, ac in æternam caliginem tranſlata, non amplius vel filij Dei, vel aſtra ſplendentia, ſed inſipientes filij, ac vecordes, mundique rectores tenebrarum, etiam opera exercent tenebroſa, contra Deum blaſphemiis inſurgunt, ac in malis induratâ voluntate roborantur. Qui eorum Princeps ante lapſum Lucifer manè oriebatur, in horrificum draconem conuerſus, plurimos piaculi ſui veneno inficiens Angelos, tertiam partem ſtellarum ſecum traxiſſe à Ioanne Apoſtolo dictus eſt, *Apoc.* 12. Itaque ex fulgido Empyreo deturbati nec Deo aſſiſtunt, nec illi inſeruiunt, nec illum laudant, nec de laudum diuinarum jubilatione lætantur.

Mali Angeli, nec filij Dei, nec aſtra matutina, nec Deum laudant.

Qui enim in Creatoris encomia corda præ- 232.
bent, oraque relaxant, throno aſſiſtunt diuino, & ipſo Omnipotente jubente, ita velociter eius præceptis obtemperant, vt & *Angeli veloces*, & celerrima totum orbem velociſſimè peruolantia *fulgura* nuncupentur. *Ite Angeli veloces*, inquit Iſai. c. 18. 2. & Iob 38. 35. Et Deus ex Angelorum miniſterio diuinæ Maieſtatis præſtantiam deducens, inquit: *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent, Adſumus?*

Boni Angeli veloces & fideles Dei ſunt miniſtri.

ſumus? Sanè dum Angelos ſummâ cum iubilatione Deo ſeruientes, Deumque laudantes attendis, fideliſſimos ſummi Regis famolos verè dixeris. Supremo omnium Munarchæ omnes ad vnũ famulantur; at in eis hoc ponendum eſt diſcrimen, iuxta D. Thom. 1. *p.* *q.* 112. *art.* 3. quod aliqui ſunt qui Deo ſemper aſſiſtunt, & eius præcepta immediatè audiunt; vnde & ille qui Tobiam peregrinantem Angelus duxit, ait Tob. 12. *Ego ſum Raphael vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Deum.* Quamuis *aſſiſtentes ad valuas ſanctiſſimæ Trinitatis*, vt loquitur D. Dionyſius, numerum ſeptenarium excedant; omnes enim qui in prima Hierarchia, quæ Seraphinos, Cherubinos & Thronos complectitur, exiſtunt, *Aſſiſtentes* dicuntur, vtpote ſecreta diuinorum myſteriorum in ipſa claritate diuinæ eſſentiæ percipientes: & ſic cùm à Deo immediatè illuminentur, vt docet D. Dionyſ. *cap.* 7. *Cæl. Hierarc.* inferiores Angelos ipſi docent & illuminant. Alij autem ſecundæ & tertiæ Hierarchiæ Angeli, licet diuinam eſſentiam immediatè videant, & propterea *aſſiſtentes* valeant appellari; tamen potiùs *miniſtrantes* dicuntur, quia à Deo ad exteriora miniſteria erga homines mittuntur & deſtinantur, ab Angelis primæ Hierarchiæ de his quæ agenda ſunt illuminati, eo planè modo quo homines qui à Rege Ciuitatum adminiſtrationi præficiuntur, & quibus præcepta regalia per aſſiſtentes nunciantur, non aſſiſtentes, ſed miniſtrantes appellantur.

D. Thom.

Primæ Hierarchiæ Angeli aſſiſtentes.

D. Dion.

Cæteri miniſtrantes dicuntur.

233. Verùm & aſſiſtentes, & miniſtrantes inceſſanter non ſolùm obſequiis, ſed etiam vocibus Dei præconia celebrant. *Laudant Angeli maieſtatem tuam*, inquit Eccleſia in quotidiana Miſſæ præfatione; *adorant Dominationes, tremunt Poteſtates; cæli, cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim* gloriam tuam *ſocia exultatione concelebrant.* Et in præfat. Miſſæ SS. Trinitatis, poſtquam indiuiduam trium diuinarum Perſonarum eſſentiam, proprietates, ſeu relationes, ac maieſtatis æqualitatem expreſſit, ſtatim ſubdit: *Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non ceſſant clamare quotidie, vnâ voce dicentes: Sanctus, &c.* Quod quidem ſancta didicit Eccleſia tum ex Vate Euangelico Iſaia, *cap.* 6. vbi poſtquam Seraphim ſenas alas habentia ſupra ſolium Dei ſtare narrauit, ſic pergit verſ. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ eius.* Tum *ex Apocal. c.* 4. 8. vbi quatuor animalia ſenas alas habentia, oculis vndique plena, requiem non habere dicuntur, ſed ſemper clamare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Nec tamen putes, corporeo eloquio, aut voce ſenſibili Angelos Deum collaudare: loquuntur equidem, ſed linguâ Angelicâ: canunt, ſed mente: pſallunt, ſed ſpiritu: conceptum intellectus, & propriæ mentis Verbum adorando, agendo, ac Maieſtatem Diuinam miris modis extollendo ad Deum dirigunt & ordinant: atque hac loquutione, quâ Angeli loquuntur Deo, laudantes ipſum, & admirantes ſemper Angeli Deo loquuntur, vt rectè annotauit Doctor Angelicus 1. *p.* *q.* 107. *art.* 3. *ad* 2. ac conſequenter, nec laudare ceſſant, nec vllam die ac nocte requiem habent, quia nuſquam à diuinis encomiis feriantur.

Omnes boni Angeli Deũ laudant.

Laudando Deo loquũtur.

D. Thom.

234. Sed cur in laudibus mente & corde ab Angelis Deo prolatis clamor adiungitur: *Clamabat alter ad alterum*, inquit Iſaias *cap.* 6. jam à nobis laudato. An vt alter alterius exemplo maiori ardore ad Dei laudes celebrandas incaleſcat? An vt ipſe qui laudatur Deus, faciliùs vocem magno clamore editam percipiat? Non vtique. Sed Scriptura nomine clamoris laudes diuinas ore Angelico perſonatas exprimit, vt ſummum cœleſtium Spirituum zelum, ſummamque ad Deum laudandum deuotionem exaggeret, ipſamque magnitudinem ſeu præſtantiam rei quæ dicebatur, putà Sanctitatis Dei, vel magnitudinem effectus ſignificaret. Quo ſenſu D. Greg. Mag. *lib.* 2. *Moral. cap.* 6. ait: *Tantò quiſque minus clamat, quantò minus deſiderat*, vt aduertit D. Thom. *q. iam citata, art.* 4. *ad* 2. Cùm ergo Angeli Deum ſemper laudent, ſemperque laudare ſummo, ardentique amoris affectu cupiant, etiam ſine voce ſenſibili non ſolùm canere, ſed clamare dicuntur.

Et clamant Angeli.

Quia Deum maximè deſiderant.

235. Porrò corporeis etiam vocibus in aſſumptis quandoque corporibus Angeli Dei laudes pronunciant; non quidem propriè & rigoroſè loquendo per aſſumpta corpora, ſicuti in hoc mundo viuentes loqui ſolent homines. Cùm enim corporibus aſſumptis non vniantur, tanquam eorum formæ, ſed tantùm ſicut motores mobilibus, nec viuunt huiuſmodi corpora, nec vitæ opera, verbi gratiâ, veram & propriam loquutionem exercent: vnde quas edunt corporeas Angeli voces, non ſunt veræ loquutiones à viuentibus corporibus prolatæ, ſed ipſis loquutionibus aliquid ſimile, ſoni ſcilicet in aëre formati, vocibus humanis ſimiles, vt docet Sanctus Doctor 1. *p.* *q.* 51. *art.* 3 *ad* 4. quo planè modo Gabriël ad Beatiſſimam Virginem miſſus, vt habetur *Luc.* 1. Ingreſſus ad eam ſub cuiuſdam præſtantiſſimi adoleſcentis ſpecie, dixit: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Ac poſt admirabilem intemeratæ Virginis partum, Saluatoris omnium natiuitatem paſtoribus annuncians in Iudææ montibus, diuino ſplendore circumfuſus inquit, Luc. 2. 10. *Nolite timere; ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, &c.* Quo loquente, *facta eſt cum eo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. 13. 14. Licèt enim paſtores hymnum Angelicum ab exercitu cœleſti prolatum auribus corporeis audirent, & vocum ſignificationem mente perciperent; veras tamen & rigoroſas voces à viuis corporibus efformatas non audiebant, ſed tantùm ſoni in aëra ab Angelis efformati vocibus humanis ſimiles eorum aures percutiebant, & internas Angelorum operationes, ſummam putà mentis iubilationem, exultationem, ac gaudium de Saluatoris noſtri natiuitate ſignificabant. Quo ſenſu omnes, quas paſſim in Scripturis Angelorum inuenies exultationes & voces, quæ ſanè multæ ſunt, & præcipuè in libro Apocal. *cap.* 5. 6. 7. 8. *&c.* metaphoricas, & non proprias intellige.

In corporibus aſſumptis non propriè loquuntur.

D. Thom.

Loquutiones metaphoricæ Angelorum in corporibus aſſumptis.

236. Nec propterea minùs veræ Dei laudationes exiſtunt; imò veriſſimæ ſunt internæ diſpoſitionis Sanctorum Angelorum expreſſiones: qui tanto ardore, tantoque zelo Dei gloriam enarrare geſtiunt, vt ſe tantæ Maieſtatis encomiis impares agnoſcentes, vt ſibi ſocios laudatores homines

Et tamen verè Deum laudant.

Digitized by Google

homines adiungant, in aſſumptis corporibus; ſono corporeo voci humanæ ſimili, laudem Dei pleno, vt ita dicam, ore pronunciant, vt hominibus ad diuina præconia corde & ore celebranda ſint incitamenta. Docent enim hoc modo Angelos homines; omniſque qui in Eccleſiaſtico Officio cantus aſſumitur, ab hymnidico Angelorum Choro deriuatur. Sed non te lædat hæc Angelorum nomenclatura, dum illos hymnidicos appello: non huius tituli authorem me exhibeo, quod illum à D. Auguſtino Angelis attributum inuenio; ille enim ſummi ingenij vir, de ſuperna cœlorum patria loquens, eiuſque dignitatem ac præſtantiam extollens, ait in medit. c. 25. *Ibi hymnidici Angelorum Chori.* Canunt ergo Deo Angeli hymnos, & in patria, & in Eccleſia, vt homines, & beatos, & viatores vbique ad ſacros in Dei laudem hymnos concinendos corda & ora relaxare doceant.

Angeli hymnidici appellantur.

D. Auguſt.

237. Quod planè ſæpiùs contigit; ſed præcipuè anno Chriſti 446. Theodoſio iuniore imperante, & Proclo Eccleſiæ Conſtantinopulitanæ clauum moderante. Cùm poſt ingentes terræmotus, etiã vrbs Regia Conſtaotinopolis contremuiſſet, eiuſque muri, ac ad decorem ſimul & præſidium turres in eis ad 57. ædificatæ corruiſſent, ſolenni à Proclo Patriarcha indictâ Cleri, populique ſupplicatiooe ad diem 24. Septembris, cunctis ex omni ordine iram Dei placare, eiuſque miſericordiam impetrare conantibus, magnis vocibus interpellabant Deum omnipotentem, ſingulique precabantur, dicentes: *Kyrie eleiſon*; ideſt, *Domine miſerere.* Ad locum qui Campus dicitur, omnes terrore perculſi ſubſiſtebant, dum ſubitò quidam adoleſcens turbine, cunctis videntibus, in aëra ſublatus, & eorum viſui ſtatim ereptus, cùm aliquantulum non apparuiſſet, denuò viſus eſt, & terræ inter alios reſtitutus: ſed ſtatim ac in terram decidit, pleno ore, ſuaui voce, corde alacri in hæc verba canens prorupit: ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς; ideſt, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*; ac ſolenni iuramento ſe ab Angelis canentibus ſanctum hunc hymnum didiciſſe, eumque ad placandum Deum & calamitates amandandas accommodatiſſimum aſſeruit. Quod ita experienoâ compertum eſt; ſimul enim ac Clerus & plebs Conſtantinopolitana ſacrum triſagium deuotè cecinerunt, tempeſtates ſedatæ ſunt, terra firmiter ſtabilita, omnéſque quibus premebantur calamitates euanuerunt. Puer autem ille qui ſemel Angelos audierat, cum hominibus viuere reſpuens, ſtatim vitâ functus eſt humanâ, vt angelicam, ad patriam tranſlatus, ac cœleſtem inchoaret. Corpus eius in Templo Pacis tumulatum eſt, & meritò; qui enim pacem omni populo per ſacrum hymnum attulerat, in pace locum habere debebat, ipſique verè quadrare videntur Pſalmographi verba pſalm. 74. 2. *In pace factus eſt locus eius, & habitatio eius in Sion.* Dum enim carnis ſarcinam in loculo ad Templum pacis depoſuit, anima eius felix ac pacifica myſticam in Sion in æternum victura penetrauit.

Sacrum triſagium ab Angelis canitur.

Adoleſcens audit, & Eccleſiæ refert.

Paulò poſt inter homines viuere deſiit.

§. Unicus.

In cœlo etiam Beati homines Chriſtum Dominum laudibus proſequuntur.

Cum Angelis miſcent colloquia, & Chriſto Domino hymnos concinunt Angelorum conſortes in cœlis degentes beati homines; quos 238.
enim Chriſti gratia, fides, ac propria, diuino ſuccurrente præſidio, merita ad ſupernorum ſpirituum conſortium extulerunt, vt ruinæ cacodæmonum excidio perpetratæ reſarcirentur, hos eadem copioſa merces beatos præſtans, indiuiduaque felicitate ac lætitia perfundens, verè facit eſſe germanos, ſimulque Deo ac Redemptori noſtro Cantica ex intimo cordis affectu promere ſuadet, ſicque ad Dei hominis laudes celebrandas Sanctorum Angelorum & hominum ſimul ora laxantur.

Simul cum Angelis Deo canunt beati homines.

Quod inclytus demiratus eſt Pathmeus ille 239.
Vates, Apoc. 7. à num. 9. vbi ſic inquit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante Thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magnâ, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum, & Agno. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni & ſeniorum, & quatuor animalium; & ceciderunt in conſpectu Throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen, Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.* Nulla igitur in patria inter Angelos & beatos homines diſcretio ſpirituum, nulla diſtinctio præmiorum, nulla ſeparatio munerum: in vnum coëunt felices Angeli, & beati homines; vnico præmiantur obiecto, & indiſtincto ordine Deum Opt. Max. contemplantes, tenentes, poſſidentes, ſimul amant, laudant, celebrant, & extollunt. Quod Chriſtus Dominus docuit *Matth.* 22. *n.* 30. dum de hominibus in futura reſurrectione inquit: *Erunt ſicut Angeli Dei.* Sicut enim eadem in patria ciues indiſtinctis reguntur legibus, & ſimili viuendi formâ ſub vno Principe diriguntur: in cœlo, quod felicium patria cenſetur, non diſſimili modo ſub omnipotentis omnium Monarchæ moderamine viuentes, ac regnantes Angeli & homines, vno ore Summo Principi laudes offerunt, & ſi ita fari liceat, carmina modulantur.

Angeli & homines vnico beantur obiecto.

Eodem modo ſub eodem Rege in cœlis regnant Angeli & homines.

Etenim ſi filij parentes; ſi Regem ſubditi; ſi 240.
caput membra venerantur: ipſum à quo formati ſunt Dei Filium, tanquam parentem; à quo gubernantur, tanquam Regem; à quo cæleſtes diuinæ gratiæ & gloriæ influxus ſuſcipiunt, tanquam caput, Angelici ſpiritus, & iuſtorum animæ laudant, celebrant, adorant. Quod ſanè Chriſti Domini & maieſtati & fortitudini iure debetur, hoc eſt æternæ eius generationi, quâ *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris* ab Apoſtolo *Hebr.* 1. 3. nuncupatur: ac temporali intemerata ex Virgine natiuitati, necnon immenſæ eius charitati, quâ modicè quàm Angeli minoratus, ſuper omnia manuum Dei opera ſublimatus eſt. Cùm enim pro omnibus viuo mortem, mortemque ſuperaſſet

Laus debetur Chri[…] hu[…]tati.

Digitized by Google

viuorum Dominus, *propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatus*, conſtitutus eſt *ad dexteram Maieſtatis in excelſis, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed in futuro*, vt habetur *Epheſ.* 1.21.

Magis debent Chriſto homines, quàm Angeli.

241. Verùm maiora ab Vnigeniti æterni Patris & maieſtate, & humilitate beneficia beati homines quàm Angeli cùm ſuſceperint, amplius ipſi deuincti, ampliora perennis gratitudinis monumenta, æternis ac nuſquam perituris encomiis, laudibus, & canticis tenentur conſecrare. Hoc ſanè præſtant, & in æternum duratura per æua præſtabunt procidentes ante ſedentem in Throno, *Adorantes viuentem in ſecula ſeculorum, & mittentes coronas ſuas ante thronum eius*, vt dicitur *Apoc.* 4.10. Tribus inter alia ſupra Angelos à Chriſto Domino ſuſceptis muneribus, immortales ad gratias habendas ſummâ cum ſpiritûs exultatione beati mouentur homines. Primum eſt à malis liberatio, ſeu à peccatis, tum originali, tum actuali, gratiâ agente diuinâ, purificatio. Secundùm, quod in primo inuoluitur, & à quo primum in exequutione, vt loquuntur Theologi, oritur, ineffabile eſt Verbi Diuini Incarnationis ſacramentum, quo infra Angelos ad homines accedens, verus homo factus Dei Filius, homines ſupra Angelos ſublimauit. Tertium denique, quod priorum duorum veluti complementum exiſtit, mirabile eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quo homines à peccato mundatos, & Chriſti veluti parentelâ nobilitatos, etiam ſupra Angelos pius liberator extollit, dum proprio corpore & ſanguine adhuc mortales nutrit, vt ſicut illorum *caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, ita & illorum anima de Deo ſaginetur*, vt loquitur Tertullianus *lib. de reſurr. carn. cap.* 8.

Propter tria.

Purâ liberationem à peccato: Incarnationē, & Euchariſtiam.

242. Immenſa hæc diuini amoris erga homines ſupra Angelos tria pignora in præſentiarum liceat nobis paucis expendere, & ſigillatim obiter pertractare. Primò igitur vt mirabilem hominum ſanctificationem valeamus explanare, mirabilem illorum in primo omnium parente formationem indagare operæpretium eſt. Cunctis vniuerſum quæ replent orbem, vel in cœlo, vel in terra, vel etiam in mari, & in aëre, diuino intimante mandato efformatis creaturis, vltimus omnium ſuperno agente conſilio, dirigente ſapientiâ, ſummaque operante potentiâ, formatus eſt homo, immortali donatus animâ, & Authoris ſui inſignitus charactere. Itaque velut omnium operum Dei epitome, & ingens diuinæ prouidentiæ miraculum, inter alias creaturas primus apparuit homo. Quamuis enim è limo terræ corpus ipſius originem trahat, proptereà non minùs nobile reputatur; adeo namque mirabili ordine membra eius diſpoſita, ac tantâ venuſtate ſunt decorata, vt nihil poſſit fabricâ humani corporis in terra pretioſius reperiri. Homo enim eſt *ſtaturâ celſus, vultu decorus, cæſarie gratus; non in aluum, cæterorum more, curuatus animalium; ſed ipſo naturæ jure ſublimis, qui in cœlum libero ſpectet obtutu, nullâ captiua ſeruitute ceruicis oppreſſus in terram, ſed tanquam propriæ conſcius libertatis, & locuples ſui teſtis Authoris*, vt Diuus Ambroſius loquitur *ſerm.* 10. *in Pſalm.* 118. Terram excolit, Mari tanquam poſſeſſione vtitur, & cœli ornamenta grandis miratur aſſertor. Sed vt cum eodem Sancto Doctore verba faciam, *in cæteris animantibus membrorum forma laudetur, in quibus præter gratiam corporis, nihil eſt aliud quod requiratur. Homo in eo eſt pulchrior, quod non videtur, non in corpore quod videtur, in ſe habens æternitatis gratiam, & præſentium venuſtatem.* Anima enim illius ſpiritualis, non de terra aut de luto, ſed ex intimo diuini cordis affectu opus eſt magnificum, Dei generationi inſpiratum. Sic ergo cœlum, terramque complectens homo, qui ſpiritu & carne, animâ & corpore conſtat, gratiam cum natura à ſuo accepit Conditore, qui faciens *hominem rectum*, vt dicitur *Eccleſ.* 7. eius animam ſeu rationem Deo ſubdidit, & rationi vires inferiores, animæque corpus omninò ſubiecit, in quo ſanè ſita eſt iuſtitia illa originalis, quæ primos in ſtatu innocentiæ parentes nobilitauit.

Homo operum Dei epitome & miraculum.

Corpus eius mirabile eſt.

D. Ambr.

In homine quod non videtur nobilius eſt eo quod videtur.

Anima hominis ſpirituali gratiâ ornata fuit in ſui infuſione in Adami corpus.

Æqualis igitur in creatione, iuſtitiâ præditus homo, extitit Angelo, cuius etiam naturam in primo ſui ortu gratia diuina perfudit: vt enim docet D. Auguſt. *lib.* 12. *de ciu. cap.* 9. Deus *ſimul erat Angeli condens naturam, & largiens gratiam.* Sed vberiorem in homine, quàm in Angelo diuinam intuere bonitatem. Gratiam vterque accepit à Creatore, Angelus & homo: ille ſe gratiæ ſubdidit; iſte à gratia receſſit. Angelus Dei adiutus præſidio, Deum dilexit, Deum meruit, & Deum tanquam præmium, & coronam eſt aſſequutus: homo Dei mandatum ſpreuit, iudicium non metuit, verba contempſit, à gratia receſſit, cacodæmonis & vxoris mendaciis credidit, adhæſit; & præceptum Domini tranſgrediens, ab innocentia in peccatum cecidit, omneſque filios ſuos horrendum hoc in barathrum deturbauit. Quis hominem propriâ malitiâ reum, proprio faſtu elatum, ac ſuperbiâ tumidum, Deo rebellem, & ore diuino morti addictum, denuò Dei auxilio roborandum, amicitiâ donandum, & gloriâ tandem diuinâ præmiandum fore cenſeret? Nonne gratiam reſpuens, gratia, vt ſemper ſit immunis, iure damnatur? Auxilium qui contemnit, ſemper debet auxilio carere; & qui parentem Deum noluit, Deum iratum judicem debet experiri. Filius ergo mortis erat Adamus, & filij mortis erant omnes ab Adamo progeniti. Vnde Apoſtolus ait Epheſ. 2.3. *Eramus naturâ filij iræ, ſicut & cæteri.* 243.

D. Auguſt.

Homini gratia vberior conceſſa quàm Angelo.

Verùm errantis ac pereuntis, ne dicam perditi, Deus miſertus eſt hominis, cumque in creatione juſtitiâ induens ac ſanctitate, Angelo æqualem fecerat, à caſu ſubleuans, à peccato purgans, & diuinæ conſortem naturæ gratiâ ſuâ operante efficiens, ſupra Angelum exaltauit. Opus ſuum, qui omnia creauerat, nedum reſtituit Filius Dei, peccatis parcens hominis; ſed erexit, illuſtrauit, ampliauit: maiorem enim illi effudit gratiam, vt è profundo pelagi reſiliret. Vberior ſiquidem gratia illa eſt, quæ infirmum ſanat, mortuum ſuſcitat, ac infenſum Dei hoſtem diuinæ reſtituit amicitiæ, quàm illa quæ ſanos & incolumes à caſu & ægritudine conſeruat. Cùm ergo vnica gratia quâ ſemel ditatus eſt Angelus, in bono conſiſtere, proficere, ac perſeuerare tantùm tribuerit; & gemina homini data, nempe prima, quæ illum juſtitiâ originali, à qua cecidit, decorauit; & ſecunda, quæ lapſum erexit, debilem confortauit, peccatorem juſtificauit, & in bono ſtabilitatem, profectum, & tandem perſeuerantiam conceſſit, ampliorem effectum produxerit, & maioribus hominem quàm Angelum beneficiis cumulauerit: hominem ſupra Angelum à Deo ma- 244.

Hominem lapſum reparando ſupra Angelū Deus exaltauit.

Homini gemina gratia conceſſa eſt.

iori

iori charitate fuiſſe proſequutum, maioribuſque fauoribus exornatum, nemo non videt. Sed à Chriſto, à quo quidquid boni ſancti poſſident homines, receperunt, etiam Sanctos accepiſſe Angelos quidquid in eis gratiæ & gloriæ fulget, credendum eſt. Idem enim Dei Vnigenitus, Caput cùm ſit omnium hominum & Angelorum, vt docet Angelicus Præceptor 3. *p. q.* 8. *art.* 3. *&* 4. & D. Paulus inſinuat *ad Coloſſ.* 2. dum de Chriſto inquit: *Qui eſt Caput omnis Principatus & Poteſtatis*; in homines & Angelos, velut in membra corporis ſui virtutem & gratiam ceu quoſdam mirabiles influxus refundit. Quod tamen diuerſo in eis agitur modo: qui enim dum ſaluat homines, liberat; dum Angelos coronat, conſeruat: & dum gratiæ ſuæ munere captiuos homines redimit; liberos, eodem ſuccurrente præſidio, Angelos ſolidat & confirmat: ſicque quamuis Angelorum Redemptor Chriſtus dici nequeat, juxta communem Theologorum ſententiam; tamen Angelorum ſanctitatis, meritorum & gloriæ magnificus cenſetur aſſertor: qui enim captiuum abſoluit hominem, ſtantem firmauit Angelum, ac firmatum gratiæ & gloriæ ſplendoribus in æternum ſtabiliuit. Quod ſanè mellifluus ille Abbas Bernardus *ſerm.* 22. *in Cant.* attigit, vbi de Chriſto Domino ſic fatur: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens: ſoluens illum, & ſeruans iſtum.* Numquid igitur poſt lapſum erectus homo magis debet Saluatori, quàm Angelus qui nuſquam cecidit? Totum ſe tradat amantiſſimo Redemptori, à quo ſemel factus, iterum proprio ſanguine liberatus, nobiliori & meliori modo formatus eſt, Paulo atteſtante Apoſtolo his verbis 1. Cor. 6. 20. *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno: glorificate, &c.*

Omnis ſanctitatis Angelorum & hominum origo Chriſtus eſt.

D. Thom.

Non tamen Angelorum Redemptor.

D. Bern.

Sed hominum.

245. Quod ſanè infinitam in Filio Dei ergà homines arguit bonitatem; ipſumque beatum hominem à peccato liberatum, vt immortales totam per æternitatem optimo Saluatori gratias rependat, aſtringit. Porrò tantum augetur debitum, ſi intra naturam Angelicam præuaricantem ad Angelum dirigamus noſtrum obtutum. Bonis gratiæ fulgentem, ac inter ſupremos Angelorum choros, veluti Principem rutilantem, primum Angelum inſpice. Ille eſt qui Cœleſtium Spirituum anteſignanus in deliciis fuit Paradiſi, in medio lapidum ignitorum ambulauit; & lumina quibus alios Deus perfundit Angelos, ab iſto ſibi proximiori; cæteriſque prælato, ad reliquos inferiores cùm traducantur, Lucifer jure merito nominatur. E cœlo hic cecidit, quia dum altiſſimam creaturarum ſedem ſublimis ille teneret, in ſupremum Sanctiſſimæ Trinitatis cœlum, vt D. Thomas aduertit 1. *p. q.* 61. *art.* 4. *ad* 3. vt *ſimilis eſſet Altiſſimo*, hoc eſt vt æternam felicitatem propriis meritis, auxilioque ſecluſo diuino, à ſeipſo obtineret, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 63. *art.* 3. concupiuit aſcendere: ſed diuinâ agente ſapientiâ in teterrimam inferorum abyſſum tumidus & inflatus propriæ iniquitatis depreſſus pondere deſcendit inuitus. Nec ſolus Angelorum Princeps è cœlo deturbatur: ſocios habuit criminis, pœnarum conſortes, & quos vt Deo non parêrent, ſuperbiæ ſuæ veneno inficiens, vt ſimul cum eo in veritate non ſtarent incitauit, eos ſecum ad inferorum caliginem deduxit: & ſic, vt dicitur *Apocal.* 12. draco traxit ſecum tertiam partem ſtellarum.

Angelum cadentē reliquit Deus, hominem labentē erexit.

Primus Angelus peccauit.

Plures ad ſui imitationem incitauit.

246. Qui igitur fulgentia veluti ſydera Angelos gratiæ ſplendore in cœlo coruſcantes inſpexiſti, vnico ſuperbiæ reatu obnubilatos, à Patre luminum juſtiſſimo addictos ſupplicio, ſub vmbra mortis, *vinculis æternis ſub caligine reſeruatos* attende. An ergà hominem mandatis ſuis non obtemperantem ſic ſæuiit Deus? Nequaquam. Pepercit homini, & non ſolùm primi omnium parentis culpam in eius poſteris propagatam ſummâ eluit bonitate; verùm plurima eius filiorum facinora, etiam ex inſtituto perpetrata, ineffabili miſericordiâ obliterauit. Angelo non pepercit, nec miſertus eſt, ſed totus in illius & ſociorum caput conuerſus, ſeueriſſimæ, æquiſſimæque potentiæ gladium euaginauit, omneſque reos criminis ad vnum è cœlo in æternum amandauit: nulla inter illorum peccatum & pœnam mora fuit, nec vllum interfuit pœnitentiæ ſpatium. Dum aſcendere voluerunt, ceciderunt, caſumque ſtatim tormenta ſuſceperunt, ita vt juxta Theologorum ſententiam, Angelis peccantibus nullum Dei adiutorium, nec etiam ſufficiens, ad reſurgendum conceſſum fuerit. Velox enim juſtitia velociſſimo ſupplicio veloces Angelos velociter in æternum mulctauit. *Deus*, inquit B. Petrus, *peccantibus Angelis non pepercit*: ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.

Omnes Angelos peccatores puniuit Deus.

Hominibus pepercit.

Peccâti Angelo nec ſpatium pœnitentiæ, nec auxilium ad pœnitendū conceſſum eſt, ſed ſtatum ſupplicium inflictum.

247. Innumeros ergo Iudex æquiſſimus puniuit Angelos, nec Cœlum Empyreum in quo creati ſunt, vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 61. *art.* 4. & in quo peccauerunt, culpam diminuit, nec indulgentiam aliquam meruit, nec azylum præbuit, nec ſupplicium retardauit: immò juſtitiæ diuinæ zelum vehementer accendit, & acutiſſimum illius gladium reorum ſpirituum, vt ita dicam, ſanguine inebriauit. Quod Euangelici ore Prophetæ Dominus declarauit: *Inebriatus*, inquit, *in cœlo gladius meus.* Iſai. 34. Ideoque qui gloriam ſui loquuntur Conditoris cœli, vt Regius Pſalmographus ait pſal. 18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei*; ex quo cruciatûs & culpæ cœleſtium ſpirituum teſtes euaſerunt, diuini in Angelos judicij æquitatem magnificâ voce declarant: *Annunciabunt cœli gloriam eius*, inquit Dauid pſal. 49. 7. *quoniam Deus Iudex eſt.* Tamen juſtitia paci ſociata eſt, & quæ ſola Angelos judicauit, miſericordiæ copulata, peccatores homines liberauit. Sæuire noluit in filios Adami Iudex omnipotens, ſed *omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtauit.* Saluauit peccatores in terra, qui reos perdidit in cœlo; è profundo pelagi ad ſydera terrenos conſcios criminis ſubleuauit, qui malos Angelos cœlorum incolas in inferioribus terræ partibus collocauit. Terribilis ergo propter vnicum delictum malorum damnatio Angelorum: ſed mirabilis Beatorum hominum è malis plurimis, diuino agente ſubſidio, liberatio. Supra Cœleſtes ergo Spiritus Beatus tripudiet homo, & *in Deo ſalutari ſuo* ſemper exultet, ſemperque tanto Redemptori gratias agat, & quòd ab ipſo in prima ſui creatione gratiam & ſanctitatem acceperit, & quòd amiſſâ gratiâ, & crimine admiſſo, denuò ab Authore ſuo viſitatus, à peccato liberatus, & gratiæ vberiori fuerit reſtitutus.

D. Thom.

Iuſtitia Dei in cœlo primùm ſæuiit.

Propter homines juſtitia & pax oſculatæ & ſociatæ ſunt.

248. Non enim *ſicut delictum, ita & donum*: vbi autem *abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, vt loquitur Paulus *Rom.* 5. 15. *&* 20. Patuna

Maior hominis conceſſa gratia, quàm fuerit eius peccatum.

tum ſiquidem fuit hominis Conditori errantem hominem reuocare, perditum recuperare, peccatis obrutum ſubleuare, ac juſtificare: parum ipſi, inquam fuit, eius mala repellere, morbos curare, ſordes mundare, captiuitatem ſoluere: inſuper bonis ſuis eum auxit, ditauit, ampliauit. Inæſtimabiles gratiæ ſuæ theſauros ei tribuit, & quod omne creatum ſuperat deſiderium, ſeipſum homini ſtrictiſſimè copulauit, & vt loquuntur Theologi, hypoſtaticè, ſeu perſonaliter vniuit. Quis tantum diuinæ miſericordiæ loquetur miraculum? Amor quo Deus peccatorem proſequutus eſt hominem, non ſolùm *Iudicem mutauit in patrem; etiam Dominum mutauit in ſeruum*, & captiuum erexit in Regem.

Vt liberaret hominem Deus, homo factus, vt homo fieret Deus.

Non ſolùm liberauit hominem hominis Creator, ſed homo factus eſt: ſicque eum qui in tenebris & vmbra mortis ſedebat, non ſolùm illuminauit, & erexit; ſed ſupra omnium Angelorum verticem, vſque ad ipſum Diuinitatis ſolium exaltauit. Vt enim loquitur Diuus Auguſtinus ſerm. 9. de Natiuit. Domini. *Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus.* Quod quidem ſecundum eſt homini ſupra Angelos ab æterno Dei Filio collatum beneficium, a quo non ſolùm gratiam & libertatem, ſed Dei conſortium eſt aſſequutus: manente enim vtraque proprietate naturæ abſque Deitatis detrimento, & ſaluâ humanitatis conditione, vnam conſtituit perſonam, quæ duplici ditata conceptu, vnico ſuppoſito ſtabilita, vnicum toto orbi miraculum in vnico Chriſto Deo & homine, vnicum Angelorum & hominum Regem demonſtrauit.

D. Auguſt.

Chriſtum Deum & hominem Angeli adorant.

Vnicum hunc Redemptorem ſupplices adorant Angeli, & noſtram in eo venerantes humanitatem, carnem ſpiritui præpoſitam, terram cœlo dominantem, & homines ſupra omnia Domini opera conſtitutos demirantur. Quod exultans canit Eccleſia, dum Chriſti Saluatoris cœlos aſcendentis triumphum celebrat, in hæc verba:

Tremunt videntes Angeli,
Verſa vice mortalium,
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus, Dei caro.

249. Quid enim mirabilius, quid altius concipi poteſt? Non ſolùm liberatur reus, ſed donatur purpurâ & exaltatur: nec carnis in eo punitur, aut deletur infirmitas, ſed roboratur, immò & in ſolio ad regnandum collocatur. *Verbum* enim *caro factum eſt*, vt dicitur *Ioan.* 1. & ex ipſo homini protulit medicamenta, vnde facta ſunt vulnera. Quod D. Auguſt. *tract. 2. in Ioan.* eleganter expreſſit, dicens: *Caro te obcæcauerat, caro te ſanat; quoniam ſic venit Chriſtus, vt de carne carnis vitia extingueret.* At tantâ peractâ vulnerum curatione, ſupra omnem cœli militiam, ſuper omnes ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinem Poteſtatum, *ad Dei Patris eſt prouecta conſeſſum*, vt D. Leo Papa proſequitur *ſerm. 2. de Aſcenſ. Domini.*

Caro per Verbi incarnationem carni remedium præbuit, & ſupra ſpiritus Angelicos eſt exaltata.

250. Cedant ergo hominibus Angeli, & quos *vocauit Deus in ſocietatem Filij eius Ieſu Chriſti*, vt loquitur Paulus 1. *Cor.* 1. 9. Chriſto vnitos, & ſibi prælatos agnoſcant: *nuſquam* enim *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, vt inquit idem Apoſtolus Hebr. 2. 16. *Qui elongant ſe à Deo*, omnes *peribunt*. Pſal. 72. 27. Elongauerunt ſe ſuperbi Angeli, & pereuntes è cœlo ceciderunt, nec eos tenuit manus Domini: non reuocauit eos miſericordia, non ſequutus eſt Dominus, vt eos ad ſe recuperaret. Elongauit ſe Adamus, & ſimul cum iſto omnium parente omnes eius filij dereliquerunt Dominum: ſed à ſe recedentes homines requiſiuit, errantes reduxit, & renitentes ad ſe reuocauit: vnde, ſicut notauit Diuus Chryſoſtomus *homil. 5. in epiſt. ad Hebræos*, Apoſtolus non dixit: *Semen Abrahæ ſuſcepit, ſed hac dictione, Apprehendit, vſus eſt, ſumptâ metaphorâ ab illis qui auerſos perſequuntur & fugientes, omniaque faciunt, ac quàm ocyſſimè currunt, vt eos comprehendant.* Sic enim juxta mentem Apoſtoli, maximâ Dominum vrgente charitate, qui Angelos fugientes, & velut fulgura cadentes abire permiſit, renitentem verò carnem & ſanguinem Abrahæ, hoc eſt reluctantem hominem ex nimia dilectione detinuit, comprehendit, ſibique perſonaliter vniuit.

Angelos ſuperant homines, quia Deus non Angelos, ſed homines ſibi vniuit.

Fugientem hominem Deus ſequutus eſt, non Angelum.

251. Nec ſolùm malis Angelis, quos in impietate deſeruit, homines, quos è criminis barathro Filius Dei eruit, prætulit; etiam ſuper illos, qui gratiam tenuerunt, & à recto juſtitiæ tramite non deuiarunt, exaltauit. Neque enim ſtantes Angelos Verbum ſibi copulauit, neque ſanctam piorum Angelorum naturam ſibi hypoſtaticè vniuit: hanc in cœlo reliquit, & ad terrenam hominis peccatoris ſubſtantiam mirâ celeritate, & ineffabili charitate progrediens, ſponſam ſibi indiſſolubili æterni matrimonij fœdere coniunxit, ita vt ſicut loquuntur Theologi, quod ex illa ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſerit. Sed immenſum Diuini Patris ſplendoris in hominem auget affectum, quòd tanta illius & humanæ naturæ ſocietas non ſolùm nullis hominis meritis præcedentibus facta cenſetur, immò non niſi propter eiuſdem demerita adimpleta videtur. Illud enim quod infinitum Dei Verbum arcère debebat ab homine, & in æternum penitus elongare, ad hominem attraxit, & homini perpetuo connubio ſociauit. Peccatum intelligo, quod cùm hominem à Deo formaliter auerterit, ipſum enim nihil aliud eſt quàm *auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam; ſeu auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum*, vt docet D. Thomas pluribus in locis; Filium Dei ab homine ſemper debebat remouere. Attamen Diuinæ Incarnationis occaſio peccatum fuit; nec vſquam tantum orbis terrarum vidiſſet miraculum, niſi hoc primi hominis piaculum poſtulaſſet. Vt enim docent fulgentia Theologiæ ſydera Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Thomas *3. p. q. 1. art. 3.* ex vi præſentis decreti quo Deus homo factus eſt, ſi Adam non peccaſſet, nuſquam Filius Dei homo, & filius hominis fuiſſet. Quod D. Auguſt. tradit, exponens verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Vbi *ſerm. 9. de verb. Apoſt.* inquit: *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.* Quod etiam idem Sanctus Doctor *ſerm. 36. de verbis Domini*, exponens illud Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat*, eleganter oſtendit. Vnde homo quò Angelo innocente miſerior, eo felicior Filij Dei Incarnatione euaſit; & quantùm per diabolum erat tenaciùs alligatus, tantùm per Chriſtum eſt mirabiliùs abſolutus: vt de Roma loquitur Leo Papa *ſerm. in Natali Apoſt. Petri & Pauli.*

Etiam Sanctis Angelis, peccatorem hominem prætulit Deus: non enim illos, ſed iſtum ſibi hypoſtaticè copulauit.

Indignum hominem, vtpote peccatorem Deus aſſumpſit.

Peccatum Adæ occaſio fuit Incarnationis Verbi.

Si homo nõ peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet.

252. Hunc maiorem dignitatem hominum eſſe quàm

Angelo

Licet Angeli imagines Dei ſint,

Angelorum, quidam ex Sanctis Patribus exiſtimarunt: quamuis enim Angelus Dei imagine in ſui productione ſit inſignitus, vt docet D. Th. 1.*p.* *q.*93. *art.*3. & habetur *Ezech.* 28. *n.*12. vbi Angelus dicitur *Signaculum ſimilitudinis*, quia in eo ſimilitudo diuinæ imaginis inſinuatur expreſſa, vt ait D. Gregor. *hom.*34. *in Euangel.* quod etiam docet D. Dionyſ. *de diuin. nominib. c.*4. dum inquit: *Imago Dei eſt Angelus, manifeſtatio inuiſibilis lucis*, ſpeculum purum, lucidiſſimum, nitidum, incoinquinatum, immaculatum, ſuſcipiens in ſe totam, ſi fas eſt dicere, pulchritudinem diuinæ ſpeciei: tamen formalem imaginis rationem illi concedere dubitarunt. Quod ſanè ſic ab illis dictum eſſe arbitrandum eſt, vt homo ratione Incarnationis, quâ viſibilis in carne, nobiſque ſimilis Chriſtus apparuit, Angelo ſimilior Deo factus ſit, quia illum in vtraque natura, corporis ſcilicet & animæ, perfectiùs repræſentat. Quo ſenſu D. Ambroſ. *ſerm.*10. *in pſal.* 118. ſic inquit: *Angeli ad miniſterium, homo ad imaginem.* Moxque ſubdit: *Eſto vt & Angeli ad imaginem; Scriptura tamen de homine loquuta eſt, quod ſit ad imaginem: habemus enim aliquid quod fortaſſe Angeli non habent. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Nobis eſt natus Chriſtus ex Virgine; legimus enim Iſai.*9. *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: nobis carnem ſuſcepit, immò potiùs nos in illa carne ſuſcepit, quando Filium hominis in Dei ſede conſtituit. Non lego Angelos in Dei ſede niſi ſtantes, niſi miniſterium deferentes. Non lego Angelos, ſed homines conſepultos Chriſto, & in Chriſto reſuſcitatos.* Sic ille, vbi homines fulgentiori Dei charactere quàm Angelos aſſerit coruſcare: illoſque ſupra cœleſtes ſpiritus ex inæſtimabili diuinæ Incarnationis beneficio extollit.

Tamen homo propter Verbi incarnationem perfectior imago cenſetur.

Angeli vt miniſtri ſtãt ante ſedem Dei; homo vt dominus ibi ſedet.

252. Tertium denique quod ſupra Angelos à Deo beneficium beati homines receperunt, adorandum eſt, ideoque tremendum Euchariſtiæ Sacramentum, quod à Diuo Chryſoſtomo *Incarnationis extenſio* dicitur; illiſque tantùm Domini corpus & ſanguinem veraciter tribuit manducandum, pro quibus idem Dominus carnem & ſanguinem in intemeratæ Virginis vtero ſimul cum anima hypoſtaticè ſibi copulauit. Cúmque pro hominibus, & non pro Angelis homo factus ſit, non iſtis, ſed illis corporis ſui myſteria obtulit manducanda.

Euchariſtia homines ſupra Angelos euehit.

253. Sanè Chriſto Domino in Euchariſtia latitanti procumbunt ſupplices Angelorum chori, eoſque aliquando circa Altare tempore ſacrificij adorantes ac ſtupentes D. Ioannes Chryſoſtomus meruit intueri. Cùm enim in eum *deſiderent Angeli proſpicere*, vt dicitur 1. *Pet.*3. 22. in venerabile corporis ſui Sacramentum aciem figunt; quod *Zachar. cap.*3. *n.*9. exprimitur: *Super lapidem vnum ſeptem oculi*; quia omnes Angelici ſpiritus in vno Euchariſtiæ Sacramento, vbi Chriſtus lapis angularis, pretioſus & electus realiter continetur, oculos ſuos defigere conantur, vt tantam Maieſtatem ſumma cum humilitate compoſitam adorent. Hoc enim eſſe videtur, quod Chriſtus Dominus ait: *Videbitis Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Ioan. 1. n. 51. Vbi ad mentem D. Chryſoſtomi *hom.*20. Angelorum miniſteria per aſcenſus & deſcenſus expreſſit: dum enim iuxta Templorum noſtrorum altaria circumuolitant, tanquam ſupra dilectiſſimum Regis Filium Regij miniſtri & aſcendunt & deſcendunt: quia Deo tanquam ſuperiori aſcendendo, homini tanquam inferiori deſcendendo miniſtrant. Quod

Euchariſtiã colunt Angeli.

Euchariſtiã Angeli contemplantur.

D. Chryſoſt.

Chriſti maieſtatem & humilitatem in Euchariſtia Angeli reuerentur.

D. Bern.

R. P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

etiam D. Bern. *ſerm.*48. *in Cant.* penè ſic intellexit, dũ aduertit Angelos aſcendere & deſcendere ſupra Filiũ hominis, quòd in vno, eodẽq; homine Chriſto Ieſu, & *infirmitatem foueant, & ſtupeant maieſtatẽ.* At aſcendunt & deſcendunt ſupra diuina corporis Chriſti myſteria, vt eius humilitatem carnis infirmitate triumphantem, morteque ſuperantem, ac victoriam in hoc memoriali mortis Domini, gẽmam veluti pretioſiſſimam coruſcantem adorent, & maieſtatem ab infirmitate nouo fulgore ſplendidam colant & reuereantur. Totum hoc eſt quod Angeli erga diuiniſſimum Sacramentum præſtare valent: admirantur, colunt, adorant, magno adſtant cum ſilentio, diuinorum myſteriorum Sacramenta laudantes, celebrantes, & ingenti cum gaudio hymnis cœleſtibus proſequentes. Verùm nec ſuauiſſimo hoc cibo veſcuntur, nec diuiniſſimo ſanguine recreantur. Videre poſſunt hoc ineffabile Sacramentum; ſed tangere non poſſunt, manducare non valent; & ſolis hominibus eſca hæc diuina parata eſt.

Euchariſtiã Angeli nequeunt recipere.

254. Quamuis enim panis Angelorum nomine ſacra decoretur Euchariſtia, & Sanctus Doctor in mirabili opere quod modò exponimus, de hoc tremendo myſterio dicat, *Ecce panis Angelorum factus cibus Viatorum*, &c. tamen cœleſtes illi Spiritus, qui ipſum Chriſtum manducant ſpiritualiter, inquantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſtâ; eundem Chriſtum Dominum, prout ſub ſpeciebus Sacramenti continetur, nequeunt vel ſacramentaliter, vel ſpiritualiter manducare, neque ipſum Sacramentum ſpiritualiter ſumere, prout iſte ſumendi modus importat quod aliquis credat in Chriſtum cum deſiderio ſumendi hoc Sacramentum, vt docet D. Thomas 3. *p. q.*80. *art.*2. Qui enim manet in hominibus ſecundùm præſentẽ ſtatum per fidem Chriſtus, & per modũ cibi, quo in via roborati vſque ad montem Dei, hoc eſt ad cœleſtem patriam ambulamus, ineffabili corporis ſui Sacramento ſuſtentat, in Angelis beatis eſt per manifeſtam viſionem, nec tali dum in via fuerunt, vt ad patriã peruenirent, alimento indiguerunt immortales & incorporei ſpiritus: vnde, propter diuerſam Angelorum & hominum ſtatũ, etiamſi in via vtrique conſiderentur, cùm Euchariſtia ſpeciebus corporeis, ſub quibus ad modum ſubſtantiæ corpus & ſanguis Domini reconduntur, coaleſcat, hominibus animâ & corpore conſtantibus, non verò Angelis omninò incorporeis diuinum hoc inſtitutum eſt Sacramentum.

Angeli Chriſtum in Euchariſtia nec ſpiritualiter, nec ſacramentaliter valent manducare.

D. Thom.

Soli homines corpus Chriſti in Euchariſtia poſſunt ſumere.

255. Cæterùm tremendum Dei corporis & ſanguinis myſterium, veluti Dominicæ paſſionis memoriale, eiuſdem paſſionis perfectũ eſt Sacramentum, tanquam continens Chriſtum paſſum; vnde & in vltima Cœna, imminente paſſione, & celebrato veteri Sacramento, illius vt futuræ præfiguratiuo, ſcilicet manducato Paſchali Agno, nouum Euchariſtiæ Sacramentum, vt præteritæ paſſionis rememoratiuum, inſtitutum eſt, vt docet D. Thom. 3. *p.* *q.*73. *art.* 5. & D. Leo Papa eleganter exprimit *ſerm.*7. *de Paſſ.* dum ait: *Vt vmbra cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur Sacramento: hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Quod ipſe Apoſtolus Paulus 1. *Cor.*11. 26. apertè inſinuat, dicens: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Cúmque huius Sacramenti ſuſceptio pretioſam amantiſſimi Saluatoris mortem cum mirabili eius virtute ſumentium cordibus infundat, illiuſque effectum, nempe redemptionem, ac cum ipſo

Paſſionis Chriſti memoriale eſt Euchariſtia.

D. Thom.

Leo Papa.

zed by Google

Chriſto mirabilem vnionem operetur; ſolis hominibus hoiuſmodi paſſione, redéptione, ac vnione indigentibus, & non Angelis, Chriſtus Dominus corpus ſuum ſumendũ dereliquit. Si enim Angelo in gratia confirmato, vel à gratia in peccatum lapſo Chriſti mors neceſſaria non fuit; nec etiam eiuſdem mortis Sacramentum ipſi concedendum erat. Quod attigit Bernardus *ſerm. fer. 4. Hebdom. ſancta*, vbi de Chriſti paſſione tractans, ſic loquitur: *Hæc paſſio mihi data eſt, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eget. Numquid diabolo? Sed ille non reſurgit.* Soli igitur homines, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, mortis ſuæ Sacramentum, diuinam putà Euchariſtiam, & ſacramentaliter & ſpiritualiter valent manducare: quippe ſolis hominibus ab Authore Sacramenti dictum fuit, Matth. 26. n. 26. *Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum.*

Paſſionis effectum non recipiunt Angeli.

Sed tantùm homines.

D. Bern.

254. Nec solùm, excluſis Angelis, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ homines fiunt participes; ad altiorem euehuntur dignitatem, dum à Chriſto Domino tantorum myſteriorum conſtituuntur diſpenſatores: ſicut enim ſoli poſſunt Euchariſtiam recipere, ita ſoli poſſunt Euchariſtiam miniſtrare; & ad honorem Sacerdotij à Chriſto ſublimati, Chriſti perſonam & officium gerere, panem & vinum in corpus & ſanguinem diuinorum virtute verborum tranſmutare, & tandem aliis hominibus tradere. Quod ipſis à Domino mandatum eſt, *Luc. 22. n. 19.* horum tenore verborum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde Sacerdotium Chriſti Domini ab illis, quos Eccleſiæ ſuæ miniſtros, & Sacramentorum diſpenſatores elegit, participari docent Theologi cum D. Thoma *3. p. q. 73. art. 3.* vbi expreſsè docet, quod totus ritus Chriſtianæ Religionis deriuatur à Sacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quod character ſacramentalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cuius Sacerdotio configurantur Fideles ſecundùm ſacramentales characteres, qui nihil aliud ſunt, quàm quædam participationes Sacerdotij Chriſti, ab ipſo deriuatæ. Planè non ita erexit Angelos: cùm enim *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituatur in his quæ ſunt ad Deum*, vt dicitur *Hebr. 5. 1.* & cùm Angeli non ſint ex hominibus, ideo ipſi non conſtituuntur miniſtri in his quæ ſunt ad Deum, id eſt in Sacramentis; nam cùm tota virtus Sacramentorum à paſſione Chriſti deriuetur, quæ eſt Chriſti ſecundùm quod eſt homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli; ſed potiùs ſecundùm paſſionem dicitur *modico ab Angelis minoratus*, vt dicitur *Hebr. 2.* ideo ad homines pertinet diſpenſare Sacramenta, & in eis miniſtrare, non autem ad Angelos, vt etiam docet D. Thomas *3. p. q. 64. art. 7.* Homines igitur Chriſti Domini corpore & ſanguine vegetatos, & Sacerdotio decoratos, ſupra ſe ſuſpicientes beati Angeli, in Dauidis verba prorumpunt admirantes: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Pſal. 65. 12. Quos ergo Angeli ad ſacrorum diſpenſationem myſteriorum euectos venerantur, illi ſeipſos nequaquam deſpiciant, ſed propriæ conſcij dignitatis, diuino miniſterio diuinam animam, diuinam vitã ſtudeant ſuppeditare. *Cogita* (inquit Chryſoſtomus *hom. 60. ad pop. Antioch.* homines alloquens) *quali ſis inſignitus honore, quali menſâ fruaris: quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro.*

Soli homines Euchariſtiam recipiunt, & aliis tradunt.

D. Thom.

Quia ſoli homines ſũt Sacerdotes.

Angeli nequeunt eſſe Sacerdotes.

Homines ſupra Angelos.

D. Chryſoſt.

Diuinam animam debent habere.

Ea ſunt quæ ſupra Angelos à Chriſto Domino homines recipiunt beneficia, quibus illorum, & non Angelorum per Sanctificationem liberator, per Incarnationem frater, per Euchariſtiam paſtor & cibus efficitur. Tribus his donis beati homines ad maiora quàm Angeli in cœlis Chriſto Saluatori præconia conſecranda mouentur. Nec tantùm ſancti homines, qui poſt Verbi Incarnationem ac Chriſti paſſionem ſub lege noua Deo militarunt, laudes diuino canunt liberatori: omnes quotquot ab initio ſeculi vitã æternam ſunt aſſequuti, ſimul cũ illis Chriſto concinunt, ſimulque omnes in fide Chriſti venturi, eius corpori myſtico, ſeu Eccleſiæ aggregati, ac futurâ paſſione à peccatis liberati, ante Euangelium Euangelici, ante Chriſtum è Virgine natum Chriſtiani, ab eodem Redemptore liberati ac ſaluati, eidem in æternum cantica in perenne gratiarum actionis monumentum lubenti animo modulantur. Vt enim loquitur Auguſtinus *ep. 157.* & adducitur à D. Thoma *2. 2. q. 2. art. 7. in arg.* Sed contrà: *Illa fides ſana eſt quâ credimus nullum hominem, ſiue maioris, ſiue paruæ ætatis, liberari à contagio mortis, & obligatione peccati, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum.* Sic ille. Vnde rectè dixerim omnes iuſtos qui aduentum Chriſti in carne tempore præceſſerunt, in Chriſtum credentes, tanquam in communem omnium Reſtauratorem, etiam fidem vel explicitam, vel implicitam de Sacramentis nouæ legis habuiſſe, quâ agente, ſacram Euchariſtiã, quam poſt eius realem inſtitutionem, & Chriſti Domini paſſionem Fideles & ſacramentaliter, & ſpiritualiter receperunt, ſaltem ſpiritualiter manducauere. Quod quidẽ à me ſine fundamento prolatum nequaquam exiſtimandum eſt. Illud enim ab Angelico Doctore apertè colligo: nam S. D. *3. p. q. 80. art. 1. ad 3.* euidenter oſtendit, quod ſicut aliqui baptizantur Baptiſmo flaminis propter deſiderium Baptiſmi: ita etiam aliqui manducant ſpiritualiter hoc Sacramentum Euchariſtiæ, antequam ſacramentaliter ſumant. Sed hoc contingit dupliciter. Vno modo propter deſiderium ſumendi ipſum Sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari & manducare ſpiritualiter, & non ſacramentaliter, illi qui deſiderant ſumere hæc Sacramenta jam inſtituta. Alio modo propter figuram, ſicut dicit Apoſtolus *1. Cor. 10.* quod antiqui Patres *baptizati ſunt in nube, & in mari: & quod ſpiritualem eſcam manducauerunt, & ſpiritualem potum biberunt.* Hactenus D. Thomas; ex cuius doctrina manifeſtum eſt, Fideles ante realem Euchariſtiæ inſtitutionem, de ea fidem habuiſſe, & eam in eius figura ſpiritualiter manducaſſe; ſicque omnes beatos homines ſupra Angelos accepiſſe tria à Chriſto immenſæ charitatis ſigna, iam expoſita, liquet, & propter hæc ſummâ ſpiritus exultatione in cœlis eius gloriam canere certum eſt. Quod ſanè ita eſſe omnes Sancti Patres ac Theologi profitentur; imò D. Thomas damnatorum hominum blaſphemiis, quibus diuinam iuſtitiã deteſtantur peruerſo ac interno cordis affectu, diuinas quas Beati Deo decantant laudes opponens, docet quod poſt reſurrectionem Beati ore & linguâ Dei præconia celebrabunt, vt etiam vocales malorum hominum blaſphemias hymnis & canticis ſuperent & deuincant. Sic enim ait Angelicus Doctor *2. 2. q. 13. art. 4. in corp.* *Credibile eſt quod poſt reſurrectionem erit in damnatis etiam vocalis blaſphemia, ſicut in Sanctis vocalis laus Dei.* 255.

Chriſtus per Incarnationem hominum liberator, frater, & paſtor.

Ante Incarnationem homines in Chriſtum crediderunt.

D. Auguſt.
D. Thom.

Nullus ſaluatur, niſi per Chriſtũ.

Ante legem gratiæ homines fidem habuerunt de Euchariſtia, & illam ſpiritualiter receperunt.
D. Thom.

Damnati Deum blaſphemant: Beati Deum laudant.

D. Thom.
Poſt reſurrectionem illud vocaliter vtrique præſtabunt.

Sectio

Sectio II.

Ab Eccleſia in terris adhuc militante Chriſtus Dominus laudibus celebratur.

Eccleſia militans corde & linguâ canit Chriſto.

256. SOli non ſunt ſuperni Angelorum & hominum beati ſpiritus in cœleſti patria Chriſti Domini encomia celebrantes : illos imitatur quæ adhuc in terris militat Chriſtianorum Eccleſia; corde & animo, mente & linguâ laudis ſacrificia tanto Regi iugiter offert immaculata Sponſa; & quem toto cordis affectu proſequitur, eumdem magnis vocibus quotidie confitetur. Cùm enim vtrumque debeat quod vtrumque accepit à munificentiſſimo Creatore ac Redemptore, corpus ſcilicet & animam; vtrumque laudibus & Canticis reddere conatur. Sic quippe Regius pro ea loquens Vates aiebat : *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſal. 83. n. 2.

Cor & caro Eccleſiæ in Deum exultauit.

In quem enim fidelis populi adhuc in terris militantis, & ad cœlos anhelantis cor, quod vitæ naturalis principium eſt, corpuſque quod hac vitâ donatur, niſi in Deum viuum, qui vita ipſa, & totius vitæ ſcaturigo cenſetur, exultarent? Quod acutè attigit Auguſtinus, præfatum Dauidis locum exponens *lib. 50. homil. hom. 33.* his verbis : *Non exultauit in hoc mundo, non in diuitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni ſuo amore morituris; ſed in Deum viuum : quare non dixit; in Deum, tantùm, ſed addidit, in Deum viuum? Vt oſtenderet, quia totum quod non pertinet ad Dei cultum, deberemus habere quaſi mortuum.* Sic eleganter Auguſtinus. Vnde pro nullis perituris viuens Eccleſia, in nullis morituris voluit exultare, ſed in ſolo Deo viuo, cui ſoli *in regione viuorum* placere deſiderans, hymnos & cantica quotidie perſoluit.

D. Auguſt.

In nulla creatura, ſed in ſolo Deo exultare oportet.

257. Quamuis autem propter plurima à Chriſto accepta beneficia, laudes eius iugiter Eccleſia debeat decantare; tamen propter ineffabile Euchariſtiæ Sacramentum immenſum diuini amoris pignus, ſpeciales hymnos, ac ſolennia cantica tenetur modulari; ipſumque amantiſſimum Redemptorem, Paſtorem, ac cibum effectum ſingulari concentu celebrare. Quod ſanè huius operis author ſuadet, dum inquit : *Lauda Ducem & Paſtorem in hymnis & canticis.* Nam ſi gloriam canimus Principis, cuius bonis cumulamur, ac cumulari gaudemus; quibus vocibus, quibus gaudiis, quibuſve labiis Chriſti Domini proprio corpore, ac pretioſo ſanguine Chriſtianos nutrientis, ac nutritos exhilarantis bonitatem, liberalitatem, ac maieſtatem celebrabimus? Laxis ergo omnibus corporum noſtrorum fibris, maximaque cordis noſtri dilatatione hymnos optimo Paſtori, immò ſuauiſſimo pabulo depromamus : ipſaque quâ diuiniſſimo hoc cibo lætitiâ corda noſtra perfunduntur, in ſuum erumpat authorem. *Dediſti lætitiam in corde meo à fructu frumenti, vini & olei*, inquit Propheta *pſal. 4. n. 7. & 8.* quia ſcilicet ex quo corpus & ſanguinem Domini ſub frumenti, ſeu panis & vini ſpeciebus in hoc Sacramento ſumpſimus, diuinæ gratiæ oleo, quo ſpiritualis vita nutritur, impinguati, ſummam lætitiæ voluptatem in cordibus noſtris habemus. Quod Diuus Ambroſius *in pſalm. 4.* ſic tradit : *Data eſt lætitia in corde noſtro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine, oleum in chriſmate.* Cui accedit D. Thomas *3. p. q. 81. art. 1. ad 3.* vbi docet quod *effectus Sacramenti Euchariſtiæ eſt non ſolùm augmentum gratiæ habitualis, ſed etiam quædam actualis delectatio ſpiritualis dulcedinis.* Et ſubdit, quod *quamuis Chriſto gratia non fuerit aucta ex ſuſceptione huius Sacramenti; habuit tamen quandam ſpiritualem delectationem in noua inſtitutione huius Sacramenti.* Ex quibus omni intuenti liquidò conſtat, panem Euchariſticum non ſolùm cor hominis confirmare, ſed etiam lætificare, & ad hymnos Domino concinendos incitare. Vnde quod à Zach. c. 9. n. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, Sacramentum hoc appellatur, non ſolùm electos ſuſtentat, & virgines producit, ſed etiam illos quos virginum puritate induit, etiam incredibili lætitiâ perfundit, & ad exultandum & canendum impellit : nam ex Hebræo aliqui legunt, *Cantare faciens virgines.* Quis enim Chriſtum Dominum veluti panem comedens, & ſanguinem eius tanquam vinum in lætitia bibens, gaudium ſuum continebit? Nemo vtique erit, qui vocem ſuam cohibeat, ſed omnis huius myſterij particeps ſummâ voluptate perfuſus exultabit, & magnis vocibus Dominum collaudabit. Simul enim ac in menſa Domini manducamus, & lætamur, & canimus; & quidem tanto effuſo gaudio, vt dicat Apoſtolus : *Epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5. n. 8. ſeu vt ex Græco elici poteſt, *Saltemus præ gaudio, tripudiemus præ lætitia.* Iuſti ergo, vt Regius Pſaltes loquitur pſal. 67. n. 4. *Epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.*

Propter Euchariſtiam Chriſto debemus encomia.

A quo paſcimur, huic laudes depromamus.

Ambr.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Ab Euchariſtia lætitia in cordibus noſtris effunditur.

D. Thom.

Spiritualis delectatio etiam in Chriſto ab Euchariſtia producitur.

Virgines cantare facit Euchariſtia.

Simul cum Euchariſtia gaudium recipimus.

Saltare facit Euchariſtia.

Nec mirum tibi videatur tantum in hominis 258.
corde ab Euchariſtia gaudium, tantumque tripudium, cùm auguſtiſſimi huius myſterij typus in ſanctiſſimo Dauid non diſſimilem effectum produxerit. Quæ enim veluti in ſinu ſuo tabulas legis, vrnam auream in qua erat manna, & virgam Aaron quæ fronduerat continebat, vt dicitur *Hebr. 9. 4.* Arca Fœderis, Diuinæ vmbra Euchariſtiæ, præſentiâ ſuâ Dauid Regem ſpirituali gaudio ita repleuit, vt illam de domo Obededom in ciuitatem ſuam cùm adduceret, eſſent cum Dauid *ſeptem canentium chori, & victima vituli. Cúmque tranſcendiſſent qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem & arietem, & Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum*, vt legitur 2. *Reg. 6. n. 13. & 14.* Cúmque vxori ſuæ exprobranti Rex piiſſimus reſpondiſſet : *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis ante Dominum qui elegit me : & cum ancillis de quibus loquuta es, glorioſior apparebo*, vt ibidem *n. 22.* dicitur; nonne coram Domino in Arca adumbrato, à quo & ex quo viuimus & ſuſtentamur, exultare, immò & eius ex intimis præcordiis præconia debemus decantare.

Dauid corâ Arca gaudio plenus ſaltauit.

Arca figura Euchariſtiæ.

Sanè exultauit in matris vtero ille pluſquam 259.
Propheta, qui tanquam Solis Lucifer ante Dominum Ieſum orbi illuxit terrarum Ioannes; nec priùs illius alma Parens Mariæ Virginis *Verbo facta, ac Deo plena*, vt loquitur Ambroſius *lib. 2. in Luc. cap. 2.* vocem audiuit, quàm hic exſiliit : *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis*, ait ad Mariam Elizabeth, *exultauit præ gaudio infans in vtero meo*, Luc. 1. n. 44. Tunc quippe lætitiæ exultatione infans *nec ſemetipſum ſentiens, Dominicum ſenſit aduentum*,

Ioannes in matris vtero ſeipſum non ſentiens, Chriſtum agnouit.

vt ait D.Maximus *hom.1. in Natiuit.S. Ioan.Bapt.* Quid ergo Ioannes præſtitiſſet, ſi quem ex vtero in vtero aſpexit, ore & manibus deguſtaſſet, ac ſpeciebus panis & vini obuolutum ſacramentaliter manducaſſet. Ante Chriſtum, impuro jubente Rege, impudentiſſimâ pro impudica matre agente puellâ, Ioannes occiſus eſt, vt habetur *Marci 6. à num.20.* quo tempore nondum Saluator corporis & ſanguinis ſui myſteria celebrauerat, nec Diſcipulis manducanda & bibenda tradiderat: vnde Ioannes qui Chriſtum per gratiam & fidem in corde receperat, indice demonſtrarat, ac propriis manibus baptizarat; eundem in Euchariſtia latitantem, ſacramentaliter nuſquam recepit; tamen hic totus in Chriſti laudes effuſus, non ſolùm exultatione in materno vtero, ſed etiam propriis vocibus exultauit. Vidit enim Ioannes IESVM venientem ad ſe, & ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, &c.* Ioan.1.à num.29. Et in encomiis Chriſti Domini pergens, magnificum ſic ſermonem concludit: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Ioan.1. à num.33.

Nuſquam Ioannes ſumpſit Euchariſtiam.

260\. Feliciores Ioanne quodámodo Chriſtianos profectò dixerim. Diuino enim corporis Chriſti Sacramento reficiuntur, ipſumque ſanitatis & gratiæ Authorem, & ſacramentaliter & ſpiritualiter valent manducare. Quam ergo animæ iucunditatem ac cordis lætitiam tanto cum cibo recipient? Si enim Mariæ Chriſtum in vtero geſtantis vox aurem matris replens, infantem eius gratiâ locupletauit, & exultatione commouit; quid non præſtabit non ſolùm Mariæ, vel Chriſti Domini verbum, ſed proprium & verum Chriſti Domini corpus, animâ ſuâ viuificatum, & adorando diuini Verbi ſuppoſito ſuſtentatum? Si gratia Mariæ voce in aurem Elizabeth, & ab illa veluti per organum in Ioannem effuſa, cor eius adeo lætificauit, vt exſiliret in vtero; quid non præſtabit totius gratiæ fons ac ſanctitudinis, cum Chriſto ſanctitatis authore in os & animam Chriſtiani panem diuinum manducantis effuſus?

Chriſtiani Euchariſtiã ſumentes Ioanne feliciores.

Ideo exultare in Chriſtũ & laudare debent.

261\. Hinc eſt, quod *ſupra firmam petram* ædificata, etiam exultatione ſacroſancta fundatur Eccleſia: nec propterea diuerſo ſtabilita eſt fundamento; idem enim Chriſtus Dominus, qui lapis eſt angularis, pretioſus, & electus, vt paſſim in ſacris literis *Eph.*2. 20. 1.*Pet.* 2.6. appellatur, totius orbis lætitia cùm ſit, ac deſiderium, in ſe ſuam, firmiſſimo veluti fundamento, Eccleſiam ædificauit. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion*, ait Propheta, *pſalm.47. verſ.* 3. quia Chriſtianorum Eccleſia, quæ meritò montis Sion inſignitur vocabulo, vt ſuprà fusè oſtendimus, ſpirituali Sacramentorum lætitiâ, in Chriſto Domino ſtabilita, perpetuò gaudet & exultat. Quod rectè D. Ambroſius obſeruans: *Benè*, inquit, *radicatâ exultatione lætamur, qui exultamus in Chriſto.* Seculi enim lætitia temporalis eſt; perpetua autem lætitia eius, qui gaudet in Domino. Etenim cùm perpetuum ſit Eccleſiæ fundamentum, ac perpetuò non ſolùm Eccleſiam, vt immobilis eius baſis, ſuſtentet; ſed etiam vt Caput ſapientiſſimum dirigat; immò vt Paſtor optimus, & pabulum ſuauiſſimum, paſcat; ingenti ac perpetuo illam gaudio conſolatur.

Chriſtus lapis angularis & fundamẽtum Eccleſiæ.

Eccleſia gaudio & exultatione fundata.

D. Ambroſ.

Lætitia in Chriſto perpetua: in ſeculo vana.

Firmitatem ergo, ac ſummam Eccleſiæ lætitiam, quæ ab eius oriuntur fundamento, ſacra in Euchariſtia conſpice. Illam ſanè fundamentum Eccleſiæ, ac Caput, Chriſtum Dominum veraciter continere, cùm nemo Catholicorum ambigat, ab illa omnes fundamenti & Capitis effectus in hanc deriuari neceſſum eſt. Sed audi maiora. Totius Eccleſiæ fundamentum ipſa quodammodo dici poteſt Euchariſtia, ac totius Chriſtianæ Religionis veluti compendium. Nam cùm ad humanam ſalutem Sacramenta neceſſaria ſint, inquantùm ſunt quædam ſenſibilia ſigna inuiſibilium rerum, quibus homo ſanctificatur: cúmque poſt peccatum nullus ſanctifiari poſſit, niſi per Chriſtum, quem *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, vt dicitur *Rom.* 3. 25. vnde ſicut antiqui Patres ſaluati ſunt per fidem Chriſti venturi, ita & nos ſaluamur per fidem Chriſti jam nati & paſſi; ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentatiuum Dominicæ paſſionis, cuius in Veteri Teſtamento præcipuum Sacramentum erat Agnus Paſchalis. Vnde & Apoſtolus dicit 1. Cor. 5. n. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Succeſſit autem ei in Nouo Teſtamento Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt rememoratiuum præteritæ paſſionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ, vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 73. *art.* 5. Supra Chriſtum igitur paſſum pro omnibus hominibus, & in fide huius ſanctiſſimi Redemptoris tota ſtabilitur Eccleſia; quæ illius irrigatur ſanguine, paſſione mundatur, & gratiâ perficitur, Sacramentorum miniſterio, quæ tanquam vaſa ſacra, ac diuina quædam organa nobis Chriſti ſanguinem, paſſionem, ac gratiam infundunt. 262.

Firmitas & lætitia Eccleſiæ in Euchariſtia cõtinentur.

Euchariſtia Chriſtianæ Religionis compendiũ.

Sacramenta Eccleſiæ neceſſaria.

Nullus niſi per Chriſtũ ſaluatur.

Agnus Paſchalis in Veteri, & Euchariſtia in Nouo Teſtamẽto Chriſti paſſionẽ repræſentãt.

D. Thom.

Verùm præcipuum omnium legis Euangelicæ Sacramentum diuiniſſima cenſetur Euchariſtia. Primò quidem, quia in illa continetur ipſe Chriſtus ſubſtantialiter; in aliis autem Sacramentis continetur quædam virtus inſtrumentalis participata à Chriſto, nempe gratia ſecundùm eſſe fluens & incompletum. Illud autem quod eſt per eſſentiam, nobilius eſt eo quod eſt per participationem. Secundò, quia cætera Sacramenta ad Euchariſtiam vt ad finem, ordinantur: nam Sacramentum Ordinis ad Euchariſtiæ conſecrationem ordinatur; ſicut Sacramentum Baptiſmi ad Euchariſtiæ receptionem. Similiter per Confirmationem aliquis perficitur, vt non vereatur ſe ſubtrahere à tali Sacramento. Per Pœnitentiam etiam & Extremam-vnctionem homo ad dignè ſumendum corpus Chriſti præparatur. Matrimonium inſuper ſaltem ſuâ ſignificatione hoc Sacramentum attingit, inquantum ſignificat coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ; cuius vnitas per Sacramentum Euchariſtiæ figuratur: vnde & Apoſtolus dicit Epheſ. 5. n.32. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Tertiò, quia ex ritu Sacramentorum ferè *omnia Sacramenta in Euchariſtia conſummantur*, vt aduertit D. Dionyſius *cap.* 3. *Eccleſiaſt. Hierarch.* ſicut patet quod ordinati communicant, & etiam baptizati, ſi ſint adulti. Quæ omnia deſumpſimus ab Angelico Præceptore 3.*p.q.*65.*art.*3. 263.

Omnium Sacramentorum præcipuum eſt Euchariſtia.

1\. Quia continet Authorem gratiæ.

2\. Quia eſt finis omniũ Sacramentorum.

3 Quia perficit omnia Sacramenta.

D. Dionyſ.

Cæterùm

264. Cæterùm licèt Baptiſmus neceſſitate cætera ſuperet Sacramenta, ſicut ea etiam Diuina Euchariſtia dignitate præcellit: tamen ſacro ſuſcepto Baptiſmate, ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt omnibus tanti Sacramenti, ſaltem in voto, vt loquuntur Theologi, manducatio. Quod & diuinum Chriſti nos docet oraculum Ioan. 6. num. 54. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et teſtimonium ſuadet Auguſtini *lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 22. tom. 7.* vbi inquit: *Nec illud cogitetis, paruulos vitam habere non poſſe, qui ſunt expertes corporis & ſanguinis Domini: quia ſcilicet quamuis non recipiant ſacramentaliter corpus Chriſti, tamen recipiunt rem Sacramenti, & gratiam ex voto ipſius.* Quod quidem votum, ſeu deſiderium percipiendi Euchariſtiam pueri baptizati poſſunt habere, quamuis nequeant votum habere Baptiſmi, ſed tantùm ſacramentaliter primùm, & ſimul ſpiritualiter Baptiſmum accipere. Cùm enim, ſicut tradit Angelicus Doctor 3. *p. q.* 73. *art.* 3. per Baptiſmum ordinetur homo ad Euchariſtiam, hoc ipſo quòd pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad hoc diuiniſſimum Sacramentum: & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam: & per conſequens recipiunt rem ipſius: at ante ſuſceptionem Baptiſmi non habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: vnde rem Sacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti.

Baptiſmus neceſſitate, & Euchariſtia dignitate ſuperat omnia Sacramenta.

Euchariſtia debet ab omnibus, ſaltem in voto recipi.
D. Auguſt.

Pueri nequeunt habere Baptiſmum in voto, ſed Euchariſtiam, ſcilicet per votum totius Eccleſiæ cuius ſunt membra per Baptiſmum.
D. Thom.

265. Nam cùm Baptiſmus ſit principium ſpiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum, puer carens in ſe vſu rationis & deſiderio, nequit per aliud Sacramentum Baptiſmum præcedens, ad Baptiſmum ordinari, & ipſum Baptiſmum in voto recipere. Cùm autem Euchariſtia ſit quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis; nam per ſanctificationes omnium Sacramentorum ſit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam Euchariſtiam; ideo pueri baptizati poſſunt habere eam in voto, ex deſiderio totius Eccleſiæ; ſicut & finis habetur in intentione & deſiderio. Quod eleganter D. Auguſtinus expreſſit epiſtolâ ad Bonifacium, & refertur *de conſecr. diſt. 4. cap. Nulli*, vbi ait: *Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque Fidelium corporis, ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in Baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur; nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſeculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.*

D. Auguſt.

Tunc quilibet Fidelis ſpiritualiter recipit corpus Chriſti, quando per Baptiſmum fit membrũ corporis eius.

266. Cùm igitur Authorem, Sponſum & Caput Eccleſiæ in ſe contineat ineffabile Euchariſtiæ myſterium; cùm eius paſſionem totius orbis expurgationem iugi memoriâ repræſentet, cætera Sacramenta dignitate ſuperet, ac tanquam ſanctitatis conſummatio ab omnibus Chriſticolis ſtatim poſt Baptiſmum, ſaltem ex voto & deſiderio ſuſcipiatur; nonne totum Eccleſiæ fundamentum, immò vniuerſæ Fidei Chriſtianæ compendium, in tanto beneficio continetur. Nuſquam igitur poſt paſſionem Chriſti ſine Euchariſtia Fidelium Eccleſia fuit; & cum Euchariſtia turba Fidelium creuit & aucta eſt. Sicut enim olim electæ gentis Iſraëliticæ caput benedictionem ab Iſaac patre ſuo accepit, quâ *frumento & vino ſtabilitum* eſt, vt legitur *Gen.* 27. *n.* 37. ita gentium populus in fide Chriſti ad Eccleſiam conuocatus, corpore & ſanguine Domini ſub frumento, ſeu pane & vino, ſeu vtriuſque ſpecie deliteſcentibus ſtabilitus, roboratus eſt, ac lætificatus. Ab hoc enim adorando myſterio, quod ſub ſymbolorum tegumine manducatur, robur ſuſcipit & gaudium. Panis enim qui in carnem vertitur Chriſti, *cor hominis* à Pſalmiſta pſal. 103. 15. *confirmare* dicitur: & *vinum*, quod in Redemptoris ſanguinem tranſmutatur, juxta eundem ibid. *cor hominis lætificat*. Ad quod alluſit D. Thomas in hymno pro Matutino feſtiuitatis ſanctiſſimi huius Sacramenti, vbi ſignorum virtutes rei ſignificatæ, nempe corpori & ſanguini Chriſti attribuens, ſic cecinit:

Nuſquam Chriſtianorum Eccleſia ſine Euchariſtia, nec ſine ſpirituali gaudio.

Chriſtianus populus fortitudine, & gaudio ſtabilitur myſterio corporis & ſanguinis Chriſti.

Sicut panis, ita & corpus Chriſti firmitatem: ſicut vinum, ita ſanguis Chriſti lætitiam tribuit.

Dedit fragilibus corporis ferculum;
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum.

Ac ſi diceret, Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ſupra firmam petram, ac ſupra ſpiritualem exultationem ædificans, debiles in ea confortaturus, corpus ſuum veluti panem viuum, ac de cœlo deſcendentem in cibum; & mœſtos conſolaturus, ſanguinem ſuum, veluti vinum ſuauiſſimũ, in poculum admirabili diſpenſatione donauit.

Tantis itaque Eccleſia paſta deliciis, firmitate donata eſt ac lætitia: illa fortis euaſit ac fœcunda; iſta exultauit, & gratias egit. Duo hæc ſimul præſtitit; nam & Paſtorem ſuum laudauit, laudando gratias egit, & gratias agendo plurimos filios procreauit, ac terminos ſuos vſque ad orbis terrarum fines dilatauit. Sic Eccleſiæ naſcenti accidit; & licet adhuc velut in cunabulis, Apoſtolis eius veluti parentibus inter viros agentibus, vagiret; tamen quia corpus Domini manducabat, firma ſemper & exultans laudes Domini modulabatur, eiuſque prolis numerus quotidie augebatur. Nam vt habetur *Act.* 2. *à n.* 44. omnes qui credebant, *erant quotidie perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui ſalui fierent quotidie in idipſum* 267.

Firmitate Eccleſia fœcunda, & lætitiâ grata euaſit.

Primi Chriſtiani laudãtes & canentes ſumebãt Euchariſtiã.

268. Vides igitur Eccleſiam ab exordio ſumma cum exultatione ac cordis puritate Dominici corporis Sacramentum frequentare. Vides hymnos & cantica, quibus Chriſtum Paſtorem, ac pabulum optimum collaudabat. Si ita antiqui exultauerunt, cecinerunt, ac gratias egerunt, eorundem veſtigiis inhærentes, ante ſacram Euchariſtiam exultemus, & cantica modulemur. At non ſolùm Fideles tanto munere vegetati lætati ſunt, & cecinerunt. Ipſe Dominus, qui corpus & ſanguinem ſuum Eccleſiæ amantiſſimæ Sponſæ dereliquit, ad tantum Sacramentum gauiſus eſt, & exultauit, immò & canticum cecinit. Cùm enim longo temporis interuallo diem huius myſterij peroptaſſet, & flagrantiſſimo deſiderio ſeipſum ſub ſpecie cibi manducandum appetiiſſet, vt ex illius ſermone Luc. 22. n. 15. *deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum*, apertè colligitur; tanto gaudio, tantâque lætitiâ deſiderium ſuum dum huius Sacramenti inſtitutione ac ſumptione compleuit, cor illius repletum eſt, vt in voces ſuauiſſimas totus effuſus, etiam canticum cecinerit. Quod Matthæus annotauit c. 26. *num.* 29. vbi poſtquam Euchariſtiæ inſtitutionem commemorauit, ſtatim de Chriſto loquens, ait: *Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti.* Vnde ſi

Chriſtus ſui corporis cõmunione exultauit, & hymnum cecinit.

Chriſtiani Chriſtũ imitantes debẽt canere, dum corpus Chriſti ſumunt.

Chriſtus ingenti præ gaudio ad tantum cecinit Sacramentum; ſi Chriſtum ſequentes, etiam Apoſtoli cecinerunt, debemus & nos hymnos canere, & tanto myſterio cantica conſecrare.

269. Quapropter qui quotidie diuina myſteria frequentabant primi Chriſtianæ Fidei profeſſores, non ſolùm diurnas, ſed etiam nocturnas & antelucanas Chriſto Domino canticis laudes offerebant. Vnde Plinius junior *in epiſtola ad Traianum*, nullam aliam in Chriſtianis notauit culpam, præterquam quod *ſuo Chriſto antelucanos canebant hymnos*. Qui ſanctiſſimos ac æquiſſimus mos, etiam à ſanctis Veteris Teſtamenti Patribus deriuatus, vt de ſeipſo profitetur Regius Vates pſalm. 118. n.6. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Et ibid. n. 148. *Præueni in immaturitate* (vt legunt aliqui) *& clamaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua*: ad noſtra peruenit tempora, quibus in Templis, vbi ſacroſancta ſeruatur Euchariſtia, ſeptem vicibus, horis nocturnis pariter & diurnis pſalmi, hymni, cantica ad gloriam & laudem amantiſſimi Redemptoris regulariter decantantur. Quod quidem à maioribus noſtris ſancitum conſtat, vt ſemper tantum myſterium Eccleſiæ jubilatione colatur, & pro immenſo beneficio iugis gratiarum actio rependatur.

Primi Chriſtiani ante lucē hymnos Chriſto canebant. *Plin. Iun.*

Septies in die in Templis coram corpore Chriſti pſalmos & hymnos canunt Clerici & Religioſi.

270. Verùm enimverò non eodem ritu in Templis Deo ſacris laudes Dei canendo ſemper celebrauit Eccleſia. Primùm enim vno cantica ſeu pſalmos inchoante miniſtro, cæteri omnes indiſtinctè, etiam longo temporis interuallo, vnâ veluti voce proſequebantur. Deinde Beato Ignatio Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo, & Ioannis dilecti Domini Diſcipulo jubente, alternis vocibus, vna parte Chori pſalmi verſiculum decantante, & alterâ ſequentem eiuſdem pſalmi verſiculum proſequente, Antiochena primùm Eccleſia diuina encomia cecinit, vt Angelos quos alternatim laudare Deum Ignatius audierat, Chriſtiana plebs ſuis modulis imitaretur. Quod deinde ad plurimas Orientis Eccleſias propagatum, ad Romanam, & omnes Occidentales Eccleſias delatum, ab omnibus Damaſo Papa mandante, vt refert Guiliel. Durand. *in Rational. diuin. Offic. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 36. receptum eſt, vt Chori in duas partes diuiſi pſalmos canerent alternatim.

Olim vno inchoante hymnon cæteri ſimul proſequebātur.

Ignatius Ep. Ant. alternis vicibus pſalmos canere fideles docuit.

Socrates *lib.* 6. *c.* 8. & Nicephor. *lib.* 13. *c.* 8.

Hoc præcepit Damaſus Papa.

271. Hymnos autem, qui nihil aliud quàm laudem Dei cum cantu ſonant, etiam ab initio ſancta habuit Eccleſia. Paulus enim *ad Coloſſ.* 3. *n.* 16. inquit: *Docentes & commonentes voſmetipſos in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Vbi Apoſtolus modum laudandi Deum Fideles docet. Et D. Dionyſius Areopagita *cap.* 4. *de diuin. nomin.* teſtatur Hierotheum ſummæ perfectionis virum, qui feliciſſimo Deiparæ tranſitui interfuit, ſacros ad laudem Dei hymnos ediſſe. Vnde intrepidus ille Chriſti Diuinitatis contra Arrianos propugnator, Hilarius in Aquitania Pictauorum Epiſcopus, hymnos Eccleſiam Gallicanam docuit: & acerrimus, ſtrenuiſſimuſque Fidei Chriſtianæ defenſor Ambroſius in Eccleſia ſua Mediolanenſi, impiâ in Catholicos ſæuiente Iuſtinâ Auguſtâ Arriana perfidia maculatâ, vt plebem Catholicam, quæ cum illo intra Templi parietes perſequutionibus vexabatur, & vaferrimæ Reginæ inſidiis vrgebatur, aliquantulum recreare cupiens, hymnos inſtituit, & pſalmos more Orientalium alternis vocibus decantari voluit, vt refert D. Auguſt. *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 7. ipſeque Doctorum omnium aquila Auguſtinus *in* 3. *Regula*, quos ad normam vitæ Apoſtolicæ inſtituit Clericos, eos pſalmos & hymnos in orationibus decantare docet, dum ait: *Pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.*

Semper hymnos habuit Eccleſia.

Hierotheus hymnos cōpoſuit

D. Dion.

Hilarius in Gallia hymnos canere docuit.

Ambroſius Mediolani hymnos edidit & cecinit vt populum afflictum recrearet.

Ex quibus hymnos in Eccleſia Dei antiquiſſimos eſſe conſtat. Vnde tā ex inſtitutione Gelaſij Papæ, quàm ex approbatione Conciliorum Toletani IV. & Agathenſis *de conſecr. diſt.* 1. *de hymnis*, & *diſt.* 5. conuenit vt in ſingulis Diuinis Officiis hymni canantur. Immò ex Concilio Toletano in eos qui hymnos rejiciunt, anathema pronunciatur: nam *can.* 12. habetur: *Excommunicatione plectendi ſunt, qui hymnos rejicere fuerint auſi.* Siquidem, & ad Dei gloriam, & ad Eccleſiæ ſanctitatem procurandam hymni ſunt accommodatiſſimi. Cùm enim, vt docet Ariſtoteles 8. *Politic. cap.* 5. 6. *&* 7. & Boëtius *lib.* 1. *de Muſica, cap.* 1. ſecundùm diuerſas melodias ſonorum animi hominum diuerſimodè diſponantur, quod ipsâ experientiâ comprobatum eſt; nam Alexander ille Macedonum Princeps tibiæ cantu incendebatur: dum enim Timotheus tibicen bellicum canebat, ita rapiebatur, vt eodem veſtigio ad arma proſiliret: & Sozomenus *lib.* 7. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 23. refert quod Theodoſium Imperatorem itá percitum cantus ſerenauit: imò Doctor Angelicus *lib.* 4. *de regim. Princip. cap.* 21. de Pythagora loquutus: *Tradit*, inquit, *Tullius de ipſo, quod quibuſdam harmoniis vitia in hominibus extinguebat luxuria. Vnde dicit, quod Tauronimitanum juuenem quemdam libidine flagrantem, cùm audiuiſſet Pythagoras ad oſtium amicæ meretricis inſanire, juſſit pſalterium ſpondæum canere, & ſic eum ad ſanam mentem reuocauit*; proinde pſalmorum & hymnorum melodiâ & concentu prauæ animorum paſſiones ſopiuntur, cordium durities emollitur, deuotio excitatur, & amor diuinus accenditur. Quod agnouit D. Auguſt. qui *lib.* 10. *Confeſſ. c.* 6. inquit: *Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis aſſurgat.* Quod etiam docuit Auguſtini ſecundùm ſpiritum parens Ambroſius *præfat. in pſalmos*, vbi ait: *Pſalmus canitur, & ipſa etiam ſaxoſa pectora molliuntur. Videmus flere praduros, flecti immiſericordes.* 272.

Concil. Tolet. & Agathenſe hymnos canere præcipiunt.

Qui hymnos rejiciunt ſunt excommunicandi.

Melodia animū mutat.

Alexander tibiæ cantu accenditur.

Theodoſius cantu placatur.

D. Thom.

Impudicum adoleſcentē à petulantia melodia reuocat.

Corda dura emolliuntur Eccleſiæ cantu.

D. Auguſt.

D. Ambr.

Quod quidem quamuis plurimis acciderit, qui Eccleſiæ vocum harmoniâ commoti, obſcœnis ſpretis voluptatibus, ad meliorem frugem redacti ſunt; tamen vnius Auguſtini celebris per cantum Eccleſiaſticum ad fidem & pietatem promotio Chriſtianæ ſymphoniæ virtutem maximè commendat. Vt enim ille de ſeipſo teſtatur, recens baptizatus Eccleſiæ concentu vehementer commotus, ad fletum & cordis compunctionem vrgebatur. Ipſum *lib.* 9. *Conf. c.* 6. audi Deum ſic alloquentem: *Quantùm fleui in hymnis & canticis ſuaueſonantis Eccleſiæ vocibus commotus veriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Vbi certè Auguſtinum gratiæ diuinæ potentiâ, ac diuino ſuccurrente Ambroſij ore ſermone è tenebris erutum, & ad Chriſtianæ Fidei lucem tranſlatum, in regione viuorum & ad virtutes promotum, & ad pias lacrymas excitatum diuino Eccleſiæ concentu videmus. 273.

Auguſtinus per cantum progreditur in virtutes.

Flet vbertimè.

Harmonia Agamemnonis vxorem caſtam cuſtodiuit.
Homer.

mus. Planè non mirum hoc cenſeatur; cùm quid mirabilius harmoniâ quadam merè naturali patratum humanæ literæ prodant. Agamemnon enim, vt refert Homerus *lib. 3. Odyſſea*, Troiam profectus, vxorem ſuam viro ſingulariter muſico commiſit, qui eam non armis, ſed cantibus ab adulteriis tueretur. Quo viuo egregiè propugnata fuit; ſed mortuo facilè expugnata. Cuius tamen rei fides ſit apud authorem, dum apud nos ſacri concentûs, firmiſſimi contra vitia veluti præſidij, veneratio eſt non parua.

D. Thom.
Cantus neceſſarius eſt in Eccleſia ad canentes & audientes ad deuotionem excitandos.

274. Vnde D. Thomas 2. 2. *q.* 91. *art.* 1. rectè obſeruat, laudem Dei ore, quæ hymnis & canticis adimpletur, neceſſariam eſſe; non quidem propter Deum, qui noſtrorum eſt inſpector cordium, & cui non noſtros, vt illos cognoſcat, debemus manifeſtare conceptus; ſed vt nos ipſos, & alios audientes, ad Dei reuerentiam inducamus: noſter enim maximè excitatur affectus in Deum ex laude ipſius, ſecundùm illud pſalmi 49. n. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Inquantum enim homo per diuinam laudem affectu aſcendit in Deum, intantum per hoc retrahitur ab his quæ ſunt contra Deum, iuxta illud Iſai. 48. n. 9. *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Et illud pſalmi 74. n. 10. *Cantabo Deo Iacob, & omnia cornua peccatorum confringam.* Potiùs namque cantando, quàm dimicando hoſtium ſpiritualium cunei confringuntur & diſſipantur, & tandem diuino concentu audientium affectus in Deum prouocatur; vnde *pſal.* 33. *n.* 2. dicitur: *Semper laus eius in ore meo.* Et poſtea ſubditur: *Audiant manſueti, & lætentur: magnificate Dominum mecum, &c.*

A vitiis liberat.

275. Ex quibus omnibus Eccleſiæ prouidentiam liceat admirari; nam vt ſimul Fideles erga Deum de tanto in Euchariſtia conceſſo beneficio gratos hymnorum & canticorum concentus exhibent; ita etiam illos à vitiis remouet, & omni virtutum genere illuſtrat, dum illis præcipit, vt Dominum IESVM paſtorem verum, ac pabulum modulis & hymnorum ſuauitate proſequantur.

SECTIO III.

Ab illis Chriſti Fidelibus, qui in Purgatorio patiuntur, ipſe Dominus IESVS *laudes recipit.*

Mirum eſt animas igne torqueri, & tamen torquentē laudare.

276. ARduum eſt quod aggredior; immò nouum planè & inauditum. Quis enim credet animas è ſeculi turbinibus ereptas, in ſuperiori inferorum regione obſcuriſſimo veluti carcere detruſas, diuinâ in eas agente iuſtitiâ, acutiſſimis flammarum cruciatibus vehementer afflictas, æquiſſimi, cuius iuſſu torquentur, Iudicis alacriter laudes depromere, ipſique carmina modulari? Et tamen hoc eſt, quod modò exponendum ac illuſtrandum ſuſcipio. Quod vtique non ſine maximo è ſacris Literis deſumpto fundamento præſtabo. Vt autem Lectoris intellectus omni ex parte adductæ propoſitionis veritatem faciliùs aſſequatur, loci Purgatorij exiſtentiam, vbi animæ iuſtorum ad minimos defectus purgandos detinentur, priùs probabimus. Deinde encomia Chriſti ab animabus flammarum ardoribus cruciatis celebrari ſuadebimus.

§. I.

Purgatorij veritas ſtabilitur.

CONtra Nouatores & cæteros, qui Purgatorium negare auſi ſunt hæreticos in arenam deſcendo: illis omnibus bellum indico, non enſe, nec calamo tantùm pugnaturus, ſed ſacrarum literarum teſtimoniis, Chriſti Domini oraculis, Conciliorum definitionibus, & Sanctorum Eccleſiæ Patrum ſententiis decertaturus. 277.

Datur Purgatorium, vt in eo poſt mortem pro pœna temporali fiat ſatis, & peccatū veniale conſumatur.

Dico igitur, quod quia ſæpè per contritionem deletâ culpâ non tollitur omnino reatus pœnæ, nec ſemper peccata venialia, dimiſſis mortalibus, tolluntur; ideo oportet quod ille qui poſt contritionem de peccato & abſolutionem decedit ante ſatisfactionem debitam; vel qui habens quædam peccata venialia moritur, poſt hanc vitam puniatur, vt vel peccatorum venialium remiſſionem obtineat, vel diuinæ iuſtitiæ pro reatu pœnæ omnino ſatisfaciat. Sed quia animæ Fidelium à corporibus ſeparatæ, quæ vel pro pœna temporali diuinæ iuſtitiæ faciunt ſatis, vel minimos & veniales defectus purgant, debent alicubi reperiri, hinc eſt quod locus in quo veluti recluduntur, Purgatorij nomine inſignitur. Hic autem patiendi & purgandi locus, vt docet Angelicus Doctor *in 4. diſt.* 21. *q.* 1. quæ in ſupplemento tertiæ eius partis eſt centeſima, *art.* 2. ſecundùm legem communem & ordinariam eſt locus inferior, inferno coniunctus, ſeu ſuperior inferni pars, vbi eodem igne damnatus cruciatur, & iuſtus purgatur: ſed ſecundùm diuinam diſpenſationem in aliis diuerſis locis aliqui puniri leguntur; vel ad viuorum inſtructionem, vel ad mortuorum ſubuentionem, vt viuentibus eorum pœna innoteſcens, per Eccleſiæ ſuffragia mitigetur. Vnde D. Gregor. *lib. 4. dialog.* narrat, quod Germanus Capuanus Epiſcopus, Paſchaſium qui in balneis purgabatur, inuenit. Et Bloſius in Monili ſpirituali, *cap.* 13. refert ex reuelationibus Sanctæ Birgittæ, in altera vita eſſe quoddam Purgatorium, in quo detinentur & torquentur qui ex hac vita emigrant ſine perfecto deſiderio videndi Chriſtum, eiuſque præſentiâ fruendi. 278.

D. Thom.
Duplex Purgatorij locus. Regularis eſt in ſuperiore parte inferni.
Extraordinarius alibi, ſecundum diſpēſationē diuinam.
Greg. Mag.
Speciale Purgatoriū pro iis qui non deſiderant Chriſtū videre.

Inſignia ſunt Scripturæ ſacræ teſtimonia, quibus Purgatorij exiſtentia ſtabilitur, ex quibus celebriora adducere licet. Primum erit illud Chriſti Domini, Matth. 12. n. 32. *Quicumque dixerit verba contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Ex quibus verbis apertè colligitur, quod aliqua peccata remittuntur in futuro, & poſt hanc vitam; venialia quidem quoad culpam, & mortalia quoad pœnam. Vnde D. Thom. *q.* 100. *citatā*, adducit in argumento *Sed contra*, D. Gregor. *lib. 4. dial. c.* 39. & D. Auguſtin. *lib.* 21. *de Ciuit. c.* 24. dicentes, quod *quædam culpæ leues in futuro remittuntur.* Cùm autem peccata nequeant remitti in inferno damnatorum, vbi nec gratia, nec charitas reperiuntur; neque etiam in cœlo, vbi nihil peccato obnoxium poteſt introïre, vt conſtat ex plurimis Scripturæ locis, & communi omnium conſenſu; debet eſſe alius locus, qui eſt ipſum Purgatorium, in quo præfata peccata dimittantur, & animæ ab ipſis liberentur, vt ſic 279.

Ex verbis Chriſti patet aliquod peccatū remitti in futuro ſeculo in Purgatorio, non in inferno.
D. Thom.

a

à delictis omnino purgatæ, Regna cœleſtia poſſint penetrare.

278. At Chriſti Domini, Magiſtri optimi optimus Diſcipulus veſtigia ſequutus Paulus eius Apoſtolus, idem protſus tradit diuerſis verbis 1. Cor.3. n.12. *Si quis*, inquit, *ædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque, qualis ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Vbi Apoſtolus juxta D. Auguſtinum *lib.21. de Ciuit.Dei, c.26.* per lignum, fœnum, & ſtipulam peccata venialia igne Purgatorij conſumpta intelligit: & concludit, ſed *quia dicitur, ſaluus erit quaſi per ignem, contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Sic Auguſtinus. Cuius verbis liceat addere particulam illam, *quaſi*, ab Apoſtolo adductam, dum inquit: *Saluus erit; ſic tamen quaſi per ignem*, nec veritatem, nec virtutem ignis diminuere; immò potiùs juxta Scripturæ vſum, maiorem & perfectiorem eius actionem denotare. Quod euidenter oſtenditur ex alia huius particulæ à Scriptura vſurpatione: nam dum *Ioan.5. n.14.* de Chriſto Domino dicitur, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, &c.* per ly *quaſi*, non intendit Scriptura filiationem veram, realem & naturalem Verbi carne induti, vel infringere, vel minuere: quinimò cùm ſuperiùs eodem capite Euangeliſta generationem Verbi Diuini, eius Diuinitatem, Maieſtatem, æternitatem, omnipotentiam, & cæteras perfectiones eleganter expreſſerit, ad eius Incarnationem veniens, illam verbis diſertis & propriis deſcripſit, dicens: *Et Verbum caro factum eſt.* Moxque ſubdit: *Et habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, &c.* non vt per ly, *quaſi*, veritatem vnicæ filiationis & Diuinitatis infirmet in Chriſto, ſed vt potiùs confirmet; idem enim eſt, ac ſi diceret, *vidimus gloriam eius, gloriam verè Vnigeniti à Patre.* Nam in naturæ humanæ infirmitate Diuinitatis maieſtatem ſeruauit Chriſtus; & qui verus Mariæ, ſeu hominis apparuit filius, idem refulſit Deus, ac verus, vnigenituſque Dei Filius; ſplendor enim eſt gloriæ, & perfectiſſima Dei Patris imago. Dum igitur Apoſtolus 1. *Cor.3.* inquit, quod ille qui peccata venialia habet poſt hanc vitam, *ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem*, per illam particulam, *quaſi*, non ignem fictitium, & tantùm apparentem, ſed verè realem, & verum denotat; quinimò per ly, *quaſi*, morem ſacræ ſeruans Scripturæ, realitatem, veritatem & virtutem potentiſſimi ignis demonſtrat; idem enim eſt, ac ſi diceret, Saluus erit, tamen verè per ignem, prout ille ignis verè vrens peccata, & ſoluens veluti vincula, quibus animæ in Purgatorio detinentur, eas liberas ſinit, & cœleſtia regna facilè penetrare concedit.

Ex D. Paulo Purgatoriū probatur.

Per ligna, fœnum, & ſtipulam venialia intelliguntur.

D. Auguſt.

Ignis purgatorij grauiſſimus.

Particula *quaſi*, ab Apoſtolo adducta, non minuit, ſed confirmat veritatem & virtutē ignis purgatorij.

Chriſtus quaſi vnigenitus, id eſt verè & propriè vnigenitus.

279. Ignis enim Purgatorij minima delicta conſumens, Fidelium animabus veluti quidam ſpiritualis Baptiſmus confertur. Quod eleganter D. Ambroſius proſequutus eſt *ſerm. 3. in pſal. 118.* vbi de Igne purgatorio ſic loquitur: *Eſt etiam Baptiſmum in paradiſi veſtibulo, quod antè non erat, ſed poſteaquam peccator excluſus eſt, cœpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, quæ antea non erat, quando peccatum non erat. Culpa cœpit, & Baptiſmum cœpit, quo purificemur qui in paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent: Tranſiuimus per ignem & aquam. Hic per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata; per ignem, vt exurantur.* Et poſt pauca, vt quæ dixit Scriptura corroboret, adducit verba Præcurſoris, Matth.3. n.11. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.* Et *ſerm. 20. in eundem pſal.* 118. idem Ambroſius ait: *Caue ne ligna, caue ne ſtipulam ad judicium Dei deferas, quæ ignis exurat. Caue ne cum in vno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus deferas quod offendit. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur; poteſt tamen & ipſe per ignem ſaluari.* Vnde colligitur, quia idem homo & ſaluatur ex parte, & condemnatur ex parte. Ambroſio connectamus D. Hieronym. qui in cap. 3. Matth. vocat purgatoriam pœnam *Baptiſmum ignis, quo baptizabimur in futuro ſeculo.*

Baptiſmus ignis in purgatorio.

D. Ambr.

Idem Chriſtianus ſaluatur ex parte, & ex parte condēnatur, dum eſt in purgatorio.

D. Hieron.

280. Tertium his adjicio Scripturæ teſtimonium, & legitur *Matth. 5. n. 25.* vbi Chriſtus Dominus inquit: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo; ne fortè tradat te aduerſarius Iudici, & Iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Vbi juxta D. Ambroſ. in cap. 12. Lucæ, *Aduerſarius eſt ipſe Deus*, cui peccatis aduerſamur; Iudex Chriſtus eſt, cui *Pater omne judicium dedit*, vt dicitur *Ioan.5. 22.* miniſtri ſunt *Angeli, qui exibunt, & ſeparabunt malos de medio juſtorum*, vt dicitur *Matth.13. 49.* & appellantur *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, &c.* Hebr. 1. 14. Carcer eſt ipſe Purgatorij locus, ex quo nemo niſi poſt ſolutionem nouiſſimi quadrantis egredietur, id eſt, niſi poſtquam ignis ardore purgatus Deo perfectè ſatisfecerit. Vnde Ambroſius alludens ad quadrantem, qui olim à ſingulis ad balnea accedentibus ad abluenda corpora ſoluebatur, ſolutionem nouiſſimi in illo Purgatorij carcere quadrantis, commiſſorum delictorum pœnarum tolerantiâ expiationem exiſtimat. Sic enim habet loco jam citato in Lucam: *Quadrantem autem in balneis dari ſolere reminiſcimur, cuius oblatione vt illic vnuſquiſque lauandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi; quia vniuſcuiuſque peccatum ſupraſcripto genere conditionis eluitur, cùm tamdiu exercetur noxius pœnis, vt commiſſi ſupplicia erroris expendat.* Nec diſſimili modo præfatum Matthæi locum exponit D. Cyprianus, dum *epiſt.52.* ſcribens ad Antonianum, ait: *Aliud eſt, miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem; aliud, ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud, pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud, peccata omnia paſſione purgaſſe.* Quibus aliorum, tum Græcorum, tum Latinorum Sanctorum Patrum ſimiles expoſitiones, quibus apertè fidem Purgatorij profitentur, poſſem adjicere; ſed abſtineo conſulens breuitati.

Purgatoriū carcer eſt vnde nemo exit niſi ſoluto minimo quadrante.

Ambr.

Ad lauandū corpus in balneis dabatur olim quadrans, & nunc in purgatorio ignis purificans animas ſoluit vſque ad minimum quadrantem.

281. Vnde nuſquam de Purgatorij veritate Chriſti Domini ore propalata, & Apoſtolorum doctrinâ tradita, Sancta & Catholica dubitauit Eccleſia: immò ignis poſt hanc vitam peccata purgantis fides adeò inoleuit, vt pleriqne etiam peccata capitalia, vnico excepto infidelitatis errore, illius ardore conſumi olim exiſtimauerint. Quod ſanè vt erroneum refellere conati ſunt ſancti Patres,

Credebant aliqui etiam peccata capitalia igne purgatorij remitti.

D. Auguſt.
Cæſ. Arel.

tres, præſertim Auguſtinus *lib.21. de Ciuit. Dei, cap.23. & ſeq.* & S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, qui Conciliis Arelatenſi & Agathenſi præfuit: hic enim *hom. 7.* locum Apoſtoli 1. *Cor.*3. à nobis ſuprà allatum exponens, ſic loquitur: *Multi lectionem iſtam malè intelligentes, falsâ ſecuritate decipiuntur, dum credunt, quod ſupra fundamentum Chriſti crimina capitalia ædificata, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſint purgari, & ipſi poſtea ad vitam æternam peruenire. Intellectus iſte, Fratres chariſſimi, corrigendus eſt; quia ipſi ſe ſeducunt, qui ſibi blandiuntur. Ille enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus: Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* Et poſt plurima: *Sed dicet aliquis, Non ad me pertinet quamdiu moras habeam; tantùm vt ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, Fratres chariſſimi; quia ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quàm quod poteſt pœnarum in hoc ſeculo am videri, aut cogitari, aut ſentiri.*

282\. Hinc ſaluberrimum orandi Deum, vt quæ igne purgatorio animæ expiantur, citiùs liberentur, ritum ab initio tenuit Eccleſia. Quod antiquiores Fidei pugiles Apoſtolorum vel diſcipuli, vel ferè coætanei, ſuis produnt lucubrationibus. Dionyſius enim Areopagita Pauli diſcipulus, & ab illo Chriſtianæ Religionis myſteriis eruditus, *lib. de Eccleſ. Hierarchia, cap.7.* ait quod *diuinus Sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat, qui ſanctè vixerunt, & tamen aliquas maculas habuerunt ex infirmitate humana contractas.* Tertullianus Apoſtolorum temporibus vicinus, *lib. de corona militis, cap. 3.* docet, *oblationes pro defunctis ex traditione illorum proueniſſe.* Et *lib. de monogamia*, loquens de vxore viri vitâ functi, ſic ait: *Pro anima eius* (ſcilicet mariti) *oret & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium; & offerat annuis diebus dormitionis eius.* Hæc ille. Cui inclytus eius Diſcipulus S. Martyr Cyprianus ſubſcribit *epiſt.9. ad Clerum & plebem Furnenſem*, vbi ſic loquitur: *Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebretur; neque enim ad Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, aut miniſtros ſuos Leuitas auocare voluit.* Ex quibus liquet, pro animabus defunctorum Sacrificium oblatum fuiſſe tempore S.Cypriani, qui in præfata epiſtola prohibet illud offerti pro anima Geminij Victoris, qui Fauſtinum Presbyterum ad tutelam nominauerat.

Pro animabus Purgatorij ſemper orauit Eccleſia, vt ordinariè Apoſtoli.

Vt teſtantur *D. Dion. Tertull.*

D. Cyprian.

283\. *Origenes.* Nec diſcrepat doctiſſimus Origenes *hom.3. in Iob*, vbi ſic habet: *Memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes.* Quod etiam docuit Gregorius Nyſſenus citatus à D.Th. in ſupplemento tertiæ partis, *qu.100. art.5.* vbi inquit: *Hoc prædicamus, dogma veritatis ſeruantes, & ita credimus: hoc etiam vniuerſalis Eccleſia tenet, pro defunctis exorans, vt a peccatis ſoluantur.* Sed audi Auguſtinum *ſerm.32. de verb. Apoſtoli*, ſcribentem: *Orationibus vero ſancta Eccleſia, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt; Hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis offerre commemoretur.* Vbi aduertendum eſt, quod dum Auguſtinus dixit, quod hoc, nempe pro mortuis orare, *à Patribus eſt traditum*, Apoſtolos intelligit, juxta ea quæ idem S.D. ſcribit *lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.24.* vbi inquit, *quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* Vnde D. Epiphanius in fine operis contra hæreſes, inter dogmata Eccleſiæ *orationem pro defunctis numerat.* Et *hæreſ 75.* Aërium hæreticum facit, quia hoc negabat. Idem ſentit D. Ioaones Chryſoſtomos hom.41. in 1. ep. ad Cor. *Iuuetur*, inquit, *mortuus non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis.* Et ideo D. Ephrem in ſuo teſtamento ſic jubet: *Aſſiduè in veſtris orationibus mei memoriam faciatis.* Et D. Auguſt. *lib.9. confeſſ. cap.13.* piiſſimæ parentis Monicæ funus cùm curaſſet ritu Eccleſiæ Catholicæ, pro eius anima feruentiſſimas ad Deum fudit preces, verbis Pſalmiſtæ etiam vſus, *Non intres in judicium cum ea, &c.* Theodoretus *l.5. hiſtor. c.26.* ſcribit Theodoſium juniorem procubuiſſe ad reliquias Sancti Ioaonis Chryſoſtomi, ibique oraſſe pro animabus parentum ſuorum Arcadij & Eudoxiæ jam defunctorum.

Greg. Nyſſen.

D. Auguſt.

D. Epiphan.

D. Chryſoſt.

D. Ephrem.

D. Auguſt. Pro Monica matre defunctâ orauit.

Theod. ſuis pro defunctis parentibus rogauit.

284\.

Nec ſolùm piiſſimum Eccleſiæ ritum Deum pro mortuis orandi Apoſtolica traditio, & Sanctorum Patrum communis commendant conſenſus. Diuina ipſis fauent oracula, & defunctorum animabus precibus parentari, ſacrarũ Paginarum textus nos edocet. Nam 2. *Reg.* 1. Dauid poſtquam lacrymas ſuper mortuos Saül Regem, & Ionatham filium eius vberrimas fudiſſet, præcepit vt pro eis preces funderentur: ibi enim *n.17.* dicitur: *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius: & præcepit vt docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum*; ideſt, vt grauiſſimi exponunt Interpretes, præcepit vt docerent orare pro defunctis. Vt enim notat in hoc loco Nicolaus de Lyra, *Ars ſagittandi ſpiritualis eſt exercitium deuotæ orationis.* Siquidem nomine *Arcus* à Scriptura oratio interdũ exprimitur. Sicut quando venerandus ille ſenex Iacob dilectiſſimo filio Ioſeph ait Gen.48. n.22. *Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Vbi Chaldæus legit, quam tuli de manu Amorrhæi *oratione & deprecatione meâ.* Quod etiã ipſe Dauid *pſal.17. n.35.* ſignificare voluit, dũ ait: *Poſuiſti vt arcũ æreum brachia mea.* Vbi D. Ephrem Syrus *lib. de panoplia, ſeu armatura ſpirituali*, ait: *Pro arcu ad orationẽ manus tuas extende.* Quo pacto Moyſes *Exod.17. n.11.* arcum intendebat, imò & ſpirituales ſagittas emittebat, dum manus ſuas ad Deum in oratione eleuabat. Quod eleganter attigit Chryſoſt. dum *tom.1. ſer. de Moyſe*, inquit: *Fit, Moyſe orante, occulta pugna, manifeſta victoria: latenter dimicat, vt euidenter deuincat.* Ex quibus liquet, Dauidem orationem pro mortuis Saül & Ionatha imperaſſe, dum vt docerent filios Iuda arcum, imperauit. Similiter *Tob.4.18.* optimus parens dilecto filio jubet his verbis: *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue.* Quia ſcilicet Tobias exiſtimabat cum cæteris Hebræis, defunctorum animas eleemoſynis, & aliis viuorum piis operibus ſubleuari. Et tandem 1. *Machab.12.* poſt oblatum pro defunctis Deo ſacrificium, dicitur num.46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur.*

Dauid pro Saül & Ionatha vitâ functis orare jubet.

Oratio arcus, & orans artem ſagittandi exercet.

D. Ephrem.

Manus Moyſis orãtis ſagittas jaculabãtur.

Tobias jubet pro mortuis eleemoſynis ſupplicare.

285. Sed ſucclamant Nouatores, ex apocryphis nos teſtimonia adducere; & Machabæorum libros nequaquã canonicos cenſeri. Sic enim Scripturę verba multùm vrgentia conantur infringere, & validiſſima, acutiſſimaque tela, quibus configuntur, declinare. Verùm rogo, quis illos Machabæorum libros è Canone Scripturarum expunxit, aut expungere potuit? Cùm eiuſdem ſit abrogare, cuius eſt concedere, ſola Catholica, quæ ſacrorum librorum canonem edidit Eccleſia, illum potuit immutare. Cùm autem ſemper in tali Canone præfatos libros habuerit, adhucque retineat, nullius eſt illos ab illo numero amandare. Nec poſſunt Nouantes rejicere, quos ſemper ſancta ſuſcepit Eccleſia. Quamuis enim præfati Machabæorum libri in ſecundo Canone Hebræorum, conflato Synagogæ pace redditâ poſt captiuitatem Babylonicam, à Concilio centum viginti doctiſſimorum Iudæorum, Daniele Propheta Præſide, & Eſdra Concilij Scriba, vt refert Rabbi Elias in præfatione Maſoreth hammaſoreth, inter canonicos Scripturæ libros Machabæorum codices non recenſeantur; tamen non reprobantur, ſed ideo de illis non fit mentio, quia nondum erant editi; ſicut in primo Canone Hebræorum à Moyſe condito, tantùm Pentateuchum, ideſt quinque Libri, Geneſis, Exodi, Leuitici, Numerorum & Deuteronomij continentur, non autem libri Iudicum, Regum & Prophetarum, qui nondum apparuerant.

Calumniãtur hæretici libros Machabæorum.

Libri Machabæorum non ſunt in Canone Hebræorum edito ab Eſdra, quia tunc nondũ erant editi.

Sicut Libri Regum non ſunt in primo Canone Hebræorum edito à Moyſe.

286. Tamen à tempore quo Chriſtianorum Eccleſia, ſedatis perſequutionibus, & temporum gaudens tranquillitate congregata eſt, vt ſacrorum librorum Canonem, ſeu numerum ſtabiliret, quod fecit Arcadio & Honorio Imperatoribus, ſub Conſulatu Cæſarij & Attij, anno Chriſti 394. canonici recepti ſunt. Nam tunc in Concilio Carthaginenſi III. diuinorum librorum veteris & noui Teſtamenti Canon editus eſt, in quo videre licet inter alios, libros Tobiæ, Iudith, Eſther, Eſdræ, Machabæorum, & vigintiſeptem libros noui Teſtamenti. Vnde Innocentius I. Romanus Pontifex anno 408. epiſtola ad S. Exuperium Epiſcopum Toloſanum, præfatum Canonem Concilij III. Carthaginenſis, & libros in eo contentos confirmat. Deinde Concilium ſeptuaginta Epiſcoporũ congregatum à Gelaſio Papa anno 494. Romæ prædictum Canonem, in quo continentur Machabæorum libri, denuò approbauit. Vnde D. Auguſtinus Catholicæ doctrinæ acerrimus propugnator, cùm circa annum Domini 400. & ſequentes in Eccleſia Africana velut fulgentiſſimum ſydus præluceret, *lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap.* 8. ſacrorum librorum Canonem recenſens, in eo Machabæorum libros collocat. Quod etiam præſtat Caſſiodorus, qui anno Chriſti 562. Theodorico Gothorum Regi erat ab epiſtolis. Nam eundem Canonem refert *lib. de diuinis lectionibus, cap.* 13. & D. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui obiit anno 636. inter ſacros diuinæ Scripturæ libros Machabæorum ponit *lib. 6. Etymolog. cap.* 1.

Sed ſunt in Canone ab Eccleſia edito in Concil. Carthag. III.

Confirmato ab Innocentio I.

D. Auguſtinus illos tanquam canonicos recipit.

Etiam Caſſiodorus.

Et D. Iſidorus.

287. Demùm Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. anno Domini 1439. præſentibus Ioſeph Conſtantinopolitano Patriarcha, & Palæologo Orientis Imperatore, in vnione Græcorum, Armenorum & Iacobitarum cum ſancta Romana Eccleſia, eundem Canonem cum eiſdem libris approbat, & Græcis recipiendum proponit, & jubet. Cui accedit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 4. vbi ſacrorum librorum numero duo Machabæorum inueniuntur adſcripti. Quæ omnia luculentiſſimè ſuadent præfatos Machabæorum libros à nullo Eccleſiæ filio rejici poſſe, ſed tanquam verè canonicos ab omnibus admitti debere. Neque horum librorum author de erroribus admiſſis, ſed de rudi ſermone ſe excuſat. Quod ſi aliquando Diuus Auguſtinus hos libros *ſobriè legi* mandat, non propterea ab eo minùs canonici habentur, nec quia minùs veri ſint, ſed quia in eis aliqua quæ non imitanda, ſed admiranda ſunt, vt eorum qui ſe occiderunt, recenſentur.

Recipiuntur ut canonici à Conc. Florent.

Tridentino.

Tamen ſobriè legendi, quia quædã admiranda, non imitanda continẽt.

288. Verùm ſacrorum librorum oracula venerantes Eccleſiæ Patres in Conciliis congregati, mortuos in Purgatorio detruſos, viuorum precibus ſubleuandos ſanxerunt. Quod licèt in plurimis ſancitum reperiatur Conciliis, tamen non omnia illorum decreta, ſed tantùm aliqua, vt præfata corroborentur, adducemus. Concilium igitur Carthaginenſe IV. anno Chriſti 398. celebratum ſub Siricio Papa, & à Leone IV. confirmatum, cui interfuit D. Auguſtinus Hiponenſis Epiſcopus, & cum aliis Patribus ſubſcripſit, can. 79. de pœnitentibus: *Si caſu aliquo moriantur*, jubet, *quod memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Similiter Concilium Vaſenſe, ſeu Vaſionenſe, Vaſione Vocontiorum in Gallia Narbonenſi celebratum ſub Leone Papa I. & Theodoſio Iuniore, anno 442. can. 2. ait: *Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, vt infideles ab Eccleſia ſunt abjiciendi.* Et can. 6. *In omnibus*, inquit, *Miſſis, ſiue Matutinis, ſiue in quadrageſimalibus, ſiue in illis quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine quo ad Miſſas publicas, dici debet.* Et in Concilio Toletano vndecimo, Can. 12. dicitur: *De his autem qui acceptâ pœnitentiâ antequam reconcilientur, ab hac vita receſſerint, placuit nobis, vt & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.* Vnde veteris Eccleſiæ mos fuit, nomina eorum, pro quibus Miſſa offerebatur, in hoc Sacrificio recitari, tam viuorum, quàm defunctorum: quod conſtat ex Concilio Ameritenſi, c. 19. Vnde Concil. Florentinum in literis ſanctæ Vnionis Græcorum & Latinorum, definit: *Si pœnitentes in Dei charitate decedant antequam de commiſſis & omiſſis, dignis pœnitentiæ fructibus ſatisfecerint, pœnis Purgatorij eorum animas purgari, & ab huiuſmodi pœnis viuorum Fidelium ſuffragiis, Miſſarum ſacrificiis, eleemoſynis, & aliis pietatis officiis relaxari.* Quam definitionem Ioſeph Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha cùm recepiſſet paulò ante mortem, Florentiæ die 8. Iunij 1439. proprio calamo cum aliis Fidei S. R. E. articulis, Purgatorium eſſe confeſſus eſt.

Oratio pro defunctis jubetur à Conc. Carthag. IV.

A Concil. Vaſionenſi.

A Toletan. XI.

A Florent.

289. Ex quibus omnibus planè conſtat, Purgatorij, & orationum pro defunctis fidem à Chriſto Domino, & Apoſtolis Eccleſiæ traditam, ad noſtra vſque tempora, tum Conciliorum definitionibus, Sanctorum Patrum teſtimoniis, cum cõmuni omnium Eccleſiarum S.R.E. communionem habentium conſenſu dimanaſſe, nulloque fundamento à Nouatoribus, veluti quoddam commentum rejici. Quod ſanè plurimis argumentis poſſet demonſtrari; ſed dicta à nobis hactenus ſufficiant ad ſtabiliendam inconcuſſam de Purgatorio veritatẽ, vt oſtendamus in illo pœnarũ loco patientes animas Chriſtũ Dñum laudibus celebrare; cùm de Purgatorio ex profeſſo hîc agere, noſtri non ſit inſtituti.

Sine fundamento pro defunctis oratio ab hæreticis refellitur.

§. II.

§. II.

Animæ in Purgatorio exiſtentes Chriſtum Dominum laudibus proſequuntur.

290. TRes pueros in caminum ignis impio jubente Rege miſſos, medias inter flammas vno ore Deum laudantes, ſacra hactenus demiratur hiſtoria. At quid mirabilius modò propono. Animas plurimas è corporum carceribus egreſſas, in ardentiſſimas purgatorij ignis flammas, ſummo, ac omnium piiſſimo jubente Rege deturbatas, ipſius Regis encomia celebrantes, ſapientis Lectoris oculis mentis offero. Magnum ſanè miraculum, longè fornacis Babylonicæ puerorum ſuperans actionem. Illi enim in igne ab igne nihil læſi; nam vt dicitur Dan. 3. n. 50. *Fecit* Angelus *medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit*, læti canebant: iſtæ, ardentibus in eas ſæuientibus flammis ſeueriſſimè cruciatæ, & doloribus contriſtatæ, inter luctus & ſuſpiria carmina modulantur. Illi ab iniquo Principe flammis expoſiti, & ab omnium Principum Rege liberati, tanti benefactoris laudes decantabant: iſtæ Regem Regum, à quo vt ab æquiſſimo Iudice flammis addictæ ſunt, colunt, adorant, & hymnis, ac canticis proſequuntur. Adoleſcentes in igne fornacis ventorum refrigeriis potientes, optimum liberatorem exaltabant: Purgatorij animæ punienti Iudici æquiſſimas gratias agunt. Quid ergo mirabilius?

Tres pueri in fornace Deum laudabant.

Quid mirabilius eſt, quod animæ in igne Purgatorij Deũ extollant.

291. Verùm quid verius, aut quid certius dici poteſt? Hoc enim ſacra teſtantur oracula. Nam quod Paulus *Philip.* 2. *n.* 10. vehementer exoptat, dum inquit, *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, vt vbique ſuum creaturæ Creatorem venerando, cognoſcant: hoc Ioannes *Apoc.* 5. *n.* 13. cum maximo eiuſdem Creatoris præconio factum demonſtrat, dum ait: *Et omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes, Sedenti in Throno Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Cùm enim *ſub terra*, immò in centro terræ, vbi diuina prouidentia inferos collocauit, animæ damnatorum à dæmonibus, & vorantibus ignis flammia crucientur; & in ſuperiori inferorum parte Fideles animæ minima delicta igne purificent: cúmque nec dæmones, nec damnati in inferis Deum laudent, ſed potiùs blaſphement, vt dicitur Apoc. 16. n. 9. *Æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Domini habentis poteſtatem ſuper has plagas.* Vbi Gloſſa dicit, *quod in inferno poſiti, quamuis ſciant ſe pro meritis puniri, dolebunt tamen quòd Deus tantam potentiam habeat, quod plagas eis inferat.* Et cùm per hoc deteſtentur damnati diuinam juſtitiam, quæ eos talibus pœnis torquet, liquet illos Deum blaſphemare, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 13. *art.* 4. ideo relinquitur, quod illæ quæ ſub terra ſedentem in Throno, & Agnum encomiis & laudibus proſequontur creaturæ, Fidelium ſunt animæ medias inter flammas Creatori & Redemptori benedicentes.

Cœlum, terra & infernus Chriſto genua flectunt.

Animæ Purgatorij ſub terra Chriſto ſedenti in Throno laudes dicunt.

Damnati ſub terra Deum blaſphemant.

292. At quomodo laudabunt, quem vt æquiſſimum, ita & ſeueriſſimum Iudicem experiuntur? Immò quomodo non laudabunt, quem quia Iudicem ſentiunt, ideo Liberatorem agnoſcunt? In hoc enim diuini Redemptoris ſumma juſtitia ab eis laudanda eſt, quia igne Purgatorij delicta conſumens, coronam gloriæ patientibus præparat animabus. Niſi enim qui homini ante mortem ad omne peccatum, tum originale, tum actuale, tum mortale, tum veniale, Incarnatione, Paſſione, Morte & Sacramentis delendum remedia contulit, ad pœnam temporalem pro peccatis, & ad minima delicta eluenda poſt mortem, ignem purgatorium, tanquam medium conuenientiſſimum prouidiſſet, in charitate morientes, & tamen venialibus & pœnæ temporali obnoxij, à cœlorum regno in perpetuum fuiſſent excluſi. Vt ergo & merita præmientur, & demerita puniantur, ſapienter diuina juſtitia animas in gratia à corporibus exeuntes cum minimis ac venialibus peccatis, in flammas miſit Purgatorij, vt abolitis ac deletis minimis earum debitis, dignam meritorum ſuorum mercedem accepturæ, cœleſtia regna conſcendant.

Deum laudant animæ patientes, quia per ignem eorũ delicta conſumit.

Sæuientem igitur Iudicem laudant, quia amantiſſimum puniendo ſe exhibet parentem: ferientem manum oſculantur, quia vt ſanet ſauciat; vulnerat vt medeatur; deprimit vt erigat; affligit vt conſoletur, & torquet vt coronet. Vnde miſericordiam juſtitiæ vnitam in igne Purgatorij, & Deum animas diligentem, eaſque punientem liceat admirari. *O tormenta miſericordiæ! Amat & cruciat*, ait D. Gregor. Magnus. Amantem itaque Deum, & tamen cruciantem & patiuntur & diligunt in Purgatorio animæ: & quamuis doloribus lugeant, amore & ſpe conſolantur: triſtantur de juſtitia, ſed de miſericordia lætantur, poſſuntque ſingulæ æquiſſimi Iudicis prouidentiam laudantes Regij Vatis verba ſumere: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, pſalm. 10. n. 1. 293.

Manum ferientem oſculantur, quia per illã ad cœlos euehuntur.

Nec te moueat verbum illud Sapientis, Eccleſ. 22. n. 6. *Muſica in luctu, importuna narratio.* Iſtarum muſica lugentium animarum valdè opportuna eſt; dum enim Deo laudes in doloribus canunt, & miſericordiam ſimul ac juſtitiam extollunt, pro maximo quo purgantur beneficio, etiam in ſuppliciis non ingratæ, quas Deo debent gratias referre conantur. Nam vt ait D. Chryſoſtom. in pſalm. 148. *Deus æquè laudandus eſt, & cùm punit, & cùm à ſupplicio eximit: vtraque enim ſunt curationis, vtraque bonitatis. Oportet ergo & gratias agere non ſolùm pro regno, ſed etiam pro gehenna; eam enim & fecit, & minatus eſt, vt à vitio liberaret.* Quemadmodum ergo Medicum non ſolùm nutrientem, ſed etiam fame excruciantem; non ſolùm vngentem, ſed etiam vrentem & ſecantem obſeruamus: ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus. Nec deſunt huius rei exempla etiam in ſacris Literis: ille enim ſanctiſſimus juxtà & patientiſſimus Iob, calamitatibus non ſolùm cumulatus, ſed oppreſſus, Dominum bona tribuentem & auferentem, immò & ærumnas & pœnas largientem ſemper laudauit, in hæc miranda verba prorumpens: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Iob 1. n. 21. Quod admiratus D. Ioannes Chryſoſt. hæc aurea verba profert hom. 3. de patientia Iob: *Merces calamitatum, adoratio: pulſatus ærumnis benedicit: oppreſſus gratias agit.* 294.

Purgatorij animæ Deo gratias agũt.

Iob ærumnis oppreſſus Deum laudabat.

Laurentius igne cruciatus animabus Purgatorij ſimilis.

295. Verùm patientium, & tamen in pœnis gratias agentium animarum nobilior & expreſſior typus extitit intrepidus ille Fidei athleta Laurentius: hic enim igne examinatus, & flammarum ardore combuſtus, paſſionis ſimilitudine ad animas igne vehementiſſimo ad puritatem cruciatas accedens, lætus cecinit, tortorem & tyrannum irriſit, tormenta deſpexit, Dominum IESVM verum Deum confeſſus eſt, & de pœnis ignis ardore toleratis gratias egit. *Gaudeo planè*, inquit, *quia hoſtia Chriſti effici merui. In craticula te Deum non negaui, & ad ignem applicatus, te Dominum Ieſum Chriſtum confeſſus ſum: aſſatus gratias ago.* Sic triumphum ſuum gratiarum actione dedicauit; ſic victoriam ſuam miles inuictiſſimus gratitudine coronauit; ſicque animarum incendio purgatarum patientiam in doloribus, in ſuppliciis tolerantiam, ac de pœnis Deo laudum & canticorum oblationem expreſſit, illarumque ad regnum cœleſte flãmarum ardore introductioné deſignauit. Vt enim ſtrenuiſſimus hic Fidei pugil, ex quo carnem ſuam exuſtam ſenſit, & torridam, animum cœleſtia habuit penetrantem; vnde ait: *Gratias ago tibi, Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.* Ita ignis ardore minimis conſumptis delictis, gratias agentes animæ ſimul purgantur, & cœleſtis patriæ ianuas ingrediuntur.

Aſſatus gratias egit.

Incendium animas patientes ad cœlum euehit.

296. Iure merito igitur Chriſti Domini præconia defunctorum in Purgatorio loquuntur animæ, ipſique de flammarum ardoribus gratias referunt immortales; quia ipſo quo vtuntur incendio, ad regna ſyderea ſubleuantur. Sicque, vt olim agebat Vates ille Euangelicus, *Iſai. c.12. n.1.* inter medias plagas laudes Domini ſuauiter modulantur. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi*, aiebat ille Propheta. Sed quorſum? *Quia conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus eſt me.* Furore itaque, & juſtitiâ Domini patientes conſolantur animæ, dum globis igneis à cunctis eluuntur ſordibus, & diuino dignæ redduntur conſpectu. Quo pacto quælibet illarum Sponſæ verbis vti poteſt, ac de diuino Iudice hæc verba proferre, Cant.2. n.6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Etenim dum juſtitia, quæ per Dei læuam deſignatur, animam purgatura in eam ſæuit; eius dextera, infinitæ miſericordiæ typus, vberrimos conſolationis latices effundens, in ardentiſſimæ charitatis ſignum illam ſtringit & amplexatur. *Delectationes* autem *in dextera eius vſque in finem*, vt ait Propheta *pſalm. 15. n. 11.* Non poſſunt verò non recipi ab illa, quæ etſi igne torqueatur, vt omninò immaculata, & ex omni parte formoſa reddatur, inter Sponſi brachia, læuo tanquam puluino innixa; dextero, tanquam ſtragulo cooperta, aliquo modo requieſcit.

Iuſtitia & miſericordia Dei in animabus Purgatorij.

Animæ igne patiendo requieſcunt.

297. Quid dico, Requieſcit? Poteſtne requies in Purgatorio reperiri? Planè cùm ab Eccleſia communibus ac quotidianis orationibus quies patientibus exoptetur animabus, per illa ſolennia verba, *Requiem æternam dona eis Domine, &c.* illas non niſi in viſione diuinæ eſſentiæ, hominum & Angelorũ felicitate, requieſcere liquet. Quomodo enim requieſcent, dũ Deũ videre toto deſiderio cupiunt? Quomodo quiete gaudebunt, dum vltimum finẽ, in quo quies & terminus motûs reperiuntur, adipiſci ſperant, & vt dicitur Prouerb. 13. 12. *Spes quæ differtur affligit animam.* Tamen patientes animæ & ſperant, & quodammodo requieſcunt; patiuntur, & lætantur. Sperant Deum citò aſſequi, & de ſpei certitudine aliquam requiem habent. *Spes* enim *non confundit*; vt dicitur *Rom. 5. n. 5.* Sed cùm ſit certa expectatio futuræ beatitudinis, vt docet Magiſter ſententiarum *in 3. diſt. 26.* ſecuritatem parit & gaudium, vt inſinuare videtur Apoſtolus Rom. 12. n. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Vbi tribulationum patientiam, in qua non poteſt dolor non haberi, jungit cum lætitia, quæ à ſpe cauſatur & producitur. Ignem ergo purgatorium dum patiuntur animæ, veluti quoddam ad gloriam conſequendam remedium patiendo, quodammodo requieſcunt: voluntariè enim illam pœnam ſubeunt, vt docet D.Thom. *in ſuppl. 3. p. q. 100. art. 4.* quamuis vt ab illa liberentur, & omninò in pace, ac in Domino, & in eius diuinæ eſſentiæ fruitioné requieſcant, non ſolùm ſuffragia viuorum expectent, ſed poſtulent, vt patet ex B. Gregor. Magno *lib. 4. dial.*

Spes dilatione affligit, certitudine lætificat.

298. Verumtamen alio ex capite hymnos & cantica debent Chriſto animæ patientes, ex eo ſcilicet, quòd tantis ardoribus immenſa eius charitas refrigeria miniſtrauit. Parum fuit illi ſoluendis debitis, ac minimis eluendis poſt mortem peccatis ignem pro certo tempore præparare; iſtius terminum durationis præueniri poſſe voluit, & viuorum opera in fidei Chriſtianæ communione peracta, vt pœnas relaxent mortuorũ, acceptauit.

Tempus à Deo præfixũ animabus Purgatorij præuenitur precibus.

299. Tria ſunt inter alia, quæ Eccleſia pro defunctis Chriſtũ offert ſuffragia; Orationes, Eleemoſynæ, & incruentum ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacrificium: nam vt aduertit S. D. in ſupplem. 3. p. q. 71. art. 9. *Illa opera præcipuè nata ſunt mortuis ſuffragari, quæ maximè ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis ad alterum. Ad charitatem autem Sacramentum Euchariſtiæ præcipuè pertinet, cùm ſit Sacramentum Eccleſiaſticæ vnionis, continens illum, in quo tota Eccleſia vnitur & conſolidatur, ſcilicet Chriſtum: vnde Euchariſtia eſt quadam charitatis origo, vel vinculum. Sed inter charitatis effectus eſt præcipuum eleemoſynarum opus; & ideo iſta duo ex parte charitatis præcipuè mortuis ſuffragantur, ſcilicet ſacrificium Eccleſiæ, & eleemoſynæ. Sed ex parte intentionis directa in mortuos præcipuè valet oratio; quia oratio ſecundùm ſuam rationem non ſolùm dicit reſpectum ad orantem, ſicut & cætera opera, ſed directiùs ad illud pro quo oratur.* Hæc D. Thom. Ex quibus omnium, quibus defunctorum animæ è Purgatorio extrahuntur, ſubſidiorum maximum eſſe conſtat adorandum Euchariſtiæ myſterium: ad hoc enim videtur inſtitutum, vt Chriſtianos ad regna inducat cœleſtia, & omnia Eccleſiæ membra diuino ſuo Capiti vniat & conglutinet; animaſque in flammarum ardoribus Chriſto coniungi vehementi deſiderio cupientes, Chriſto per gloriæ aſſequutionem indiſſolubiliter conſociet.

Oratio, eleemoſyna, & Euchariſtia animas liberant à Purgatorio.

Euchariſtia inſtituta vt ad cœlum inducat hominem.

300. Planum hoc ab omnibus cenſebitur, ſi attentè perpendatur ſacratiſſimam Euchariſtiam non ſolùm Sacramentum exiſtere nouæ Legis per modum cibi & potus, quo anima chriſtiana gratiæ alimento roborata, & ipſo Chriſti corpore & ſanguine ſaginata, ad vitam nutritur æternam; ſed etiam verum & proprium Sacrificium, pro peccatis viuorum & mortuorum propitiatorium, quo Chriſti Domini in cruce peracta immolatio quotidie nobis exhibetur, peccata eluuntur, juſtitiæ Dei fit ſatis, ira illius placatur, ipſeque Dominus peccatis hominum exaſperatus peccatoribus

Euchariſtia vt Sacramẽtum, & vt Sacrificium animas è Purgatorio liberat.

Digitized by Google

catoribus reconciliatur, & cœleſte regnum nobis aperitur. Vnde D. Cyprianus *ſerm. de Cœna Domini*, ait: *Bibimus de ſanguine Chriſti, ipſo jubente, vt nos ad ſocietatem vitæ æternæ ſuo ſanguine perducat.* Non ſolùm autem ſumentibus ſacra myſteria æternæ vitæ adeptio conceditur; ſed etiam illis pro quibus ſupra Altare, tanquam verum Sacrificium offeruntur; maximè autem animabus patientibus. Cùm enim paſſio Chriſti, quæ in hac Sacramenti oblatione modo incruento exhibetur, proſit omnibus, quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ, vt docet D. Th. *3. p. q. 79. art. 7. ad 2.* tamen non habet effectum, niſi in illis qui paſſioni Chriſti coniunguntur per fidem & charitatem. Cùmque animæ defunctorum flammis Purgatorij minima delicta purgantes, Chriſto per fidem & charitatem adhæreant; ideo Sacrificium Altaris, Dominicæ Paſſionis memoriale, in illis ſuum producit effectum, eaſque ad æternam felicitatem attollit. Nam Sacrificium iſtud, omnium victimarum antiquarum finis ac perfectio, cùm ſit Deo acceptiſſimum, ac infiniti pretij Diuinæ Maieſtati hoſtiam offerat, Deum placat, & pro omnibus illorum, quibus applicatur, delictis ſatisfacit: ſicque cùm exiſtat ſatisfactorium pro peccato, homines à pœnis liberat Purgatorij.

Paſſio Chriſti prodeſt omnibus, quantùm ad ſufficientiã, ſed illis quibus applicatur, quoad efficaciam.

Sic Euchariſtia, quæ paſſionis eſt memoriale.

Vnde Apoſtolus *Hebr. 10. v. 19.* inquit: *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum*, ſcilicet cœleſtium, vt exponit D. Thom. 3. p. q. 49. art. 5. *in ſanguine Chriſti*; Quamuis enim omnes Sanctos Patres Chriſtus deſcendens ad inferos inde extraxerit, non autem omnes animas, quæ tunc in Purgatorio detinebantur; tamen plurimas inde liberauit, illas ſcilicet quibus paſſionis ſuæ virtutem applicari voluit, vt non ſolùm ab excluſione à gloria, quâ generaliter omnes homines per peccatum priuabantur; ſed etiam à reatu pœnæ Purgatorij, quâ ſingulæ propter proprium defectum torquebantur animæ, optimus Saluator eriperet. De qua re videndus eſt D. Th. *3. p. q. 52. art. 8.*

Chriſtus deſcendens ad inferos non extraxit omnes animas à Purgatorio, ſed tantùm aliquas.

301. Sacrificium Deo dum olim offerret Manue, ipſaque comburens hoſtiam flamma, æthera ſurſum vergens penetraret, etiam Angelus cum flamma cœlos conſcendit, vt legitur Iudic. 13. n. 20. *Cùmque aſcenderet flamma Altaris in cœlum, Angelus pariter in flamma aſcendit.* Quorſum hoc? Vt oſtendatur incruentum Eccleſiæ Sacrificium in Manue oblatione adumbratum, non diſſimilem effectum habere. Nam cùm Euchariſtia, quæ *ignis eſt*, vt loquitur D. Cyrillus *lib. 11. de ador. in ſpir.* ipſumque Deum, qui ignis à Scriptura appellatur, in eius corpore & ſanguine realiter continet, oblata Deo à Sacerdote, diuina veluti flamma Altaris in cœlum aſcendit, aſcendunt pariter cum illa animæ patientes, pro quibus exhibetur, quæ juxta Chriſti Domini oraculum, *erunt ſicut Angeli Dei.* Matth. 12. 30. Cùm enim corpus & ſanguis Chriſti, amantiſſimique paſſio Redemptoris illis applicentur per hanc oblationem animabus, vniuntur membra capiti, filij cum parente, & Chriſto Domino perfecto fœdere connectuntur. Ideoque eleuato capite, conſurgunt membra, parentem ſequuntur filij; & Chriſto Domino in hoſtia, quæ in ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio immolatur, tanquam cum flamma aſcendente, eos quibus connectitur, ad cœleſtia regna transfert. Nam ſi juxta D. Dionyſium lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 1. *Sacerdos in Deitatis conſortium tranſit.* & juxta eundem ibid. cap. 2. *Corporis & ſanguinis Chriſti communio eſt Deifica*; & tandem idem *cap. 3.* docet eos qui dignè communicant, *per vitã ſinceram ac diuinã ſimilitudinem Chriſto compaginari*: animæ pro quibus in Eccleſia corporis & ſanguinis Chriſti immaculatum Sacrificium celebratur, eius rore perfuſæ, ac virtute mundatæ, Chriſto compaginatæ, in Deitatis, ac felicitatis eius conſortium emigrant.

Angelus in flamma Sacrificij cœlũ aſcendebat.

Animæ Purgatorij cum oblatione Altaris ad cœlos aſcendunt.

Euchariſtia Deitatis conſortium tradit, & cõmuniò dicitur Deifica.

302. Sic Chriſtus omnium fidelium Caput animarum, illarum vt munificus citò remunerator exiſtat, tempus ante præfinitum, corporis & ſanguinis ſui myſterio ad cœleſtem è Purgatorio extrahit patriam. Sic alma & Chriſti Sponſa, & Chriſtianorum mater Eccleſia, Agni immaculati quotidianâ ſuper Altari oblatione æternam *filiis ſuis vitam inſpirat*. At ne mireris, viuificum Euchariſtiæ Sacramentum ab ardentiſſimis Purgatorij flammis defunctos eripere: ipſe qui offertur ſanguis, qui cum aqua è latere fluxit Domini, ignem extinguit, & cœli ianuam nouit reſerare. Quod acutè expreſſit D. Petrus Chryſolog. ſerm. 123. de Diuite & Lazaro, vbi exponens illud Ioan. 19. n. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua*; inquit: *De latere fundit aquam, vt viam paradiſi temperet, ignem ex parte Sanctorum extinguat inferni.* Quod quidem de igne Purgatorij intelligendum eſt; nullo enim alio igne inferni Sanctorum animæ exuruntur.

Aqua cum ſanguine è Chriſti latere exiens, ignem extinguit Purgatorij.

303. Nec ſolùm aquâ & ſanguine, vt Chriſtianæ refrigerentur animæ, Purgatorij ignis extinguitur; etiam floribus, incruento hoc Sacrificio, incendia temperantur. Sed dum flores in tanto myſterio loquor, myſticos illos, omniumque amœniſſimos intelligo. Lilium hîc albeſcit, roſaque veriat, ſummumque pulcherrimi ac jucundiſſimi flores patientibus animabus præſtant refrigerium. Nam cùm vtrumque Chriſtus in ſe colligat florem, ſimulque & roſa & lilium ſacris in Literis nuncupetur; de ſe enim loquitur Cant. 2. n. 1. *Ego flos campi*, ſeu vt multi ex Hebræo legunt, *Ego roſa campi, & lilium conuallium*; vtrumque in tremendo Eccleſiæ Sacrificio collocauit: lilium fulget in corpore, & roſa coruſcat in ſanguine. Sic enim hos flores in auguſtiſſimo agnouit myſterio D. Ambroſius *ſerm. 14. in pſal.* 118. vbi inquit: *Bona paſcua diuina Sacramenta ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis. Carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis. Carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem.* Itaque cùm apud priſcos etiam Gentiles defunctorum ſupra tumulos flores ac lilia ſpargere mos fuerit, vnde & Virgilius 6. *Æneid.* de Marcello, quem adhuc puerum mors oppreſſit, ait:

Sacra myſteria flores ſunt incendia Purgatorij temperãtes.

Corpus Chriſti in Euchariſtia lilium, & ſanguis roſa dicitur.

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

Et Dioſcorides lib. 3. Anthologiæ, cap. 6. *Conjicite*, inquit, *ſupra meum tumulum alba lilia, &c.* Refertque Alex. ab Alexandro *lib. 3. genial. dier. c. 7.* quod defunctorum corpora roſeis coronis exornabantur; quod etiam videre eſt apud Mediolanum, vbi ſepulchrum repertum cum hac inſcriptione, *Roſis quotannis ornandum.* Ipſeque D. Hieronymus Doctorum maximus

Antiqui ſupra defunctorum tumulos flores ſpargebant.

mus epiſtolâ ad Pammachium teſtatur: *Cæteri mariti* (inquit) *ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, &c.* Rectè myſticos corporis & ſanguinis Domini flores, non ſupra defunctorum tumulos, ſed ſupra Fidelium animas ignem purgatorium patientes ſancta ſpargit Eccleſia, flammas ardentiſſimas vt compeſcant, & ad æternum illas reuocent refrigerium. Pium iſtud Ambroſius exercuit officium erga defunctum Valentinianum Imperatorem. Nam de obitu eiuſdem ſic fatur: *Date manibus ſancta myſteria, pio ei requiem poſcamus affectu: date Sacramenta cœleſtia, animam piam noſtris oblationibus proſequamur: extollite populi mecum manus in ſancta, vt eo ſaltem munere vicem eius meritis rependamus. Non ego floribus eius tumulum aſpergam, ſed ſpiritum eius Chriſti odore profundam. Spargant alij plenis lilia calathis; nobis lilium Chriſtus eſt.* Hæc D. Ambroſius, vbi innuit ſe pro floribus Chriſtum, ſeu venerandum eius in Euchariſtia corpus, tanquam lilium, ſupra ſpiritum defuncti Imperatoris ſanctâ oblatione ſpargere.

Chriſtiani Euchariſtiæ myſteria vt flores ſupra animas ſpargunt.

Ambroſ. pro anima Valentiniani ſacra offert myſteria.

304. Hinc Eccleſia, quæ Sacrificij incruenti ab amantiſſimo Sponſo, & dilectis eius Diſcipulis ritum accepit, ſacroſanctam corporis Domini hoſtiam in tres diuidit partes, quia tres ſunt partes myſtici corporis eius. Prima eſt in cœlo, ſiue in patria, ſcilicet Eccleſia triumphans: ſecunda eſt in terra, ſcilicet Eccleſia militans: tertia eſt in Purgatorio, ſcilicet purgans. Triplici iſti Eccleſiæ vtile eſt ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium; nam ab illo Triumphans gloriam, Militans gratiam, & Purgans liberationem à pœna temporali, & à delicto veniali, & ad vitam æternam introductionem recipiunt. Vnde D. Thomas opuſc. 58. de Sacrificio Altaris, c. 25. *Hoc Sacramentum*, inquit, *habet triplicem effectum, ſcilicet in triplici ſtatu Fidelium, in hoc Mundo, in Cœlo, in Purgatorio. In ſtatu Mundi peccata relaxat; in ſtatu Purgatorij pœnam alleuiat; in ſtatu Cœli gloriam augmentat.* Vnde meritò Sancti Apoſtoli mortuorum Fidelium in ſancta Sacrificij huius oblatione commemorationem fieri præceperunt: quod attigit D. Ioannes Chryſoſtom. hom. 70. ad popul. Antioch. *Non temerè*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus; & Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?* Hæc ille.

In tres partes hoſtia in Miſſa diuiditur, propter tres Eccleſiæ partes.

Tribus vtile eſt Sacrificiũ Altaris: Eccleſiæ triumphãti in cœlis, militanti in terra, & patienti in purgatorio.

305. Cæterùm quod jubente Domino pro mortuis agit Eccleſia, etiam à cæteris per orbem gentibus, longè ante Chriſti aduentum quodammodo fuit adumbratũ. Gentiles enim populi, licèt fidei orbati lumine, pro animabus mortuorũ à pœnis ſubleuandis ſacrificia Deo offerebãt. Ipſi enim ignẽ purgatorium quodammodo ſubodorati, contra ipſum remedia ſtatuere conati ſunt. Verumque paucis percipe. Et primùm quidem, vel ex Hebræorum libris, vel ex Prophetarum oraculis ignem Purgatorij non ignoraſſe antiquos Gentiles liquet; diuinus enim ille Plato omnium Philoſophorum ex hac nomenclatura facilè Princeps, Purgatorium agnouit. Vnde *in Gorgia*, hominum peccata diſtinguit in ſanabilia & inſanabilia; hæc nuſquam, illa & in hoc mundo, & in Purgatorio curantur. *Qui apud Deum & homines* (inquit Plato) *ita dant pœnas, vt vtilitatem inde aliquando referant, hi ſunt qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor, cruciatuſque prodeſt & apud homines, & apud inferos; non enim aliter poteſt ab iniuſtitia liberari. Qui autem extremâ iniuſtitiâ detinentur, ac propter huiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſique nullam ampliùs vtilitatem inde reportant, vtpote qui ſanari non poſſunt.* Hæc Plato, vbi non obſcurè ea quæ à Chriſtianis traduntur de animabus damnatis, quæ in ſuppliciis non curantur; & de animabus quæ in eodem igne à minimis purgantur delictis, attigit: nam vt ait D. Gregorius citatus à D. Thom. *in ſuppl. 3. p. q. 100. art. 2. in arg.* Sed contrà: *Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur.* Platonem ſequutus eſt Virgil. 6. *Æneid.* vbi de animabus minima inter pœnas delicta purgantibus antequam ad cœlos mittantur, ſic ait:

Gentiles aliquam purgatorij notitiam habuerunt, & pro mortuis ſacrificia obtulerunt.

Plato purgatorium agnouit.

Peccatores ex Platone alij inſanabiles, alij ſanabiles.

Hi poſt mortem purgantur.

In eodem igne reprobi cremantur, & electus purgatur.

Virgil. purgatorium ſciuit.

Quiſque ſuos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur exilium.

Vbi Seruilius Virgilij Interpres inquit: *Prudentiores dicunt animas recedentes a corporibus, ſordidiores eſſe, donec purgentur, quæ purgatæ incipiunt eſſe clariores.* Quod etiam Quintilianus eleganter exprimit *declam.* 10. dum ait, *Animam quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus, leui ſe igne luſtrauerit, petere ſedes inter aſtra.*

Secundum, nempe Gentiles pro defunctis ſacrificia obtuliſſe, facilè patebit. Romanus enim populus, jubente Rege Numa Pompilio, animas defunctorum precibus, ſacrificiis, ac luſtrationibus à pœnis ſubleuabat. Vnde referente Plutarcho *in Numa*, à Romanis vnus anni menſis totus mortuorum animabus conſecrabatur, iſque à quibuſdam luſtrationibus, quas *Februa* vocabant, *Februarius* appellatur. *Februarius*, ait Plutarchus, *quaſi luſtralis quidam dictus eſt; expiationem enim ferè februa ſignificant, & tunc mortuis parentant.* Vnde Giraldus *ſyntagmate* 17. de hoc menſe loquutus: *Per duodecim* (inquit) *dies Februa celebrantur; hiſque diebus circa ſepulchra accenſis facibus, cereiſque intentus orat.* Nec diſſimiles Romanis fuêre Athenienſes: hi enim idem prorſus credentes, Theſei corpus quod in nauibus ſuis afferebat Cimon, eodem referente Plutarcho, illuſtri pompâ obuiam progreſſi, peractis ſacrificiis exceperunt. Maſſilienſes Bilingues, quòd duplici ſermone, Græco ſcilicet & Latino florebant, etiam erga defunctos religioſi extiterunt, ac pro ipſis ſacrificia celebrarunt. Nam vt refert Valer. Max. *lib. 2. cap. 1.* funeris dies domeſtico ſacrificio, adiectoque neceſſariorum conuiuio, apud illos finitur. Denique ſicut refert Alex. ab Alexandro *lib. 3. genial. dierum, cap. 7.* Argiuorum inſtitutum fuit, vt defuncti affines ſtatim ab exceſſu Apollini ſacrificarent. 306.

Gentiles offerunt pro mortuis.

Romani menſe Februario pro mortuis oblationes offerebant.

Athenienſes.

Maſſilienſes.

Argiui.

Quæ cùm ita ſint, quid prouidentiæ, & immenſæ Chriſti Redemptoris charitati conuenientius eſſe potuit, quàm pœnas Purgatorij, quas juſtitia mortuis infligit, immaculato corporis & ſanguinis ſui Sacrificio remouere, & ab illo, adorandâ illâ ſuffragante Hoſtiâ, animas liberare? Quid etiam ad gratias agendum immorta 307.

immortales Chriſto liberatori vehementiùs potuit animas illas incitare, quàm tremendum hoc Sacrificium? Chriſtum igitur in Euchariſtia delitefcentem, Redemptorem optimum hymnis, ac canticis, ideſt ſpiritualibus mentis iubilationibus proſequantur patientes animæ. Exultent in igne, tripudient in vinculis; & quo magis laudantes exultabunt, eò citiùs diuinâ in eas agente charitate liberabuntur. Si enim Paulus & Silas mediâ nocte Deum laudantes meruerunt, vt ſubitò magno cum terræmotu *mouerentur fundamenta carceris, & aperirentur omnia oſtia, & vincula quibus tenebantur ſoluerentur*, vt dicitur *Act.*16. *n.*26. piè credendum eſt, laudantibus & Chriſto gratias agentibus Purgatorij animabus, carcerem quo clauduntur, aperiri; vincula quibus detinentur, ſolui; ignem quo comburuntur, extingui: ipſaſque ſanctiſſimi Altaris Sacramenti virtute ad cœleſtia regna euocari. Et hæc de miro huius Proſæ Textu dicta ſufficiant.

Paulus & Silas canentes in vinculis liberati ſunt.

TEXTVS SECVNDVS.

Quantùm potes, tantùm aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare ſufficis.

EXPOSITIO TEXTVS.

307. *QVANTVM potes, tantùm aude.* Inſtitutum ſuum Author huius Proſæ proſequitur. Cùm enim Textu præcedenti Eccleſiam & quemlibet Fidelem hortatus fuerit ad Chriſtum Dominum in Euchariſtia Saluatorem optimum, Ducem mirificum, amantiſſimumque Paſtorem hymnis & canticis celebrandum; hoc in textu modum quo debet quis tanti Saluatoris encomia decantare, præſcribit. Qui ſanè modus, cùm illum quem in dilectione Dei debemus obſeruare, conetur imitari, & hic omni modo careat, vt Mellifluus loquitur Bernardus lib. de dilig. Deum: *Modus diligendi Deum eſt ſine modo*; ideo & Dei laudationes, quæ ipſi ſacra in Euchariſtia debentur, nullâ debent menſurâ terminari, nec modo circumſcribi: ſed ſicuti immenſum eſt beneficium, immenſo more ipſi debemus laudibus & canticis rependere vicem. Vnde D. Thomas ait: *Quantùm potes, tantùm aude*; ideſt, totum quod in te eſt, quo exiſtis, & quo aliquid vales, hoc omne trade munificentiſſimo Saluatori, qui cùm ſemel totum ſe tibi per Incarnationem dederit, iterum in mirifico Euchariſtiæ Sacramento per modum cibi & potus totum ſeipſum donauit. Tu ergo quidquid potes, aude; & quidquid audebis, poteris: cúmque poſſis mente, corde & corpore; mente concipe, corde dilige, & corpore tantum decanta Paſtorem. Ille enim qui ita iubet, Matth.22.37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*; Sponſæ ſuæ dilectiſſimæ Eccleſiæ Chriſtianæ, tibique cuilibet Fideli præcipit, vt *ex toto corde* omnes affectiones, *ex tota mente* omnes cogitationes, *ex totis viribus* omnes loquutiones ad laudes illius modulandas audacter inſumas. Et ideo ibidem dicitur, *Tantum aude*; hoc eſt, animosè, feruenter, & alacriter os aperi, linguam moue, verba reſona, ſermonem prome, ſimulque ex præcordiis, & ex omni latere, & ex omni ſpiritu diuina eius encomia celebrare contende.

Modus laudandi & diligendi Deũ, ſine modo.

Totus per Incarnationem, & totus per Euchariſtiam ſe dedit Deus.

Ex toto corde omnes affectiones, ex tota mente cogitationes, ex totis viribus omnes loquutiones Deo cõſecremus.

Si enim audaces ſunt, qui abundant ſpe; & ſi ſpem multam habent, qui maximum ſortiuntur calorem: vnde in iuuenibus & ebrioſis, qui propter maximum calorem habent multos ſpiritus, & cor maximè dilatatum, & maximam ſpem, vt notat D. Thom. 1.2. *q.*40. *art.*6. multùm reperitur audaciæ: cùm ſacra Euchariſtia, quæ *omnes diuini amoris diuitias hominibus velut effudit*, vt loquitur Concil. Trident. maximam in cordibus Chriſtianorum ſpem generet, maximam etiam audaciam cauſabit: nam ex ardentiſſimo diuinæ charitatis incendio, quo Chriſtus hoc in Sacramento Chriſtianos diligit, ardorem amoris in eis producens, corda dilatat, extendit & amplificat, ſicque ſimul tanto myſterio ſpem, amorem & audaciam in eis cauſabit. Vnde ſi *illi qui ſe benè habent, ad diuina audaciores ſunt*, vt ait Philoſophus *lib.* 2. *Rhetor. cap.* 5. nonne corpus Dominicum manducantes, & diuinum eius ſanguinem bibentes, cùm optimè ſe habeant ad diuina, quibus veſcuntur & ſuſtentantur, non poſſunt non maximam habere audaciam. Audebunt ergo maximè, & multùm poterunt diuinum ſibi paratum cibum conſiderantes; ſed erga pretioſum hoc edulium quidquid poſſunt, audeant; & quidquid audent, poterunt, omne quod in eis eſt, laudibus & præconiis, & Chriſti gloriæ tradentes & conſecrantes. Deinde addit Author: 308.

Audaces ſũt qui ſpe, & calore abundant.

Euchariſtia omnes diuini amoris diuitias effundit.

Se bene habentes ad diuina audaciores ſunt.

Quia maior omni laude. Vbi rationem præcedentis veluti juſſionis aſſignat. Vt enim oſtendat ſe rationabiliter dixiſſe, *Quantùm potes, tantùm aude*, ſtatim inquit: *Quia maior omni laude.* Quaſi dicat, ne exiſtimes omnibus tuis viribus, audaciâ, potentiâ, canticis, hymnis, aliiſque conatibus laudando, maieſtatem tanti adæquare Saluatoris; hoc enim eſt impoſſibile. Ille enim quem laudare niteris, omnem ſuperat laudationem, excedit encomium, & ſupra omnes humanos & Angelicos extollitur hymnos; nam *maior eſt omni laude*. Omnis quippe laus finita eſt; ipſe autem dignitatis infinitæ. Omnis laus temporalis eſt; ipſe autem æternus. Omnis laus tranſitoria eſt, ipſe autem ſemper manet. Tandem illius qui extollitur perfectiones, merita, facultates, & perſonam laus exprimit & deſcribit. Deus autem, quem Paſtorem & pabulum in Euchariſtia Chriſtiana habet Eccleſia, incomprehenſibilis eſt in eſſentia; & in Perſona Diuina, quæ etiam humanam ſibi vnitam ſuſtentauit naturam; in perfectione & meritis admirabilis, in virtute & charitate, maximaque erga homines bonitate inadæquabilis, ac conſequenter *omni laude maior*, omnique encomio ſuperior. Et ideo ſubdit: 309.

Nullis conatibus à nobis poteſt laudari Deus.

Nec laudare ſufficis; ideſt nec laudare vales. Cùm enim ille qui Saluator, Dux & Paſtor eſt, ſit ipſe Deus homo, cuius actiones, vtpote *Theandricæ*, vt D. Dionyſius loquitur, ſunt valoris infiniti; quantumcunque coneris, & licèt quidquid poſſis audeas, ac cor, mentem, linguam, & omnia quæ habes, ad ipſum laudandum inſumas, nunquam poteris perfectè & juſtè laudare; ideſt, inquantum laudabilis eſt. Vt enim ait Propheta pſal.144. n.3. *Magnus Dominus, & lauda-* 310.

Actiones Chriſti Theandricæ ſunt infiniti valoris.

Google

laudabilis nimis , & magnitudinis eius non eſt finis. Et ideo Eccl.43. n.33. *maior omni laude* Deus dicitur. Vnde Ariſtoteles *Ethic.cap.penult.* inquit : *Optimorum non eſt laus , ſed maius aliquid & melius*, ſcilicet admiratio. Cùm autem Deus ſit omni magno maior , omnique bono melior, vtpote maximus & optimus ; nullius creaturæ , vel humanæ , vel Angelicæ præconiis ſufficienter & adæquatè poteſt laudari. Neque ipſa hominum & Angelorum Regina , omnium poſt Chriſti humanitatem creaturarum excellentiſſima, Verbi Dei optima Parens , ad Deum perfectè laudandum ſufficit : & quæ potuit Deum hominem generare , immaculato ſemper virginitatis pudore , nequit eundem Saluatorem dignis , ac eius majeſtati æqualibus laudibus celebrare. Nam dum *Verbo facta , & Deo plena* , vt D. Ambroſius loquitur , Virgo intemerata in domo Zachariæ ſalutans Elizabeth , jubilans exultaret , ac ſuauiter caneret , *Magnificat anima mea Dominum* , vt dicitur Luc.1. n.46. Deum non perfectè laudauit , ſed eius anima immenſum à Deo acceptum beneficium declarauit , tantumque benefactorem magnum cecinit & prædicauit , immò & maximum , omnique præconio & encomiu ſuperiorem. Sanctiſſima ergo Dei Genitrix grata extitit , ſed æqualem accepto bono gratiam non rependit. Quantùm potuit , tantùm auſa eſt : animam , ſpiritum , cor & linguam Dei laudibus & canticis dedicauit ; tantaque puriſſimæ Virginis Deo placuit oblatio , ſed non perfectè Deum laudauit ; immò Deum à nemine dignè poſſe laudari declarauit. Quod ſanè patet ex hoc quod vt docet D. Thom. 1. *p. q.*13. *art.*1. Deus nequit à creaturis proprium & adæquatum nomen recipere : quia eodem modo poteſt aliquid nominari , quo poteſt cognoſci ; nomina enim ſunt voces quæ ſunt ſigna conceptuum intellectus ; & conceptus ſunt rerum cognitarum ſimilitudines. Cùm ergo Deus in hac vita non poſſit à creaturis videri per ſuam eſſentiam , ſed tantùm cognoſcatur à nobis ex creaturis ſecundùm habitudinem principij , & per modum excellentiæ & remotionis ; nec cogitationes , nec voces , nec verba , nec nomina habemus , quibus Deum perfectè laudare poſſimus ; ſicque verum eſt , quod author inquit , *Nec laudare ſufficis.*

Optima nequeunt laudari, ſed admirari.

Nec B. Virgo Deum perfectè laudauit.

Maria erga Deum grata, non reddidit quæ recepit.

Deus nequit nomen à creaturis recipere.

311. Nec propterea à laudibus ceſſare debemus ; immò diuina ſemper encomia modolari , ne ingrati munificentiſſimum erga Benefactorem inueniamur. Sicut enim jugiter ab illo immenſa ad nos deſcendunt beneficia ; ita à nobis ad illum perennes aſcendere debent gratiarum actiones. Sic enim inclytus ille agebat Princeps , qui dicebat : *Benedicam Dominum in omni tempore , ſemper laus eius in ore meo.* Pſalm.33. n.1. Sic enim coram Deo virtutum omnium maximâ ornatus apparebit , ſi gratitudinis ſplendore veſtitus appareat. Vt enim inquit Philo Hebræus lib. de plant. Noë : *Omnis virtus ſancta eſt , gratitudo verò ſanctiſſima.* Quod quidem rationi conſentaneum eſſe videtur ; ſi enim juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 81. *art.* 6. inter omnes virtutes morales primum locum ſibi vendicat Religio , quia magis accedit ad Deum , inquantum operatur ea quæ directè & immediatè ordinantur in honorem diuinum ; cùm gratiarum actiones , quas de acceptis beneficiis Deo rependimos , ad ipſam Religionis virtutem pertineant ; quia vt idem Angelicus Doctor inſinuat 2. 2. q.106. art.1. ad 1. *Sicut Religio eſt quadam ſuper-excellens pietas , ita eſt quadam excellens gratia , ſiue gratitudo* ; ideo vt Chriſtianus quam in via poteſt aſſequi perfectionem , conſequatur , dignuſque ad diuina recipienda efficiatur beneficia, maximè illud ingens in quo Deus homo Eccleſiæ paſtor extat & pabulum, in gratiarum actionibus jugiter debet occupari , ac perennes amantiſſimo Redemptori hymnos & laudes conſecrare; quamuis ipſe tanto muneri impar , ad Deum perfectè laudandum non ſufficiat. Verùm de gratitudine ſæpiùs redibit ſermo; interim ad præſentem Textum moralibus illuſtrandum properemus.

Ad laudandum Deum ſemper debemus conari.

Religio omnium virtutum moralium excellentiſſima.

Gratitudo ad religionē pertinet.

ELVCIDATIO VI.

A quo poteſtas hominis deriuetur.

Omnem humanam poteſtatem , omnemque humanum auſum , ac conatum Saluatori, Duci , ac Paſtori amantiſſimo Chriſto Domino laudibus conſecrare ſuadet in Textu ſuprà expoſito D. Thomas. Quid juſtius ? *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur , vt iterum fluant* , inquit Eccleſiaſtes *cap.* 1. *n.*7. Cùm è manu Dei procedat homo , omniſque eius potentia , auſus, & conatos ab eodem dimanent Creatore, vt exiſtentiâ , facultatibus & virtutibus potiator , omnes debet Deo rependere , vt illas iterata & jugi donatione recipiat. Vt ergo Chriſto Domino quæ jure debemus, reddere ſatagamus , quæ ab ipſo receptimus perpendere operæpretium eſt. Omnia ergo quæ in nobis ſunt , ab illo habemus , eſſe ſcilicet , poſſe & operari ; in ipſo enim , vt ait Paulus , *viuimus , mouemur & ſumus.* Act.17.28. Verùm hæc omnia ad nos triplicem habent reſpectum ; nam vel illa recipimus , vel amittimus, vel recuperamus. Recipimus per creationem , vel per natiuitatem ; amittimus per peccatum, & tandem per gratiam redemptionis & juſtificationis recuperamus. Agente Deo , & adiuuante, eſſe recepimus : auertente malâ noſtrâ voluntate cor noſtrum ab illo , amiſimus ; & ipſo Domino pro nobis moriente redempti ſumus. Itaque quidquid habemus, & quidquid poſſumus, ab illo bonorum omnium largitore habemus , & per illum poſſumus : quidquid amiſimus , & conſequenter nec habemus , nec poſſumus , à nobis ipſis à Deo ſeparatis procedit, & per nos amiſimus : vnde cum Domino , eius nobis auxilio ſuccurrente , omnia habemus & poſſumus ; ſine Deo , vel eius auxilio, nihil poſſumus , nec habemus. Quæ omnia ſigillatim illuſtrabimus , vt omnibus infirmitas noſtra pateat , & potentia cum miſericordia Dei nemini non ſit manifeſta. Sciant igitur omnes , hominem à Deo eſſe , & per illum ſtare ; à ſe autem , id eſt à ſua propria voluntate , omnis peccati matre & ſcaturigine , cadere , & poteſtate ac eſſe priuari ; & tandem per Chriſtum , & eius gratiæ auxilium à peccato mundari , reſurgere , & priſtinæ , imò ampliori reſtitui dignitati. Sigillatim hæc tria conſideremus. 312.

Quidquid in nobis eſt, Chriſto debemus.

Omnia quæ in nobis, vel recipimus per creationem, vel amiſimus per peccatū, vel per gratiam recuperamus.

Sectio

Sectio Prima.

Quidquid homo in creatione vel productione ſuſcepit, illud omne à Chriſto recepit.

312. Omne quod eſt in homine à Deo eſt.

QVid habes quod non accepiſti? inquit Apoſtolus 1.*Cor.*4. *n.*7. Vtique oihil à ſe bonum habet homo: quidquid eſt, quidquid poteſt, & quidquid operatur, totum illud debet omnipu-tenti Creatori, qui ipſum è nihilo eductum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ingenti bonitate formauit. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, ait Phophetarum Princeps *pſalm.*99. *numer.* 3. Quomodo enim ſeipſum homo produceret, niſi exiſteret antequam eſſet? qood manifeſtè repugnat. Cùm ergo io tempore homo eſſe cœperit, illudque quod poſſidet eſſe, ſit formaliter eſſe dependens ac participatum, vtpote finitum & limitatum; ab eo qui ſemper fuit, quique independens, infinitum, & ſimpliciter eſſe à ſe poſſidet, oriri neceſſe eſt: omne enim eſſe ſecundùm quid, oritur ab eſſe ſecundùm eſſentiam: quod enim eſt ſimpliciter & abſolutè, cauſa eſt eius quod tantùm eſt ſecundùm quid, vt ſæpiſſimè & pluribus in locis docuit Doctor Angelicus. Verùm à quo proceſſit homo? Cuiuſnam operâ erutus eſt ex nihili vaſtitate? Ab illo vtique cui ad nutum paret nihilum, cuiuſve vocem audit, & imperio obtemperat. A Deo ergo, qui ſolus nihili magiſter ſopra nihilum operatur, & infinita quâ pollet virtute ſubſtantias educit ex nihilo; quique vt inquit Apoſtolus Rom. 4. num. 18. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; & cui proprium eſt eſſe Creatorem, vt docet D. Thom. 1.*p.q.*45.*art.*5. formatus eſt homo. Sed vt inquit Tertul. lib. de reſurr. carnis: *Dum ex limo format Deus hominem, limus ille beatus eſt, etſi ſolummodò contactus. Nam toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita*, (pergit Tertullianus) *totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, prouidentiâ, & ipsâ in primis affectione, quæ lineamenta ducabat.*

Nequit homo ſeipſum producere, qnia eſſet antequã eſſet quod implicat. D. Thom.

Solus Deus nihili magiſter, & per conſequens ſolus eſt creator. D. Thom.

Tertull. Limus ex quo formatũ eſt hominis corpus, beatus eſt ex contactu Dei.

313. Totus ergo Deus io hominis efformarione deditus & occupatus totam Trinitatem collaborantem indicat. Quamvis enim Pater, qui *principium & origo totius Deitatis* ab Auguſtino appellatur, creaturarum omnium author in Symbolo Apoſtolorum, & Nicæno Creator cœli & terræ, viſibiliumque omnium & iouiſibilium factor dicatur; propterea à rerum omnium & hominis creatione eius non excluditur Verbum, de qoo *Ioan.* 1. *numero* 3. dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*: nec vtriuſque Amor, qui etiam ab Eccleſia Creatoris nomine inſignitur, dum ab illa ſic inuocatur, *Veni Creator Spiritus.* Cùm enim juxta communem Theologorum ſententiam, eſſentialia toti ſint Trinitati communia, vnde & actiones diuinæ liberæ, quæ à Deo ad extra procedunt, cùm ab eſſentialibus deriuentur, tribus Diuinis vnius eſſentiæ Perſonis æqualiter conueniunt: cúmque, vt docet D. Thomas *qu. citata, art.* 6. creare conueniat Deo ſecundùm ſuum eſſe, quod eſt eius eſſentia, quæ eſt communis tribus Perſonis; ideo non eſt proprium alicui perſonæ, ſed commune toti Trinitati; ac proinde Diuinæ Perſonæ ſecundùm rationem ſuæ proceſſionis habent cauſalitatem reſpectu creationis rerum.

Tota Trinitas in hominis formatione laborauit. D. August.

D. Thom. Creatio eſt actio communis tribus Diuinis Perſonis.

Nam cùm Deus ſit cauſa rerum per ſuum intellectum & voluntatem, ſicut artifex per verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur; Deus Pater operatus eſt creaturam per ſuum Verbum, quod eſt Filius; & per ſuum Amorem, qui eſt Spiritus ſanctus. Quamvis enim natura diuina communis ſit tribus perſonis, ordine tamen qoodam eis conoenit, inquantum Filius accipit naturam diuinam à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Et ideo virtus creandi, licèt communis tribus Perſonis, ordine quodam eis conuenit. Filius enim habet eam à Patre, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Vnde eſſe Creatorem attribuitur Patri, vt ei qui non habet virtutem creandi ab alio: Filio autem prout habet eandem virtutem, ſed ab alio; & ideo de illo dicitur, *per quem omnia facta ſunt*: nam hæc præpoſitio, *per*, ſolet denotare cauſam mediam, ſiue principium de principio. Sed Spiritui ſancto, qui habet eandem virtutem ab vtroqoe, attribuitur quod dominando gubernet, & viuificet quæ ſunt creata à Patre per Filium. Vel dicendum eſt, qood virtus creandi ſecundùm attributa tribus Perſonis conuenientia attribuitur: nam potentia quæ Patri appropriatur, maximè in creatione elucet, & ideo attribuitur Patri Creatorem eſſe. Filio autem appropriatur ſapientia, per quam agens per intellectum operatur, & ideo dicitur de Filio, *per quem omnia facta ſunt*. Spiritui ſancto autem appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines; & viuificatio, nam vita in ioteriori quodam motu conſiſtit: primum autem mouens eſt finis & bonitas. 314.

Deus cauſat res per intellectum & voluntatem.

Creatio diuinis Perſonis ordine quodam cõuenit.

Ex quibus hominis ad imaginem & ſimilitudinem Dei formationem, à tota ſimul Trinitate peractam conſtat. Quod vtique propoſitioni noſtræ in huius ſectionis titulo expoſitæ, nullo modo repugnat; ſemperque verum eſt, omnia in creatione homini conceſſa, à Chriſto Domino illi ſummâ liberalitate fuiſſe donata. Cùm enim juxta D. Thom. 3.*p.q.*16. *art.* 3. hoc nomen Christvs, ſignificet vtramque naturam, diuinam ſcilicet, & humanam in ſuppoſito Verbi Diuini vnitam ac ſubſiſtentem; in illo enim intelligitur diuinitas vngens, & humanitas vncta: cúmque in Chriſto perſona Filij Dei ſit ſuppoſitum naturæ humanæ, vnde vere & propriè nomen hoc *Homo*, poteſt prædicari de hoc nomine, *Deus*, ſecundùm quod ſupponit pro perſona Filij Dei, & verè dicitur, Devs est Homo, & Homo est Devs, quia tunc ly *homo*, ſupponit pro perſona Filij Dei, quem dicimus eſſe hypoſtaſin, ſeu ſuppoſitum naturæ humanæ in Chriſto: ac tandem cùm ea quæ conueniunt Filio hominis, poſſint prædicari de Filio Dei, & è conuerſo; vnde D. Thomas *quæſt.* 16. *citata*, *art.*3. refert D. Damaſcenum *lib.* 3. *fid. orth. c.*6. dicentem, quod *Deus ſuſcepit ea quæ ſunt carnis idiomata*, ideſt proprietates, dum Deus paſſibilis nominatur, & dicitur Deus gloriæ crucifixus: manifeſtum hinc eſt, creationem Chriſto competere, ipſumque non ſolùm hominum eſſe Redemptorem, ſed etiam Creatorem: quod Ambroſius inſinuat, dicens: *Non agnoſcis opus te eſſe Chriſti? Manibus ſuis, vt legimus, te ille formauit;* 315.

D. Thom. Chriſtus ſignificat vtramque naturam, diuinam & humanam, in ſuppoſito Verbi vnitam.

Prædicata filio hominis cõuenientia, de Filio Dei dicuntur, & è conuerſo. D. Damaſc.

& tu Manichæe alterum tibi aſciſcis autherem? Pater Deus dicit ad Filium, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & tu Photiniane dicis, quia in conſtitutione mundi adhuc non erat Chriſtus? Et tu Eunomiane dicis, quia diſſimilis eſt Patri Filius? Nam ſi imago, non diſſimilis vtique, ſed totum ex toto exprimens Patrem, quem Pater ſubſtantia ſua vnitate ſignauit. Pater dicit, faciamus; & tu coöperatorem negas? Quod dixit Pater, Filius fecit; & tu æqualem negas, in quo complacuit Pater? Hæc omnia Ambroſius *lib.* 3. *Hexaemer. cap.* 7. vbi hominem à Chriſto productum euidenter oſtendit. Vnde ipſum Eccleſia alloquens ait:

Chriſtus, dicitur Creator.

Ieſu noſtra redemptio,
Amor & deſiderium:
Deus Creator omnium,
Homo in fine temporum.

316. Quo ſenſu Apoſtolus *ad Hebr. vlt. num.* 8. ait: *Ieſus-Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula.* Nam cùm dicitur homo Chriſtus Ieſus, deſignatur ſuppoſitum æternum, quod eſt perſona Filij Dei, cui eſſe diuinum, virtus infinita, & ipſa poteſtas creatiua ſuo modo, ſicut aliis Diuinis Perſonis, conueniunt. Quo pacto omne quod in nobis eſt, à Chriſto præceſſit, ipſique quilibet homo veraciter verba Iob 10. *num.* 8. poteſt dirigere: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me.* At Deum, non hominem, creantem in Chriſto firmâ fide tene: non enim potuit primum hominem homo creare, alioquin primus non fuiſſet; ille enim huius primi author ante ipſum extitiſſet; aliter enim creare non potuiſſet, ſiquidem *operari ſequitur eſſe*, & *prius eſt eſſe quàm operari*, vt tritum eſt apud Philoſophos. Vnde ſecundum D. Thomam 3. *part. quæſt.* 16. *art.* 10. *in arg.* Sed contrà: *Hæc propoſitio eſt falſa, Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt Creator.* Sed Deum in Chriſto hominum Creatorem, & Deum cum homine in Chriſto hominum Redemptorem ſuſpice. Quod acutè ſanè expreſſit Auguſtinus *tract.* 15. *in Ioan.* dum ait: *Fortitudo Chriſti te creauit; infirmitas Chriſti te recreauit. Fortitudo Chriſti fecit, vt quod non erat, eſſet: infirmitas Chriſti fecit, vt quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine ſuâ; quæſiuit nos infirmitate ſuâ.* Hæc ille; vbi dum hominis creationem Chriſti fortitudini attribuit, diuinæ Filij Dei Perſonæ tantum opus competere demonſtrat. Quod ſanè ex iis quæ ſuperiùs dixerat, optimè deducitur; nam priùs ſic loquutus fuerat: *Inuenimus virtutem Ieſum, & inuenimus infirmum Ieſum: fortem, & infirmum. Fortem, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Vis videre quàm iſte Filius Dei fortis ſit? Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; & ſine labore facta ſunt. Quid ergo illo fortius, per quem ſine labore facta ſunt omnia.*

Omne quod in nobis eſt, à Chriſto eſt.

Prius Chriſtus Deus eſt, & non homo.

D. Thom.

D. Auguſt.

Chriſtus fortis vt Verbū Dei, & tunc Creator eſt; infirmus vt homo, & tūc Redemptor eſt.

317. Verùm quamuis tribus Diuinæ Triados perſonis id quod eſt, debeat homo; tamen ſpeciali titulo vnigenito Dei Filio videtur aſtrictus, à quo ſpeciali modo eſſe ſuſcepit. Cùm enim artifex ſua operetur artefacta per formam artis, quæ eſt in mente ſua, quæ poteſt dici intelligibile verbum ipſius; Deus omnem formauit creaturam per Verbum ſuum, quod vt inquit Auguſt. lib. de vera relig. capite 31. *Eſt illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars Omnipotentis Artificis.* Vnde perſona Filij commemoratur in prima rerum creatione, dum dicitur Gen. 1. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram,* id eſt in *Filio*, qui ibi dicitur principium, ſecundùm Auguſtinum, vt refert D. Thom. 1. *p. quæſt.* 74. *art.* 3. Et ideo præter rationem cauſæ efficientis omnium rerum, quæ toti conuenit Trinitati, ratio cauſæ exemplaris Filio Dei conuenit. Sicut enim verbum, ſeu conceptus artificis, eſt ſimilitudo exemplaris eorum quæ ab artifice fiunt; ita Verbum Dei, quod eſt æternus conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris totius creaturæ, per cuius participationem creaturæ ſunt in propriis ſpeciebus conſtitutæ. Quod docuit D. Thom. 3. *p. q.* 3. *art.* 8. & 1. *p. quæſt.* 34. *art.* 3. vbi ait, quod *Verbum Dei, eius quod eſt in Patre, eſt expreſſiuum tantùm; creaturarum verò eſt expreſſiuum & operatiuum: & propter hoc* (addit D. Thomas) *dicitur in pſalm.* 32. *Dixit, & facta ſunt: quia importatur in verbo ratio factiua eorum quæ Deus facit.* Quapropter Apoſtolus *Hebr.* 1. Chriſti Domini maieſtatem ac diuinitatem eleganti ſtylo deſcribens, ſplendorem paternæ gloriæ, ac perfectam Æterni Patris imaginem cùm illum nominaſſet, ſtatim eius in creaturarum productione ac conſeruatione potentiam adiunxit. Sic enim fatur ibid. num. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Vbi iuxta D. Thom. 1. *p. quæſt.* 34. *art.* 2. dum dicitur, *Verbo virtutis ſuæ*, verbum figuratè accipitur pro effectu verbi: vnde Gloſſa Interlinearis ibi dicit, quod *verbum ſumitur pro imperio*, inquantum ſcilicet ex effectu virtutis verbi eſt, quod res conſeruentur in eſſe; ſicut ex effectu virtutis verbi eſt, quod res producantur in eſſe.

Chriſtus ſeu Verbū, idea & ars Omnipotentis Artificis, ſe Dei Patris.

D. Auguſt.

Per ipſum omnia Pater creauit.

D. Auguſt.

D. Thom.

D. Thom. Verbum Dei repræſentat Patrem, & creaturas, quas etiam operatur.

D. Thom. Verbum Dei res quas produxit conſeruat.

Sic igitur qui omnia in eſſe conſeruat, & qui omnibus eſſe conceſſit Filius Dei, diuinæ gloriæ ſplendor, hominem formauit, eiuſque è limo terræ plaſmauit corpus; ad imaginem Dei fecit illum ille qui Dei inuiſibilis perfectiſſima imago eſt, primogenitus vniuerſæ creaturæ, per quem facta ſunt omnia. Ille non ad imaginem, ſed imago; homo non imago, ſed ad imaginem. Propterea inquit Ambroſius ſerm. 10. in pſalm. 118. *Imago ad eum qui eſt ad imaginem venit, & quærit imago eum qui eſt ad ſimilitudinem ſui, vt iterum ſignet, vt iterum conſirmet, quia amiſit quod accepit.* Et infrà ſic proſequitur: *Ergo dominus Ieſus & corporis author eſt noſtri, qui primum fecit hominem ad imaginem, &c.* Nec propterea ſolius Filij, ſeu Verbi Dei homo refert imaginem, ſed in eius anima, in qua præcipuè Authori ſuo conformis eſt, totius elucet ſimilitudo Trinitatis. Et primò quidem communem tribus Perſonis eſſentiam, & diuinæ omnipotentiæ vnitatem animaduerte: ſicut Deus vnus ſemper vbique totus eſt, omnia viuificans, mouens & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat, cùm ait: *In eo viuimus, mouemur & ſumus.* Act. 17. 28. ſic anima in ſuo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens & gubernans; nec enim in maioribus corporis ſui membris maior, & in minoribus minor, ſed in minimis tota, & in maximis tota. Deinde ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit: ita anima ſecundùm ſuum modum eſt, viuit & ſapit. Sed alia in homine eſt trinitas ad imaginem ſui Conditoris, perfectæ

318. Chriſtus imago Dei: homo ad imaginem.

D. Ambroſ. Dum hominem reparat, iterum ſignat.

Anima hominis vnitatem diuinæ eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum repræſentat.

perfectæ & ſummæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus ſancti: quia licèt vnam habeat naturam, tres tamen in ſe habet dignitates, intellectum, voluntatem & memoriam. Nam ſicut ex patre generatur Filius, & ex Patre, Filioque procedit Spiritus ſanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, ideſt ex cognitione procedit amor, & ex his item ambobus procedit memoria, ſicut facilè à ſapiente quolibet intelligi poteſt. Nec enim anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus; nec horum trium vnum aliquod, quantùm ad ſuam pertinet beatitudinem, ſine aliis duobus integrum conſtat. Et ſicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus eſt, non tamen tres Dij ſunt, ſed vnus Deus tres habens perſonas; ita & in anima intellectus, in anima voluntas, in anima memoria; non tamen tres animæ in vno corpore, ſed vna anima tres habens dignitates: atque in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo. Ex quibus quaſi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Conditorem, vt inquantum intelligitur, diligatur, & in quantum diligitur, ſemper in memoria habeatur. Nec ſolus ſufficit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas; immò nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, quam ſemper in mente intelligentis & diligentis conſeruat Deus, vt ſicut non poteſt eſſe momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordiâ; ita nullum debeat eſſe momentum, quo præſentem eum non habeat in memoria. Hæc & alia plura de Dei in homine imagine proſequitur idem D. Ambroſius *lib. 6. Hexaëmer. cap. 3.* vbi ſanè eleganter bonitatem Dei per ſuam imaginem in homine diffuſam oſtendit.

Homo Deū cuius eſt imago, debet intelligere, amare, & eū ſemper in memoria habere.

D. Ambroſ.

319. Sciat ergo homo, quod qualiſcumque ille ſit, ſiue in anima, ſiue in corpore, ſiue etiam in illis quæ extra ſeipſum poſſidet bonis; tanquam vera creatura, non ſolùm quod eſt, ſed etiam quod talis eſt, ab alio eſt, non à ſe: à Deo eſt, & ab ipſo Dei Filio Chriſto Ieſu, à quo etiam, prout homo eſt, non abſolutè & omninò, ſed quodam modo habuit eſſe: nam iuxta ſanctos Patres, dum limus manu Dei in corpus humanum conflabatur, propter Chriſtum qui aliquando carnem ex limo compactam induere volebat, mirabilis humani corporis fabrica producebatur. Vnde eleganter Tertullianus *lib. de reſur. carn. cap. 6.* ſuprà à nobis allato, poſtquam ſummam illam curam, quâ Deus primum hominem de limo terræ coagmentauit, expreſſit, ſtatim ſubdit: *Limus ille jam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed pignus.* Poſteaque ſic concludit: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Nam ſi Chriſtus omnium hominum nobiliſſimus, non ſolùm illorum reſtaurator extitit, ſed finis, qui iuxta Philoſophum *lib. 2. Phyſic. Text..* habet rationem optimi, & ſecundùm communem Sapientum doctrinam, primus eſt in intentione; nunquid in primi formatione hominis ipſe Chriſtus cognitus, deſideratus, ac amatus eſt? Ac deinde, ſi finis eſt *id cuius gratiâ aliquid fit*, vt tritum eſt apud Philoſophos, gratiâ Chriſti, & propter tantum Redemptorem creatum hominem, quis ambiget?

Nihil à ſe, ſed totum quod eſt homo, à Chriſto eſt.

Tertull.

Dum è limo corpus hominis formabatur, Chriſtus cogitabatur.

Qui finis eſt omnium hominum.

320. Cæterarum omnium corporearum creaturarum finis homo eſt; ad ipſum enim cætera corpora, etiam cœleſtia ordinantur. Hinc illum ſextâ die omnium operum Dei nouiſſimum ideo

Sicut homo finis omniū creaturarum.

productum exiſtimauit Angelicus Doctor, qui *de potentia quæſt. 4. art. 18. ad 5.* inquit: *Homo eſt finis creaturarum; finis autem licèt ſit primus in intentione, eſt tamen vltimus in operatione; vnde & homo vltimò factus fuit.* Cùm ergo bonum in fine ſemper reperiatur; & ea quæ ſunt ad finem, ab ipſo bonitatem ſortiantur; homo non ſolùm bonus eſt, ac omnium rerum viſibilium optimus, ſed aliis impertiit bonitatem, ſicque propter hominem, ipſum Vniuerſum bonum eſt, immò & valde bonum. Nam vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, vt dicitur *Gen. 1. num. 31.* vbi Honcalà ait: *Ante quidem erant ſingula bona; propter hominem autem omnia valdè bona.*

Ideoque nouiſſimus omnium productus.

D. Thom.

Quæ ex ſe bona, propter hominē ſunt valde bona.

Perfectiſſimum itaque omnium operum Dei hominem eſſe conſtat, ipſos quippe cœlos dignitate antecellit; authorem enim ſuum cognoſcit & diligit, eiuſque gratiam diuinæ radium naturæ in ſe ſuſcipit & conſeruat; quod cœlis nequaquam poteſt conuenire. Ideoque vt advertit Ambroſius, qui creationis opus cœlorum productione aggreſſus eſt, cœli myſtici ac ſpiritualis, ſcilicet hominis formatione terminauit, vt finis reſpondens principio, etiam principium perfectione ſuâ finis ſuperaret. Sic enim Ambroſius habet epiſt. 38. *Cœlum primò eſt conditum, nouiſſimus homo, quaſi quadam cœleſtis in terra creatura. Primum cœlum, & nouiſſimum cœlum, in quo quod vltra cœlum eſt, Deus cœli eſt: proceſſit poſtremus mente ſublimis, vt in omni eſſet creatura miraculo. Quod nouiſſimus factus ſit, ad honorem eius referendum eſt. Currus elephantorum, quibus homo vectus, aſſiſtens cùm ſit poſtremus, priores regit; ideo nouiſſimus venit, tanquam creaturarum gubernator: rectè nouiſſimus, quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſa mundi, propter quem facta ſunt omnia.* Hæc acutè, & diſertè Ambroſius. 321.

D. Ambroſ.

Prima creatura fuit cœlum corporeum.

Vltima fuit cœlum myſticum, nempe homo.

Homo igitur Authoris ſui efformatus ad imaginem, omnium finis ac perfectio creaturarum, in omnibus earum productionibus à Deo creante cogitabatur: à pari igitur Chriſtus omnium hominum finis, perfectio, ac corona, in ipſa hominis plaſmatione mentem Conditoris occupabat; ac propter ipſum qui perfecta imago Dei eſt, homo diuinæ ſimilitudinis charactere eſt inſignitus, & ſupra omnia Dei opera, *paulò minùs ab Angelis minoratus*, immenſa bonitate collocatus. Quod facilè intelligitur, ſi celebris illa Scholæ diuiſio de fine, in finem *cui*, & finem *qui*, ſeu *cuius gratiâ*, attendatur. Hi enim fines ſe inuicem præcedunt in diuerſo genere cauſæ: nam ſanitas verbi gratiâ, quam Medicus appetit ægroto, eſt prior illo in genere cauſæ finalis, & in ratione finis *qui*, vel *cuius gratiâ*: ipſe verò æger cui deſideratur, eam præcedit in genere cauſæ materialis, & in ratione finis *cui*. Eodem planè modo cùm Chriſtus ſit finis totius ordinis naturæ & gratiæ, eſt prior genere humano in ratione finis *qui*, & vt dicitur Eccleſ. 24. *Primogenitus ante omnem creaturam.* Ipſum verò genus humanum, & totus ordo naturæ Chriſtum præcedit in genere cauſæ materialis, & in ratione finis *cui*, vt fusè docent Theologi cum Diuo Thom. 3. *p. in tract. de Incarnatione.* 322.

Propter Chriſtum homo Dei imagine eſt inſignitus.

Chriſtus prior homine in genere cauſæ finalis: homo prior Chriſto in genere cauſæ materialis.

D. Thom.

Cæterùm aliâ etiam ratione à Chriſto accepit eſſe primus homo: cùm enim ſubſtantia naturalis 323.

Digitized by Google

Subſtantia hominis eſt effectus prædeſtinationis illius. *D. Auguſt.* *D. Thom.*

illius, non quidem intra limites puræ naturæ, ſed vt gratiâ ſtatim ornata, & ad æternam beatitudinem ordinata immenſo amore Creatoris, ſit effectus non quidem elicitus & proximus, ſed imperatus ſuæ prædeſtinationis, vt colligitur ex D. Auguſtino *ep.* 105. vbi explicans illud ad Rom. 8. *Vt ſecundùm electionem, propoſitum Dei maneret,* ait: *Secundùm electionem, quâ facit eligendos, non quâ inuenit illos:* & docet D. Thomas *in* 1. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 4. quem ſequuntur communiter eius diſcipuli *ad qu.* 23. *primæ partis*, *art.* 2.

Chriſti prædeſtinatio eſt cauſa & exemplar prædeſtinationis humanæ.

Cumque Chriſti Domini prædeſtinatio ſit exemplar & cauſa prædeſtinationis humanæ, vt docet Angelicus Doctor 3. *p. qu.* 19. *art.* 3. *&* 4. ex illo Eph. 1. 5. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Christum*; quia licèt Deus vno eodemque actu æterno prædeſtinauerit Chriſtum, & nos: tamen ipſe prædeſtinatus eſt ad hoc quod eſſet Filius Dei naturalis; nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis; vnde *Rom.* 8. dicitur: *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui*: & ſicut natura humana in Chriſto, nullis ſuis præcedentibus meritis eſt vnita Filio Dei, ſic ex mera Dei benignitate homines prædeſtinantur; ideo nequit homo ſine Chriſto naturæ donum recipere, maximè cùm hæc ſine gratia nuſquam fuerit illi conceſſa. Vnde ſicut cæteræ corporeæ creaturæ ad hominem ordinatæ, etſi tempore ante hominem formatæ, tamen homine intentione poſteriores, niſi cum homine qui futurus videbatur, ex omnipotentis manibus Artificis prodierunt: ſic homines niſi cum Chriſto, qui tanquam eorum finis cogitabatur, producti ſunt.

Nuſquam homines, niſi cum Chriſto.

Quod expreſſiſſe videtur Apoſtolus 1. *Cor.* 3. *num.* 23. dum dicit: *Omnia veſtra ſunt; vos autem Chriſti*: vt, ſicut loquitur D. Ambroſ. hîc, *quomodo hæc iudicio noſtro conceſſa ſunt, & ſubiecta; ita nos Chriſto ſubjiciamur*; quippe cùm per ipſum eſſe cœpimus, & in prima origine, & in regeneratione.

SECTIO II.

Mala hominis non à Deo, ſed à ſolo homine procedunt.

324. *De malis culpæ, non pœnæ, eſt ſermo.*

IN huius limine ſectionis monitum Lectorem eſſe volumus, per mala hominis in titulo poſita, mala culpæ, & non pœnæ ſignificari; quamvis enim vtraque à praua hominis voluntate deriuentur, prout omnis pœna peccati præmium eſt; tamen pœnam aliquando homini Deus judex æquiſſimus infligit: quo ſenſu dicitur Amos 3. 6. *Non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* At nuſquam peccatum, vel minimum Deus producit; ipſe enim optimus ac ſanctiſſimus, licèt omnia poſſit, tamen peccare non poteſt, nec in peccatum vt tale eſt, influere; vnde *Pſalm.* 5. *num.* 5. dicitur, *non Deus volens iniquitatem tu es.*

Deus ſanctiſſimus nequit peccatum producere.

Quomodo enim à luce tenebræ orirentur. Quomodo ab ente, ac totius entis origine nihil procederet? *Sine ipſo factum eſt nihil*, inquit dilectus Chriſti diſcipulus, *Ioan.* 1. *num.* 3. ideſt ſine ipſo peccatum in mundo apparuit, vt ibi exponit Auguſtinus.

D. Auguſt. tr. 1. in Ioan.

A Deo ergo, qui non ſolùm optimus eſt, vtpote ipſum ſummum bonum, ſed etiam *fons bonitatis*, vt ipſum appellat Doctor Angelicus *lib.* 1. *cont. gent. cap.* 39. malitia nequaquam procedit, ſed à ſolo homine, cuius eſſe & operari mutabilia & defectibilia ſunt, vt à prima cauſa deficiente peccata oriuntur.

Deus fons bonitatis. *D. Thom.*

Siquidem vt aduertit D. Thomas 2. 2. qu. 161. art. 3. *In homine duo poſſunt conſiderari, ſcilicet id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis: hominis autem eſt quidquid pertinet ad defectum; ſed Dei eſt quidquid pertinet ad ſalutem & perfectionem, ſecundùm illud Oſeæ* 13. *n.* 9. *Perditio tua Iſrael ex te eſt, ex me tantùm auxilium tuum.*

Omne bonum hominis à Deo: omne malũ eſt ab homine.

325. *Hæretici Deum authorem peccati blaſphemant. Lutherus, Caluinus & ſequaces.*

Apage ergo blaſphemias & impietates hæreticorum, qui in cœlum ponentes os ſuum, Deum peccati authorem, hominemque à Deo cogi, vel neceſſitari ad peccandum, impudenti mendacio aſſeruerunt. Obmuteſcat Lutherus qui tantum errorem docuit in ſuis aſſertionibus, *aſſert.* 36. Obmuteſcat etiam Caluinus qui *lib.* 3. *Inſt. cap.* 23. *num.* 3. inquit, *Deum eſſe authorem criminis, ſe centies confiteri*: & *in eod. lib.* irridet Catholicos permiſſionem peccati ab eius effectione diſtinguentes, & ait, *Deum eſſe eorum omnium authorem, quæ iſti cenſores* (ſic ſugillat Catholicos) *volunt otioſo tantùm permiſſu contingere.* Et *lib.* 2. *Inſt. cap.* 4. *num.* 2. affirmat Deum tentare poſitiuè homines ad peccandum, & ad eos tentandos vti operâ dæmonum; ſic enim ait: *Sathan ipſe inſtrumentum cùm ſit iræ Dei, pro eius nutu ac imperio huc atque illuc ſe inflectit ad exequenda eius iuſta iudicia.* Et ſubdit: *Omitto hîc vniuerſalem Dei motionem vnde creaturæ omnes vt ſuſtinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt: de ſpeciali motione tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet.* Taceant inſuper prophani omnes Nouatores tantam ſectantes impietatem, à ſacris Literis alienam, à Conciliis generalibus in Spiritu ſancto congregatis exploſam, à Sanctis Patribus oppugnatam, & à recta ratione conuictam, vt ſigillatim exponemus.

Deum ſanctiſſimum, nullius culpæ authorem, immò omnium culparum æquiſſimum ac ſeueriſſimum vindicem, ſacræ reſtantur paginæ. Nam *pſal.* 144. *n.* 17. dicitur: *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Ac ſi diceret Propheta, in ſe & extra ſe ſemper iuſtus eſt Dominus, ac in omnibus ſuis operibus, actionibus, influxibus, ac communicatis auxiliis perpetuò ſanctus; nuſquam culpæ principium, aut alicuius criminis author eſt. 326.

Deus ſemper Sanctus.

Si enim *diuina ſanctitas omnium excellentiarum excellentiſſima eſt*, vt loquitur de D. Dionyſ. *lib. de diuin. nomin. cap.* 12. vbi ait, *Deus per excellentem cuncta excellentiam Sanctus Sanctorum prædicatur*: malum autem culpæ ſit quædam in creatura rationali turpitudo producens maculam in animæ ſplendore, corrumpens naturale bonum, & inducens reatum pœnæ, vt docet D. Th. 1. 2. *q.* 109. *art.* 7. impoſſibile eſt quod ſanctus in omnibus operibus ſuis ſit Deus, ſi peccatum aliquo modo producit. Vnde dum ſanctus vbique Deus dicitur, vbique à culparum maculis prædicatur alienus; maximè cùm ipſa ſanctitas ſit iuxta eundem Dionyſ. lib. de diu. nom. c. 12. *Ab omni immunditia libera omninò & perfecta munditia*; ideſt, perfectiſſima puritas ab omni etiam minima peccati labe immunis, ac omninò diſcreta.

Nuſquam peccatum producit, aut approbat.

Quod ſanè adeo conuenit diuinæ ſanctitati, vt Propheta de Deo dixerit: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Habacuc 1. num. 13. Non quod Deus non cognoſcat peccata; ipſum enim malum latêre nõ poteſt: vnde Propheta dicebat pſal. 50. 6.

Tibi

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; ideſt, te vidente ſcelus perpetraui: ſed quia mala non approbat, nec producit, nec videt eâ ſcientiâ approbationis, quæ eſt cauſa rerum, vt docet D. Th. 1. *p. q. 14. art.* 8. Etenim non-videt mala, niſi per bona ipſis oppoſita, quorum ſpecies in eius eſſentia reperiuntur, vt per eos mala ipſis oppoſita attingat, vt docent communiter Theologi cum D. Thoma ad quæſt. 14. primæ partis, citatam. Vnde Iacob. 1. 13. dicitur: *Deus intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat*: ideſt, nemini malum ſuadet, neminem ad malum incitat, ſed ſemper ad bonum inſtigat. Quod ideo dixit Iacobus, vt Simoni Mago, *omnium hæreticorum*

D. Iren. *parenti*, ſicut illum appellat D. Irenæus ſtatim citandus, qui iam temporibus Apoſtolorum Deum malorum & peccatorum authorem conſtituebat, vt refert D. Iræneus *lib. 2. cap. 12. & lib. 4. cap. 77.* ſe opponeret, eiuſque peſſimum errorem veritatis gladio iugulet. Sed ante hunc Apoſtolum ſacra illam promebant oracula veritatem, Eccleſiaſtici c. 15. 12. *Non dicas, ille me implanauit, non enim neceſſarij ſunt ei homines impij: nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.* Vbi Græcè habetur, *licentiam peccandi*:

Nullo modo in peccatum influit Deus.

ideſt, vt grauiſſimi exponunt Interpretes, nulli data eſt vitæ dilatio, vt peccet, ſed vt cum alio conuertatur. Quod planè demonſtrat Deum nec concurſu, nec conſilio, nec motione homines ad peccatum inducere, aut in ipſum peccatum influere. Quomodo enim in culpam ageret, qui culpam odit, omneſque criminis reos deteſtatur. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*, ait Dauid *pſal. 5. num. 6.* & Sap. 14. num. 9. dicitur: *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Impoſſibile igitur videtur, Deum nequitiam producere, quam in hominibus, & in Angelis odit, ac in vtriſque æterno mulctat ſupplicio.

Cæterùm Eccleſia Catholica, CVIVS EST SACRAS
327. LITERAS EXPLICARE, ET INTERPRETARI, nuſquam Deum authorem peccati exiſtimauit, immò ſemper eos qui talem in Deum blaſphemiam auſi ſunt euomere, anathemate damnauit. Vnde Nouatores qui poſteriori ſeculo hunc ab inferis reuocarunt errorem, fulmine percuſſit in Concilio Trident. ſeſſ. 6. Can. 6. *Si quis dixerit*,

Conc. Trid. inquit, *mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permittendo ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeo vt ſit propium eius opus, non minùs proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Quod etiam in Concilio Arauſicano II. temporibus Hilarij Papæ anno 463. Can. 25. ſub finem decernitur his verbis. *Aliquos ad malùm diuinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere volint, cum omni deteſtatione in illos anathema dicimus.*

Concilia, Deum non eſſe authorem peccati definiunt.

Vbi Deum authorem peccati aſſerentium impia damnatur ſententia; nam ſi culpæ Deus author eſſet, cùm nihil in tempore eueniat, quod ante tempus Deus non præuiderit, homines ad malum prædeſtinare rectè diceretur, ſi illos ſuo decreto ab æterno, & ſuo concurſu in tempore ad peccandum moueret, & impelleret. Matri ſuffragantur filij, & Eccleſiæ definitionibus Sanctorum Doctorum teſtimonia conformantur: omnes enim Sancti Patres Deum bonorum tantùm, & non malorum culpæ authorem ſcriptis ſuis produnt. Sic docuit D. Baſilius in illa homilia, quod Deus

Docent ſancti Patres. D. Baſil. D. Auguſt.

non eſt author malorum, vbi notat, quod *malum eſt propriè peccatum, hæc verè dignum appellatione.* Id etiam affirmat D. Auguſtinus *lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 9.* vbi ait: *Malæ voluntates à Deo non ſunt, quia contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Et in Manuali, *cap. 2.* inquit: *Qui Deum bonum & ſanctum negat, authorem malorum eum comminiſcens, Deum omninò negat.* Idem planè docuit D. Ambr. *lib. 1. Hexaëmer, cap. 8.* vbi poſtquam dixit: *Nunquid ſimul malitiam Deus creauit? Sed ea ex nobis orta, non à Creatore condita, morum leuitate generatur.* Sic concludit: *Eradicari hanc Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo eam ipſa generaret, cum clamet Propheta, Deſinite à malitiis veſtris: & præcipuè ſanctus Dauid, Deſine, inquit, à malo, & fac bonum.* Pſal. 36. *Quomodo ergo ei initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum eſt qui perturbandam Eccleſiam putauerunt.* D. Ambroſ.

Idem ſentit D. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum, cap. 19.* vbi ait: *Deus non eſt author illius rei, cuius eſt vltor.* Cùm ergo ſit vltor peccati, illius author minimè eſſe valet. Quod carmine de ingratis D. Proſper expreſſit hoc dyſticho; D. Fulgent. D. Proſp.

Per verbum omnipotens Deus omnia condidit vnus;
A quo natura eſt nulla creata mali.

Vnde D. Auguſtinus acerrimus Dei ſanctitatis, & gratiæ propugnator, omnia bona quæ ſunt in homine, ipſi à Deo fuiſſe conceſſa, peccata verò à ſolo homine producta eſſe demonſtrat. Sic enim *in pſalm. 44. num. 3.* loquitur: *Quærebat ille quid retribueret, qui dixit, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et inuenit quaſi aliquid. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hoc illi rependis, qui calicem ſalutaris accipis.* Et poſt pauca ſubdit: *Sed caue, ne dum quæris quid illi retribuas, quod ab illo non acceperis, inuenias, ſcilicet peccatum tuum: hoc planè ab illo non accepiſti, ſed nec ei dare debes.* D. Auguſt.

Nec recta hac in parte deficit ratio; ipſa enim 328.
ſuadet quod Scriptura loquitur, Concilia docent, ac Sancti Patres Patres docuerunt. Primò igitur repugnat Deum eſſe peccati cauſam, ex ſumma eius bonitate; & ſic hæc ratio procedit. Sicut Deus eſt prima veritas, & infinita ſapientia; ita & ſumma bonitas, & perfecta ſanctitas. Eſt enim ſummum bonum, & Sanctus Sanctorum appellatur, *Dan. 9. num. 24.* Sicut igitur ratione ſuæ veracitatis, & infinitæ ſapientiæ non poteſt mentiri, nec fallere, aut falli; ita ratione ſuæ ſanctitatis & bonitatis infinitæ, non poteſt peccare, neque ad peccatum concurrere. Quod attigit Philo Iudæus *lib. de confuſ. linguarum*, vbi ait, *Deum bonorum tantum eſſe cauſam, mali autem prorſus nullius: quandoquidem ipſum bonum omnium antiquiſſimum eſt & perfectiſſimum; decet autem ſua natura propria operari, optimum optima.*

Ratio ſuadet.

Bonitati Dei peccatū omnino repugnat.

Secundò Deum peccati authorē ponere, maximæ 329.
eius ac infinitæ ſapiētiæ derogat. Cùm enim juxta tritum Philoſophorum proloquium, ex Ariſtot. 2. *Methaph. cap. 2.* ſapientis ſit ordinare, ideſt dirigere res in ſuum debitum finem; vnde de Sapientia dicitur Sap. 8. num. 1. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*: omne autem *peccatum fit per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum, ſicut in finem*, vt loquitur D. Thomas 1. 2. *q. 79. art. 1.* impoſſibile eſt, quod Deus, qui ſapientiſſimus eſt, immò & ipſa ſapientia, creaturam rationalem à ſuo vltimo fine, ideſt à ſeipſo auertat, ad peccatum, quod ab eo illam remouet, inclinando: immò cùm *Deus omnia inclinet, & conuertat in ſeipſum*, vt dicit D. Dionyſius *cap. 1. de diuin. nominibus*, hominem ad ſeipſum diriget, & ordinabit: & conſequenter nullo modo illius peccati vel author, vel motor exiſtet, neque

Repugnat etiam eius ſapientiæ.

D. Thom. D. Dion.

Digitized by Google

in illud, etiam indirectè influet; quia etſi aliquibus Deus non præbet auxilium ad euitandum peccata, quod ſi præberet, non peccarent, non propterea poteſt eſſe cauſa peccati indirectè; hoc enim totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cùm ipſe ſit ſapientia, & juſtitia, vt docet Angelicus Doctor *loc. iam citato*: non enim tunc tenetur tale auxilium dare; & ſi denegat, juſtè denegat, vel in pœnam præteriti peccati, vel quia non debet, vel tandem propter rationes nobis occultas, ſuæ autem ſapientiæ notas, & prouidentiæ ſuæ congruas, ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, & ad bonum vniuerſi, & præcipue electorum. Sicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis nauis ex hoc, quod non gubernet nauem, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens & debens gubernare.

Iuſtè Deus denegat auxilia ad vitandum peccata.

330. Tertiò denique, Deum authorem eſſe peccati, maximè diuinæ officit omnipotentiæ. Implicat enim eum, qui ſummè eſt potens, aliquâ infirmitate notari; quia ex ipsâ impotentia manifeſtè in agente arguitur: vnde cùm Deus ſit omnipotens, nihil rectum ipſi eſt impoſſibile, nec vlla in eius actionibus vel minima infirmitas reperitur. Dicitur enim *Luc.* 1. non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Sed peccare eſt maximum infirmitatis argumentum, & imbecillitatis indicium; quia omne peccatum *eſt defectus a recto ordine, & deuiatio à recto fine, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ*, vt docent communiter Theologi cùm D. Thoma 1. 2. *in tractatu de peccatis*: ergo Deus nequit in peccatum concurrere, nec illius eſſe author; ſi enim hominem ad peccatum, quatenus tale, inſtigaret, & realem in malitiam ſceleris haberet influxum, ipſum peccatum verè produceret, verumque eſſet dicere, Deum peccare: quod tamen impium eſt, ac non minimum ſcelus cogitare. Ex hoc enim ſequeretur Deum eſſe infirmum, quia non poſſet in rectum finem omnia ordinare, & quia à recta actione deficeret. Vnde D. Thom. 1. *p. q.* 25. *art.* 3. *ad* 2. ait: *Peccare eſt deficere à perfecta actione; vnde poſſe peccare, eſt poſſe deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ: & propter hoc Deus peccare non poteſt, qui eſt omnipotens.* Meritò igitur nullà infirmitatis maculâ, concurſu vel influxu in productionem peccati diuina labefactatur omnipotentia, quæ cum diuina ſanctitate ſoror veluti germana connectitur, vt ſemper innocentia in potentia Dei ab omni nequitia libera oſtendatur. Sic enim habetur 1. Reg. 2. num. 2. *Non eſt ſanctus vt eſt Dominus, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Vbi fortis, ideſt potens, nominatur; illius enim fortitudo potentia eſt operandi: hæc autem adeo ſancta & innocens eſt, vt nulla creatura, propter peccandi & deficiendi impotentiam, ſimilem habeat. Quo ſenſu 1. *Tim.* 6. *num.* 15. dicitur: *Beatus, & ſolus potens.* Cùm enim ex ſe, ideſt ex ſuo eſſe, & ex ſua ſubſtantia, quæ æterna & infinita, ac omnium ſubſtantiarum creatarum radix eſt, & origo, eius potentia in operando deriuetur, neque ab illa diſtinguatur, dum agit, nequit à ſuo principio, ſeu à ſeipſa recedere, nec conſequenter creaturas ad peccatum, quod auerſio à Deo eſt, inſtigare. Et ideo ſæpiſſimè D. Thomas ait, quod *Deus non eſt cauſa tendendi in non eſſe*, ſeu in nihilum, quod ipſi, qui eſt ens per eſſentiam, opponitur: at creaturæ, cùm ex ſeipſis non ſint, ſed à Deo ſuum eſſe participent, omnemque agendi facultatem (operari enim ſequitur eſſe, vt tritum eſt apud Philoſophos, reſque ab eo habet operari, à quo habet eſſe) dum ſibiipſis relinquuntur, & ab eo, à quo eſſe dependens & participatum accipiunt, recedunt, in id quod ex ſeipſis ſunt, ideſt in nihilum, à quo eductæ ſunt, redeunt per peccatum, quod cùm deficiat ab vltimo fine, deficit etiam à primo principio, ac conſequenter ab eſſe, & à potentia operandi, maximamque in peccante arguit impotentiam & infirmitatem.

Diuinæ omnipotentiæ peccatum nō conuenit.

D. Thom.

Peccatum maxima eſt infirmitas.

Peccatum ad nihilum ducit.

331. Vnde propter imbecillitatem, quâ poſſunt peccare creaturæ, infirmæ & impotentes dicuntur, ipſeque Dauid aliquando peccati labe inquinatus dicebat pſal. 6. num. 3. *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* Deus autem propter ſummam ſanctitatem, ac impeccabilitatem, fortis ac omnipotens à ſacris literis appellatur. Vnde Chriſtus, qui propter vnionem Verbi Diuini cum natura humana omninò impeccabilis eſt, antonomaſticè *Deus fortis*, ab Iſaïa *cap.* 9. *num.* 6. nominatur; immo adhuc in intemeratæ Virginis incluſus vtero, robuſti nomen obtinuit; ſic enim illum demiratus eſt Rex ille Pacificus in illo quarto quod penitus ſe ignorare fatetur, Prou. 30. num. 19. *Viam viri in adoleſcentia*, ſeu vt doctiſſimi Hebræi, vt videre eſt apud Galatinum, legunt, *Viam viri in adoleſcentula*, ſeu *in virgine*; in Hebræo eſt, *Viam robuſti in virgine.* Adeo enim robuſtus fuit, vt nuſquam peccati pondere ſit depreſſus, immò omne peccati robur contriuit, ipſoſque cacodæmones, qui validiſſimi à gentibus exiſtimabantur, adhuc infantulus ſuperauit. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci*, inquit Vates Euangelicus *Iſai.* 18. *num.* 4. vbi D. Cyrill. Alexandr. inquit: *Robur & firmamentum omne Aſſyriorum fuerunt dæmonia, quæ ſinguli colebant.* Cùm igitur potentia Dei in debellandis Angelis peccatoribus, & in hominibus à peccato liberandis eluceſcat; diuinam omnipotentiam nullo modo in peccatum poſſe concurrere, liquet. Nam ſi influeret in nequitiam, homines ad peccatum inducendo, illorum infirmitatis ac imbecillitatis cauſa exiſteret, eoſque ad æternæ damnationis abyſſum daret præcipites. Quod ſanè ſacrilegum eſt, contra id dicente Prophetâ: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus; & factus eſt mihi in ſalutem.* Pſalm. 117. num. 14. Quidquid igitur fortitudinis in nobis eſt, quidquid nos ad ſalutem inclinat, hoc tantum à bonorum omnium largitore Deo nobis piâ liberalitate donatur: quidquid verò malitiæ aut ſceleris in nobis eſt, à peruerſa noſtra, & Deo rebelli voluntate producitur.

Galatin.

D. Cyrill. Alex.

Chriſtus quia impeccabilis, etiam in materno vtero robuſtus & vir appellatur.

§. I.

Subſtantia, ſeu entitas actus peccati eſt à Deo; malitia autem à ſola voluntate creata.

332. VErùm quia in actu peccaminoſo aliquod bonum reperitur, nempe ipſa entitas actus, quæ bona eſt bonitate tranſcendentali, non parua apud Theologos eſt difficultas, an Deus poſſit dici cauſa efficiens, & author illius entitatis actûs peccati. Ad cuius euidentiam neceſſe eſt expendere, in peccato commiſſionis duas rationes reperiri, materialem ſcilicet & formalem.

Illa

Materiale peccati dupliciter poteſt ſumi.

Illa eſt ipſe actus à voluntate elicitus, vel imperatus, qui eſt ſubiectum malitiæ; iſta verò eſt deformitas ipſa, & malitia, per quam conſtituitur in ratione peccati & mali moralis. Prima, nempe materialis ratio peccati, quæ eſt ipſa entitas actus, poteſt dupliciter eſſe fundamentum malitiæ moralis. Primò formaliter & reduplicatiuè, prout ſcilicet fundat ipſam malitiam & deformitatem. Secundò materialiter, ſeu ſpecificatiuè, prout dicit illud quod aliàs eſt materiale & fundamentum malitiæ peccati; non tamen prout eſt huiuſmodi. Sicut fundamentum relationis poteſt conſiderari formaliter, quatenus eſt tale fundamentum; & materialiter prout eſt res, quæ aliàs eſt fundamentum relationis. Quemadmodum igitur fundamentum relationis abſolute & materialiter ſumptum, pertinet ad ſuum ſpeciale genus, putà ſubſtantiæ, qualitatis, vel actionis; prout autem fundamentum formaliter & reduplicatiuè, reducitur ad lineam relatiuorum, tanquam initiatiuum ipſorum; ita materiale peccati abſolutè & materialiter ſumptum, pertinet ad lineam entis & boni tranſcendentaliter; formaliter verò, & redublicatiuè pertinet reductiuè & initiatiuè ad lineam mali moralis, ſicut initiatiuum ipſius.

333. Si ergo actus, ſeu entitas peccati conſideretur materialiter & abſolutè prout eſt ens, & actus phyſicus & vitalis à creatura rationali realiter productus, realiter etiam à Deo omnis entitatis principio procedit; & Deus non ſolùm permiſſiuè, ſed etiam poſitiuè concurrit etiam concurſu præuio in talem actum materialiter ſumptum; alioquin neceſſariò admittenda eſſent plura rerum principia, quod eſt Manichæorum deliramentum ab Eccleſia in Symbolo Nicæno reprobatum, dum profitetur Deum Creatorem omnium rerum viſibilium & inuiſibilium. Nec propterea diuinæ ſanctitati derogatur, nec Deus poteſt dici author peccati, quia hic concurſus Dei præciſiuus eſt, & ſiſtit intra ordinem phyſicum, ac tantùm formalitates ad illum ordinem pertinentes attingit.

Entitas phyſica actus peccati eſt à Deo.
Dom. Soto.

Vnde Dominicus Soto *in libb. de natura & gratia*, à Legatis Concilij Trident. vbi illos edidit, approbatis refert ſic ſentire omnes ſui temporis Theologos. Sic enim fatur lib. 1. cap. 18. *Haud equidem diffitemur Theologi, entitatis* (ita vocant) *quæ eſt peccatum, Deum eſſe cauſam eo efficientia genere, quo cuncta animantia, & inanimata ad ſuas naturales actiones præmouet.*

B. Alb. Magn.

Et B. Albertus Magnus *in 2. Sent. diſt. 35. art. 7.* loquens de oppoſita ſententia, quæ docet nullo modo Deum in entitatem peccati concurrere, inquit quod *hæc opinio quæ obtinuerat plures antiquorum, ferè ceſſit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica.*

334. Erroneum enim eſſet, & hæreſi proximum, dicere aliquam realem entitatem vel ſubſtantiam alicuius actus eſſe in rerum natura ſine diuina cauſalitate: quod vtique eſſet, ſi materialis entitas, & ſubſtantia actus peccati ab omni diuino libera eſſet concurſu. Quod tamen prorſus impoſſibile eſt, cùm omne eſſe ſecundum quid, & participatum dependeat, & oriatur ab ente per eſſentiam, & abſolutè; quod primum ens, cauſa omnium cauſatum, & eorum effectuum, quantùm ad ipſam realitatem actus, eſt ipſemet Deus, à quo, ex quo, & per quem omnia ſunt, viuunt, exiſtunt & operantur.

Omne ens per participationem eſt ab ente per eſſentiam.
D. Auguſt.

Quod ſanè D. Auguſtini menti omninò conſonum eſt. Ipſe enim in ſententiis à fideliſſimo illius diſcipulo D. Proſpero Aquitano collectis, ſent. 58. mentem ſuam ſic aperit: *Diuina voluntas eſt ſuprema cauſa omnium corporalium, ſpiritualiumque motionum; nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili, & intelligibili ſummi Imperatoris aula aut iubeatur, aut permittatur.* Nec diſſentit D. Anſelmus *lib. de praeſcientia & lib. arb.* vbi inquit: *Deus facit omnia quæ iuſtà, vel iniuſtà voluntate fiunt; ideſt bona opera, & mala. In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt: in malis verò facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Poſtqoe ſubdit: *Audacia eſt dicere aliquod eſſe ens quod non ſit ab ente primo.* Quod ante ipſum docuit D. Dionyſ. *cap. 5. de diu. nomin.* vt refert D. Thom. 1. 2. q. 79. *art.* 2. vbi inquit, *quod omne ens, quocumque modo ſit; oportet quod deriuetur à primo ente.*

D. Proſper.
D. Anſel.
D. Dion.

Cùm ergo peccatum ſit ens & actio cum quodam defectu, actus & entitas illius diuinam agnoſcunt cauſalitatem; defectus autem à ſolo libero procedit arbitrio. Si enim actio illa peccati, vt actio præcisè eſt, non eſſet à Deo, ſubſtantiæ quæ interdum ab illa producuntur, non dicerentur cauſari à Deo; & homines per adulteria & fornicationes generati, non eſſent à Deo producti, quod eſt erroneum, vt aduertit S. Thomas *in 2. ſent. diſt. 37. q. 2. art. 2.* Sicut igitur defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, ſicut in cauſam; non autem in virtutem motiuam, à qua tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione; ſic Deus eſt cauſa actus, ſeu entitatis materialis peccati, non tamen eſt cauſa peccati, quia non eſt cauſa huius, quod actio ſit cum defectu, vt notat D. Th. *loc. proximè cit. ex prima ſecunda*; ſed liberum arbitrium, quod in agendo rectæ rationis regulam non attendit, nec vult attendere. Defectus quippe cauſæ particularis non debet attribui cauſæ vniuerſali, quæ eſt in ſe perfecta & indeficiens; ſed tantùm cauſæ proximæ & deficienti, licèt perfectio eiuſdem effectus in ipſam cauſam vniuerſalem reducatur: defectus enim fructuum in arbore non in Solem, ſed in arborem reducitur, quamvis copia & maturitas fructuum in eum referantur. Quod egregio demonſtrat etiam exemplo Dominicus Soto lib. 2. de natura & gratia, cap. 18. *Dum optimus*, ait, *ſcribendi artifex, ſiue incommodo calamo, ſiue in mala papyro ſcribit, ipſe quidem eſt cauſa ſcripturæ; malitia verò characteris refertur vel in calamum, vel in papyrum: ita prorſus dum quis delinquit, Deus quidem cum homine eſt cauſa actionis quatenus res quædam eſt; quod autem à lege declinet, ſoli imputatur libero arbitrio.* 335.

D. Thom.
Dom. Soto.

Quod autem non ſolùm concurſu ſimultaneo, vt moderni quidam arbitrantur, ſed etiam præuio cauſet Deus entitatem materialem peccati, ſacræ teſtificantur Literæ. Vt enim Acta produnt Apoſtolorum, crucifixio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ actio intrinſecè mala ac omnium peſſima fuit, ab æterno extitit à Deo prædefinita; nam *Act. 4. num. 27.* dicitur: *Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti; Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Quod ipſe Chriſtus teſtatus eſt, *Luca 22. num. 22.* vbi ait: *Filius hominis, ſicut definitum eſt, vadit.* Neque crucifixio Chriſti paſſiuè tantùm ac in Domino Ieſu conſiderata, quo pacto bona, meritoria ac pro peccatis noſtris ſatisfactoria erat, vt vult Suarez *in opuſc. libri* 336.

Mors Chriſti à Deo prædefinita.

de

Google

de concurſ. Dei, cap.5. ſed etiam prout erat actio elicita à Iudæis & Gentilibus, à Deo prædefinita eſt, vt apertè ſacra conuincit Scriptura *Act. 2. num.23.* vbi de Chriſto dicitur: *Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interimiſtis.* Ibi quippe non ſolùm paſſio in Chriſto recepta, ſed etiam actio affigendi Chriſtum à Iudæis elicita, tribuitur diuino conſilio, eiuſque definitioni ac decreto. Quod

D. Auguſt.

expreſsè confirmar D. Auguſt. *lib. de corrept. & gratia, cap.7.* vbi de Apoſtolis ſic loquitur: *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto, non quomodo electus eſt Iudas ad opus cui congruebat; ab illo quippe electus eſt, qui nouit benè vti etiam de malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur.* Cùm

Apoſtoli electi ad regnū Dei: Iudas electus ad fundendum ſanguinem Dei.

itaque audimus: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum. Hæc Auguſtinus. Cùm autem Chriſti ſanguinem fundere, non dicat tantùm paſſionem in Chriſto receptam, ſed etiam veram & propriam actionem; etiam actiones paſſionis Chriſti fuiſſe à Deo prædefinitas, manifeſtum eſt.

337. Illa ſanè, quâ Caïphas cæteros peſſimi conſilij aſſeſſores ad Chriſtum occidendum incitauit, criminoſa fuit actio; grauiſſimumque peccatum commiſit Pſeudopontifex, dum dixit: Ioan. 11. *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Dum autem hæc verba proferebat, à Spiritu ſancto mouebatur, quia tunc

D. Thom.

prophetabat, & juxta D. Thom. 2. 2. *quæſt. 173. art.4.* mens Prophetæ à Spiritu ſancto mouetur, ſicut inſtrumentum ab artifice. Quod ipſe Euangeliſta teſtatur, dum *num.51.* ſubdit: *Hoc autem a ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit quod Ieſus moriturus erat pro gente, &c.* Non ergo diuinæ derogat ſanctitati mouere & applicare mentem hominis ad actus intrinſecè malos, non prout mali ſunt, ſed prout actus & entia ſunt. Quod expreſsè, & ex profeſſo docuit D. Thomas *in 2. ſent. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2.* vbi poſtquam veritatem quam modò exponimus, ſtabiliuit, ſic concludit: *Quidquid eſt in actu deficiente, ſcilicet peccato, de ratione actûs, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, ſcilicet Deo, procedit mediante voluntate: ſed ipſe defectus qui eſt in actu, hoc modo eſt à voluntate, quod à Deo non procedit.* Cùm autem per concurſum ſimultaneum Deus non producat actum peccati, inquantum eſt ens & actus mediante voluntate, ideſt influendo in voluntatem vt in cauſam, ſed immediatè cum voluntate in illum influat; ideo liquet ſecundùm D. Thomam, quod Deus non ſolùm concurſu ſimultaneo, ſed etiam præuio influit in materiale peccati. Qua de re videndus eſt idem D. Thomas *qu.3. de malo, art.2. & 1.2.q.79. art.2.* & eius Expoſitores *ibid.* & præcipuè egregius ille, & nunquam ſatis laudatus doctrinæ Thomiſticæ propugnator adhuc inter viuos ſu-

R. P. Gonet.

perſtes R. P. Ioan. Bapt. Gonet, Ord. Præd. Prouinciæ Toloſanæ, dum hæc ſcribo prior Prouincialis, qui hanc difficultatem ventilauit in materia de peccatis, *tom. 8. Clypei Theologiæ Thomiſticæ, diſp.6. art.3.* & *tom. 3. diſp.8. de prouidentia Dei, art.4.* vbi omnes ad hunc materiam difficultates attinentes nitido ac mirabili ſtylo, ſyllogiſtico ac ſcholaſtico modo reſoluit. Idcoque cùm noſtri non ſit inſtituti omnia contra hanc ſententiam argumenta refellere, non enim diſputationes, ſed elucidationes teximus, ab his omnibus abſtinemus.

§. II.

Quomodo cordis obduratio ſit à Deo.

TAmen vt Lectoris ingenium quieſcat, aliam quæ hîc ſolet emergere, difficultatem, ſcilicet vtrum mentis excæcatio & cordis obduratio quæ paſſim in ſacris Literis Deo tanquam authori attribuuntur, ab eo verè cauſentur, breuiter attingemus: cùm enim ea quæ in anima rationali diuina gratia operatur, quandam cum eis quæ in humano corpore aguntur, habeant ſimilitudinem, etiam à nobis ſimilibus vocibus exprimuntur. Quia igitur gratia Dei intellectum hominis perficit dono ſapientiæ, & effectum, ſeu voluntatem emollit igne charitatis; & quia ad cognitionem intellectus maximè deſeruiunt duo ſenſus, nempe viſus & auditus, quorum vnus, ſcilicet viſus, deſeruit inuentioni; alius, ſcilicet auditus, diſciplinæ: ideo vt priuatio diuinæ gratiæ exprimatur à ſacra Scriptura, rectè ponitur quantùm ad viſum, excæcatio; quantùm ad auditum, aurium aggrauatio; & quantùm ad affectum, cordis obduratio. Et ideo *Iſai. 6. num. 10.* dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.* Et Rom.9.n.18. *Cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat.* 338.

Huiuſmodi autem mentis humanæ excæcatio, vel aggrauatio, ac cordis induratio, juxta communem Theologorum ſententiam, poſt D. Thomam 1.2. *q.79. art.3.* bifariam ſumi poſſunt. Primò pro iniuſto motu, ſeu prauo humani cordis affectu, peccato inhærentis, & diuinum gratiæ lumen repellentis. Quo pacto D. Bernardus *lib.1. de conſider. cap. 2.* cordis duritiem ſic eleganter deſcribit: *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt cui præteritorum, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit; præſentium nihil non perit; futurorum nulla eſt, niſi fortè ad vlciſcendum, proſpectio, atque præparatio. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, cor durum eſt, quod nec Deum timet, nec homines reueretur.* Sic Bernardus elegantiſſimè. Huius autem indurationis ſic ſumptæ, quidquid impiè inclament hæretici, cùm ſit peccatum grauiſſimum, nullo modo Deus author eſt; ſed peruerſa & obſtinata cordis humani malitia ſeipſam ex multiplicatis peccatorum actibus indurat, ac contra omnipotentem roboratur, vt dicitur *Iob 15.25.* 339.

Cordis obduratio dupliciter ſumitur.

D. Thom.

D. Bern.

Cordis duri elegans deſcriptio.

Secundò mentis excæcatio ac cordis induratio ſumi poſſunt pro defectu gratiæ ad pœnitendum, ſeu à peccato reſurgendum; & permiſſione in peccatum cadendi. Nam ex ſubtractione diuinæ gratiæ ſequitur quod mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè ſentiendum. Ad hanc hoc ſecundo modo ſumptam Deum concurrere, & ſacræ Paginæ innuunt, & Sancti Patres docent.

ceat. Nam de Rege Ezechia propter beneficia diuina ſuperbiente, dicitur 2. Paral. 32. num. 31. *Dereliquit eum Dominus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.* De hoſtibus populi Dei pacem cum eo inire recuſantibus, inquit Ioſuë cap. 11. n. 20. *Domini ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael.* Et Rom. 1. n. 24. ait Apoſtolus: *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Et num. 26. *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Et tandem num. 28. ait: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* Quod etiam patet

D. Auguſt. D. Hieron.

ex SS. PP. præcipuè ex D. Auguſt. *lib. de præd. & gratia, c. 4.* D. Hieron. *ep. 150. ad Hedibiam,* D. Th. 1. 2. *q. 49. art. 3. & lect. 3. ſup. c. 9. Ep. ad Rom.*

341.

Cor peccatoris indurat Deus negatiuè, gratiam ſubtrahendo.

Duplici autem modo Deus peccatorum mentem & cor indurat. Primò negatiuè, & ſubtrahendo auxilium gratiæ ſuæ à peccatore qui tanto beneficio prorſus indignus eſt. Quod D. Thomas expreſsè docuit *in cap. 9. ad Rom. lect. 3.* vbi ait; *Deus non dicitur indurare, quaſi mittendo malitiam, ſed non apponendo gratiam.* Quod vtique juſto judicio peragit. Iuſtum enim eſt, vt qui proprio ſcelere creaturis, & bono commutabili, tanquam fini vltimo imprudenter adhæſerunt, à Deo relinquantur. Sic enim impio Regi ore Prophetæ loquutus eſt Deus Paral. 12. n. 5. *Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos.* Et docet D. Fulgent. lib. 1. de dupl.

D. Fulgent.

præd. c. 13. *Iuſtè,* inquit, *deſeritur à Deo, qui deſerit Deum.* Et quia homo deſerens Deum peccat, deſerens peccatorem Deus juſtitiam ſeruat. Nam vt

Conc. Trid.

Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 11.* loquitur, *Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Sic ergo mens peccatoris excæcatur à Deo, juxta illud Iſai. 6. num. 10. *Excæca cor populi huius.* Quia in pœnam peccati commiſſi, cœleſtis gratiæ lumine à Deo eius anima priuatur; & quia principium meritorium huius priuationis à peccatore procedit, hæc cæcitas non à Deo, ſed ab impiis cauſari dicitur. Sap. 2. n. 21. *Excæcauit illos malitia eorum.*

Hominem non deſerit Deus, niſi priùs ab illo deſeratur.

342.

Secundò ad hanc cordis obdurationem ſe habet Deus etiam poſitiuè, non quidem propriè & proximè inclinando voluntatem ad illam, quia hoc Deo repugnat; ſed indirectè, remotè, & occaſionaliter, exercendo aliquas actiones, ex quibus homines ad proprium cor obdurandum occaſiones eliciunt. Nam juxta D. Ioan. Chryſoſt. *hom. 67. in Ioan.* & D. Greg. *lib. 25. Moral. capite 12.* miniſterio vtendo dæmonum ad mentes reproborum excæcandas & corda obduranda, indirectè excæcare & indurare dicitur. Similiter juxta D. Auguſt. *lib. de gratia & lib. arb. c. 20. &* 21. cor Pharonis poſitiuè indurare dicitur occaſionaliter, prout res quaſdam exteriores impio Principi propoſuit, quibus cor durum aliorum emollitur; at ille ſuam augendi indurationem inde occaſionem ſumpſit. Flagella quibus percuſſit Dominus Ægyptios ipſamque domum Pharaonis, ipſum ad cor redire non incitarunt; nec magis malos mutauit mores beneficiorum multitudine ac pœnarum ceſſatione; immò dum Deus à verbere manum remouit, ac in Ægyptum ſæuire deſiit, maius in malum animum Rex ſceleſtus promouit, ſuamque impietatem ac contumaciam multiplicauit. Quod expreſsè à ſacra Scriptura perhibetur *Exod. 9. à n. 34.* vbi dicitur: *Videns autem Pharao, quod ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum eſt cor eius, & induratum nimis.* Vbi D. Auguſt. *loc. cit.*

Indurat Deus poſitiuè, non propriè, ſed indirectè & occaſionaliter.

D. Chryſoſt. D. Greg. D. Auguſt.

D. Auguſt.

c. 23. inquit: *At per hoc, & Deus indurauit per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.* Sed pharaonem proteruum, ac Deo rebellem Achaz Rex ſacrilegus imitatus eſt. Cùm enim populus propter mali huius Principis nequitiam à Deo humiliatus eſſet, nec Regis cor humiliatum eſt, nec eius durities emollita; immò nouis ſceleribus obrutus, nouiſque iniquitatibus implicatus, crimina cum lapidea cordis duritie adeo auxit, vt ipſum Deum omnio contempſerit. Sic enim 2. *Paralip. c. 28. n. 19.* habetur: *Humiliauerat enim Dominus Iudam, propter Achaz Regem Iuda, eo quod nudaſſet eum auxilio.* Et ſtatim de ipſo impio Rege ſubditur ibidem n. 22. *Inſuper & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum.* Vbi Gloſſa inquit: *Deſcribitur ipſius Achaz obſtinatio, quia prædictis flagellationibus non fuit emendatus, ſed magis peioratus, ſicut & Pharao Rex Ægypti.* Execranda ſanè ingrati Principis nequitia, ac prorſus deteſtanda flagellati hominis impudentia: pœnæ quæ juxta Philoſophum 2. *Ethic. c. 3.* medicinæ ſunt, ad eius curationem ipſi à Deo exhibentur; at ille vulnus ſuum cupiens inſanabile reddere, medicinas ſpernit, & optimum medicum contemnit. Profunda ſanè peccatorum abyſſi Regis huius ſtatio eſt, vbi à crudeliſſima propria voluntate collocatur. Nam *impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Prou. 18. n. 3. Verùm quomodo auxit contemptum in Dominum? Gloſſa jam allata docet, hoc fuiſſe, *exercendo nouum idololatriæ modum.* Nam in ſacro Textu citato ſtatim ſubditur: *Ipſe per ſe Rex Achaz immolauit Diis Damaſci victimas, &c.*

Deus indurat peccatorem per juſtum judicium, ipſe ſe indurat per liberum arbitrium.

Tandem bonitate ſua ac patientiâ ad mentis excæcationem & cordis obdurationem Deus concurrere dicitur; quia vnde maiora ad amorē Dei & peccati odium debent impij ſumere incitamenta, inde ad noua perpetranda ſcelera commouentur, & *nequior in dies eorum fit oculus, quia Deus bonus eſt.* Vnde meritò excandeſcit Paulus Rom. 2. n. 4. *An diuitias bonitatis eius,* ait Apoſtolus, *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis juſti judicij Dei.* Ex quo Deus dicitur cor Pharaonis & cæterorum improborum, non tam caſtigando, quàm tolerando obduraſſe. Quod egregiè dominorum nimium ſeruis ſuis indulgentium ſimilitudine expreſſit Origenes lib. 3. Periarch. cap. 1. *Quibus,* inquit, *dicere ſolent, ego te talem feci, ego te perdidi, ego tibi cauſa huius tam duræ inſolentiæ extiti, qui te non ſtatim per ſingulas culpas punio pro merito delictorum.* Idem ferè habet D. Auguſt. ſerm. 88. de temp. vbi ait: *Hoc de Pharaone ſine dubitatione credamus, quod eum non tam Dei potentia, quàm Dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam circa vernaculos noſtros exercere conſueuimus, quos nimis delicatè, aut ſatis remiſsè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus. Cùm enim ipſa indulgentiâ & remiſſione peiores redduntur, ſolemus exprobrantes illis dicere: Ego te feci talem, ego tibi parcendo, proteruiam tuam & negligentiam tuam nutriui. Hoc autem non dicimus, quod illi noſtrâ voluntate in tantam fuerint ſuperbiam deuoluti; ſed quod abuſi bonitate & indulgentiâ noſtrâ, fuerint obdurati. Idem profectò factum eſt in Pharaone, quia dum ab illo pro ineffabili bonitate ſua Deus plagas ſuſpendit, ille obdurato corde, contra Deum ſe ſuperbus erexit.*

343.

Deus etiam bonitate & patientiâ ſua hominem indurat.

D. Auguſt.

344. Quomodocumque igitur ad mentis excæcationem & cordis indurationem concurrat Deus, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè, modo jam expoſito, nuſquam ſceleris author eſſe poteſt, nec mali culpæ principium, ſed pœnæ. Quod expreſsè docuit S. Auguſt. *in lib. ad artic. ſibi falsò impoſitos, Tom. 7.* reſpondens ad articulum 13. & 14. vbi ait: *Fieri non poteſt, vt per quem à peccatis ſurgitur, per eum in peccata decidatur. Sed illud ſcire ſufficit, etiam ab illo eſſe quod ſtatur; & non eſſe ab illo quod ruitur.* Permittit igitur prouidentiâ ſuâ ineffabili aliquos malitiâ propriâ in peccatorum barathrum deturbari; neminem tamen vt deturbetur impellit: immò adeo potens & ſapiens eſt, vt ex huiuſmodi creaturarum defectibus aliqua bona eliciat, vt ait Auguſt. in Enchiridio, *cap.* 11. his verbis: *Deus cùm ſit ſummè bonus, nullo modo permitteret fieri aliquod malum, niſi poſſet ex quolibet malo elicere bonum.* Quamvis enim non velit peccatorum malitiam & deformitatem, tamen eas in bonum finem refert & ordinat: *Sicut enim*, vt ait D. Baſilius hom. Quod Deus non ſit author peccati, *Medicus vtitur veneno viperæ, quod ipſe non fecit; ita Deus vtitur malitiâ hominis, cuius tamen ipſe non eſt author.* Sic vſus eſt primi parentis culpâ, quæ ideo felix ab Eccleſia in benedictione cerei, poſt D. Gregorium appellatur, ad ſacroſanctum Verbi Diuini Incarnationis myſterium: necnon Iudæ proditione, Scribarum & Phariſæorum inuidiâ, Pilati puſillanimitate, ac falſorum teſtium mendaci ſermone ad opus redemptionis humanæ Chriſti morte adimplendum; quia vt rectè advertit Doctor Angelicus 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. *ad Dei prouidentiam pertinet, vt permittat quoſdam defectus in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent vniuerſo: non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium; nec eſſet patientia martyrum, ſi non eſſet perſequutio tyrannorum.* Quare eleganter D. Auguſtinus in pſalm. 54. *Ne putetis*, inquit, *gratis malos eſſe in hoc mundo, & nihil boni agere de illis Deum: omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur; aut vt per illum bonus exerceatur.*

S. Auguſt.

A Deo eſt quod ſtamus: à nobis quod ruimus.

D. Baſil.

D. Greg.

D. Thom.

Singulares permittit Deus defectus, vt bonũ eliciat vniuerſale.

Sectio III.

A peccato reſurgere, & bona per illud amiſſa recuperare nequit homo ſine ſpeciali diuina gratiæ auxilio.

345. A *Priuatione ad habitum non datur regreſſus*, inquit omnium Philoſophorum faciIè Princeps Ariſtoteles. Quod quamvis de formis ſubſtantialibus dictum ab omnibus intelligatur; tamen de accidentalibus etiam verum eſt, & ſigillatim in gratia ſanctificante, ac cæteris ſupernaturalibus animam rationalem ornantibus dotibus liquidò conſtat: licèt enim hæ ſemel deperditæ recuperentur, ab Authore ſupernaturali, eiuſque ſupernaturalis ordinis adiutorio ſuccurrente denuò infunduntur. Non enim validiſſimæ omnium hominum facultates propriis conatibus ac natiuis viribus amiſſam gratiam ſanctificantem valent recuperare. Cœleſti igitur auxilio, ac brachio diuino indigent, vt à ſomno, in quo veluti ſepulti iacent, excitentur, mentemque diuinæ illuſtrationi, ac gratiæ habituali iterum ſubjiciant. Neque enim cæcus à ſeipſo videre, nec infirmus à ſeipſo ſanari, nec tandem mortuus homo poteſt à ſeipſo reſurgere.

Gratia ſemel deperdita nequit ſine Dei auxilio ab homine recuperari.

Cæci ſunt, ac luce priuantur, qui propriis facinoribus ipſi rebelles fuerunt lumini, vt loquitur ſanctus Iob cap. 24. num. 13. *Infirmi ſunt qui nec ſanitatem in carne ſua, nec pacem in oſſibus ſuis à facie tenent peccatorum ſuorum*: ac tandem etiam vitâ orbati cenſentur; & licèt nomen habeant quod viuant, mortui ſunt, alienati à vita Dei, à quo omnis, vt à primo viuente, procedit vita. Quomodo ergo ſeipſis, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad lucem accedent inacceſſibilem? Quomodo etiam abſque Medico remedia præbente, priſtinæ reſtituentur ſanitati? Denique quomodo vitâ functa ſpirituali vitales exercebunt operationes, niſi à Deo viuo miſericorditer ad vitam reuocentur? Ergo diuino egent adiutorio, vt excuſſo diaboli jugo, à quo ſuperati ſunt, Chriſto Domino ſubjiciantur, & ab ipſo perfectâ filiorum Dei libertate donentur; ſimulque ab eo qui lux, ſalus, & vita eſt, lucem, ſalutem, vitámque recipiant. Quod docuit Angelicus Doctor 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 6. *ad* 2. vbi ait: *Non poteſt homo per ſeipſum reparari, ſed indiget vt denuò ei lumen gratiæ infundatur, ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando denuo infunderetur anima.* Vbi egregiâ ſimilitudine peccatoris impoſſibilem abſque auxilio gratiæ conuerſionem demonſtrat, innuens Deum per gratiam ſuam animæ rationali vitam tribuere eo modo quo ipſa anima humano corpori vitam confert: quod D. Auguſtinus eleganter expreſſit, dum *tract.* 47. *in Ioan.* inquit: *Vita carnis tuæ anima tua; vita animæ tuæ, Deus tuus: quomodo moritur caro amiſsâ animâ, ita moritur anima amiſſo Deo.* Sicut ergo corpus mortuum animâ, per quam viuit, priuatum nuſquam ſeipſo vitam recipiet, ſed virtute ſupernaturalis agentis denuo animam infundentis indiget, vt reſurgat, & viuat; ita anima Deo, gratiæ ſanctificantis principio, & authore, per peccatum orbata, ſpirituali morti tamdiu ſubjacebit, quandiu à Deo elongata remanebit: neque reſurget, aut viuet, niſi diuinâ agente pietate, cœleſtis gratiæ fulgentiſſimum ſydus ſplendoribus ſuis impleat animam, ipſamque ſuâ præſentiâ mentem inhabitando decoret. 346.

Cæci, infirmi, ac mortui ſunt peccatores.

D. Thom.

Deus vita animæ.

D. Auguſt.

A peccato non ſurgit homo ſine diuina gratia.

Planè ad rem præſentem facit egregium illud ſanctiſſimi Viri dictum, dum Antiochiæ propter deiectas è loco ſuo imperitæ furore plebis ſtatuas Imperatorias, patrati facinoris ad vindictam plurimorum ſupra hominum capita ſæuientis gladij mucro penderet. Nam dum aduertit homo Dei, propter marmoreas, mortuaſque Regum ſtatuas, viuas, eaſque plurimas diuini vultus imagines deformari, deſtrui, ac profligari, in hanc vocem erupit, apud D. Ioan. Chryſoſtomum hom. 17. ad Populum: *Statuæ quidem deiectæ rurſum erectæ fuerunt, & propriam receperunt formam; & factum correctionem habuit celerrimam: ſi vos autem Dei imaginem occideritis, quomodo rurſum poteritis commiſſum reuocare? Quomodo perditos reſuſcitare, & animas corporibus reddere?* Hæc ille, quaſi diceret: Cùm nullus hominum viuam Dei in homine imaginem ſemel interitu deſtructam, ac diſſipatam queat redintegrare; nemo enim hominem mortuum ad vitam valet reſtituere, nullus etiam homini necem audeat inferre. Liceat ergo à corporali 347.

D. Chryſoſt.

ad

Dei imago ab anima peccato deleta, à ſolo Deo reſtituitur.

ad ſpiritualem mortem noſtrum transferre ſermonem, ac piiſſimo cum viro exclamare: Si peccando io vobis vitam Dei imaginem deturpaueritis, quomodo iterum reformabitis? Si animæ veſtræ necem peccando iotuliſtis, ipſumque Deum per gratiam animæ veſtræ alteram veluti animam eieciſtis; quomodo mortuam ſuſcitabitis, Deumque in ea veluti extinctum, ab eaque exploſum viribus veſtris reddetis? Potuiſtis ſpiritualem à vobis vitam eripere, at ſemel amiſſam viribus veſtris nou valetis recuperare. Illius ſolius eſt vitam mortuo peccatori reddere, qui necis & vitæ Dominus eſt, naturæ & gratiæ magiſter; qui ducit ad inferos, & reducit; qui mortificat, & viuiſicat; & qui, vt loquitur Apoſtolus Rom. 4. 17. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

348. Solus Chriſtus habet claues mortis & inferni, quia ſolus ille à peccato liberat gratiam infundendo. D. Thom.

Eapropter ſe mortis & inferni claues habere Chtiſtus Dominus gloriatur, Apoc. 1. num. 18. *Habeo*, inquit, *claues mortis & inferni.* Quia nimirum ſolus ipſe gratiæ ſuæ auxilio homines peccato mottuos, ac inferni in abyſſum lapſos ad vitam reuocat. Quod optimè aduertit D. Thomas in ſupplem. 3. p. quæſt. 17. art. 1. ad 3. *Clauis*, inquit, *inferni, quâ aperitur & clauditur, eſt poteſtas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, vt de peccato educatur, quod eſt inferni porta: & clauditur, ne vltrà homo in peccatum labatur gratiâ ſuſtentatus. Poteſtas autem gratiam conferendi ſolius Dei eſt; & ideo clauem inferni ſibi ſoli retinuit.* Vnde quamvis Petro Apoſtolorum Principi, cæteriſque Eccleſiæ miniſtris ipſi ſuccedentibus claues Regni cœlorum tradiderit, vt ſolenni voce promiſit *Matth. 16. u. 19.* dicens, *Tibi dabo claues regni cælorum*; hoc eſt, poteſtatem temittendi peccata, quam ipſe Chriſtus vt Deus, propriâ authoritate, & io quantum homo, per poteſtatem miniſterij principalis, ſiue per poteſtatem excellentiæ habet, vt

D. Thom.

idem D. Thomas docet 3. *p. q. 64. art.* 3. ipſis Apoſtolis, ac Sacerdotibus, tanquam inſtrumentis viuentibus, ac in virtute ſua agentibus contulerit: noo tamen auxilium diuinæ gratiæ, quo à peccatis reſurgere, & in juſtitia ſtare poſſunt homines, largiendi facultatem dedit; ſed eam ſibi, veluti gratiæ authori, ac diſpenſatori optimo reſeruauit; & ideo claues mortis & inferoi nemini tradidit Chriſtus. Vnde D. Thom. *loc. cit. ex ſupplem.* 3. *p.* concludit, *quod magis poteſt dari homini clauis Regni, ſcilicet cælorum, quàm clauis inferni.*

Dion. Carth.

Quod etiam docuit Diooyſius præfatum Apocalypſis locum exponens, ait enim: *Chriſtus itaque claues mortis & inferni habere ſe aſſerit, quia quem vult, à morte peccati, ac pœnis inferni miſericorditer eripit, vel præſeruat: & quem vult, juſtè relinquit, atque condemnat.*

349. Sola vox Dei à peccato ſuſcitat.

Sola igitur Dei vox, præuenientis gratiæ dono in cordibos peccatorum diffuſa, eos à ſpiritali motte ſuſcitare, ac ab inferi porta poteſt eripere. Sic enim qui diuinam bonitatem in profundo peccati barathro demerſus expertus eſt

D. Auguſt.

Auguſtinus, ſe à voce Dei ſuſcitatum, & illuminatum fatetur in ſoliloquiis cap. 33. *Intonaſti*, ait Deum alloquens, *deſuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei: Fiat lux, & facta eſt lux.* Quâ luce perfuſus, ſimulque vitâ ſpirituali donatus, ſic etiam Deo loquutus eſt: *Gratias tibi ago, illuminator meus.* Vnde *lib. 50. hom. hom.* 38. de Deo inquit: *Fugientis dorſa perſequitur, faciem redeuntis illuminat.* Niſi enim ſummâ pietate Deus fugientem à ſe peccatorem manu veluti apprehenderet, vt vires ad reſurgendum tribueret, nuſquam è malorum voragine, in quam ipſum peccata deturbatunt, eueretur. Qui enim poteſt cadere, nequit ex ſe reſurgere; nam vt in-

D. Auguſt.

quit idem Aoguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 11. *liberum arbitrium ad malum ſufficit: ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Quibus accedit ſacri Concilij Tridentini

Conc. Trid.

ſeſſ. 6. can. 3. oraculum, quo ſic definitur: *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Vbi ſanè expendenda ſunt illa verba, *aut pœnitere poſſe ſicut oportet.* Eſt enim mala quædam pœnitentia, quæ ad mortem vocari poteſt, quâ homo de peccatis commiſſis dolens, non in meliorem frugem, ſed

Duplex pœnitentia, alia ad vitam, alia ad mortem.

in peiorem ſtatum coouertitur, ac de Dei bonitate malè ſentiens, in deſperationis barathrum inducitur. Sic de proditione Chriſti Domini malè doluit Iudas, qui vt dicitur Matth. 27. 3. *pœnitentiâ* (intellige peſſimâ) *ductus*, crimen ſuum pleno ore confeſſus, pecuniam quam malè receperat, reſtituit; inſonti Domino bonam reddidit, quam rapuerat famam, dicens: *Peccaui tradens ſanguinem juſtum, & abiens laqueo ſe ſuſpendit:* quare de pœnitentia huius proditoois eleganter

S. Leo.

dixit S. Leo Papa ſerm. 5. de paſſ. Domini: *Tam peruerſa impij conuerſio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret.* Eadem prorſus pœnitentia de ſcelere in iuſtiſſimum Abel fratrem ſuum, cuius ſanguinem fuderat, perpetrato doluit improbus ille Cain, qui vt refertur *Gen. 4. 13.* dixit ad Dominum: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Hac igitur pœnitenoiâ, quæ noo ſicut oportet, pœnitentem facit hominem, poteſt homo ſine ſpeciali Dei adiutorio pœnitere; non tamen verâ, & germanâ pœniteotiâ, quæ ad vitam, ſeu ad ſalutem poteſt appellari, ſine præuenientis diuinæ gratiæ dono: & hoc eſt *pœnitere ſicut oportet*, ideſt diuino in homine auxilio excitante & adiuuante, de peccatis commiſſis ſummè dolere propter Deum ſummè dilectum, vel diligendum; peccatorum remiſſionem obtinere, ſpiritualem vitam deperditam recuperare, & tandem æternam ſalutem conſequi.

Nec te moueat pœnitentiæ à nobis aſſignata diſtributio, in pœnitentiam ad mortem, & in pœnitentiam ad vitao. Illam è ſacris hauſtam literis accipe, quam Doctor gentium Paulus tradidit 2. *Cor. 7. à n. 9.* vbi ſic loquitur: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam: cõtriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, vt in nullo detrimentũ patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; ſeculi autem triſtitia mortem operatur.* Vbi duplex 350.
triſtitia, altera ſecundùm Deum, quæ pœnitentiam ad ſalutem operatur; altera ſeculi, quæ mortem operatur; duplicem pœnitentiam, aliam ad vitam, ſeu ſalutem; aliam ad mortem, euidenter ſignificat. Sed vtriuſque diſcrimen in hoc maximè ſitum eſt, quòd pœnitentia ad mortem, quæ ſine ſpeciali gratiæ dono peccatorum occupat animos, immenſo mœrore conſumit, nullaque afficiens conſolatione, ad deſperationem impellit. De qua exponi poteſt illud Eccleſiaſtici 30. 22. *Triſtitiam ne des animæ tuæ, & ne affligas temetipſum in conſilio tuo.* Nam vt inquit Gloſſa ibidem, *talis triſtitia non ſolum nocet corpori, ſed etiam ani-*

me; ſicut faciunt illi qui per triſtitiam deſperantes, interimunt ſemetipſos. Sic enim infelices, peſſimâ triſtitiâ obruti, aoxilio Spiritus ſancti, qui mœſtorum cordium conſolator optimus ab Eccleſia vocitatur, deſtituti ab infenſiſſimo humani generis boſte deuicti, labuntur in æternæ damnationis abyſſum. Quod notauit D. Ioan. Chryſoſt. *ſerm. 3. de prouid.* vbi inquit: *Omni actione diabolica potentior eſt ad nocendum mœroris magnitudo: & dæmon quoſcumque ſuperat, per mœrorem ſuperat.*

Mœrore deſperantes ſuperat dæmon.
D. Chryſoſt.

351. At pœnitentia ad vitam, ſeu ad ſalutem, quæ Spitiu ſancto corda peccatotum excitante, mouet homines ad dolendum de peccatis commiſſis, non tantùm in pœnitentium cordibus mœſtitiam producit, ſed gaudium. Lætantur ſimul, & triſtantur, qui è culparum fæcibus pœnitentiæ medicamento eruuntur. Triſtantur de malitia, quâ ſummum bonum, à quo omnia bona dimanant, impugnare, contemnere, ac derelinquere auſi ſunt: lætantur de Dei Opt. Max. ſumma erga ipſos bonitate, quâ quamvis læſus, ſpretus, ac ab ipſis derelictus, ad eos tamen per gratiam ſuam, vt eis parceret, ac omnia peccata condonaret, venire dignatus eſt. Triſtantur dum peccata deflent, lætantor quia per hunc fletum peccata delentut; ſicque mirabilis quædam in pœnitente contrariotum vnio reperitur; ſimul enim eis ineſt triſtitia, ex qua in cordibus eorum lætitia magna procedit. Simul ignis & aqua, licèt maximè oppoſita, fœdere copulantur; quia dolor è cordibus excutit lachrymas, quæ foras erumpentes, ad oculos aſcendunt, è quibus ad cœlorum Regna imber proſilit fletuum: & ſimul amor Dei, quo pœnitens Deum, quem ſpreuerat, diligit, & peccata commiſſa deteſtatur, corda eorum inflammat, & incendit. Ignis ergo dum per charitatem pœnitentium animas comburit, aqua per lacrymas abluit. Dolent igitur pœnitentes flendo, ſed lætantur amando. Gaudum enim ex amore cauſatur, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 28. *art.* 1. vnde Auguſtinus *lib. de vera & falſa pœnit. cap.* 13. inquit: *Semper pœnitens doleat, & de dolore gaudeat.* Quod etiam mellifluo ſuo ſtylo expreſſit D. Bernardus, dum ſoos Clareuallenſes Monachos *ſerm. 1. de dedic. Eccleſia*, ſic alloquitur: *Vos qui experti eſtis, ecce ſcitis, quia verè ſuauis & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, & vt ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima.* Cùm enim, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 38. *art.* 2. lachrymæ & gemitus naturaliter mitigent triſtitiam; quas fundunt præ dolore pœnitentes lachrymas ac ſuſpiria quæ ex cordium contritorum intimo emittunt, animam mirum in modum alleuiant, maximamque ipſi ſanctæ conſolationis dulcedinem acquirunt. Sic diuina gratia corda peccatorum excitans, delectationes communes reſpuens, ſpirituales, eaſque maximas, quas ſanat, animabus infundit.

Verè pœnitentes à Spiritu Sancto interiùs conſolantur.
D. Thom.
D. Bern.
Pœnitentia vera eſt amaritudo dulciſſima.
D. Thom.

352. Nullus igitur, vt à peccato coretur, ſine diuinæ auxilio gratiæ valet ſicut oportet pœnitere; ſed ad hoc iodiget diuinâ miſericordiâ, quæ ſola à tanta miſeria, qualis eſt culpa lethalis, hominem peccatorem poteſt liberare. Omnis enim mali radix eſt propria homiois voluntas, omnium ſcelerum infelix origo: at bona omnia, vt loquitur Iacob. ep. can. cap. 1. 17. *deſurſum à Patre luminum deſcendunt.* Itaque ſeipſum homo perdit, & à ſeipſo ad peccandum impellitur: hominem perditum Deus ſaluat, & vt æternam ſalutem conſequatur, propriâ voce, gratiâ, & ſanguine illum à peccato nititur reuocare; ſicque illud Oſeæ cap. 13. 9. verbum veriſſimum comprobatur: *Perditio tua ex te Iſraël, ex me tantùm auxilium tuum.* Quamobrem rectè annotauit D. Thomas 2. 2. *q.* 85. *art.* 1. *ad* 2. quod licèt Adam Deo optimo maximo ſacrificia obtulerit, tum ad placandam ſupremi Numinis iram eius ioobedientiâ excitatam, tum ad ſummæ & æternæ teuerentiam maieſtatis; de huiuſmodi oblationibus nec quidem verbum ſacræ Paginæ loquuntur, ne ſimul in eodem primo parente malum & remedium mali collocare viderentur; ſic enim ait: *Poteſt eſſe ratio, quare Adam non legitur ſacrificium obtuliſſe: ne quia in ipſo notatur origo peccati, ſimul etiam in eo ſanctificationis origo ſignificaretur.*

D. Thom.
Cur non legitur in Scriptura Adamum ſacrificium Deo obtuliſſe.

Laborauit igitur Spiritus ſanctus ſacrarum li- 353.
terarum author, vt malorum initium ab homine vel à Dæmone ortum habuiſſe oſtenderet; ſed malorum remedia, omniaque bona hominis à Deo procedete, in omnibus ferè ſacrarum literarum libris euidenter demouſtrauit. Hoc ſanè expertus eſt ille beatiſſimus Iob, qui licèt minimis ac leuibus defectibus, putà venialibus, tantùm eſſet obnoxius; tamen nullam in ſe ad reſurgendum, vel ad ſe in gradum priſtinum reintegrandum facultatem habete profeſſus eſt, dum *cap.* 7. *num.* 20. ait. *Peccaui, quid faciam tibi, ò cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis?* Quaſi diceret, per peccatum cecidi, quomodo à meipſo reſurgam? Tibi contratius delinquendo factus ſum, à te receſſi: quomodo denoo tibi ſimilis ero? Quomodo ſine te ad te accedam? Infirmus factus ſum, quomodo ſanabor? Læſæ ſunt, immò deſtructæ ſunt vires meæ, & ſine tuo adiutorio nec poſſum, nec volo à peccato recedere. Educ igitur de carcere animam meam, educ captiuum de ergaſtulo, infirmum ſana, cæcum illumina, errantem reuoca, impotentem corrobora, & miſerum peccatorem gratiæ tuæ rore perfuſum viuifica ac ſanctifica. Vnde ſubdit: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Qood expendens D. Gregor. *lib.* 8. *moral. cap.* 20. ait: *Redemptoris ergo gratiam deſideret, qui iniquitatem ſuam auferri funditus ſperat.*

§. I.

Vt homo à peccato ſurgat, Diuinâ gratiâ præueniente efficaci, ac ipſum ad agendum applicante, debet excitari.

TRia nunc exponenda ſuſcipimus, impij iuſtificationem ex parte Dei adamuſſim conſiderantes, de illa ex parte hominis, qui liberum ſuæ voluntatis conſenſum, ac propriam gratiæ Dei cooperatioocm debet adiicere, inferius tractaturi.

Deus ergo, qui *diues eſt in miſericordia*, ho- 354.
minem in peccato iacentem excitat ac præuenit, gratiæ efficacis donum, quo ad agendum applicatur, ſummâ bonitate concedens; cuius veritatis tria veluti membra explicare agredimur. Primò igitur nuſquam à peccato, in quod lapſus eſt homo, teſurget, niſi illum Deus gratiâ præueniente ad rectè pœnitendum excitet; oec ipſe peccator ad Deum quem amiſerat, propriis viribus reuertitur: ſed ad ipſum miſerum deſertorem, ac

transfugam,

Vt peccator ad Deum redeat, Dei gratiâ præuenitur.

tranſfugam piiſſimus Saluator accedit. Nam fugientem reum Deus inſequitur, ac Tartareum in barathrum cadentem, manu potenti, fortique brachio comprehendit. Sic enim Paulum à ſe fugientem, & in filiis Chriſtum Dominum perſequentem, minarum, & cædis in eius diſcipulos ſpirantem manus Chriſti aprehendit, & cœleſtis gratiæ rore præuentum ad ſe conuertit, ac ex Eccleſiæ perſequotore infenſiſſimo, Chriſtianæ fidei prædicatorem zelantiſſimum effecit. Quod ipſe fatetur, *Philip.* 3. *n.* 11. dum inquit: *Comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Vbi D. Ioannes Chryſoſt. eleganti ſimilitudine rem explicat, oſtendens Deum erga Paulum, & peccatores ſe habere, ſicut ſe habere ſolet amicus, cùm alius in mare incidit, iamque penè mergitur, & ſuffocatur; ſtatim enim eum apprehendit, & à periculó eripit. Sic enim habet Chryſoſtomus: *Ex pereuntibus eram, ſuffocabar, eram periturus: apprehendit me Deus; nam & ipſe nos cùm eum fugeremus, magno ſtudio perſequutus eſt.* Vnde idem Apoſtolus diuinæ bonitatis theſauros ac miſericordiæ diuitias erga gentes, quæ Deum in errore ac idololatria viuentes ignorabant, in Epiſtola ad Romanos *cap.* 10. *num.* 20. admiratus, verba adducit Dei, Vatis Euangelici ore propalata, Iſaï. 65. 1. *Inuentus ſum à non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Cùm enim ex ſe homo ne quidem cogitandi habeat facultatem, vt idem docet Apoſtolus 2. *Cor.* 3. 5. dum ait: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quomodo homo peccati vulnere ſauciatus, etiam in naturalibus læſus, poterit ſe ad ſupernaturalia erigere, & ad ipſam gratiam ſanctificantem, quandam naturæ diuinæ participationem, ac conſequenter in ordine ſupernaturali munus præſtantiſſimum recipiendum, abſque præuenientis Dei auxilio cor ſuum diſponere? Sanè mentem humanam peccato ſubditam tenebroſus turbo adeo poſſidet, vt nec lucem, nec pacem, niſi de foris ei infundantur, valeat recipere. Ipſe Regius Vates, aliquando adulterij criminis reus, ac mentis oculorum orbatus lumine, à Deo quæſiuit lucem, Pſalm. 17. 29. *Deus meus*, inquit, *illumina tenebras meas.*

D. Chryſoſt.

Cæcus peccator, niſi à Deo illuminetur.

355. Sed D. Auguſtinum diuinæ gratiæ virtute à peccatis, ac Manichæorum tenebris erutum, cuius in hac materia præcipuè doctrinam Romana ſequitur Eccleſia, vt ait Ioannes II. audiamus. *Idonea*, ait ſerm. 23. de verb. Apoſt. cap. 2. *fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare ſe: ſed jam vulnerata & ſauciata non eſt idonea per liberum arbitrium ſanare ſe; ſi enim volueris intemperanter viuere vt ægrotes, ad hoc Medicum non requiris, ad labem ſufficis tibi. Cùm autem intemperanter agens cœperis eſſe ægrotus, non ſic potes ab ægritudine liberare te, quomodo potuiſti per intemperantiam te in ægritudinem præcipitare; & tamen Medicus etiam ſano præcipit temperantiam: bonus Medicus hoc facit, non vult eſſe neceſſarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deus creato homini ſine vitio temperantiam præcipere dignatus eſt, quam ſi ille ſeruaſſet, Medicum poſtea morbo ſuo non deſideraret: ſed quia non ſeruauit, languidus factus eſt, cecidit; infirmus creauit infirmos, ideſt infirmos genuit infirmus; & tamen in omnibus qui naſcuntur infirmis, Deus quod bonum eſt, operatur formando corpus, viuificando corpus, alimenta præbendo, pluuiam ſuam & ſolem ſuum ſuper bonos & malos dando; non eſt vnde accuſent boni, nec mali. Etiam inſuper genus humanum juſto ſuo judicio condemnatum noluit in interitum ſempiternum relinquere: ſed miſit & Medicum, miſit Saluatorem, miſit eum qui gratis ſanaret.* Hæc Auguſtinus, vbi expreſsè hominis in peccatum lapſi infirmitatem, ac ad reſurgendum impotentiam, niſi Saluatoris præueniatur auxilio, elegantiſſimè demonſtrat. Quod etiam proſequitur in Enchiridio ad Laurent. *c.* 30. & *lib. de natura & gratia*, *cap.* 66. & *in ep.* 89. *q.* 2. Vnde ex tanti Doctoris veridica ac inconcuſſa doctrina emanarunt determinationes Concilij Arauſicani, vbi *can.* 4. ſic definitur: *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et can. 14. *Nullus miſer de quantacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: Citò anticipet nos miſericordia tua, Domine, & illud: Deus meus, miſericordia tua præueniet me.*

D. Auguſt.

A ſe ægrotans peccator, à Deo tantùm ſanatur.

Concil. Arauſic.

A quo præuenitur, vt conuertatur.

Sicut enim corporeus oculus lucis temporalis fontem & originem, Solem ipſum, niſi ipſius lucis præueniatur illuſtratione, nequit aſpicere, vnde quidam acuti ac non contemnendi ingenij vir, Soli dicebat, *Aſpice vt aſpiciam*: ita mens noſtra caligine peccatorum obnubilata, ſpiritualium fontem luminum juſtitiæ Solem Deum Opt. Max. niſi præuenientis ipſius luminis fulgoribus repleatur, cernere non valet. Planè Matthæo hoc accidit; dum enim in telonio ſederet, *qui ſtare non poterat, pondere cupiditatis depreſſus, & ipsâ totus conſcientiâ fraudis incuruus*, vt loquitur D. Chryſol. *ſerm.* 29. tranſiens inde Ieſus *vidit illum ſedentem in telonio*, vt legitur Matth. 9. num. 9. *& ait illi: Sequere me.* Tenebras aſpexit Sol, & in lucem conuertit: ſedentem vidit, ac videndo erexit. In telonio manentem, cupiditatis laqueis inuolutum liberauit, vocauit, & ad Apoſtolatus apicem collocans, paupertatis amandæ, pecuniæ erogandæ, ac pedibus conculcandæ modum docuit, ſimulque Euangelij prædicatorem celeberrimum præſtitit. Quis diuitiarum ac propriæ cupiditatis ſeruum liberum facit; niſi miſericordia quæ ab oculis Chriſti in Matthæum diffuſa, non tantùm cor eius præueniens illuminauit, ſed immutauit? Nam vt inquit D. Chryſologus: *Vidit illum Ieſus, vt ille videret Ieſum.* Prior Matthæum aſpexit Chriſtus, vt jam viſus, ac à Chriſto dilectus Matthæus, ipſum videret ac diligeret Chriſtum. Quo pacto citatus Chryſologus exponens illud Matth. 8. 14. *Cùm veniſſet Ieſus in domum Petri*, ait ſerm. 118. *Ad domum Petri venit Chriſtus, vt domus Petri veniret ad Chriſtum.* Niſi enim Chriſtus ad homines peccatores veniſſet, nullus ex iis, qui à Domino peccando receſſerant, per pœnitentiam ad Dominum rediiſſet. Nam vt inquit D. Ambroſ. ſerm. 7. in pſal. 11. *Verbum Dei deiectos nos atque depreſſos ad cœleſtem gratiam prouocauit, vt deſideremus æternitatem*, &c. 356.

Sol non niſi ſua luce videtur, nec Deus niſi ſuâ gratiâ habetur.

D. Chryſol.

Ad homines venit Deus, vt homines veniant ad Deum.

D. Ambroſ.

Huc adducere conuenit egregium illud ſtruthionis ſymbolum oua ſua aſpectu fouentis, cum hoc lemmate: *Oculis vitam.* Sicut enim ſtruthionum pulli viſu parentum naſcuntur; ita qui peccato mortui ſunt, diuino aſpectu excitati renaſcuntur, dum gratiam ſanctificantem ab ipſo Sal- 357.

Oua ſua ſtruthio fouet oculis.

Google

uatoris intuitu recipiunt. Sic enim filium illum paternæ hæreditatis diſſipatorem ac ſeculi voluptatibus mortuum, pater optimus aſpiciendo ſaluauit, viuificauit: *nam cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius*, vt dicitur *Luc.* 15. 20. vtique vt ille hoc aſpectu vitam reciperet, ſuumque agnoſceret parentem. Quod acutè attigit D. Chryſolog. *ſerm.* 3. dicens: *Niſi cœleſtis Pater redeuntis filij radiaſſet in vultu, & totam confuſionis caliginem aſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet, nunquam diuini vultus vidiſſet iſte filius claritatem. Quemadmodum enim*, vt loquitur S. Fulgentius lib. de Incarn. & gratia, cap. 19. *in natiuitate carnali omnem naſcentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio; ſic in ſpirituali natiuitate, quâ veterem hominem qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, deponere incipimus, vt nouum qui in juſtitia & ſanctitate veritatis creatus eſt, induamus, nemo poteſt habere bonam voluntatem motu proprio, niſi mens ipſa, ideſt interior homo noſter, renouetur ac reformetur ex Deo.* Hominem igitur lapſum, vt reſurgat, præuenientis auxilio gratiæ omnino indigere nemo videt.

D. Chryſol.

Peccatores aſpectu ſuo Deus viuificat.

Notanda ſimilitudo.

358\. Secundò efficax ex ſe præfatum gratiæ diuinæ ſit adiutorium, efficaciterque humanam, vt à peccato recedat, voluntatem moueat oportet; vt enim olim Hebræos ex Ægypto *in manu potenti & brachio excelſo* Deus eduxit; ita peccatores è duriſſima Ægypti myſticæ ſeruitute, ſcilicet dæmonis tyrannide, excuſſo jugo, manu forti & brachio extento, gratiæ ſuæ auxilio ſuperante eripit, liberatque *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, vt dicitur *Rom.* 8. 21. Quod vt faciliùs capiatur, celeberrimam illam gratiæ actualis in ſufficientem & efficacem, quam Theologi cum D. Thoma 1.2. *q.* 110. *art.* 3. tradunt, diuiſionem oportet recolere.

Vt actu conuertatur peccator, gratiâ efficaci indiget.

D. Thom.

359\. Vnde gratia ſufficiens eſt motio Dei, per quam homo habet facultatem, quâ ſi benè velit vti, poſſit præſtare ea omnia quæ ſpectant ad ſalutem: gratia autem efficax eſt motio Dei quâ homo non ſolùm poſſit, ſed etiam faciat ea quæ ſpectant ad eius ſalutem. Quod colligitur ex verbis D. Thomæ 1.2. *q.* 109. *art.* 10. *ad* 3. vbi ait: *Nunc per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ quo perſeuerare poſſunt* (en tibi gratiam ſufficientem) *& vlteriùs eis datur quòd perſeuerent* (vbi gratia efficax euidenter aſſignatur.) Hæc autem gratia efficax, cuius maximum, ac præcipuum à ſufficienti diſcrimen eſt, quòd hæc tantùm det poſſe, illa autem det agere; voluntatemque creatam, quam in actu primo, & potentia proxima ad operandum gratia ſufficiens conſtituit, ad actum ſecundùm in actu exercito reducat, *ex natura ſua eſt efficax.* Quod dupliciter poteſt intelligi. Primò ita vt illud verbum, *ex natura ſua*, ſolùm importet phyſicam entitatem, quam habet in genere entis, quæ verè ex natura ſua, ideſt naturaliter, determinet liberum arbitrium ad operandum; & in hoc ſenſu nullum gratiæ auxilium dicitur efficax ex natura ſua. Secundò poteſt dici efficax *ex natura ſua*, quam habet vt inſtrumentum diuinæ voluntatis, ita vt verbum, *ex natura ſua*, accipiatur vt diſtinguitur ab auxilio, quod ſolùm dicitur efficax ab effectu, qui ſimul dependet ex libera cooperatione arbitrij humani: & in hoc ſenſu datur auxilium efficax *ex natura ſua*, hoc eſt, ex ſe, & ex reali virtute intentionali quam habet à Deo, independenter ex libera cooperatione noſtri arbitrij: & in eodem ſenſu datur auxilium ſufficiens *ex natura ſua*, quia videlicet, vt eſt inſtrumentum diuinæ voluntatis, ſolùm tribuit poſſe, non autem actualiter operari actum illum, comparatione cuius dicitur ſufficiens.

Ex D. Thoma gratia alia ſufficiens, alia efficax.

Quomodo gratia dicatur ex ſe efficax.

Inſuper aduertere neceſſe eſt, aliud eſſe voluntatem Dei, quæ per gratiam in nobis operatur, eſſe efficientem, & aliud illam eſſe efficacem; efficiens enim præcisè dicitur ab effectu, qui de facto ſequitur; vnde ad hoc ſufficit, quod concomitanti concurſu, vel etiam ex aſſociatione alterius cauſæ, ipſa voluntate concomitanter concurrente, ſequatur effectus. Vt autem ſit de ſe efficax, requiritur quod ex directione & fine præconcepto ita moueat ad efficiendum, quod determinatè moueat ad talem effectum in ſpecie, & in indiuiduo; non verò ita indeterminatè, & indifferenter ſe habeat, quod ex illa æquè bene poſſit ſequi, vel non ſequi effectus. In quo non parum hallucinantur moderni quidam Theologi, qui gratiæ ac voluntatis diuinæ efficaciam cum eius efficientia confundunt: & ex hoc quod gratia non influat in actus liberos noſtræ voluntatis, niſi cooperante libero arbitrio, inferunt illam non eſſe efficacem ex ſe, ſed ſolùm ex conſenſu & cooperatione liberi arbitrij. 360.

Voluntas Dei efficiens & efficax quomodo differunt.

Illud igitur, quo à peccato, in quod lapſus eſt homo, reuocatur, gratiæ diuinæ auxilium efficax nominatur, ac ſecundum ſuam virtutem realem & perfectionem intrinſecam quam habet, vt venit à Deo, eſt congruum vt per illud efficaciter moueatur voluntas in quibuſcunque circumſtantiis tribuatur illi; non enim illius congruitas ab aliquo naturali pendere poteſt, vel oriri; aliàs initium ſalutis ac juſtificationis eſſet à natura, & non à gratia, quod impium eſt dicere, & in plurimis Conciliis, Mileuitano, Carthaginenſi, Arauſicano II. & tandem in Tridentino reprobatum. Itaque ſimul ac gratia efficax, quæ diuina quædam motio eſt, voluntati humanæ tribuitur, ſtatim hæc diuinæ obtemperans virtuti, à tenebris ad lucem, ab iniquitate ad juſtitiam, à crimine ad ſanctimoniam mirâ celeritate conuertitur: nam vt inquit D. Ambroſ. lib. 2. in Luc. *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Siquidem quando agens infinitæ virtutis mouet aliquod ſubiectum juxta naturam ipſius, tale ſubiectum infallibiliter mouetur, quia tunc reſiſtentia paſſi non adæquat, nec ſuperat virtutem agentis: Deus autem eſt agens infinitæ virtutis; dicitur enim Eſther 13. *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Vnde D. Thom. 2.2. *quæſt.* 24. *art.* 11. inquit: *Spiritus ſanctus infallibiliter operatur quodcumque voluerit.* Et 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. ait: *Si ex intentione Dei mouentis eſt, quod homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequetur, ſecundùm illud Ioan.* 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quod certè ex inuictiſſimo gratiæ defenſore S. Auguſtino Doctor Angelicus accepit; nam egregius hic auxilij Domini propugnator *lib. de corrept. & gratia, cap.* 14. idem docet his verbis: *Cui* (ſcilicet Deo) *volenti ſaluum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium. ſic velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quod vult.* Et in Enchirid. *cap.* 98. inquit: *Quis enim tam impiè deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates,* 361.

Gratia efficax ſemper eſt congrua.

D. Ambroſ.

D. Thom.

S. Auguſt.

Digitized by Google

tates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, ad bonum non poſſe conuertere? Vbi tantus Eccleſiæ Doctor, cuius de gratia, prædeſtinatione ac libero arbitrio doctrinam Sancta Romana

D. Hormiſd. Pap.

Eccleſia amplectitur, vt B. Hormiſdas Papa ſcribens ad Poſſeſſorem Epiſcopum profitetur; diuinæ gratiæ efficaciam ac congruitatem ex ſeipſa modo ſupra à nobis expoſito, & non ex liberi arbitrij diſpoſitione, vel conſenſu, vel etiam circunſtantiis loci, & temporis, apertè declarat.

362. *D. Proſper Aquit.*

Sed & Auguſtini optimus diſcipulus D. Proſper Aquitanus eandem tenuit ac propugnauit ſententiam, exiſtimauitque gratiam, vt eſſet efficax, non expectare humanam voluntatem, vt purgari velit, ſed magis efficere eam velle; nec à circumſtantiis loci, aut temporis, aut aliis purè naturalibus virtutem ſuam deſumere, ſed potiùs illam conferre, vt in tali tempore vel loco homo à peccato recedat, & ad Deum conuertatur. Sic enim cecinit *lib. de ingratis*, c. 15.

At verò omnipotens hominem cùm gratia ſaluat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velis; non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur vllis:
Nec quod ſola poteſt, curâ officioque miniſtrâ
Exequitur, famulíſve vicem committit agendi.

Quod in gentium magiſtro Apoſtolo Paulo mirabiliter comprobatum eſt: hic enim adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, accepta à Principibus Sacerdotum poteſtate, vt Eccleſiam adhuc veluti in cunis vagientem extingueret, Sanctorum ſanguinem funderet, ac Chriſtianum nomen penitus deleret, ſubitò ac repentè de cœlo à Chriſto vocatus, efficaci Dei auxilio intus in eo agente, ex perſequutore Chriſti, illius vas electionis precioſiſſimum factus eſt,

Mira Pauli per gratiam conuerſio,

eiuſque ſanctiſſimi nominis gloriam, gratiâ agente, eoque cooperante, omnibus Apoſtolis abundantiùs laborans, longè latéque diffudit. Quod ipſe fatetur Apoſtolus, dum inquit: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* 1. Cor. 15. Rectè enim totum quod eſt Apoſtolus diuinæ gratiæ attribuit, quia nec locus,

nulla habita ratione temporis, loci, aut diſpoſitionis perſonæ.

nec tempus, nec illius animæ, aut corporis diſpoſitio, conuerſioni apta erant, immò omninò oppoſita; quia dirum tunc toto pectore virus eſſlabat, & Sanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat, vt Eccleſia loquitur in officio conuerſionis eiuſdem; ipſeque gratiæ author & largitor Criſtus Dominus, ore ſuo confeſſus eſt, dum ſæuientem perſequutorem ſic increpauit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. 4.

363. Relinquitur ergo, gratiam ſicut ex ſe habet efficaciam, ita ex ſe habere congruitatem: *Deus enim*, vt inquit Apoſtolus Rom. 9. 18. *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*; ſicut videre eſt in duobus illis, quos Scriptura commemorat Regibus, nempe in Pharaone & Nabuchodonoſore,

Pharao & Nabuchodonoſor varios ſortiti ſunt fines.

qui æquales in natura, in dignitate, in pœna quâ à Deo flagellati ſunt, in cauſa, quia vterque populum Dei captiuum tenebat, tamen diuerſos ac inæquales ſortiti ſunt fines; nam vt inquit D. Auguſtinus lib. de præd. & gratia,

D. Auguſt.

cap. 15. *Vnus manum Dei ſentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio.* Quia ſcilicet qui pœnituit, gratiam efficacem à manu Dei quam ſenſit, recepit; alter tali auxilio nudatus, liberò ac imprudenti arbitrio Dei miſericordiam impugnauit. Etenim vt ſubdit D. Auguſtinus loc. cit. *Nabuchodonoſor manum Dei ſentiens, & ingemiſcens pœnituit, quia illi vt mutaretur, adfuit diuinum præſidium; alteri vt induraretur, defuit.*

Ipſa quippe, quâ homo à peccatorum laqueis egreditur virtus, gratia Dei efficax eſt, quæ voluntatem creatam ad agendum mouet: nec ideo gratia efficit, quia vult homo; ſed ideo vult homo, quia agit & efficit gratia. Quod expreſsè fulgentiſſimum diuinæ gratiæ ſydus Auguſtinus docuit *lib. de dono perſen. cap.* 13. vbi ait: *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc eſt verum, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.* Et *lib. de gratia & lib. arb. cap.* 16. inquit: *Certum eſt, nos velle cùm volumus; ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo ſcriptum eſt, Præparatur voluntas à Domino. Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis.* Et ep. 107. *Quapropter*, inquit, *vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: non quia velle non debemus, & currere; ſed quia ipſe in nobis & velle operatur, & currere.* Si enim, vt ait idem Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 14. *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; omneſque Theologi hominem voluntatem ſuam à Deo motam, & excitatam ad agendum applicare fateantur; à fortiori ipſe Deus mouens illam, & excitans debet eam efficaci ſuæ diuinæ gratiæ auxilio, vt agat, applicare. Quod certè mirabiliter attigit idem ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor exponens illud Apoſtoli Rom. 8. 14. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt*, eodem libro de corrept. & gr. cap. 2. dum ait: *Intelligant ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant.*

364. Homo gratiâ efficaci à peccato recedit.

D. Auguſt.

Facit Deus vt nos faciamus, vires noſtræ præbens voluntati.

D. Auguſt.

At rem præſentem mirabili, eleganti ac florido ſtylo proſequitur contra Pelagium, qui externas quidem excitationes, lege aut doctrinâ fidei exteriùs propoſitâ, fatebatur; gratiam autem efficacem intus in cordibus hominum operantem negabat. Sic enim libro de gratia Chriſti, cap. 24. ex illo Eſther. 15. *Conuertit Dominus cor Regis in manſuetudinem*, contra præfatum hæreſiarcham calamum ſtringit: *Quis non videat multò maius eſſe indignationem à contrario in lenitatem conuertere atque transferre, quàm cor neutra affectione præoccupatum, ſed inter vtrumque medium, in aliquid declinare? Legant ergo, & intelligant: intueantur non lege & doctrinâ inſonante forinſecus, ſed internâ atque occultâ, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Ex quibus D. Auguſtini verbis liceat nunc aduerſarios diuinæ gratiæ ſic vrgere. Eodem modo S. Auguſtinus inquit Deum operari in cordibus hominum bonas voluntates, quo veras reuelationes ſupernaturales: ſed has non operatur moraliter ſolùm, ſed verè efficaciter ſupernaturale lumen tribuendo intellectui, quo ea non intelligente fiat intelligens: ergo neque bonas voluntates operatur ſolùm moraliter, ſed verè efficaciter tribuendo voluntati ſupernaturale auxilium,

365. Pelagius ab Auguſtino confutatur.

Digitized by Google

xilium, quo fiat volens ex non volente; ſi enim ſolùm moraliter operaretur veras reuelationes, tantùm eas operaretur proponendo obiectum, conſulendo, &c. qui modus operandi non dicit internam, mirabilem, & ineffabilem poteſtatem, ſed doctrinam inſonantem forinſecus: ac hominibus, Angeliſque bonis & malis conuenit hic modus operandi reuelationes: vnde relinquitur, quod & bonas reuelationes, & bonas voluntates phyſicè & efficaciter in cordibus hominum Deus operatur. Quod etiam expreſsè docuit idem Sanctus Doctor *lib. 1. cont. duas epiſtolas Pelag. cap. 20.* vbi ait, *Deum occultiſſima & efficaciſſima poteſtate conuertiſſe & tranſtuliſſe cor Regis Aſſueri, ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt de voluntate lædendi, ad voluntatem fauendi, operando in corde Regis non aliud quàm voluntatem, ſecundùm illud Apoſtoli.* Philip. 2. 13. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hæc Auguſt. Cùm ergo efficaciſſima poteſtas operatrix bonæ voluntatis dicat auxilium Dei ex ſe efficax productiuum bonæ voluntatis, & non ſolùm congruam cogitationem moraliter allicientem, quæ vt illius volunt Authores, nec eſt ex ſe efficax ad inferendum conſenſum, nec maioris virtutis, immò ſæpe minoris in eo qui non vult, quàm in eo qui vult, & ex ſe independenter à præſcientia futuri conſenſus, vt etiam ipſi volunt, nec moraliter prædeterminat voluntatem; D. Auguſtinum gratiæ diuinæ auxilium ex ſe efficax prauas conuertere, & bonas tribuere voluntates apertè docuiſſe euidens eſt ac manifeſtum.

Bonas in nobis voluntates Deus operatur.

D. Auguſt.

366. Deniqoe acerrimos idem gratiæ diuinæ propognator *tom. 4. lib. 1. quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. circa medium*, præfata Apoſtoli, Philip. 2. verba exponens ſic ait: *Satis oſtendit, ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* Quod autem per gratiam præuenientem fiat in nobis, probat ibidem ex illo Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Nam inquit: *Si propterea ſolùm dictum eſt, non volentis, &c. quia voluntas hominis ſola non ſufficit, vt juſtè, rectéque viuamus, niſi adiuuemur miſericordiâ Dei; poteſt & hoc modo dici, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur.* Et concludit, *Ideò illud rectè dici, non autem hoc ſecundum, quia nos non volumus, niſi Deus præueniente gratiâ operetur in nobis & velle.* Ex quibus tanti Doctoris verbis liquet, Deum facere vt velimus; ac motione ſeu auxilio efficaci, voluntatem noſtram ad volendum applicare: vnde bonæ noſtræ voluntatis initium à Deo eſt, quamvis ipſam bonam volitionem ſimul cum gratia voluntas noſtra producat. Vnde vt tale diuinum & efficax auxilium voluntates noſtras mouens & applicans ad agendum, digno titulo declaret Auguſtinus, ſæpiſſimè ioquit, Deum per talem motionem, tanquam per vim, aut poteſtatem efficaciſſimam, nihil aliud operari in cordibus hominum, quàm volontatem, quia per eam verè efficienter, & efficaciter facit nos velle.

D. Auguſt.

Deus non ſolùm iuuat volentem, ſed volentem facit.

367. Porrò qui doctrinam Sancti Auguſtini ſemper ſequutus, eiuſque mentem in hac quam agitamus controuerſia, aſſequi totis viribus conatus eſt, fideliſſimus eius diſcipulus Proſper Aquitanus, gratiam Dei efficaciter ad bonum ex malo humanam mouere voluntatem, profitetur *lib. contra Collatorem*, & *lib. de lib. arbit.* & *de voc. gent.* ac præſertim *carmine de ingratis, c. 14.* vbi auxilij diuini efficaciam ſic canit:

D. Proſp.

Vincente obſtantes animos pietate ſubegit,
Non hoc conſilio tantùm, hortatuque benigno
Suadens, atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia, ſed mutans intus mentem, atque reformans,
Vaſque nouum ex fracto fingens, virtute creandi.

Gratia intus mutat mentem virtute creandi, hoc eſt efficaci.

Vbi facet ille Poëta expreſsè docet, Deum gratiâ ſuâ non ad normam legis, & ſimilitudinem tantùm ſubigere animos; ſed reluctantes vincere, errantes conuertere, verè & efficaciter mentem reformando, & voluntatem; vas fractum fingendo, ac denuo veluti componendo, *virtute creandi*, quæ ſanè phyſica eſt, & omnino efficax. In qua ſententia perpetuò fuit D. Fulgentius, præcipuè *lib. de incarn. & gratia Chriſti, cap. 29.* vbi ſic ait: *Deus voluntates hominum mutat, vt eſſe bona incipiant; ideo ſcriptum eſt: Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.* Et cap. 30. ait: *Salutis opus bonæ voluntatis exordio dato inchoat per gratiam, vt opere ſolius gratiæ voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ ſecum operanti ſeruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Sed expreſſiùs D. Cyrill. Alexand. de lapſu & conuerſ. hominis, qui eſt primus inter libros *de ador. in ſpiritu*, expendens illud *Gen. 19.* quando Angeli vt educerent Loth de Sodomis, apprehenderunt manum eius, diſſimulante illo exire, ſic ait: *Id porrò eſſe argumento euidentiſſimo poteſt, nos non verbis tantùm & admonitionibus in animum immiſſis lucrari, vt à peccatis recedamus, ſed etiam ad eam erga nos benignitatem deſcendere omnium Saluatorem Deum, vt efficaci nos auxilio iuuet, juxta illud, Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me.* Hæc Cyrillus.

D. Fulgent.

D. Cyrill. Alex.

Verùm doctrinam de gratia efficaci hactenus à nobis traditam, ac à Sanctis Eccleſiæ Patribus deprompt am, omninò confirmat Sacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 6. cap. 16.* vbi ait, *quod ipſe Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.* Ex quibus verbis liceat ratiocinari in hunc modum. Concilium Tridentinum aſſerit, iuſtificatis jam habentibus habitus gratiæ & virtutum, quæ ſunt auxilia ſufficientia phyſica, tribui virtutem quæ antecedat eorum bona opera, vt afferant fructum iuſtitiæ, ſicut influxus capitis in membra præcedit eorum actionem, & influxus vitis in palmites præcedit eorum fructificationem: ſed huiuſmodi virtus eſt phyſica, & phyſicum auxilium efficaciter influens in operationem. Tum quia virtus, quàm caput influit in membra, & vitis in palmites, phyſica eſt, & verè efficaciter concurrens ad motum membrorom, & fructificationem palmitum; & Concilium inquit Chriſtum ſimilem virtutem influere in iuſtificatos. Tum etiam quia Concilium ait talem virtutem eſſe concomitantem & adiuuantem bona opera eorum: virtus autem, ſeu influxus concomitans, in opinione omnium Theologorum, phyſicus eſt & efficax: ergo juxta Concil. Trid. præter habituale auxilium ſufficiens, conſtituendum eſt auxilium phyſicum antecedens operationem, quod non poteſt eſſe aliud, quàm auxilium efficax movens juſtos ad benè operandum. Ergo à fortiori, ad hoc vt peccator à via ſua mala recedat, & ad Deum reuertatur, indiget auxilio diuinæ gratiæ 368.

Conc. Trid. Chriſtus in iuſtificatos ſemper influit, eoſque ad bona opera efficaciter mouet.

Ergo vt à peccato homo recedat, eodem auxilio efficaci indiget.

gratiæ ex ſe efficacis, quo excitetur, moueatur, & à malo ad bonum efficaciter conuertatur. Nec propterea agendi gloriâ priuatur homo, etſi ad pœnitendum cœleſtis gratiæ dono præueniatur: agit enim ipſe à gratia excitante, antecedente ac efficaci ad agendum motus: nec vt impius loquitur Lutherus, velut *inſtrumentum mortuum* à gratia actioni applicatur, ſed vt agens ſecundum, viuum, rationale, ac liberum, ab auxilio efficaci, quod primæ cauſæ ac primi liberi virtus eſt, ad actionem juxta modum naturæ ſuæ impellitur ac determinatur. Quod vt promiſſis initio huius diſcurſus ſtemus, paucis illuſtrare conabimur.

369. Agitur ergo humana voluntas efficaci diuinæ gratiæ auxilio, non tantùm vt agatur, ſed vt agat; actuſque v. g. credendi, ſperandi, diligendi, &c. ab ea gratiâ excitata eliciti, verè illius effectus cenſendi ſunt, & gratiæ; non quidem ita vt partim à gratia, partim à libero arbitrio procedant, ſed vt gratia in ſuo genere, ſcilicet primæ cauſæ mouentis, ſit illorum cauſa totalis, & ſimiliter voluntas humana in ſuo influxu & cooperatione, vt ſubordinata primæ cauſæ, ſit etiam eorum totalis cauſa. Nam virtus adæquata, proxima, & cauſa cuius eſt virtus, non dicuntur cauſæ partiales: gratia autem & liberum arbitrium ſic comparantur, quod illa eſt adæquata virtus proxima, & liberum arbitrium ratione ſui gaudet tantùm virtute remotâ & radicali, ac conſequenter nequeunt concurrere partialiter. Vnde D. Thomas *lib. 3. cont. gent. cap. 70.* ait: *Non ſic idem effectus cauſæ naturali & diuinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, ſed totus attribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.* Ex quo liquet, quod actus ſupernaturales eliciti à voluntate humana gratiâ diuina præuenta & excitata, cùm non oriantur ab ipſa ſecundùm ſe conſiderata, & ſecundùm naturalem ſuam virtutem, ſed à Deo in ipſa & per ipſam voluntatem operentur; nam vt inquit D. Auguſt. *lib. de gratia & lib. arb. cap. 21.* agit Deus omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod eos agere ipſe voluerit; totaliter à Deo, & totaliter ab humano procedunt arbitrio.

Actus eliciti ab homine gratiâ efficaci moto, à Deo totaliter, & ab homine etiam totaliter procedunt.

D. Thom.

D. Auguſt.

370. Si enim, vt inquit Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 14. *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; æqualem non habet, ſed maiorem ac excellentiorem in actus voluntatis noſtræ authoritatem, quàm habeat ipſa voluntas. Cùm ergo actus ſupernaturales, v. g. pœnitentiæ, contritionis, &c. à voluntate eliciti, ipſi vt cauſæ totali attribuantur, debent etiam vt cauſæ totali diuinæ gratiæ auxilio attribui. Vnde Doctrinæ D. Auguſtini ſectator egregius D. Bernardus *lib. de gratia & lib. arb.* idem eleganti ac mellifluo ſtylo ſic proſequitur. *Quod*, inquit, *à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non ſigillatim, vt ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt; totum quidem hoc, & totum illa; ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Hæc Bernardus, qui expreſsè totum actum elicitum à libero arbitrio gratiâ efficaci Deo tribuit, & homini Quamvis enim liberum arbitrium habeat proprium influxum in actum ſupernaturalem procedentem à principio intrinſeco eleuato per gratiam; attamen hunc actualem influxum accipit à Deo, vt à cauſa verè efficienti. Vt enim inquit D. Hieron. tom. 2. epiſtola ad Cteſiphontem, c. 3. *meum eſt velle & currere; ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio, non erit meum.* Vnde licèt per propriam formam idem arbitrium producat actus ſupernaturales, non vt merum inſtrumentum, ſed vt cauſa principalis; tamen tam ipſe Deus, quàm liberum arbitrium, eſt cauſa totalis in ſuo genere eorumdem actuum, non autem partialis partialitate cauſæ. Deus enim eſt cauſa totalis in genere cauſæ primæ mouentis & applicantis: & liberum arbitrium cauſa totalis in genere cauſæ ſecundæ & ſecundi liberi, moti, & applicati à primo. Nam vt inquit D. Gregor. Nazianzen. orat. de ſeipſo: *Sine Chriſti ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viua, vt ita dicam, cadauera, ſceleribuſque fœtida: vt enim nec auis ſine aëre volat, nec delphinus ſine aqua natat; ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem terrâ efferre poteſt.*

D. Bernard.

D. Hieron.

D. Greg. Nazianz.

Sine gratia Chriſti inanis eſt homo.

Hoc planè experta eſt amantiſſima Sponſa, Eccleſiæ Chriſtianæ typus, quæ omnem agendi rationem, omneque fœcunditatis monile à Sponſo dilectiſſimo ſuſcipiens, ſic vt ad ſe accedat, inuitat Cant. 5. n. 1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum.* Ad proprium hortum Sponſam ſuum Sponſum aduocare certũ eſt; cur ergo non dicit, Veniat in hortum meum, vt comedat fructum pomorum meorum? An quia omnia bona Sponſæ, Sponſi cenſentur? Cùm enim corpora communia habeant ſponſi, juxta illud Eph. 5. 31. *erunt duo in carne vna*, nec bona illorum alicui debent eſſe propria, ſed vtrique indiſcriminatim attinentia? Ita ſanè exiſtimauit Philo Carpathius, non tantùm ad coniugij, ſed ad amicitiæ legem illam bonorum communitatem attribuens; ſic enim habet: *Amicorum omnia communia; propterea in hortum ſuum vocatur Sponſus à Sponſa, ad ſuos fructus edendos, vt oſtendat, nihil inter ſe habere disjunctum, nihil diſſonum, inſtar vnius ſanctiſſimi paris amicorum.* Sed aptiùs ad noſtrum inſtitutum ſic pergit Philo. *Vtque illud nos ſalutariter admoneat, omnia bona noſtra ex ipſius gratia prouenire, nihilque boni Sponſa ineſſe, quod non ab ipſius Sponſi largiſſimo bonorum omnium fonte emanarit.* Id quod ipſe teſtatur, cùm ait Ioan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Si ergo quidquid in Sponſa Chriſti dilectiſſima, eaque ſanctiſſima, à Chriſto Sponſo dimanat; quis bonum omne quod in aliis hominibus reperitur, ab hoc copioſiſſimo fonte oriri inficiabitur? Vnde Pſalmiſta inquit pſalm. 103. 28. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.* Sic ergo omnis quæ in creaturis eſt bonitas, non ab illis, ſed à manu Dei procedit; nam vt inquit ibid. Auguſtinus, *Creatura non habeat à ſe bonitatem.* Nec propterea in agendo creaturæ gloria cum arbitrij libertate deperditur, ſed vtraque ſaluatur & perficitur; & ideo *Cant. 2. 13.* dicitur, *vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Cùm enim florentes vineæ humanas gratiâ præuentas, & ad agendum applicatas ſignificent voluntates, non tantùm odorem, ſed odorem ſuum ſpirant, vt omne quod ab eis agitur, non ſolùm gratiæ, ſed etiam hominibus per gratiam agentibus, libeṙéque volentibus attribuatur. Quod acutè attigit Origenes *hom. in Cant.* dum ait: *Non ſine cauſa puto, quod non dixit, odorem dederunt, ſed odorem ſuum: vt oſtenderet ineſſe vnicuique arbitrij libertatem, quâ poſſit agere omne quod bonum eſt, vbi per gratiam reparatur.* Sed hoc vt clariùs liqueat, ſigillatim ac ſpecialiter à nobis tractandum eſt.

371.

Omnia bona noſtra ex Dei gratia proueniunt.

Noſtro cooperante arbitrio.

§. II.

Gratia efficax voluntates humanas applicans ad agendum, non lædit vel deſtruit, ſed perficit libertatem.

SCopulus hîc non facilis ſuperari, detegitur: ad eum plurimi, iique recentiores offendunt Theologi, gratiam diuinam ex ſe efficacem, humanaſque ad actiones mouentem, & applicantem voluntates, abſque propriæ læſione libertatis, concipere non valentes. Sed ideo à nobis ex inſtituto conſideratur, vt vnicuique palam factus, nemini laborem præbeat, aut periculum, immò omnibus in ſignum fiat, vt viam veritatis aperiens, per eam omnes ſtudioſos dirigat, & ad ipſam veritatis agnitionem feliciter perducat.

372. Vt igitur rem attingamus, animaduertere neceſſe eſt, ad eſſentiam aut perfectionem libertatis non pertinere indifferentiam verſatilem, vagam & effrænem, quæ divinæ motionis & applicationis neceſſitatem excludit; hoc enim modo Tullius libertatem volens ſtatuere, dum homines voluit facere liberos, *fecit ſacrilegos*, vt ait D. Auguſt. Sic enim Deus *reliquit hominem in manu conſily ſui*, vt dicitur *Eccleſ.* 15. quia cùm conſilium & providentia hominis contineatur ſub conſilio & prouidentia Dei, vt cauſa particularis ſub vniuerſali, homo vt ſecundum liberum dependenter à motione primi liberi ſe determinat ad volendum vel non volendum; ad operandum, vel non operandum; & ideo homini non præfigitur virtus operatiua determinata ad vnum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm, quaſi ab altero directæ in finem, vt docet D. Thom. 1. *p.q.* 22. *art.* 2. *ad* 4. Vnde prima radix libertatis creatæ remota eſt ac extrinſeca, in Deo exiſtens, nempe efficacia infinita diuinæ voluntatis attingens ſubſtantiam & modum in noſtris operationibus; nam D. Thom. *in* 1. *ad Annibaldum, diſt.* 37. *q. vnic. art.*4. inquit, *A voluntate diuina modum rerum producendarum eſſe prædeterminatum.* Secunda autem libertatis radix, quæ eſt proxima, intrinſeca, & in ipſo homine exiſtens, eſt indifferentia obiectiua judicij, quâ intellectus judicat bonum propoſitum voluntati vt proſequendum, non habere neceſſariam connexionem cum bono in communi, ad quod eſt naturaliter determinata voluntas. Vt enim docet Aug. Doctor quæſt. 24. de verit. art. 2. *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet.* Et ſubdit, *quod totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta; & ideo libertas non eſt in brutis, quia eorum judicium eſt determinatum ad vnum.*

D. Auguſt.

Prima & remota radix libertatis creatæ eſt efficacia diuinæ voluntatis.

D. Thom.

Secunda & proxima eſt indifferentia obiectiua judicij.

373. Deinde etiam aduertendum eſt, de intrinſeca ratione liberi arbitrij non eſſe facultatem ad facienda oppoſita contrariè, vt ad faciendum bonum vel malum, quæ vocatur *libertas contrarietatis*, ſeu quoad ſpecificationem. Sed ſufficit facultas ad facienda oppoſita contradictoriè, v.g. ad operandum, & non operandum, quæ dicitur *libertas contradictionis*, vel quoad exercitium. Deus enim eſt perfectiſſimè liber, & tamen in illo non eſt facultas ad faciendum actus contrarios actibus bonis, quos liberè nobiſcum producit. Chriſtus etiam & Beati liberè nos amant, & non poſſunt nos odio habere: quare peccare non eſt perfectio, ſed imperfectio, & defectus liberi arbitrij creati, quod factum eſt ex nihilo, vt optimè docet D. Thomas 1. *p.q.* 62. *art.* 8. *ad* 3. Duplex autẽ in hominibus diſtinguitur libertas; alia poteſtatis & in actu primo, quæ eſt facultas, quâ voluntas poteſt velle aut non velle, eligere vel non eligere, & ſe determinare ad amandum vel non amandum hoc vel illud obiectum; alia actualis & exercita, quæ eſt ipſamet actualis electio & determinatio voluntatis, in qua conſiſtit libertatis potentialis, ſeu habitualis exercitium. Hæc autem actualis libertas nuſquam ab homine exercetur in ſupernaturalibus, niſi gratia diuina efficaciter moueat, vel vt loquuntur D. Thomæ diſcipuli, *præmoueat* phyſicè voluntatem. Hæc autem virtus diuina, ſeu gratia appellatur motio phyſica, non quòd ſit forma naturalis, ſeu per modum naturæ ad vnum determinans; ſed quia ex propria eſſentia, & ab intrinſeco eſt efficax independenter à quocumque conſenſu creato, quod eſt eſſe phyſicam Theologicè, & non Philoſophicè. Quod patet in exemplo gratiæ phyſicè expellentis peccatum, non quòd exerceat oppoſitionem formæ naturalis & phyſicæ, ſed quia oppoſitionem habet cum illo ex ſua propria eſſentia, & ab intrinſeco, independenter à quacumque lege extrinſeca.

Non libertas contrarietatis, ſed contradictionis eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij.

D. Thom.

Dupex in homine libertas, potentialis, & actualis, quæ niſi à gratia moueatur, non exercetur.

Quomodo gratia efficax phyſicè moueat.

Liberum igitur arbitrium, quod à Magiſtro Sententiarum *in* 2. *diſt.* 24. *&* 25. definitur, *Facultas voluntatis & rationis ad vtrumlibet agendum vel non agendum, & ad agendum vnum vel alterum*, nullam à gratia diuina jacturã recipit, immò ab illa fouetur. Libertas enim quocumque modo cõſideretur, ab ea conſeruatur, augetur ac perficitur. Nam ſi libertatem in actu exercito, ſeu vt actualis eſt, conſideremus, illam à gratia efficaci cauſari omninò certum eſt. Cùm enim illud cauſet libertatẽ actualem noſtræ voluntatis, quod reducit libertatem potentialem de actu primo ad actum ſecundum; cúmque gratia efficax hoc præſtet, nam applicat voluntatem ad agendum, & facit quod illa in actu ſecundo ſe determinet vt ſecundum liberum & ſecundum determinans; clarum eſt illam producere hanc libertatem actualem & in actu exercito. Vnde D. Aug. *lib. de corrept. & gratia*, c. 8. ait, *quod gratia cauſat in nobis liberrimam, fortiſſimam, & inuictiſſimam voluntatem.* Et ſubdit: *Homo non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ libertatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Et lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. c. 29. *Gratia*, inquit, *operatur in cordibus hominum, non vt nolentes credant, ſed vt volentes ex nolẽtibus fiant.* Quod etiã definiuit Cœleſtinus I. Pont. Max. *in epiſt.* 1. *ad Epiſcopos Galliæ*, vbi ait: *Nemo niſi per gratiam libero benè vtitur arbitrio.* Quodque docetur à D. Thoma 1. *p.q.* 83. *art.* 1. *ad* 3. vbi ait, *quod Deus mouendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit.* Et *in* 2. *diſt.* 25. *q.* 1. *ad* 1. inquit: *Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio ſecundùm eius exigentiam. Vnde etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc ſua omnipotentia facit, vt illud in quod mutatur, voluntariè velit.*

374.

Liberum arbitrium gratia efficaci non læditur.

Magiſt. Sent.

D. Auguſt.

Non libertate gratiam, ſed gratiâ libertatem homo conſequitur.

Cœleſtin. P.

D. Thom.

Etenim cùm Deus ſit primum liberum, & tale per eſſentiam, ſupremumque habeat in voluntates noſtras dominium, omnem liberam illarum determinationem, quæ eſt libertas per participationem, eminentiſſimo & perfectiſſimo modo in ſe continet: ergo poteſt illam cauſare & efficere ſine libertatis præiudicio, vt voluntas in ſuo ordine, & vt ſecundum liberum & ſecundum determinãs ad ſuos actus liberos ſe determinet, cauſa enim efficiens habet producere effectus, quos virtualiter aut eminenter præcontinet: cùm enim, vt inquit D. Auguſt. lib. de correp. & gratia, cap. 14. *Deus magis habeat in ſua poteſtate voluntates hominum,* 375.

Deus eſt primum liberum.

D. Auguſt.

numquàm ipſi ſuas: cùmque voluntas creata ratione dominij quod habet in ſuos actus liberos, poſſit ſalua libertate ſeipſam determinare & applicare ad ſuos actus liberos eliciendos; Deus qui habet dominium ſummum & perfectum, vtpote diuinum, à quo omne aliud oritur, poterit etiam per gratiam ſuam efficacem, illam voluntatem creatam abſque læſione libertatis ad agendum determinare, & applicare. Quod adeo verum eſt, vt ſecluſâ illâ gratiâ efficaci, ſeu præmotione phyſicâ Dei, voluntas creata, ſeu illius libertas maneat potentialis, ſuſpenſa, crioſa, & veluti paralytica; quia à principio indifferenti, vt indifferens eſt, non exit actus determinatus, niſi ab aliquo determinetur & inclinetur ad illum; ſicut à frigido vt tali, non procedit calidum, nec à calido frigiduuo. Vnde Ierem. *Thren.* 5. 21. Deum ſic alloquitur: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros ſicut à principio.* Vt oſtendat hominem non in actum contritinnis ſeu conuerſionis à peccato prorumpere, niſi à gratia diuina ad illum inclinetur ac determinetur: quæ tameo determinatin cùm oon excludat propriam voluntatis determinatiooem, ſed inferat, nullo modo lædit libertatem, ſed cauſat. Vnde D. Thom. *q.* 22. *de ver. art.* 8. ait: *Sicut voluntas poteſt immutare actum ſuum, ita & multò amplius Deus.* Quare etiam Deo loquens Vates Euangelicus Iſaias *cap.* 26. 12. inquit: *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* Cuius optima ratio à D. Thom. aſſignatur in 2. *diſt.* 31. *q.* 2. *art.* 2. hoc modo: *Quod non habet ex ſe eſſe, nec habet ex ſe operari; ſed hoc accipit ab illo, a quo habet & illud.* Vnde Concil. Florent. decreto de fide Catholica ex hoc probat, quod Verbum in diuinis habet ab æterno à Patre virtutem ſpirandi Spiritum ſanctum, quia ab æterno habet eſſe à Patre, à quo ab æterno generatur. Cùm ergo liberum arbitrium creatum non habeat eſſe à ſe, ſed recipiat illud à Deo, tanquam à primo libero, & ideo appellatur ſecundum liberum, impoſſibile eſt quod habeat ex ſe operari, ſed debet illud recipere à quo recipit eſſe, nempe à Deo; & conſequenter Deus per gratiam ſuam efficacem dat libertati creatæ actualiter operari, ipſamque libertatem in actu exercito, & actualem non lædit, ſed cauſat & producit.*

Abſque motione diuina, ſuſpenſa & otioſa manet libertas humana.

D. Thom.

Liberum arbitriū creatum a Deo habet operari à quo habet eſſe.

376. Si autem hæc voluntatis humanæ libertas, vt potentialis eſt, modo ſuprà expoſito conſideretur, nullo modn etiam à gratia efficaci prædeterminante læditur. Siquidem cùm indifferentia vaga & verſatilis, quæ diuinæ motionis & applicatinnis neceſſitatem excludit, noo ſit de ratione libertatis pntentialis noſtræ voluntatis, ſed tantùm indifferentia obiectiua iudicij; quia ſicut de ratione cauſæ efficientis non eſt quod ſit prima, ſed quod efficiat, licèt moueatur ab alia primi, vt patet in igne & cœlo, terra & ſole; ita non eſt de ratione liberi arbitrij, vt ſe primò determinet, ſed vt determinet ſe juxta ſuam naturam; ideſt ſi fuerit primum liberum, determinet ſe primò: ſi verò fuerit ſecundum, quale eſt voluntas creata, ſecundariò tantùm, & dependenter à motione & applicatione primi liberi, primique determinantis & applicantis: iden gratia efficax determinans, quæ licèt cum indifferentia verſatili ſtare non poſſit, tamen indifferentiam obiectiuam judicij non excludit nec impedit, ſed potiùs efficit quod liberum arbitrium io ſuo ordine & in ratiooe ſecundi liberi & determinantis ſe ſecundariò moueat, & determinet; nullo modo lædit libertatem potentialem noſtræ voluntatis, maximè quia vtraque noſtræ libertatis radix, ſcilicet extrinſeca, & in Deo exiſtens, quæ eſt ipſa efficacia infinita diuinæ voluntatis, attingens modum & ſubſtantiam noſtrarum operationum; & intrinſeca ac in ipſo homine reſidens, nempe indifferentia obiectiua judicij, quâ poſitâ in intellectu, implicat quod voluntas neceſſitetur, ſeu determinetur ad vnum per modum naturæ, reperitur dum voluntas humana gratiâ efficaci decoratur: ipſaque gratia efficax non tollit à voluntate mota potentiam ad diſſentiendum, ſeu ad eliciendum actum oppoſitum, quod eſt poſſe non agere in ſenſu diuiſo, vt docent communiter Thomiſtæ. Nam vt ait D. Proſper de voc. gent. cap. 18. *Deus ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt perſeueraturis illam mutabilitatem quâ poſſint nolle, non auferat.* Et D. Thom. *quæſt.* 23. *de verit. art.* 5. *ad* 3. ait, quod *quamuis non effectus diuinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum diuinæ voluntatis ſimul ſtat cum diuina voluntate.*

De ratione liberi arbitrij tantum eſt, vt ſe determinet per modum ſecundi liberi, & dependenter à primo.

D. Proſp.

D. Thom.

377. Ex quibus euidenter conſtat, gratiam Dei efficacem non ſolùm libertatem noſtram non lædere, ſed illam augere & perficere. Cùm enim inferiora perficiantur per ſubordinationem & coniunctiooem ad ſuperiora, vt patet in luna, quæ illuminatur & perficitur per coniunctiooem ad ſolem; in fluuiis qui creſcunt & augentur, dum remeant in Oceanum; & in creaturis intellectualibus, quæ ſanctificantur & beatificantur per amorem & coniunctionem ad Deum; quod Marſilius Ficinus in conuiuio Platonis, *cap.* 21. eleganter proſequitur, dum ait: *Qui Deum vero amore proſequutus fuerit, Deum inueniet, & ſe in Deo recuperabit, quia ad ſuam per quam creatus eſt, ideam redibit, vbi rurſus reformabitur, quia ideæ perpetuò cohærebit*: per gratiam autem efficacem voluntas noſtra Deo, vt primo libero, actu ſubordinatur, & coniungitur fonti & principio totius libertatis creatæ, efficaciæ ſcilicet infinitæ diuinæ vnluntatis, quæ eſt prima radix libertatis creatæ, ac conſequenter nullo modo gratiâ efficaci læditur, ſed augetur & perficitur libertas noſtra: ſiquidem per hanc gratiam efficacem, ſeu motionem prædeterminantem transfertur libertas creata ab indifferentia potentiali ad actualem, & tranſit voluntas ab actu primo ad actum ſecundum, & per illam actu vult, actuque in ſuo ordine ſe determinat: ſicque à potentialitate & ſuſpenſione ſeu carentia actus, quæ eſt quædam imperfectio, liberatur. Vnde D. Proſper *ſent.* 5. in reſpooſione ad capita Gallorum, inquit, *quod gratia non abolet, ſed adolet liberum arbitrium*; hoc eſt, gratia veluti parens ac nutrix libertatis, illam fouet, conſeruat, nutrit, & ad debitam perfectionem conducit. Cùm enim, vt tritum eſt apud Theologos, Deus cum cauſis neceſſariis agat neceſſariò; cum liberis liberè; & cum contingentibus, contingenter: diuinæ illius gratiæ virtus ita attemperatur vnluntati humanæ liberæ, quam mouet, vt relinquat in illa ſemper indifferentiam judicij, & potentiam ad oppoſitum: quod expreſſiſſe videtur Concilium Trident. *ſeſſ.* 6. *de juſtif. can.* 4. dicens: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo, nec poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Vnde S. D. *q.* 6. *de malo*,

Libertas noſtra gratiâ efficaci augetur & perficitur.

Marſil. Ficin.

D. Proſper.

Gratia non abolet, ſed adolet liberū arbitrium.

Conc. Trid.

D. Thom.

* *R.P. Gar. Benquin Comm. in Proſam D. Thom.*

malo, *art.1. ad 3.* inquit: *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ non inducitur neceſſitas, ſed remanet libertas.*

378. Non ergo diuinæ gratiæ ex ſe efficaciam hortreat aliquis, nec illius in humanas voluntates dominium, tanquam tyrannidem criminetur. Natiua eſt cordium humanorum Regina: illis fortiter dum præeſt, etiam ſuauiter dominatur: illorum indifferentiam determinat, ſed non deſtruit, ſed aſtruit libertatem; ac de ea mentem hominis mouente, & excitante duntaxat verum reperitur inſignis cuiuſdam ciuitatis ſuum erga Regem lemma, nempe: SVB CVIVS IMPERIO SVMMA LIBERTAS. Quomodo enim Deus, de quo ſæpè inquit D. Thomas, *quod non eſt cauſa tendendi in non eſſe*, libertatem humanam, cuius origo indeficiens eſt, diuinæ ſuæ volontatis per eſſentiam liberæ virtute, ſcilicet gratiâ efficaci, ad nihilum illam deſtruendo redigeret? Sanè cùm Deo ſeruire regnare ſit, vt loquitur D. Greg. Magnus *in gloſſ. Præn.*1. & D. Antoninus Archiep. Florentinus jamjam moriturus glorioſè profeſſus eſt; gratiæ diuinæ obedire, eius motiones ſequi, eiuſque legibus aſſentiendo obtemperare, non ſeruire eſt, ſed regnare. Vnde D. Thom. *præfat. in epiſt. canonicas*, exponit verba pſalmi 17. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*, per diſtributionem accommodam, vt ſit ſenſus, quotquot ſeruient ei, erunt reges; & ideo *Apoc.* 19. Chriſtus Dominus principatus ſui in femore, hoc eſt in humanitate, glorioſum titulum geſtat, bis verbis: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Nam vt loquitur Philo Hebr. lib. de Cherub, *Seruire Deo, maxima eſt gloriatio, non modò libertate maior, ſed & diuitiis & principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, prætoſtior: vnde nullam etiam ſeruitutem velut ignominioſam patitur, quia ipſa vera libertas eſt animæ.*

Gratia natiua cordis humani Regina.

Deo ſeruire eſt regnare.

Philo.

379. Ille ergo qui gratiæ diuinæ efficaci mentem ſubdens, eiuſque motionem ſequens, ad agendum applicatur, vt à peccato recedat, & ad Deum conuertatur, non ſolùm coactus aut captiuus non debet dici, ſed ingenuus ac libertimus debet appellari: liberâ enim actione ſuâ, diuinâ in eum agente gratiâ, à fœda miſerabilique peccati ſeruitute tranſit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Atquomodo filij Dei ſunt, qui eius ſerui recenſentur? Immò non eſſent Dei filij, niſi ei totâ mentis affectione deſeruirent. Vnde *Eccleſ.*2. dicitur: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia.* Nam in domo Dei nemo filius, niſi ſeruus: vnde D. Chryſol. *ſerm.* 7. ait: *Nemo cùm ſe filium clamat, manere ſe miretur in habitu ſeruitutis.* Et *ſerm.* 14. hæc ſeruitus, inquit, non obligat, ſed abſoluit; non onerat, ſed honorat; abſtergit ſeruitutis maculam, non incurrit. Impleta eſt Chriſti ſententia, quâ dixit, *Matth.*10. qui vult eſſe dominus, ſit ſeruus. Beata eſt hæc ſeruitus, quæ dominationem generat ſempiternam.

Serui Dei eius ſunt filij.

D. Chryſol.

380. Dum ergo peccator ſibi relinquitur, captiuus & ſeruus eſt tot dominorum, quot vitiorum: ipſaque peccati macula, quæ etiam tranſacto ſceleris actu remanet, velut ſtigma ſerui ſeruum prodit: ipſeque infelix propriis peccatorum actibus catenatum veluti ponderè aggrauatus, vile quoddam ceu mancipium, duriſſimæ ſub jugo ſeruitutis jacet. Nam vt dicitur Prou. 6. *Peccata ſua capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.* Sic de ſe Auguſtinus adhuc peccati imperio ſubditus loquutus eſt lib. 8. confeſſ. cap. 5. *Ligatus eram*, inquit, *non ferro, ſed meâ ferreâ voluntate.* Vnde & illa, quæ pulcherrimum juxtà, & caſtiſſimum adoleſcentem Ioſeph deperibat impudica mulier, licèt illius domini vxor eſſet, quia tamen obſcœno concupiſcentiæ ardore flagrans, per ſingulos dies adoleſcenti moleſta erat vt eum ad peccati barathrum daret præcipitem, nequaquam *domina* illios, vt par eſſe videbatur, ſed tantùm domini Ioſeph vxor à Scriptura nominatur: quod acutè obſeruauit D. Ambr. *lib. de Ioſeph*, dum inquit: *Rectè vxor domini* (ait ſacer Textus) *ſollicitauerat, & non ipſa domina, quæ non potuit extorquere quod voluit impetrare; nam quomodo domina, quæ dominandi non habet affectum?* Quamvis igitur aliis præeſſe videatur qui hominibus dominatur, ſi à peccato ſuperatur, illius ſeruus effectus, verè captiuus exiſtit; nam vt loquitur D. Hieronymus ad 1. cap. Thren. *Tot ſeruit ſceptris dedita anima, quot vitiis.* Verùm ab hac ſeruitute liberat, & veram homini libertatem præſtat efficax diuinæ gratiæ auxilium, quo agente ad libero arbitrio cooperante, à tenebris ad lucem, ab iniuſtitia ad ſanctitatem, & à miſerabili diaboli ſeruitute ad filiorum Dei libertatem transferimur. Nam vt inquit D. Auguſt. tract. 41. in Ioan. *Voluntas tua erit libera, ſi fuerit pia: prima libertas eſt carere criminibus.* Quæ ſanè ſufficiant ad oſtendendum, omne bonum, omnemque ad agendum, immò ad merendum, ac conſequenter ad Deum laudandum poteſtatem hominis, à Deo in illum deriuari: ſicut enim omne illius malum à ſeipſo procedit, ita omne illius bonum deſurſum ei eſt, deſcendens à Patre luminum, vt inquit Iacob. *ep. can. cap.* 1.

Dura peccati ſeruitus.

D. Auguſt.

D. Ambroſ.

D. Hieron.

D. Auguſt.

§. III.

Homo diuina gratia auxilio roboratus, ipſique Chriſto Domino charitate ac iuſtitiâ copulatus, illius laudes audacter debet depromere.

QVantùm potes, tantùm aude, inquit D. Thomas in textu ſecundo, quem modò elocidamus. Quo loquendi modo Chriſtiano homini, vt Chriſtum Dominum in ſacro Euchariſtiæ myſterio latitantem laodare ſuadeat, omnem quà poller facultatem proponit, vt totam illam digniſſimo illi, maximoque negotio inſumat. Cùm enim Angelici Doctoris mens in hoc Opere eò tendat, vt ſummas Chriſto de immenſo corporis ſui beneficio gratias agentes, encomia, laudeſque ei totâ mentis jubilatione offeramus, dum ait, *quantum potes, tantùm aude*, idem eſt ac ſi diceret, eùm multùm non de te, ſed à Chriſti gratia, à qua & eſſe, & poſſe, & operari habes, valeas, multùm etiam aude; omnemque quam ab inexhaoſto bonorum omnium fonte, in te perenniter ac jugiter manante facultatem ad agendum recipis, eam totam laudibus & encomiis ad ipſum fontem remitte, vt mirabili circulo aſcendant vnde deſcendunt vires tuæ, & fluxu ac refluxu perpetuo, mutuò dent ſibi, mutuóque recipiant Deus & homo. 381.

Sanè nihil infirmius homine diuino auxilio deſtituto, ac gratiâ ſanctificante carente; ad nihilum enim tunc redactus eſt: cùnque operati ſequatur 382.

Peccator ex ſe nihil poteſt:

ſequatur eſſe, vt docent Philoſophi, dum à ſummo eſſe, nempe à Deo elongatus eſt, nec ipſam habet agendi facultatem. Hinc Chriſtus dixit Ioan. 15. num. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Verùm ſi ſuperna deſuper fulgente luce ſe infirmum, impotentem, ac miſerum agnoſcat homo, diuinumque quo roboretur, præſidium enixè, & humiliter imploret, quo fortis ac potens euadat, impetrabit. Sic enim Apoſtolus 2. *Cor.* 12. 10 inquit: *Cùm infirmor, tunc potens ſum*; ideſt, vt ibidem exponit Angelicus Doctor, *cùm infirmor, adhibetur mihi auxilium diuinum, per quod confirmor.* Vt enim inquit Auguſtinus ſerm. 13. de verb. Domini, *nemo erit firmus, niſi qui ſeipſum ſentit infirmum.* Si autem propriæ infirmitatis conſcius, diuinâ clementiâ fauente, manu Dei confirmetur, nihil illo fortius aut robuſtius inuenitur, ita vt qui dixit, *Sine me nihil poteſtis facere*, ibidem ait, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Ex quo diuinam ſibi arrogare omnipotentiam non veritus eſt Apoſtolus, Philip. 4. 13. *Omnia*, inquit, *poſſum in eo qui me confortat.* Vnde S. Auguſt. in pſal. 30. ſic loquitur: *Domine ſi ſine te nihil, totum in te poſſumus. Etenim quidquid ille operatur, per nos videmur nos operari: poteſt ille multum, & totum ſine nobis; nos nihil ſine ipſo.* Hæc ille.

D. Thom. — *Auguſt.* — Multùm autem cum gratia Dei.

383. At ne mireris: ſumma per gratiam ſanctificantem, diuino agente auxilio, Chriſti & hominis coniunctio ſummam homini attribuit potentiam. Cùm enim Chriſti & Eccleſiæ vna perſona cenſeatur, vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 15 *art.* 1. *ad* 1. ex eo quod tota Eccleſia morale quoddam & myſticum corpus conſtat, cuius caput Chriſtus eſt, actiones capiti membris, & è conuerſo actus membrorum capiti attribuuntur. Sicut enim in ſuppoſito naturali actiones, & paſſiones, tam capitis quàm membrorum, eidem hypoſtaſi, cuius ſunt caput & membra, tribui ſolent, Petrus enim capite ſuo phantaſiatur, manibus operatur, & pedibus ambulat; ita & ſecundùm quandam analogiam in ſuppoſito myſtico actiones & paſſiones quæ ſunt membrorum propriæ, & etiam capitis, de Chriſto, tanquam de vno ſuppoſito myſtico, in ſeipſo vt in capite, & in Fidelibus vt in ſuis membris myſticè ſubſiſtente prædicantur, vt 2. Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Vbi particula illâ, *in me*, myſticam Chriſti in paulo ſpiritualiter viuente & loquente ſubſiſtentiam ſignificat: & clariùs Gal. 2. 20. *Viuo ego jam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Quâ ratione, vt loquitur Cardinalis Caietanus *in opuſc. tom.* 3. *tract.* 10. *cap.* 9. dicere poſſumus: *Mereor ego, jam non ego; meretur autem in me Chriſtus.* Idem etiam valemus aſſerere de operationibus voluntariis, quas Chriſti membra viua exercent propter Deum: quo fit vt meritum æternæ vitæ non tam operibus noſtris tribuatur, quàm operibus Chriſti capitis & ſuppoſiti myſtici in nobis ſubſiſtentis, & per nos operantis. *Non enim*, vt loquitur D. Auguſt. tract. 28. in Ioan. *Chriſtus in capite, & non in corpore: ſed Chriſtus totus in capite & in corpore. Quod ergo membra eius, ipſe: quod autem ipſe non continuò membra eius. Nam ſi ipſi* (Chriſtiani) *non eſſent membra eius, non diceret Saulo: Quid me perſequeris? Non enim Saulus ipſum, ſed membra eius, ideſt fideles eius, in terra perſequebatur. Noluit tamen dicere, Sanctos meos, ſeruos meos, poſtremò honorabiliùs, fratres meos: ſed me, hoc eſt membra mea, quibus ego ſum caput.* Hæc Auguſtinus.

D. Thom. Chriſti & Eccleſiæ vna perſona exiſtimatur. — *Caiet.* — Opera noſtra meritoria à Chriſto capite, & à nobis vt eius membris procedunt. — *D. Auguſt.*

Cùm ergo Chriſtianos homines ita ſibi Chriſtus charitate coniungat, vt illos ſeipſum apel- 384.
let, nulli mirum videatur, illos ad tantam euehi dignitatem, vt præſtantiſſima exerceant opera; ſic enim Fidelium corporibus, mentibuſque *Chriſtus transfunditur*, vt loquitur D. Hilarius in illud Matth. 25. 40. *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*; vt ſuam illis tribuens virtutem, ad ſua, immò inſigniora patranda opera excitet ac moueat. Quod ipſe optimus Seruator expreſſit, dum inquit Ioan. 14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Vbi Auguſtinus *tract.* 72. *in Ioan.* ait, *quod maius opus eſt, vt ex impio fiat juſtus, quam creare cælum & terram; cælum enim & terra tranſibunt; prædeſtinatorum autem ſalus & juſtificatio permanebit.* Subditque: *Iudicet qui poteſt, vtrum maius ſit juſtos Angelos creare, quàm impios juſtificare: certè ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ.* Hæc ille. Magna igitur hominis juſti eſt potentia, quæ magnam illi audaciam, magnumque animum præſtare debet, præcipuè vt totum illud quod à benigna Redemptoris manu ſuſcepit, obſequio, affectu, laudibus, aliiſque gratiarum actionibus in ſummum ipſum bonorum omnium largitorem refundat. Quod vaticinatus eſt Euangelicus ille Propheta, dum inquit: *Laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſuâ, &c.* Iſai. 25. 4.

D. Hilar. — Suam tribuit Chriſtianis Chriſtus virtutem. — *D. Auguſt.*

Si enim, vt docet Apoſtolus 2. *Cor.* 9. 7. aliis 385.
hominibus bona noſtra erogare debemus, *non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus:* quanto cum gaudio, quanto cum animo, quo maioribus nos Chriſtus cumulauit bonis, eo ipſi cantica ac laudes referre tenemur, ac conſecrare. Dum ergo lingua clamat, cor amet; & dum anima immenſa recolendo beneficia, magnificum datorem ardenti dilectione proſequitur, ſuaui ac canora voce corpus extollat. Hoc audeat quiſque diuinæ menſæ fit particeps. Audeat, inquam, quia poteſt; non in ſe quidem, ſed in illo qui in ſeipſo non ſolùm gratiâ reſidet, ſed Euchariſtiæ Sacramenti munere venit. Vt enim Paulus *pro Chriſto legatione fungens in catena, in ipſo audebat, prout oportebat loqui*, vt dicitur *Eph.* 6. 20. ita & Chriſtianus Chriſti corpore vegetatus in ipſo audet, ſicut oportet, illum laudibus celebrare.

Audacter & lætanter Chriſtus laudandus.

Planè audentes & animoſos ſibi eligit Domi- 386.
nus, eoſque fortes probat, vt ad maiora in laudem gloriæ ſuæ extollat munera. Sed audaciam & animum tribuit, quia vt ait D. Auguſt. *lib.* 5. *conſul. cap.* 3. non dignum eligit Deus, ſed eligendo facit dignum: ea ſcilicet largiendo, quibus ad exequenda ad quæ electi ſunt miniſteria, præparentur, ac diſponantur. Vnde magnos, mirabiles, & regios animos in illis ſolet Deus inſerere, quos ad imperia deſignauit: ſic enim Moyſem, qui pro libertate cuiuſdam de Hebræis fratribus ſuis ſeſe periculo obtulit, & Ægyptium percuſſit, ac deinde percutienti Hebræo, & facienti illi iniuriam pacem ſuaderet voluit, elegit in Ducem, ac Principem Hebræorum; nam vt notauit Iſidor. Peluſiota *ep.* 70. ſummam curam adhibuit Deus examinandi Moyſem in omnibus iis, ad quæ ipſum poſtea mittere conſtituerat. Cùm

D. Auguſt. — Animoſos in duces ſui populi eligit Deus, vt patet in Moyſe & in Petro.

enim Moyſes futurus eſſet dux populi Iſraëlitici, & juſtitiam exercere deberet, & ſimul zelum communis boni habere ad propulſandas iniurias, & pacem in populo conſeruandam, juſtitiæ ſpecimen præbuit, dum percuſſit & occidit Ægyptium percutientem Hebræum: zelum autem communis boni & pacis teſtatus eſt, dum duos

Iſid. Peluſ.

Hebræos rixantes voluit componere. Vnde & D.

D. Auguſt. *D. Thom.*

Auguſt. *lib.2. in quæſt. Exodi, cap.2.& lib.22.contra Fauſtum, cap.70.* vt refert D. Thom. 2.2. *qu.60. art. 6. ad 2.* inquit: *Sicut terra ante vtilia ſemina, herbarum inutilium fertilitate laudatur; ſic illud Moyſi factum vitioſum quidem fuit, ſed magnæ fertilitatis ſignum gerebat, in quantùm ſcilicet erat ſignum virtutis eius, quâ populum liberaturus erat. Sic etiam Petrus, dum gladio auriculam ſerui amputauit, futura ſua ad gregem dominicum protegendum vigilantia ſpecimen præbuit. Quid ergo incongruum* (pergit Auguſtinus) *ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ. Vterque enim non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit; vterque odio improbitatis alienæ, ſed ille paterno, iſte dominico, licèt adhuc carnali, tamen amore peccauit. Reſecandum quidem hoc vitium vel eradicandum fuit: ſed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ſerendis virtutibus excolendum erat.* Hæc ille. Diuina igitur gratia vtrumque,

Quorum audaciam expurgauit.

& Moyſis, & Petri cor à ſentibus expurgatum, virtutibus excoluit, ac vtriuſque præſtantiſſimi viri audaciam ac fortitudinem, ad populi ſui bonum, Eccleſiæ vel Synagogæ regimen, maximamque nominis ſui gloriam propagandam diſpoſuit, aptauit, excitauit. Vtinam etiam omnium Chriſtianorum audaciam & fortitudinem ita temperet, immutet ac nobilitet, vt toto animo, totiſque viribus Dei Opt. Max. gloriam, Eccleſiæ pacem, proximorum ſalutem, propriamque ſanctimoniam ſtabilire ac ampliare ſatagant. Pium hoc, juſtumque votum implebitur, ſi diuini auxilij vires, quas in nos abundè effundit Dominus, attentè conſiderantes, quantùm cum illo poſſumus, audeamus; totumque quod audemus, ad laudes Chriſti in Euchariſtia Paſtoris optimi celebrandas offeramus: illi enim quidquid habemus, quidquid ſumus, quidquid poſſumus, & quidquid audemus debentes, tot bonis priuari ob ingratitudinem merebimur, niſi encomia noſtra, quæ noſtra ſunt, noſque ipſos, æquiſſimâ vice rependant.

387. Proptereà celeberrimi illi 24. Seniores, Apoc.4. *viuentem in ſecula ſeculorum adorantes, ante illius thronum proprias coronas mittebant, dicentes*, ibid. num.10. *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Nam vt ibi-

Hugo Card.

dem exponit Cardinalis noſter Hugo, *mittebant coronas, id eſt victorias, quas de diabolo & peccato per ipſum obtinuerant, ipſi attribuendo, & quidquid boni habent, ad ipſum retorquendo.* Interpretatur

Chriſti auxilio partæ victoriæ Chriſto conſecrandæ.

autem id quod dicebant, *Dignus es, Domine: tu es qui dignos nos facis.* Et Andreas Cæſareenſis ait:

Andr. Caſ.

Tu Domine coronarum victoriæ author, & ſubminiſtrator fuiſti. Iuſtè ergo omnem auſum, omneſque quibus victores extiterunt, vires à Chriſto Domino ſe ſuſcepiſſe fatentur, dum ſimul & capitum ſuorum diademata pedibus illius congerunt, & illius encomia pleno ore depromunt. Sic enim omnis alicuius ingenij vir, illud omne quod habet, ac quod benè ſancteque operatur, viribus ſuis nequaquam debet aſcribere, ſed diuinam in ſe debet agnoſcere largitatem. Eius laudes celebrat, ſi ad Deum omnia refert, tacetque; ſi ingratus in ſinu ſuo retinet: immò & Deum grauiter offendit, dum rapit quod ſuum eſt, ſibique arrogat quod illi ſilentio ſuo non

Dei laudes celebrantur, dum bona noſtra ad illum referuntur.

refundit. Quod vtique magnoperè in homine deteſtandum eſt; nam *quid odioſius*, ait D. Bern. ſerm. 54. in Cant. *illâ voce, quâ quidam dixerunt*, Deut. 32. 27. *manus noſtra excelſa, & non Do-*

D. Bern.

minus fecit hæc omnia. Ex quorum certè numero non fuit clariſſimus ille diuinæ gratiæ prædicator, gentium Apoſtolus, dum 1. *Cor.* 15. 10. inquit: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit: abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego ſolùm, ſed gratia Dei mecum.* Sic feruentiſſimus ille Chriſtianæ Religionis propagator, omnem animum, omnemque in agendo virtutem, ad illum à quo accepit, refert; ipſamque quâ Eccleſiam Chriſti, ſpirans minarum & cædis, extinguere conatus fuerat, audaciam ſibi attribuens, dum *ibid. num. 9.* ait; *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſequutus ſum Eccleſiam Dei*; omnem quo illam propugnauit, dilatauit, ac docuit zelum, omnemque in agendo conſtantiam, non ſibi, ſed Deo, eiuſque gratiæ tradit.

Hoc modo quidquid audemus, & quidquid 388.
poſſumus, Deo lubenti animo conſecrantes, ipſum omni laude maiorem laudibus proſequi valemus. Etenim ſi juxta communem ſacrarum Literarum loquendi modum, *Deum confiteri, ipſum laudare eſt*, vt ſexcentis Scripturæ locis conſtat, profectò æquiſſimâ omnium quæ in nobis bona ſunt retributione Dei Opt. Max. maieſtatem confitentes, ipſum laudamus. Quod quidem à contrario inferimus: nam cùm illi qui ingrati ſunt animi, adiuuantem Deum videantur negare, quia vt ait D. Chryſoſt. lib.2. de compunct.

D. Chryſoſt. *Deum negat qui ipſi bona quæ facit nō adſcribit.*

cordis, & ſerm. de Publicano, *Quoties aliquis non Deo, ſed ſibi aſcribit bona quæ facit; quid eſt aliud, quam Dei negatio?* Quoties animum vireſque noſtras Deo authori gratitudinis ergò reſtituimus, Deum non ſolùm ore, ſed etiam bonis noſtris confitemur, ipſique omnes quas à creaturis laudes poteſt accipere, perſoluimus & conſecramus. Hinc eſt, quod *Prou.* 30. 10. Sapiens ſic conſulit: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Quod quidem non ſolùm de temporalibus, & exterioribus fortunæ bonis, quæ à Ioan. ep. 3. 17. *ſubſtantia huius mundi* vocitantur, intelligendum eſt, ſed etiam de bonis intra ipſum hominem à Deo effuſis, deque eius interiori ſubſtantia animæ, ac de virtutibus & donis ſupernaturalibus, quibus à Deo excolitur. Nam vt aduertit, D. Gregorius Magnus, quem re-

D. Greg. *D. Thom.*

fert D. Thomas in cap. 4. Apocalypſis: *Sancti viri quidquid in ſe aſpiciunt, immortalis gratiæ donum eſſe cognoſcunt, eique de accepto munere debitores ſiunt, qui & præueniendo dedit eis bonum velle, & ſubſequendo conceſſit eis bonum poſſe.*

Cùm ergo iniuſtus ſit alieni boni debitor, 389.
qui debitum ſoluere non conatur; ni omne quo diteſcit homo, etiam ſpirituale bonum Deo à quo accepit, ſoluere ſatagat, non ſolùm iniuſtus boni alieni raptor, ſed etiam iniquus Dei bonitatis negator jure merito cenſebitur. Ne ergo turpi iniuſtitiæ ac negationis Dei labe vir maculetur Chriſtianus, totum quod à Deo poteſt, in

in eius laudes depromendas, hoc eſt ipſi bonorum omnium largitori retribuendo audeat; ſicque audaciam, animum, ac vires ad agendum conſeruabit. Quo pacto Regius ille Propheta in præliis non ſemel victor, qui adhuc puer tanta cum facilitate leonem & vrſum interfecit, vt de eo Eccleſiaſticus dixerit cap. 47. 3. *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis: & cum vrſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ouium in iuuentute ſua*; qui penè inermis Philiſthæum gigantem proſtrauit, occidit ac opprobrium de gente ſua abſtulit; qui etiam aliis victoriis clarus, magis virtutis ac fortitudinis ſuæ coronis, quàm populi Iſraëlitici imperio, ac diademate fulgebat, Deum laudauit, dum omnem animum ſuum, omneque etiam corporis robur Deo, eiuſque miſericordiæ refundit. Pſal. 58. 10. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Et ibid. 18. in Dei laude ac gratiarum actione perſeuerans, ſubdit: *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane miſericordiam tuam.* Moxque addit: *Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea.* Vbi dum Dauid Deum appellat ſuſceptorem ſuum, idem eſt ac ſi protectorem nominaret, vt plures notarunt Interpretes: & vires quibus hoſtes populi Dei profligauit, poſtquam fortitudinem ſuam, quam ad Deum vt illius authorem refert, vocauit, ſtatim quaſi linguam corrigens, & verbum mutans, totus ſe in Dei laudes effundens, pergit: *Ego autem cantabo fortitudinem tuam.* Suam Dauid fortitudinem ad Deum cuſtodit, ſed Dei fortitudinem cantat: ſuam ſubdit Deo, ſed Dei fortitudinem ſimul cum Deo extollit. Vires ſuas abſcondit egregius hoſtium ſuorum triumphator, vt Dei virtutem in ſe, & per ſe triumphatricem prodat. Victorias ſuas tegit, vt Dei victorias reuelet; dumque ſe infirmum ac miſerum, Dei miſericordiâ indigentem profitetur, ſe multis triumphis inclytum, multis victoriis exornatum, multiſque coronis redimitum, robuſtumque exhibet, ac potentem.

Dum Dauid fortitudinē ſuam Deo à quo illam acceperat, tribuit, Dei fortitudinē maximè laudat.

390. Nec ſolus Dauid victorias ſuas, atque coronas Deo, per quem triumphauit, obtulit & conſecrauit. Etiam à Gentilibus quibus ſola naturæ lux fulgebat, hoc factum eſt. Nam vt refert Alexander *lib. 6. genial. dier. cap.* 6. mos olim viguit apud Romanos, vt triumphantes exacto triumpho, vel in gremio Iouis Capitolini triumphales coronas locarent, vel eas templis dicarent, quaſi Deorum beneficio triumphum ſibi contigiſſe confitentes. Notauitque Plinius *lib. 16. hiſtor. cap.* 4. quod antiquitus nulli niſi Deo dabatur corona. Ob id Homerus cœlo tantùm eas è prælio vniuerſo tribuit, ideſt Deo, cuius proprium eſt in omni prælio vincere, & à quo vires hominibus ad vincendum deriuantur. Quod 1. *Machab.* 3. 19. expreſſum eſt, dum dicitur: *Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.* Vnde hac voce, *à Deo victoria*, milites ſuos confirmare & excitare ſolitus fuit in acie Flauius Heraclius Imperator, Princeps fortiſſimus atque victorioſiſſimus: palam & apertè profeſſus, neminem ſibi præter Deum, auxiliari, ac victoriam tribuere poſſe; ſicut illi accidit dum Coſroë Perſarum Rege profligato, victis eius Ducibus, & totâ regione in vltionem ferro flammaque deuaſtatâ, ac demùm pace cum Siroë, Coſroës filio, æquis conditionibus factâ, Byzantium triumphabundus ingreſſus eſt; crucemque Domini, quam ab hoſte recepit, propriis humeris geſtans, in eum Caluariæ locum, quò eam Saluator tulerat, aſportauit; ibique in tantæ monumentum victoriæ, cruce ab Heraclio repoſitâ, vbi Saluatori primùm fuerat conſtituta, dies ille Romanis faſtis aſcriptus, feſtumque Exaltatæ Crucis inſtitutum fuit. Sed & victoriæ huius memoria in veteri eiuſdem numiſmate repræſentatur, in quo eſt imago Heraclij cum triumphali curru, cuius limbus verbis his inſignitus eſt: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulaui, & conculcaui leonem & draconem.* Et in medio hæc verba leguntur: *Gloria in excelſis Deo, quoniam ferreas diſrupit portas, & ſanctum liberauit regnum Heraclij*; vt videre eſt apud Cuſpinianum in Heraclio Cæſare.

Coronæ victorum Diis olim conſecrabantur.

Alex.

Plin.

Heraclius milites excitabat victoriam à Deo expectando.

Perſas deuicit & crucem Domini recuperauit.

Cuſpin.

Laudarunt ergo Deum victores, tum apud Gentiles, tum apud Chriſtianos; eiuſque gloriam maximè prædicauerunt, dum & coronas, & vires quibus eas adepti, ipſi tanquam omnis fortitudinis fonti conſecrarunt. Laudemus & nos, omnem quam habemus virtutem ipſi referentes; & cùm magnum animum, magnamque audaciam nobis effundat illa Omnipotentis manus, quæ dum aperitur, omne replet animal benedictione; omnem animum, omneque robur ad ipſum refundamus, vt quantùm poſſumus audentes, tantam illi gloriam retribuere ſatagamus, quantam nos virtutem ac ad agendum facultatem ab ipſo recipimus: vt perpetuo accipiendi ac dandi circulo tanto cum benefactore colligati, ſicut ſemper ab eo bona recipimus, ita ſemper in eius laudibus ac gratiarum actionibus maneamus. 391.

TEXTVS TERTIVS.

Laudis thema ſpecialis
Panis viuus & vitalis
Hodie proponitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

Laudis thema ſpecialis. Suum inſtitutum hîc Author rectè proſequitur; verbis enim huius textus rationem aſſignat eorum quæ præmiſit textu præcedenti: nam cùm ibi Eccleſiæ ſuadere conatus fuerit, vt omnem quâ pollet virtutem ad Paſtoris optimi Chriſti Domini, ſuauiſſimo corporis ſui pabulo fideles nutrientis, laudes celebrandas in tanti beneficij gratitudinem inſumeret; immò vt audaciam ac poteſtatem multiplicaret, vt eum quem omni laude maiorem Scriptura demonſtrat, encomiis proſequeretur: hic eius quod ſuadere voluit rationem affert, dum inquit, *Laudis thema ſpecialis*; ac ſi diceret, quamvis ille quem Saluatorem, Ducem & Paſtorem huius operis initio cecini, omni ex parte, omnique ex capite ſit laudandus, cùm omne bonum, omnemque perfectionem dignitas eius infinita contineat; tamen ne te inopem copia faciat, immenſaque ac infinita eius maieſtas, ſi tota ſimul conſideretur, gloriâ ſuâ opprimat intuentem, vel perſtringat, vna illius veluti facies ab aliis quodammodo diſcreta tibi proponitur, quæ licèt 392.

Eorum quæ in præcedētibus ſuaſit, in hoc textu rationem aſſignat S. Thom.

etiam

etiam dignitatem comprehendat infinitam; tamen lumine Fidei adiuta Eccleſia, & ipſam attingere, & enarrare, ac tandem canere, ac laudare valebit. *Laudis* enim eſt *thema ſpecialis*, ideſt ſubiectum qooddam ſingulare, adeo Chriſtianis hominibus vtile, vt ab ipſis ſpeciales gratiarum actiones exigens, etiam ſpecialem poſtulat laudationem. Hoc enim beneficium quod tibi proponitur, gemma quædam eſt, quæ pulcherrimum omnium ambit florem; illum, inquam, qui mirâ & odoris ſuauitate, & coloris venuſtate, ac proprietatum multitudine videntes recreat, tangentes ſanat, geſtantes ditat, omneſque vel odorantes bonis omnibus cumulat. Margarita eſt etiam pretioſiſſima, quæ cæterorum lapidum ignitorum veluti epilogus, ſicuti omnes pulchritudine refert & amœnitate; ita & virtutibus in ſe claudit & continet. Adamas eſt, qui miro fulgore reſplendens mundum illuminat, cœlum ſerenat, infernum ſuperat, dæmones ligat, homines recreat, & Deum iratum placat. *Thema* eſt, ſeu verbum abbreuiatum, è Virginis vtero clauſo mirabiliter egreſſum, carnis infirmitate velatum, inſigni miraculo poſt cœlorum penetrationem ſupra cœlos ad Patris dexteram collocatum, vt viſibiliter ibidem Beatos recrearet homines. Ideſt quod ſub Sacramenti ſigno ſpeciebus panis clauſum eſt, vt viatores homines adhuc in terra militantes, immortali cibo nutriret. Et ideo quodnam ſit hoc *thema laudis ſpecialis*, volens declarare Author, ſtatim ſubdit:

Euchariſtia eſt thema laudis ſpecialis.
Vt gemma.
Vt margarita.
Vt adamas.

393. *Panis viuus & vitalis hodie proponitur.* Quaſi dicat, en tibi ſpecialis laudationis admirabile ſubiectum: ille qui celeberrimâ ac per totum orbem Chriſtianis ſolenniſſimâ hac die, *viuus ac vitalis panis ab Eccleſia adorandus, ac ſummâ deuotione colendus proponitur.* Sicut enim ſpecialis ſeu ſingularis, imò & ſingulariſſimus eſt hic panis; ita & ſingulare ad Chriſtum Dominum collaudandum thema præbet. Nam cæteri qui ab orbe condito hominibus, etiam excellentioribus nutriendis miniſtrati ſunt panes vitâ caruerunt; quamvis frumenti grana, ex quibus panis conflatur, etiam à ſpicis auulſa, adhuc in ſe vitam retineant, quam debent amittere dum ad fructificandum à ſatoribus terræ mandantur, vt ipſe Chriſtus annotauit Ioan. 12. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Nunquam tamen ex eis, niſi mortuis ac mola contritis farina efficitur, ex qua panis conflatur; vnde omnes, quibus veſcuntur homines, panes, ſicut & cæteri cibi, mortui ſunt, nullamque in ſe vel minimam vitam continent: at diuinæ Euchariſtiæ panis ſupra cæteros extollitur, omnibuſque cibis præſtantior, vitâ gaudet, *paniſque viuus* à D. Thoma appellatur. Licèt enim hoc admirabile Sacramentum paſſionis ac mortis Domini ſit memoriale, tamen viuum myſterium eſt, viuuſque panis appellatur, eo quòd verè & realiter contineat Chriſtum, qui ſeipſum panem viuum vocauit. Ioan. 6. 51. dicens: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.*

Sola Euchariſtia panis viuus dicitur.

394. Verùm non ſolùm panis viuus nuncupatur Euchariſtia, ſed *Vitalis*; vt oſtendatur non ſolùm viuum panem eſſe ex hoc quod Chriſtum panem viuum de cœlo deſcendentem continet, ſed etiam quia illius amantiſſimi Saluatoris vitam præſtantiſſimam dignè tantum myſterium recipientibus communicat. Vnde dum dicitur *Vitalis*, idem eſt ac ſi viuificans diceretur; ſiquidem dum Chriſtus de ſe inquit Ioan. 6. 48. *Ego ſum panis vita*, ſeipſum ſignificat, prout ſacram per Euchariſtiam Chriſtianis, quos ſuo corpore nutrit, vitæ ſpiritualis principium eſt. Itaque rectè à D. Thom. hoc Sacramentum, *panis viuus & vitalis*, ideſt tribuens vitam appellatur; cùm etiam D. Irenæus *lib. 4. aduerſus hæreſes, cap.* 39. de vltima cœna loquens dicat: *Chriſtus recumbentibus eis miniſtrabat eſcam, ſignificans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vitam.* Vbi non ſolùm per vitam, fidem & gratiam Chriſti, quibus ſpiritualiter viuunt homines, ſignificauit Irenæus; ſed etiam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod etiam à primis Chriſti Fidelibus nomine vitæ exprimebatur, vt refert Card. Baron. *tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti* 34. *num.* 48. & teſtatur D. Auguſt. qui *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ.* contra Pelagianos *capite* 24. inquit: *Optimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem; & ſacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam appellabant.*

Dicitur etiã panis viuus, quia vitam ſpiritualem tribuit.
Irenæus.

Sanè vt cœleſtis iſte panis proprio nomine appellaretur, necnon à cæteris cibis viatorum hominum diſtingueretur, *panis viuus, ac vitalis* debuit appellari: nam vt loquitur Iuſtinus Martyr in oratione quam ad Antoninum Auguſtum ſcripſit de Euchariſtiæ myſterio: *Non vt communem panem, neque communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Saluator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit, &c.* Vnde cùm non communis cibi modum habeat Euchariſtia, ſed ſpecialem & diuinum, viuus cibus, ac vitalis panis meritò nominatur. At licèt hic viuus, vitæque panis jugiter in Eccleſia Fidelibus, tanquam pericliṫantibus azylum, infirmis medicamentum, ac famelicis pabulum pateat: tamen hodie, hoc eſt die feſto, ab Vrbano IV. Romano Pontifice, ſanctiſſimo huic Myſterio dicato, Chriſtianis palam exponitur: tum in templorum altaribus, vbi magno apparatu, ſummaque maieſtate, ſacro myſterio celebrato, fulgentiſſimas inter lampades micat Sacramentorum jubar Euchariſtia: tum in ſolenni per vicos & plateas ciuitatum proceſſione, vbi Regio more, ingenti populorum applauſu, inenarrabili bonorum lætitiâ, ab omnibus Eccleſiæ, ac ſeculi Proceribus, Regis ac Saluatoris noſtri corpus ſub ſpecie panis abſconditum circumfertur. Tum denique à viris Apoſtolicis pro concione plebem Chriſtianam alloquentibus, qui adorandi huius Sacramenti miracula enarrantes, diuini erga nos amoris ſacram per Euchariſtiam theſauros omninò effuſos demonſtrant. Vnde poſtquam D. Thomas oſtendit panem viuum & vitalem, ideſt Chriſtum Dominum, ſeu venerandum eius corpus in ſacra Euchariſtia, eſſe ſubiectum quod in tanta ſolennitate Eccleſiæ exponitur, vt ex tanti beneficij attenta conſideratione, magnifici Benefactoris Chriſti Domini laudes eructet, ſtatim ſubdit: 395.

Vita à priſcis Chriſtianis appellabatur.
Iuſt. Mart.
Euchariſtia in ſolemni die ipſi dicato proponitur in altaribus, in concionibus, in proceſſionibus,

TEXTVS

TEXTVS QVARTVS.

Quem in Sacræ menſa cœnæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

395. *QVem in Sacræ menſa cœna.* Vbi Author admitabilem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sactamenti inſtitutionem adducit; nam vt magis Eccleſiam ad Chiiſti Domini laudes depromendas exciter, illi ſuggerit, panem illum vioum atque vitalem, qui ei hoc celebertimo feſto ptoponitur, illummet panem exiſtere, qoem amantiſſimus Redemptot in vltima cœna, quam moriturus cum ſuis celebtauit, in immenſi amoris ſignum, ad vitam illis largiendam tradidit. Cùm enim, quam hodiernâ luce agit Eccleſia, ſolennitas ſacratiſſimam illam noctem, in qua Dominus, cùm ab infenſiſſimo ſibi diſcipulo ſuis tradendus eſſet æmulis, *prius* ſuis *in vita ferculo ſe tradidit diſcipulis*, tecolat: panis ille vious, qui & tanti feſti, & ſummæ jubilationis materia ptoponitut, ılle eſt abſque vllo diſcrimine, qoem Chriſtus Dominus in illa cœna etogauit.

Idem panis viuus à Chriſto io vltima cœna diſcipulis traditus, ab Eccleſia fidelibus & exponitur & conceditur.

396. Sed ſummum ex hac circunſtantia etga homines amoris Chriſti impetum aduertete licet; dum enim homines illi mortem præpatabant, vitam æternam eis largiri conabatur; nec aliunde, quàm ex carne ſua, quam in cibum; & ex ſanguine ſuo, quem in potum mirâ charitate diſtribuit. Iudæi nitebantur eum è viuis eripete: at ille nec mortem renuens, ipsâ morte, quam in hoc myſterio veluti in imagine inſignitam reliquit, ſemetipſum inter viuos ad futura ſecula teliquit, vt carnis ſuæ viuificantis vittote etiam moruis vitam donaret. In cœna, quæ vltima diei tefectio eſt, hoc inæſtimabile munus hominibus obtulit, vt dum vltimâ vice mortalem cibum à mortalibus ſibi oblatum ſumpſit, illos immortali corporis ſui pabulo vegetaret, ſicque dum mortem ptægustaret, vitam illis æternam prægustandam præberet. Omnium ciborum, quos ipſe Dominus adhuc paſſibilis ſumpſit, cœnı hæc finis fuit, vt eſſet initium hominibus panem Angelotum maoducandi. Chriſti vitæ veluti hic terminus fuit, ſed non amoris; immò *in finem dilexit eos*, quos jam antea plurimùm dilexerat: ita vt hoc omne qood de noſtro ptopter nos aſſumpſetat, totum in admirabili corpotis, & ſanguinis ſui Sacramento nobis conferret ad ſalutem. Teſtamentum ſuum hac in cœna amantiſſimos condit Saluatot, nec immenſo illius amori omnia bona ſufficiunt, vt ea Chriſtianis filiis ſuis tradat; inſuper & ſeipſum tradit, ſeque in hoc myſtetio hæreditatem ſimul exhibet, & alimentum. At dum ſe, bonaque ſua nobis cœnando tribuit, nos, malaque noſtra in ſe ſuſcepit. Nam vt inquit D. Athanaſ. ſerm. de paſſ. & cruce Domini, tom. 3. *non Dominus ipſe propter ſeipſum, ſed nos in illo patiebamur. Quia* vt ſubdit idem Athanaſ. *humilians ſemetipſum vſque ad mortem, vt ipſe patiens, eum qui verè patiebatur, redderet innocuum & parua magnis permutaret.* Dum enim Chriſtus noſtras ſuſcepit ioſirmitates, ſuas nobis contulit virtutes: dum humana paſſus eſt, nobis præſtitit diuina; & dum ex cœna ad iniurias tecipiendas properauit, nobis ſupremas conferre dignitates feſtinauit. Quæ enim maiot hominum dignitas, quàm in terra permanere, & cœleſtem Angelorum, immò & diuinum panem, ſeu veriùs ipſum Dominum Angelorum, taoquam panem manducare? Tandem nocte hæc cœna peracta fuit, vt ſacroſaoctum Corporis Dominici Sacramentum lucem veram hominibus afferens, denſiſſimam omnium tenebrarum caliginem maieſtaris ſuæ fulgore effugaret, noctemque obſcuriſſimam in diem lucidiſſimum commutaret. Meritò iginır D. Thomas canit panem viuum & vitalem ın Sacræ menſa cœnæ à Domino hominibus fuiſſe porrectum; & vt rem laoùs fuſiuſque exponat, addit:

Summus Chriſti erga homines amor in Euchariſtia.

Miracula in vltima cœna ſtupenda patrauit.

D. Athanaſ.

Turba fratrum duodena datum non ambigitur. 397.
Pergit hîc Sanctus Doctot, & quibus panis viuus, ac vitalis à Chriſto Domino in vltima cœna ſit diſtributus, oſtendit, dum ait quod non ambigitur, ıdeſt nullo modo dubitatur, fuiſſe conceſſum duodenæ turbæ fratrum, ideſt Chriſti Apoſtolis numero duodecim. Quamvis enim ad ſaluandum omnes homines Chriſtus mundo viſibilis appatuerit, & ex illis præter duodecim quos elegit diſcipolos, qoos etiam Apoſtolos nominauit, alios ſeptuagintaduos diſcipulos ad ſe vocauerit; quos *binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus, deſtinauit*: tameu ad vlomam cœnam, in qua *vetus Paſcha conſummabat, & nouum condebat*, vt loquitur D. Leu Papa *ſerm. 7. de paſſione*; ac non ſolùm ſummum ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdotem & Pontificem, ſed etiam omnium Saluatotem egit ac Dominum, duodecim tantùm Apoſtolos aſciuit, ac coram illis Sacra Myſteria corporis & ſanguinis ſui celebtans, non ſolùm tantorum myſteriorum eos fecit participes, verùm etiam huius Sacrificij offerendi miniſtros ordinauit. Sicque non tantùm eos corpore ſuo pretioſiſſimo, ac ſanguine ſuauiſſimo & pauit, & potauit, verùm etiam Sacerdotij ſui, & quâ poller ad hoſtias offerendas, poteſtatis inſtituit conſortes: vnde meritò duodenos Apoſtolorum numerus hîc à D. Thoma *turba fratrum duodena* appellatur. Ex quo enim corporis & ſanguinis Domini participes effecti ſunt, ac illius Sacerdotij charactere inſigniri, ad tantam euecti ſunt dignitatem, vt Chriſti Domini non ſolùm amici & commenſales, ſed etiam illius in offerendo veluti collegæ, illius fratres appellati ſint. Clariſſimo ac illuſtri hoc nomine à Chriſto Domino mortis victore ac triumphatore decorati ſunt; dum enim poſt reſurrectionem ſuam Magdalenam ad Apoſtolos mitteret: *Vade*, inquit, *ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Ioan. 20. 17. Et D. Paulus *Hebr.* 2. 11. de Chriſto loqoens, & hominibus pro quibus ad terram deſcendere dignatus eſt, inquit: *Non confunditur fratres eos vocare.* Si enim joxta nominis etymologiam *frater*, quaſi *ferè alter* dicitur: carni & ſanguini, ac Sacerdotij eius communicantes dignitati, cùm eius amici cenſeantur, amicorumque nomine ab ipſo honotentur, ferè

S. Leo.

Chriſtus in vltima cœna Apoſtolos proprio corpore pauit, & huius Sacramenti miniſtros ordinauit.

Apoſtoli Chriſti Domini fratres.

alteri, ideſt illius fratres verè cenſendi ſunt; amicus enim *eſt alter ego*, vt inquit Ariſtoteles. Sed de hac fratrum nomenclatura, eiuſque dignitate fuſiùs in elucidatione, ſicut & de duodenario Apoſtolorum numero.

TEXTVS QVINTVS.

Sit laus pura, ſit ſonora,
Sit jucunda, ſit decora
Mentis jubilatio.

EXPOSITIO TEXTVS.

398. S*It laus pura, ſit ſonora.* Expoſitâ ſubiecti ſeu materiæ laudationis, ad quam hortatur D. Thomas in hoc opere, dignitate, illiuſque excellentiâ paucis comprehenſâ, nempe quod ſit panis viuus, vitalis, ac illemet quem Chriſtus Dominus in vltima cœna chariſſimis porrexit diſcipulis; nunc ad qualitatem laudis, quam ex intimo cordis affectu Chriſto Domino debemus depromere, progreditur. Ait ergo: *Sit laus pura*; ac ſi diceret, puriſſima, necnon ſanctiſſima Redemptoris noſtri caro, ipſi Verbo Diuino, quod actus puriſſimus eſt, hypoſtaticè vnita, in auguſtiſſimo Eucharistiæ myſterio verè ac realiter exiſtens, quæ tibi hac ſolenni feſtiuitate laudanda proponitur, laudationem ſibi congruam, ac conuenientem poſtulat. Cùm ergo ſancta à ſanctis ſanctè pertractanda ſint, vnde olim in Eccleſia dum Sacra Synaxis ageretur, omnibus ſacram Corporis Dominici menſam adire volentibus Diaconus alta voce clamabat, *Sancta Sanctis*; ideſt, qui ſanctus eſſe totis viribus non eſt conatus, ad omnium ſanctorum Sacramentorum ſanctiſſimum accedere non præſumat; etiam pura quæ à ſanctis vel parum, vel nihil differunt, à puris purè debent pertractari, ac conſequenter quæ pura & honeſta ſunt, à puris & honeſtis collaudari perſonis. Vnde tritum emanauit illud, *Optimum eſt laudari à laudato viro.* Verba enim quæ ad alicuius encomium pronuntiantur, etſi ad perfectiſſimum obiectum directa, ſi ab imperfecto & impuro ore procedant, impurum à principio non puro aliquid contrahent; obſcura erunt, non ſplendida; nec rei laudatæ tribuent ſplendorem, ſed caliginem; ipſique non præbebunt gloriam, ſed opprobrium. Itaque puriſſimum diuinæ Euchariſtiæ myſterium puriſſimam laudem à nobis poſtulat; & hæc eſt ratio, cur Author inquit in textu: *Sit laus pura*, ideſt à corde mundo, & à lingua ab omni iniuſtitia immuni, & ab homine omnino per gratiam innouato procedat. Vnde & in hymno ad matutinum huius diei idem S. D. inquit:

Euchariſtia puriſſimum Sacramentũ puriſſimam laudem poſtulat.

Recedant vetera, noua ſint omnia,
Corda, voces, & opera.

399. Æquum enim eſt, vt rem omnium ſanctiſſimam modo ſancto pertractemus: nec ſolùm dum ad illam recipiendam, ſed etiam dum ad illam adorandam, vel laudandam accedimus, omni ex capite puros eſſe ſatagamus. Vt enim inquit D. Ioan. Chryſoſt. hom. de prod. Iudæ, *ad terribilem* (Euchariſtiæ) *menſam cum debita reuerentia, cum congrua vigilantia oportet accedere. Pura ſit mens, pura cogitatio, quia Sacrificium purum eſt.* Si ergo pura debet eſſe mens, pura cogitatio, etiam debet eſſe pura loquutio, puræque voces, vt Chriſtum in hoc mirabili Sacramento latitantem laudibus celebremus: nam vt inquit Ariſtoteles *lib. 1. Periherm.* voces ſunt *ſigna conceptuum, & earum quæ ſunt in anima paſſionum.* A culpis igitur ſit immunis, ac mente, labiis, manibuſque juſtitiâ fulgeat quiſque Chriſtianus, qui laudes Chriſti optimi Saluatoris, ac Paſtoris cupit decantare: ſi autem impurâ peccati labe, vel in corde, vel in ore, vel in opere ſordeſcat, à laudibus Domini abſtineat; nam vt inquit Scriptura Eccleſ. 15. 9. *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Quod facto ſuo comprobauit Saluator, dum ſe laudantem, ac eius Deitatem confitentem dæmonem cohibuit, illumque tacere præcepit, *Marc.* 1. 24. dicens *Obmuteſce*; vt obſtinatum induratumque peccatorem non ſolùm actu, ſed etiam potentiâ loquendi priuaret. Cùm enim juſtiſſimus, ac ſanctiſſimus Dominus nullam habeat cum iniuſtitia aut impietate ſocietatem, nullam ab impiis vult recipere laudationem. Silentium iniquis omnibus in huius cacodæmonis perſona imperat, quos tamen juſtitiâ ſuâ caſtigat, non ex illorum vel operibus, vel ſermonibus, ſed ex eorum ſuppliciis gloriam ſuam augere contendens. Sic enim Chriſtum Dominum loquentem diabolo inducit D. Chryſoſtomus hom. 5. in Marcum: *Obmuteſce. Laus mea ſilentium tuum. Nolo me laudet vox tua, ſed tormenta tua: pœna tua, laus mea eſt.* Hæc ille. Impuri ergo homines linguam puram non habentes, Deum laudare non poſſunt, ſed ſolùm juſti, quos tanquam puram vocem habentes D. Thomas eſt exhortatus, vt ad Dei laudes ora ſua relaxent, dum ait, *Sit laus pura.*

D. Chryſoſt.

Purus mẽte, labiis ac manibus, Chriſtum in Euchariſtia laudet.

Cur Chriſtus non dixit dæmoni tace, ſed obmuteſce.

D. Chryſoſt.

Verùm dum addit, *ſit ſonora*, ſecundam laudis diuinæ qualitatem attingit. Poſtquam illam mundam eſſe, ac è mundo corde, mundaque lingua debere procedere docuit, dum dixit, *Sit laus pura*; illam ex toto corde, & ex tota menſe oriri demonſtrat, dum ſubdit, *Sit ſonora.* Vox enim hominis nuſquam ad Deum ipſum in throno maieſtatis ſedentem reſonat, niſi ex intimo ac integro cordis affectu procedat. Sic voces inclyti Regis ac Prophetæ Deum ſupra cœlos attingebant, quia ab illo ad iſtum ex integro corde properabant. *Clamaui in toto corde meo*, inquit Dauid pſal. 118. 145. & pſal. 110. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in conſilio juſtorum, & congregatione.* Ac ſi diceret, ex omnibus cordis & mentis meæ viribus laudabo te; pura erit laudatio, à corde contrito & per pœnitentiam mundato procedens; & laudes tuas non pronunciabo niſi in cœtu Sanctorum, & in bonorum hominum ſocietate. Sic enim totum cor Deo tribuitur, voxque ad Deum ab illo directa, ſonora, immò acutiſſima eſt, quæ cœlos penetrat, & ad ipſum cœlorum Creatorem euehitur. Vnde D. Ambr. *ſerm. 19. in pſalmum 118.* inquit: *Sicut corporaliter tunc benè clamatur, cùm toto corde clamatur: ita ſpiritualiter toto eſt clamandum corde, ſi volumus magna referre,* 400.

Laus ſonora ex intimo corde debet procedere.

D. Ambroſ.

&

& à Domino quæ poſcimus, impetrare. Vnde laus quæ à nobis Deo offertur, multùm ſonora cenſebitur, ipſaſque Dei aures attinget, ſi lingua illam pronuncians, cum corde conueniens, non ſolùm vocem, ſed totum cor cum ſermone, tranſmittat.

401. Etenim laus, etſi ore corporis exprimatur, tamen præcipuè ab anima procedit, quæ obiectum maximè laudabile cognoſcit, eiuſque quas optimè penetrat, perfectiones extollit; vnde nullo modo perfecta ſeu ſonora laudatio reputabitur, niſi ſimul ab anima, ſeu à mentis ore, & à corporis lingua promatur. Quod acutè ſanè notauit Auguſt. *in pſalm.* 141. exponens illa verba, *Voce mea ad Dominum clamaui. Fortè*, inquit, *non fruſtra additum eſt, meâ; multi enim clamant ad Deum, non voce ſua, ſed voce corporis ſui. Homo ergo interior, in quo cœpit habitare Chriſtus per fidem, voce ſuâ, non ſtrepitu labiorum, ſed in aſpectu cordis clamat ad Dominum. Non vbi homo audit, ibi Deus audit: niſi voce pulmonum, & laterum, & lingua clames, homo te non audit; cogitatio tua, clamor eſt ad Dominum.* Hæc ille, quibus apertè declarat, ſonoram laudationem à cordis ore, & mentis ſtomacho, ſi ſic fari liceat, eructari tanquam verbum bonum æterno Regi, ab affectu hominis meritò dedicatum. Quo pacto etiam Chryſoſtomus *hom.* 8. *in Matth.* de pueris illis in Bethlehem Iudæ à ſæuiſſimo Rege, vt Chriſtum recèns natum occideret, interfectis: *Dicunt* (inquit) *Domino laudes trucidati ab Herode lactentes; loquuntur ſanguine, quod linguâ non poſſunt: paſſione cantant, quod ſermone non norant: occiſi prædicant, quod viui non poterant. Contulit martyrium laudem, quibus negauerat natura ſermonem; licuit ſanguine clamare quibus narrare non licebat voce; licuit ſanguine loqui, quibus linguâ non licuit.*

D. Auguſt.

Non voce corporis, ſed voce cordis ad Dominũ clamatur.

D. Chryſoſt.

402. Orationem laudem imitari, nemini dubium eſt; omnis enim Dei laudatio ore hominis pronuntiata, ab indigenti creatura procedens, ad excellentiſſimum, potentiſſimumque rerum omnium principium, Deum Opt. Max. deſtinata, ſimul potentiam, bonitatem, cæteraſque teueretur perfectiones, eiuſque miſericordiam implorat, vt à malis omnibus erutus Chriſtianus, bonis omnibus cumuletur, ac conſequenter orationis in omnibus vicem gerit. Cùm ergo oratio nec clamet, nec reſonet ſolâ prolatione ſermonum, ſed cogitationum, cæterorumque cordis affectuum oblatione ac manifeſtatione; vnde Apoſtolus ait 1. Cor. 14.14.& 15. *Si orem linguâ, mens mea ſine fructu eſt. Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente*; nec Deus à nobis, niſi à voce cordis laudabitur. Duo ergo ad orandum, & ad laudandum Deum neceſſaria ſunt, cor, & lingua: quod ſi alterum ex his duobus defuturum eſſet, melius profectò eſſet vt lingua deficeret, & mẽs ad Deum laudandũ ſemetipſam eleuaret, juxta illud Apoſtoli Coloſſ. 3.n.16. *Cantantes in cordibus veſtris Deo*. Et 1.Cor. 16. 31. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Dum enim homo temporalibus rebus implicatus ita alicui vacat actioni, vt nequeat in Dei laudem eius lingua prorumpere; rectè interiùs mens eum affectu laudat, ſanctiſque cogitationibus eius gloriam decantare conatur.

403. At laus ad quam hortatur D. Thomas, ſolâ mentis jubilatione non completur: corporalis exultatio, vocalis cantus, ipſaque pronunciatio & expreſſio verborum, illam præſtantem faciunt & ſonoram, eamque Dei auribus maximè gratam, dummodo puram mentem, purumque cor labiis vocibuſque offerant ac conſecrent. Sicuti enim Sponſæ dilectiſſimæ auribus ſuis reſonantẽ vocẽ audire cupiuit æternus animarum noſtrarum Sponſus, quia ex mundo corde procedebat, ait enim Cant. 2. num. 14. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora*: vbi Sponſæ vocis ſuauitatem extollit; quia de interna animi venuſtate procedebat; non enim externa vox dulcis eſſet, niſi interna facies eſſet decora; nec hæc decora eſſet, niſi tota Sponſo immortali traderetur; ſic enim ille poſtulauit, dum inquit, *pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, Cant. 8. 6. Ita laudes noſtræ amantiſſimo Saluatori in Euchariſtia exhibitæ, ſonoræ erunt, ſi ex animo ſanctitate formoſo, ac charitate integro oriantur: tunc ſuaues, dulceſque etiam in auribus Dei reſonabunt, ſi interna animi pulchritudo ad exteriora cor traducens, in moribus noſtris adjiciat venuſtatem. Huc accedere videtur D. Ambroſius præfata Cant. 2. verba exponens; ſic enim habet: *Suauis eſt vox, quia ore confeſſio fit ad ſalutem; & decora facies, quæ non erubeſcit authorem, non confunditur redemptore. Oſtendit ergo faciem ſignaculum crucis præferens, & inſinuat vocem ſuam, auctoritatem prædicationis aſſumens.* Quæ vltima Ambroſij verba ad rem noſtram expendenda ſunt. Sponſa faciem præbet, dum crucis ſignaculum præfert: at crucem manibus, vel fronte non præferret, niſi Crucifixum toto corde diligeret: & vocem ſuauiter inſinuat, *auctoritatem prædicationis*, addam & laudationis, *aſſumens*. Sic ergo Eccleſia, immaculata Chriſti Sponſa, ſonoram ſuauemque hymnorum ſuorum Chriſto Domino melodiam reſonabit, dum amantiſſimum erga Sponſum dilectione & charitate cor ſuum integritate venuſtum omninò conſecrabit. Vt autem hanc eſſe D. Thomæ mentem conſtet, ſequentia eius verba aduertenda ſunt, in quibus de interna mentis jubilatione præcipuè loquitur; ait enim.

Vox Sponſæ non eſſet dulcis, niſi eius facies animæ charitate eſſet decora.

D. Ambroſ.

404. *Sit jucunda, ſit decora mentis jubilatio*: non enim Chriſtianorum laudes Deus acceptaret, niſi ipſi potiùs corde, quàm labiis jubilarent. Qui enim aliquando Scribis & Phariſæis oris, & cordis illorum diſcordiam exprobrauit, ex hoc quod ore Deum confitentes, corde non diligebant, dicens, Matth. 15. 7. & 8. *Hypochritæ, benè prophetauit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*: Chriſtianos maieſtatem ſuam ſolâ corporis ſubiectione, oriſque confeſſione laudantes, non autem toto corde diligentes, penitus amandaret. Vnde vt Deo *jucunda*, nobiſque *decora* ſit eius laudatio, mentis, ideſt cordis, debet eſſe jubilatio: vnde D. Thomas inquit: *Sit jucunda, ſit decora mentis jubilatio.* Quæ quidem verba ſumpſiſſe videtur ex pſalm. 146. 1. *Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio.* Vbi geminas laudis Dei qualitates, quas illis verbis aſſignat S. D. ex duabus aliis deriuari conſtat. Si enim laus ſit *pura*, & *ſonora*; ideſt, ſi ex corde mundo, ac charitate flagrante procedat; vtique Deo erit jucunda, nobiſque decora. Cùm enim dilectionem noſtram

Corde potius quàm labiis Chriſto jubilandum.

Deus maximè cupiat, laudationem amore feruentem à nobis ipſi decantatam ſumma cum delectatione recipiet: cùmque illa, quæ ſonora eſt laus, à feruido corde procedat, vt ſuprà oſtendimus, & ex D. Auguſtino in illa verba pſalmi 118. *Clamaui in toto corde meo*, colligitur, vbi ait: *Tacebis, ſi amare deſtiteris. Frigus charitatis ſilentium cordis eſt; flagrantia charitatis clamor cordis eſt*: abſque dubio jucunda erit Deo, ideſt maximâ cordis lætitiâ à Deo acceptabitur. Quod ſanè illud eſt à Propheta poſtulatum, dum ait: *Iucundum ſit ei eloquium meum*. Pſal. 103. 34. Cupiebat enim vt pſalmos, quos ore promebat, etiam corde ei caneret, vt gratam ipſi oblationem conſecraret. Nec ſolùm jucunda Deo eſt huiuſmodi laus, ſed decora; ideſt decorem ei affert & gloriam: quod ipſe Dominus teſtatus eſt, dum eiuſdem calamo Prophetæ enarrauit: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Pſal. 49. 23. Si enim juxta Tullium honor *eſt illuſtris meritorum fama in multos homines peruagata*; dum laudibus & encomiis Deo ſacrificium labiorum ac cordium noſtrorum immolamus, plura diuina attributa eius canticis noſtris manifeſtantes, à nobis apud plurimos honorem recipit: hi enim ab hymnis, quos Deo canimus, Deum cognoſcentes, gloriam illi tribuere nituntur; gloria enim Dei, juxta D. Ambr. quem refert D. Thomas in cap. 1. ep. ad Hebr. lect. 2. *eſt clara cum laude notitia bonitatis diuinæ*.

D. Auguſt.

Cor charitate Deo clamat.

D. Ambroſ. D. Thom.

405. Vel prædicta verba reſpectu laudantium poſſunt exponi: & cùm D. Thomas inquit, *ſit jucunda, ſit decora mentis jubilatio*; idem eſt ac ſi diceret, qui Deo laudem puram & ſonoram ſanctitate & cordis integritate offerunt, illius operis fructum recipiunt, lætitiam & honorem. Si enim jubilatio mentis exultationem ac cordis lætitiam includit, ſicut declarauit Regius Vates *pſalm.* 99. 1. dum ait, *Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia*; vbi lætitiam cum jubilatione coniungit in eis qui Deo ſeruiunt, & Deum laudant; vnde de ſeipſo *pſalm.* 70. 23. inquit: *Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi*; cantica, quæ mentis iubilatione Chriſto Domino ſacro myſterio corporis ſui Fideles reficienti, vocis ſuauitate modulantur, *iucunditatem & exultationem* ſuper laudantes & canentes *theſaurizabunt*. Quomodo enim ſine gaudio conuiuium omnium magnificentiſſimum, quo à Domino Ieſu etiam noſtra corpora ſatiantur, laudibus & canticis celebrabunt? Sanè cùm *panis* hic *cor hominis confirmet*, & *vinum lætificet*, de hoc Sacramento ſine lætitia tractare fas non eſt.

Chriſtum laudantes internam lætitiam recipiunt.

406. Quare grande illud, & apud omnes hiſtorias celeberrimum quod fecit conuiuium Aſſuerus Rex Optimatibus ſuis, quod Euchariſtici conuiuij à Chriſto Rege omnibus Chriſtianis præparati typus fuit, ſpeciali prouidentiâ in eius Regni Metropoli nomine Suſan celebratum fuit, vt patet *Eſther cap.* 1. quia *Suſan* non ſolùm *lilium* & *roſam* reddit, ſed vt notauit Lyranus, *lætitia* Interpretatur. Igitur in vrbe lætitiæ Euchariſticum Conuiuium exhibetur, vt oſtendatur Chriſtianorum Eccleſiam, in qua Euchariſtiæ veritas diſpenſatur, regionem eſſe gaudij & lætitiæ, quæ in omnes ad ſacra myſteria accedentes abundantiſſimè effunduntur. Vnde pſalm. 41. 5. dicitur: *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei, in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis*. Ex quibus verbis D. Thomas in Officio Sanctiſſimi huius Sacramenti, in tertia antiphona ſecundi nocturni ait: *In voce exultationis reſonent epulantes in menſa Domini*. Non enim fieri poteſt, vt omnes diuini cibi delicias guſtent, & in voce gaudij, & lætitiæ linguas non ſoluant, oraque non relaxent. Vnde rectè D. Thomas ait: *Sit jucunda mentis jubilatio*. Addit inſuper,

Suſan non ſolùm lilium & roſam, ſed lætitiam ſignificat.

Sit Decora; ideſt, laudantibus ſit glorioſa: 407.
magna enim gloria eſt Chriſtum Dominum Paſtorem noſtrum, & pabulum laudibus & encomiis glorificare. Quod 1. Reg. 2. 30. dictum eſt: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum*. Vel vt legit Caſſianus *collat.* 24. *cap.* 29. *Diligentes me glorificabo*. Cùm igitur laus Chriſti ex eo à nobis illi *ſonora* offeratur, quòd ex amore, & toto corde procedat, illam nobis gloriam & honorem promereri, nemini dubium eſt. Quamvis autem hæc gloria nobis & in præſenti, & in futuro ſeculo variis modis à Deo tribuatur; tamen hic vnum nobis modò conſiderandum eſt, quod ex hoc ſpecialiter glorificemur, quòd eum proprio ore, ac propria voce digni fuerimus glorificare. Sic enim magnam in laudibus diuinis celebrandis ineſſe gloriam arbitrati ſunt ſuperni illi ac ardentes ſpiritus, qui throno Dei aſſidentes, eiuſque infinitam Maieſtatem ſumma cum admiratione adorantes, etiam eius laudes decantabant, vt dicitur Iſai. 6. 3. *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus Dominus, &c.* à quibus Chriſtianorum Eccleſia alternatim Deo canendi vſum accepit. Quin, vt notauit S. Clemens Alexand. lib. 1. in Iſaiam: *Gloriam decantant, idque alternis vicibus; non quia defatigantur, ſed honore ſibi mutuo cedunt*. Maximâ igitur comitate ſibi ad inuicem cedunt Seraphini, vt vnuſquiſque illorum ſancto elogio Deum glorificet, vt tanta quæ in Dei laudatione eſt, dignitatem nemo illorum tanquam propriam ſibi arrogare videatur.

Chriſtum laudare homini eſt glorioſum.

S. Clem. Alex.

Alternis vicibus laudes Dei canunt Seraphim, vt ſingulis tantus honor Deum laudandi concedatur.

Sola ergo Chriſtum in Euchariſtia laudandi 408.
actio laudantibus magnum eſt præmium ac merces glorioſa. Si enim citharìſtæ citharizandi pretium à Rege exigenti, fertur reſpondiſſe Rex, ſatis amplum retuliſſe citharizando: Dominum Ieſum laudanti aptius poteſt reſponderi, laudandi meritum ſola laudatione præmiatum. Quod docet D. Chryſoſt. *ſerm. de laude Dei, tom.* 5. dum ait: *Si nulla eſſet alia nobis pro ea re propoſita merces, illud tamen vel maximè nobis ad gloriam valeret, ſi diuinis in laudibus verſari non indigni haberemur; ſiquidem & qui Principum laudes eloquuntur, vel hoc vno, ſi nihil reliqui eſſet mercedis, quòd Principem magnifaciunt, ſatis videntur ornamenti aſſequuti*.

Ipſa laus Dei ſibi eſt merces.

D. Chryſoſt.

Verùm nec ſola, quæ à nobis Dei laudes ca- 409.
nendo habetur gloria, à Deo tanquam corona conceditur: immortalem etiam ob hoc nobis parat in cœlo, illamque verbis noſtris veluti texit: quod non mirabile cenſeri debet, cùm linguæ noſtræ, quibus Deo canimus, januas cœli nobis aperiant: ſicque de illis dicere liceat, *Linguæ eorum claues cœli factæ ſunt*. Quod vtique adumbratum videtur in eo quod accidit Paulo & Silæ in carcere Deum laudantibus: cùm enim vinculis onuſti in cuſtodia tenerentur, dum ora ad Deum glorificandum aperuerunt, carceris oſtia ipſis Deus aperuit; nam vt dicitur Act. 16. 25. *Media nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant qui in cuſtodia erant. Et ſubitò terræ motus*

Linguæ Deũ laudantes, cœlum laudantibus aperiunt.

factus

Digitized by Google

factus eſt, ſtatimque aperta ſunt omnia oſtia & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. Quàm potens igitur Dei laudis virtus eſt! Terram mouet, vincula ſoluit, oſtia aperit, non ſolùm Apoſtolis Deum laudantibus, ſed & vniuerſis qui etiam in carcere laudes iſtas audiebant. Vnde & Chriſtiani Deum ex toto cordis affectu laudantes ſibi vincula ſoluent, carcerem huius mundi aperient, ipſoſque ſibi cœlos reſerabunt. Quod attigit D. Ioan. Chryſoſt. *hom. in Act. Apoſt.* 16. dum poſtquam vinculorum ſolutionem, & oſtiorum apertionem Apoſtolorum precibus & canticis demiratus eſt, inquit: *Hoc ſtudeamus & nos facere, & aperiemus nobis non carcerem, ſed cœlum.*

D. Chryſoſt.

410. Decora igitur nobis erit laudatio, quia gloriam æternam nobis acquiret: & dum viatores in agone verſamur, Deum ipſum in præſidium ac tutamen, mediis in laboribus nobiſcum certantem præbebit. Qui enim canticorum trium puerorum melodiâ in ardentem fornacem attractus deſcendit, etiam ſuaueſonantis Eccleſiæ vocibus delectatus, medios inter Fideles vel eorum ſymphoniam auditurus, vel cum illis ſimul decertaturus adueniet. Dum enim tres pueri, *quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: Benedicite*, &c. vt dicitur *Dan.* 3. 51. Nabuchodonoſor Rex obſtupuit, & Dei Filium medios inter laudatores ab igne illæſos videns, admirans inquit ibid. 91. *Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Et ecce ego video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Quæ ergo res Filium Dei, antequam appareret in carne, in igne fecit apparere? Voces vtique canentium, & laudantium, immò & omnes creaturas ad diuinas laudes decantandas inuitantium celeberrimo illo cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Siquidem voces trium in nomine & pro nomine ſuo congregatorum in fornace, ſuauitate ſua eum ad medium fornacis attraxerunt; fecitque antequam carnem indueret, quod poſtquam carnem induit promiſit, dicens Matth. 18. 20. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum.* Dum enim de Deo cogitamus, ipſe pro nobis cogitat; vnde ſanctiſſimæ virgini Senenſi Catharinæ dixit aliquando Chriſtus, *Cogita de me, & ego cogitabo de te*: dum ad eius gloriam congregamur, & ipſe pro gloria noſtra nobiſcum congregatur. Sic enim D. Chryſoſt. *hom. de tribus pueris*, ait: *Adeſt amica maieſtas, vt innocentia liberetur: patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari, vt creſcat gloria puerorum.* Æquum enim erat, vt qui in mediis flammis Dei gloriam celebrabant, etiam ab illo in flammis apparentes hac nouâ gloriâ donarentur. Laudet ergo quiſque magno cum animo, & gaudio Dominum, quia laudans ab illo laudabitur, immò & ſuâ preſentiâ decorabitur, illius memor promiſſionis, Iſai. 12. numero 6. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui, ſanctus Iſraël.*

Deus ſe laudantibus adeſt.

Filius Dei in igne apparuit, antequam in carne appareret.

D. Chryſoſt.

Et ſe glorificantes glorificat.

TEXTVS SEXTVS.

Dies enim ſolennis agitur,
In qua prima menſæ recolitur
Huius inſtitutio.

EXPOSITIO TEXTVS.

411. *Dies enim ſolennis agitur.* Eorum quæ in textu præcedenti ſuadere conatus eſt, rationem hîc aſſignat D. Thomas; quaſi diceret, ideo laudem puram & ſonoram, iucundamque ac decoram mentis jubilationem poſtulaui, quia dies hodie ſolennis agitur. Cùm enim magna beneficia, quæ nuſquam à memoria recipientis debent excidere, maximo mentis jubilo, cordis puritate, animique gratitudine aliquando recolenda ſint, iis ſcilicet diebus, qui ad ſpecialem eorum recordationem ſolenniter celebrandam ſunt inſtituti: immenſum illud, quo Chriſtus Dominus corporis & ſanguinis ſui myſteria Eccleſiæ ſuæ ſumenda tradidit, hoc die à cunctis Fidelibus ſumma celebritate, magnificentiſſimoque lætitiæ apparatu, mente reuoluendum eſt. Quamvis enim amantiſſimus Saluator pridie quàm pateretur, carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum diſcipulis ſuis charitate infinitâ donauerit, eo ipſo tempore quotannis recurrente, ſacrâ illâ, quæ ſancta & maior appellatur, Hebdomadâ cùm occupetur Eccleſia ad ipſam Sponſi ſui paſſionem mente lugubri, voce triſti, ornatu luctuoſo, ſuſpiriis ac gemitibus celebrandam, diuino inſpirante numine, ac jubente Chriſti Vicario Vrbano IV. Romano Pontifice, tanti collati muneris ſolennis vt ageretur memoria, dies iſte electus eſt.

Magna beneficia Dei die peculiari recolenda.

412. Sapienter planè hoc ordinatum fuit; ſi enim ob liberationem Hebræorum, & Ægyptiorum occiſionem Agnus quartadecima die menſis Niſam, qui nobis vel Martius, vel Aprilis, juxta lunæ plenitudinem æquinoxio proximiorem eſt, immolabatur, hæcque dies celeberrima in Lege priſca perhibetur, nam de hac dicitur Exodi 12. 14. *Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno*: ſpecialem feſtiuitatem ſibi æquiſſimè vendicat Chriſtianorum Sacrificium ſimul & Sacramentum, quod Agni Paſchalis immolatione figurabatur, vt concors omnium Theologorum docet ſententia; & in quo Chriſtus Dominus verus ſine macula Agnus, mundi peccata auferens, Sacerdos & victima, Pontifex & hoſtia perhibetur, ſeque omnibus Chriſtianis diuinum edulium præbet manducandum. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 8. inquit: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur.*

Feſtum SS. Euchariſtiæ ſapienter inſtitutum.

413. Nec ſufficit quotidiana huius Sacrificij oblatio, quæ jugis & perennis cenſeri poteſt, cùm juxta variam ſupra hemiſphærium ſolis lationem in variis mundi partibus, in quibus Chriſtiana Religio exercetur, ſemper, ac continuò in Miſſarum celebratione hoſtia ſalutaris offeratur: ſed præterea tempus quoddam debuit eligi, in quo non ſolùm tanti myſterij oblatione, ſed

Semper ac jugiter in orbe Miſſæ offertur ſacrificium.

etiam dici officio, noctutno pariter & diurno, ſulenni celebratione, omni populo Chriſtiano, vbique terrarum huius adorandi Sacramenti inſtiturio veneranda exhiberetur. Siquidem figuræ veritas debet reſpondere: iuuet autem alias huius myſterij adumbrationes, juge apud Hebræos Agni Sacrificium, quod mane & veſpere ſingulis diebus immolabatur, vt colligi poteſt *ex Num.28.& 29.* Eccleſiæ Chriſtianæ Sacrificij typus fuit; nam vt aduertit D.Thom. 1.2.q.102. *art.4. ad* 10. per juge Sacrificium Agni figuratur perpetuitas Chriſti, qui eſt Agnus Dei, ſecundùm illud Hebr. vlt. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie ipſe, & in ſecula.* Illaque celeberrima in quintadecima die primi menſis Paſchæ ſolennitas, non ſolùm feſtum paſſionis Chriſti, & reſurrectionis, vt notat D. Thom. jam citatus, ſed etiam huius dici ſpecialem feſtiuitatem deſignauit. Vnde Author ſubiungit, quod in hac die ſolennis memoria inſtitutionis huius adorandi Sacramenti agitur, dum ait:

D. Thom.

414. *In qua prima menſæ recolitur, huius inſtitutio.* Vbi ſpeciale ſubiectum, quod Eccleſia hac die ſibi conſiderandum proponit, adducit: ait enim, quod prima inſtitutio huius menſæ recolitur; ideſt, celebratur illa diuini amoris portentoſa actio, quâ menſa erecta eſt, in qua Chriſtus *non carnibus hircorum aut vitulorum*, ſed ſanctiſſimo ſuo corpore vniuerſam paſcit Eccleſiam. Quàm juſtè ergo, quàm ſanctè tantæ charitatis miraculum hac die mente reuulvitur. Iubente olim Domino, celebris illa, quæ Fœderis appellatur Arca, fabricata eſt: at cui officio deſtinata? Vt duas tabulas lapideas, in quibus diuina lex ſculpta erat, clauderet, & inſuper mirabilem illum cibum, è cœlo lapſum, manna à Iudæis vocatum contineret. De illa namque Paulus *Hebr. 9. 4.* inquit, *in qua vrna aurea habens manna.* At arca hæc Chriſti Domini, eiuſque quod in Euchariſtia ſumimus, ſacratiſſimi corporis typus fuit, vt notauit Tertullianus *lib.4. carm. contra Marcion. c. 3.* dicens.

Arca fœderis Euchariſtiæ typus.

Tertull.

Arca ſub exemplo corpus venerabile Chriſti
Oſtendit.

415. Vnde ſi Chriſti corporis figura tanta in veneratione apud illum populum, coi *omnia in figura contingebant*, exſtitit; ita vt non ſolùm arca ab illis ſummo in honore ſit habita, ſed inſuper mirabilis ille, qui à Scriptura vocitatur Angelorum panis, in vrna aurea, in illa conſeruaretur, vt perpetuò Hebræi diuinæ futuræ largitatis typum haberent ob oculos; quanta cum æquitate auguſtiſſimum Corporis Domini myſterium, non ſolùm à Fidelibus in tabernaculis ſuper altari occluſum, veluti in vrna aurea adoratur & colitur, ſed etiam ſpeciali prouidentiâ factum eſt, vt tanti beneficij prima conceſſio, ac tanti Sacramenti prima inſtitutio ſolenni feſtiuitate omnis ſingulis diebus octo, antiquorum tum apud Iudæos, tum apud Chriſtianos feſtorum more celebraretur. Ex quibus cùm mens authoris in allatis textibus ſatis pateat, ad eorum illuſtrationem properemus.

ELVCIDATIO VII.

Circa quatuor textus præcedentes.

NE à noſtra, quam hactenus ſequuti ſumus, methodo vllatenus recedamus, poſt literalem textuum præcedentium expoſitionem, ad illorum tum doctrinâ, tum moralibus illuſtrationem accedimus: ea quæ in illis veluti conglobata deliteſcunt, ad manifeſtam lucem ac diſtinctam explicationem adducere conabimur; ſtricta puncta in amplas lineas, amplaſque ſuperficies; parua grana in procetas arbores, ac minima ſemina in meſſes maximas extendentes ac dilatantes.

Quæ in textibus occluſa latent, in elucidationibus explicātur ac dilatantur.

SECTIO PRIMA.

Euchariſtia Sacramentum verus Chriſtianorum, cibus ſpecialem ab eis exigit gratitudinem.

LAudis thema ſpecialis, inquit D. Thomas in tertio textu huius Operis. Nihil ſanè verius, nihil elegantius ſanctus Doctor potuit pronunciare. Cùm enim magnificum benefactorem debeat qui ingenti beneficio donatur, magnifico laudare ſermone, ne turpi ingratitudinis ſtigmate iniuſtus videatur; omnium magnificorum munerum magnificentiſſimum ac pretioſiſſimum munus, Sacratiſſimum Chriſti Domini ſub ſpecie panis corpus, magnificentiſſimo ac ſpecialiſſimo encomio, ab illis quibus diſtribuitur, debet celebrari: nullum ſiquidem nec aptius, nec vberius, ad optimum Saluatorem collaudandum, thema poteſt reperiri. Ipſum tanti beneficij nomen hoc ſuadere videtur; Euchariſtia namque, ideſt bona gratia appellatur, vt immenſam Dei miſericordiam ex intimis bonitatis ſuæ viſceribus, nullis noſtris exigentibus meritis, ſed miſeriis noſtris poſtulantibus, largiſſimè in nos carne & ſanguine Saluatoris effuſam ſignificans, ad immenſas laudes depromendas, & immortales ipſi gratias referendas inciret, & compellat. 416.

Gratitudinē nomen Euchariſtiæ ſuadet.

Ea ſanè eſt omnis doni natura, vt accipientem ad æqualem datori vicem rependendam moueat. Quamvis enim donum ſit *datio irreddibilis*, vt ait Ariſtot. *4. top. c. 4.* vel vt ait D.Thom. 1. *p. q. 38. art.* 1. ſit *res alicuius qui eam liberaliter conferre poteſt ad vſum vel fruitionem*; ac conſequenter cùm ſit res liberaliter & abſque retributionis ſpe conceſſa: tamen bonum illud, quod ab vſu vel fruitione talis rei recipienti euenit, ipſum vel ad par referendum, vel ſaltem ad datorem laudibus extollendum, ac ipſi gratias immortales agendas inſtigat. Cùm autem beneficium omne in duobus conſiſtat, ſcilicet in affectu dantis, & in effectu rei datæ, magiſque in illo, quàm in iſto, vt docet D. Thom. 2. 2. *q. 106. art. 3. ad 5.* & Seneca *lib. 1. de beneficiis, cap. 6.* vbi ait: *Beneficium non in eo quod fit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo*; qui bonis benefacientis largitate cumulatur, dupliciter etiam, effectu ſcilicet, & affectu tenetur retribuere: vtrumque aliquando facilè præſtat, vt cùm ab æquali bona recipit: ſed illi non paruus labor eſt, in ſumma felicitate exiſtentibus, à quibus ſumma recepit, ſumma reddere; hoc planè illi omnino eſt impoſſibile. 417.

Donum eſt datio irreddibilis.

D. Thom.

Beneficium magis ex animo dantis quàm ex re donata æſtimandū.

poſſibile. At quod nequit effectu gerere, debet affectu ſupplere: ſi enim maximis cumulatus fauoribus, nec magna poſſit præſtare bona; ei qui ſumma & maxima tenet, ſummâ & maximâ voluntate omnem ſuum conſecrare tenetur affectum, vt ſaltem amore, laudibus, & encomiis retribuere nitatur, quæ bonis reddere non potuit; quod docuit Philoſophus *lib.8. Ethic. cap. vlt.* dum ait, quod *ſuperexcellenti quidem debet fieri honoris retributio, indigenti autem retributio lucri.*

418. Nullum autem vſquam ab aliquo etiam excellentiſſimo Principe adeo magnum conceſſum eſt beneficium, quod immenſo illi, de quo nunc agimus, conferri poſſit. Sed quid munificos homines commemoro? Quid humanos Reges loquor? Nulli ſunt apud illos, qui optimo, munificentiſſimoque Dei Filio non cedant. Rex ipſe eſt omnium Regum, & Dominus omnium dominantium: ſicque omnes Principes ſicut maieſtate præcellit, ita bonitate & liberalitate ſuperat. Ille ergo qui liberaliſſimus de ſuo eſt, ideſt ex ſua ſubſtantia, quæ ſummum bonum eſt, quamvis pluribus homines affecerit bonis, nuſquam tamen pretioſius illo quod nunc expendimus, munus largitus eſt. Sacram dico Euchariſtiam, quæ corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum totius Eccleſiæ veraciter continet. Quid enim hoc Sacramento pretioſius? Quid maius? Quid nobilius poteſt excogitari.

Euchariſtia donum eſt omnium præſtantiſſimum.

419. Maximum omnium ſane munus eſt duplici illo titulo quo beneficium cenſetur. Maximum eſt affectu, & dantis animo, quia ſummâ & infinitâ Filij Dei charitate, qui hominum Creator, Conſeruator, & Redemptor ſui ſanguinis effuſione exiſtit, corporis & ſanguinis ſui Sacramento illorum factus eſt Paſtor, & pabulum; & ideo Tridentina Synodus *ſeſſ. 13. cap. 2.* ait quod *Saluator in hoc Sacramento diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* Maximum eſt effectu, & re ipſa, quia eſt ipſamet caro à Verbo Diuino aſſumpta, ipſique hypoſtaticè vnita, ex puriſſimo Immaculatæ Virginis Mariæ ſanguine, agente Spiritu Sancto, in eius vtero formata, quæ ex ſacratiſſimo eius vtero clauſo mirabiliter nata eſt, quæ illius lacte creuit, quæ à Filio Dei laboribus, vigiliis, orationibus, peregrinationibus, prædicationibus macerata; & quæ tandem ſanguineo ſudore madida, flagris & verberibus lacerata, ſpinis coronata, purpurâ induta, ſputis oblita, colaphis cæſa, contumeliis afflicta, irriſionibus ſpreta, crucis pondere prægrauata, & tandem clauis perforata, cruci affixa, mucrone dito lanceæ vulnerata, ſicque ſummo amore immolata fuit.

Conc. Trid.

Affectu dãtis & dignitate rei datæ.

420. Quamvis autem verborum ſacramentalium vi, ipſiuſque Sacramenti inſtitutione, quæ ad modum cibi & potus totius Eccleſiæ facta eſt, ſola Chriſti caro ſub ſpeciebus panis, & ſolus ſanguis ſub vini ſpeciebus verè, realiter ac ſubſtantialiter contineatur; attamen ex indiſpenſabili connexione, & naturali *concomitantia*, vt loquuntur Theologi, ſanctiſſima Chriſti Domini anima, eiuſque diuina hypoſtaſis ac natura ibidem reperiuntur: ita vt idem viuum, ac glorioſum, ac diuino Verbi ſuppoſito vnitum Chriſti corpus, quod Dei Patris dexteræ aſſidet, quodque fulgentiſſimâ, pulcherrimaque ſpecie Beatorum in patria ſatiat oculos, hoc in myſterio à nobis adoretur, ſumatur, manducetur.

Vi verborũ ſola caro & ſanguis Chriſti, ſed per naturalẽ concomitantiam eius anima & Deitas in Euchariſtia continentur.

Cùm ergo nihil Chriſto Deo & homine aut dignius, aut præſtantius poſſit concipi, nullum munus ſacratiſſimi eius corporis munere pretioſius, aut excellentius poterit reperiri.

Conceſſi doni pretium auget ipſe modus donandi; vt enim ait Seneca lib. 1. de benef. capite 7. *nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parua magnificè, & qui exiguum tribuit, ſed libenter.* At nullus donandi modus, aut gratior, aut conuenientior poteſt reperiri ſupra illum quo Chriſtus ſeipſum nobis in cibum tradidit, non rogatus, non coactus, nec petentium importunâ petitione commotus, ſed rebellium captiuorum iniuriis laceſſitus, proditionibus venditus, inuidiâ accuſatus, linguis vulneratus, iamque præproperâ malitiâ crucis opprobrio addictus, ac damnatus, inexcogitabili bonitate beneficia pro iniuriis, amorem pro odio, vitamque pro morte rependens, ſeipſum manducandum hoc in Sacramento obtulit, conceſſit, donauit. Sanè alios, ſeu generoſior, ſeu mirabilior, quo vniuerſos ſibi homines promereretur, non extitit modus: nec vt illos ſibi deuinciret, *parua magnifice, & exigua tribuit libenter*, vt inquit Seneca ſed maxima magnificentiſſimè, & multa libentiſſimè impertiuit, dum ſeipſum, omnium maximum, optimumque nobis tradidit alimentum. 421.

Senec.

Modus donandi, doni pretiũ auget.

Mirabile donum Euchariſtiæ ex modo donandi.

Sanè egregium Chriſto Domino, olim Deo à Iacob conceſſum, jure merito conuenit nomen; illum enim *omnia largientem* appellauit: ait enim Eſaü fratri ſuo, Gen. 33. 11. *Suſcipe benedictionem quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* Quod vtique pulcherrimum Chriſti in Euchariſtia eſt cognomen: omnia quippe quæ in eo ſunt, ſemetipſum tradens, largitus eſt. Si enim Pater Æternus Filium ſuum pro nobis tradens *omnia nobis donauit*, vt loquitur Apoſtolus *Rom.* 8. 32. ipſe amantiſſimus Saluator, qui verus Deus eſt, cuius propria virtus eſt liberalitas, quia ſolus ſe communicat, *vt fons bonitatis*, vt ait D. Thomas *lib. 1. cont. gent. cap. 39.* carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum Eccleſiæ ſuæ præbens, omnia ſua cum illis donat. Vnde Euchariſtiam *Incarnationis extenſionem* appellat D. Chryſoſtomus, & de tanto Sacramento quilibet Chriſtianus gratias agens Redemptori, ad illum D. Bernardi verba *ſerm. 3. de Circumciſ.* poteſt dirigere: *Totus mihi datus es, Domine Ieſu, & totus in meos vſus expenſus.* Si enim dum Hebræo populo cœleſtis panis de cœlo debebat cadere, Moyſes dixit, Exodi 16. 7. *Mane videbitis gloriam Domini*, vel vt Hebraïcè habetur, *diuitias Domini*, dum Chriſtiana plebs corpus Domini in manna, ſicut in typo adumbratum, eodem largiente Saluatore ſuſcepit, gloriæ & maieſtatis Domini diuitias, immenſoſque bonitatis eius theſauros in ſe effuſos ſentiens, omnia quæ domini ſunt, liberaliſſimè erogata recepit. 422.

Chriſtus in Euchariſtia Deus tribuẽs omnia debet appellari.

D. Thom.

D. Chryſoſt.

D. Bern.

Quas ergo non debet homo Chriſtianus gratias? Quas laudes non debet depromere munificentiſſimo benefactori Chriſto Domino? Semper debet illum laudare, & cùm par non poſſit ipſi referre, *in gratiarum ſemper actione permanere*, vt ſancta petit Eccleſia in poſtcommunione Miſſæ Dominicæ infra Octauam Aſcenſionis. Quæ certè fuit ratio, cur primis naſcentis Eccleſiæ temporibus ſacrum Miſſæ Sacrificium à gratiarum actione Sacerdotes inchoabant, 423.

Ob donum Euchariſtiæ ſemper gratiæ agendæ.

Chriſtum

Digitized by Google

Cbriſtum In boc imitantes, qui præmiſsâ gratiarum actione conſecrauit in cœna, vt videre eſt *Math.* 26. 27. & *Marc.* 14. 23. & notauit D. Chryſoſt. *hom.* 83. *&* 26. *in Math.* vbi inquit: *Gratias egit antequam diſcipulis daret, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus.* Gratias etiam egit poſteaquam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus. Cùm enim tremendum hoc Sacrameutum ſit ſpeeialis qoædam recordatio benefieiorum Dei, & gratiarum actionis ſacrificium, vt ipſum inſinuat Euehariſtiæ nomen, ipſeque animaduertit Tertullianus *lib.* 1. *cont. Marc.* & Apoſtolus qui 1. Cor. 10. 16. *Calicem benedictionis*, ideſt gratiarum actionis, juxta eommunem Seripturæ loquendi modum, ſanguinem Domini appellat; meritò illius oblatio à gratiarum actione inchoabatur, & conſummabatur. Si enim ipſi beati homines cœleſtem ae Angelorum panem in patria ſpiritualiter manducantes, ſemper in gratiarum actione verſantur, vt docet D. Auguſt. *epiſt.* 119. *ad Ianuarium*, *cap.* 5. vbi ait, *vniuerſam actionem Beatorum poſitam eſſe in gratiarum actione*: viatores homines Angelorum panem in hoc, quo ad patriam pergimus, itinere veraciter ae realiter manducantes, ab immortalibus gratiis Deo reddendis nec feriari, nee ceſſare vllatenus debent. Agant ergo juges ae pereones gratiarum actiones, qui jugiter ac perenniter immenſum eorporis Domini poſſunt recipere donum; nam eùm eorum tenuitas non ſuggerat teſtituendi facultatem, nee ſumma Chriſti maieſtas poſtulet remunerandi vicem; ſumma ſaltem, eaque ardens in eum voluntas laudes offerat, & gratiarum actiones rependat. Sic enim dum tantum beneficium non reddit homo, ſed laudat & meminit, nullo tuodo ingratus cenſetur. *Qui enim beneficy meminit, ſine impendio gratus eſt*, vt ait Seneca *lib.* 3. *de benef.* qui autem benefacientem laudibus extollit & euehit, cum vocibus linguam, latera, ipſumque cor in perenne gratitudinis monumentum offert, præbet & eonſecrat.

D. Chryſoſt.

Olim miſſæ Sacrificium à gratiarum actione inchoabatur, & terminabatur.

D. Auguſt.

Beati ſemper gratias agunt.

424\. • Vnde laudes quas vt Chriſto Domino decantemus, nos Saeroſancta ſpecialiter monet Euchariſtia, aptiſſimæ ſioe dubio ſunt, vt de magnificentiſſimo hoe munere immortales Deo gratias referamus. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*, inquit Propbeta *pſalm.* 49. 14. quia dum Domlno nobis corpore & ſanguine ſuo omnia largienti, laudes ac gratiarum offerimus actiones, gratam & aceeptabilem hoſtiam immolantes, votaque noſtra reddentes, totum quod valemus, quod ſomus, quod gerimus, ipſi damus, noſque pro tanto beneficio rependimus; ſicque pro puriſſimo & Immaeulato, quem in hoc Sacramento manducamus Agno, vitulos puros donamus: quod expreſſit Propheta, Oſeæ 14. 3. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Vbi D. Hieronymus ait: *Vituli laudes in Deum ſunt, labiorum & gratiarum actio.* Vnde Apoſtolus Hebr. 13. 15. *Offeramus*, inquit, *hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructum labiorum confitentium nomini eius.* Quod ſanè maximè tanto de quo loquimur dono cooueuit. Magna ſiquidem analogia inter illud, quod Chriſtus in Eccleſia inſtituit Sacrificium, & laudis hoſtiam quam illi offert Eccleſia, intercedit. Ventris enim fructus benedicti, quem ſuper ſedem Dauid ponere promiſit Deus, à Chriſto in hoc myſterio oeeluſus, in Altari fulgentiſſimo veluti throno collocatus eſt: at quos ipſi decantamus hymnos, labiorum immediatè, pectoris autem, cordis, omniumque interiorum mediatè fructus ſunt. Sic enim Apoſtolus jam eitatus *hoſtiam laudis appellat.* At non ſolùm ventris, ſed etiam oris, ac labiorum, ſanctiſſima Chriſti caro io Euchariſtia fructus eſt: ab ore ſiquidem Saluatoris efficaciſſima conſeerationis verba, panem in corpus, & vioum in ſanguinem eius ſubſtantialiter conuertentia procedunt. Vnde D. Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, ioquit: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Meritò igitur laudes ac gratiarum actiones, quæ non ſolùm oris ac labiorum, ſed etiam mentis fructus ſunt, tanquam hoſtias quodammodo tanto muneri ſimiles, Sanctiſſima in ſuæ gratitudinis ſignum reddit Eecleſia.

Agendo gratias de dono Euchariſtiæ Chriſtum laudamus.

D. Hieron. Laus Chriſti & gratiarum actio ſunt vituli labiorum.

Caro Chriſti eſt fructus oris ac labiorum in Euchariſtia.

D. Cyprian.

Verùm enimverò, nee ſuauiorem laudem, nee maius encomium, oec gratius ſacrificium, nec hoſtiam aeceptabiliorem Deo gratias acturi poſſumus eonſecrare auguſtiſſimo ipſo Eueharitiæ Sacramento. Illud hoe eſt, quod ſibi à nobis offerri poſtulat Deus; illiuſque incruentâ immolatione, maximum quo Deo tenemur deuincti, debitum perſoluimus. Tantùm enim huius myſterij oblatione Deo reddimus, quantùm ab eo ſui corporis coneeſſione accepimus; nullum enim eſt diſcrimen in accepto munere, & reddito: idem enim eorpus, quod à Chriſto manducandum hominibus ſummâ bonitate traditum eſt, ab Eccleſia in alteri Deo offertur, conſecratur, immolatur. Adeo enim ex ſeipſo egenus, & inops homo eſt, vt nihil habens nihil poſſit dare, nee reddere: ſed eius ſatis gratus cenſetur animus, dum ea quæ liberaliſſimâ booorum omnium largitoris manu ſuſcepit, æquiſſimâ retributione reſtituit. Sic enim vſus eſt inclytus ille gentis Hebrææ Princeps Dauid 1. *Paral.* 29. 14. dum dixit: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Vnde idem Rex, quærens quid Deo pro ingentibus beneficiis retribueret, inquir pſalm. 115. 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sed inueoiens quid offerat, ſubdit: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Dum enim calicem offert ſalutaris benefactori, de bonis ab eo aeceptis vicem rependit. Vnde D. Auguſt. *in pſalm.* 44. ait: *Hoc illi rependis, qui calicem ſalutaris accipis, & nomen Domini inuocas? Quis dedit ipſum calicem ſalutarem? Remanſit in actione gratiarum; nam in relatione defecit.* Hæc ille. 426.

425\.

Ad gratias Deo agendas nullum conuenientius Sacrificium Euchariſtiâ.

D. Auguſt.

Sed licèt io rigoroſa, & vt loquuntur Theologi, ſatisfactione ad æqualitatem defecerit, quia non poteſt aliud corpus eiuſdem dignitatis & pretij Chriſto tradere, ſicut Chriſtus nobis ſeipſum dedit; tamen manens in gratiarum actione, & panem ac vinum, ipſumque calieem ſalutaris offereos, quod debet, tribuit; quia omoe quod poteſt, largitur: quamvis enim ab infinita rei oblatæ dignitate pretium reſultet oblationis; illud tamen io gloriam offerentis poteſt cedere: ſicut enim ea, quæ per amicos poſſumus, aliqualiter oos poſſumus, vt docuit Ariſtoteles *lib.* 3. *Eth. cap.* 3. & refert D. Thom. 1.2. *q.* 109. *art.* 4. *ad* 2. ita etiam ea quæ oobis donata ſunt, oon vt extranea à oobis offeruntur, ſed vt propria: ac conſequenter grati erga Deum cenſebimur, ſi ea

Ariſt.

D. Thom.

quæ

Quæ nobis donata ſunt, noſtra reputantur.

quæ ab eo recepimus, iterum voluntariâ oblatione conſecremus. Vnde & in Miſſæ ſacrificio, quod euchariſticum, ideſt gratiarum actionis proteſtatiuum eſt, Diuini Saluatoris miniſter ac vices gerens, inquit: *Offerimus præclaræ maieſtati tuæ, de tuis donis ac datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum, &c.* Haud enim eſt poſſibile, quod à ſe aliquid homo Deo offerat, præter peccata ſua, quæ omnia illius ſunt, ſicut notauit Auguſtinus loco proximè citato, dum ait: *Inueni quid Deo des, quod ab illo non acceperis, & retuleris gratiam; ſed caue, ne dum quæris quid illi retribuas, quod ab illo non acceperis, inuenias; ſed peccatum tuum. Hoc planè ab illo non accepiſti, ſed nec ei dare debes.* Ita Auguſtinus. Ex quo patet, ex nobis omninò nos eſſe inſufficientes, vt Deo bona accepta retribuamus: ſed neceſſariò ipſis conceſſis beneficiis tantùm erogata vt nobis beneficia rependamus, vel ſaltem pro ipſis gratias agamus, vti debere.

D. Auguſt. Nihil ſuum habet homo niſi peccatũ: cætera à Deo illi collata ſunt.

427. Hinc animam Chriſti Domini ſanctiſſimam, doniſque ſupernaturalibus cumulatiſſimè refertam, ad gratias Deo immortales pro incarnationis beneficio agendas, electam eſſe notauit D. Ambroſius *lib. de Incarn. capite 7.* vbi ait, *quod Chriſtus eam animam ſibi vniuit, quæ gratias Deo Patri referre poſſet pro Incarnationis beneficio.* Cùm enim perfectiſſima gratitudo pro præſtantiſſimo beneficio, ad eam pertineat animam quæ præſtantiſſima eſt, vt quædam proportio inter donum, & gratias agentem intercedat; ad animam Chriſti Domini, quæ vtpote Verbo Dei hypoſtaticè vnita, præſtantiſſima eſt, opus perfectiſſimum, nempe gratiarum actionem pro excellentiſſimo ſibi collato dono, cuncto humano generi ſaluberrimo, Incarnatione ſcilicet, pertinet exercere; quod ſanè ab inſtanti ſuæ conceptionis, ac beatificationis, in quo Incarnationis myſterium adimpletum eſt, beata hæc præſtitit anima; agebat enim in terris, quod cæteræ beatæ animæ jugiter præſtant in cœlis, vbi ſemper laudibus, & præconiis Deo gratias referunt, vt conſtat *ex Apoc.* 19. 1. quo in loco multæ tubæ in cœlo dicunt alleluia, laudem, & gloriam, & virtutem Deo, vt de collatis ſibi, ac cæteris hominibus bonis gratias agant.

D. Ambroſ. Anima Chriſti ad gratias agendũ pro beneficio Incarnationis electa eſt.

Ariſt.

Cùm igitur juxta Ariſtotelis effatum 2. Metaph. text. 2. *primum in quolibet genere ſit menſura & regula cæterorum*; ipſeque Chriſtus Dominus, qui non ſolùm omnium juſtorum ac prædeſtinatorum primus, ſed etiam totius Eccleſiæ Caput, Paſtor, Sponſus, ac omnium Sacerdotum ſummus ac primarius Sacerdos eſt, pro bonis ſibi erogatis, nobiſque corporis ſui myſtici membris, gregis ſui ouibus, vitæ, mortis, ac gratiæ ſuæ filiis, ſuique Sacerdotij conſortibus collatis donis jugiter Patri ſuo adhuc in terris degens gratias egerit; optimus veluti magiſter præſtantiſſimum nos docuit opus, vt ſcilicet eius veſtigiis inhærentes, exempla ſequentes, & actiones imitantes, pro bonis acceptis à Deo ipſi eadem bona offeramus, & pro immenſo Euchariſtiæ beneficio, ipſam Euchariſtiam jugiter ac quotidie reddamus, immolemus, conſecremus. Quod eleganter attigit D. Chryſoſt. *hom. 51. in cap. 14. Matth.* Vbi excellentius bonum conceſſum per Euchariſtiam Chriſtianis, quàm ea quæ priſcis Hebræis donata ſunt, commemorans, jugem per eandem Euchariſtiam de tanto beneficio in Eccleſia gratiarum actionem, Chriſtum reliquiſſe commendat. Sic enim habet: *Iudæis quidem ſingulis annis beneficiorum ſuorum monimenta poſt feſtos dies, Deus propoſuit; tibi vero quotidie, ipſe ne obliuiſcaris proponitur; hæc ſunt decora noſtra, hæc Sacramenta; hoc ornamur dono, hoc gloriamur: nec ſi cœlum, ſi terram, ſi maria dixero à Deo creata, ſi Prophetam, ſi Angelos miſſos, quidquam huic æquale offeram.*

D. Chryſoſt.

428. Sic igitur pretioſiſſimum munus pretioſiſſimo munere compenſamus, dum Deo optimo maximo pro Chriſti accepto corpore ipſum ſanctiſſimum Chriſti corpus offerimus, ipſumque Saluatorem liberaliſſimum profitemur; dum ad diuina beneficia prædicanda, corporis & ſanguinis ſui oblatione vtimur, ac immolatione: nec immenſum, quo veſcitur & ſuſtentatur Chriſtianorum Eccleſia, corporis Chriſti donum, alio inferioris dignitatis ac minoris pretij dono potuit vel exprimi, vel reſtitui; quia nec alio dono *Deus omnia largiens*, quàm hoc Sacramento, Chriſtus Dominus cognoſcitur. Summum ſemper fuit apud omnes nutritionis beneficium, quo homo in eſſe conſeruatur, ac veluti denuò producitur. *Conſeruatio* enim, ſecundùm D. Thomam eſt *continuata productio.* Hinc eſt quod Cis à patre ſuo Abiel genitus, à Ner genitum fuiſſe ſacræ teſtantur paginæ: nam 1. *Paral. cap.* 8. 33. dicitur: *Ner autem genuit Cis.* Quod exponens D. Hieron. *in trad. Hebraic.* inquit, *quod Ner dicitur pater Cis, non quòd eum genuerit, ſed quòd eum educauerit.* Vnde ille gentis Iſraëliticæ Patriarcharum Pater, dum inops & egenus, ac penè eſuriens peregrinaretur, alimenta ad propriam ſubſtentationem à Deo poſtulauit cum ſolenni Diuinitatis eius confeſſione. Ait enim Gen. 28. 20. & 21. *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum.* Ac ſi diceret, ſicuti eſſe recepi à Domino, qui omnis entis, ac boni principium eſt & origo, vtpote primum ens, & ſummum bonum: ita ſi immenſâ ſuâ largitate alimenta quibus nutriar, ac in eſſe conſeruer, concedat mihi Dominus, illum tanquam ſolum Deum, ſolumque prouiſorem, ac benefactorem colam, adorabo, prædicabo. Quod ſanè optimum argumentum à Iacob philoſophicè ac ſyllogiſticè deductum eſſe videtur; nam cùm juxta Philoſophos, *qui dat eſſe, det etiam conſequentia ad eſſe*; qui hominem generatione vel creatione producit, illi alimenta, quibus in eſſe ſeruetur, debet tribuere: quod à natura, cuius opus *eſt opus intelligentiæ*, inſinuatur; ab illa enim, à qua naſcitur homo, muliere lac quo nutriatur, ſtatim ei ac natus eſt, miniſtratur. Vnde ſi à Deo, vt ab authore principali, ac omnium rerum conditore, homo vel natiuitate, vel creatione procedit; dum ab illo, quibus veſcatur ac in eſſe cuſtodiatur, iteratâ bonitate ſuſcipit, iterato beneficio creatorem ſuum conſeruatione Deum ſuum agnoſcit. Rectè igitur Iacob ſolenni voce proteſtatus eſt, Dominum illi in Deum exiſtere, ſi panem ad veſcendum illi donaret.

Ad gratias agendum pro Euchariſtia, ipſa Euchariſtia offerẽda.

D. Thom.

Nutritio magnum beneficium.

D. Hieron.

Iacob Dominum in Deum ſibi eligit ob alimenta ab ipſo conceſſa.

Qui dat eſſe debet illud alimentis conſeruare.

429. At ſi communem cibum tribuens Patriarchæ, Deus illius juſtè conſtituitur, quanta cum ratione qui Eccleſiam ſuam non ſolùm *adipe frumenti*, & *Angelorum pane*, ſed diuino ſatiat alimento, corpore & ſanguine ſuo, illius Deus erit? Sanè quia Chriſtus

Chriſtus corpore ſuo fideles paſcens verè illorum Deus extat.

Dominus populum quem proprio ſanguine comparauit, proprio corpore ac proprio cruore ſuſtentat, Dominus ac Deus illius jure meritò nominatur: vnde quia propria Dei ſedes cœlum eſt, juxta illud quod ait Dominus Iſai. 66. 1. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*: dum in ſacratiſſimo Euchachariſtiæ myſterio ſpeciali nutritionis titulo nobis refulſit Deus, terram hanc in qua verſamur, vt digna corporis ſui ſedes exiſteret, mutauit in cœlum: ſed quia corpora noſtra, quæ tanto Sacramento veſcuntur, etiam Dei throni facta ſunt, pro nobis naturam ſuam terrenam reliquit, & cœleſtem induit hoc, quod pedibus calcamus elementum; quod acutè attigit D. Chryſoſt. *hom. 2. in ep. ad Corinth.* dum inquit: *Vt terra nobis ſit cœlum, facit hoc Sacramentum.* Ergo ſicuti in cœlo Deum Angeli ac beati homines, gratias agendo, laudibus jugiter proſequuntur, nos qui ſacram per Euchariſtiam terram in cœlum mutatam habitamus, præconia ac laudes, cum gratiarum actionibus, Chriſto Deo noſtro canamus, & omni cordis affectu, ac vocis ſuauitate cantica modulemur.

D. Chryſoſt.

Terra fit cœlum per Euchariſtiã.

Sectio II.

Sola Euchariſtia panis viuus meritò appellatur.

430. Euchariſtia panis viuus vitam non vulgarem tribuit.

INauditum planè, inuſitatum, ac omninò nouum ſacra in Euchariſtia nobis proponitur alimentum. Panis viuus nominatur, quia verè panis vitam babens, vitamque, eamque non vulgarem, ſed pretioſam ac excellentem tribuens, eamque ſeduló conſeruans eſt.

431. Cæteri, quibus viuit homo, cibi vitâ orbantur, dum in edulia diſponuntur: & quamvis ad vitam ſeruandam, augendam, immò & producendam cibos ſumant homines, nuſquam, tamen viuos accipiunt: mortuis alimentis gaudent, mortuis ſuſtentantur; cibos mortuos appetunt, nec poſſunt mortua alimenta non appetere, quæ viua etiam cogitare ſine horrore non valent. Barbari haud dubium cenſentur illi, qui ſibi ſimiles trucidant homines, vt ex eorum carnibus ſatientur: at Chriſtianis, vt humaniores, immò vt diuini euadant, Dei & hominis caro, aliàs peſſimorum manibus lacerata, ac cruci affixa, integra, ac viua, immò immortalitate donata ſub panis ſpecie in mirum & ſingulare ferculum conceditur. Ingens planè diuini amoris miraculum; vt enim hominibus peccato mortuis vitam largiretur, non ſolùm eos in Sacro Baptiſmate ſuo ſanguine expiatos genuit, ſed etiam ſacra in Euchariſtia proprio corpore paſcit; ait enim Ioan. 6. 56. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde cùm nemo det quod non habet, Euchariſtiam quæ vitam confert, vitam continere omninò certum eſt.

Alimenta omnia mortua ſunt.

Sola Euchariſtia eſt viuum alimentum.

432. Triplici ratione Euchariſtia dicitur panis viuus.

Triplici autem ex capite tremendum hoc myſterium panis viuus appellatur. Primò quidem, quia nouæ Legis Sacramentum eſt, & omnium Sacramentorum nobiliſſimum. Siquidem cùm veteris Legis Sacramenta non habuerint in ſe aliquam virtutem, quâ operarentur ad conferendam gratiam juſtificantem, ſed ſolùm ſignificauerint fidem Chriſti venturi ac paſſuri, per quam homines juſtificabantur, vt docet D. Thom. 3. *p.q.*62. *art.* 3. vnde ab Apoſtolo ad Gal. 4.9. *infirma & egena elementa* vocantur; vbi Gloſſa ordinaria notat, Legem veterem infirmam appellari, quia perfectè non juſtificat: nouæ autem Legis Sacramenta, vt inſtrumenta diuinæ virtutis, in quantum ex diuina ordinatione adhibentur hominibus ad gratiam in eis cauſandam, non ſolùm ſignificent, ſed verè producant phyſicè & realiter gratiam, vt docet idem S. D. *ead. qu.* 62. *art.* 1. Cùmque inter cætera nouæ Legis Sacramenta potiſſimum ac nobiliſſimum ſacra cenſeatur Euchariſtia; non ſolùm potentiſſimi ac ditiſſimi ſigni rationem ſortitur, quod & aliis Eccleſiæ Sacramentis, quæ vt loquitur S. Thomas proximè citatus, *efficiunt quod figurant*, commune eſt; ſed inſuper veriſſimi ac ſuauiſſimi cibi animas noſtras ad vitam nutrientis æternam, nomen gerit, ac conſequenter *panis viuus* meritò nominatur. Vaſa quædam vacua Iudæorum extiterunt Sacramenta; & non ſolùm egena & infirma in ſe, verùm etiam mortua quodammodo dici poſſunt: carebant enim illâ virtute, ſeu motione quæ vitæ indicium eſt, & ſeipſis non poterant in animam agere, nec eam à peccato mundare: tota illorum ratio in hoc ſita erat, vt futuri Liberatoris proteſtarentur fidem, quæ ſecundùm quod erat in apprehenſione animæ, poterat juſtificare. At Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vas plenum, imò & pleniſſimum ſignum eſt; realiter enim ac ſubſtantialiter venerandum Chriſti Domini corpus, quod ſignificat, continet: ſicque cùm per modum cibi & potûs vires ad vitam ſpiritualem conſeruandam Chriſtianorum Eccleſiæ ſubminiſtrantis, ſub ſpecie panis & vini à Chriſto Domino ſit inſtitutum, rectè *Panis viuus*, vitam ſignificans, conſeruans & continens appellatur.

D. Thom.

Primò, quia eſt ſacramẽtum nobiliſſimum nouæ legis.

Iudæorum Sacramenta vaſa vacua, egena & infirma, immò & mortua.

433. Tanti myſterij cibus ille, Angelicis manibus Hebræis in deſerto miniſtratus, panis Angelorum ideo vocitatus, typus fuit. Sed quid in hoc munere viuum? Nihil prorſus, niſi res ventura per illud adumbrata, quæ ſanè ſacra, quâ aluntur Chriſtiani, eſt Euchariſtia. Specialiter etiam Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, Paſchalis agni immolatio, & manducatio præfigurauit. Sed nunquid à morte vetus hoc Iſraelitarum Sacramentum non incipiebat? Agnum occidere, ſanguinem eius fundere, carnes eius igni torreri, ac aſſas igni cum feſtinatione manducare Lex jubebat. Sed vbi vita hoc in ſacrificio? Nullibi; vbique mors reperitur: & licèt agni ſanguis ſuper vtrumque poſtem domûs Hebræorum poſitus in Ægypto vitam illis ſeruauerit; ex hoc tantùm colligi valet; agnum, eiuſque oblationem, nobilius quoddam Chriſti viuentis ſacrificium & oblationem, & ab eo vitæ communicationem omnibus Chriſti hoſtiam manducantibus, ſignificare, ſed non continere. Ipſius ſanctiſſimi Patriarchæ Abrahæ primogeniti immolatio etiam Euchariſtiam adumbrauit: ſed etiam hoc in ſacrificio mors apparuit, voluntate filium vnigenitum jugulauit Patriarcha; animo occidit, & niſi à cœlo impeditus, dexteram prolis ſanguine cruentaſſet. At arietem pro filio interfecit, & ſacrificium non expleuiſſet, niſi iſtius animalis

In figuris Sacræ Euchariſtiæ, ac priſcis ſacrificiis mors apparebat.

fudiſſet

fudiſſet cruorem. Vbique igitur in antiquis priſcarum obſeruantiarum Sacramentis ſeu muneribus ſacram Euchariſtiam adumbrantibus mors apparuit, omniſque à Iudæis cibus manducatus vitâ caruit. Sola Chriſtianorum Synaxis viua eſt; hicque quo paſcuntur cibus, verè panis viuus eſt, ac viui nomine decoratur.

434. Nec quam commemorat Chriſti Domini mors vitam, viuique nomen, ab hoc ſuauiſſimo adimit edulio. Quamvis enim Saluatoris paſſionem ac eius pro nobis in cruce cruentam oblationem incruenta hæc hoſtia, ipſo mandante Redemptore, jugiter exprimat; immenſumque quo pro nobis paſſus eſt, amorem hoc immenſæ ac infinitæ charitatis Sacramentum, iteratâ ſæpius ac ſæpius beneuolentiâ perpetuò reuolvat: tamen quia ſemel mortuus Chriſtus, deuictâ morte, *ſolutiſque doloribus inferni*, victor ab inferis viuus aſcendit, morſque illi ampliùs non dominatur, ipſeque Deus & homo, *quod viuit, viuit Deo*, vt ait Apoſtolus *Rom.* 6. 10. ac conſequenter nuſquam moriturus æternam poſſidet vitam & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, corpus ſuum & ſanguinem realiter continens, totum ipſum Chriſtum viuum, vitæ dominum ac diſpenſatorem, mortiſque victorem, deſtructorem, ac peccati mortis principij domitorem veraciter complectitur; ideoque cibus vitæ, & panis viuus jure merito nominatur. Quod totum paucis verbis comprehendit Doctor Angelicus in celebri illo quem de hoc mirabili Sacramento edidit Rithmo, vbi ait: *O memoriale mortis Domini, panis viuus vitam præſtans homini.*

Euchariſtia morté Chriſti exhibet, ſed vitam tenet ac præbet.

D. Thom.

435. Sed non ſolùm veterum antiquæ Legis reſpectu myſteriorum, *panis viuus*, ſacra vocitatur Euchariſtia: etiam cæteris nouæ legis Sacramentis comparata hac gaudet nomenclaturâ. Viua quidem omnia Chriſti Eccleſiæ Sacramenta dici poſſunt, quia omnia vaſa plena ſunt, ac diuinæ miſericordiæ ſacra quædam organa: gratiam non ſolùm ſignificant, ſed producunt vt vera ac realia Dei bonitatis inſtrumenta, & ex huc viua ſunt, quia vitam continent, vitam tranſmittunt, dum gratiam ſanctificantem, quæ ſpiritualis vita eſt, juxta illud Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna*, illis quibus applicantur, effundunt. Nihilominus tamen ſola Euchariſtia antonomaſticè *panis viuus* appellatur; cætera enim Sacramenta, ſicut non ſemper ſunt, neque ſemper exiſtunt, ita neque ſemper viuunt, neque ſemper viua valent appellari. Sæpiùs oriuntur, ſæpiùs moriuntur; ſæpiùs viuunt in re, ſæpiùs in re moriuntur, & non niſi in apprehenſione Fidelium, & in fide Eccleſiæ viua dici poſſunt. Cùm enim omnia Sacramenta, vnicâ demptâ Euchariſtiâ, in vſu conſiſtant, per quem ſancta ſunt, & ſanctitatem præſtant, tamdiu viuunt, quandiu ſunt: & tandiu ſunt, quamdiu Eccleſia eis vtitur, & ea exercet. Vnde ſicut non ſemper ac jugiter baptizantur Fideles, nec ſemper eis Confirmationis, vel Ordinis, vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis, vel Matrimonij Sacramenta miniſtrantur; ita nec ſemper hæc Sacramenta viuunt.

Omnia C[illegible]iſti ſac[illegible]aménta viua dici poſſunt.

Sola Euchariſtia panis viuus dicitur.

Cætera ſacramenta in vſu conſiſtũt, & nõ ſemper viuunt.

436. Verùm Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſemper viuum eſt, ſemperque *panis viuus* appellatur, quia vt docet D. Thomas 3. *p.* *q.* 73. *art.* 1. *ad* 3. perficitur in ipſa conſecratione materiæ, in qua id quod eſt res & Sacramentum, nempe corpus Chriſti, verum realiter exiſtit, licèt id quod eſt res tantùm ſit in ſuſcipiente, ſcilicet gratia quæ confertur. Cætera verò Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum. Vnde in Baptiſmo res & Sacramentum, ſcilicet character, eſt in ſuſcipiente; & etiam gratia remiſſionis peccatorum, quæ eſt res tantùm: quod ex maximo diſcrimine, quod inter Euchariſtiam & cætera Sacramenta habentia materiam ſenſibilem, intercedit, oritur: nam cùm illa ſit ſacra abſolutè & ſimpliciter, abſolutè continet aliquid ſacrum, ſcilicet ipſum Chriſtum: & cùm cætera Sacramenta ſint ſacra in ordine ad aliud, continent aliquid ſacrum in ordine ad aliud: ſic aqua Baptiſmi continet virtutem ad ſanctificandum ſuſcipientem; vnde vt idem S. D. aduertit ead. 3. p. q. 74. art. 2. ad 3. *per formam Baptiſmi non plus de aqua ſanctificatur, quam quantùm venit in vſum.* At quia Sacramentum Altaris in conſecratione materiæ perficitur, omnis materia, etiam maxima quæ offertur, ſanctificatur & conuertitur virtute diuinâ in corpus vel ſanguinem Chriſti. Cúmque ex his planum ſit, Euchariſtiam actu, realiter, ac jugiter ſemper in Chriſti Eccleſia exiſtere in ipſa materiæ conſecratione; alia verò Sacramenta, quæ tantùm vſu perficiuntur, non ſemper extare, quia non ſemper jugiter exercentur; ſolam Euchariſtiam præ cæteris ſemper eſſe viuam, rectéque panem viuum appellari euidens eſt, ac manifeſtum.

Euchariſtia autem in cõſecratione materiæ ſemper viuit.

D. Thom.

Præclarum inter Euchariſtiam & Baptiſmum diſcrimen.

Secundò *panis viui* nomine inſignitur Euchariſtia ex ordine quem habet ad ſuſcipientes, qui vitâ ſpirituali, vt illius fiant participes, præditi eſſe debent; vnde & *Sacramentum viuorum* appellatur. Cùm enim per modum cibi tremendum hoc ſit à Chriſto inſtitutum myſterium, vt ſpirituale nutrimentum in Eccleſia proponitur. Sumere autem alimenta non competit mortuis, ſed viuentibus; nutritio enim eſt actio vitalis, juxta communem Philoſophorum conſenſum: & ideò viuere debent vitâ ſpirituali, ideſt gratiâ juſtificante ornari, nullaque lethalis culpæ, quæ mortem ſpiritualem infert animæ, labe coinquinari, qui ad cœleſtem Euchariſtiæ menſam accedunt. Quod docet D. Thomas 3. *p.* *q.* 79. *art.* 3. Quamvis autem Baptiſmus, & pœnitentia ſuum ſortiantur effectum in illis qui peccatis mortalibus onuſti hæc Sacramenta ſuſcipiunt, hoc ex ſpeciali eorum natura procedit; exhibentur enim Eccleſiæ juxta Domini inſtitutionem tanquam ſpecialia ac potentiſſima contra lethalia peccata remedia. Baptiſmus quidem contra originale, & omnia actualia ab homine extra Chriſti Eccleſiam conſtituto perpetrata: & ideò comparatur generationi, eiuſque ac natiuitatis ſpiritualis nomen gerit; tribuit enim nouum eſſe homini, & exuens eum veteri ac peccatore Adamo, nouo & innocenti Chriſto Domino induit. Pœnitentia autem, quæ à Sanctis Patribus *Secunda poſt naufragium tabula* dicitur, peccatorum actualium poſt Baptiſmum commiſſorum remedium eſt, & medicina, omneſque ſpirituales Chriſtianorum infirmitates virtute paſſionis Domini ſanat. Quare illi à pluribus Eccleſiæ priſcis Doctoribus, ſecundæ Pœnitentiæ; ſicut & ob remiſſionem peccati originalis, Baptiſmo primæ Pœnitentiæ, nomen datum eſt; ſicut & vtrique Sacramenti mortuorum titulus impoſitus eſt.

437. Secundò Euchariſtia panis viuus dicitur in ordine ad communicantes, qui viue eſſe debent vitâ ſpirituali; vnde eſt Sacramentum viuorum.

D. Thom.

Baptiſmus originalis culpæ remedium.

Pœnitentia verò actualis.

Vtrumque Sacramentũ mortuorum dicitur.

438. Cæteta tamen Sacramenta, quæ cum Sanctiſſima Euchariſtia, viuorum appellantur, vitam ſpiritualem in ſuſcipientibus ſupponunt: ad hoc enim à Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ conceſſa ſunt, vt talem vitam vel augeant, vel corroborent, vel conſeruent, vel perficiant, vel communicent, & tandem in adeptione æternæ gloriæ coronent, qua de re videndus D. Thomas *3. p. q. 65. art.* 1. & 2. & ideo Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, nouum ac magnificentiſſimum Chriſtianorum conuiuium, *panis viuus*, ideſt alimentum viuorum, jure merito nominatur. Quod D. Paulus Apoſtolus expreſſit 1. *Cor.* 11. dum inquit: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat; qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Vbi Gloſſa Interlin. inquit: *Quod ille manducat & bibit indignè, qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat;* ideſt qui vitâ ſpirituali caret, & qui animam non habet gratiâ & virtutibus ornatam. Vnde in lib. de Eccleſ. dogmatibus, qui inter opera D. Auguſt. tom. 3. circumfertur, *cap.* 53. dicitur: *Si mens in actu peccandi eſt, grauatur magis Euchariſtia perceptione, quàm purificetur.* Ipſeque D. Auguſt. *tract.* 26. *in Ioan.* inquit: *Aliud eſt ſacramentum, & aliud virtus ſacramenti. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Vbi ſanctus Doctor, quid ſit panem cæleſtem ſpiritualiter manducare, eleganter exponit, dum ait, *Innocentiam ad altare apportate.* Dum enim Chriſtianus non habet animam peccatis ſubditam, ſed innocentiæ ſplendore veſtitam, vitâ gratiæ viuit; ac ſic viuens, non ſolùm ore corporeo Sacramentum Euchariſtiæ ſumit, ipſumque corpus Domini ſub ſpeciebus panis deliteſcens dentibus premit; ſed vberi ab ipſo ſcaturiente gratiarum fonte cor illius irrigatur, & vt loquitur Tertull. lib. de reſurr. carn. cap. 8. *non ſolum caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, ſed etiam anima de Deo ſaginatur.*

Alia Sacramenta cum Euchariſtia, viuorum appellantur.

D. Thom.

Vitâ gratiæ viuit qui Euchariſtiã manducat.

D. Auguſt.

Dignè communicantis mens deitate impinguatur.

439. Vt ergo fructuosè ac ſpiritualiter à Fidelibus Euchariſtia manducetur, viuus debet eſſe qui recipit, viuumque panem non in mortui corpore, ſed in viuentis ore ac ſtomacho collocare, vt viua Chriſti Dei viui virtus in ſumentis animam ſine impedimento diffundatur. Nam cùm res tanti Sacramenti ſit charitas, non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum qui excitatur in hoc Sacramento, vnde & venialia peccata remittit, vt docet D. Thomas *3. p. q. 79. art.* 4. cúmque charitas nuſquam peccati ſordibus inquinatum occupet, ſolaque pura corda repleat, vtpote cum puriſſimo Dei ſpiritu communicari ſolita, juxta illud Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum:* hinc eſt, quod qui gratiâ & charitate caret, & ex talis amoris diuini defectu in morte reperitur, juxta illud 1. Ioan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte;* nec panem viuum, ideſt corpus & ſanguinem Chriſti in hoc Sacramento valet ſumere ſpiritualiter, nec effectum, ſeu rem eius, ideſt augmentum, & actuale exercitium charitatis poteſt recuperare.

Res Sacramenti Euchariſtiæ eſt charitas in actu.

D. Thom.

440. Viuat igitur Chriſtianus vitâ ſpirituali per gratiam & charitatem, vt dignè panem viuum, qui dat vitam nullo termino finiendam, ſed in æternum duraturam, valeat recipere. Cúmque ad terribilem ſanctorum myſteriorum menſam accedit, ſummâ puritate fulgere nitatur, vt omnium ciborum puriſſimum, carnem ſcilicet hominis-Dei, ex vtroque capite, & Deitatis, & humanitatis miro ſanctitatis ſplendore coruſcantem; ex puriſſimo Virginis Immaculatæ ſanguine Diuino agente Spiritu formatam; puriſſimo ſepulchro, nouo ſcilicet monumento, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, virginali veluti tumulo ad triduum mortis conditam; & tandem ſupra omnes quos penetrauit cælos, in puriſſimo ad Patris dexteram throno mirantibus Angelis collocatam, purâ mente, puro corde, puroque ore recipiat. Cogitet quali ſit inſignitus honore, quali menſâ fruatur, nec aliud hoc Sacramento quàm Chriſtum Angelorum Regem, hominum Redemptorem, cæterarumque creaturarum Dominum ſibi præberi exiſtimet. Nam vt ait Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. *Chriſtus Dominus præſtat ſe nobis deſiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. Vtque maiorem erga nos charitatem hoc Sacramento demonſtret, ſe ſuo ſanguine madidum, vulneribus perforatum, ſpineo ſerto redimitum exhibet.* Totam enim paſſionis ac mortis ſuæ, vitam hominibus largientis, ſeriem ac ignominiam hoc munere jugiter commemorat. Vnde idem Chryſoſt. *hom.* 84. *in Ioan. circa med. tom.* 3. inquit; *Cùm acceſſeris ad tremendum calicem, vt ab ipſa bibiturus Chriſti coſta, ita accedas.* Caueat ergo Chriſtianus, ne impurum os puriſſimo lateri Chriſti puriſſimum hauſurus ſanguinem admoueat, ne nouum, idque maius vulnus ſacratiſſimo Redemptoris corpori crudeli impietate producat. Sanè ſeipſum hoc vulnere feriet, & illæſo permanente immortali Domini corpore, propriam animam juſtiſſimè trucidabit: ſic enim impietas ſe ipſâ mulctatur, & diuino diſponente judicio, ſacrilegus dum ſibimet ſacrilegio vitam eripit, de ſeipſo ſupplicium ſumit, dignus ſui ipſius tortor effectus. Adeo periculoſum eſt panem viuum ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, ſolis fide & charitate viuentibus à Domino præparatum, ſpiritali vitâ orbatum impio auſu ſumere. Rectè ergo *Panis viuus* dicitur, quòd viuorum viuum à Domino deſtinatum eſt alimentum.

Maxima ad Euchariſtiã recipiendam deſideratur puritas.

Tota Chriſti paſſio in Euchariſtia exhibetur.

Chryſoſt.

Indignè communicans nouũ Chriſti lateri vulnus infert.

441. Tertiò denique panis viui nomen ſanctiſſima gerit Euchariſtia, vt ſubſtantiam panis minimè continere, ſed ipſum viuum Chriſti Domini corpus, oſtendatur. Qui ſanè modus loquendi proprio Saluatoris ore prolatus, ad modum lucis fulgentiſſimæ errorum caliginem fugat, hæreſum tenebras excutit, ipſamque veritatem catholicam de reali præſentia corporis eius in hoc mirabili Sacramento, contra omnes illam impugnantes confirmat. Dum enim amantiſſimus Redemptor, Ioan. 6. 51. ait: *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita;* planam de reali corporis ſui in Euchariſtia veritatem declarat, omneſque illam impugnantes errores, verborum ſuorum quæ vitæ æternæ verba Petrus appellauit ibidem 69. mirâ virtute confutat. Dum enim ſeipſum panem viuum de cælo deſcendentem vocat, ac ſubiungit: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita;* carnem ſuam eſſe panem viuum aſſeuerat, hancque carnem hominibus ſe dare promittit: vnde in vltima cœna, *accipiens panem benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis*

Tertiò panis viuus dicitur Euchariſtia, quia pane mortuo caret, & viuum corpus Chriſti continet.

vobis tradetur; verè eis panem viuum contulit, ideſt carnem ſuam ſub ſpecie panis deliteſcentem donauit. Sicque dum juxta Domini ſermonem à D. Thoma Euchariſtia *panis viuus* appellatur, realis præſentia corporis Domini tanto in Sacramento demonſtratur.

§. I.

Chriſtus panis viuus verè & non figuratè eſt in Euchariſtia.

442. PRocul hinc igitur, procul eſte profani: procul à diuiniſſimo Sacramento abſcedite Nouatores, qui Caluini, Zuinglij, cæterorumque quos Orcus euomuit, hæreticorum falſæ adhærentes doctrinæ, impiam quam ipſe Berengarius ſemel & iterum anathematizauit, ac ſepelire, licèt aliquando deluſus ac deceptus docuerit, conatus fuit ſententiam, velut Leuiathan præterito ſeculo ſuſcitaſtis, corpus Chriſti in Euchariſtia non realiter, ſed tanquam in ſigno exiſtere mentientes. Nec vos, qui Lutheri delitamentum ſequimini, corpus Domini cum pane componentes, Chriſtumque in hoc myſterio impanatum prædicantes, ad tantum Sacramentum moram trahatis. Expulit vos diuinum ac tremendum Chriſti Domini oraculum, dum inquit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Non cum pane mortuo ſocietatem iniit, nec ſub pane mortuo abditum ſibi præparauit habitaculum, vt impanatus diceretur; ſed ſummo amore erga ſuam fragrans Eccleſiam, carnemque ſuam verè & realiter cibum ei præbens, ſemetipſum non commonem, non mortuum, ſed viuum, vitæque panem, ideſt viuum pabulum præſtitit & appellauit. Sed paucis vtrumque circa veritatem corporis Domini in Euchariſtia errorem, & Caluiniſtarum, & Lutheranorum, ſigillatim Chriſti Domini ſeipſum viuum panem appellantis voce exploſum demonſtremus.

443. Chriſtum Dominum, verum Deum, ac Patris Æterni vnigenitum Filium, ac conſequenter Deum verum de Deo vero, vniuerſa Chriſtianorum adorat & colit Eccleſia. Hinc veracem illum, nullo modo fallentem, aut mentientem, aut decipientem firmiter credit. Deus enim nec falſum proferre poteſt, nec mendacium, nec fallere, nec falli. Vnde ipſe Saluator de ſeipſo dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. 6. Dum ergo ſolenni voce ſe panem viuum appellauit, *Ioan.* 6. & dixit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi; ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*; duo fecit. Seipſum panem viuum nominauit, & carnem ſuam, quam etiam panem vocauit, hominibus daturum promiſit. Vel igitur mentitus eſt (quod etiam cogitare ſummum eſt ſacrilegium; vel verum dixit, & promiſſis ſtetit. Cùm ergo hoc ſecundum præſtiterit vltima illa in cœna, quam magnifico apparatu cum ſuis magnificè celebrauit, dum inquit Matth. 26. 26. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*; ſeipſum panem viuum, ſicut promiſit, donauit.

Chriſtus mentiri non potuit.

444. Nec dicas, panem tantùm obtuliſſe, corporis ſui typum; quo manducato ore fidei, ipſe Chriſtus à mentibus ſumentium manducatur, dum ſymbola carnis illius os corporis manducat. Sic enim non panem viuum hominibus dediſſet, ſed panem mortuum, & communem; & corporis Domini, quod panis viuus appellatur, ſignum tantùm præſtitiſſet; falſumque protuliſſet, dum dixit, *panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Signum enim corporis Domini, non eſt corpus eius, ſed tantùm eius veluti figura; ſignum enim, vt inquiunt Philoſophi, *præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, in alterius cogitationem facit deuenire*; ſicut fumus cognitionem ignis, quem indicat, producit: vnde & Agnus Paſchalis, qui Euchariſtiam per modum ſacrificij; & manna, quod idem Sacramentum per modum cibi præfigurauit, diuerſæ, ac diſtinctæ, & diſparatæ res à Chriſti corpore extiterunt. Neceſſariò igitur concedendum, panem viuum in Euchariſtia Fidelibus à Chriſto diſpenſatum, verum & proprium corpus eius extare, non autem ſolum & vacuum corporis eius ſignum.

Si Chriſtus ſignum tantùm corporis ſui ore corporis manducandū præbuiſſet, panem mortuum, & non viuum dediſſet.

445. Quod quidem ſic eſſe conuincitur ex propriis amantiſſimi Redemptoris ſermonibus; ipſe enim ſe panem viuum de cœlo deſcendentem, & manducantibus vitam æternam, ideſt gratiam in præſenti, & gloriam in futuro ſeculo largientem, ſacram ſpondens Euchariſtiam, ideo nominauit, vt nos veram eius carnem ex vnione ad æternum Verbum viuificatricem, manducare non dubitemus. Quomodo enim vitam ſpiritalem mundo largiretur, niſi realiter ipſam carnem Verbi Domini fontis vitæ contineret? Sanè niſi hoc corpore realiter hoc Sacramentum repleretur, nihil ſupra antiquum Angelorum cibum, Iudæis in deſerto conceſſum haberet; cùm tamen omninò notum ſit, myſterium hoc manna ſuperare, ſicuti veritas vincit figuram, vmbram fugat realitas, & noctem dies eliminat. Vnde idem Saluator *eod. cap.* 6. *Ioan.* panem viuum, quem promittit hominibus, mirum in modum ſupra manna effert, dum inquit: *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem, viuit in æternum.* Cùm ergo manna vitam non dederit, ex eo enim manducantes mortui ſunt, nec ex eius virtute vitam poſſunt recuperare; at panis viuus vitam mundo det: & quamvis diuinum hoc edentes pabulum mortem temporalem aliquando ſortiantur, huius tamen virtute Sacramenti aliquando reſurgent, & nouâ, nobiliori, ac æternâ vitâ donabuntur; vnde à D. Ignatio appellatur *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis*, de quo ſuprà aliquid diximus, & infrà fuſiùs dicemus; manifeſtum eſt, panem viuum Euchariſticum, non tantùm corporis Domini ſignum, ſicut manna exiſtere, ſed ipſum veraciter & realiter continere. Nam cùm Chriſtus dicat: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi; ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum:* euidenter ſequitur, quod ſicut non in ſigno, ſed realiter deſcendit Chriſtus de cælo; niſi eundem Chriſtum realiter & veraciter in Euchariſtia, ſed tantùm in ſigno manducemus, panem viuum qui de cœlo deſcendit, non manducabimus, nec conſequenter vitam aliquam ſpiritualem habebimus: idem enim Saluator ait Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde à primo ad vltimum, vt vera ſint Chriſti verba, & à pane viuo vitam haurire poſſimus, illum corpus verum & phyſicum realiter, tamen ſacramentaliter continere omninò dicendum eſt; omnemque figuram inanem, &

Ex eo, quod Euchariſtia vitam ſpiritalem conferat, conuincitur in ea eſſe verum ac viuum Chriſti corpus.

Manna vicit Euchariſtia, & vitam præbens Chriſtum viuum continet.

Euchariſtiæ virtute mortui reſurgēt. D. Ignat.

Sicut Chriſtus non in ſigno, ſed realiter de cœlo deſcendit; ita corpus ſuum nō in ſigno, ſed realiter dedit hominibus.

ſignum vacuum à Sacramentariis hæreticis ſacro in hoc myſterio falsò excogitata amputare, refellere, immò & anathematizare oportet cum ſacro Coucil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.*8. *Can.* 1. his verbis: *Si quis negauerit in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, & realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodò eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit.*

Conc. Trid.

446. Mirum ſanè videtur, Chriſtianos homines verba Chriſti Domini, quæ ex ſe diſerta & perſpicua ſunt, dum carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ſpondent, figuratè & tropicè intelligere; cùm ipſi, ad quos verba ſua direxit, Iudæi de vera ac reali carnis eius manducatione intellexerint. Quod quidem patet ex illorum mutua altercatione; dum enim Chriſtus Ioan. 6.51. dixit: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita:* ſtatim *ibid.* 53. ſubditur: *Litigabant ergo Iudæi adinuicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ex quibus verbis conſtat, Iudæos à ſe inuicem poſtulaſſe, quomodo carnem ſuam Chriſtus verè & realiter manducandam præbere poſſet. Qui verus, & realis manducationis corporis Chriſti modus maximam in illorum mentibus mouebat difficultatem: quam tamen omninò ſuſtuliſſet figuratiuus & typicus manducandi modus; facilè enim potuiſſent intelligere, panem à Chriſto hominibus oblatum, eſſe typum & figuram corporis ſui; ſicut eorum maiores facilè intellexerant, manna & Agnum paſchalem, eiuſdem corporis ſigna & figuras extare; ipſique Agnum paſchalem manducantes, ſine magno miraculo corporis Domini typum manducabant. Cùm ergo carnis Chriſti realem & veram ore corporis manducationem in verbis Domini propoſitam intellexerint, & ad inuicem litigauerint; nunquid Dominus ingeniorum illorum tempeſtatem ſedauit, dubia reſoluit, & altercationes abſtulit, dicens: *Non carnem meam, ſed carnis meæ typum in cibum præbebo; non ſanguinem meum, ſed vinum ſanguinis mei ſignum, in potum concedam?* Sic enim omnem ambiguitatem abſtuliſſet, omnem dubitandi rationem amouiſſet? Sed longè à figuris agens ipſe totius *legis, quæ tantùm vmbram futurorum habebat bonorum*, vt ait Apoſtolus Hebr. 10. 1. *finis Chriſtus* Dominus, Iudæorum ſententiam de vera & reali manducatione confirmauit diſertiſſimo ac perſpicuo loquendi modo, addito etiam iuramento, vt ipſius verborum veritas à figuris aliena omnibus euidenter conſtaret; ſtatim Iudæis reſpondens, ſic vt habet ſacer textus Ioan. 6.54. *Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die; caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Quo in loco non ſignum, neque typum corporis vel ſanguinis, ſed proprium ac verum corpus ſuum, proprium ac verum ſuum ſanguinem, ſe daturum ſpondet. Cùm autem penè incredibilem menti humanæ, niſi fide diuinâ adiunetur, veritatem inſinuet, aliud miraculum ſtatim adducit, quo diuinam ſuam virtutem, ac potentiam demonſtrat, dum reſurrectionem mortuorum prædicat; ait enim, *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Dum enim ſe ſuſcitaturum eos quibus carnem & ſanguinem ſuum diuina alimenta præbet, in nouiſſimo die aſſerit, Deum ſe manifeſtat, ac potentiam infinitam quâ corpus ſuum ſub elementis Euchariſtiæ, vt ab hominibus manducetur, collocet, ſe habere demonſtrat.

Verba Chriſti diſerta & perſpicua, nullo modo de figura ſeu ſigno corporis, ſed de ipſo corpore tradendo loquuntur.

Iudæi eadem verba de vero & reali Chriſti corpore intellexerunt.

Reſponſio Chriſti præſentiam realem corporis ſui, eiuſque realem manducationem in Euchariſtia firmauit.

Virtute quâ poteſt Chriſtus homines in nouiſſimo die ſuſcitare, poteſt & corpus ſuum verè manducandum præbere.

Verùm omnem figuram euacuans, omnemque typum ab hoc veritatis Sacramento excludens, vt realem ſui corporis in Euchariſtia præſentiam, & realem à Chriſtianis manducationem doceat, ſubdit ibidem 58. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Quæ certè comparatio ſuadet, quod ſicuti Filius ad homines à Patre miſſus, veram, realem, & non figuratam à Patre habet vitam, quam verè, & realiter, & non typicè ad Patrem, propter quem viuit, refert: ita etiam à pari, qui carnem ſuam verè cibum, & ſanguinem ſuum verè & realiter, non autem figuratè potum, verè & realiter etiam ore corporis in Euchariſtia ſumit, veram, realem ac ſpiritualem vitam ab eo accipit, ipſamque ad eum propter quem debet viuere, tenetur referre. Non enim quis poſſet viuere, ſi tantùm vitæ figuram haberet; nec verè cibari, ſi tantùm ciborum ſigna, & typos acciperet. Cùm ergo verè Euchariſtiâ Chriſtianorum viuant animæ, vereque eo ſuſtententur ac nutriantur Sacramento, verum ac reale Chriſti Domini corpus in ea realiter ac ſubſtantialiter exiſtere certum eſt. 447.

Sicut Chriſtus verè & realiter à Patre habet vitam, à quo verè & realiter procedit: ita qui verè & realiter eius carnem in Euchariſtia manducat, habet ab illo vitam.

Hinc acerrimus dignitatis Filij Dei aduersùs Arrianam perfidiam propugnator D. Hilarius *lib.* 8. *de Trin.* omne ſignum, omnemque figuram corporis Domini, ipſum corpus à Sacramento excludentem, ab Euchariſtia arcet, dum inquit: *De veritate carnis & ſanguinis Chriſti non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtrâ caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus.* Quod etiam docuit D. Ambroſ. *lib.*6. *de Sacram. cap.* 1. *tom.* 4. dum inquit: *Sicut verus Dei Filius eſt Dominus Ieſus Chriſtus; ita vera Chriſti caro eſt, quam accipimus; & verus ſanguis eſt eius potus.* Vnde D. Cyrillus in illud Luc. 22. 19. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*, vt refert D. Thom. 3. *p.q.*75. *art.*1. inquit: *Non dubites an hoc verum ſit; ſed potius ſuſcipe verba Saluatoris in fide. Cùm enim ſit veritas, non mentitur.* Non ergo figuram corporis ſui, ſed ipſummet corpus ſuum ſe nobis daturum promiſit Dominus toto illo ſermone, quem de hac re, ſolenni vt ita dicam voce, pronunciauit: ſicque illum audientes intellexerunt non ſolùm Iudæi, ſed etiam eius diſcipuli, qui carnem & ſanguinem eius viſibiliter homines manducaturos exiſtimantes, dixerunt ibidem 61. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* Niſi enim carnem eius viſibiliter dentibus premere ac dilaniare, & ſanguinem eius viſibiliter bibere crediidiſſent, ſed tantùm panem & vinum illorum figuras ſe manducaturos, nullo modo durus hic ſermo apparuiſſet; vel niſi modus, quo panis & vini ſpecies corpus & ſanguinem Domini continere deberent, ſupernaturalis & omninò mirabilis extitiſſet, Redemptor noſter ad hos ſermonem ſuum dirigens murmuratores, 448.

D. Hilar.

SS. Patres docent verũ corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtere.

D. Ambroſ.

D. Cyrill.

Dicentes, durus eſt hic ſermo, carnẽ Chriſti laniando & lacerando mãducandam intelligebãt.

ratores, non attuliſſet myſterium ſuæ Aſcenſionis, virtutem ſuæ diuinitatis, & gratiam fidei, quam Pater cordibus hominum infundit, vt ad Chriſtum veniant, & in ipſum credant. Ait enim Dominus ibid. 62. & ſeq. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt.*

Aſcenſione ſua Euchariſtiæ veritatem firmat Chriſtus.

449. Quibus verbis duo præſtat Dominus. Primò corporis ſui realem præſentiam ſub panis ſpecie in Euchaſtia aſtruit ex eiuſdem corporis ſui ſupra omnes cœlos aſcenſione, quaſi diceret: Mirum quid ac penè incredibile vobis videtur id quod dico vobis, ſcilicet carnem meam verè eſſe cibum, & ſanguinem meum verè eſſe potum, neminemque vitam in ſe habiturum, niſi carnem meam manducauerit, & ſanguinem meum biberit. Ex hoc ſcandalum ſumpſiſtis, ex hoc turbati eſtis: ſed quid non patiemini, ſi hanc carnem, quam vobis manducandam propono, in aëra extolli, cœlos penetrare, & vſque ad Patris dexteram eleuari videritis. Sanè quid mirabilius vobis videbitur; nam mirabilius eſt corpus graue, & terrenum omnia ſupra ſydera attolli, quàm manducari ab hominibus. Sed quia hanc manducationem corporaliter, ad eum modum quo carnem è macello ſumptam manducamus, audientes ex diſcipulis intelligebant, ſecundò mentem ſuam exponit & docet, non viſibiliter illam carnem dilaniandam hominibus ſe præbere, ſed illam inuiſibiliter & ſubſtantialiter ſub ſpecie panis deliteſcentem, hominibus in cibum ſe ſummo amore daturum, dum inquit: *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam.*

Mirabilius eſt corpus Chriſti in cœlum aſcẽdere, quàm in terra mãducari.

450. Vbi etiam duo præſtat Saluator. Primò oſtendit, vitam quam ex manducatione carnis ſuæ promittit hominibus, non ex carne præcisè ſumpta, ſed ex diuinitate, quæ carnem aſſumpſit, deriuari, & huius virtute diuinitatis carnem ſuam totius Eccleſiæ ſuæ alimentum in Euchariſtia ſe largiturum. Secundò docet homines hanc carnem non carnali, ſed ſpirituali modo in diuiniſſimo Sacramento manducaturos; & hoc eſt quod intendit D. Auguſt. dum præfata Chriſti Domini verba exponens *in pſalm.* 98. ipſum Dominum ſic loquentem inducit: *Spiritualiter intelligite, quod loquutus ſum: non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum autem quod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos; caro autem non prodeſt quidquam.* Licèt enim ex his verbis Auguſtini, hæretici errandi occaſionem ſumpſerint, malè verba tanti Doctoris intelligentes; tamen nihil juxta illorum ſententiam affert. Dum enim ait, *non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis*; non intendit excludere veritatem corporis Chriſti, ſed quod non erat manducandum in hac ſpecie, in qua ab eis videbatur: non enim lacerandum, aut dilaniandum ſacrum ſuum dentibus hominum promittebat corpus: per hoc autem quod ſubdit, *Sacramentum quod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos*, non intendit quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſolùm ſecundùm myſticam ſignificationem, ſeu tanquam in figura; ſed ſpiritualiter dici, id eſt *inuiſibiliter*, & per virtutem Spiritus

Vita datur hominibus, non præcisè à carne, ſed à deitate Chriſti.

D. Auguſt.

Caro Chriſti non viſibili & carnali, ſed inuiſibili & ſpirituali modo in Euchariſtia manducatur.

Caro Chriſti inuiſibiliter, & ſpiritualiter abſque laceratione manducatur.

ſancti: quia virtute diuinâ verum, & reale, ac phyſicum corpus Chriſti eſt inuiſibiliter, ac ſubſtantialiter ſub panis ſpecie, veluti latitans in hoc myſterio. Vnde idem D. Auguſtinus mentem ſuam aperit *tract. 27. in Ioan.* exponens illud, *Caro non prodeſt quidquam*; & ait: *Sed quomodò illi intellexerunt; carnem quippe ſic intellexerunt manducandam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur: accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum: nam ſi caro non prodeſſet, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.* Hæc ille.

D. Auguſt.

Multũ prodeſt, quia verbo vnita.

451. Nec ſibi aduerſatur Auguſtinus, dum exponens illud Matth. vltimo, *Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* vt refertur *de conſecr. diſt. 2. cap. 45.* dicit: *Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus.* Quia in illis verbis, & aliis omnibus ſimilibus loquitur ſanctus Doctor de corpore Chriſti ſecundùm quod videtur in propria ſpecie, ſecundùm quod etiam ipſe Dominos dicit Matth. 26. *Me autem non ſemper habebitis*; nam ſic per modum corporis viſibilis Chriſtus non eſt modò nobiſcum, ſed ſurſum eſt in dextera Dei ſedens; ſed inuiſibiliter eſt ac realiter ſub ſpeciebus huius Sacramenti, vbicumque hoc Sacramentum perficitur: vnde poteſt dici, quod corpus Chriſti eſt ſpiritualiter, id eſt inuiſibili modo, ac virtute ſpiritûs in Euchariſtia; vbi quia ſubſtantialiter & indiuiſibiliter continetur, fracto Sacramento non frangitur, diuiſa ſpecie non diuiditur, nec conſumptâ conſumitur. Sed de hoc infrà fuſiùs.

Vſque ad finem ſeculi Chriſtus eſt in cœlo viſibiliter, & in Euchariſtia inuiſibiliter.

452. Verùm duos, quibus præſens hominibus corpus Chriſti fuit, modos, viſibilem ſcilicet, & inuiſibilem nemo Catholicorum negabit. Hi enim ex verbis Domini, qui inter ſe pugnare nequeunt, apertè colliguntur: ille enim qui de præſentia ſua corporali, ſenſibili, ac viſibili loquens dixit, Matth. 26. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*; de inuiſibili ac ſpirituali Matth. 28. dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Hunc enim locum alteri, nempe ei vbi dixit Chriſtus, *me autem non ſemper habebitis*, oppoſuit D. Chryſoſtom. *hom. 60. ad pop. Antioch.* qui *hom. 2. ad pop. Antioch.* duplicem illam Chriſti carnis præſentiam tractans, ſic inquit: *Helias nempe melotem diſcipulo reliquit; Filius autem Dei aſcendens ſuam carnem nobis dimiſit: ſed Helias quidem exutus, Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Hæc ille, vbi oſtendit carnem ſuam viſibilem ſecum detuliſſe, & ad Patris dexteram Chriſtum collocaſſe; eandem verò inuiſibilem in Euchariſtiæ Sacramento nobis reliquiſſe. Sed hanc duplicis præſentiæ corporis Chriſti, viſibilis ſcilicet, & inuiſibilis neceſſitatem ex verbis Domini colligit D. Aoguſt. *tract. 64. in Ioan.* ex illo Ioan. 17. *Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum*; vbi ait: *Ne cui autem videatur abhorrere iſte ſenſus à vero, quo diximus Dominum mortalis carnis communionem, in qua cum diſcipulis vſque ad paſſionem fuit, ſignificare potuiſſe, dicendo Adhuc modicum vobiſcum ſum, apud alium quoque Euangeliſtam, Luc. 24. poſt reſurrectionem verba eius attendat, vbi ait: Hæc loquutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum. Quaſi tunc non erat cum ipſis ſimul aſſiſtentibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus. Quid eſt ergo, Cùm adhuc eſſem vobiſcum? niſi cùm adhuc eſſem*

Quod ex locis Scripturæ ſtabilitur, & exponitur.

D. Chryſoſt.

D. Auguſt.

Cùm adhuc eſſem vobiſcum, id eſt cũ adhuc mortalis viſibiliter apparebam inter vos.

eſſem in carne mortali, in qua eſtis & vos: tunc enim quidem in eadem carne reſuſcitatus erat, ſed cum illis in eadem mortalitate jam non erat. Quapropter ſicut ibi jam immortalitate carnis indutus veraciter ait, Cùm adhuc eſſem vobiſcum, vbi nihil aliud intelligere poſſumus, niſi cùm adhuc eſſem in carnis mortalitate vobiſcum: ita & hic non abſurdè dixiſſe intelligitur, Adhuc modicum vobiſcum ſum. Quo ſanè ſermone Auguſtinus duplicem, eamque corporalem in Chriſto præſentiam, mortali ſcilicet in carne, & in immortali cognoſcit: vnde juxta eundem Auguſtinum, Chryſoſtomum ſuprà adductum, D. Thom. 3. *p.q.75. art.* 1. & omnium Catholicorum conſenſum, præſentia corporis Domini in adorando Euchariſtiæ Sacramento, cùm ſit in carne impaſſibili & immortali, ac conſequenter inuiſibili, vtpote panis ſpecie tecta, & abſcondita, non minùs vera eſt & realis quàm illa, quâ in carne paſſibili cum hominibus conuerſatus eſt; & illa, quâ in carne impaſſibili & immortali, viſibili tamen, ſupra omnia ſydera aſcendit, & introiuit in cœlum, non ſolùm vt ad dexterum Patris in æternum regnaturus ſedeat, ſed vt ait Apoſtolus Hebræor. 9. 24. *appareat*, ideſt Chriſtianorum cauſas perpetuò acturus, patronus zelantiſſimus defendat: & idcò licèt realiter corpus Chryſti cœlos aſcenderit, tamen realiter in Euchariſtia remanſit: & licèt modò ad dexteram Patris ſedeat, etiam in Eccleſiæ altaribus realiter exiſtit, non quòd thronum gloriæ ſuæ derelinquat, vel à dextera Maieſtatis in excelſis abſcedat; ſed per realem, & miraculoſam virtute diuinâ conuerſionem ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam carnis, & ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, verum eius reale corpus reperitur. Non ergo corporis Domini ſignum tantùm, figura, vel typus exiſtit panis Euchariſticus: ſed cùm ſit antonomaſticè *panis viuus*, totum viuum Chriſtum Dominum veraciter, realiter, ſubſtantialiter, quamvis ſpiritualiter, ſeu inuiſibiliter, complectitur.

Chriſtus in cœlo realiter & viſibiliter; & in Euchariſtia realiter, inuiſibiliter ac indiuiſibiliter.

453. Cæterùm quamvis generalem aliorum nouæ Legis Sacramentorum rationem ſortiatur Euchariſtia, ſitque ſignum rei ſacræ, ex hoc ne ſuſpiceris corporis Domini figuram & ſignum tantùm exiſtere; immò cùm Sacramenta nouæ Legis efficiant quod figurant, ſanctiſſima corpus Domini, quod ſignificat, realiter continet Euchariſtia. Nam vt docet D. Thomas *opuſc.* 58. *cap.* 4. ſignum poſitiuum duplex eſt, aliud Dei, aliud hominis. Huius eſt artificiale, illius eſt ſacramentale; vtrumque rem ſignificatam repræſentat. Ratio enim ſigni eſt rem ita eſſe vt ſignum. Sicuti igitur duplex eſt ſignum in humanis, aliud quod rem ſignificat, & non continet, vt hædera appenſa, quæ vinum venale indicat, & non tenet: aliud quod continet id quod ſignificat, vt nubes denſa & ſubobſcura, quæ pluuiam quam continet ſignificat; & paſtillum quod carnes abſcondit & ſignificat: ita etiam ſignum poſitiuum Dei, quod ex ipſa diuina inſtitutione eſt in Sacramentis, duplex eſt; aliud non continet quod ſignificat, vt Sacramenta veteris Legis, quæ non efficiunt quod figurant, ſicut Agnus paſchalis, & ſimilia; aliud continet quod ſignificat, vt nouæ Legis Sacramenta, inter quæ præcipuum locum obtinet Euchariſtia, quæ juxta Domini inſtitutionem ſignificat rem ſacram, ſcilicet corpus Chriſti, & realiter continet illud; & ideo Chriſtus accipiens panem, & gratias agens, ac diſcipulis porrigens, ait Matth. 26. 26. *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum.* Sicque in hoc myſterio ſignum manſit foris, ſcilicet ſpecies panis, & intus eſt corpus Saluatoris. Vnde *Eccl.* 3. dicitur, *Innoua ſigna, & immuta mirabilia.* Quaſi diceret, quia vetera ſigna non continebant gratiam quam figurabant, fac noua quæ contineant quæ figurant. Vnde Auguſtinus, vt refert D. Thom. *loc. cit.* ait, quod *Sacramenta dicuntur quaſi ſacra rei ſigna*; quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem: in ſpecie enim panis & vini quam videmus, res inuiſibiles, carnem ſcilicet Chriſti, & ſanguinem honoramus.

D. Thom. Signum duplex, vacuum & plenum.

Euchariſtia eſt ſignum plenum.

August.

Signum igitur ſacra poteſt dici Euchariſtia, ſed plenum, ſed ipſam rem ſignificatam complectens. Nec nouum in noua Lege, vel ſingulare à nobis excogitatum ſignum, venerabile hoc Sacramentum exiſtimes: alia ſunt quæ literis Euangelicis ſigna plena commendantur. Signum plenum columba illa quæ ſupra Chriſtum in Iordane baptizatum deſcendit, ſine dubio extitit: nam Spiritum ſanctum & ſignificabat, & continebat, vt dicitur Luc. 3. 21. 22. *Et Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum.* Illæque quæ Apoſtolis tanquam ignis apparuerunt diſpertitæ linguæ, diuinum Paraclerum non ſolùm adeſſe monſtrabant, ſed complectebantur, quod ipſe ſacer teſtatur Textus *Act.* 2. Nulli ergo mirum videatur, corporis Domini Euchariſtiam, tanquam verum Sacramentum, ſignum eſſe, ipſumque corpus ſpecierum panis ambitu realiter concludi, conuerſione mirabili ſubſtantiæ panis in illius ſacri corporis ſubſtantiam. 454.

Euchariſtia corpus Chriſti ſignificat & complectitur.

Columba Spiritum S. ſignabat, & continebat.

Linguæ igneæ ſignabant & continebant Spiritum ſanctum.

Vnde dum inſignis ille Græcorum Eccleſiæ Theologos D. Gregor. Nazianz. *orat.* 1. Sacramentum hoc, *magnorum myſteriorum antitypum appellat*, ideſt corporis & ſanguinis Domini expreſſam repræſentationem; de imagine, ſeu repræſentatione indiſtincta à re repræſentata debet intelligi, vt ibidem notat Elias Cretenſis eiuſdem Greg. commentator; ſicque potius *iſotypus*, quàm *antitypus* magnorum debet credi myſteriorum, quæ verè & realiter non ſolùm ſignificat, ſed concludit. Sunt enim quædam imagines ita æquales ac ſimiles ipſis quas exprimunt rebus, vt eas realiter amplectantur: quo pacto Apoſtolus æternam ac infinitam Filij Dei dignitatem deſcribens, Hebr. 1. 3. illum *ſplendorem gloriæ*, ac *figuram ſubſtantiæ Patris* meritò nominauit: cùm tamen Apoſtolus Filium non Patre minorem, nec ab eius ſubſtantia ſegregatum, ſed in omnibus, & per omnia ipſi ſimilem, ac coæqualem, eiuſdemque ſubſtantiæ dicere intendat. Illum enim omnino ſupra Angelos, cæteraſque creaturas extollit; ipſumque de ſubſtantia Patris ab æterno genitum ibidem prædicat, dum inquit: *Cui enim aliquando dixit Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et *ad Phil.* 2. Chriſtum per omnia Patri coæqualem dicit, dum de eo ait: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Cùm ergo Chriſtus æternus Dei Filius, figura ſit ſubſtantiæ Patris, quam ab æterno & poſſidet, & repræſentat; Euchariſtia poteſt hoc modo dici figura, & imago corporis Chriſti, quia illud & exprimit, & realiter concludit: ſic in iis quæ à nobis ſenſibus 455.

D. Greg. Naz.

Filius Dei figura Patris eſt indiſtincta in eſſentia, eandem cum Patre habens.

percipiun

Euchariſtia corporis Chriſti imago, illud verè continet.

percipiuntur, imago eſt & figura corporis Domini, quod intus exiſtens, non ſenſu, ſed intellectu à nobis ibidē eſſe concipitur, quia fide tantùm myſterium hoc intelligimus, quamvis & corpus Domini, & ſpecies panis, & rem ſignificatam per Sacramentum, & ipſum Sacramentum ſignificans, quæ inſeparabilia ſunt, realiter, quamdiu ſpecies in eſſe diuinâ virtute conſeruantur, ore corporis ſumamus, deguſtemus, manducemus. Non ergo inani figurâ, vmbrâ vacuâ, & ſigno rem ſignificatam non includente Eccleſiam nutrit Dominus; ſic enim Iudæi, quibus omnia in figura contingebant, manna corpus Domini præſignans manducantes, vel æquales, vel ſuperiores Chriſtianis eſſent: ſed pane viuo & vero, nempe corpore & ſanguine ſuo realiter ac veraciter, verus Filius Dei, Redemptor amantiſſimus Chriſtianos ſuſtentat & nutrit.

§. II.

Euchariſtia panis viuus, vinum Chriſti Domini corpus ſine vllo alio pane complectitur. Vbi Lutheri error Chriſtum in Euchariſtia impanatum aſſerentis, confutatur.

456. CHriſtum Dominum, panem viuum ac vitalem, ab omni terreno pane diſcretum, ſacra Militanti Eccleſiæ præbet ac exhibet Euchariſtia. Quomodo enim adorandum Redemptoris corpus veraciter, ſpiritualiter tamen, indiuiſibiliter, ac ſubſtantiæ modo in Sacramento concluſum, eum terreni panis ſubſtantia maneret? An viuum Dei hominis corpus mortuo pani coniungitur? Nequaquam. Solum eſt ſolius incarnati Solis venerandum corpus in Sacramentorum jubare; ſolùmque panis ſubſtantiæ ſedem occupat immortalis ſeculorum Regis carnale pignus; nec enim in throno alius aſſidet præter Regem: cedunt ſubditi, ſurgunt infimi, etiam primates recedunt, cunctique ſolium dum intuentur, admirantur: nullus Principis locum tenere, aut cum Principe in ſolio ſeſe audet collocare. Quid ergo? An magis audebit panis, quàm homines? Immò magis quàm ipſi, inſenſata hæc ſubditur creatura. Authoris ſui vocem agnoſcit, votis obtemperat, voluntati paret, nec priùs omnipotens Redemptoris ſermo profertur, quin ſtatim in pane adimpleatur. Illum accepit Dominus, ac præ manibus geſtans, ingens patraturus miraculum, inquit: *Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum.* Mirum dictu: re ipſa factum eſt, quod omnipotenti verbo deptomptum eſt; nec ampliùs in manibus Domini panis fuit, ſed proprium eius ac venerabile corpus.

Nulla panis ſubſtantia, ſed ſola corporis & ſanguinis Chriſti, in Euchariſtia exiſtit.

Sicut ſolus Rex in throno ſedet.

457. Ceſſit ergo locum panis Chriſto conditori, non recedendo, ſed obſequendo; non corruptâ, aut annihilatâ illius ſubſtantiâ, ſed in corpus Domini mirabiliter tranſmutatâ. Vt enim eleganter loquitur Euſebius Emiſſenus, ſeu quiſque author eſt homiliarum quæ eius nomine circumferuntur, ſiue ille ſit, vel Fauſtus ex Abbate Lirinenſi Rhegienſis Epiſcopus; vel Cæſarius Arelatenſis, vt putat Bellarminus *lib.* 2. *de Euchar. capite* 31. ſiue Eucherius Lugdunennenſis, vt alij exiſtimant, hom. 5. de Paſchate, *R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.* *Inuiſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo, ſecretâ poteſtate conuertit.*

Panis ceſſit Chriſto, dum in ſubſtantiā corporis ſui verſus eſt.

Euſeb. Em.

Sanè vt in verbis Domini veritas eluceſceret, panem in corpus eius ſubſtantialiter tranſmutari, & vinum in ſanguinem conuerti neceſſum fuit. Cùm enim dixerit, *hoc eſt corpus meum*, dum panem diſcipulis porrigebat, verus ſermo eſſe non poſſet, ſi panis ſubſtantia remaneret; nunquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti: vnde potiùs dicendum fuiſſet, *hic eſt corpus meum.* Oportuit igitur panem in corpus Domini ſobitâ mutatione conuerti, vt verum pronunciaret, dum id quod diſcipulis manducandum obtulit, corpus ſuum declarauit. Alio etenim, quàm conuerſione panis in ſeipſum, modo nequit in hoc Sacramento exiſtere Saluatoris corpus: nam cùm hoc in myſterio non incipiat eſſe per motum localem; tum quia quod mouetur localiter, ad aliquem locum de nouo non venit, niſi priorem deſerat; Chriſti autem venerabile corpus cœlum non deſerit, vbi ad Patris dexteram ſedet: tum quia corpus localiter motum pertranſit omnia media, quod in hoc caſu dici nequit: tum denique quia impoſſibile eſt, quod vnus motus eiuſdem corporis localiter moti terminetur ſimul ad diuerſa loca; cùm tamen in pluribus locis corpus Chriſti ſub hoc Sacramento ſimul eſſe incipiat: ideo per ſolam panis in corpus Domini conuerſionem, de nouo ibidem exiſtere firmiter tenendum eſt, ſicut docuit Angelicus Præceptor 3.*p.* *q.*75. *art.*2. 458.

Verba Domini falſa eſſent, ſi panis in Euchariſtia remaneret.

D.Thom.

Nec aliquem moueant externæ & panis & vini ſpecies, etiam peractâ conſecratione hoc in myſterio ſenſibus noſtris apparentes: hæ quippe tranſmutatâ ſubſtantiâ, integræ manent, vt ſicut cætera Eccleſiæ Sacramenta rebus viſibilibus ac inuiſibilibus conſtant, ita & diuinum hoc ſignis viſibilibus ſpecierum, ac inuiſibili Domini corpore, Sacramentum conſtituatur. Aliæ ſunt, eæque ſingulares huius rei rationes. Cùm enim per modum cibi & potus ad animarum noſtrarum vegetationem à Chriſto Domino inſtituta ſit Euchariſtia; neque hominibus aſſuetum ſit, immò inſuetum & horribile, carnem hominis comedere, aut ſanguinem potare; ideo caro & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, quæ frequentiùs in vſum hominis veniunt, nobis ſumenda conuenientiſſimè proponuntur, ſimolque Fidei noſtræ magna merendi occaſio tribuitur, dum ſub ſpeciebus panis, & vini corpus & ſanguis Domini adoranda ac ſumenda exhibentur. Adde quod tegenda erat ſacra Domini caro, & ſpeciebus panis & vini veluti inuolucris obuolvenda, ne pretium noſtrum omnibus etiam infidelibus pateret, indeque Sacramentum irridendi anſam ſumerent, ſi ſub ſpecie propria Dominum manducaremus. Quæ manent igitur accidentia panis & vini ſunt, quæ ſicut ſenſuum noſtrorum obiecta ſunt, ita etiam à ſenſibus apprehenduntur: at ſubſtantia illorum quæ intellectus obiectum eſt, ampliùs ibi non eſt, cùm ſit in corpus & ſanguinem tranſmutata, ſicque intellectu Fidei lumine illuſtrato attingitur. Vnde D. Auguſtinus, vt refertur *diſt.* 2. *de conſecr. can. Nos autem*, & à D. Thom. *loc. cit.* art. 5. *Nos*, inquit, *in ſpecie panis & vini, quam videmus,* 459.

Cur ſpecies panis & vini remanent in Euchariſtia.

D. Th. 3. p. q. 75. art. 5.

D. Auguſt.

res inuiſibiles, ideſt carnem & ſanguinem, honoramus.

460. Solùm ergo Chriſti Domini corpus abſque vllo pane, ſacra complectitur Euchariſtia, omni ſubſtantiâ panis in carnem, & ſubſtantiâ vini in ſanguinem mirabiliter conuerſâ: quæ vera ac realis mutatio, à Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. anno Domini 1215. *Tranſubſtantiatio* appellata eſt. Verùm licèt vox hæc noua à nouantibus vociretur, antiqua eſt, & fidem antiquiſſimam interpretatur & exponit. Sancti enim Eccleſiæ Doctores antiquiſſimi, illam quam ab Apoſtolis acceperant litteris mandantes fidem, conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem tradiderunt. Illos omnes hic recenſere longum eſſet, verùm quoſdam, eoſque & antiquiores & illuſtriores adducam, vt Lutheri error aſſerentis *lib. de captiuit. Babylon. cap. 1.* tranſubſtantiationem eſſe inuentum Sancti Thomæ, & opinionem Thomiſtarum, eamque fuiſſe approbatam à Papa *in cap. Firmiter*, meliùs pateat, ac patefactus explodatur. Quomodo enim illud verum eſt; cùm caput *Firmiter*, editum ſit in Concilio Lateranenſi anno 1215. & D. Thomas natus ſit anno 1224. nouem decurſis annis ab eiuſdem Concilij celebratione.

Conuerſio panis in corpus, & vini in ſanguinē Chriſti. Trāſubſtantiatio dicitur.

Non potuit D. Thomas eſſe author Tranſubſtātiationis.

461. Primus igitur qui hanc mirabilem conuerſionem, ſeu Tranſubſtantiationem verbis diſertis deſcribens à nobis hìc adducetur, inſignis ille eſt Author ſermonis de cœna Domini, qui ſancti Cypriani nomine, inter eius opera circumfertur; hic enim eruditiſſimus quidam fuit Presbyter Carthaginenſis, Cypriano ſynchronos ac familiaris, qui opus illud Cornelio Romano Pontifici inſcripſit, & tertio ſeculo floruit; nam S. Cyprianus martyrium paſſus eſt anno Domini 259. ſub Valeriano & Gallieno Principibus. Hic igitur *ſerm. de cœna*, inquit: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas apparebat, & latebat diuinitas: ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia.* Quibus verbis tota corruit Lutheranorum omnium ac Paniſtarum de Euchariſtia ſententia, omniumque realem corporis Domini in Euchariſtia præſentiam, ac tranſubſtantiationem negantium ora clauduntur.

Patres qui Tranſubſtātiationem, ſeu mirabilē illam conuerſionem docuerunt.

S. Cyprian. vel Author, ſerm. de cœna.

462. Secundus eiuſdem tranſmutationis, ſeu tranſubſtantiationis propugnator, qui illam expreſſè docuit, Cyrillus eſt Hieroſolymitanus, qui tertio ſeculo etiam vixit, & cuius laus eſt in ſecunda Synodo Generali. Hic catecheſi 4. myſtagogica, ſic fatur: *Chriſtus aquam aliquando tranſmutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſolà voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutauit? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis.* Eandem veritatem apertè docuit S. Gregorius Nyſſenus Baſilij Magni frater; nam *orat. catechet. capite 37.* inquit: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei verbi corpus credo tranſmutari.* Et paulò poſt: *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.* Nec diſſenit apud Græcos Theologiæ reſtaurator D. Ioannes Damaſcenus, dum *lib. 4. fid. cap. 14.* ait: *Panis, vinumque, & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti.* Quod etiam tradit Theophilactus Bulgaron. Epiſcopus *in cap. 6. Ioan.* dicens: *Transformatur arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem ſancti Spiritus, in carnem Domini.*

Cyril. Hieroſol.

D. Damaſc.

Demum in hac ſententia panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti docente conuerſionem, ſeu tranſubſtantiationem, ſtat S. Ambroſius in libris de Sacramentis, qui verè illius ſunt, quidquid inclament Nouatores: cùm enim liber de his qui initiantur, germana Ambroſij proles exiſtat, qui ipſi ſtatim ſubnectuntur, ac in modo loquendi, ſtylo, ac ſententiis nequaquam diſcrepant, illius erunt. In libro igitur 4. de Sacram. *cap. 4.* ſic fatur Ambroſ. *Tu fortè dicis, Meus panis eſt vſitatus: ſed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum; vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Idem inſtitutum proſequitur *cap. 5.* & *lib. de myſteriis initiandis, cap. 9.* multis exemplis hanc ſtatuit veritatem, & ſic concludit: *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas.* Quæ ſanè apertè indicant fidem *tranſubſtantiationis* perpetuam fuiſſe in Eccleſia, cùm à Patribus Apoſtolorum temporibus vicinis firmiter credita ſit, & propugnata. 463.

S. Ambroſ.

De pane fit caro Chriſti.

Nec ſolùm conuerſionis, ſeu tranſubſtantionis doctrina, verùm etiam nomen antiquum eſt in Eccleſia. Etenim præterquàm quod à Patribus jam à nobis citatis æquiualenter vſurpatum eſt, dum conuerſionis, tranſmutationis, & tranſelementationis vocibus vſi ſunt; Stephanus Epiſcopus Auguſtodunenſis, ſeu Heduenſis, vir notæ ſanctitatis & probatæ doctrinæ, qui duodecimo ſeculo floruit, factus quippe eſt Epiſcopus anno 1113. & ſolenni Philippi, Ludouici Craſſi Galliarum Regis filij inaugurationi adfuit anno 1129. ac poſtea abdicato Epiſcopatu, Cluniacum ſe recipiens, ibi monachum egit, ac tandem feliciter in Domino obdormiuit, vt teſtatur S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis *lib. 5. ep. 6.* hic inquam, vt videre eſt *tom. 12. Bibliotheca Patrum, capite 13.* nomen tranſubſtantiationis integro ante Lateranenſe Concilium ſeculo vſurpauit. *Petimus*, inquit, *à Deo in ſacrificio, vt alimentum hominum fiat alimentum Angelorum; ideſt, vt panis & vinum quæ offeruntur, in corpus & ſanguinem Chriſti* TRANSVBSTANTIENTVR. *O inſigne miraculum! ô ſacramentum mirabile ac diuinum! &c.* 464.

Stephanus Epiſcopus Heduēſis, an. 1113 nomine Tranſubſtātiationis vſus eſt.

Audiant hæc Nouatores; aures præbeant Lutherus, omneſque illius aſſeclæ; & agnoſcant ſe ſpiritu erroris agitatos, dum in admirabili hoc Sacramento panem cum Chriſti corpore fingunt. Sanè optauerat Lutherus vt aliquis illi perſuaderet, nihil eſſe in Euchariſtia præter panem & vinum. Verùm Chriſti Domini verbis, *hoc eſt corpus meum*, adeo conuictus eſt, vt illud corpus in hoc Sacramento negare non auſus fuerit, vt ipſe teſtatur epiſtola ad Argentinenſes. Audiat igitur quos adduximus Eccleſiæ Doctores, Chriſtianæ Fidei defenſores: diſcat ab eis nihil panis, aut vini peractâ conſecratione remanere; ſed vtrumque diuinâ, inuiſibili ac ſecretâ poteſtate in corpus & ſanguinem tranſmutari. Audiat, inquam, & credat, & ſuam de impanatione corporis Domini ſententiam reuocet, damnet, retractet. 465.

Lutherus Chriſti ſermone conuictus, corpus eius verè & realiter in Euchariſtia credidit.

Nec

466. Nec contra catholicam veritatem Scripturarum tela detorqueant tranſubſtantiationis aduerſarij; illis enim confodiuntur & jugulantur: dum enim vel Chriſtus Dominus, vel eius Apoſtolus Paulus 1. *Cor.*55. Euchariſtiam *panem* appellant, non propterea volunt ſubſtantiam panis hoc in myſterio remanere ſimul cum ſacro Chriſti corpore: ſed juxta morem Scripturæ rei conuerſæ ac tranſmutatæ tribuentis nomen eius quod prius fuerat, ex pane conflato Sacramento panis nomen concedunt. Quo pacto ex coſta Adam formata & ædificata prima omnium mulier, licèt formoſa admodùm puella oculis Adami multùm grata videretur, tamen ab eo *os ex eius oſſibus, & caro de carne eius* appellata eſt, *Gen.*2.23. Ille etiam omnium hominum primus parens, quem Deus formauit de limo terræ, licèt præſtantiſſimæ eſſet formæ, ab ipſo Deo *puluis* vocatus eſt, *Gen.* 3. 19. non quòd puluis eſſet, ſed quòd ex puluere factus fuiſſet. Item *Exod.*7. ſerpens ex virga Aaron in ipſum conuerſa formatus, *virga* nominatur, dum dicitur: *Virga Aaron deuorauit virgas eorum.* Et *Matth.* 11. à cæcitate, ſurditate, & claudicatione, Chriſti virtute ſanatos, cæcos, ſurdos & claudos Chriſtus appellat. *Cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant*: & *Ioan.*2. vinum ex aqua formatum, aqua nuncupatur. Panis igitur dicitur Euchariſtia, non quòd panis ſit, ſed quia ex pane formata eſt, vt inquit D. Ambroſius vbi ſuprà: *De pane fit caro Chriſti.*

Euchariſtia panis dicitur quia ex pane facta eſt.

Sicut Eua ex oſſe formata os dicitur.

Et Adamus ex puluere puluis vocatur.

Serpens è virga factus virga dicitur: & cæci, licet illuminati, cæci dicũtur: panis etiam dicitur propter externã ſpeciem.

467. Deinde quia hoc in Sacramento accidentia panis & vini remanent, eorumque externa non variatur ſimilitudo, propter viſibilem ac ſenſibilem imaginem, panis & vinum appellatur, ad illum planè modum, quo *Gen.* 18. & *Act.* 1. Angeli propter humanam ſpeciem quam exteriùs habebant, homines appellantur: & Eliſæus Angelum humanâ formâ ſibi conſpicuum aſpiciens, ait lib.4. Reg. *Vidi hominem.*

468. Denique, quia nomine panis, omnis cibus, quicunque ille ſit, à Scriptura exprimitur, vt patet *Matth.*15. & *Luc.* 14. ideo ſacra, quæ cibus totius eſt Eccleſiæ, Euchariſtia, juxta illud Chriſti Domini Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*, panis appellatur: vt autem innuatur non eſſe panem communem, ſed tranſmutatum in corpus Domini, nuſquam dicitur quod Euchariſtia ſit panis, etſi interdum panis appelletur; imò nec panis nomine inſignitur, niſi cum addito. Nam vocatur *panis viuus, panis de cœlo deſcendens, hic panis, panis quem frangimus.* Vnde nihil ſubſtantiæ panis hoc in myſterio remanet, ſed tota in corpus Saluatoris tranſmutatur. Quapropter S. Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 4. *myſtag.* ad rem præſentem inquit: *Ne conſideres tanquam nudum panem & nudum vinum; corpus enim eſt, & ſanguis Chriſti, ſecundùm ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem judices.* Et infrà ſubdit: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti; & vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem Chriſti eſſe.* Hæc ille, vbi planè Lutheranorum veſaniam multis antequàm exoriretur ſeculis profligauit.

Nomine panis omnis cibus, etiam caro, vocatur.

Panis qui in Euchariſtia videtur à nobis, non eſt panis, ſed corpus Chriſti.

469. Verùm quibuſdam ſanctorum Patrum teſtimoniis catholicam fidem de tranſubſtantiatione oppugnare conantur. In primis Gelaſij Papæ verba adducunt excerpta ex libro de duabus naturis, vbi Euchariſtiam cum Incarnatione conferens, ſic fatur: *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti diuinum eſt; & tamen non deſinit eſſe ſubſtantia panis & vini.* Inſuper D. Ioan. Chryſoſt. *epiſt. ad Cæſarium monachum*, docet poſt *conſecrationem liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione Dominici corporis, etiamſi natura panis in ipſo permaneat.*

Gelaſius & Chryſoſtomus.

Refelluntur tamen dupliciter hæc teſtimonia. 470.
Primò quia Gelaſius Summus Pontifex, & Chryſoſtomus falsò citantur, liber enim ille de duabus naturis non fuit editus à Gelaſio Pontifice, vt rectè oſtendit Melchior Canus *lib.*6. *de locis theolog. cap. vlt. ad* 9. ſed ab alio Gelaſio Cæſareenſi Græco; quod patet. Tum quia Gelaſius iſte in illo libro laudat Euſebium Cæſareenſem, cuius tamen libros penè omnes Gelaſius Romanus Pontifex damnauit. Tum quia in catalogo librorum Gelaſij Romani liber ille de duabus naturis à nemine commemoratur. Similiter epiſtola citata ad Cæſarium Monachum, a D. Chryſoſtomo ſcripta non fuit; non enim inter eius opera inuenitur, vt notauit Turrianus *lib.*1. *de Euchar.cap.*18.

Explicantur in fauorem Euchariſtiæ.

Secundò, dato quod liber ille eſſet Gelaſij Papæ, ideo dicit ſubſtantiam panis non deſinere, vel quia remanent accidentia vices ſubſtantiæ ita gerentia, vt ſine ſubiecto exiſtant, & ea quæ ſubſtantia ipſa præſtat efficiant; vel quia ſubſtantia panis non annihilatur, quod illo termino, *deſinere*, ſignificari videtur; ſed in nobiliorem ſubſtantiam, nimirum corporis Chriſti, tranſit. Quæ expoſitio eo faciliùs debet admitti, quòd Gelaſius ibidem indicat fieri tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, dum dicit: *Panem & vinum in diuina tranſire.* Eodem planè modo etiam exponenda ſunt verba D. Chryſoſtomi, præſertim cum ipſe pluribus in locis *tranſubſtantiationem* tradat, vt videre eſt hom. 60. ad pop. Ant. *hom.* 83. *in Matth. hom.* 24. *in* 1. *ad Cor. hom.*3. *in ep. ad Eph. hom.*51. *in Matth.* & alibi. 471.

Subſtantia panis non annihilatur, ſed tranſit in corpus Chriſti.

Ad alia inſuper recurrunt teſtimonia Lutherani, vt panem cum Chriſti corpore in Euchariſtia aſtruant. Illud enim, inquiunt, D. Ioan. Damaſcenus docuit, dum *lib.*4. *fid. orth. cap.* 14. ait, *Chriſtum cum pane & vino coniunxiſſe ſuam diuinitatem.* Quod etiam apertè profitetur Theodoretus Cyri Epiſcopus, dum *dial.* 2. ſic loquitur: *Signa myſtica poſt ſanctificationem à natura propria non recedunt; manent ſiquidem in priore ſubſtantia, figura & forma.* Sed facillimè enodantur; nam dum Damaſcenus ait, *Chriſtum cum pane, & vino coniunxiſſe ſuam diuinitatem*, hoc debet intelligi de pane & vino remanentibus quoad ſpecies, vt ſequentia eius verba apertè indicant; ſic enim proſequitur: *Corpus coniunctum eſt ſecundùm veritatem diuinitati, quod ex ſancta Virgine corpus eſt; non quòd ipſum corpus aſſumptum à cœlo deſcendat, ſed quòd ipſe panis & vinum tranſmutetur in corpus & ſanguinem Dei.* Ad verba autem ex Theodereto deprompta reſpondemus, non legenda eſſe vt allata ſunt, ſed vt notauit eruditiſſimus Iacobus Dauid, Cardinalis Perronius, ſic diſponenda ſunt: *Signa myſtica poſt ſanctificationem manent in prioris ſubſtantiæ & figura & forma*; & hoc modo ſenſus planus eſt, ſignificatur enim quod eadem accidentia quæ in priori ſubſtantia panis & vini erant, poſt vtriuſque 472.

D. Damaſc. Theodoretus deprauatus.

Quomodo legendus.

conuerſionem remaneant vt priùs immutata, & à natura ſua non recedant, ideſt à virtute naturali quam habent afficiendi ſenſum, vel nutriendi, &c.

473. Vel ſecundò ſi legantur vt allata ſunt, reſpondemus per *ſubſtantiam* eo loco non intelligi eam, quæ dat eſſe ſubſtantiale, & conſtituit prædicamentum ſubſtantiæ, atque accidentibus opponitur; ſed ſolùm ſignificari eſſentiam, quæ ipſis accidentibus tribuitur, & à Græcis ὐσία appellatur. Vnde Theodoretus intendit tantùm poſt ſanctificationem ſeu conſecrationem, manere eandem eſſentiam accidentium, ſeu ſymbolorum, cum eiſdem proprietatibus naturalibus ac antea: quod patet ex verbis quæ ſubiungit; ait enim, *& videri, & tangi poſſunt ſicut priùs.* Vt autem pateat Theodoretum nuſquam ſenſiſſe, panem & vinum ſubſtantialiter remanere in Euchariſtia, ſed vtrumque in Chriſti corpus & ſanguinem tranſubſtantiari, ait ibidem: *Intelliguntur autem ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſint quæ creduntur.* Quæ verba manifeſtè indicant panem & vinum fieri corpus & ſanguinem Chriſti, cùm adorentur & ſint illa quæ creduntur.

Subſtantia interdum eſſentiam ſignificat accidentium.

474. *Conc. Trid.* Ex quibus omnibus liquet, quàm juſtè, quàm veraciter dixerit ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. ex veritate verborum Chriſti Domini, Eccleſiam ſemper panis in corpus, & vini in ſanguinem mutationem credidiſſe. Sic enim ait: *Quoniam Chriſtus redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc hæc ſancta Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini conuerſionem fieri totius panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius.*

Eccleſia ſemper credidit conuerſionẽ panis in corpus Chriſti.

Sectio III.

Chriſtiani, quibus in Apoſtolorum perſonis corpus ſuum tradidit Chriſtus, meritò fratres appellantur.

475. NOn abs re corpus ſuum tanquam panem viuum ac vitalem Apoſtolis ſuis dum tradidit Dominus, turbæ fratrum duodenæ dediſſe, ſanctus Thomas literis commendauit in Sequentia quam modò exponimus; voluit enim Doctor Angelicus, ſimul immenſum Saluatoris amorem erga diſcipulos, & mutuam ad inuicem diſcipulorum charitatem explanare. Cùm enim ſummo amoris affectu homines, quibus corpus dedit in pabulum, Chriſtus dilexerit; quod & Ioannes expreſſit, dum illos *in finem dilexiſſe* tradit *Ioan.* 13. 1. nullus adorandum hoc debet guſtare myſterium, niſi ardenti erga Deum, ac proximum amoris ardore deflageret. Sicuti ergo Redemptor amantiſſimus corpore & ſanguine proprio homines ſuſtentans, optimus illorum nedum paſtor extitit, ſed parens, ac nutritius: ita homines diuinæ huius menſæ participes, non tantùm Dei filij ſumma erga Deum charitate, ſed etiam ad inuicem fratres, mutuâ concordiâ eſſe debent.

Chriſtus in Euchariſtia paſtor, & parens Chriſtianorum; vnde Apoſtoli filij Dei, & ad inuicem fratres.

476. Iure igitur, dum Apoſtolis, & in illorum perſonis, omnibus in æuum futuris Chriſtianis ſacra myſteria donauit Dominus, fratribus dediſſe dicitur, quia tunc illos non ſolùm amoris ſui fœdere, ſed etiam corporis ſui pignore, cœleſti veluti glutino conſociauit. Ardeant ergo, ac diuino igne deflagrent ad inuicem Chriſtiani, vt dignè carnibus Saluatoris enutriti, eius diuinitate ſaginentur.

Verùm vt ſimul fratrum nomenclatura, quâ Chriſtiani inſigniti decorantur; & charitas, quâ concordes hoc Sacramento fœderantur, attentiùs perpendatur, altiùs res ſumenda eſt. Vnde fratrum nomen Apoſtolis ac Chriſtianis omnibus, triplici ex capite optimè quadrare ac conuenire dicendum eſt. 477.

Sicuti igitur inter homines illi fratres cenſentur, qui ex eiſdem parentibus nati ſunt, qui eodem lacte nutriuntur, & qui eandem poſſident hæreditatem; ita & Chriſtiani omnes modo quodam ſpirituali fratres nominantur ex hoc triplici capite: nam ex eiſdem parentibus in lucem editi ſunt, ex eodem lacte nutriuntur, ac tandem eadem hæreditate donabuntur. Singula maioris charitatis gratiâ ſigillatim expendemus. 478.

Chriſtiani fratres, quia ex eiſdẽ parentibus nati, eodem lacte nutriti, & eiuſdẽ hæredes hæreditatis.

§. I.

Chriſtiani verè fratres ſunt, vtpote ex eiſdem parentibus nati.

QVos iidem genuere parentes, vnuſque inter mortales ac carnales homines effudit vterus, hos fratres eſſe nemo non nouit. Chriſtiani igitur fratrum nomine meritò gloriantur, cùm ex eodem ſtipite deriuentur, eoſdemque agnoſcentes progenitores, ab vno parente geniti, ab eadem matre in lucem editi, vitam ſpiritualem eodem modo ſint aſſequuti. 479.

Diuina ſanè horum natiuitas, quia illorum diuina conceptio, diuinique parentes. Quos enim ſemel Deus vt author naturæ è limo terræ ad imaginem ſuam efformauit, hos vt naturæ reſtaurator nobiliori charactere inſignitos ſpiritualiter reformauit, ac proprio ſanguine diuino veluti ſemine, filios conſecrauit. Quamuis autem toti Trinitati communis ſit Chriſtianorum natiuitas, illaque quam jubente Domino *Matth.* 6. 9. noſtris precationibus pronunciamus vox, *Pater noſter qui es in cœlis*, ad omnes & ſingulas ſanctiſſimæ Triados perſonas dirigatur: ſpeciali tamen modo, qui mortalitatis noſtræ habitu indutus vt homo inter homines inuentus eſt, vnigenitus Dei Filius, ſicut ſuâ morte redemit, ita & ſuo ſanguine Chriſtianos generauit. Hic ille eſt *pater futuri ſeculi*, ab Iſaia *cap.* 9. prænunciatus, qui animam ſuam pro multis poſuit, ac in tantæ præmium charitatis filiorum infinitam multitudinem, ac inenarrabilem habet generationem. Hic ille vtriuſque parentis perſonam gerens, & pater, & mater extat Chriſtianorum. Pater eſt diuinitate; mater eſt humanitate. Pater eſt ineffabili ac omnipotenti virtute è peccatorum tenebris homines eruens, illoſque in admirabili Fidei lumine voluntariè generans verbo veritatis: mater eſt ſummâ benignitate illos parturiens vulneribus humanitatis. Sanguine pretioſo quos creauerat recreauit; eodemque ſanguine fouet, quos recreauit. Deum creaturarum eſſe patrem & matrem priſci docuerunt Philoſophi, illumque μητροπάτρα, & πατρομήτορα, hoc eſt *matripatrem*, & *patrimatrem* appellauerunt, vt Orphæus in hymnis, & Valerianus Soranus, vt notauit D. Auguſt. *lib.* 7. *de ciuit. cap.* 9. Hoc titulo Chriſtum Dominum exornent Chriſtiani; & à 480.

Tota Trinitas Chriſtianorum parens.

Sed ſpecialiter Chriſtus illos genuit.

Patris, matriſve perſonam gerens.

Deus patrimater, & matripater.

D. Auguſt.

quo

quo ſpiritualiter in Fide geniti, conſeruati, ac enutriti ſunt, ei patris ac matris ſimul nomen imponant: vtrumque io illo vno, patrem ſcilicet & matrem colant, ament, venerentur.

Adam pater & mater filiorum.

481. Qui omnium hominum primus à Deo efformatus eſt homo, cæterorum pater ac mater quodammodò extitit: ab illo enim in ecſtatin rapto, quam Deus tulit coſta, in mulierem ædificata ſponſam illi præbuit ac filiam. Cùm ergo Euæ cunctorum viuentium matris, vt appellatur à Scriptura *Gen.* 2. Adamus parens, & ſponſus extiterit; cunctorum filiorum ab illis genitorum pater extat & mater. Verùm iofelix iſte infelices omnes quos genuit, procreauit: per iſtum enim, vt ait Apoſtolus Rom. 5. 12. *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiuit, in quo omnes peccauerunt.* Feliciùs ſecuodus Adam Chriſtus Dominus, matris ac patris fidelium & nomen, & munus eſt aſſequutus, non ſolùm quia humanitatis, quam ſibi in ſponſam mirabili fœdere in propriæ hypoſtaſeos vnione copulauit, author & conditor extitit, quod ſanè in primis parentibus adumbratum fuit; ſed etiam quia ſummo amoris incendio, dum in cruce mortem & exceſſum paſſus eſt, aperto eius latere diro lanceæ mucrone, cum aqua & ſanguine non ſolùm omnia Eccleſiæ Sacramenta, ſed & vniuerſam ipſam Eccleſiam ſuam Sponſam amantiſſimàm effudit. Huc reſpiciebat Apoſtolus; & Chriſtum in ſe, & in Eccleſia, quæ matrimonio ſuo primi Parentes expreſſerant, adimplentem dum admiraretur, inquit Eph. 5. 30. 31. *Membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.*

E latere ſuo aquam & ſanguinem, Sacramenta, & Eccleſiam effudit Chriſtus.

482. Siue ergo Chriſtum Dominum in propria perſona ſingularem, ſiue cum Eccleſia ſua vniuerſalem omnium Fidelium Principem, ac Paſtorem attendamus; nobis pater, nobis mater eſt, quia vbique matrum noſtrarum ſponſus. Primò ſiquidem humanitatem, vt ſponſam, indiſſolubili vinculo ſibi in Incarnatione copulauit; quia tunc Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando *hunc in vtero Virginis humana natura coniunxit, & Deum ante ſecula fieri voluit hominem in fine ſeculorum*, vt loquitur D. Gregorius Magnus *hom.* 38. *in Euang.* Indeque qui deitate hominum erat pater, per humanitatem aſſumptam illorum factus eſt mater. Magnâ ergo fiduciâ ad Chriſtũ accedãt Chriſtiani tanquam ad patrem; nec illos lædat tanti genitoris maieſtas, ſed alliciat ſumma matris benignitas; vtrumque enim Chriſtus eſt, Deus & homo, genitor & genitrix. Nec rei præſẽti diſſentaneum erit aduertere, quod idem Filius Dei, qui ab æterno Patrem à quo procedit habens, matris expers fuit, in tempore à matre naſci voluit, & expers Patris in terris eſſe, vt oſtenderet ſe à ſummo Patre omnium creaturarum principio, habere vt omnium hominum pater eſſet; at ab intemerata Genitrice accepiſſe vt omnium mater exiſteret. Hinc quaſi mater optima per Iſaiam *cap.* 49. 15. homines quaſi filios blandè ad ſe aduocat, allicitqoe, dicens; *Nunquid poteſt obliuiſci mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Nos ergo in manibus ſuis velut maer amantiſſima deſcripſit Chriſtus, non calamo, ſed ferro; noo atramento, ſed ſanguine; non charactere, ſed vulnere; vt quos humanitatis bonitate velut genitrix peperit, pio cruore foueat, & vulneribus denuò intra ſemetipſum introducat. Siquidem vt loquitur Auguſtinus, *eius nobis patent viſera per vulnera.*

D. Greg. Humanitatẽ vt ſponſam ſibi Filius Dei copulauit, & per eã hominum mater factus eſt, qui deitate pater extat.

A Patre æterno habet vt pater ſit: & vt mater ſit, hoc à Virgine ſuſcepit matre.

In manibus Chriſti clauis ſcribuntur homines

483. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur*, vt inquit Scriptura *Eccleſ.* 1. 7. & ad principium à quo orta ſunt, mirabili circulo omnia tendunt, vt ab illo, à quo producta ſunt, conſeruentur, perficiantur, corooentur; idem enim eſt principium & finis rerum, vt Scholaſtici docent Theologi. A Chriſti vulneribus Chriſtianorum Eccleſia orta eſt; crux enim, ideſt amantiſſimus cruci affixus Redemptor, illorum fuit vterus, vt loquitur D. Auguſtinus. Vnde mellifluus ille Abbas Clareuallenſis Bernardus, formationi omnium fœminatum primæ ex Adami obdormientis coſta alludens, de Chriſto ſic eleganter Chriſtianum alloquitur ſerm. 28. in Cant. *De latere ſuo te formauit, quando pro te in cruce obdormiuit, & ob hoc ſomnum mortis accepit.* Non mirum igitur, quod in vulneribus Saluatoris deſcribantur Fideles, ac per vulnera in eius tendant viſcera, vt in gratia, fide, ſpe, charitate, cæteriſque, quas cum eſſe ſpirituali acceperuot, virtutibus firmentur, ac perficiantur: ſeu, quod abſit, vt quod imprudenter per peccatum amiſerunt, iterum in viſceribus accipiant Saluatoris.

D. Auguſt.

D. Bernard.

E latere Chriſti Chriſtiani orta ſunt.

484. De Muſtello piſce refert Ælianus *lib.* 9. *cap.* 65. quod catulos vel aliquâ cauſâ conſternatos, vel in aliquo periculo conſtitutos rurſus excipit, ventre complectitur, ac deinde iterum parit. Quod etiam de Delphino narrat S. Baſilius *hom.* 7. *in hexaemer.* Idem Galatis in fide propter quoſdam pſeudo-Apoſtolos falſam diſſeminantes doctrinam titubantibus præſtare viſus eſt Apoſtolus, ac illos ampliſſimo ſuæ charitatis ſinu exceptos in meliorem frugem reparturire, vt ipſe loquitur Galat. 4. *Filioli mei quos iterum parturio.* Verùm muſtelli ac delphini piſcium in fouendis parvulis benignitatem longè ſuperat Chriſtus *ἱερὸς ἰχθὺς*, ideſt *ſacer piſcis*, vt illum aliquando appellant Tertullianus & Sancti Patres: Paulique Apoſtoli charitatem immenſo quos nos diligit zelo vincit *confeſſionis noſtræ Apoſtolus*, vt ab ipſo Paulo vocatur *Heb.* 3. 1. Ipſe enim non ſolùm ampliſſimum bonitatis infinitæ vterum errantibus, vt ad ſe redeant præbet, ſed per cicatrices & vulnera proprium, ipſumque dilatatum exhibet cor, vt ingrediantur, ac ibi denuò efformati, in melius enaſcantur. Quod in optimo illo parente, qui adoleſcentem propriâ ſubſtantiâ luxuriis diſſipatâ, egeſtateque compulſum ad ſe reuerſum ſuſcepit, ac miſericordiâ motus amplexatus eſt & oſculatus, vt legitur *Luc.* 15. adumbratum annotauit S. Petrus Chryſolog. *ſerm.* 2. dum inquit: *Vrgentur patris viſcera, iterum filium genitura* (ac conſequenter ſuſceptura) *per veniam.* Quod aliquando errans Auguſtinus expertus eſt, vt ipſe fatetur in manuali, *cap.* 21. vbi ait: *Tuta & firma requies eſt infirmis & peccatoribus in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito; patent mihi viſcera per vulnera.*

Ælian.

Muſtellus piſcis filios iterum in ventre ſuſcipit, & denuo parit.

S. Baſil.

Tertull.

Chriſtus peccatores in ſuis vulneribus reformat, & reparturit.

Chryſol.

Auguſt.

Chriſti patet viſcera per vulnera.

485. Secundò Eccleſiam ipſam Chriſtianorum matrem, quam ipſe Chriſtus paſſionis ſuæ doloribus peperit, ſponſam ſibi chariſſimam ſociauit; ſed poſtquam illam ſanctificauit, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, vt inquit Apoſtolus

Chriſtus Eccleſiæ pater, caput & ſpōſus.

Eph. 5. Vndè cùm eius & Pater, & Caput, & Sponſus ſit, omnium eius filiorum & pater, & mater exiſtit. Sanè ad immenſam Chriſti connubio Eccleſia euecta eſt dignitatem; non enim ſolùm Dei hominis ſponſa & ſoror, vti illam in canticis appellat, ſed etiam multorum filiorum mater euaſit: & quæ dum fidei lumine orbata, creaturis obſequebatur, ſterilitatis opprobrio mulctabatur, Fidei ſplendoribus ſemel illuſtrata, Deo viuo copulata, mirâ fœcunditate donata eſt. De ea enim Regij Pſalmiſtæ vaticinium *pſal.* 112. 9. adimpletur: *Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Et illud quod refert Paulus Gal. 4. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Sic enim Eccleſia Gentium, filiorum numeroſitate & multitudine, qui per vniuerſas totius orbis partes diffuſi ſunt, Hebræorum Synagogam in Iudæa & Palæſtina, veluti in paruis mundi angulis concluſam ſuperauit.

486. Verùm hanc nobilitauit fœcunditatem puriſſimus concipiendi ac pariendi modus; Chriſtus enim *Virginis filius, & virginum ſponſus*, vt loquitur Auguſtinus *lib. de virginitate*, virginali connubio Eccleſiæ ſpiritualiter coniugatus, ipſi matrem ſimul eſſe conceſſit, & virginem: hæc enim ſponſi ſui ſpiritu animata, charitate concipit filios, quos parit puritate. Cùm enim Baptiſmi Sacramento, quod nouam regenerat creaturam, ex aqua & Spiritu ſancto ſobolem gignat, non ventre, ſed mente geſtat vterum; corde potius quàm carne grauidatur; & ex illius ore abſque vlla prorſus corruptione, puto, ac caſto ſermone Chriſtiani exeunt, & naſcuntur.

D. Auguſt.

Eccleſia fœcunda puritate ac virginitate.

Quod ſanè eleganter attigit S. Ambroſius *lib.* 1. *de virginibus*, dicens: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole. Parturit itaque nos virgo, non viro plena, ſed Spiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum.* Quod etiam admirans D. Auguſtinus *ſerm.* 36. *de temp.* aquam baptiſmatis, quâ cum debita verborum pronunciatione filios parit Eccleſia, cum Beatiſſima Virgine Deipara confert, ipſique quodammodò præfert. Sic enim habet: *Penè maiori munere quam Maria, vnde ditata eſt: illa enim ſibi tantum meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem: illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret: illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi eſt collata virginitas, iſti donata fœcunditas: illa vnum procreauit, & pura eſt; iſta generauit plurimos, & virgo eſt: illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum.* Hæc Auguſtinus.

D. Auguſt.

Aqua baptiſmi Chriſtianos regenerans, cū vtero B. Virginis confertur.

487. Itaque vno eodemque parentes geniti; vna eademque matre Chriſtiani omnes nati ſunt, ſiue hi cum aqua & ſanguine è Chriſti latere dimanantes, ſiue è ſacro fonte Baptiſmatis exeuntes conſiderentur. Magna vbique illorum dignitas, quia vbique magni, immò & diuini illorum parentes. Extollant alij Mineruam à Iouis cerebro genitam; commentum hoc eſt. Glorientur Iudæi ſe patrem habere Abraham; hic homo fuit. Vnum ex Romanorum Imperatoribus laudans adulator, illum dicat à Dijs progenitum, ſic eum alloquens, *ſate ſanguine Diuûm*; hi falſi & vani ſunt: ſoli illi qui Chriſtianorum nomenclaturâ refulgent, non ex Iouis cerebro, ſed ex Chriſti Domini mente & corde procedunt: non Abraham dumtaxat, ſed Abrahæ conditorem patrem venerantur: non inanium Deorum ſemine, ſed Dei viui Filij ſanguine procreantur; & hoc veritas eſt. Sic enim de illis Ioannes Euangeliſta loquitur, Ioan. 1. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Omnes igitur Chriſtiani Filij Dei, Chriſti, & Eccleſiæ, meritò fratres cenſentur, & glorioſo fratrum titulo decorantur.

Splendidas omnes ſuperat natiuitates ſplendida Chriſtianorum origo.

Ex Deo nati ſunt.

488. Cùm igitur in parentibus ſic colligati ac conſociati exiſtant Chriſticolæ, vt vnus ſit illorum pater, vna eademque illorum mater; indiſſolubili amoris vinculo illos coadunatos eſſe oportet, vt merito, ſicut & nomine, veri fratres exiſtant. Ea propter præceptum ore Domini illis ſignificatum apertiùs mutuam illis dilectionem commendauit, Ioan. 13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Quia ergo ipſe Dominus mirâ erga homines dignatione, *non confunditur eos vocare fratres*, vt ait Apoſtolus *Heb.* 2. 11. & poſt glorioſam reſurrectionem ſuam diſcipulos hoc nomine decorauit, fideliſſimæ Magdalenæ dicens, *Vade ad fratres meos*, Ioan. 20. 17. illoſque tanquam fratres chariſſimos adamauit; vt illius præcepto morem geramus, proximos nobis toto orbe diffuſos Chriſtianos, vt germanos noſtros debemus diligere.

Chriſtianis, quia fratres ſunt, dilectionem mutuam præcepit Dominus.

489. Hinc patet quàm juſtè primi qui fidem Chriſtianam ſuſceperunt, dicantur Act. 4. 32. *Cor vnum & animam vnam habuiſſe*; quod non phyſicè, ſed moraliter, propter mutuam, perfectamque eorum dilectionem intelligere neceſſum eſt. Hinc etiam liquet Eccleſiam quæ omnium Fidei Chriſtianæ profeſſorum collectio eſt, vnam eſſe, non ſolùm ab vno eius capite, vnoque fine, verùm etiam à filiorum vnitate. Adeo enim hi ſpiritu, fide & charitate ſunt indiuiſi, vt non ſolùm fratres, ideſt ferè alteri (hoc enim fratris nomen ſonat, vt ſuprà aduertimus) cenſeantur, ſed vnica & eadem perſona. Quò reſpexiſſe videtur Paulus dum 1. *Cor.* 9. 24. inquit: *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Vbi Chriſtianos ad benè operandum & vitam conſequendam æternam exhortans, vt liquet ex eo quod ſubdit, *Sic currite comprehendatis*, non intendit omnes in ſtadio currentes, vnico excepto, mercedem & coronam amittere, ſed omnium brauium accipientium adoptionem, vnius conſequutione declarat; omnes enim iſti vnus ſunt. Sic enim eleganter notauit Origenes, dum *hom. de Elcana*, ſic fatur: *Cur non omnes vnus dicantur, quorum cor & anima vna eſſe deſcribitur, vnam ſemper omnes ſapientiam meditantur, vnum ſapiunt, vnum ſentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur, vno Spiritu Dei replentur? Vnde meritò & ipſi omnes non ſolùm vnum, ſed & vnus dicuntur, ſicut Apoſtolus deſignauit dicens: Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam. Vides manifeſtè, quia omnes juſti vnus eſt.* Hæc ille.

Primis Chriſtianis erat cor vnum, & anima vna.

Vna perſona cenſentur.

Origen.

490. Inſignis ille currus quem ſuſpexit Ezechiel cap. 1. 18. *Oculis fuit vndique plenus.* Quorſum hæc? Quia Eccleſiam Chriſtianis refertam adumbrabat. At cur oculi Chriſtianos exhibent? Quia etſi germani veluti oculi ſint, tamen ita unico à cerebro procedente neruiculo, optico propterea nuncupato, dependent, vt vnus ſine alio nequeat reſpicere, nec viſum ab altero ſeparare.

Oculis comparantur propter maximam vnitatem.

Bini

Bini ſunt, ſed vnica illorum acies, vnicum viſionis acumen, & vnico modo ac indiuiduo res viſibiles sb vtroque attinguntur. Quod optimè aduertit D. Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap. 63.* vbi ait: *Sicut oculus vnus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eandem partem ſemper voluuntur: ſic ſocietas illa juſtorum nihil poterit velle diuerſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebit.* Vbi licèt Anſelmus de ſocietate Sanctorum in patria loquatur; tamen rectè ad rem præſentem verba illius aptare poſſumus, ac de Chriſtianorum ſocietate adhuc in terris militantium explanare: non enim in Fide diuidi, aut in voluntate ſcindi, aut denique in verbis operibuſque debent disiungi. Omnes enim alloqui videtur Apoſtolus *1. Cor. 1.10.* dum inquit: *Obſecro vos vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.*

D. Anſelm.

491. Eo planè modo non ſolùm vti fratres, verùm etiam vt vnus homo, priſci naſcentis Eccleſiæ tempore Chriſtiani, maiores noſtri, inter homines conuerſati ſunt. Adeo enim charitatis vinculo iungebantur, vt Gentiles incredibilem illorum ad inuicem admirantes amorem, ad ſtuporem exclamarent, vt refert Tertullianus in apologet. cap. 39. *Videte vt inuicem ſe diligant, vt pro altero mori ſint parati.* Nam, vt idem Author annotauit *ibid.* non ſolùm mente & fide, corde & charitate, ſed etiam terrenâ ſubſtantiâ & donis corporeis omnino communicabant; ait enim Tertullianus: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores.*

Chriſtianorũ vnitas & dilectio gentilibus admirationi erãt. Illis omnia indiſcreta, præter vxores.

Tertull.

492. Rationabiliter ergo fratres vocauit Dominus Apoſtolos, *Matth. 23. Luc. 22. & Ioan. 20.* Immò ipſi Apoſtoli collegas, omneſque ad Fidem aduentantes, fratres appellauerunt, vt paſſim videre eſt in illorum Actibus, cùm perfectâ debeant ſpiritûs, fidei, & charitatis vnione coniungi. Quod ipſe Dauid præuidens ſummâ animi voluptate eſt admiratus, pſal. 132. 1. *Quàm bonum*, inquit, *& quam jucundum, habitare fratres in vnum.* Hinc gentium Doctor *Rom. 12.10.* Romanos ad Chriſti fidem conuerſos mutuam dilectionem docens, inquit: *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* Sic enim in Fide erunt ſtabiles, in opere efficaces, ac apud eos qui Chriſtum neſciunt, honori & admirationi. Immò & aduersùs Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimos ſtrenui athletæ pugnabunt, ac vt inuicti milites, de erroribus, ſuppliciis, ac impietate glorioſam victoriam reportabunt, ſi fraterni amoris glutino copulentur. Vnitæ enim certantium phalanges, ac collecti equitum cunei, nec ab hoſtibus penetrantur, nec ſuperantur. Quod aliàs Scylurus ille Scytharum Rex, apud Plutarchum octoginta liberorum pater, fratres iſtos jam moriturus docuit: ſingulis enim faſcem jaculorum porrexit, eaque frangere juſſit: quod cùm eorum nemo conando præſtare potuiſſet, ipſe ſingula exemit jacula, iiſque ſine negotio frangentibus omnia: *Si*, inquit, *concordes fueritis, validi inuictique manebitis; at diſcordiâ imbelles ac imbecilles facilè corruetis.* Quo etiam ingenio Cicero ciues ſuos fœdè diffidentes, *ſcopas diſſolutas* appellat.

Vnitate fortiſſimi Chriſtiani.

Plutarch.

Egregium Scyluri Regis factũ ad ſuadendam fratrũ vnionem & varietatem.

493. At ſi terreni fratres, terrenique ciues amore, & concordiâ roborantur, ac diſcordiâ pereunt; quantò magis Chriſtiani Dei filij, fratreſque diuini, *ciues ſanctorum ac domeſtici Dei*, vt vincant, & à nemine ſuperentur, ac in illis triumphet Dominus, indiſſolubili charitatis ac concordiæ nexu mutuò colligari tenentur. Sanè vt aduertit Auguſtinus, *ſolâ diſcordiâ Chriſtiani ruunt.* Vt enim annotauit Sanctus ille Doctor *hom. de ouibus, c. 15.* eo quo viuebat tempore Eccleſia ad tantam gloriam doctrinâ, pietate & authoritate euecta erat, vt Gentiles illius hoſtes eius ſplendore perculſi, nihil contra Chriſtianos præter ſolam diſcordiam muſſitarent: monſtruoſum enim eſt eos, qui vnus panis & vnum corpus ſunt, qui ab eiſdem parentibus ſpiritualiter geniti, eadem aquâ in Spiritu ſancto abluente renati, germani fratres cenſentur, diſſenſionibus frangi, ſchiſmatibus ſcindi, & diſcordiis ſeparari. Sicuti enim lapis è Scyro, Tyrrhenus à Plinio nuncupatus, quamvis grandis, fluctuat integer, ſed mergitur comminutus: ſic Chriſtiani, ceu veri ac germani fratres, concordiâ ſuſtinentur, qui diſcordiis atteruntur, vincuntur, ac in profundum errorum, & impietatum in hoc ſeculo, & infernorum in futuro deturbantur. Nam *triumphus dæmonum eſt diſſenſio Chriſtianorum*, vt loquitur Auguſtinus *ſerm. 74. de diuerſis, cap. 10. tom. 10.*

D. Auguſt. Solâ diſcordiâ ruunt Chriſtiani.

Lapis tyrrhenus fluctuat integer, diuiſus mergitur.

§. II.

Chriſtiani fratres ſunt, quia eodem lacte nutriti.

494. FRatres alios germanos, qui ex eodem patre, & ex eadem matre: alios conſanguineos, qui ex eodem patre, & non ex eadem matre: & alios vterinos, qui ex eadem matre, & diuerſo patre nati ſunt, diſtingunt Iuriſperiti. Verùm alij adhuc recenſentur, qui collactanei, ex eo quod idem lac ſuxerunt, nominantur.

Fratrum triplex ordo. Quartus adiungitur.

495. Ex his quæ præcedenti paragrapho diximus, Chriſtianos non ſolùm vterinos, vel conſanguineos, ſed etiam verè germanos fratres eſſe conſtat: jam nouâ ratione fraternitatis titulo decorari, ſcilicet quia omnes collactanei ſunt, oſtendemus.

Ex hoc quadruplici capite Chriſtiani fratres ſunt.

496. *Ex eiſdem ſumus ex quibus nutrimur*, inquit Philoſophorum Princeps Ariſtoteles. Alimentum enim in ſubſtantiam conuertitur aliti, vt in ſcholis tritum eſt. Vndè cùm lac quod ex genitricis vberibus ſugunt infantes, nihil aliud ſit quàm ſanguis illius, caloris naturalis ad fœtum alendum virtute decoctus; qui eiuſdem matris eandem lactant mammillam, nouâ natiuitate procreantur, & illius cuius paſcuntur lacte, filij dum euadunt, ad inuicem fratres meritò nominantur.

Lac ſanguis eſt calore natiuo decoctus.

497. Ad eum planè modum, cùm non ſolùm ex Chriſti latere & Eccleſiæ gremio Chriſtiani oriantur, ſed etiam poſt ſpiritualem illam, quam per Baptiſmum adepti ſunt, regenerationem, eodem lacte tum à Chriſto Domino, tum ab eius Sponſa amantiſſima Eccleſia enutriantur, eos nouo modo fratres appellare debemus. Summa in hoc Chriſtianorum omnium parentis optimi Chriſti Domini prouidentia elucet: vt enim eis ſummum exhiberet amorem, & viciſſim in eis erga ſe maximum amorem produceret, proprio lacte, hoc eſt proprio corpore & proprio ſanguine alere voluit, quos etiam proprio ſanguine procreauit. Experientiâ enim compertum eſt, maiorem inter filios & parentes teneritudinem nutritione quàm generatione conciliari, vt ait D. Clemens Alexandr. lib. 1. pædag. cap. 6. *Aluiſſe inter homines*, inquit, *ſæpe plura affert amoris incitamenta, quam procreaſſe.*

Eodem lacte & à Chriſto & ab Eccleſia nutriuntur Chriſtiani.

Nutritio magis amorem conciliat quàm generatio. D. Clem. Alex.

Faſtidiunt

498\. Faſtidiunt tamen ditiores fœminæ lactare quos ediderunt; & eorum quorum ſe matres gloriantur, outrices fieri erubeſcunt: ſic enim naturalem, quem etiam bruta animantia cuſtodiunt, humana peruerſitas immutauit affectum. Non ita planè naturæ Conditor, ac reſtaurator: immò ipſe fouet quos genuit; quos peperit, lactat; & quibus nouum ac ſpirituale Baptiſmo eſſe conceſſit, corpore & ſanguine ſuo, ſuauiſſimo veluti lacte conſeruat. Ea enim ratio fuit, cur Eccleſiæ ſuæ adoranda Euchariſtiæ myſteria per modum cibi & potûs, ac ſpiritualis alimenti tradidit, vt notauit Diuus Thomas 3. *p. q.* 73. *art.* 1. *&* 2. Hinc ſe nutritium noſtrum Prophetæ oraculo pronuntiauit: *Ego*, inquit, *quaſi nutritius Ephraim*. Oſeæ 11. Parum enim immenſæ eius charitati fuiſſet Chriſtianos, velut matrem, doloribus ac vulneribus peperiſſe, niſi eos tanquam nutrix ſanguine pruprio, veluti lacte, ſuſtentaret. In hoc enim, multarum inter homines matrum pietatem ſuperauit, vt eleganter docuit D. Ioan. Chryſoſt. *hom.* 1. *in pſalm.* 50. *& hom.* 60. *ad popul.* vbi ſic fatur: *Matres multa ſunt, quæ poſt partûs dolores filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem Chriſtus non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.*

Chriſtus Chriſtianos magis diligit, quàm matres filios ament; quia illos proprio corpore & ſanguine paſcit & lactat.
D. Thom.
D. Chryſoſt.

499\. Eapropter olim baptizatis etiam infantibus mox à Baptiſmo ex Apoſtolica traditione ſacra porrigebatur Euchariſtia, vt docet S. Dionyſ. *lib. Eccl. hierarch. cap.* 5. quem ritum etiamnum Græci obſeruant, dum pueris hoc Sacramentum miniſtrant, vt notauit Salmeron *in cap.* 2. *ep.* 1. *Petri, num.* 2. & Turrianus *lib. de Euchar. cap.* 20. *&* 21. quod etiam ipſi egerunt Apoſtoli; nam S. Petrus, cùm Romæ in carcere Mamertino Proceſſum & Martinianum cum familia ad Chriſti fidem perduxiſſet, & ſacris vndis Baptiſmatis abluiſſet, participes eos fecit corporis, & ſanguinis Domini. Vt autem Docet Hugo à S. Victore *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 20. pueris recèns baptizatis, immò & recèns natis, vt faciliùs reciperent, ſola ſpecies vini: adultis verò vtraque, panis ſcilicet & vini ſpecies, corpus & ſanguinem Domini realiter continentes donabantur. Nec minùs infantes quàm adulti de myſtico hoc lacte ſumebant: totus enim Chriſtus ſub vtraque ſpecie realiter, integerque reperitur, reali concomitantiâ, vt loquuntur Theologi, quâ corpus Chriſti in hoc Sacramento à ſanguine non ſeparatur, nec ſanguis, vtpote viuus & animatus, à corpore diſiungitur.

S. Dionyſ.
Olim infantibus mox baptizatis Euchariſtia veluti lac porrigebatur quod nunc Græci faciunt.
Hug. Vict.
Baptizatos à ſe ſtatim Euchariſtiâ pauit S. Petrus.

500\. Nec ſine analogia quadam Euchariſtiæ Sacramentum Chriſti Domini lac, quo paſcuntur baptizati, diximus. Primò quia ſicut lac ex concocto fit ſanguine, vt inſinuat Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 8. *Eadem*, inquit, *materia eſt quæ alis, & ex qua generationem natura conſtituit*; eaque ſanguineus humor in ſanguinem habentibus eſt, lac enim ſanguis concoctus eſt, non corruptus: ita cœleſte huius Sacramenti conuiuium ex infinito ardentique Chriſti amore inſtitutum, ſanguinem eius in igne ſuæ charitatis mirificè concoctum, eiuſque corpus ſanctiſſimum *in ara Crucis torridum*, vt canit Eccleſia in hymno Paſchali, veraciter complectitur, eaque nobis per modum lactis effundit.

Analogia inter Euchariſtiam & lac.
Ariſtot.
Lac fit calore natiuo: Euchariſtia ardore charitatis.

501\. Secundò, quia ſicut lac quod ſuauiſſimum ac dulciſſimum eſt, infantes mirâ ſuauitate ac dulcedine perfundeos, delectat & roborat: ita ſpirituali dulcedine ac ſuauitate replentur Chriſtiani ſacram manducantes Euchariſtiam; vt enim inquit D. Thomas opoſc. 57. *in hoc Sacramento dulcedo in ſuo fonte deguſtatur*: & vt exponit S. Baſilius Magnus, dum *pſalm.* 38. 9. dicitur, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*; idem eſt ac ſi dicat Propheta, *guſtate ſuauitatem carnis Chriſti in Euchariſtia*. Hinc eſt, quod pſalmus ille qui allegoricè Euchariſtiæ à S. Iacobo in ſua liturgia tribuitur, ab Apoſtolis apud S. Clementem *lib.* 8. *Conſtit. c.* 20. mandatur legi in Miſſa cùm ſit ſancta Synaxis.

D. Thom.
Lac dulciſſimum eſt: Euchariſtia dulcedinem in ſuo fonte præbet.
S. Baſil.

Tertiò, ſicut lac, infaotium ſæuire neſcientium, iniuriarum immemorum, omniſque malitiæ expertium cibus eſt: ita Euchariſtia hominum infantili innocentiâ præditorum, omniqoe nequitiâ carentium diuinum quoddam eſt alimentum: debet enim qui ad tremenda accedit myſteria ſemetipſum probare, & niſi malitiâ paruulus & infans ſit, de hoc pane non edere, neque de hoc calice potare debet, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 11. 502.

Lac Innocentium cibus eſt: Euchariſtia iuſtorū.

Quartò denique ſicut lac exteriùs albeſcit, ſic ſacrum Chriſti corpus in Euchariſtia candidâ panis ſpecie, ac colore lacteo inuolvitur: viniqne ſymbolum, quo eius ſanguis tegitur, maximam cum lacte habet ſimilitudinem; liquidum enim eſt, ac vires reficit: vnde vt ſuperiùs diximus, infantibus recèns natis ac baptizatis, ſpecies vini ſanguinem Domini realiter continens tanquam lac ſpirituale præbebatur, non ſolùm quia faciliùs vinum deglotiunt quàm panem comedant infantuli; ſed etiam qoia ſicut vinum dicitur lac ſenum, ita è conuerſo lac dicitur eſſe infantium vinum. Vnde Cant. 5. 1. *Bibi vinum meum cum lacte meo*, inquit Eccleſia. 503.

Lac exteriùs albeſcit: Euchariſtia colore candido fulget.

Iure igitur dum Chriſti corpore & ſanguine paſcimur & potamur, lacte veſci dicimur: vt enim inquit D. Auguſt: tract. 3. in 1. ep. Ioan. *Lac noſtrum Criſtus eſt*: & docuit D. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *pædagog. cap.* 6. vbi de Chriſto Domino ſic loquitur: *Ipſe qui eſt dilectus, & alter noſter, effudit pro nobis ſuum ſanguinem, per quem qui in Deum credidimus, ad mammillam Patris quæ curarum obliuionem inducit, nempe verbum, confugimus. Verò beati qui hanc lactant mammillam.* Hæc Clemens, vbi ſummam Chriſtianis conceſſam exiſtimat felicitatem, mammillam Patris, nempe Chriſtum Dominum ſugere. Ab illo quippe ſimul cum ſanguine cœleſtes illius dotes, virtutes, optimæque hauriuntur qualitates; ita vt non acidi, aſperi & fellei, ſed lactei & mellei, hoc eſt candidi, amabiles, ſuaues, benigni, benefici, fraternâ charitate inuicem diligentes ac promouentes reddantur. Quod expreſſit D. Petrus. 1. *ep. cap.* 2. Chriſtianos ſic alloquens: *Quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, vt in ipſo creſcatis in ſalutem, &c.* In cuius rei ſymbolum recèns baptizatis antiquitus dabatur lac & mel, vt refert Tertullianus lib. 1. contr. Marc. cap. 14. *Mellis*, inquit, *& lactis ſocietate ſuos infantat Deus.* Et *lib. de cor. mil. cap.* 3. ait: *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.* Ipſaque Immaculata Chriſti Sponſa, tredecim annorum virgo & martyr S. Agnes aiebat: *Mel & lac ex ore eius ſuſcepi.* 504.

D. Auguſt.
D. Clem. Alex.
Chriſtus eſt mammilla Patris æterni.
Baptizatis olim dabatur lac & mel.

Alio per Eccleſiam ſuam paſcit nos Chriſtus vbere; & quam ſibi proprio cruore deſpondens, matrem Chriſtianorum effecit, eam vt nobis verbum ſuum ac cœleſtem traderet diſciplinam eligens, 505.

Doctrinâ Chriſti veluti lacte alit nos Eccleſia.

Doctrinâ Chriſti veluti lacte alit nos Eccleſia.

eligens, noſtram conſtitnit nutricem. Illa illa eſt quæ Euangelicam doctrinam, veluri lac nitidiſſimum, ac ſuauiſſimum dum erogat, qoos ſacro Baptiſmate peperit, ſacro ſermone ſuſtentat; ſimulque dum magiſtræ munus exequitur, matris ac outricis vices gerit. Cùm enim ab Eccleſia verbum Dei, ex cuius auditu fides procedit, vt ait Apoſt. *Rom.* 10. 16. accipiamus, & non in *ſolo pane viuamus, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, vt inquit Chriſtus *Matth.* 4. ipſeque Deus ore Eccleſiæ nobis ſua pandat oracula; & verbi ſemine Chriſtianos ipſa generat, & diuini ſermonis lacte ipſa reficit & conſeruat. Doctores ſiquidem dum diſciplinam tradunt diſcipulis, veluti filiis amandiſſimis, myſticum quo eorum animæ efformentur, & nutriantur, lac tradere exiſtimantur, atque exhinc patrum & matrum nominibus & officiis decorantur. Vnde gentium Doctor, Chorinthiorum, quorum in ſpiritu, verbi Dei prædicatione, pater fuit, vt ipſe ait 1. Cor. 4. 15. *in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*; nutrix doctrinæ chriſtianæ juxta captum illorum declaratione euaſit; ait enim 1. Cor. 3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis dedi.* Sicque Dei verbo fideles generans & lactans, eorum genitor genitrixque factus eſt: quod vt ſanguine teſtaretur, dum pro Chriſti fide, eiuſque Eccleſia animam poſuit, impio iubente Nerone, abſciſſis ceruicibus non cruorem, ſed lac effudit, ac triplici amputati capitis ſaltu ternos eoſque dulciſſimos ac lacteos fontes è terra elicuit, ter prolato ac inuocato IESV ſanctiſſimo nomine: vt etiam mortuus lacte & verbis enutriret, quos viuens ſermone Chriſto genuerat.

Doctores patres diſcipulorum vocâtur.

Paulus gentium doctor, lac illis vt filiis poſt mortem præbuit.

506. Hinc etiam admirabilis Chriſti Sponſa, Alexandrina Virgo Catharina, Chriſtianæ Fidei quamplurimos Philoſophos, impij Maximini vxorem, Porphyrium belli ducem, alioſque multos, cùm verbi Dei prædicatione zelo mirifico adiunxiſſet, animam agens, amputato capite, lac, non ſanguinem fudit, vt oſtenderet ſe doctrinâ diuinâ tantorum Chriſtianorum matrem extitiſſe ac nutricem; quos enim docendo Chriſto peperit, hos moriendo lacte ſuo voluit ſuſtentare. Sic igitur verbis diuinæ legis & naſcuntur, & lactantur Chriſtiani; vnde Tertullianus veros tantùm cenſet Chriſtianæ Fidei profeſſores, qui eandem, quam Apoſtoli tradiderunt, tenent doctrinam, & Catholicos dixit *conſanguinitatem* habere *doctrinæ*, vt innueret doctrinam, myſticum veluti lac, & ſanguinem audientibus communicari; & qui ſimul eandem recipiunt, ſpiritualem inter ſe conſanguinitatem habere. Quod adeo verum eſt, vt in Scriptura patres Magiſtri; & è conuerſo Doctores parentes vocitentur. Sic dum 4. Reg. 2. 12. Eliæ dicit Eliſæus, *Pater mi, pater mi*, juxta vulgatam editionem; Chald. habetur *Magiſter mi, magiſter mi*. Et Gen. 4. 22. Iubal dicitur *pater canentium citharâ*, ideſt doctor primus. Et Salomon *Prou.* 1. verba facturus ad inſtruendos auditores in ſapientia & moribus, ſe patrem & matrem nominat, vt interpretatur Rodulphus, dum ait: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Vnde D. Auguſt. *lib. cont. Adimantum*, *c.* 5. duas agnoſcit filiationes, aliam naturæ, aliam doctrinæ, dum inquit: *Natura dicitur filius quiſpiam eius a quo genitus, doctrinâ illius à quo edoctus.*

Idem præſtitit virgo & martyr Catharina.

Lib. de præſcript.

Conſanguinitas doctrinæ.

Magiſter pater cenſetur & mater.

507. Cùm igitur cuncti in Chriſto renati, eodem lacte doctrinæ, eodemque Dei verbo à ſancta Eccleſia reficiantur, quis illos collactaneos ambiget? Quis fratres eſſe negabit? Chriſtianorum Eccleſiam reſpiciebat Euangelicus Ille Vates, dum dicebat Iſai. 60. 4. *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Vbi Septuaginta Interpretes habent, *lac ſugent.* Quod ſanè in lege gratiæ adimpletum eſt: ſicut enim infanti in lucem effuſo præbet vbera ad nutriendum mater, quæ vterum præbuerat ad formandum; ita vbi ſacro agente Baptiſmate, è tenebris originalis iniuſtitiæ ad admirabile Dei lumen effuſi ſumus, optima genitrix adeſt Eccleſia, quæ gemino veluti vbere, vtriuſque Teſtamenti paginis, Lege & Euangelio, diuinum doctrinæ lac nobis ad ſatietatem effundit; vt ſicut eodem *incorruptibili ſemine per verbum Dei renati*, ita eodem lacte *rationabili*, vt ipſum appellauit D. Petrus 2. *ep. c.* 2. vel *ſpirituali*, vt habetur ibidem Syriacè, ſeu vt ait D. Auguſt. *innocenti*, ſine dolo, ſincero, & non gypſo mixto, enutriti, in ipſo creſcamus, tanquam germani fratres, non ſolùm *in charitate fundati, & radicati*, ſed etiam eodem alimento colligati, & quaſi in lac, vno nutriti lacte, ſpiritualiter coagulati. Nam vt naturam gratia ſuperat, ita vnio, quæ per gratiam inter Chriſtianos eadem Eccleſiæ ſugentes vbera reperitur, quamlibet carnalium fratrum vincere debet vnionem. Qood ipſe expreſſit D. Ambroſ. *lib.* 2. *de officiis, cap.* 17. dum inquit: *Dulciùs ac vehementiùs ſimul vos diligo, quos Euangelio genui, quàm ſi coniugio ſuſcepiſſem: nam vehementior, ac dulcior eſt ad amorem gratia, quàm natura.* Quantâ ergo dulcedine, quantà vi, quantáque vehementià Chriſtiani omnes collactaneos, diuinâ agente gratià, mutuò colligatos, debent diligere & amare.

Duplex filiatio, naturæ & doctrinæ.

Chriſtiani eadem doctrina imbuti, verè fratres collactanei.

D. Auguſt.

Maior eſt vnio gratiæ quàm naturæ.

D. Ambroſ.

§. III.

Chriſtiani fratres ſunt, quia ad eandem hæreditatem proueuntur.

ADhuc ſupereſt ratio, quæ nobilem inter Chriſtianos ſtatuit fraternitatem, vna ſcilicet ac indiuidua omnibus & ſingulis à Deo hæreditas præparata. Cùm enim diuinâ agente clementiâ Filius Dei veneris, vt illo participante mortalitatem noſtram per dilectionem, nos efficeremur *participes diuinitatis ſuæ per adoptionem*, vt loquitur D. Auguſtinus *lib. de conſenſu Euangel.* & vt ait Apoſtolus Eph. 1. *prædeſtinauerit nos in adoptionem filiorum Dei*; ad diuinam hæreditatem jus habere dicimur. Cúmque hæreditas alicuius dicatur id ex quo ipſo eſt diues; Deus autem à ſeipſo diues, ac ſeipſo beatus ſit, in quantum ſeipſo fruitur; ideo diuinâ, quam per Chriſtum habemus, adoptione, ad Dei hæreditatem, ceu ad diuinam beatitudinem, in qua Deo ipſo fruemur, deſtinamur, vt rectè notauit D. Thomas 3. *p. q.* 23. *art.* 1. 508.

Vnica omnibus Chriſtianis paratur hæreditas.

D. Auguſt.

D. Thom.

Mira res! Homines terrâ geniti non tantùm cœlo donantur, ſed Deo. Bonum in terra non habent, ſed ſuper terram; nec alibi ſuum hæreditatis theſaurum, quàm in ipſo Creatore requirunt. Sed hoc infinitæ miſericordiæ munus eſt; verus ſiquidem & dilectus filius ſempiterni Dei, *filius hominis eſſe dignatus eſt, vt hominem filium faceret Dei. Seruum patrem habere dignatus eſt, vt homini ſeruo patrē faceret ipſum Deum*, vt inquit D. Chryſoſt. 509.

Deus eſt illa hæreditas.

D. Chryſoſt.

remiſſionem peccatorum, ſed etiam ipſam Spiritus ſancti, gratiæ, charitatis, & donorum authoris perſonam, ac conſequenter Patrem & Filium, ipſamque Deitatem, ac totam ſanctiſſimam Trinitatem complectitur. Quod innuit Apoſtolus *Rom.* 5. dicens: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Et ipſe docuit Chriſtus, dum de Spiritu ſancto, *Ioan.* 14. ait: *Quem mittet Pater in nomine meo, & apud vos manebit, & in vobis erit: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et dilectus Domini diſcipulus, 1. *Ioan.* 4. inquit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Qua de re videndus D. Thomas 1. *p.q.*43. *art.*3. *&* 6. *& q.*38. *art.*8. vbi oſtendit Spiritus ſancti nomen proprium eſſe donum, quia ipſe donatur omnibus juſtis.

Tota Trinitas cordibus juſtorum infunditur.

D. *Thom.* Spiritus ſanctus dicitur donum, quia juſtis donatur.

515. Ex quibus mira inter Deum & homines, per adoptionem pater etiam in natura coniunctio, ita vt Chriſtiani non tantùm nomioe & extrinſecè, ſed etiam re & intrinſecè Diuini dici queant. Quod quidem D. Baſil. *homil. de Spiritu ſancto*, attigiſſe videtur, dum omnes juſtos à Spiritu ſancto deificatos docet, ipſumque Spiritum ſantum ex hoc eſſe Deum demonſtrat. Sic enim ait: *Huius gratiâ Deus eſt quiſque Sanctorum; dictum enim illis à Deo eſt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Et Deus Deorum (vtique ſanctorum) loquutus eſt. Et videbitur Deus Deorum (videlicet ſanctorum) in Sion. Neceſſe eſt autem diuinum eſſe Spiritum, & ex Deo eſſe, qui Diis Diuinitatis eſt cauſa.* Hæc ille. Vera ergo, realis, & intrinſeca eſt in Chriſtianis per Dei adoptionem dignitas; nec ſolùm Filij Dei hac ratione oominantur, ſed etiam veraciter exiſtunt. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus*, inquit Ioannes *Ep.* 1. *cap.* 3. Nam vt ait Auguſtinus ibidem, *qui vocantur & non ſunt, quid prodeſt illis?*

D. *Baſil.*

Chriſtiani diuini, quia Deum in ſeipſis poſſident.

Auguſt.

516. Denique ab hominibus adoptati adoptantibus ſuccedunt, eorum bonis, dignitatibus, diuitiis, ac hæreditate fruentes. Verùm quis ampliori patrimonio gaudet, quis maioribus potitur dignitatibus, quis opulentioribus diuitiarum theſauris diteſcit, quam vir à Deo adoptatus Chriſtianus? In quo, & per quem ad gratiam adoptionis euecti ſumus; Chriſtus Dominus, *cùm eſſet diues, propter nos egenus factus eſt, vt illius inopiâ nos diuites eſſemus*, vt loquitur Apoſtolus 2. *Cor.* 8. bonis vtique ſpiritualibus, quæ verè bona ſunt, cùm bonum faciant habentem. Vnde Beda ex allatis Apoſtoli verbis inquit: *Omnes ergo fideles boni ſunt diuites; nemo ſe contemnat: pauper in cella, diues in conſcientia, ſecurior dormit in terra, quàm auro diues in purpura.* Quo ſenſu de viro Deum timente inquit Dauid pſal. 111. *Gloria, & diuitia in domo eius.* Vbi Auguſtinus inquit, *Domus eius cor eius eſt.*

Chriſtiani verè diteſcunt.

517. Adoptantium mortem expectant homines, vt eorum fruantur hæreditate: at ſimul & adoptionis gratiam, & adoptantis diuitias ſuſcipiunt Chriſtiani, nec alium à ſe præbet Deus illis theſaurum; ipſe enim eorum eſt theſaurus, eorum hæreditas, eorum merces. *Tu es portio mea in terra viuentium*, Deum alloquens aiebat Dauid *pſal.* 42. vbi D. Ambroſius ait: *Cui portio Deus eſt, totius eſt poſſeſſor naturæ.* Dupliciter autem hæc immenſa ac diuina hæreditas à Chriſtianis poſſidetur, in via nempe, & in patria. Hìc in ſpe, illic in re; hìc in ænigmate, illic facie ad faciem; vtrobique realiter, ſed hìc per gratiam, illic per gloriam: ſicque non per mortem adoptantis, qui omninò immortalis eſt, ſed per mortem corpoream adoptati, in vitam tranſeuntes æternam, perennem percipiunt hæreditatem, dum in gaudium Domini introëuntes, eum quem per gratiam in via fidei caligine obuelatum habuerant, lumine gloriæ perfuſi reuelatâ facie perpetuò contemplantur. Quamvis vt notauit S. Thomas 3. *p.q.*23. *art.*1. *ad* 3. poſſit dici, *quod Deus (impropriè tamen) decedit, ſecundùm quod eſt in nobis per fidem, vt incipiat eſſe in nobis per ſpeciem*, ſicut Gloſſa dicit *Rom.* 8. ſuper illud: *Si filij, & hæredes.* Fidei enim ſuccedit clara, & intuitiua Dei viſio, per quam dum Deum perfectè poſſidemus abſque vllo ænigmate, ei quodammodò ſuccedere dicimur.

Mortem Patris non expectant, vt eius bonis fruantur.

D. Ambroſ.

Deus dupliciter ab eis poſſidetur; per gratiam, & per gloriam.

D. Thom.

Nec noſtram, ſicut in rebus humanis contingit, hæreditatem minuit hæredum ſeu adoptatorum multitudo: eadem eſt in ſingulis, quæ in omnibus; quia totus Deus trinus & vnus, in Deitatis maieſtate, ac perſonarum proprietatibus obiectiua cunctorum eſt beatitudo. Quod eleganter D. Auguſt. *in pſalm.* 149. proſequitur in hunc modum: *Hæredes Dei ſic ſunt, vt ipſe Deus ſit hæreditas noſtra. Hæc hæreditas non minuitur copiâ poſſeſſorum, non fit anguſtior numeroſitate cohæredum; ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis, quanta omnibus; non talis te fecit hæredem, cui mortuo ſuccedas, ſed cum quo in æternum viuas.* 518.

Multitudo adoptatorũ, diuinam non minuit hæreditatem.

D. Auguſt.

Cùm ergo diuinâ adoptione in eandem ac indiuiduam Chriſtiani tendant hæreditatem, eamque in vnitate charitatis pacificè poſſideant, nonne ab ea, ſicuti filij Dei adoptivi, ita ad inuicem fratres exiſtunt? Vnde ſicuti in patria abſque diſſenſione Deo potientur, ita & in via ſummo fœdere, ſummaque concordiâ ad deſtinatum præmium ſimul currere, ſimulque debent militare. Sic enim Eccleſiæ parenti optimæ pacis vnione adhærentes, ab ea in vnum veluti conglobati, Parenti luminum immenſo eius fulgore beandi tradentur; quia vt ait D. Auguſt. conc. 2. in pſal. 30. *Sic vnum eſt corpus Eccleſia, vt non ſit diſciſſio; non autem diſciſſionem facit, niſi diſſenſio; charitas autem compagem facit, compages complectitur vnitatem, vnitas ſeruat charitatem, charitas peruenit ad claritatem.* Quibus verbis apertè indicat, ſine concordia charitatis nec hominem in Eccleſia poſſe ſubſiſtere, nec ad æternæ hæreditatis, quæ clara Dei viſio eſt, poſſeſſionem peruenire. Quomodo enim fructum mortis Chriſti perciperet, qui illius mortis effectum impediret? Chriſtus ſiquidem *mortuus eſt, vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, vt dicitur *Ioan.* 11. 52. 519.

Ad eandem vti fratres, Chriſtiani tendant hæreditatem.

D. Auguſt.

Charitatẽ quæ vnitatẽ producit, peruenitur ad claritatẽ.

Aliàs germanus quidam Chriſtum adiit, & ab eo diuiſionem cum fratre ſic poſtulauit, Luc. 12. 13. *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Quod iniquè ferens Dominus, illum increpando reſpondit: *Homo, quis me conſtituit judicem aut diuiſorem inter vos?* Sanè optimus Saluator non diuidere vult, ſed vnire; quia non ad ſeparandum, ſed ad copulandum venerat. Quod eleganter, vt aſſolet, attigit Chryſologus *ſerm.* 162. his verbis: *Præceps cupiditas & incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipſum ſeculi conditorem, & eum fieri voluit diuiſionis authorem, qui ad reſtituendam venerat humani generis vnitatem.* Pergenſque addit: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* 520.

Chryſol. Chriſtus ad vniendum homines venit: & ideo etiam temporalem non vult diuidere hæreditatẽ.

reditatem. Non poteſt dicere fratri, Diuide, qui per Prophetam docuit, Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in vnum. Vnde ſi Chriſtus terrenam duobus fratribus diuidere noluit hæreditatem, quomodo qui Chriſti ſunt, qui eius filiorum nomine gloriantur, cœleſtem expectantes hæreditatem, diſſidiis ſeparantur? Si adhuc in terris militantes, dum concordiæ, & vnitati ſtudere debent, litibus, ſchiſmatis, ac diſſenſionibus ſcinduntur; quomodo Deum pacis, æternam ac indiuiduam eorum mercedem in cœlis aſſequentur. *Deſine ergo*, vt inquit Chryſologus ſerm. jam citato, *vel ſuperna diuidere, vel de terrenis, Chriſto audiente, litigare.* Vbi notandum illud verbum Chryſologi, *vel ſuperna diuidere*; quia illis innuit, litigantes, & diuiſionem in bonis terreſtribus poſtulantes, ſupernam & cœleſtem hæreditatem, quæ Deus eſt, ac conſequenter omninò indiuiſibilis, ſecare velle ac diuidere. Quod planè horrendum eſt ac execrandum.

521. Studeant igitur Chriſtiani, tanquam veri ac germani fratres, concordiæ ac paci, vt æternam in cœlis pacem conſequi valeant, & ad hoc à decem filiis ſanctiſſimi Iob trahant exemplum: hi enim adeò concordiæ vinculo colligabantur, vt nunquam potuerint diſiungi; nam vt inquit Origenes lib. 1. in Iob: *Fuerunt filij Iob numero decem, animo vnus, quos diabolus faciliùs potuit interficerere, quàm videre.* Cùm autem gratia naturam ſuperet, fortiuſque ſit ſpirituale vinculum quàm carnale; arctiùs coniungi debent quos eadem fides & gratia facit eſſe germanos, quàm illi quos caro & ſanguis conſtituit eſſe fratres. Quod D. Ambroſius *ſerm. 9. de vnitate charitatis*, notauit, dum ait: *Maior eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis: hæc interdum ſibi inimica eſt, illa ſine intermiſſione pacifica: illa inter ſe communia cum æmulatione diuidit; hæc propria cum gratulatione communicat: illa in conſortio deſpicit interdum germanum, hæc aſſumit frequenter alienum.* Vnde Tertullianus in Apologetico Gētilibus exprobrat, temporalium bonorum cupiditate fraternam ſcindere charitatem: at Chriſtianis ſummam eſſe pacem, quia his non ſolùm cor vnum & anima vna, ſed etiam bona temporalia erant communia. Sic enim ait: *Subſtantia temporalis penes vos dirimit fraternitatem.* Non igitur in Chriſtianis diuerſitas corporum aut perſonarum, cordium diuerſitatem arguat; ſed in pluribus Chriſti ſanguine renatis hominibus, vnus ſpiritus viuat. Cùm enim omnes fideles *vnum ſint in Chriſto*, vt inquit Paulus *ad Galat.* 3. vno corde viuere, vno ore loqui, & vno debent capite regi; ſicque vnitate viuentes, per vnitatem ad vnum optatum finem ſine deſſenſione aut diuiſione peruenient, vbi omnes in Chriſto perfecto modo vnum erimus. *Si enim*, vt inquit Auguſt. in expoſit. cap. 3. ep. ad Gal. *hoc facit fides, per quam in hac vita juſtè ambulatur, quantò perfectiùs id ſpecies factura eſt.*

Paci ſtudeā. Chriſtiani, vt pacem æternam conſequantur.

Diabolus faciliùs potuit filios Iob interficere, quàm diuidere.

D. Ambroſ.

Maior eſt fraternitas Chriſti, quā ſanguinis.

D. Auguſt.

Vnitate viuunt Chriſtiani, vt vnā gloriam obtineant.

522. Ex quibus omnibus patet, quanta cum ratione D. Thomas diſcipulos Domini fratres appellauerit, ac quàm juſtè ad omnes Chriſtianam fidem profitentes, egregium nomen hoc extenſum ſit. Glorientur igitur Chriſtiani fraterno titulo, eoque veluti ſplendidâ coronâ redimiti procedant, vt ab omnibus fratres mutuo charitatis vinculo colligati, verique Dei, Chriſti, & Eccleſiæ Filij agnoſcantur.

Verùm maior eſt hæc fraterna dignitas; non enim Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque in cœlis regnantium Sanctorum dumtaxat fratres ſunt, ſed etiam ipſius Sanctorum Regis, ac cœlorum Creatoris verè germani cenſentur. Sic illos appellauit, dum inquit Ioan. 20. *Vade ad fratres meos*; & Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Vbi quamvis nunciarent matrem ſuam cum fratribus foris adeſſe, reſponderit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* tamen vt notauit D. Ambroſ. lib. 6. in Luc. cap. 8. *non materna refutat pietatis obſequia, ſed paternis ſe myſteriis ampliùs quàm maternis affectibus debere demonſtrat. Neque tamen injurioſè refutantur parentes, ſed religioſiores copula mentium docentur eſſe quàm corporum.* Et vt idem Ambroſius pergit, *hic non mater negatur, quæ etiam de cruce agnoſcitur: ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum cæleſtium forma præfertur.* Ex quo docemur, quod ſicut ſpiritualem quam nobiſcum gratiâ, amore, immenſaque charitate affinitatem habet Chriſtus, carnali præcisè, quam cum matre, cæteriſque conſanguineis agnoſcit, prætulit: ita nos carnales parentes, cæteroſque ſanguine affines Chriſto, cui tanquam parenti, ac fratri ſpiritualiter jungimur, poſtponamus. Nam idem Ambroſius *in Luc. cap. 14. n. 20.* Chriſtianum ſic alloquitur: *Si propter te Dominus ſua renuntiat matri dicens, Quæ eſt mater mea? cur tu Domino tuos cupias anteferre?* 523.

Chriſtiani Chriſti Domini fratres.

D. Ambroſ.

Chriſtus matrem nuſquā negauit, quā è cruce agnouit.

Ambroſ.

Parentes carnales Chriſto poſtponendi.

Chriſti ergo cùm ſimus fratres ac filij, dignitatem noſtram agnoſcentes, prauis omnibus renunciemus conſuetudinibus, ipſoſque carnales, quibus in mundi huius tenebras editi ſumus, parentes, dum vel modicùm à Chriſto nos retrahunt, obliuiſcamur, dicentes: Quis eſt pater meus, niſi Deus? Quæ eſt mater mea, niſi amantiſſima Dei Sponſa Eccleſia? Quis eſt frater meus, niſi Chriſtus? qui etſi Rex cœlorum & Angelorum, ex Virgine naſci, ac ex eius lacte paſci pro me incredibili amore voluit. Sicque non de terrenis, ſed de cœleſtibus nobis conſanguinitatis ac affinitatis vinculo copulatis gloriabimur. 524.

Carnalibus parentibus contra Chriſtum non parendum.

Saporis Perſarum Regis ſuperbiam iriſit olim Conſtantius Imperator, cui Barbarus ille direxit epiſtolam, quæ inani faſtu ac arrogantiâ plena, illum Regum omnium Monarcham, ac aſtrorum germanum in limine præferebat. Sic enim, vt refert Cælius Rhodiginus, ordiebatur: ***Rex Regum Sapor, particeps ſyderum, frater Solis & Lunæ.*** Verùm hic, ſicut cæteri vanitatis cultores, grauis corde, grauior ingenio, diligens vanitatem quæſiuis mendacium; & ſe, qualis erat, neſciens, impudenter mentitus eſt alienum; nec enim Regum Princeps, vel ſyderum vſquam particeps fuit. Sed Chriſtiani abſque omni jactantia, veriſſimè non tantùm ſtellarum, ſed illarum, cæterorumque Conditoris aſtrorum ſe participes profiteri poſſunt & affines. Illi enim illius ſummi Principis filij ſunt, qui in femore ſuo, & in veſtimento, vt dicitur Apoc. 19. 16. ſcriptum habe, *Rex regum & Dominus dominantium.* Syderum inſuper, non corporalium, ſed ſpiritualium, ac ratione prædictorum ſunt participes: Chriſti Domini, qui Sol juſtitiæ eſt, in radiis ſuis ferens ſanitatem, omniumque ſalutem, fratres; ac myſticæ Lunæ, quæ vel eius Sponſa dilectiſſima Eccleſia eſt, vel puriſſima 525.

Saporis regis vanitas.

Cæl. Rhodig.

Chriſtiani Solis Chriſti, & Lunæ Mariæ fratres.

eius genitrix Maria ſanctiſſima (vtrique enim Lunæ conuenit nomen, & de vtraque *Cant*. 6. 9. dicitur, *Pulchra vt Luna*; altetutra enim, *æmula Solis* nuncupatur,) germani exiſtunt.

526. Cœleſtem igitur, ac diuinam in ſe proſapiam agnoſcât Chriſtiani, omnibuſque virtutibus exornent; terrenam verò, vel etiam nobilem, faſtidiant, contemnant, obliuiſcantur; cœleſtia enim non merentur, qui terrena diligunt; nec diuinæ conſanguinitatis digni ſunt, qui adhuc & ſanguine & affectu humanis parentibus conglutinantur, id atteſtante Veritate, Matth. 10. *Qui diligit patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Siquidem minima relinquere debemus, vt grandia poſſideamus; caduca deſpicere, vt æternis fruamur; humana neſcire, vt diuina recipiamus. Quod docuiſſe videtur S. Petrus Damiani Cardinalis *epiſt*. 114. ad Marinum conſanguineum ſuum Claſſenſem monachum, quem poſtquam hortatus eſt, vt maiorum ſuorum antiquitatem, nobilitatem ac gloriam obliuione contemneret, ſed de propria, quâ Chriſtianus eſt, ingenuitate gloriaretur, inquit: *Planè qui heres Dei, & coheres eſt Chriſti, omnem terreni ſtemmatis proſapiam ſuperat*.

Terrenam proſapiam ſpernant.

S. Pet. Dam.

Sectio IV.

Cur duodenus eſt Apoſtolorum numerus.

527. MYſterio non vacat Apoſtolos numero duodecim à Chriſto Domino fuiſſe electos, vt patet *Matth*. 10. *& Luc*. 6. ſacratus enim hic numerus in tanta ab ipſis Apoſtolis, poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, veneratione eſt habitus, vt propterea in locum Iudæ proditoris, ab ipſis diuino inſpirante numine Mathias ſuffectus ſit. Quod quidem ad complendum duodenarium numerum factum eſſe demonſtrat Eccleſia in oratione ſecreta Miſſæ in feſto einſdem S. Mathiæ, dicens: *Deus qui proditoris apoſtata ruinam, ne Apoſtolorum tuorum numerus ſacratus perfectione careret, Beati Mathiæ electione ſuppleſti*.

Duodenus Apoſtolorũ numerus ſacratus.

528. Triplicem igitur ac myſticam duodenus Apoſtolorum numerus continet ſignificationem; deſignat ſiquidem Chriſti Seruatoris optimi maieſtatem, Eccleſiæ perdilectæ eius Sponſæ dignitatem, ipſorumque Apoſtolum excellentiam ac nobilitatem. Quæ ſigillatim à nobis exponenda ſunt.

§. I.

In duodena Apoſtolorum numero Chriſti maieſtas ſplendeſcit.

529. NVſquam ſine maieſtate Chriſtus; neque enim ſine ſplendore Verbum Dei; neque ſine gloria æterni Patris Filius; neque ſine decore, puriſſimæ ac intemeratæ Virginis proles. Eam mox natus longè lateque diffudit, ſemelque in præſepio ab Immaculata Genitrice reclinatus, tantæ fulgore maieſtatis cœlum rapuit; vnde in terram attraxit Angelos, militiæque cœleſtis adduxit multitudinem, vt Deo gloriam, & hominibus pacem decantarent: Iudeæ montes commouit, ad ſe exinde paſtores alliciens; Orientem repleuit, Magos ex eius finibus ad ſua cunabula, ſtellâ præeunte, deducens; Ieroſolymam conturbauit, tyrannum impium confundens; in magnifico Salomonis templo coruſcauit, ſenem timoratum in pace dimittens; ipſamque peccato perditam naturam humanam reparauit, principio & fini ſuo, à quibus declinauerat, in ſe mirabiliter coniungens.

Vbique Chriſtus maieſtate fulget.

Eadem maieſtate refulſit, Eccleſiæ ſuæ in amantiſſimis diſcipulis fundamenta ponens, illoſque Apoſtolos, ſeu Legatos ad numerum duodenarium conſtituens. Sic etenim non ſolùm fundator, caput, & ſponſus; ſed etiam parens totius extitit Eccleſiæ. Tunc enim duodecim eligens Apoſtolos, duodecim peperit Eccleſiæ à ſe parentes. Myſticus ſanè Iacob, veruſque *Iſrael*, ideſt *princeps cum Deo*, imò Deus & Princeps extitit: vt enim vetus ille laboribus, periculis, ac peregrinationibus illuſtris Eſaü germanus duodecim filios, & hos patriarchas, populi ſub lege antiqua fidelis ſatores, ac parentes genuit: ita miro, ardentique ſalutis humanæ zelo Chriſtus Dominus duodecim ſtatuens Apoſtolos, duodecim fidelium ſub noua lege parentes, ac ſpirituales genitores vtero charitatis effudit. 530.

Præcipuè in duodecim Apoſtolis, quos parẽtes Eccleſiæ ſtatuit.

Sicut Iacob duodecim filios, Chriſtus duodecim habuit Apoſtolos.

De æterno Patre, qui acerrimo præſtantiſſimæ mentis oculo dum ſe intelligit, Filium viſcerum ingentem partum generat, loquutus Syneſius inquit, *Pater coronatur pulchritudine prolis*. Verbum etenim Dei non ſolùm eius filius eſt, ſed imago formoſiſſima, ſplendor gloriæ, ac proprius diuinæ venuſtatis character: vnde D. Thomas notauit 1. *p*. *q*. 39. *art*. 8. quod ſpecies, ſeu pulchritudo appropriatur filio Dei: vnde etiam humanæ proles, parentum cùm ſint ornamentum & decus, eorum corona à Scriptura vocitantur, Prou. 17. 6. *Corona ſenum filij eorum*. Ipſeque Apoſtolus, Philippenſes quos Chriſto per Euangelium genuerat, coronam ſuam, & gaudium appellauit, *Philip*. 4. 1. ſic eos alloquens: *Fratres mei chariſſimi, gaudium meum, & corona mea*. 531.

Deus pater filij pulchritudine coronatur.

D. Thom.

Filij coronæ parentum.

Iacob igitur duodecim filiis pretioſâ veluti coronâ redimitus, in lectulo moriturus, glorioſâ ſpecie refulgens, duodecim tribubus, earumque duodecim Patriarchis propriis benedictionibus, vt legitur *Gen*. 49. omnem Iudaïci populi Synagogam complexus eſt: nec diſſimili modo Eccleſiam gentium fundaturus Redemptor, duodecim Apoſtolorum, ceu duodecim filiorum pulchritudine fulgens, eorumque fulgore reſplendens, ipſis tanquam gemmis coronatus, Chriſtianorum omnium ingentem populum verbi ſemine ac fœcundiſſimo amoris ſinu concepit, peperit, fouit, enutriuit. Itaque ſi à Patre filiorum ſplendore coronato procedens Synagoga, *gens inclyta* à Moyſe *Deut*. 4. 8. appellatur; à Chriſto duodecim Apoſtolorum coronâ, ac ſplendore coruſco, ac formâ præ filiis hominum ſpecioſo, Eccleſia Chriſtianorum deſcendens meritò à D. Petro, 1. ep. 2. *gens ſancta, genus electum, & populus acquiſitionis* nominatur. 532.

Chriſtus duodecim Apoſtolis coronatur.

Iſraëlitarum nomine gloriabantur priſci in veteri Teſtamento Dei cultores; & ſicut à duodecim Iſraëlis filiis, & ſanguine, & religione progeniti, non illorum, ſed communis parentis titulo inſignes, tanti progenitoris gloriam per duodenum filiorum numerum propagatam vbique, non ſolùm moribus, cultu, ac fide, ſed etiam nomenclaturâ diffundebant; eodem planè modo à duodecim Apoſtolis in fide geniti, ac eruditi Fideles nouæ Legis homines, non illorum, ſed Chriſti duodenæ filiorum turbæ parentis 533.

Apoſtolorũ doctrinâ in fide geniti Chriſti nomine decorantur.

nomine Chriſtiani vocantur, vt in omnibus Eccleſiæ filiis à duodecim fratribus procedentibus, Saluatoris eorum optimi communiſque parentis gloria ac maieſtas, vitâ & nomine eluceſcant. Sed in immenſum maior eſt in Chriſtianis per Apoſtolos Chriſti Saluatoris glorificatio, quàm in Iudæis Iſraëlis fuit exaltatio. Hic enim non propter ſe, ſed propter eum quem expectabat, & adumbrabat, & de quo jamjam moriturus dixit Gen. 49. 18. *Salutare tuum expectabo, Domine*, apud Hebræos nomen habuit; ille propter ſe omnem typum euacuans, in gentibus quarum fuit *expectatio*, & *Saluator* exiſtit, glorioſo nominis ſui titulo exhibetur. Sub Iſraëlis nomine, duodecim Hebræorum tribus in ſpeciali orbis parte veluti concluſæ, Deo vero famulabantur, vt inſinuat Regius ille Vates *pſal.* 75. 1. dicens: *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.* At duodecim agentibus Apoſtolis, non ſolùm in vniuerſo terrarum orbe homines Chriſtianæ Fidei jugo ſuauiſſimo lubentiſſimè ſubditi ſunt, verùm etiam Chriſti gloria cœlos inferoſque repleuit; nam in *nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; omniſque lingua Saluatorem in gloria Dei Patris confitetur*, vt dicitur *Philip.* 2. 10. 11. Iudæos duodecim filios Patriarcharum Angeli docuerunt; Chriſtianorum Patres duodecim Apoſtoli verbum Dei diſſeminantes, etiam Angelorum doctores extiterunt, Paulo gentium magiſtro id atteſtante, *Eph.* 3. 10. dum inquit: *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Gloriam denique Iacob, ſeu Iſraëlis, duodecim eius filij dilatarunt, poſteros paternam, eamque vmbroſam fidem, quæ illucente veritate in perfectiorem ſtatum reducenda erat, edocentes: ſed magis Chriſti gloriam duodecim propagarunt Apoſtoli, omnibus gentibus vbique terrarum Chriſtianam Religionem, quæ nuſquam ab orbe, niſi cum hominibus tollenda eſt, per manus tradentes, eiſque viam ad æternam cum Chriſto, quem colunt, gloriam capeſſendam aperientes. Quod adeo D. Hilarius eſt demiratus, vt *in Matth. cap.* 4. dixerit, Apoſtolos non tantùm animis, ſed etiam corporibus, verbi Dei diſpenſatione immortalitatem conceſſuros; ſic enim loquitur: *Rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferunt.*

Apoſtoli Chriſti gloriam vbique propagarũt.

Cœlis & Angelis prædicarunt.

D. Hilar. Satores ſunt æternitatis.

534. Hinc Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolos judiciariæ, quâ pollet, poteſtatis collegas deſignans, ſecum in tremendo orbis judicio ſuper duodecim ſedes, ad duodecim Iſraëlitarum tribus judicandas fore pronuntiauit, Matth. 19. 28. *Cùm ſederit*, inquit, *Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Sicuti ergo terrarum Monarchæ, dum in ſolio judicaturi ſedent, Senatorum ac purpuratorum Patrum coronâ redimiti maiori maieſtatis fulgore coruſcant; ita Chriſtus Dominus à patre viuorum & mortuorum judex conſtitutus, dum in throno orbem terræ judicaturus ſedebit, duodecim Apoſtorum, veluti Senatorum ac Patrum purpuratorum ſecum aſſidentium vallatus obſequio, ac miniſterio decoratus, immenſa maieſtate refulgens ſplendidior emicabit.

Sedentes cũ Chriſto orbẽ judicabunt.

535. Verùm ex alio adhuc capite in duodecim Apoſtolis Chriſti maieſtas elucet. Cùm enim ipſe ſit verus *juſtitiæ Sol*, quem Malachias c. 4. 2. prædixit, quem intemerata Mariæ Virginitas quoddam veluti cœlum orbi terrarum effudit, corporei jubaris ordinem ac motum imitatus, myſticum quoddam in terris zodiacum deligens, in duodecim Apoſtolis, tanquam in duodeno ſignorum numero, ſedem ſuam collocauit. Florentiſſimum Galliarum Regnum in duodecim veluti partes, per duodenas gubernationes diſtributum, per duodecim præfectos bis ſenis illis Prouinciis, Chriſtianiſſimus ac potentiſſimus Gallorum Monarcha mirâ ſapientiâ dirigit. Quod vt in inuictiſſimo Rege Ludouico XIV. à Deodato exprimeret acutiſſimi ingenij vir, in zeniis 1. Ianuarij 1665. Lugdunenſis ciuitatis Gubernatoribus ac Magiſtratibus oblatis, Auguſtiſſimum illum Monarcham Sole in duodecim zodiaci domibus coruſcante exhibuit, cum hoc lemmate, *Per duodena regit.* Vbi ſanè in potentiſſimi Regis Francorum regimine, Chriſti Regis regum mira ſapientia micat; hic enim Patris ſplendor, juſtitiæ ſimul ac intelligentiæ Sol Eccleſiam ſuam, quam ſuprà *Regnum immobile* vidimus, per duodecim Apoſtolos veluti per duodenos prouinciis omnibus præfectos dirigit, regit, gubernat, ita vt de illo aptiùs, quàm de corporeo in duodecim zodiaci ſignis micante jubare liceat pronuntiare, *Per duodena regit.*

Chriſtus Sol.

536. Habet ergo ſua ſydera tellus, ſuumque Solem in duodecim myſtici zodiaci ſignis, Chriſtum ſcilicet in duodecim Apoſtolis Eccleſia demiratur. Magnum ſanè miraculum! Singula cœleſtis zodiaci ſigna per annos ſingulos luſtrantur quidem à Sole, ſed non ſimul: ab vno in aliud tranſit, nec gemino clauditur ſigno vnicus Sol; prius deſerit, dum in poſteriori refulget; quod viſitat, illuſtrat; ac vt totum percurrat zodiacum trecentos ſexagintaquinque dies, & ferè ſex horas velociſſimus curſor inſumit: at Sol juſtitiæ Chriſtus, vno eodemque momento duodecim myſtici zodiaci ſigna ſimul replet, duodecim Apoſtolos ſimul illuminat, ac per eos vniuerſum terrarum orbem ſuo ſplendore colluſtrat. Per ſublimia zodiaci ſigna non ſolùm viam currit, ſed tranſvolat lucem ſuam terræ effuſurus corporeus Sol; in duodecim beatis Apoſtolis manet Chriſtus, ac per illos, tanquam per alas, ſuper homines volitans, totum doctrinæ diuinæ ſplendorem ſpargit per orbem. Sic fuit antea ab Iſaïa prænunciatum, 24. 16. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam juſti*: vbi in Hebræo eſt, *ab alis terræ.* Alæ igitur terræ, immò & cœli, ac Solis juſtitiæ, ſancti vocantur Apoſtoli, qui toto orbe volitantes, Chriſti Domini verbum diſſeminantes, laudes illius euulgarunt. Quæ ſunt in zodiaco ſigna, non tantùm Solis ſedes ſunt ac manſiones, ſed aſtra, ſed ſtellæ: nec ſolùm viuæ Chriſti Domini domus, ſed etiam lucentia ſydera ſunt Apoſtoli.

Apoſtoli duodecim zodiaci ſigna.

Simul in omnibus myſtici zodiaci ſignis reperitur Chriſtus verus juſtitiæ Sol.

537. Maxima igitur Saluatoris in Apoſtolis ſplendet maieſtas, quos non ſolùm ex rudibus & imperitis ſapientiſſimos orbis magiſtros effecit, ſed etiam in ſydera ac ſtellas quibus hominibus affulgeret, tranſmutauit. At myſtica hæc aſtra ſpiritualia, alia quæ corporeis cernimus oculis longo poſt ſe relinquunt interuallo. *Quæ enim tales ſtellæ*, inquit Chryſoſtomus ſerm. 1. de Pentec. tom. 3. *ſicut Apoſtoli? Stellæ in cœlo, Apoſtoli ſupra cœlos. Quæ ſurſum ſunt* (Inquit Paulus) *ſapite, vbi Chriſtus eſt in dextera Patris ſedens.*

Apoſtoli in ſtellas ac ſydera tranſmutantur.

Chryſoſt.

Stellæ

Digitized by Google

Stellas vincunt.

Stellæ de igne inſenſibili, Apoſtoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obſcurantur: Apoſtoli in die, & in nocte ſuis radiis, hoc eſt virtutibus effulgent. Stellæ orto Sole obſcurantur, Apoſtoli Sole juſtitiæ reſplendente, ſuâ claritate luceſcunt. Stellæ in reſurrectione cadent ſicut folia, Apoſtoli in reſurrectione rapientur in aëra in nubibus: & in illis quidem ſyderibus alius Antifer, alius Lucifer appellatur; in Apoſtolis autem nullus Antifer eſt, omnes Luciferi; & ideo ſtellis maiores Apoſtoli. Hæc ille, quibus addere fas ſit, quod in ſtellis non eſt Sol, quamvis illius ſplendore colluceant: at in Apoſtolis Sol Chriſtus, à quo refulgent, reperitur. Stellæ aliæ primæ ſunt magnitudinis, aliæ ſecundæ: omnes primæ magnitudinis ſunt Apoſtoli; & licèt *ſicuti ſtella differt à ſtella in claritate*, vt loquitur Magiſter Gentium 1. *Cor.* 15. 41. in meritis ſint diſpares, ac in gloria inæquales, at ad primum ac celſiorem Eccleſiæ ordinem cuncti attinent, id docente Paulo 1. Cor. 12. 28. *Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundo Prophetas, &c.* Stellæ tandem ſupra Solem in firmamento collocatæ, vt docent Philoſophi, Solem nequeunt portare: at Apoſtoli non ſuprà, ſed juxta juſtitiæ Solem, Solis fulgentes exiſtunt portitores, ita vt de illis dicere liceat:

Apoſtoli omnes ſunt ſtellæ primæ magnitudinis.

Solemque nouum noua ſydera portant.

538. At ſtellæ, ſemper ſtellæ, nuſquam in Soles euadunt. Apoſtoli ſtellæ ſunt, & Soles fiunt. Huius aſtri nomine inſigniuntur à Chriſto, qui ſe myſticum Solem nominans, dum dixit Ioan. 8. 12. *Ego ſum lux mundi*, dilectiſſimos diſcipulos eodem titulo decorauit, *Matth.* 5. eos ſic alloquens, *Vos eſtis lux mundi.* Quod etiam Euangelici Vatis expreſſit oraculum; dum enim Eccleſiæ firmiſſima fundamenta, ac munitiſſima propugnacula exararet, Iſai. 50. 12. ſic de Apoſtolis loquebatur: *Fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua.* Vbi in Hebræo habetur, *ponam iaſpidem Soles tuos.* Rectè quidem; nam Apoſtoli Eccleſiæ Soles ſunt, ac propugnacula: Soles ſunt, qui veritatis lumen effundunt, & falſitatis tenebras diſpellunt: propugnacula ſunt, quæ Chriſtianos in Fide ac veritate protegunt, omneſque hoſtiles impetus retundunt. Soles & propugnacula, quia ſcilicet dum fideles illuminant, excæcant infideles; dum fouent filios, terrent hoſtes; & dum domeſticos ſpiritualibus alliciunt muneribus, externos conficiunt vulneribus. Soles denique ſunt Eccleſiam illuminantes, illius aduerſarios tenebris inuoluentes. Propugnacula ſunt domum Dei ab impiis ſectarum inuentoribus, ac ſcurrilibus hæreticorum nugis doctrinâ ſuâ ſtrenuè propugnantia.

In Soles conuertuntur.

Soles & propugnacula Eccleſiæ ſunt.

539. Tres olim, imperante Auguſto, tempore quo ex puriſſimi vteri virginalis aula Chriſtus in terram proceſſit, in cœlo Soles ſtupens ſuſpexit orbis: quo miraculo, vt notat D. Thomas 3. *p. q.* 36. *art.* 3. Gentibus Chriſti natiuitas annunciata eſt. At duodecim in Apoſtolis duodecim Soles demiratur Eccleſia. Quàm ergo fulgida, quàm ſplendida eſt, quæ non vnius, ſed duodecim aſtrorum luminis fontium fulgore coruſcat. Tres in Hiſpania naſcente Saluatore viſi Soles, paulatim in vnum coëuntes, vnicum efformarunt, vt refert D. Thomas jam citatus: duodecim, quos Eccleſia colit, & ſuſpicit Soles ab vnico procedentes, ad vnicum tendunt, & cum eo vnicum, eumque fulgentiſſimum efficiunt; à Chriſto enim lumina ſuſcipiunt, ad Chriſtum lucem effundunt, & ſimul cum Chriſto veritatis, ac pietatis ſplendore Eccleſiam replent. Vnicus ergo in duodecim, ac duodecim in vno, duodenum & vnicum Solem efformant. Quid præſtantius? Quid mirabilius? Nubem totidam dum aſpicit Sol, radiis ſuis in ea ſuam imprimit imaginem, ita vt in effigie ſua, qui ſocio caret, ſocium habeat, ſeque reproductum ſua luce miretur. Quid Apoſtoli, niſi nubes totidæ, gratiarum guttis, immò & vndis madefactæ? *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant*, de Apoſtolis canit Eccleſia. Quid Chriſtus, niſi verus juſtitiæ Sol? Ab hoc diuino jubare ſplendoris radij in illas vibrantur nubes; ſed lucidiſſimo tanti luminis fulgore Solis effigies in illis efformatur, adeo vt in duodecim Apoſtolis, veluti duodecim in nubibus, vnus ſplendeat Chriſtus, vnicus effulgeat Sol juſtitiæ. Duodecim igitur Chriſti in Apoſtolis ſimulachra, ſed vnicus ab illis exprimitur Chriſtus; duodecim lucent in illis Solis imagines, ſed vnicus in illis Sol coruſcat.

Tres in cœlo Soles naſcẽte Chriſto. D. Thom.

Duodecim in Apoſtolis Soles, in vnicum coëuntes, Eccleſia demiratur.

A Chriſti radiis, Solis effigiem habent Apoſtoli, ſicut nubes torida à radiis Solis.

Nec tota hæc eſt Chriſti in Apoſtolis maieſtas, nec tota per Chriſtum gloria Apoſtolorum: 540.
adhuc aliquid ſupereſt. Cœlos in terra conſtituit Seruator optimus, dum Apoſtolos elegit, quos non ſolùm è terrenis in cœleſtes homines, ſed etiam in cœlos transmutauit. *Poſui te vt plantes cœlos*, Filio incarnato, Vatis Euangelici oraculo dixit Pater Æternus *Iſai.* 51. 16. vbi juxta Gloſſam interlinearem, *per cœlos Apoſtolos intellexit.* Plane ſicuti juxta communem diſcipulorum D. Thomæ ſententiam, vndecim cœli mobiles conſtituuntur, quibus empyreum immobile, duodecimum adiungitur: ita duodecim in Eccleſia cœlos Chriſtus Dominus ſtatuit, qui licèt omnes mobiles toto terrarum orbe Euangelij ſplendorem, ac diuini ſermonis veritatem diſſeminauerint; tamen Petro cæterorum Principi, ac Paſtori, Empyrei firmitatem ſi, vt par eſt, tribuamus, in duodecim ſphæris cœleſtibus omnes illos adumbratos, ac duodecim in ipſis cœlos expreſſos haud dubiè omnis videbit oculus.

Cœli ſunt Apoſtoli.

Petrus Apoſtolorũ princeps & paſtor.

Vincit tamen corporeas cœleſtes ſphæras myſticus, iſque cœleſtis duodenus Apoſtolorum chorus: nec enim illæ, quæ luce coruſcant, vitâ, ſenſu, aut ratione vigent: mouentur quidem ab intelligentiis cœleſtibus globis affixis, ſed non mouent: Dei gloriam enarrant, ſed neſciunt; homines juuant, ſed ignorant; cunctiſque ſublunaribus lucem largiuntur, vt videant, ſed non cernunt. At myſtici in Apoſtolis vitâ perfectiſſimâ, intellectuali, ac ſupernaturali viuunt cœli. Spiritualia terrenis fundunt lumina, quæ cognoſcunt: diuina annunciant, quæ colunt: à ſummo magni conſilij Angelo mouentur, ſed mouent: à Spiritu Dei aguntur, ſed agunt: vitam hominibus ſupernaturalem, veritatis luce ac ſanctitatis fulgore prouident; ſed eadem vitâ ipſi viuunt. Denique rationabiles, juſti, incorruptibiles, ac diuinæ naturæ conſortes ſunt cœli Apoſtolici, ac de ipſis ſcriptum eſt pſalm. 135. 5. *Qui fecit cœlos intellectu*, vt notauit D. Bernardus *ſerm.* 27. *in Cant.* vbi ſic ait: *Habet* (Eccleſia) *cœlos ſuos homines ſpirituales, vitâ & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos: & hi pluentes pluuiam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis.* 541.

Cœlos ſuperant Apoſtoli, quia viuũt & Deum cuius gloriam enarrant, agnoſcunt.

A magni Conſilij Angelo cœli Apoſtolici mouentur.

D. Bern.

Quàm ergo glorioſus Chriſtus in duodecim Apoſtolis! 542.

Digitized by Google

Chriſtus Eccleſiæ pater, caput & ſpõſus.

*Eph.*5.Vndè cùm eius & Pater,& Caput,& Sponſus ſit, omnium eius filiorum & pater, & mater exiſtit. Sanè ad immenſam Chriſti connubio Eccleſia euecta eſt dignitatem; non enim ſolùm Dei hominis ſponſa & ſoror, vti illam in canticis appellat, ſed etiam multorum filiorum mater euaſit: & quæ dum fidei lumine orbata, creaturis obſequebatur, ſterilitatis opprobrio mulctabatur, Fidei ſplendoribus ſemel illoſtrata, Deo viuo copulata, mirâ fœcunditate donata eſt. De ea enim Regij Pſalmiſtæ vaticinium *pſal.*122.9. adimpletur: *Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Et illud quod refert Paulus Gal.4. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Sic enim Eccleſia Gentium, filiorum numeroſitate & multitudine, qui per vniuerſas totius orbis partes diffuſi ſunt, Hebræorum Synagogam in Iudæa & Palæſtina, veluti in paruis mundi angulis concluſam ſuperauit.

486. Verùm hanc nobilitauit fœcunditatem puriſſimus concipiendi ac pariendi modus; Chriſtus enim *Virginis filius, & virginum ſponſus,* vt loquitur Auguſtinus *lib. de virginitate,* virginali connubio Eccleſiæ ſpiritualiter coniugatus, ipſi matrem ſimul eſſe conceſſit, & virginem: hæc enim ſponſi ſui ſpiritu animata, charitate concipit filios, quos parit puritate. Cùm enim Baptiſmi Sacramento, quod nouam regenerat creaturam, ex aqua & Spiritu ſancto ſobolem gignat, non ventre, ſed mente geſtat vterum; corde potius quàm carne grauidatur; & ex illius ore abſque vlla prorſus corruptione, puro, ac caſto ſermone Chriſtiani exeunt, & naſcuntur. Quod ſanè eleganter attigit S. Ambroſius *lib.* 1. *de virginibus,* dicens: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole. Parturit itaque nos virgo, non viro plena, ſed Spiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum.* Quod etiam admirans D. Auguſtinus *ſerm.* 36. *de temp.* aquam baptiſmatis, quâ cum debita verborum pronunciatione filios parit Eccleſia, cum Beatiſſima Virgine Deipara confert, ipſique quodammodò præfert. Sic enim habet: *Penè maiori munere quam Maria, vnda ditata eſt: illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem: illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret: illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi eſt collata virginitas, iſti donata fœcunditas: illa vnum procreauit, & pura eſt; iſta generauit plurimos, & virgo eſt: illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum.* Hæc Auguſtinus.

D. Auguſt. Eccleſia fœcunda puritate ac virginitate.

D. Auguſt.

Aqua baptiſmi Chriſtianos regenerans, cũ vtero B. Virginis confertur.

487. Itaque vno eodemque parentes geniti; vna eademque matre Chriſtiani omnes nati ſunt, ſiue hi cum aqua & ſanguine è Chriſti latere dimanantes, ſiue è ſacro fonte Baptiſmatis exeuntes conſiderentur. Magna vbique illorum dignitas, quia vbique magni, immò & diuini illorum parentes. Extollant alij Mineruam à Iouis cerebro genitam; commentum hoc eſt. Glorientur Iudæi ſe patrem habere Abraham; hic homo fuit. Vnum ex Romanorum Imperatoribus laudans adulator, illum dicat à Diis progenitum, ſic eum alloquens, *ſate ſanguine Diuûm;* hi falſi & vani ſunt: ſoli illi qui Chriſtianorum nomenclaturâ refulgent, non ex Iouis cerebro, ſed ex Chriſti Domini mente & corde procedunt: non Abraham dumtaxat, ſed Abrahæ conditorem patrem venerantur: non inanium Deorum ſemine, ſed Dei viui Filij ſanguine procreantur; & hoc veritas eſt. Sic enim de illis Ioannes Euangeliſta loquitur, Ioan. 1. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Omnes igitur Chriſtiani Filij Dei, Chriſti, & Eccleſiæ, meritò fratres cenſentur, & glorioſo fratrum titulo decorantur.

Splendidas omnes ſuperat natiuitates ſplendida Chriſtianorum origo.

Ex Deo nati ſunt.

Cùm igitur in parentibus ſic colligati ac conſociati exiſtant Chriſticolæ, vt vnus ſit illorum pater, vna eademque illorum mater; indiſſolobili amoris vinculo illos coadunatos eſſe oportet, vt merito, ſicut & nomine, veri fratres exiſtant. Ea propter præceptum ore Domini illis ſignificatum apertiùs mutuam illis dilectionem commendauit, Ioan.13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Quia ergo ipſe Dominus mirâ erga homines dignatione, *non confunditur eos vocare fratres,* vt ait Apoſtolus *Heb.* 2. 11. & poſt glorioſam reſurrectionem ſuam diſcipulos hoc nomine decorauit, fideliſſimæ Magdalenæ dicens, *Vade ad fratres meos,* Ioan. 20. 17. illoſque tanquam fratres chariſſimos adamauit; vt illius præcepto morem geramus, proximos nobis toto orbe diffuſos Chriſtianos, vt germanos noſtros debemus diligere. 488.

Chriſtianis, quia fratres ſunt, dilectionem mutuam præcepit Dominus.

Hinc patet quàm juſtè primi qui fidem Chriſtianam ſuſceperunt, dicantur Act. 4. 32. *Cor vnum & animam vnam habuiſſe;* quod non phyſicè, ſed moraliter, propter mutuam, perfectamque eorum dilectionem intelligere neceſſum eſt. Hinc etiam liquet Eccleſiam quæ omnium Fidei Chriſtianæ profeſſorum collectio eſt, vnam eſſe, non ſolùm ab vno eius capite, vnoque fine, verùm etiam à filiorum vnitate. Adeo enim hi ſpirito, fide & charitate ſunt indiuiſi, vt non ſolùm fratres, ideſt ferè alteri (hoc enim fratris nomen ſonat, vt ſuprà aduertimus) cenſeantur, ſed vnica & eadem perſona. Quò reſpexiſſe videtur Paulus dum 1. *Cor.*9.24.inquit: *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Vbi Chriſtianos ad benè operandum & vitam conſequendam æternam exhortans, vt liquet ex eo quod ſubdit, *Sic currite comprehendatis,* non intendit omnes in ſtadio currentes, vnico excepto, mercedem & coronam amittere, ſed omnium brauium accipientium adoptionem, vnius conſequutione declarat; omnes enim iſti vnus ſunt. Sic enim eleganter notauit Origenes, dum *hom. de Elcana,* ſic fatur: *Cur non omnes vnus dicantur, quorum cor & anima vna eſſe deſcribitur, vnam ſemper omnes ſapientiam meditantur, vnum ſapiunt, vnum ſentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitentur, vno Spiritu Dei replentur? Vnde meritò & ipſi omnes non ſolùm vnum, ſed & vnus dicuntur, ſicut Apoſtolus deſignauit dicens: Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam. Vides manifeſtè, quia omnes juſti vnus eſt.* Hæc ille. 489.

Primis Chriſtianis erat cor vnum, & anima vna.

Vna perſona cenſentur.

Origen.

Inſignis ille currus quem ſuſpexit Ezechiel cap. 1. 18. *Oculis fuit vndique plenus.* Quorſum hæc? Quia Eccleſiam Chriſtianis refertam adumbrabat. At cur oculi Chriſtianos exhibent? Quia etſi germani veluti oculi ſint, tamen ita unico à cerebro procedente neruiculo, optico propterea nuncupato, dependent, vt vnus ſine alio nequeat reſpicere, nec viſum ab altero ſeparare. 490.

Oculis comparantur propter maximam vnitatem.

Bini

Bini ſunt, ſed vnica illorum acies, vnicum viſionis acumen, & vnico modo ac indiuiduo res viſibiles ab vtroque attinguntur. Quod optimè aduertit D. Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap.* 63. vbi ait: *Sicut oculus vnus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eandem partem ſemper voluuntur: ſic ſocietas illa iuſtorum nihil poterit velle diuerſum, ſed eandem ſemper voluntatem habebit.* Vbi licèt Anſelmus de ſocietate Sanctorum in patria loquatur; tamen rectè ad rem præſentem verba illius aptare poſſumus, ac de Chriſtianorum ſocietate adhuc in terris militantium explanare: non enim in Fide diuidi, aut in voluntate ſcindi, aut denique in verbis operibuſque debent diſiungi. Omnes enim alloqui videtur Apoſtolus 1. *Cor.* 1. 10. dum inquit: *Obſecro vos vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.*

D. Anſelm.

491. Eo planè modo non ſolùm vti fratres, verùm etiam vt vnus homo, priſci naſcentis Eccleſiæ tempore Chriſtiani, maiores noſtri, inter homines conuerſati ſunt. Adeo enim charitatis vinculo iungebantur, vt Gentiles incredibilem illorum ad inuicem admirantes amorem, ad ſtuporem exclamarent, vt refert Tertullianus in apologet. cap. 39. *Videte vt inuicem ſe diligant, vt pro altero mori ſint parati.* Nam, vt idem Author annotauit *ibid.* non ſolùm mente & fide, corde & charitate, ſed etiam terrenâ ſubſtantiâ & donis corporeis omnino communicabant; ait enim Tertullianus: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores.*

Chriſtianorū vnitas & dilectio gentibus admirationi erāt illis omnia indiſcreta, præter vxores.

Tertull.

492. Rationabiliter ergo fratres vocauit Dominus Apoſtolos, *Matth.* 23. *Luc.* 22. *& Ioan.* 20. Immò ipſi Apoſtoli collegas; omneſque ad Fidem aduentantes, fratres appellauerunt, vt paſſim videre eſt in illorum Actibus, cùm perfectâ debeant ſpiritûs, fideî, & charitatis vnione coniungi. Quod ipſe Dauid præuidens ſummâ animi voluptate eſt admiratus, pſal. 132. 1. *Quàm bonum*, inquit, *& quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Hine gentium Doctor *Rom.* 12. 10. Romanos ad Chriſti fidem conuerſos mutuam dilectionem docens, inquit: *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* Sic enim in Fide erunt ſtabiles, in opere efficaces, ac apud eos qui Chriſtum neſciunt, honori & admirationi. Immò & aduerſùs Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimos ſtrenui athletæ pugnabunt, ac vt inuicti milites, de erroribus, ſuppliciis, ac impietate glorioſam victoriam reportabunt, ſi fraterni amoris glutino copulentur. Vnitæ enim certantium phalanges, ac collecti equitum cunei, nec ab hoſtibus penetrantur, nec ſuperantur. Quod aliàs Scylurus ille Scytharum Rex, apud Plutarchum octoginta liberorum pater, fratres iſtos iam moriturus docuit: ſingulis enim faſcem iaculorum porrexit, eaque frangere iuſſit: quod cùm eorum nemo conando præſtare potuiſſet, ipſe ſingula exemit iacula, iiſque ſine negotio frangentibus omnia: *Si*, inquit, *concordes fueritis, validi inuictique manebitis; at diſcordiâ imbelles ac imbecilles facilè corruetis.* Quo etiam ingenio Cicero ciues ſuos fœdè diffidentes, *ſcopas diſſolutas* appellat.

Vnitate fortiſſimi Chriſtiani.

Plutarch.

Egregium Scyluri Regis factū ad ſuadendam fratrū vnionem & vnitatem.

493. At ſi terreni fratres, terrenique ciues amore; & concordiâ roborantur, ac diſcordiâ pereunt; quantò magis Chriſtiani Dei filij, fratreſque diuini, *ciues ſanctorum ac domeſtici Dei*, vt vincant, & à nemine ſuperentur, ac in illis triumphet Dominus, indiſſolubili charitatis ac concordiæ nexu mutuò colligari tenentur. Sanè vt aduertit Auguſtinus, *ſolâ diſcordiâ Chriſtiani ruunt.* Vt enim annotauit Sanctus ille Doctor *hom. de ouibus, c.* 15. eo quo viuebat tempore Eccleſia ad tantam gloriam doctrinâ, pietate & authoritate euecta erat, vt Gentiles illius hoſtes eius ſplendore perculſi, nihil contra Chriſtianos præter ſolam diſcordiam muſſitarent: monſtruoſum enim eſt eos, qui vnus panis & vnum corpus ſunt, qui ab eiſdem parentibus ſpiritualiter geniti, eadem aquâ in Spiritu ſancto abluente renati, germani fratres cenſentur, diſſenſionibus frangi, ſchiſmatibus ſcindi, & diſcordiis ſeparari. Sicuti enim lapis è Scyro, Tyrrhenus à Plinio nuncupatus, quamuis grandis, fluctuat integer, ſed mergitur comminutus: ſic Chriſtiani, ceu veri ac germani fratres, concordiâ ſuſtinentur, qui diſcordiis atteruntur, vincuntur, ac in profundum errorum, & impietatum in hoc ſeculo, & infernorum in futuro deturbantur. Nam *triumphus dæmonum eſt diſſenſio Chriſtianorum*, vt loquitur Auguſtinus *ſerm.* 74. *de diuerſis, cap.* 10. *tom.* 10.

D. Auguſt. Solâ diſcordiâ ruunt Chriſtiani.

Lapis tyrrhenus fluctuat integer, diuiſus mergitur.

§. II.

Chriſtiani fratres ſunt, quia eodem lacte nutriti.

FRatres alios germanos, qui ex eodem patre, & ex eadem matre: alios conſanguineos, qui ex eodem patre, & non ex eadem matre: & alios vterinos, qui ex eadem matre, & diuerſo patre nati ſunt, diſtinguunt Iuriſperiti. Verùm alij adhuc recenſentur, qui collactanei, ex eo quod idem lac ſuxerunt, nominantur. 494.

Fratrum triplex ordo. Quartus adiungitur.

Ex his quæ præcedenti paragrapho diximus, Chriſtianos non ſolùm vterinos, vel conſanguineos, ſed etiam verè germanos fratres eſſe conſtat: iam nouâ ratione fraternitatis titulo decorati, ſcilicet quia omnes collactanei ſunt, oſtendemus. 495.

Ex hoc quadruplici capite Chriſtiani fratres ſunt.

Ex eiſdem ſumus ex quibus nutrimur, inquit Philoſophorum Princeps Ariſtoteles. Alimentum enim in ſubſtantiam conuertitur aliti, vt in ſcholis tritum eſt. Vndè cùm lac quod ex genitricis vberibus ſugunt infantes, nihil aliud ſit quàm ſanguis illius, caloris naturalis ad fœtum alendum virtute decoctus; qui eiuſdem matris eandem lactant mammillam, nouâ natiuitate procreantur, & illius cuius paſcuntur lacte, filij dum euadunt, ad inuicem fratres meritò nominantur. 496.

Lac ſanguis eſt calore natiuo decoctus.

Ad eum planè modum, cùm non ſolùm ex Chriſti latere & Eccleſiæ gremio Chriſtiani oriantur, ſed etiam poſt ſpiritualem illam, quam per Baptiſmum adepti ſunt, regenerationem, eodem lacte tum à Chriſto Domino, tum ab eius Sponſa amantiſſima Eccleſia enutriantur, eos nouo modo fratres appellare debemus. Summa in hoc Chriſtianorum omnium parentis optimi Chriſti Domini prouidentia elucet: vt enim eis ſummum exhiberet amorem, & viciſſim in eis erga ſe maximum amorem produceret, proprio lacte, hoc eſt proprio corpore & proprio ſanguine alere voluit, quos etiam proprio ſanguine procreauit. Experientiâ enim compertum eſt, maiorem inter filios & parentes teneritudinem nutritione quàm generatione conciliari, vt ait D. Clemens Alexandr. lib. 1. pædag. cap. 6. *Aluiſſe inter homines*, inquit, *ſæpe plura affert amoris incitamenta, quam procreaſſe.* 497.

Eodem lacte & à Chriſto & ab Eccleſia nutriuntur Chriſtiani.

Nutritio magis amorem conciliat quàm generatio. D. Clem. Alex.

Faſtidiunt

498. Faſtidiunt tamen ditiores fœminæ lactare quos ediderunt; & eorum quorum ſe matres gloriantur, nutrices fieri erubeſcunt: ſic enim naturalem, quem etiam bruta animantia cuſtodiunt, humana peruerſitas immutauit affectum. Non ita planè naturæ Conditor, ac reſtaurator: immò ipſe fouet quos genuit; quos peperit, lactat; & quibus nouum ac ſpirituale Baptiſmo eſſe conceſſit, corpore & ſanguine ſuo, ſuauiſſimo veluti lacte conſeruat. Es enim ratio fuit, cur Eccleſiæ ſuæ adorands Euchariſtiæ myſteria per modum cibi & potûs, ac ſpiritualis alimenti tradidit, vt notauit Diuus Thomas 3. *p.q.*73. *art.*1. *&* 2. Hinc ſe nutritium noſtrum Prophetæ oraculo pronuntiauit: *Ego*, inquit, *quaſi nutritius Ephraim.* Oſeæ 11. Parum enim immenſæ eius charitati fuiſſet Chriſtianos, velut matrem, doloribus ac vulneribus peperiſſe, niſi eos tanquam nutrix ſanguine proprio, veluti lacte, ſuſtentaret. In hoc enim, multarum inter homines matrum pietatem ſuperauit, vt eleganter docuit D. Ioan. Chryſoſt. *hom.*1. *in pſalm.* 50. *&* *hom.* 60. *ad popul.* vbi ſic fatur: *Matres multæ ſunt, quæ poſt partûs dolores filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem Chriſtus non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.*

Chriſtus Chriſtianos magis diligit, quàm matres filios ament; quia illos proprio corpore & ſanguine paſcit & lactat.
D. Thom.
D. Chryſoſt.

499. Eapropter olim baptizatis etiam infantibus mox à Baptiſmo ex Apoſtolica traditione ſacra porrigebatur Euchariſtia, vt docet S. Dionyſ. *lib. Eccl. hierarch. cap.* 5. quem ritum etiamnum Græci obſeruant, dum pueris hoc Sacramentum miniſtrant, vt notauit Salmeron *in cap.* 2. *ep.* 1. *Petri, mon.*2. & Turrianus *lib. de Euchar. cap.* 20. *&* 21. quod etiam ipſi egerunt Apoſtoli; nam S. Petrus, cùm Romæ in carcere Mamertino Proceſſum & Martinianum cum familia ad Chriſti fidem perduxiſſet, & ſacris vndis Baptiſmatis abluiſſet, participes eos fecit corporis, & ſanguinis Domini. Vt autem Docet Hugo à S. Victore *lib.*1. *de Sacram. cap.*20. pueris recèns baptizatis, immò & recèns natis, vt faciliùs reciperent, ſola ſpecies vini: adultis verò vtraque, panis ſcilicet & vini ſpecies, corpus & ſanguinem Domini realiter continentes donabantur. Nec minùs infantes quàm adulti de myſtico hoc lacte ſumebant: totus enim Chriſtus ſub vtraque ſpecie realiter, integerque reperitur, reali concomitantiâ, vt loquuntur Theologi, quâ corpus Chriſti in hoc Sacramento à ſanguine non ſeparatur, nec ſanguis, vtpote viuus & animatus, à corpore disiungitur.

S. Dionyſ.
Olim infantibus mox baptizatis Euchariſtia veluti lac porrigebatur quod nunc Græci faciunt.
Hug. Vict.
Baptizatos à ſe ſtatim Euchariſtiâ pauit S. Petrus.

500. Nec ſine analogia quadam Euchariſtiæ Sacramentum Chriſti Domini lac, quo paſcuntur baptizati, diximus. Primò quia ſicut lac ex concocto fit ſanguine, vt inſinuat Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap.8. *Eadem*, inquit, *materia eſt quæ alit, & ex qua generationem natura conſtituit*; eaque ſanguineus humor in ſanguinem habentibus eſt, lac enim ſanguis concoctus eſt, non corruptus: ita cœleſte huius Sacramenti conuiuium ex infinito ardentique Chriſti amore inſtitutum, ſanguinem eius in igne ſuæ charitatis mirificè concoctum, eiuſque corpus ſanctiſſimum *in ara Crucis torridum*, vt canit Eccleſia in hymno Paſchali, veraciter complectitur, eaque nobis per modum lactis effundit.

Analogia inter Euchariſtiam & lac.
Ariſtot.
Lac fit calore natiuo; Euchariſtia ardore charitatis.

501. Secundò, quia ſicut lac quod ſuauiſſimum ac dulciſſimum eſt, infantes mirâ ſuauitate ac dulcedine perfundens, delectat & roborat: ita ſpirituali dulcedine ac ſuauitate replentur Chriſtiani ſacram manducantes Euchariſtiam; vt enim inquit D. Thomas opuſc. 57. *in hoc Sacramento dulcedo in ſuo fonte deguſtatur*: & vt exponit S. Baſilius Magnus, dum *pſalm.* 38.9. dicitur, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*; idem eſt ac ſi dicat Propheta, *guſtate ſuauitatem carnis Chriſti in Euchariſtia.* Hinc eſt, quod pſalmus ille qui allegoricè Euchariſtiæ à S. Iacobo in ſua liturgia tribuitur, ab Apoſtolis apud S. Clementem *lib.*8. *Conſtit. c.*20. mandatur legi in Miſſa cùm fit ſancta Synaxis.

D. Thom.
Lac dulciſſimum eſt: Euchariſtia dulcedinem in ſuo fonte præbet.
S. Baſil.

502. Tertiò, ſicut lac, infantium ſæuire neſcientium, iniuriarum immemorum, omniſque malitiæ expertium cibus eſt: ita Euchariſtia hominum infantili innocentiâ præditorum, omnique nequitiâ carentium diuinum quoddam eſt alimentum: debet enim qui ad tremenda accedit myſteria ſemetipſum probare, & niſi malitiâ paruulus & infans ſit, de hoc pane non edere, neque de hoc calice potare debet, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 11.

Lac Innocentium cibus eſt: Euchariſtia iuſtorũ.

503. Quartò denique ſicut lac exteriùs albeſcit, ſic ſacrum Chriſti corpus in Euchariſtia candidâ panis ſpecie, ac colore lacteo inuolvitur: viniique ſymbolum, quo eius ſanguis tegitur, maximam cum lacte habet ſimilitudinem; liquidum enim eſt, ac vires reficit: vnde vt ſuperiùs diximus, infantibus recèns natis ac baptizatis, ſpecies vini ſanguinem Domini realiter continens tanquam lac ſpirituale præbebatur, non ſolùm quia faciliùs vinum deglutiunt quàm panem comedant infantuli; ſed etiam quia ſicut vinum dicitur lac ſenum, ita è conuerſo lac dicitur eſſe infantium vinum. Vnde Cant. 5. 1. *Bibi vinum meum cum lacte meo*, inquit Eccleſia.

Lac exteriùs albeſcit: Euchariſtia colore candido fulget.

504. Iure igitur dum Chriſti corpore & ſanguine paſcimur & potamur, lacte veſci dicimur: vt enim inquit D. Auguſt. tract. 3. in 1. ep. Ioan. *Lac noſtrum Criſtus eſt*: & docuit D. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *pædagog. cap.* 6. vbi de Chriſto Domino ſic loquitur: *Ipſe qui eſt dilectus, & alter noſter, effudit pro nobis ſuum ſanguinem, per quem qui in Deum credidimus, ad mammillam Patris quæ curarum obliuionem inducit, nempe verbum, confugimus. Verè beati qui hanc lactant mammillam.* Hæc Clemens, vbi ſummam Chriſtianis conceſſam exiſtimat felicitatem, mammillam Patris, nempe Chriſtum Dominum ſugere. Ab illo quippe ſimul cum ſanguine cœleſtes illius dotes, virtutes, optimæque hauriuntur qualitates; ita vt non acidi, aſperi & fellei, ſed lactei & mellei, hoc eſt candidi, amabiles, ſuaues, benigni, benefici, fraternâ charitate inuicem diligentes ac promouentes reddantur. Quod expreſſit D. Petrus. 1. *ep. cap.* 2. Chriſtianos ſic alloquens: *Quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, vt in ipſo creſcatis in ſalutem*, *&c.* In cuius rei ſymbolum recèns baptizatis antiquitus dabatur lac & mel, vt refert Tertullianus lib.1. contr. Marc. cap. 14. *Mellis*, inquit, *& lactis ſocietate ſuos infantat Deus.* Et *lib. de cor. mil. cap.* 3. ait: *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.* Ipſaque Immaculata Chriſti Sponſa, tredecim annorum virgo & martyr S. Agnes aiebat: *Mel & lac ex ore eius ſuſcepi.*

D. Auguſt.
D. Clem. Alex.
Chriſtus eſt mammilla Patris æterni.
Baptizatis olim dabatur lac & mel.

505. Alio per Eccleſiam ſuam paſcit nos Chriſtus vbere; & quam ſibi proprio cruore deſpondens, matrem Chriſtianorum effecit, eam vt nobis verbum ſuum ac cœleſtem traderet diſciplinam

Doctrinâ Chriſti veluti lacte alit nos Eccleſia.

eligens,

Doctrinâ Christi veluti lacte alit nos Eccleſia.

eligens, noſtram conſtituit nutricem. Illa illa eſt quæ Euangelicam doctrinam, veluti lac nitidiſſimum, ac ſuauiſſimum dum erogat, quos ſacro Baptiſmate peperit, ſacro ſermone ſuſtentat; ſimulque dum magiſtræ munus exequitur, matris ac nutricis vices gerit. Cùm enim ab Eccleſia verbum Dei, ex cuius auditu fides procedit, vt ait Apnſt. *Rom.* 10. 16. accipiamus, & non in *ſolo pane viuamus, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, vt inquit Chriſtus *Matth.* 4. ipſeque Deus ore Eccleſiæ nobis ſua pandat oracula; & verbi ſemine Chriſtianos ipſa generat, & diuini ſermonis lacte ipſa reficit & conſeruat. Doctores ſiquidem dum diſciplinam tradunt diſcipulis, veluti filiis amantiſſimis, myſticum quo eorum animæ efformentur, & nutriantur, lac tradere exiſtimantur, atque exhinc patrum & matrum nominibus & officiis decorantur. Vnde

Doctores patres diſcipulorum vocãtur.

gentium Doctor, Chorinthiorum, quorum in ſpiritu, verbi Dei prædicatione, pater fuit, vt ipſe ait 1. Cor. 4. 15. *in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*; nutrix doctrinæ christianæ juxta captum illorum declaratione euaſit; ait enim 1. Cor. 3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis dedi.* Sicque Dei verbo fideles generans & lactans, eorum genitor genitrixque factus eſt: quod vt ſanguine teſtaretur, dum pro Chriſti fide, eiuſque Eccleſia animam poſuit, impio iubente Nerona, abſciſſis ceruicibus non cruorem, ſed lac effudit, ac triplici amputati capitis ſaltu ternos eoſque dulciſſimos ac lacteos fontes è terra elicuit; ter prolato ac inuocato IESV ſanctiſſimo nomine: vt etiam mortuus lacte & verbis enutriret, quos viuens ſermone Chriſto genuerat.

Paulus gentium doctor, lac illis vt filiis poſt mortem præbuit.

506. Hinc etiam admirabilis Chriſti Sponſa, Alexandrina Virgo Catharina, Chriſtianæ Fidei quamplurimos Philoſophos, impij Maximini vxorem, Porphyrium belli ducem, alioſque multos, cùm verbi Dei prædicatione zelo mirifico adiunxiſſet, animam agens, amputato capite, lac, non ſanguinem fudit, vt oſtenderet ſe doctrinâ diuina tantorum Chriſtianorum matrem extitiſſe ac nutricem; quos enim docendo Chriſto peperit, hos moriendo lacte ſuo voluit ſuſtentare. Sic igitur verbis diuinæ legis & naſcuntur, & lactantur Chriſtiani; vnde Tertullianus veros tantùm cenſet Chriſtianæ Fidei profeſſores, qui eandem, quam Apoſtoli tradiderunt, tenent doctrinam, & Catholicos dixit *conſanguinitatem* habere *doctrinæ*, vt innueret doctrinam, myſticum veluti lac, & ſanguinem audientibus communicari; & qui ſimul eandem recipiunt, ſpiritualem inter ſe conſanguinitatem habere. Quod adeo verum eſt, vt in Scriptura patres Magiſtri; & è conuerſo Doctores parentes vocitentur. Sic dum 4. Reg. 2. 12. Eliæ dicit Eliſæus, *Pater mi, pater mi*, juxta vulgatam editionem; Chald. habetur *Magiſter mi, magiſter mi*. Et Gen. 4. 21. Iubal dicitur *pater canentium cithara*, ideſt doctor primus. Et Salomon *Prou.* 1. verba facturus ad inſtruendos auditores in ſapientia & moribus, ſe patrem & matrem nominat, vt interpretatur Rodulphus, dum ait: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Vnde D. Auguſt. *lib. cont. Adimantum*, c. 5. duas agnoſcit filiationes; aliam naturæ, aliam doctrinæ, dum inquit: *Natura dicitur filius quiſpiam eius a quo genitus, doctrinâ illius a quo edoctus.*

Idem præſtitit virgo & martyr Catharina.

Lib. de præſcript.

Conſanguinitas doctrinæ.

Magiſter pater cenſetur & mater.

507. Cùm igitur cuncti, in Chriſto renati, eodem

R. P. Car. Bonquin Comm. in Proſam D. Thom.

lacte doctrinæ, eodemque Dei verbo à ſancta Eccleſia reficiantur, quis illns collactaneos ambiget? Quis fratres eſſe negabit? Chriſtianorum Eccleſiam reſpiciebat Euangelicus ille Vates, dum dicebat Iſai. 60. 4. *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Vbi Septuaginta interpretes habent, *lac ſugent*. Quod ſanè in lege gratiæ adimpletum eſt: ſicut enim infanti in lucem effuſo præbet vbera ad nutriendum mater, quæ vterum præbuerat ad formandum; ita vbi ſacro agente Baptiſmate, è tenebris originalis iniuſtitiæ ad admirabile Dei lumen effuſi ſumus, optima genitrix adeſt Eccleſia, quæ gemino veluti vbere, vtriuſque Teſtamenti paginis, Lege & Euangelio, diuinum doctrinæ lac nobis ad ſatietatem effundit; vt ſicut eodem *incorruptibili ſemine per verbum Dei renati*, ita eodem lacte *rationabili*, vt ipſum appellauit D. Petrus 2. *ep. c.* 2. vel *ſpirituali*, vt habetur ibidem Syriacè, ſeu vt ait D. Auguſt. *innocenti*, ſine dolo, ſincero, & non gypſo mixto, enutriti, in ipſo creſcamus, tanquam germani fratres, non ſolùm *in charitate fundati, & radicati*, ſed etiam eodem alimento colligati, & quaſi in lac, vno nutriti lacte, ſpiritualiter coagulati. Nam vt naturam gratia ſuperat, ita vnio, quæ per gratiam inter Chriſtianos eadem Eccleſiæ ſugentes vbera reperitur, quamlibet carnalium fratrum vincere debet vnionem. Quod ipſe expreſſit D. Ambroſ. *lib. 2. de officiis, cap.* 17. dum inquit: *Dulciùs ac vehementiùs ſimul vos diligo, quos Euangelio genui, quàm ſi coniugio ſuſcepiſſem: nam vehementior, ac dulcior eſt ad amorem gratia, quàm natura.* Quantâ ergo dulcedine, quantâ vi, quantâque vehementiâ Chriſtiani omnes collactaneos, diuinâ agente gratiâ, mutuò colligatos, debent diligere & amare.

Duplex filiatio, naturæ & doctrinæ.

Chriſtiani eadem doctrina imbuti, verè fratres collactanei.

D. Auguſt.

Maior eſt vnio gratiæ quàm naturæ.

D. Ambroſ.

§. III.

Chriſtiani fratres ſunt, quia ad eandem hæreditatem prouehuntur.

ADhuc ſupereſt ratio, quæ nobilem inter Chriſtianos ſtatuit fraternitatem, vna ſcilicet ac indiuidua omnibus & ſingulis à Deo hæreditas præparata. 508.
Cùm enim diuinâ agente clementiâ Filius Dei venerit, vt illo participante mortalitatem noſtram per dilectionem, nos efficeremur *participes diuinitatis ſuæ per adoptionem*, vt loquitur D. Auguſtinus *lib. de conſenſu Euangel.* & vt ait Apnſtolus Eph. 1. *prædeſtinauerit nos in adoptionem filiorum Dei*; ad diuinam hæreditatem jus habere dicimur. Cúmque hæreditas alicuius dicatur id ex quo ipſe eſt diues; Deus autem à ſeipſo diues, ac ſeipſo beatus ſit, in quantum ſeipſo fruitur; ideo diuinâ, quam per Chriſtum habemus, adoptione, ad Dei hæreditatem, ceu ad diuinam beatitudinem, in qua Deo ipſo fruemur, deſtinamur, vt rectè notauit D. Thomas 3. *p. q.* 23. *art.* 1.

Vnica omnibus Chriſtianis paratur hæreditas.

D. Auguſt.

D. Thom.

Mira res! Homines terrâ geniti non tantùm cœlo donantur, ſed Deo. Bonum in terra non habent, ſed ſuper terram; nec alibi ſuum hæreditatis theſaurum, quàm in ipſo Creatore requirunt. 509.
Sed hoc infinitæ miſericordiæ munus eſt; verus ſiquidem & dilectus filius ſempiterni Dei, *filius hominis eſſe dignatus eſt, vt hominem filium faceret Dei. Seruum patrem habere dignatus eſt, vt homini ſeruo patrẽ faceret ipſum Deum*, vt inquit D. Chry-

Deus eſt illa hæreditas.

D. Chryſoſt.

Google

remiſſionem peccatorum, ſed etiam ipſam Spiritus ſancti, gratiæ, charitatis, & donorum anthoris perſonam, ac conſequenter Patrem & Filium, ipſamque Deitatem, ac totam ſanctiſſimam Trinitatem complectitur. Quod innuit Apoſtolus *Rom.* 5. dicens: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Et ipſe docuit Christus, dum de Spiritu ſancto, *Ioan.* 14. ait: *Quem mittet Pater in nomine meo, & apud vos manebit, & in vobis erit: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et dilectus Domini diſcipulus, 1. *Ioan.* 4. inquit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Qua de re videndus D. Thomas 1. *p.q.*43. *art.*3.*&* 6.*& q.*38.*art.*8. vbi oſtendit Spiritus ſancti nomen proprium eſſe donum, quia ipſe donatur omnibus iuſtis.

Tota Trinitas cordibus iuſtorum infunditur.

D. *Thom.* Spiritus ſanctus dicitur donum, quia iuſtis donatur.

515. Ex quibus mira inter Deum & homines, per adoptionem patet etiam in natura coniunctio, ita vt Chriſtiani non tantùm nomine & extrinſecè, ſed etiam re & intrinſecè Diuini dici queant. Quod quidem D. Baſil. *homil.de Spiritu ſancto*, attigiſſe videtur, dum omnes iuſtos à Spiritu ſancto deificatos docet, ipſumque Spiritum ſanctum ex hoc eſſe Deum demonſtrat. Sic enim ait: *Huius gratiâ Deus eſt quiſque Sanctorum; dictum enim illis à Deo eſt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Et Deus Deorum (vtique ſanctorum) loquutus eſt. Et videbitur Deus Deorum (videlicet ſanctorum) in Sion. Neceſſe eſt autem diuinum eſſe ſpiritum, & ex Deo eſſe, qui Diis Diuinitatis eſt cauſa.* Hæc ille. Vera ergo, realia, & intrinſeca eſt in Chriſtianis per Dei adoptionem dignitas; nec ſolùm Filij Dei hac ratione nominantur, ſed etiam veraciter exiſtunt. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus*, inquit Ioannes *Ep.* 1. *cap.* 3. Nam vt ait Auguſtinus ibidem, *qui vocantur & non ſunt, quid prodeſt illis?*

D.Baſil.

Chriſtiani diuini, quia Deum in ſeipſis poſſident.

Auguſt.

516. Denique ab hominibus adoptati adoptantibus ſuccedunt, eorum bonis, dignitatibus, diuitiis, ac hæreditate fruentes. Verùm quis ampliori patrimonio gaudet, quis maioribus potitur dignitatibus, quis opulentioribus diuitiarum theſauris diteſcit, quàm vir à Deo adoptatus Chriſtianus? In quo, & per quem ad gratiam adoptionis euecti ſumus; Chriſtus Dominus, *cùm eſſet diues, propter nos egenus factus eſt, vt illius inopiâ nos diuites eſſemus*, vt loquitur Apoſtolus 2. *Cor.* 8. bonis vtique ſpiritualibus, quæ verè bona ſunt, cùm bonum faciant habentem. Vnde Beda ex allatis Apoſtoli verbis inquit: *Omnes ergo fideles boni ſunt diuites; nemo ſe contemnat: pauper in cella, diues in conſcientia, ſecurior dormit in terra, quàm auro diues in purpura.* Quo ſenſu de viro Deum timente inquit Dauid pſal. 111. *Gloria, & diuitiæ in domo eius.* Vbi Auguſtinus inquit, *Domus eius cor eius eſt.*

Chriſtiani verè diteſcunt.

517. Adoptantium mortem expectant homines, vt eorum fruantur hæreditate: at ſimul & adoptionis gratiam, & adoptantis diuitias ſuſcipiunt Chriſtiani, nec alium à ſe præbet Deus illis theſaurum; ipſe enim eorum eſt theſaurus, eorum hæreditas, eorum merces. *Tu es portio mea in terra viuentium*, Deum alloquens aiebat Dauid *pſal.* 42. vbi D. Ambroſius ait: *Cui portio Deus eſt, totius eſt poſſeſſor naturæ.* Dupliciter autem hæc immenſa ac diuina hæreditas à Chriſtianis poſſidetur, in via nempe, & in patria. Hîc in ſpe, illic in re; hîc in ænigmate, illic facie ad

Mortem Patris non expectant, vt eius bonis fruantur.

D. Ambroſ.

R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.

faciem; vtrobique realiter, ſed hîc per gratiam, illic per gloriam: ſicque non per mortem adoptantis, qui omninò immortalis eſt, ſed per mortem corpoream adoptati, in vitam tranſeuntes æternam, perennem percipiunt hæreditatem, dum in gaudium Domini introëuntes, eum quem per gratiam in via fidei caligine obuelatum habuerant, lumine gloriæ perfuſi reuelatâ facie perpetuò contemplantur. Quamvis vt notauit S. Thomas 3. *p.q.*23. *art.*1. *ad* 3. poſſit dici, *quod Deus (impropriè tamen) decedit, ſecundùm quod eſt in nobis per fidem, vt incipiat eſſe in nobis per ſpeciem*, ſicut Gloſſa dicit *Rom.* 8. ſuper illud: *Si filij, & heredes.* Fidei enim ſuccedit clara, & Intuitiua Dei viſio, per quam dum Deum perfectè poſſidemus abſque vllo ænigmate, ei quodammodò ſuccedere dicimur.

Deus dupliciter ab eis poſſidetur; per gratiam, & per gloriam.

D. Thom.

Nec noſtram, ſicut in rebus humanis contingit, hæreditatem minuit hæredum ſeu adoptatorum multitudo: eadem eſt in ſingulis, quæ in omnibus; quia totus Deus trinus & vnus, in Deitatis maieſtate, ac perſonarum proprietatibus obiectiua cunctorum eſt beatitudo. Quod eleganter D. Auguſt. *in pſalm.* 149. proſequitur in hunc modum: *Hæredes Dei ſic ſunt, vt ipſe Deus ſit hæreditas noſtra. Hæc hæreditas non minuitur copiâ poſſeſſorum, non fit anguſtior numeroſitate cohæredum; ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis, quanta omnibus; non talis te fecit hæredem, cui mortuo ſuccedas, ſed cum quo in æternum viuas.* 518.

Multitudo adoptatorũ, diuinam non minuit hæreditatem.

D. Auguſt.

Cùm ergo diuinâ adoptione in eandem ac indiuiduam Chriſtiani tendant hæreditatem, eamque in vnitate charitatis pacificè poſſideant, nonne ab ea, ſicuti filij Dei adoptivi, ita ad inuicem fratres exiſtunt? Vnde ſicuti in patria abſque diſſenſione Deo potientur, ita & in via ſummo fœdere, ſummaque concordiâ ad deſtinatum præmium ſimul currere, ſimulque debent militare. Sic enim Eccleſiæ parenti optimæ pacis vnione adhærentes, ab ea in vnum veluti conglobati, Parenti luminum immenſo eius fulgore beandi tradentur; quia vt ait D. Auguſt. conc. 2. in pſal. 30. *Sic vnum eſt corpus Eccleſia, vt non ſit diſciſſio; non autem diſciſſionem facit, niſi diſſenſio; charitas autem compagem facit, compages complectitur vnitatem, vnitas ſeruat charitatem, charitas peruenit ad claritatem.* Quibus verbis apertè indicat, ſine concordia charitatis nec hominem in Eccleſia poſſe ſubſiſtere, nec ad æternæ hæreditatis, quæ clara Dei viſio eſt, poſſeſſionem peruenire. Quomodo enim fructum mortis Chriſti perciperet, qui illius mortis effectum impediret? Chriſtus ſiquidem *mortuus eſt, vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, vt dicitur *Ioan.* 11. 52. 519.

Ad eandem vt fratres, Chriſtiani tendant hæreditatem.

D. Auguſt.

Charitate quæ vnitatẽ producit, peruenitur ad claritatẽ.

Aliàs germanus quidam Chriſtum adiit, & ab eo diuiſionem cum fratre ſic poſtolauit, Luc. 12. 13. *Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Quod iniquè ferens Dominus, illum increpando reſpondit: *Homo, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos?* Sanè optimus Saluator non diuidere vult, ſed vnire; quia non ad ſeparandum, ſed ad copulandum venerat. Quod eleganter, vt aſſolet, attigit Chryſologus *ſerm.* 162. his verbis: *Præceps cupiditas & incauta, mundanæ litis arbitrum credidit ipſum ſeculi conditorem, & eum fieri voluit diuiſionis authorem, qui ad reſtituendam venerat humani generis vnitatem.* Pergenſque addit: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* 520.

Chryſol. Chriſtus ad vniendum homines venit: & ideo etiam temporalem non vult diuidere hæreditatẽ.

reditatem. Non poteſt dicere fratri, Diuide, qui per Prophetam docuit, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Vnde ſi Chriſtus terrenam duobus fratribus diuidere noluit hæreditatem, quomodo qui Chriſti ſunt, qui eius filiorum nomine gloriantur, cœleſtem expectantes hæreditatem, diſſidiis ſeparantur? Si adhuc in terris militantes, dum concordiæ, & vnitati ſtudere debent, litibus, ſchiſmatis, ac diſſenſionibus ſcinduntur; quomodo Deum pacis, æternam ac indiuiduam eorum mercedem in cœlis aſſequentur. *Deſine ergo*, vt inquit Chryſologus ſerm. jam citato, *vel ſuperna diuidere, vel de terrenis, Chriſto audiente, litigare.* Vbi notandum illud verbum Chryſologi, *vel ſuperna diuidere*; quia illis innuit, litigantes, & diuiſionem in bonis terreſtribus poſtulantes, ſupernam & cœleſtem hæreditatem, quæ Deus eſt, ac conſequenter omninò indiuiſibilis, ſecare velle ac diuidere. Quod planè horrendum eſt ac execrandum.

521. Studeant igitur Chriſtiani, tanquam veri ac germani fratres, concordiæ ac paci, vt æternam in cœlis pacem conſequi valeant, & ad hoc à decem filiis ſanctiſſimi Iob trahant exemplum: hi enim adeò concordiæ vinculo colligabantur, vt nunquam potuerint disiungi; nam vt inquit Origenes lib. 1. in Iob: *Fuerunt filij Iob numero decem, animo vnus, quos diabolus faciliùs potuit interficerere, quàm videre.* Cùm autem gratia naturam ſuperet, fortiuſque ſit ſpirituale vinculum quàm carnale; arctiùs coniungi debent quos eadem fides & gratia facit eſſe germanos, quàm illi quos caro & ſanguis conſtituit eſſe fratres. Quod D. Ambroſius *ſerm. 9. de vnitate charitatis*, notauit, dum ait: *Maior eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis: hæc interdum ſibi inimica eſt, illa ſine intermiſſione pacifica: illa inter ſe communia cum æmulatione diuidit; hæc propria cum gratulatione communicat: illa in conſortia deſpicit interdum germanum, hæc aſſumit frequenter alienum.* Vnde Tertullianus in Apologetico Gẽtilibus exprobrat, temporalium bonorum cupiditate fraternam ſcindere charitatem: at Chriſtianis ſummam eſſe pacem, quia his non ſolùm cor vnum & anima vna, ſed etiam bona temporalia erant communia. Sic enim ait: *Subſtantia temporalis penes vos dirimit fraternitatem.* Non igitur in Chriſtianis diuerſitas corporum aut perſonarum, cordium diuerſitatem arguat; ſed in pluribus Chriſti ſanguine renatis hominibus, vnus ſpiritus viuat. Cùm enim omnes fideles *vnum ſint in Chriſto*, vt inquit Paulus *ad Galat.* 3. vno corde viuere, vno ore loqui, & vno debent capite tegi; ſicque vnitate viuentes, per vnitatem ad vnum optatum finem ſine deſſenſione aut diuiſione peruenient, vbi omnes in Chriſto perfecto modo vnum erimus. *Si enim*, vt inquit Auguſt. in expoſit. cap. 3. ep. ad Gal. *hoc facit fides, per quam in hac vita juſtè ambulatur, quantò perfectiùs id ſpecies factura eſt.*

Paci ſtudeãt Chriſtiani, vt pacem æternam conſequantur.

Diabolus faciliùs potuit filios Iob interficere, quàm diuidere.

D. Ambroſ.

Maior eſt fraternitas Chriſti, quã ſanguinis.

D. Auguſt.

Vnitate viuunt Chriſtiani, vt vnã gloriam obtineant.

522. Ex quibus omnibus patet, quanta cum ratione D. Thomas diſcipulos Domini fratres appellauerit, ac quàm juſtè ad omnes Chriſtianam fidem profitentes, egregium nomen hoc extenſum ſit. Glorientur igitur Chriſtiani fraterno titulo, eoque veluti ſplendidâ coronâ redimiti procedant, vt ab omnibus fratres mutuo charitatis vinculo colligati, veriqúe Dei, Chriſti, & Eccleſiæ Filij agnoſcantur.

Verùm maior eſt hæc fraterna dignitas; non enim Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque in cœlis regnantium Sanctorum dumtaxat fratres ſunt, ſed etiam ipſius Sanctorum Regis, ac cœlorum Creatoris verè germani cenſentur. Sic illos appellauit, dum inquit Ioan. 20. *Vade ad fratres meos*; & Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Vbi quamvis nuncianti matrem ſuam cum fratribus foris adeſſe, reſponderit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* tamen vt notauit D. Ambroſ. lib. 6. in Luc. cap. 8. *non materna refutat pietatis obſequia, ſed paternis ſe myſteriis ampliùs quàm maternis affectibus debere demonſtrat. Neque tamen iniurioſè refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe quàm corporum.* Et vt idem Ambroſius pergit, *hic non mater negatur, quæ etiam de cruce agnoſcitur: ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum cœleſtium forma præfertur.* Ex quo docemur, quod ſicut ſpiritualem quam nobiſcum gratiâ, amore, immenſaque charitate affinitatem habet Chriſtus, carnali præcisè, quam cum matre, cæteriſque conſanguineis agnoſcit, prætulit: ita nos carnales parentes, cæteroſque ſanguine affines Chriſto, cui tanquam parenti, ac fratri ſpiritualiter jungimur, poſtponamus. Nam idem Ambroſius *in Luc. cap. 14. n. 20.* Chriſtianum ſic alloquitur: *Si propter te Dominus ſua renuntiat matri dicens, Quæ eſt mater mea? cur tu Domino tuos cupias anteferre?* 523.

Chriſtiani Chriſti Domini fratres.

D. Ambroſ.

Chriſtus matrem nuſquã negauit, quã è cruce agnouit.

Ambroſ.

Parentes carnales Chriſto poſtponendi.

Chriſti ergo cùm ſimus fratres ac filij, dignitatem noſtram agnoſcentes, prauis omnibus renunciemus conſuetudinibus, ipſoſque carnales, quibus in mundi huius tenebras editi ſumus, parentes, dum vel modicùm à Chriſto nos retrahunt, obliuiſcamur, dicentes: Quis eſt pater meus, niſi Deus? Quæ eſt mater mea, niſi amantiſſima Dei Sponſa Eccleſia? Quis eſt frater meus, niſi Chriſtus? qui etſi Rex cœlorum & Angelorum, ex Virgine naſci, ac ex eius lacte paſci pro me incredibili amore voluit. Sicque non de terrenis, ſed de cœleſtibus nobis conſanguinitatis ac affinitatis vinculo copulatis gloriabimur. 524.

Carnalibus parentibus contra Chriſtum non parendum.

Saporis Perſarum Regis ſuperbiam irriſit olim Conſtantinus Imperator, cui Barbarus ille direxit epiſtolam, quæ inani faſtu ac arrogantiâ plena, illum Regum omnium Monarcham, ac aſtrorum germanum in limine præferebat. Sic enim, vt refert Cælius Rhodiginus, ordiebatur: *Rex Regum Sapor, particeps ſyderum, frater Solis & Lunæ.* Verùm hic, ſicut cæteri vanitatis cultores, grauis corde, grauior ingenio, diligens vanitatem quæſiuit mendacium; & ſe, qualis erat, neſciens, impudenter mentitus eſt alienum; nec enim Regum Princeps, vel ſyderum vſquam particeps fuit. Sed Chriſtiani abſque omni jactantia, veriſſimè non tantùm ſtellarum, ſed illarum, cæterorumque Conditoris aſtrorum ſe participes profiteri poſſunt & affines. Illi enim illius ſummi Principis filij ſunt, qui in femore ſuo, & in veſtimento, vt dicitur Apoc. 19. 16. ſcriptum habet, *Rex regum & Dominus dominantium.* Syderum inſuper, non corporalium, ſed ſpiritualium, ac ratione prædictorum ſunt participes: Chriſti Domini, qui Sol juſtitiæ eſt, in radiis ſuis ferens ſanitatem, omniumque ſalutem, fratres; ac myſticæ Lunæ, quæ vel eius Sponſa dilectiſſima Eccleſia eſt, vel puriſſima 525.

Saporis regis vanitas.

Cal. Rhodig.

Chriſtiani Solis Chriſti, & Lunæ Mariæ fratres.

eius

eius genitrix Maria ſanctiſſima (vtrique enim Lunæ conuenit nomen, & de vtraque *Cant.* 6. 9. dicitur, *Pulchra vt Luna*; alterutra enim, *emula Solis* nuncupatur,) germani exiſtunt.

526. Cœleſtem igitur, ac diuinam in ſe proſapiam agnoſcāt Chriſtiani, omnibuſque virtutibus exornent; terrenam verò, vel etiam nobilem, faſtidiant, contemnant, oblioiſcantur; cœleſtia enim non merentur, qui terrena diligunt; nec diuinæ conſanguinitatis digni ſunt, qui adhuc & ſanguine & affectu humanis parentibus conglotinantur, id atteſtante Veritate, Matth. 10. *Qui diligit patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Siquidem minima relinquere debemus, vt grandia poſſideamus; cadoca deſpicere, vt æternis fruamur; humana neſcire, vt diuina recipiamus. Quod docuiſſe videtor S. Petrus Damiani Cardinalis *epiſt.* 114. ad Marinum conſanguineum ſuum Claſſenſem monachum, quem poſtquam hortatus eſt, vt maiorum ſuorum antiqoitatem, nobilitatem ac gloriam obliuione contemneret, ſed de propria, quâ Chriſtianus eſt, ingenuitate gloriaretur, inquit: *Planè qui heres Dei, & coheres eſt Chriſti, omnem terreni ſtemmatis proſapiam ſuperat.*

Terrenam proſapiam ſpernant.

S. Pet. Dam.

Sectio IV.

Cur duodenus eſt Apoſtolorum numerus.

527. MYſterio non vacat Apoſtolos numero duodecim à Chriſto Domino fuiſſe electos, vt patet *Math.* 10. *&* *Luc.* 6. ſacratus enim hic numerus in tanta ab ipſis Apoſtolis, poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, veneratione eſt habitus, vt propterea in locum Iudæ proditoris, ab ipſis diuino inſpirante numine Mathias ſuffectus ſit. Quod quidem ad complendum duodenarium numerum factum eſſe demonſtrat Eccleſia in oratione ſecreta Miſſæ in feſto eiuſdem S. Mathiæ, dicens: *Deus qui proditoris apoſtatæ ruinam, ne Apoſtolorum tuorum numerus ſacratus perfectione careret, Beati Mathiæ electione ſuppleſti.*

Duodenus Apoſtolorū numerus ſacratus.

528. Triplicem igitur ac myſticam doodenus Apoſtolorum numerus continet ſignificationem; deſignat ſiquidem Chriſti Seruatoris optimi maieſtatem, Eccleſiæ perdilectæ eius Sponſæ dignitatem, ipſorumque Apoſtolum excellentiam ac nobilitatem. Quæ ſigillatim à nobis exponenda ſunt.

§. I.

In duodeno Apoſtolorum numero Chriſti maieſtas ſplendeſcit.

529. NVſquam ſine maieſtate Chriſtus; neque enim ſine ſplendore Verbum Dei; neque ſine gloria æterni Patris Filius; neque ſine decore, puriſſimæ ac intemeratæ Virginis proles. Eam mox natus longè latéque diffudit, ſemelque in præſepio ab Immaculata Genitrice reclinatus, tantæ fulgore maieſtatis cœlum rapuit; vnde in terram attraxit Angelos, militiæque cœleſtis adduxit multitudinem, vt Deo gloriam, & hominibus pacem decantarent: Iudeæ montes commouit, ad ſe exinde paſtores alliciens; Orientem repleuit, Magos ex eius finibus ad ſua cunabula, ſtellâ præeunte, deducens; Ieroſolymam cooturbauit, tyrannum impium confundens; in magnifico Salomonis templo coruſcauit, ſenem timoratum in pace dimittens; ipſamque peccato perditam naturam humanam reparauit, principio & fini ſuo, à quibus declinauerat, in ſe mirabiliter coniungens.

Vbique Chriſtus maieſtate fulget.

530. Eadem maieſtate refulſit, Eccleſiæ ſuæ in amantiſſimis diſcipulis fuodamenta ponens, illoſque Apoſtolos, ſeu Legatos ad numerum doodenarium conſtituens. Sic etenim noo ſolùm fundator, caput, & ſponſus; ſed etiam parens totius extitit Eccleſiæ. Tunc enim duodecim eligens Apoſtolos, duodecim peperit Eccleſiæ à ſe parentes. Myſticus ſanè Iacob, veruſque *Iſrael*, ideſt *princeps cum Deo*, imò Deus & Prioceps extitit: vt enim vetus ille laboribus, periculis, ac peregrinationibua illuſtris Eſaü germanus duodecim filios, & hos patriarchas, populi ſub lege antiqua fidelis ſatores, ac parentes genuit: ita miro, ardentique ſalutis humanæ zelo Chriſtus Dominus duodecim ſtatuens Apoſtolos, duodecim fidelium ſub noua lege parentes, ac ſpirituales genitores vtero charitatis effudit.

Præcipuè in duodecim Apoſtolis, quos parētes Eccleſiæ ſtatuit.

Sicut Iacob duodecim filios, Chriſtus duodecim habuit Apoſtolos.

531. De æterno Patre, qui acerrimo præſtantiſſimæ mentis oculo dum ſe intelligit, Filium viſcerum ingentem partum generat, loqoutus Syneſius inqoit, *Pater coronatur pulchritudine prolis.* Verbum etenim Dei non ſolùm eius filius eſt, ſed imago formoſiſſima, ſplendor gloriæ, ac proprius diuinæ venuſtatis character: vnde D. Thomas notauit 1. *p. q.* 39. *art.* 8. quod ſpecies, ſeu pulchritudo appropriatur filio Dei: vnde etiam humanæ proles, parentum cùm ſint ornamentum & decus, eorum corona à Scriptura vocitantur, Prou. 17. 6. *Corona ſenum filij eorum.* Ipſeque Apoſtolus, Philippenſes quos Chriſto per Euangelium genuerat, coronam ſuam, & gaudium appellauit, *Philip.* 4. 1. ſic eos alloqueus: *Fratres mei chariſſimi, gaudium meum, & corona mea.*

Deus pater filij pulchritudine coronatur.

D. Thom.

Filij coronæ parentum.

532. Iacob igitur duodecim filiis pretioſâ veluti coronâ redimitus, in lectulo morinatus, glorioſâ ſpecie refulgens, duodecim tribubus, earumque duodecim Patriarchis propriis benedictionibus, vt legitur *Gen.* 49. omnem Iudaïci populi Synagogam complexus eſt: nec diſſimili modo Eccleſiam gentium fundaturus Redemptor, duodecim Apoſtolorum, ceu duodecim filiorum polchritudine fulgens, eorumque fulgore reſplendens, ipſis tanquam gemmis coronatus, Chriſtiaoorum omnium ingentem populum verbi ſemioe ac fœcundiſſimo amoris ſinu concepit, peperit, fouit, enutriuit. Itaque ſi à Patre filiorum ſplendore coronato procedens Synagoga, *gens inclyta* à Moyſe *Deut.* 4. 8. appellatur; à Chriſto duodecim Apoſtolorum coronâ, ac ſplendore coruſco, ac formâ præ filiis hominum ſpecioſo, Eccleſia Chriſtianorum deſcendens meritò à D. Petro, 1. ep. 2. *gens ſancta, genus electum, & populus acquiſitionis* nominatur.

Chriſtus duodecim Apoſtolis coronatur.

533. Iſraëlitarum nomine gloriabantur priſci in veteri Teſtamento Dei cultores; & ſicut à duodecim Iſraëlis filiis, & ſaoguine, & religione progeniti, non illorum, ſed communis parentis titulo inſignes, tanti progenitoris gloriam per duodenum filiorum numerum propagatam vbique, non ſolùm moribus, cultu, ac fide, ſed etiam nomenclaturâ diffundebant; eodem planè modo à duodecim Apoſtolis in fide geniti, ac eruditi Fideles nouæ Legis homines, non illorum, ſed Chriſti duodenæ filiorum turbæ parentis

Apoſtolorū doctrinâ in fide geniti Chriſti nomine decorantur.

nomine Chriſtiani vocantur, vt in omnibus Eccleſiæ filiis à duodecim fratribus procedentibus, Saluatoris eorum optimi communiſque paternis gloria ac maieſtas, vitâ & nomine eluceſcant. Sed in immenſum maior eſt in Chriſtianis per Apoſtolos Chriſti Saluatoris glorificatio, quàm in Iudæis Iſraëlis fuit exaltatio. Hic enim non propter ſe, ſed propter eum quem expectabat, & adumbrabat, & de quo jamjam moriturus dixit Gen. 49. 18. *Salutare tuum expectabo, Domine*, apud Hebræos nomen habuit; ille propter ſe omnem typum euacuans, in gentibus quarum fuit *expectatio*, & *Saluator* exiſtit, glorioſo nominis ſui titulo exhibetur. Sub Iſraëlis nomine, duodecim Hebræorum tribus in ſpeciali orbis parte veluti concluſæ, Deo vero famulabantur, vt inſinuat Regius ille Vates *pſal.* 75. 1. dicens: *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* At

Apoſtoli Chriſti gloriam vbique propagarũt.

duodecim agentibus Apoſtolis, non ſolùm in vniuerſo terrarum orbe homines Chriſtianæ Fidei jugo ſuauiſſimo lubentiſſimè ſubditi ſunt, verùm etiam Chriſti gloria cœlos inferoſque repleuit; nam in *nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; omniſque lingua Saluatorem in gloria Dei Patris confitetur*, vt dicitur *Philip.* 2. 10. 11. Iudæos duodecim filios Patriarcharum Angeli docuerunt; Chriſtianorum Patres duodecim Apoſtoli verbum Dei diſſeminantes, etiam Angelorum doctores extiterunt, Paulo gentium magiſtro id atteſtante, *Eph.* 3. 10. dum inquit: *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.*

Cœlis & Angelis prædicarunt.

Gloriam denique Iacob, ſeu Iſraëlis, duodecim eius filij dilatarunt, poſteros paternam, eamque vmbroſam fidem, quæ illucente veritate in perfectiorem ſtatum reducenda erat, edocentes: ſed magis Chriſti gloriam duodecim propagarunt Apoſtoli, omnibus gentibus vbique terrarum Chriſtianam Religionem, quæ nuſquam ab orbe, niſi cum hominibus tollenda eſt, per manus tradentes, eiſque viam ad æternam cum Chriſto, quem colunt, gloriam capeſſendam aperientes.

D. Hilar. Satores ſunt æternitatis.

Quod adeo D. Hilarius eſt demiratus, vt *in Matth. cap.* 4. dixerit, Apoſtolos non tantùm animis, ſed etiam corporibus, verbi Dei diſpenſatione immortalitatem conceſſuros; ſic enim loquitur: *Rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferunt.*

534. Hinc Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolos judiciariæ, quâ pollet, poteſtatis collegas deſignans, ſecum in tremendo orbis judicio ſuper duodecim ſedes, ad duodecim Iſraëlitarum tribus judicandas fore pronuntiauit, Matth. 19. 28. *Cùm ſederit*, inquit, *Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Sicuti ergo terrarum Monarchæ, dum in ſolio judicaturi ſedent, Senatorum ac purpuratorum Patrum coronâ redimiti maiori maieſtatis fulgore coruſcant; ita Chriſtus Dominus à patre viuorum & mortuorum judex conſtitutus, dum in throno orbem terræ judicaturus ſedebit, duodecim Apoſtorum, veluti Senatorum ac Patrum purpuratorum ſecum aſſidentium vallatus obſequio, ac miniſterio decoratus, immenſa maieſtate refulgens ſplendidior emicabit.

Sedentes cũ Chriſto orbẽ judicabunt.

535. Verùm ex alio adhuc capite in duodecim Apoſtolis Chriſti maieſtas elucet. Cùm enim ipſe ſit verus *juſtitiæ Sol*, quem Malachias *c.* 4. 2. prædixit, quem intemerata Mariæ Virginitas quoddam veluti cœlum orbi terrarum effudit, corporei jubaris ordinem ac motum imitatus, myſticum quoddam in terris xodiacum deligens, in duodecim Apoſtolis, tanquam in duodeno ſignorum numero, ſedem ſuam collocauit. Florentiſſimum Galliarum Regnum in duodecim veluti partes, per duodenas gubernationes diſtributum, per duodecim præfectos bis ſenis illis Prouinciis, Chriſtianiſſimus ac potentiſſimus Gallorum Monarcha mirâ ſapientiâ dirigit. Quod vt in inuictiſſimo Rege Ludouico XIV. à Deodato exprimeret acutiſſimi ingenij vir, in xeniis 1. Ianuarij 1665. Lugdunenſis ciuitatis Gubernatoribus ac Magiſtratibus oblatis, Auguſtiſſimum illum Monarcham Sole in duodecim xodiaci domibus coruſcante exhibuit, cum hoc lemmate, *Per duodena regit.* Vbi ſanè in potentiſſimi Regis Francorum regimine, Chriſti Regis regum mira ſapientia micat; hic enim Patris ſplendor, juſtitiæ ſimul ac intelligentiæ Sol Eccleſiam ſuam, quam ſuprà *Regnum immobile* vidimus, per duodecim Apoſtolos veluti per duodenos prouinciis omnibus præfectos dirigit, regit, gubernat, ita vt de illo aptiùs, quàm de corporeo in duodecim zodiaci ſignis micante jubare liceat pronuntiare, *Per duodena regit.*

Chriſtus Sol.

Habet ergo ſua ſydera tellus, ſuumque So- 536.
lem in duodecim myſtici xodiaci ſignis, Chriſtum ſcilicet in duodecim Apoſtolis Eccleſia demiratur. Magnum ſanè miraculum! Singula cœleſtis xodiaci ſigna per annos ſingulos luſtrantur quidem à Sole, ſed non ſimul: ab vno in aliud tranſit, nec gemino clauditur ſigno vnicus Sol; prius deſerit, dum in poſteriori refulget; quod viſitat, illuſtrat; ac vt totum percurrat zodiacum trecentos ſexagintaquinque dies, & ferè ſex horas velociſſimus curſor inſumit: at Sol juſtitiæ Chriſtus, vno eodemque momento duodecim myſtici xodiaci ſigna ſimul replet, duodecim Apoſtolos ſimul illuminat, ac per eos vniuerſum terrarum orbem ſuo ſplendore colluſtrat. Per ſublimia xodiaci ſigna non ſolùm viam currit, ſed tranſvolat lucem ſuam terræ effuſurus corporeus Sol; in duodecim beatis Apoſtolis manet Chriſtus, ac per illos, tanquam per alas, ſuper homines volitans, totum doctrinæ diuinæ ſplendorem ſpargit per orbem. Sic fuit antea ab Iſaïa prænunciatum, 24. 16. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam juſti*: vbi in Hebræo eſt, *ab alis terræ.* Alæ igitur terræ, immò & cœli, ac Solis juſtitiæ, ſancti vocantur Apoſtoli, qui toto orbe volitantes, Chriſti Domini verbum diſſeminantes, laudes illius euulgarunt. Quæ ſunt in zodiaco ſigna, non tantùm Solis ſedes ſunt ac manſiones, ſed aſtra, ſed ſtellæ: nec ſolùm viuæ Chriſti Domini domus, ſed etiam lucentia ſydera ſunt Apoſtoli.

Apoſtoli duodecim zodiaci ſigna.

Simul in omnibus myſtici zodiaci ſignis reperitur Chriſtus verus juſtitiæ Sol.

Maxima igitur Saluatoris in Apoſtolis ſplen- 537.
det maieſtas, quos non ſolùm ex rudibus & imperitis ſapientiſſimos orbis magiſtros effecit, ſed etiam in ſydera ac ſtellas quibus hominibus affulgeret, tranſmutauit. At myſtica hæc aſtra ſpiritualia, alia quæ corporeis cernimus oculis longo poſt ſe relinquunt interuallo. *Quæ enim tales ſtellæ*, inquit Chryſoſtomus ſerm. 1. de Pentec. tom. 3. *ſicut Apoſtoli? Stellæ in cælo, Apoſtoli ſupra cælos. Quæ ſurſum ſunt* (inquit Paulus) *ſapite, vbi Chriſtus eſt in dextera Patris ſedens.*

Apoſtoli in ſtellas ac ſydera tranſmutantur.

Chryſoſt.

Stellæ

Stellas vincunt.

Stellæ de igne inſenſibili, Apoſtoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obſcurantur: Apoſtoli in die, & in nocte ſuis radiis, hoc eſt virtutibus effulgent. Stellæ orto Sole obſcurantur, Apoſtoli Sole juſtitiæ reſplendente, ſuâ claritate luceſcunt. Stellæ in reſurrectione cadent ſicut folia, Apoſtoli in reſurrectione rapientur in aëra in nubibus: & in illis quidem ſyderibus alius Antifer, alius Lucifer appellatur; in Apoſtolis autem nullus Antifer eſt, omnes Luciferi; & ideo ſtellis maiores Apoſtoli. Hæc ille, quibus addere fas ſit, quod in ſtellis non eſt Sol, quamvis illius ſplendore colluceant: at in Apoſtolis Sol Chriſtus, à quo refulgent, reperitur. Stellæ aliæ primæ ſunt magnitudinis, aliæ ſecundæ: omnes primæ magnitudinis ſunt Apoſtoli; & licèt *ſicut ſtella differt à ſtella in claritate*, vt loquitur Magiſter Gentium 1. *Cor.* 15. 41. in meritis ſint diſpares, ac in gloria inæquales at ad primum ac celſiorem Eccleſiæ ordinem cuncti attinent, id docente Paulo 1. Cor. 12. 28. *Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundo Prophetas, &c.* Stellæ tandem ſupra Solem in firmamento collocatæ, vt docent Philoſophi, Solem nequeunt portare: at Apoſtoli non ſuprà, ſed juxta juſtitiæ Solem, Solis fulgentes exiſtunt portitores, ita vt de illis dicere liceat:

Apoſtoli omnes ſunt ſtellæ primæ magnitudinis.

Solemque nouum noua ſydera portant.

538. In Soles conuertuntur.

At ſtellæ, ſemper ſtellæ, nuſquam in Soles euadunt. Apoſtoli ſtellæ ſunt, & Soles fiunt. Huius aſtri nomine inſigniuntur à Chriſto, qui ſe myſticum Solem nominans, dum dixit Ioan. 8. 12. *Ego ſum lux mundi*, dilectiſſimos diſcipulos eodem titulo decorauit, *Matth.* 5. eos ſic alloquens, *Vos eſtis lux mundi.* Quod etiam Euangelici Vatis expreſſit oraculum; dum enim Eccleſiæ firmiſſima fundamenta, ac munitiſſima propugnacula exararet, Iſai. 50. 12. ſic de Apoſtolis loquebatur: *Fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua.* Vbi in Hebræo habetur, *ponam iaſpidem Soles tuos.* Rectè quidem; nam Apoſtoli Eccleſiæ Soles ſunt, ac propugnacula: Soles ſunt, qui veritatis lumen effundunt, & falſitatis tenebras diſpellunt: propugnacula ſunt, quæ Chriſtianos in Fide ac veritate protegunt, omneſque hoſtiles impetus retundunt. Soles & propugnacula, quia ſcilicet dum fideles illuminant, excæcant infideles; dum fouent filios, terrent hoſtes; & dum domeſticos ſpiritualibus alliciunt muneribus, externos conficiunt vulneribus. Soles denique ſunt Eccleſiam illuminantes, illius aduerſarios tenebris inuoluentes. Propugnacula ſunt domum Dei ab impiis ſectarum inuentoribus, ac ſcurrilibus hæreticorum nugis doctrinâ ſuâ ſtrenuè propugnantia.

Soles & propugnacula Eccleſiæ ſunt.

539. Tres in cœlo Soles naſcente Chriſto. D. Thom.

Tres olim, imperante Auguſto, tempore quo ex puriſſimi vteri virginalis aula Chriſtus in terram proceſſit, in cœlo Soles ſtupens ſuſpexit orbis: quo miraculo, vt notat D. Thomas 3. *p. q.* 36. *art.* 3. Gentibus Chriſti natiuitas annunciata eſt. At duodecim in Apoſtolis duodecim Soles demiratur Eccleſia. Quàm ergo fulgida, quàm ſplendida eſt, quæ non vnius, ſed duodecim aſtrorum luminis fontium fulgore coruſcat. Tres in Hiſpania naſcente Saluatore viſi Soles, paulatim in vnum coëuntes, vnicum efformarunt, vt refert D. Thomas jam citatus: duodecim, quos Eccleſia colit, & ſuſpicit Soles ab vnico procedentes, ad vnicum tendunt, & cum eo vnicum, eumque fulgentiſſimum efficiunt; à Chriſto enim lumina ſuſcipiunt, ad Chriſtum lucem effundunt, & ſimul cum chriſto veritatis, ac pietatis ſplendore Eccleſiam replent. Vnicus ergo in duodecim, ac duodecim in vno, duodenum & vnicum Solem efformant. Quid præſtantius? Quid mirabilius? Nubem roridam dum aſpicit Sol, radiis ſuis in ea ſuam imprimit imaginem, ita vt in effigie ſua, qui ſocio caret, ſocium habeat, ſeque reproductum ſua luce miretur. Quid Apoſtoli, niſi nubes roridæ, gratiarum guttis, immò & vndis madefactæ? *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant*, de Apoſtolis canit Eccleſia. Quid Chriſtus, niſi verus juſtitiæ Sol? Ab hoc diuino jubare ſplendoris radij in illas vibrantur nubes; ſed lucidiſſimo tanti luminis fulgore Solis effigies in illis efformatur, adeo vt in duodecim Apoſtolis, veluti duodecim in nubibus, vnus ſplendeat Chriſtus, vnicus effulgeat Sol juſtitiæ. Duodecim igitur Chriſti in Apoſtolis ſimulachra, ſed vnicus ab illis exprimitur Chriſtus; duodecim lucent in illis Solis imagines, ſed vnicus in illis Sol coruſcat.

Duodecim in Apoſtolis Soles, in vnicum coëuntes, Eccleſia demiratur.

A Chriſti radiis, Solis effigiem habent Apoſtoli, ſicut nubes roridæ à radiis Solis.

Nec tota hæc eſt Chriſti in Apoſtolis maieſtas, nec tota per Chriſtum gloria Apoſtolorum: adhuc aliquid ſupereſt. Cœlos in terra conſtituit Seruator optimus, dum Apoſtolos elegit, quos non ſolùm è terrenis in cœleſtes homines, ſed etiam in cœlos tranſmutauit. *Poſui te vt plantes cœlos*, Filio incarnato, Vatis Euangelici oraculo dixit Pater Æternus *Iſai.* 51. 16. vbi juxta Gloſſam interlinearem, *per cœlos Apoſtolus intellexit.* Planè ſicuti juxta communem diſcipulorum D. Thomæ ſententiam, vndecim cœli mobiles conſtituuntur, quibus empyreum immobile, duodecimum adiungitur: ita duodecim in Eccleſia cœlos Chriſtus Dominus ſtatuit, qui licèt omnes mobiles toto terrarum orbe Euangelij ſplendorem, ac diuini ſermonis veritatem diſſéminauerint; tamen Petro cæterorum Principi, ac Paſtori, Empyrei firmitatem ſi, vt par eſt, tribuamus, in duodecim ſphæris cœleſtibus omnes illos adumbratos, ac duodecim in ipſis cœlos expreſſos haud dubiè omnis videbit oculus. 540.

Cœli ſunt Apoſtoli.

Petrus Apoſtolorũ princeps & paſtor.

Vincit tamen corporeas cœleſtes ſphæras myſticus, iſque cœleſtis duodenus Apoſtolorum chorus: nec enim illæ, quæ luce coruſcant, vitâ, ſenſu, aut ratione vigent: mouentur quidem ab intelligentiis cœleſtibus globis affixis, ſed non mouent: Dei gloriam enarrant, ſed neſciunt; homines juuant, ſed Ignorant; cunctiſque ſublunatibus lucem largiuntur, vt videant, ſed non cernunt. At myſtici in Apoſtolis vitâ perfectiſſimâ, intellectuali, ac ſupernaturali viuunt cœli. Spiritualia terrenis fundunt lumina, quæ cognoſcunt: diuina annunciant, quæ colunt: à ſummo magni conſilij Angelo mouentur, ſed mouent: à Spiritu Dei aguntur, ſed agunt: vitam hominibus ſupernaturalem, veritatis luce ac ſanctitatis fulgore prouident; ſed eadem vitâ ipſi viuunt. Denique rationabiles, juſti, incorruptibiles, ac diuinæ naturæ conſortes ſunt cœli Apoſtolici, ac de ipſis ſcriptum eſt pſalm. 135. 5. *Qui fecit cœlos intellectu*, vt notauit D. Bernardus *ſerm.* 27. *in Cant.* vbi ſic ait: *Habet* (Eccleſia) *cœlos ſuos homines ſpirituales, vitâ & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos: & hi pluentes pluuiam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, corruſcant miraculis.* 541.

Cœlos ſuperant Apoſtoli, quia viuſ̃t & Deum cuius gloriam enarrant, agnoſcunt.

A magni Conſilij Angelo cœli Apoſtolici mouentur.

D. Bern.

Quàm ergo glorioſus Chriſtus in duodecim 542.

Apoſtolis!

Chriſtus ab Apoſtolis gloriam trahit.

Apoſtolis! Quàm mirabilis eſt in ſanctis diſcipulis ſuis! Illis tanquam caterua regali inter homines viuens cingebatur, ac ab illis tanquam à cœlis, eius cum Patre regnantis gloria vbique enarrata eſt. *Cœli enarrant gloriam Dei*, inquit Pſalmiſta *pſal.* 18. 1. de quibus Ambroſius ait ſet. 12. in pſal. 118. *Sunt etiam in terris cœli, qui enarrant gloriam Dei.* Illi ſcilicet, de quibus Petrus *ep.* 1. *cap.* 1. inquit: *In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cœlis in nobis.*

§. II.

Duodenus Apoſtolorum numerus Eccleſiæ dignitatem exornat.

543. Eccleſia è cœlo deſcendit.

Eccleſiam ſub typo ciuitatis ſanctæ Ierusalem nouæ de cœlo deſcendeotis, ac à Deo in modum ſponſæ viro ſuo ornatæ, & præparatæ ſuſpexit in ecſtaſi ſanctiſſimus Vates Pathmæus *Apocal.* 21. 2. Sed eius murum magnum & altum, illam vndequaque ambientem ac protegentem ibidem demiratus Ioannes, duodecim in muro portas, ac duodecim muri fundamenta aduertit. Quorſum hæc? Quia in tantam gloriam gentium Eccleſia à Domino euecta eſt, vt non ſolùm eius caput & ſponſus exiſtat, ſed etiam validiſſimus eius tum ad decorem, tum ad ſecuritatem murus ab omnibus comprobetur; ſic enim de ea fuerat prophetatum Iſai. 26. *Saluator ponetur in ea murus.*

Eius murus Chriſtus.

544. Duodecim muri Eccleſiæ fundamẽta ſunt duodecim Apoſtoli.

Verùm non tantùm muro Eccleſia clauditur hoſtibus, ſed duodecim in eo janùis, extraneis ad illam confluentibus aperitur. At quæ ſunt duodecim huius muri portæ, niſi ea quæ illius etiam ſtabilita ſunt fuodamenta? Quæ autem fundamenta duodecim muri huius alti & magni exiſtunt, niſi duodecim ſancti Apoſtoli, in quibus ſedet Chriſtus, & per quos ad Chriſtum in Eccleſia peruenitur? Ampliùs dicam, mootes ſancti ſuot Apoſtoli, vt Eccleſiæ ſtatuantur fundameota; hæc enim in montibus ſanctis poſita ſunt, vt affirmat Pſalmiſta *pſalm.* 86. 1. vode D. Auguſt. *enarrat. in illum pſalmum*, inquit: *Ipſe ergo* (Chriſtus) *angularis lapis, monteſque Apoſtoli & Prophetæ magni, portantes fabricam ciuitatis, faciunt quoddam viuum ædificium.* Cui attendens Apoſtolus. *Eph.* 2. ait: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Vbi ſicut notat Auguſtinus loco jam allato, conſtructio tantæ ciuitatis, nempe Eccleſiæ, deſcribitur: ſed omnis iſta compages vbi innititur, vbi incumbit, vt nuſquam cadat? *Ipſo*, inquit Paulus, *ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Nec proptetea priora tibi videantur fundamenta vbi ſunt Apoſtoli, & poſterior lapis angularis Dominus Ieſus; hic enim angulus etiam in fundamento eſt: neque enim ibi eſt tantùm angulus vbi videtur, vt ſurgat in apicem; à fundamento enim incipit, immò & ipſe angulus maximum ac primum totius Eccleſiæ fundamentum eſt. Nam id docuit Apoſtolus, 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quomodo ergo* (pergit Auguſtinus) *fundamenta Prophetæ & Apoſtoli? & quomodo fundamentum Chriſtus Ieſus, quo vlterius nihil eſt? Quomodo* (inquit) *putamus, niſi quemadmodum apertè dicitur Sanctus Sanctorum, ſic figuratè fundamentum fundamentorum. Si ergo ſacramenta cogites, Chriſtus Sanctus Sanctorum: ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus paſtor paſtorum: ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentorum fundamentorum.*

Duodecim montes Apoſtoli.
D. Auguſt.

Chriſtus lapis angularis.

Et fundamẽtum omniũ fundamentorum Eccleſiæ, ſcilicet duodecim Apoſtolorũ.

Notanda verba Auguſtini.

Eccleſiæ igitur, cœleſtis ciuitatis fundamenta duodecim Sancti ſunt duodecim Apoſtoli: ſed hoc munere magnificè decorantur ab eo qui Eccleſiæ Caput, Sponſus, Rex ac præcipuum extat fundamentum. Vnde idem Auguſtinus loco citato eleganter ſic proſequitur: *Quare ſunt fundamenta Apoſtoli? Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtram. Quare ſunt portæ? Quia per ipſos intramus ad regnum Dei; prædicant enim nobis: & cùm per ipſos intramus, per Chriſtum intramus; ipſe eſt enim janua: & cum dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in duodecim portis Chriſtus; & ideo duodenarius numerus Apoſtolorum.* 545.

Eccleſiæ duodecim Ianuæ duodecim Apoſtoli.

Quanta igitur Eccleſiæ maieſtas, quæ angularem lapidem, ac præcipuum fundameotum Chriſtum Dominum in duodecim Apoſtolis, in duodecim velut angulis, ac fundamentis multiplicat; & tamen vnicum ſortitur! Quàm amplus eius ſitus, quàm facilis eius acceſſus, cùm omnibus vnâ, eaque immensâ januâ Chriſto Domino, qui cuoctis adeſt, in duodecim aliis janùis Apoſtolorum vndequaque pateat. At non ſolùm omnibus patet hominibus duodecim janùis Eccleſia: omnes ſpecioſis ac formoſis his oſtiis ad ſe allicit. Siquidem doctrinæ fulgore, veritatis ſplendore, ſanctimoniæ claritate, ac miraculorum coruſcationibus ad omnem orbis plagam homines dum illuminant, trahunt, rapiunt, ac iotra amantiſſimæ Chriſti Sponſæ gremium Fideles adducunt. Nec mireris, hæc etenim fundamenta omni lapide pretioſo ornata: hæ januæ ſingulæ ſingulis locupletatæ margaritis; immò ex ſingulis gemmis conflatæ, vbique dum lucent ac refulgent, ex omni loco, etiam remotiſſimo, Chriſto innumeros filios afferunt, ipſamque gentium Eccleſiam, quæ olim infœcuoda erat ac ſterilis, matrem multorum efficiunt filiorum lætantem. 546.

Per Apoſtolos Eccleſiæ januas ad Eccleſiam cuncti trahuntur.

Qui olim parentes euadebant, coronâ donabantur; ipſaque homines producens hominum fœcunditas diademate cingebatur: imò præ janùis illius qui filios procreabat, in paternitatis ornamentum appendebantur coronæ, ſicut ille teſtatur Poëta dum alicui qui filium ex vxore ſuſceperat, inquit: 547.

Eccleſiam fœcundã ac parentem efficiunt.

——foribus ſuſpende coronas,
Iam pater es.

Olim parentes coronabantur.

Eccleſiæ Apoſtolorum ope, ac diuini verbi ſemine innumerabilium filiorum parenti quamplurimæ debentur coronæ: eas præ foribus illius poſuit, qui ſplendidiſſimas veluti gemmas, duodecim Apoſtolos in duodecim janùis collocauit. Verùm hic non ſiſtunt fulgentiſſima Eccleſiæ diademata, nec tantùm in portis clueſcunt; ipſi proximiùs vniuntur, ipſique intimiùs adhærent, eamque propiùs exornant: in eius capite coruſcant, ibique micantiſſima veluti ſydera pulcherrimam ipſi coronam efformant. Hinc Ioannes Apocal. 12. 1. de Eccleſia ſic fatur: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Quod ſanè ſignum Eccleſiæ typus extitit; nam vt ait D. Gregorius lib. 34. moral. cap. 12.

Illamque vt matrem coronâ decorant.

D. Greg.

Sunt duodecim ſtellæ quibus Eccleſia coronatur.

cap. 2. *Sancta Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur, quaſi Sole veſtitur: quia verò cuncta temporalia deſpicit, lunam ſub pedibus premit.* Sed in eius capite corona ſtellarum duodecim, quia vt inquit Gloſſa, à duodecim Apoſtolis, quibus mundus credidit, vel in quibus mundum vicit, exornatur. Vnde Rupertus in Gloſſa ordinaria relatus, inquit: *In capite huius mulieris corona ſtellarum duodecim Patriarcha: itemque in initio renaſcentis eiuſdem, duodecim Apoſtoli notiſſimi ac ſplendidi dinumerantur.*

548. Nec ſolùm pretioſiſſimâ veluti coronâ, duodecim Apoſtolis ſplendidiſſimis veluti ſtellis Eccleſia decoratur; ipſis etiam duodecim veluti columnis fulta ſtabilitur, ac ſtabilita roboratur. Sicque non tantùm per Apoſtolos victrix coronatur, ſed coronata ad vlteriores protenditur triumphos, nouæque ipſi ac perennes duodecim validiſſimis ducibus in æuum parâtur victoriæ. Quod acutè attigit D. Irenæus *lib. 4. c. 38.* vbi duodecim Apoſtolos Eccleſiæ dodecaſtylum firmamentum, idest firmamentum duodecim columnarum appellat. Dum enim domum ſuam Eccleſiam Seruator optimus Chriſtus ædificauit; non tantùm ſupra firmam petram ſtabiliuit, ſed etiam duodecim has firmiſſimas columnas, quibus immenſum hoc fulciretur ædificium, præparauit. At quæ ſunt iſtæ columnæ? Mirabiles prorſus, illique vetuſtiſſimæ, quæ ab Hebræis in deſerto viſa eſt, perſimiles. Illa enim Hebræos tanquam nubes per diem, & tanquam ignis per noctem, rectum per iter ducebat. Quod quidem erga Chriſtianos præſtant Apoſtoli: vt nubes ducunt, vt ignes illuminant, ſimulque columnæ nubis, & ignis adimplent miniſteria: dum enim Eccleſiæ præbent ſuſtentaculum, vt nubes rorem ſanctitatis ſtillantes, concupiſcentiæ feruoribus refrigerium, & vt ignes frigidis, ac tepidis in via virtutis languentibus diuinæ dilectionis ardorem adjiciunt.

Duodecim columnæ ſunt Eccleſiam fulcientes.

D. Irenæus.

Columnæ nubis & ignis ſunt Apoſtoli.

549. Amplius dicam. Sicuti Iudæis Deus *in columna nubis loquebatur*, vt ait Pſalmographus *pſalm.* 98. 7. ita per Apoſtolos, tanquam per columnas nubium, Chriſtianos Dominus Ieſus alloquitur. Vnde illis dixit Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit me ſpernit.* Vnde & egregia illa nubis columna Paulus Apoſtolus aiebat 2. Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus.* Sed ſicut *non defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo*, vt habetur *Exod.* 13. 22. non ſolùm nubium, ſed etiam ignis columnæ exiſtunt Apoſtoli; fulgoribus enim doctrinæ ſcintillant, & denſiſſimas errorum tenebras ſermonis diuini flammis diſcutiunt; ad hoc enim, vt cenſet Bernardus *ſerm. 1. Pentec.* in igneis linguis ſuper illos Spiritus ſanctus effuſus eſt, *vt legem igneam linguis igneis prædicarent*, & ſimul igniti eloquij vehementi diſpenſatione hominum mentes illuminarent, & eadem eorum charitatis ardoribus inflammarent. Quàm ergo ſpecioſæ ſunt duodecim iſtæ columnæ, quæ dum Eccleſiam fulciunt, vt nubes tegunt, & vt ignis diuinâ amoris flammâ ſuccendunt. *Bonus ignis*, vt ait Ambroſius in pſalm. 118. *qui neſcit exurere, niſi ſola peccata.* Errores abſumit, carnem conſumit, terrores diſcutit, ſecuritatem gignit, gratiam parit, ac diuinæ feruorem dilectionis fouet, auget, perficit, ac coronat.

Per Apoſtolos loquitur Chriſtus.

Deus per Apoſtolos loquitur tanquam è columna nubis

Bernard.

Eorum linguis Eccleſiã illuminat, vt columna ignis.

Ambroſ.

§. III.

Propria Apoſtolorum dignitas in duodenario numero elucescit.

550. NOn parua, ſed magna, ſummaque eſt Apoſtolorum Saluatoris dignitas, eaque in duodenario numero ſplendeſcit. Ex diſcipulis etenim duodecim præcipuos lateri ſuo Chriſtus adlegit, *deſtinatos nationibus magiſtros*, ſicut loquitur Tertullianus *lib. de præſcript. c.* 16. vt à ſe ſplendidiſſimo juſtitiæ jubare totum in orbem terrarum duodecim radios vibraret. Sicuti ergo Solis radij lucidi ab illo procedunt, & quem hominibus inferunt, ſecum geſtant, ac nuſquam ab illo recedunt: ita Redemptoris noſtri Apoſtoli, ſplendidi ſui luce magiſtri dum in orbe coruſcant, illius fulgent luminibus; & dum eum cunctis nationibus miniſterio prædicationis inuehunt, ipſi jugiter adhærent.

Summa dignitas Apoſtolorum.

Chriſti Solis ſunt radij.

551. Platoè Pontificis Hebræorum rationali adhærebant gemmæ duodecim, vt videre eſt *Exod.* 39. ac dum Sanctuarium intrabat, fulgore lapidum illuſtrabat; quia dum Chriſtus Pontifex in æternum, gentium per fidem mentem ingreditur, ſplendore ſuo in duodecim Apoſtolis offuſo tanquam gemmarum duodecim fulgore colluſtrat. A ſeipſis fulgebant rationalis Pontificij lapides, ſicque lumine mortuo coruſcabant: à Chriſto vero juſtitiæ Sole lucent Apoſtoli, ſicque viuo, ac diuino lumine micant. Nec mirum: verbo viuo Eccleſiam Dei dum illuminant, viuam in terris lucem effundunt. Vt enim ait Apoſtolus Heb. 2. 12. *Viuus eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Nec ſuam lucem ſciunt omni ſenſu, omnique vitâ carentes, pectus Hebræorum Pontificis exornantes gemmæ: at lucem ſuam ſciunt, eamque à Chriſto habere cognoſcunt pretioſi ac myſtici lapides ſancti Apoſtoli; ipſi enim vitâ præſtantiſſimâ diuinis ditatâ muneribus vigent, viuo lapidi, ac angulari gratiâ & charitate coniuncti. *Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini*, inquit Petrus *ep. 1. c. 2.*

Sunt duodecim lapides rationalis Pontificis Hebræorũ.

Sunt lapides viui, ac ſancti.

552. Verùm qui & quales ſunt pretioſi lapides ſanctis duodecim Apoſtolis conuenientes? Omnes illos annumerat dilectus Domini diſcipulus *Apoc.* 21. vbi poſtquam in duodecim ciuitatis nouæ Ieruſalem fundamentis, duodecim eſſe nomina Apoſtolorũ Agni affirmauit, ſingulis ſuum locum cum gemma aſſignat, verſ. 19. *Fundamentum primum, ait, jaſpis; ſecundum ſapphirus, tertium chalcedonius, quartum ſmaragdus, quintum ſardonyx, ſextum ſardius, ſeptimum chryſolitus, octauum beryllus, nonum topazius, decimum chryſopraſus, vndecimum hiacynthus, duodecimum amethiſtus.* Sed variè à variis lapides iſti Apoſtolis attribuuntur; tamen Cornelij à Lapide ſententiam hac in parte tenentes, quam *in comment. ſuper c. 10. Matth. verſ. 2.* exarauit, dicimus quod jaſpis, qui primus lapis eſt, Petrũ, ob fidei firmitatẽ denotat. Secundus ſapphirus, Andream, ob cœleſtem vitam, & amores deſignat. Tertius chalcedonius, ſiue carbunculus, Iacobum zelo ardentẽ. Quartus ſmaragdus, Ioannem virentem & virginem. Quintus ſardonyx, Philippum, ob candorem animi. Sextus ſardius rubens, Bartholomeum excoriatum. Septimus chryſolitus, marini coloris, Matthæum pœnitẽtem. Octauus beryllus politus, Thomam à Chriſto in fide reſurrectionis expolitũ & ſolidatum. Nonus topazius, Iacobum minorem

Lapides in duodecim fundamentis Ieruſalem à Ioanne collocati Apoſtolis duodecim ſigillatim applicantur.

aoreâ ſanctitate radiantẽ. Decimus chryſopraſus, Iudam Thaddæum, qui inſtar porri acri ſapientiâ inſectatur hæreticos: *πράσον* enim eſt porrum. Vndecimus hiacyothus, Simonem Chananæum, ob mores ſuauiſſimos. Duodecimus amethyſtus, humilem, minimumque Mathiam.

553. *Apoſtoli duodecim Eccleſiæ fontes.*

Nec tantùm gemmarum munere decorati Apoſtoli in ſancta coruſcant Eccleſia: etiam illam vt duodecim fontes rigaot. Hebræos olim per immẽſos aquarum latices è petra eductos ſummoperè Moyſes in deſerto recreauit: at exacerbauit Dominum. Dum enim ad petram, vt aquas effunderet jubens, & imperans loqui tantùm deberet; etiam illam, minimè tamen reluctantem, quaſi cogens, baculo verberauit, vt dicitur *Num.* 20. 11. Moſem ſuperauit Seruator. Prophetamque vicit Chriſtus: è doodecim gemmis, viuiſque lapidibus, dilectis Apoſtolis ſuis duodecim aquarum flumina, non percuoendo, ſed loquendo, nõ increpando, ſed exhortando elicuit, ipſoſque fontes à ſe vniuerſo orbi conſtitutos, vt puriſſimam aquam vbique diffunderent, docere præcepit. *Euntes*, inquit Marc. vlt. *in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Cœleſti igitur doctrinâ dum orbem imbuunt, loquelâ mundum irrigant, linguâ copioſam aquam præbent, vniuerſamque Eccleſiam ſatiant, fœcundant, exornant.

554. *In duodecim fõtibus Elim adumbrati.*

Duodecim fontes iſtos Apoſtolicos adumbrauerunt duodecim illi fontes Elim, de quibus *Exod.* 15. 25. habetur: *Venerunt autem in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt juxta aquas*, ſicut ootauit Origenes *hom. 7. in Exodum*, vbi etiã aduertit quod priùs popolus ductus eſt ad aquas ſalſas & amaras per lignum à Domino demonſtratum dulcorandas, & poſtea ad duodecim footes accedit; quia de veteri teſtameoto trãſit ad nouum, & ad duodecim Apoſtolicos fontes, vbi reperiuntur arbores ſeptuaginta palmarum. Non eoim ſoli duodecim Apoſtoli fidem Chriſti prædicauerunt, ſed & alij ſeptuaginta, per quos palmas victoriæ Chriſti mũdus agnouit. Vnde rectè Pſalmographus ait pſalm. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.* Quod quidẽ de voce Chriſti prædicantis, tum per ſe, tum per ſuos, plerique Sancti Patres interpretantur; nam acutiſſima, potenoiſſimaque Chriſti Domini vox per ſanctos intonuit Apoſtolos, ex quibus duos *boanerges*, ideſt tonitrui filios, *Matth.* 3. 17. cogoominauit, immò collegium totum Apoſtolorum, ſi Theodoreto credimus, ob admirabilem atque diuinum Theologiæ ſermonem. Sed intonat Deus maieſtatis ore Apoſtolorum, eorumque magnificis prædicationibus mundus eruditus, Dominum ſuper aquas multas, ideſt ſuper omnes Apoſtolos, omnemque credentium populum, *nam aquæ multæ populi multi*, vt dicitur *Apoc.* 17. 15. religioſè colit, reueretur, adorat. Sic enim verum eſt illud Iſaiæ 12. 3. oraculum: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Omnes Apoſtoli boanerges.

555. Naſcentis orbis ioitio aquis præfuit diuinus Spiritus, vt legitur Gen. 1. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, illas vt mater fouens ad ſpiritualem filiorũ productionem: ipſemet Apoſtolicos fontes fouet Spiritus; illorum aquas moderatur, dum doctrinæ Euãgelicæ dirigit diſpenſationem, ipſiſque ad ſpiritualem Chriſtianorum generationem vim procreandi largitur. Sic enim Apoſtolos Chriſtus de diuino alloquutus eſt Spiritu, Ioan. 14. 26. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et Matth. 10. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Hinc ſummam ad vincendum orbem, eumque ad meliorem frugem conuertendum virtutem Apoſtoli habuerunt. Quod eleganter deſcripſit D. Ioannes Chryſoſt. ſerm. de Pentec. *Peragrarunt*, inquit, *Apoſtoli orbem, non ſcuta mouentes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentiâ confidentes. Erant nudi ſeculo, ſed induti Chriſto; pauperes, ſed diuites, &c.* Dũ enim Spiritu ſancto eorum corda replente, mentem illuminante, linguas mouẽte hominibus prædicabant, homines oon poterant ad Eccleſiam non reducere: eorumque omnes inutiles fuiſſent conatus, niſi eos Spiritus ſanctus ad mirabilia patranda opera præparaſſet; nam vt idem loquitur Chryſoſtomus hom. de Spiritu ſancto: *Licèt ſit ſermonis ampla ſuppellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, & non adſit Spiritus ſanctus, qui vim ſuppeditat, otioſa ſunt omnia.*

Spiritus ſancti ſunt legati. *D. Chryſoſt.*

Spiritus ſanctus Apoſtolos docuit, & per eos mũdum conuertit.

Sed diuini Spiritus in ſanctos ac myſticos fõtes Apoſtolicos effuſio, non ſolùm ad maximam Eccleſiæ vtilitatem, ſed etiam ad propriam eorũ ſanctificationem facta eſt. Vt enim quæ in alueum fontis aqua fluit, antequã io cæteros effluat, alueũ replet; ita gratiarum omnium chariſmatibus, quæ io alios exundarũt, Apoſtoli priùs ipſi repleti ſunt. Pleni igitur diuino ſpiritu, aliis diuinum ſpiritum effuderunt, ſimulque apud ſe tenuerũt. Hinc D. Thomas exponens illud Pauli Rom. 8. *nos ipſi primitias Spiritûs habẽtes*, Apoſtolorum ſanctimoniã ſupra omnem aliorum (dempto Chriſto ac eius ſanctiſſima Genitrice) hominum ſanctitatem extollit; ait enim: *Spiritum ſanctum & tempore priùs, & cæteris abundantiùs Apoſtoli habuerunt: ſicut & in fructibus terræ illud quod primò ad maturitatem peruenit, eſt pinguius & magis acceptum, juxta illud Ierem. 2. Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum eius. Ex quo patet, quod Apoſtoli ſunt aliis Sanctis omnibus quacumque prærogatiuâ fulgentibus, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue martyrij, præferendi, tanquam abundantiùs Spiritum ſanctum habentes.* Et ſubdit: *Vnicuique dat Deus gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur. Sicut homini Chriſto data eſt excellentiſſima gratia, quia ad hoc eſt electus, vt eius natura in vnitatem diuinæ perſonæ aſſumeretur, & poſt eum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, quæ ad hoc eſt electa, vt eſſet Mater Dei. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem ſunt electi Apoſtoli, vt ſcilicèt immediatè ab ipſo Chriſto accipientes, aliis traderent ea quæ pertinent ad ſalutem, & ſic in eis Eccleſia quodammodo fundaretur; & ideo Deus eis abundatiorem gratiã præ cæteris tribuit.* Hæc. D. Th. 556.

Spiritûs ſãcti gratia repleti ſunt, vt illam in alios effunderent. *D. Thom.*

Poſt Chriſtũ eiuſque genitricem Apoſtoli gratiam abundantiorem in omnibus receperunt.

Porrò fontes Apoſtolici diuino Spiritus ſancti flumine pleni, non ſolùm ſalutaris ſapienoiæ aquas fundunt, ſed etiam aquarum multarum voces longè lateque in homines emittunt, tanquam ſummi gratiarum omnium fontis, vnigeniti Filij Dei legati fideliſſimi. Quod mioiſterium ſe exercere gloriatus eſt, ad Apoſtolicum honorem euectus, zelantiſſimus Diuini Verbi præco, ac genoiũ Magiſter Paulus, dum ioquit 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur*, tãquam Deo exhortante per oos. 557.

Chriſti ſunt legati.

Verùm quo animo, quo zelo, quantâ meotis alacritate, quantâ laborum aſſiduitate, quantâ malorum, dolorum, tormentorum ac tyrannorum perpeſſione intrepidi Chriſti Legati, nomen eius coram Regibus, & verbum eius coram nationibus feris ac barbaris deportarunt? Quis eorum nuoerabit agones, quis victorias recenſebit, quis triumphos enumerabit? Cœlo obtemperantes, orbem vniuerſum fide, charitate, & zelo ſuperauerunt. Inanium Deorum cultum 558.

Mirabilia patrarunt.

Google

cultum profligarunt, idola demoliti ſunt, impia fana euerterunt, æterno Deo, viuo, ac vero templa ædificarunt, altaria conſecrarunt: filios innumeros Euangelio pepererunt, Eccleſiam fundarunt, & auulſis vitiorum execrandis ſentibus, virtutum flores inſeruerunt, plantarunt, irrigarunt, & diuinà agente virtute ad debitum fructuum incrementum protulerunt. Sanè cunctos

Leones ſunt.

Apoſtolos leones diceres, dum illos in periculis intrepidos, in certaminibus generoſos, in tormentis inuictos, in carceribus liberos, ac in ipſa morte hoſtium ſuorum victores cernis. Certè leones ſunt, quia nefarium illum, rugientem, & ad deuorandum homines circumcurſantem leonem, de quo Petrus *ep. 1. cap.* 5.8. debellarunt. Leones ſunt, quia Chriſti Domini veri de tribu Iuda leonis inuictiſſimi, de quo *Apoc. c.* 5. 5. miniſtri ſunt, eiuſque nomine, ac virtute bellum mouent, arma capeſſunt, ac cum hoſtibus congrediuntur. Leones ſunt, quia ſemper vigilant gregem dominicum ſtrenuè defenſuri; & ſi aliquando cogente naturæ imbecillitate, dormitare videntur, tanquam veri leones, apertis oculis ſomnum capiunt. Tandem leones ſunt eburneum Regis Pacifici thronum ex vtraque parte cohoneſtantes, exornantes, ac protegentes.

559. Duodecim leunculi ſolij Salomonis, illorum typus fuerũt.

Illos expreſſerunt duodecim illi leunculi, in ſex gradibus ſolij Salomonis collocati, de quibus 3. *Reg.* 10. 20. dicitur: *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus, hinc atque inde.* Tamen eorum aut dignitatem, aut fortitudinem ne minuas ex eo quòd leunculis adumbrentur. Planè leunculi ſunt, ac Leones. Illos ſi ad verum Salomonem Chriſtum Dominum magnifico aſſidentem throno retuleris, leunculi tibi videbuntur; illo enim, cuius ſolium exornant, qui verus, ac magnus è *tribu Iuda leo* à Scriptura nominatur, minores ſunt: at ſi cum cæteris, quibus Rex Pacificus imperat, comparaueris, leones ſunt potentes animo, fortes robore, præliis inſignes, victoriis conſpicui, triumphis innumeris glorioſi, & ex omni capite ſemper inuicti & victores. Sed per eum vincunt, à quo leones efformantur; ab illo, inquam, qui poſtquam *orbem domuit, non ferro, ſed ligno*, vt loquitur Auguſtinus *in pſal.* 54. Apoſtolos ſic ad ſimilem victoriam eſt exhortatus, Ioan. 16.33. *Confidite, ego vici mundum.* Vnde Paulus ſuos Chriſto conſecrauit triumphos, dum 1. *Cor.* 15.57. inquit: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

560. Nec mirum propterea tibi videatur, ſi & vires, & triumphos dilectis Apoſtolis Chriſtus Dominus elargitur. Idem eſt in membris & in capite vigor, idem in toto corpore ſenſus, idemque in toto exercitu triumphus. Membra ſunt Apoſtoli myſtici corporis, cuius Chriſtus caput exiſtit: in ipſis ac in tota Eccleſia amantiſſima, quæ *vt caſtrorum acies* à Scriptura Cant. 6. 3. *terribilis* appellatur, vnicum conflat exercitum,

Per illos vincit Chriſtus. D. Hilar.

ita vt per illum qui eſt caput, Rex, Dux, animuſque omnium militantium, pugnet, oppugnet, expugnet, ſuperet, ac triumphet: nam vt D. Hilarius *in Matth.* 25. *num.* 40. loquitur: *In fidelium corporibus, mentibuſque transfunditur.* Quare meritò Apoſtolos Chriſti Domini oſſa licebit

Chriſti oſſa ſunt Apoſtoli.

appellare, tum propter maximam eorum firmitatem ac fortitudinem, tum etiam quia in ſummo diſcrimine tormentorum, quæ Saluator optimus ſummo pro nobis amore perpeſſus eſt, integra ac minimè fracta; ac conſequenter inuicta illius oſſa permanſerunt; ſic enim teſtatus Ioannes 19. *Crura*, Chriſti, *nequaquam fracta* fuiſſe, *vt Scriptura impleretur*, quæ de Agno Paſchali, illius typo, Exod. 12. ait: *Os non comminuetis ex eo.* Fugerunt quidem Apoſtoli, dum amantiſſimus eorum patiebatur magiſter, ſicque in illis verum fuit Chriſti verbum Pſalmographi ore pronunciatum, pſal. 25. *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea*: ſed minimè fidem amiſerunt; & quamuis diſperſi, tamen non fracti, ac comminuti ſunt. Immò *Capiti ſuo configurati, eiuſque mortis ſimilitudini complantati*, vt inquit Apoſtolus Rom. 6. 5. eius reſurrectionis & victoriæ gloriam ſunt aſſequuti: ita vt ſicut Chriſtus paſſionis infirmitate robuſtior, & mortis opprobrio glorioſior euaſit; vnde ore Regis Dauid *pſal.* 21. 16. dixit, *Aruit tanquam teſta virtus mea*, vbi D. Gregor. in Iob 2. ait: *Sicut teſta virtus Chriſti exaruit, quia ſuſcepta carnis infirmitatem paſſione roborauit*: pariter qui patiente Domino timidi fugerant, audaces ad illum redeant redíuiuum; & tanquam leonum catuli, Chriſto reſurgente, ad nobiliorem vitam, maiorem animum, maiuſque robur reſurgant. Non enim ſeipſum ſolum, ſed ſuos, victor de tribu Iuda leo Chriſtus, Apoſtolos ſecum ſuſcitauit: ſeipſum quidem ad vitam phyſicam, immortalem ac inexterminabilem; ſuos ad moralem eamque ſanctiorem, nobiliorem, fortiorem, & ad mortem pro eo obeundam, promptiorem reuocauit.

Cur virtus Chriſti ſicut teſta aruit. D. Greg.

Secum Chriſtus Apoſtolos ſuſcitauit.

Sectio V.

Iuſtè ac rationabiliter dies ſolennis ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ honorem, ab Eccleſia inſtitutus eſt.

QVia Doctor Augelicus in his quos modò illuſtramus textibus, exultationis Fidelium, ac canticorum Eccleſiæ rationem aſſignans, ſolennitatem ad recolendum ingens munus, quo Chriſtus hominibus corporis & ſanguinis ſui Sacramenta conceſſit, eſſe commemorat, dum inquit: *Dies enim ſolennis agitur, in qua prima menſa recolitur, &c.* ideo ne ab eius ſcopo vel minimùm diſcedamus, eiuſque mentem omni ex parte explicemus, de ſolennitate corporis Chriſti ab Vrbano IV. 1264. inſtituta, & pro eius celebritate, quam præ manibus habemus Sequentiam, eodem iubente Pontifice, Sanctus Thomas edidit, nunc nobis agendum eſt, ac in primis eam à Nouatorum calumniis ac irriſionibus propugnabimus, ſimulque rationabiles, quibus ſummus Pontifex ad illam inſtituendam permotus eſt, cauſas attingemus. 561.

Inſenſiſſimi igitur adorandi Euchariſtiæ Sacramenti hoſtes, qui vel omninò corpus & ſanguinem Domini in illo realiter contineri diffitentur, vt Caluiniſtæ, Zuingliani, cæterique, quos Sacramentarios vocant; vel qui corpus cum ſubſtantia panis, & ſanguinem cum ſubſtantia vini componunt, vt Lutherani; aliique omnes, quos in Eccleſiæ perniciem, & ad diuina myſteria impugnanda orcus euomuit, totis viribus hanc feſtiuitatem deteſtantur, eamque peſſimè & irrationabiliter inſtitutam inclamant. Proh ſcelus! proh ingratorum animorum rabiem! Siccine immenſa diuinæ largitatis beneficia obliuiſcemini? 562.

Feſtum corporis Chriſti hæretici deteſtantur.

Siccine Sponſam de dilectione erga amātiſſimum Sponſum, & filios de gratitudine erga Parentem ac Paſtorem optimum inculpatis? Nunquid matris mammillas obliniſcitur infans, aut homo, quo ſuſtentatur, panem comedere non recordatur?

563. *Sapienter hoc feſtum inſtitutū eſt.* Sapienter igitur, vt tanti beneficij, quo proprio corpore, proprioque ſanguine Chriſtianos ad vitam outrit æternam Redemptor noſter, memoria apud illos ſolennis haberetur, ſingulari anni tempore feſtiuitatem celeberrimam Auguſtiſſimo Sacramento Pontifex dedicauit. Quamvis enim diebus ſingulis in tremendi celebratione Sacrificij myſterium hoc offeratur, recolatur, frequentetur; tamen conueniens judicauit præfatus Romanus Pontifex Vrbanus ſingularem diem totum & integrum illius celebritati deſtinare, vt fusè inſinuat in literis ab ipſo deſuper emanatis, & vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis directis, quarum initium eſt, *Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, &c. Quod rectè annotauit Angelicus Doctor *opuſcul.* 57. in Officio eiuſdem ſolennitatis, lect. 5. vbi poſtquam aduertit tanti Sacramenti memoriam quæ in die Cœnæ, quando à Chriſto inſtitutum eſt, quotannis celebratur, dominicâ paſſione, quam tunc Eccleſia lugens recolit, obduci & obuelari, inquit: *Vt autem integro celebritatis Officio inſtitutionem tanti Sacramenti recoleret plebs Fidelium, Romanus Pontifex Vrbanus IV. huius Sacramenti deuotione affectus, piè ſtatuit præfata inſtitutionis memoriam primâ quintâ feriâ poſt Octauas Pentecoſtes à cunctis Fidelibus celebrari, vt qui per totum anni curriculum hoc Sacramento vtimur ad ſalutem, eius inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus ſanctus corda diſcipulorum edocuit ad plenè cognoſcenda huius myſteria Sacramenti.*

564. Verùm, inquiunt Nonatores, cur novum de hoc Sacramento Vrbanus inſtituit feſtum? Tot ſecula Eccleſia ſine hac ſolennitate Chriſto famulata eſt; antequam Pontificiam teneret Antiſtes iſte Cathedram; cur ergo nouam feſtiuitatem indixit? Triplicem his interrogationibus adhibemus reſponſionem. Prima eſt, Vrbanum hanc ſolennitatem rectè inſtituiſſe, quia potuit. Cùm enim *Potuit Rom. Pōtifex hoc feſtum inſtituere.* Petro in Epiſcopatu ſuccedens, totius gregis Dominici Paſtor exiſteret, ea quæ ad bonum Fidelium regimen, & ad illorum deuotionem promouendam ſpectant, ſummâ authoritate potuit ſtabilire. Cùm ergo ſolenne ad diuiniſſimi Sacramenti maieſtatem ac reuerentiam feſtum vtrique ſit maximè conſonum, haud dubium potuit illud Pontifex omnibus Fidelibus deſignare. Nec iſtam Eccleſiæ poteſtatem inſequantur hæretici; nam Eccleſia Chriſtianorum, quæ Chriſti Domini Immaculata eſt Sponſa, non minùs poteſt in optimo filiorum ſuorum regimine, quàm an- *Synagoga noua feſta potuit inſtituere, & de facto inſtituit.* tiqua potuit Iudæorum Synagoga, quæ vmbris ac figuris tantùm ditabatur. Cùm ergo noua feſta à Iudæis indicta ſint, ſicut patet ex libro 1. Machab. *cap.* 4. vbi feſtum Dedicationis Templi, ſeu Enceniorum, inſtitutum eſt: ibi enim *n.* 59. dicitur: *Et ſtatuit Iudas & fratres eius & vniuerſa Eccleſia Iſrael, vt agatur dies Dedicationis Altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo, &c.* quod feſtum adeo religioſè à Machabæorum ſucceſſoribus obſeruatum eſt, vt etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad illud celebrandum in Ieruſalem ac templum aſcenderit, vt videre eſt *Ioan.* 10. Et *Eſther. cap.* 16. Artaxerxes feſtiuitatem cunctis ſuo Imperio ſubditis indicit quotannis recolendam, ob liberatum Regnum ſuum, ſeruatos Iudæos, & Amàn occiſum: grauesque non celebrantibus pœnas infligit; ait enim: *Omnis autem prouincia & ciuitas quæ noluerit ſolennitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pereat, & ſic deleatur*, &c. Quod etiam patet *Iudith vlt.* vbi in memoriam victoriæ quam ſanctiſſima vidua de Holoferne eiuſque exercitu retulit, feſtiuitas inſtituitur, ſic enim legitur verſ. vltimo: *Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diem.* Potiori jure ergo Summus Pontifex totius Eccleſiæ Chriſtianæ caput viſibile, Paſtor & moderator, ſingularem ad Euchariſtiæ Sacramenti venerationem, feſtiuitatem potuit ordinare.

Si enim in veteri Lege erat quaſi continuum feſtum, quia quotidie mane & veſpere immolabatur agnus, & præterea celebrabatur feſtum Phaſe, ſeu Paſchæ primo menſe, ad commemorandum liberationis beneficium ex Ægypto, vt notat Doctor Angelicus 1.2. *quæſt.* 102. *art.* 4. *ad* 10. *D. Thom.* cur in noua Lege præter quotidianam Sacroſanctæ Euchariſtiæ celebrationem peculiaris in tanti Sacramenti honorem & gloriam ſolennitas non celebrabitur? *Ergo & Eccleſia potuit.* Nam feriâ quintâ, quæ Cœnæ Domini titulo inſignitur, cùm præcipuè in deflenda Redemptoris morte Eccleſia immoretur, & Sanctiſſimus Paſchæ dies glorioſam ac triumphantem Chriſti à mortuis reſurrectionem exhibeat, ac per ſequentes quadraginta dies in tantæ celebratione victoriæ Eccleſia occupetur; póſtque admirabilem Saluatoris in cœlum Aſcenſionem, ſubindeque portentoſam in igneis linguis Spiritus ſancti miſſionem in Apoſtolos, primoreſque Fidelium ſolenniter recolat, iuſtiſſimè feriam quiotam poſt Octauas Pentecoſtes, tremendi Euchariſtiæ myſterij venerationi Romanus Pontifex ſolennem declarauit ac dedicauit. 565.

Secundò Nouantibus reſpondebimus, Vrbanum IV. rationabiliter corporis Chriſti ſolennitatem inſtituiſſe, quia debuit. Cùm enim *Debuit idem Pōtifex hoc feſtum indicere.* Romani Pontificis, Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſoris ſit Chriſtianorum fidem confirmare, juxta illud Chriſti Domini Luc. 22. 32. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; plurimorum de Euchariſtia malè ſentientium hæreticorum veſaniam, ex qua aliorum fides labefactata videbatur, coërcere debuit Pontifex, & nutantium corda ad veram fidei petram ſolidare. Quod ſanè egregiè præſtitit, dum diuiniſſimi ſacramenti cultum nouâ, eaque magnificâ ſolennitate cumulauit, vt ſimul tanto honore, tantaque erga Euchariſtiam reuerentiâ peccatores & hæretici tabeſcerent, juſti lætificarentur, omneſque Chriſti fideles ampliùs in fide firmarentur. Quod quidem attigit zelantiſſimus pro Eccleſiæ bono Pontifex, dum in conſtitutione *Tranſiturus*, quâ hoc feſtum inſtituit, inquit: *Conueniens arbitramur & dignum, vt de ipſo* (Euchariſtiæ Sacramento) *ſemel in anno ad confundendam ſpecialiter hæreticam perfidiam & inſaniam memoria ſolennior & celebrior habeatur.* 566.

Tertiò reſpondemus, quod ipſa ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti maieſtas ſpecialem hanc 567.

depoſcebat

Euchariſtiæ maieſtas hoc feſtum poſtulauit.

depoſcebat feſtiuitatem. Cùm enim beneficia hominibus à Deo conceſſa, perpetuâ gratiarum actione debeant remunerari, ob idque non ſolùm dies feſti in Scriptura Iudæis præſcribantur, ſicuti Sabbathi diem colebant Deum Opt. Max. propter creationis beneficium glorificantes, & paſchalem celebritatem in perpetuam ex Ægypto liberationis recordationem peragebant; ſed etiam jugiter ante Dominum ignem ardere præceptum ſit *Leuit.* 6. 12. vbi legitur: *Ignis in altari meo ſemper ardebit*; quibus verbis, vt docet Philo *lib. de victimas offerentibus*, perenne gratiarum actionis jubetur ſacrificium; continuus enim in altari ignis ſymbolum quoddam eſt ſacrificij laudis, confeſſionis ac gratiarum actionis, quod corde & ore conſummatur, ac nunquam ceſſare, ſed jugiter in cordis altari debet ardere: immenſum ac inæſtimabile corporis & ſanguinis redemptoris munus, in quo Chriſtus omnes amoris ſui diuitias hominibus effudit, vt loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. quodque à Melliſluo Abbate Bernardo ſerm. de cœna Domini, *amor amorum* appellatur, quamvis quotidie in Miſſarum celebratione recolatur, ſpecialem tamen, magnificam ac ſolennem poſtulabat commemorationem. Quam rationem apptimè callens Summus Catholicæ Eccleſiæ Moderator Vrbanus IV. feriam quintam Octauis Pentecoſtes ſuccedentem, quæ prima poſt illam quæ Cœnæ Domini nomine inſignitur, huic memoriæ aptior eſt, tantæ ſolennitati deſtinauit.

568. Nec huius Pontificis in Eccleſiæ regimine culpandi ſunt prædeceſſores, qui per duodecim & amplius ſecula hanc non ſtatuerunt feſtiuitatem: nondum enim illos de tanta re peragenda cœlum monuerat, vel Spiritus ſanctus inſtigarat.

Pontifices Vrbano IV. antiquiores culpandi nō ſunt, quòd hoc feſtū nō inſtituerint.

569. Porrò Vrbanum triplici modo vt hoc feſtum inſtitueret, impulſum conſtat. Primò internâ Spiritus ſancti illuſtratione, quâ ſummo deuotionis feruore ad tantum Sacramentum agebatur. Secundò diuinâ reuelatione de hac ſolennitate cuidam non vulgaris ſanctitatis factâ, cuius obiter meminit in conſtitutione, *Tranſiturus*. Tertiò miraculo Corporalis, vt vocant, quod in oppido Bolſenæ Vrbeveteris Diœceſis accidit. Cùm enim ſacra myſteria celebrans Sacerdos, peractâ hoſtiæ conſecratione dubitaſſet, an in ea etiam ſanguis Chriſti contineretur, ſubitò ex ea miraculosè ſanguis cœpit ebullire, & mappam lineam (corporale vocatur) in qua jacebat, purpurauit. Quod ſanè portentum à pluribus viſum, ac probatum eſt. Quod vt ampliùs ac certiùs agnoſceretur ac comprobaretur, duo fulgentiſſima Eccleſiæ lumina quæ tunc in Eccleſia viuendo, docendo, & ſanctiſſimè conuerſando coruſcabant, ſcilicet ſanctum Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum, & Sanctum Bonauenturam Ordinis Minorum, viros hominibus maiores, Vrbanus Pontifex deſtinauit; à quibus totum factum viſum, & probatum eſt, vt refert Franciſcus Longus à Coriolano in Breuiario Chronologico Pontificum & Conciliorum, *fol.* 354. *edit. Lugdun.* 1623. Vnde Sacroſanctæ Euchariſtiæ feſtiuitas ab omnibus Chriſtianorum populis ſummâ mentis alacritate, ac deuotionis feruore vbique celebrata eſt, eiuſque cultus in diem auctus eſt, imò & ſolennis adiuncta præfatæ feſtiuitatis approbatio ſeu confirmatio à Clemente V. cum Concilio generali Viennenſi, vt habetur in Clementina vnica *de reliq. & vener. Sanctorum.*

Tribus motus eſt Vrbanus, ad hoc feſtum inſtituendum, diuino inſtinctu, reuelatione, & miraculo.

Miraculum corporalis Bolſenæ probarunt S. Thomas, & S. Bonauentura.

Franc. Long.

Vix autem verbis exprimi poteſt, quanta cum Chriſtianorum lætitia feſtum hoc in dies ſit promotum. Eius ſolennitatem mirum in modum auxit magnifica ac publica totius Cleri ac populi ſupplicatio, quæ proceſſio nominatur, eodem die fieri ſolita, in qua à maiori Sacerdote ſacris veſtibus induto, ſacriſque ſtipato miniſtris diuiniſſimum hoc & adorandum Euchariſtiæ myſterium canticis, hymniſque reſonantibus, lampadibuſque fulgentibus per vicos & plateas ciuitatum defertur. Qui quidem ritus, vt refert Iacobus Gualterus in Chronologia, ad ſeculum 13. *in euentib. mirabil. col.* 12. primò cœpit integro ſeculo poſt feſtum corporis Chriſti ab Vrbano IV. inſtitutum apud Ticinum, vnde ad alias Italiæ, Galliæ, & totius Europæ vrbes, & præcipuè Andegauum propagatus eſt, vt vbi impius ille Sacramentariorum parens Berengarius contra tantum myſterium venenum erroris ſui primò fuderat, ibi ſpeciales honores ſolenni ac magnifico apparatu per omnes oppidi vicos diuiniſſimo corporis Domini Sacramento à cunctis Fidelibus redderentur. 570.

Huic feſto ſolennis proceſſio addita eſt primò Ticini, deinde Andegaui, vnde & in orbē vniuerſum ſacer mos extenſus eſt.

Gualter.

Tamen ritum iſtum nec abhorreat, nec rideat Catholicæ Fidei æmulus, ac tanti myſterij hoſtis infenſus: ſeque in ſtolida illa Saülis filia, quæ Dauid ſponſum coram Arca ludentem deſpexit, adumbratum agnoſcat. Nolebat Michol, vt refertur 2. *Reg.* 6. Principem ac Regis generum diſcoopertum, & nudatum ante arcam Domini ludere: at ſapiens piuſque Dauid, imprudenti ac ignaræ reſpondit fœminæ: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Vnde propter contemptum ſterilitate à Domino imprudens mulier punita eſt; Dauidque propter illam quam Deo exhibuit reuerentiam, ad thronum ſoceri ſublimatus, in eo vſque ad obitum confirmatus eſt. Cùm ergo Arca Teſtamenti circumtecta ex omni parte auro, in qua erat *vrna habens manna*, vt dicitur *Hebr.* 9. 4. ſacræ Euchariſtiæ typus extiterit, vt ſuprà ex Tertulliano oſtendimus, ipſamque extra tabernaculum, ac ciuitates Iſraëlitæ deduxerint ingenti cum lætitia & apparatu, ita vt ſicuti legitur 2. Reg. 6. *David & omnis Iſraël luderet coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris & cymbalis*; immò vt eodem capite, *n.* 13. dicitur, *cùm tranſcendiſſent qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabant bouem & arietem, & Dauid percutiebat in organis armigatis*: cur Chriſtianis non licebit venerabile corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum in Arca deſignatum, per vicos & plateas cum canticis & hymnis, cum accenſis facibus, ac incenſis thuribulis, ornatis vndique ſpecioſa ac pretioſa ſuppellectile parietibus, ſtratis in pauimento floribus, omnique magnificentiæ apparatu circumgeſtare? Maximè quia ſicut Iudæi per Arcam, & Deo de acceptis beneficiis gratias referebant, & vt noua reciperent beneficia, inuocabant: ita Chriſtiani per Sacroſanctum Euchariſtiæ myſterium, vt ipſum Euchariſtiæ nomen ſonat, de collatis donis Deo gratias agunt, & ad diuina jugiter capeſſenda bona tanto myſterio rogant & exorant. Deſpiciat Dauidem Michol, contemnat Regem filia Saül, nec propterea ab obſequio diuino Da- 571.

Michol deſpiciens Dauid ludentē corā Domino, hæreticos cultum Catholicorū erga Euchariſtiam damnantes præſignauit.

Ante Arcam Iudæi ſacrificabāt venerationis ergò.

uid retrahetur: Deum in Arca & motibus corporis, & muſicis inſtrumentis reuerebitur; non enim erubeſcit Dauid fœmineas opiniones; nec opprobria apud mulieres ſubire pro religionis obſequio verecundatur. Deſpiciant igitur hæretici Catholicos; contemnant, fremant, abhorreant, deteſtentur, non propterea mouebuntur: conſtantiſſimè perſeuerabunt fideles populi, & toto cordis affectu, totaque corporis inclinatione, ſubiectione ac modeſtiâ adorandum Domini IESV corpus, ſiue in templis ſupra altare poſitum, ſiue à Sacerdotibus per vicos & plateas ciuitatum delatum, canticis, accenſis facibus, ſtratis floribus, aulæis explicitis, omnique quo poterunt decentiori apparatu reuerebuntur.

572. Muri Hierichò, illos Arcâ circumeunte ceciderunt.

Sanè Hericho ciuitatis munitæ & clauſæ muri, licèt aliàs validi, corruerunt, ipſaque patuit vrbs filiis Iſraël, à quibus magna facta fuit hoſtiũ ſtrages, quia Arca Domini ibidem delata eſt, & illam geſtantes circumierunt ciuitatem. Quod portentum fusè deſcribitur Ieſuë 6. Vtinam ſacratiſſimo vias ciuitatum Chriſtianorum altaris Sacramento per manus Sacerdotũ delato circumeunte, myſticæ Hericho, Caluinianæ ac Lutheranæ hæreſis muri corruant, ipſique erroribus inuoluti homines, tubarum clangore, Chriſtianorum ſeu Catholicorum ſermonibus conſternantur; non quidem ad mortem corporalem, ſicuti ciues Hiericho, qui à Iudæis ſunt trucidati: ſed ad vitam ſpiritualem, vt ruptis obicibus, & obſtinatione mentis ablatâ, in ipſis via pateat veritati, quæ illos ab errore liberans, ad verum Chriſti corpus, & ſanguinem in Euchariſtia adorandum adducat.

Pereant hoſtes Euchariſtiæ, vt non pereant, ſed ſaluentur.

Pereant igitur Sacramenti Euchariſtiæ deriſores, non vt pereant, ſed ſalventur: pereant errores, ſalventur errantes. Confundantur modò, vt è confuſionibus hæreſum eripiantur: ſubuertantur, ſed eo modo quo Niniue ſubuerſa eſt, prædicante Ionâ, c. 3.4. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Quod exponens Auguſtinus, ait: *Subuerſa eſt Niniue, quæ mala erat; & bona ædificata eſt, quæ non erat.*

Eo modo quo Niniue ſubuerſa eſt.

Malum ergo quod in hominibus ab Eccleſia diſſitis nouantium erroribus eſt, ſubuertatur, vt bonum quod in eis non eſt, ædificetur: pereant in malo, naſcantur in bono; & quod hactenus Sacramentum, tanquam ſignum vacuum, & nudum ſymbolum reſpuerunt, tanquam verum Sacramentum, in quo verum Chriſti corpus, & verus eius ſanguis realiter continentur, reuereantur, colant, adorent.

573. Denique nulli inuiſum aut ingratum habeatur, ſanctiſſimum diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum extra templorum ſepta, ſummâ apparatus maieſtate deferri, cùm à prioribus Eccleſiæ ſeculis hoc

Antiquitus extra templa coram Põtificibus ſacra geſtabatur Euchariſtia.

actum ſit. Etenim veteres non ſolùm Romanæ Eccleſiæ Pontifices, ſed etiam priuatarum Eccleſiarum Paſtores, vel ante ſe diuina myſteria præmittebant, vel illa ſupra ſe ſummâ veneratione geſtabant. Vnde Stephanus III. Romanus Pontifex à Pipino Francorum Rege per Legatos, vt ſe in Galliam reciperet, inuitatus, die 14. Octobris anni ſeptingenteſimi quinquageſimi ſecundi, aſſumptis ex Romana Eccleſia quibuſdam Sacerdotibus laborioſum iter ad Franciam aggreſſus eſt, Chriſto præuio, ſicut loquitur Anaſtaſius; quia vt exiſtimat Card. Baronius *tom.9. Annal.* ſequenti anno ſanctiſſimam Euchariſtiam ſibi præferendam juſſerat. Quod ſanè ad poſteros ac ſucceſſores deriuatum eſt: nam Gregorius XI. cùm anno 1376. Româ Anagniam proficiſceretur, poſt Miſſæ celebrationem hoſtiam vnam à ſe conſecratam propriis manibus in pyxide collocauit, ante ſe in itinere deferendam. Similiter Pius II. anno 1464. Mantuam pergens, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum præuium habuit, idemque venerabile Sacramentum ſuper achineam delatum fuiſſe ante Alexandrum VI. die 22. Iulij, anno 1494. dum ab Vrbe Vicouarum pergeret, refert Brocardus *tom.2.* Pleroſque alios Romanos Pontifices itinera capeſſentes, ad noſtra hæc vſque tempora adorandum corporis Domini myſterium præuium habuiſſe, ex Pariſio Craſſo, & aliis refert Franciſcus Longus à Coriolano ſuprà allatus, *fol.* 433.

Immò multi aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, non ſolùm in pectore, ad collum alligatâ burſâ, diuiniſſimum geſtabant Sacramentum; quod etiam de aliis miniſtris legitur, ſicuti de ſancto Tarſicio acolytho, anno Domini 255. teſtatur Romanum Martyrologium ad diem 15. Auguſti; & de Sancto Satyro S. Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi germano idem refert Epiſcopus: ſed etiam propriam, tanquam veri paſtores luſtrantes diœceſim publicè id præſtiterunt. Beneuentanus etenim Archipræſul dum ſuam viſitabat diœceſim, ſacratiſſimum ante ſe Sacramentum publicè deferre ſolebat, qui ritus ad Pauli II. Pontificis vſque tempora illic perdurauit, vt MS. codex in Beneuentano Archiepiſcopio aſſeruatus fidem facit. Et S. Birinus Dorceſtrenſis Epiſcopus, ab Honorio I. Papa ad prædicandum Euangelium in Britanniam directus, qui Occidentales Saxones, Geuiſſos dictos, cum Cynigildo Rege ad Chriſti fidem adduxit, ſemper in via ſanctiſſimam geſtabat Euchariſtiam. 574.

Priſci Chriſtiani ſecum Euchariſtiã deferebant.

Rom. Martyr.

Quam cùm in nauim aſcenſurus ad littus Britannici freti, vbi ſacra myſteria celebrauerat, reliquiſſet, jamque in altum pelagus naui ventis perflatâ ductus fuiſſet, corpus Dominicum ſe reliquiſſe reminiſcens, fide armatus in mare deſcendit, per mare ſecutus tumidos eius calcans vortices inceſſit; & Sacramento quod reliquerat recepto, ad nauim ſuper aquam ambulans regreſſus eſt, eamque immobiliter ſtantem etſi vehementi ac propitio vento perflatam inuenit, vt refert ex Surio 3. Decembris Cæſar Cardinalis Baronius *tom.7. Annal. anno* 635.

Inſigne miraculum.

Baron.

Verùm de cultu & adoratione, quæ à Fidelibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ dum defertur publicè exhibentur, inferiùs fusè tractabimus. Interim ad ſecundam huius Sequentiæ partem, quæ ſecundum juxta methodum noſtram librum efformabit, properandum eſt. 575.

LIBER

LIBER SECVNDVS

SOLIS AQVINATIS SPLENDORVM,
Victorias ac triumphos Chriſti Domini illuſtrantium.

PRIOREM huius Sequentiæ partem, quæ lætitiæ, ac ſpiritualis fidelium gaudij canticum complectitur, poſtquam præſtante Domino libro ſuperiori expoſuimus, ad ſecundam illius partem, quæ vt in huius Operis proœmio tetigimus, victoriæ Chriſti Domini, morte ac Sacrâ Euchariſtiâ illius epilogo ac memoriâ, orcum ſuperantis canticum eſt, nunc exponendam properamus. Sic autem D. Thomas Saluatoris amantiſſimi triumphum canere orditur.

TEXTVS SEPTIMVS.

In hac menſa noui Regis
Nouum Paſcha nouæ Legis
Phaſe vetus terminat.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. POSTQVAM in præcedentibus huius Proſæ textibus ad maximam, eamque ſpiritualem, laudibus & canticis Chriſtum Dominum celebrando lætitiam fideles inuitauit, tantique gaudij rationes aſſignauit, ipſum diuinæ Euchariſtiæ authorem modò conſiderat, ipſumque victorem mortis, ac dæmonum triumphatorem, ſimulque veterum adumbrationum ac figurarum conſummatorem proponit D.Th. ait enim, *in hac menſa noui Regis.* Vbi nomine menſæ, non ſolùm altaria, in quibus incruentum Deo Sacrificium obſequio offerimus quotidiano, ſed etiam immaculatum in Euchariſtia latitans Chriſti Domini corpus intelligit; cibos enim quos ſupra menſam ſumimus, menſæ vocabulo exprimimus; & quæ in altari oblata comedimus, altaris nomine appellamus. Quod & fecit Apoſtolus, dum *Hebr.* 13. 10. inquit: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Vbi altaris nomine Chriſtianorum oblationem ſeu ſacrificium, ſanctiſſimam putà Euchariſtiam Paulus intellexit, vt docent Chryſoſtomus, Theophylactus, Anſelmus, & alij in illum locum; non enim Apoſtolus ibi loquitur de altari crucis, vt volunt hæretici; ſed de altari, in quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebramus: quod planè conuincit loquendi modus Apoſtoli, dum ait, *habemus altare*; nam quod habemus altare, eſt Euchariſtiæ, non Crucis; quod non habemus, ſed habuimus ante 1650. annos. Immò conuincitur ex verbo *edere*; nam ex Crucis altari non manducamus, ſed ex altari Euchariſtiæ. Et tandem quia Apoſtolus tabernaculo, ideſt altari tabernaculi veteris, ex quo Sacerdotes, & offerentes Iudæi victimas comedebant, tanquam eſcas ſanctas, opponit altare Eccleſiæ nouum, ex quo Sacerdotes & Fideles non carnales eſcas pecorum, ſed eſcam diuinam, & cœleſtem, nempe Sacrum Domini IESV corpus manducamus.

Nomine menſæ corpus Chriſti, & altare, vbi offertur, intelliguntur.

Chryſoſt. Theoph. Anſelm.

Nomine altaris, nõ crucem, ſed Euchariſtiam intelligit Apoſtolus.

Nomine autem *Noui Regis* Chriſtum Dominum exprimit: ipſe enim verus Rex, quamvis ab initio naſcentis ſeculi ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto homines, cæteraſque creaturas regens habeatur; attamen nouo modo in hac ſacra menſa, tremendoque corporis & ſanguinis ſui myſterio *Rex* dicitur, non ſolùm quia homo verus, ac intemeratæ Virginis filius, carnem ſuam hominibus cibum præbens, dignatur apparere, & in ſanctiſſima, quam ex puriſſima ſuſcepit Genitrice, humanitate Regis titulo decoratur; nam vt dicitur *Apoc.* 19. 16. habet in veſtimento & in femore ſcriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium*: ſed etiam quia nouo maieſtatis ſplendore, dum pro hominibus animam ponens, ipſiſque corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum offerens, tanquam nouus hominum Princeps coruſcauit. 2.

Chriſtus in Euchariſtia nouus Rex, quia nouo bonitatis ſplendore erga ſuos refulget.

Cùm enim ſanguine ſuo, quem mortem patiens abundè pro nobis effudit, regiam dignitatem ſplendidâ veluti purpurâ nobilitauerit, ipſumque in quo veluti in throno collocatus eſt, lignum ab Euangelico Vate Principatus nomine inſigniatur, dum *Iſai.* 9. 6. dicitur, *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*; vnde & D. Auguſtinus *ſerm.* 7. *de tempore*, præfatum locum exponens ait: *Meritò crux Chriſti dicitur principatus, quia per eam diabolus vincitur, & totus mundus ad Dei gloriam reuocatur.* Cúmque mortis ac paſſionis Dominicæ mirum quoddam memoriale, ac veluti compendium ſacra exiſtat Euchariſtia, haud dubiè illo in Sacramento Criſtus Seruator optimus, magnificentiſſimus veluti Princeps ac Summus Monarcha meritò teueretur. 3.

Sãguine ſuo regiam auxit maieſtatem. *D. Auguſt.*

Dum autem ſubdit, *nouum Paſcha nouæ Legis Phaſe vetus terminat*, eundem Redemptorem ſanctiſſimum, figurarum veteris Legis conſummatorem oſtendit, eiuſque mirabilem de hoſtibus ſuis victoriam celebrat. Nouum ſiquidem Paſcha, ideſt noua victima in patibulo crucis ſemel oblata, in Euchariſtiæ Sacramento incluſa, ac quotidie ab Eccleſia manibus Sacerdotum incruento modo in Miſſæ ſacrificio exhibita, Chriſtus eſt, qui & paſſione à poteſtate dæmonis homines eruens, & mirabili corporis ſui Sacramento jam liberos paſcens, noui Paſchaos nomine 4.

Noua eſt victima antiquas Euchariſtia conſummans.

nomine non immeritò inſignitur; de eo etenim Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 7. ait: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus,* Itaque novum hoc paſcha in noua Lege à Chriſto Domino in vltima cœna mirabiliter inſtitutum, antiquum Iudæorum Paſcha complet, abſoluit, ac terminat. Agnus enim Paſchalis, qui vt dicitur Exodi 12. ad veſperam quartædecimæ lunæ menſis Niſam immolabatur, & aſſabatur; aliæque quæ & die ſequenti, aliiſque ſeptem, qui dies azymorum vocabantur, victimæ paſchales, putà holocauſta & pacifica immolabantur, ſacrificium Chriſti in cruce immolati, ipsâ immolatione, ipſiſque azymis ac manducatione, eiuſdem Chriſti incruentam in Euchariſtia oblationem adumbrabant, vt notarunt eruditi Scripturæ Interpretes. Et ideo Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, novum in Eccleſia Chriſtianorum Paſcha eſt, vetus excludens & abrogans, nouoque munere diuinæ bonitatis non ſemel in anno primi menſis plenilunio celebratur, ſed quotidie perenne Paſcha, ac iuge ſacrificium ſacratiſſima in altari offertur Euchariſtia; ipſeque Agnus Dei, vivus panis, Angelorum, & hominum cibus, in hoc tremendo myſterio, Chriſtianis ardenti charitate ac ſummâ deuotione feruidis quotidie exhibetur. De hoc nouæ Legis ſacratiſſimo Paſchate olim præclarum reddidit teſtimonium Andreas Apoſtolus, ipſumque ſacratiſſimam eſſe Euchariſtiam docuit, dum Ægeam tyrannum, ipſum ad idolis ſacrificandum hortantem ſic eſt alloquutus: *Ego quotidie Agnum immaculatum immolo, cuius carnem cùm omnis populus comederit, Agnus tamen qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus.*

Agnus quartadecima menſis Niſam immolabatur.

Chriſtus novum paſcha quotidie immolatur.

5. Sic igitur novum Chriſtianorum Paſcha, quod perenne eſt, ac quotidianum, vetus Iudæorum, quod annuum erat, & temporale, dum complet, & abſoluit, excludit, vt D. Thomas expreſſit, dum inquit, *Phaſe*, ideſt Paſcha, *vetus terminat*. Solemnis enim Agni immolatio ac manducatio in memoriam tranſitus Domini Hebræos ab internecione liberantis, Paſchæ & Phaſe nomine indiſcriminatim à Sacra Pagina recenſetur. Verùm Chriſtus Dominus, *qui legem non venerat ſoluere, ſed adimplere*, vt ipſe *Matth.* 5. loquitur, ſimul de immolatione agni ac manducatione præceptum dum ſolueret, conſummauit; Paſcha ſiquidem Iudæorum, Hebræorum ritu poſtquam cum diſcipulis in cœnaculo magno ſtrato celebrauit, ſtatim novum condidit, & perenne Eccleſiæ Chriſtianæ in Auguſtiſſimo Corporis & Sanguinis ſui Sacramento ſacrificium conceſſit, quod vtique legales omnes, ac paſchales victimas nobiliſſimo modo concludit. Quod ſanè eleganti ſtylo proſequutus eſt S. Leo *ſerm.* 7. *de paſſ. Domini*, vbi ſic fatur: *Oportebat vt manifeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio, & vno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum. Vt ergo umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo exhauritur Sacramento. Hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Ex quibus abundè liquet ſacram Chriſtianorum Synaxim novum eſſe illorum Paſcha veterem Hebræorum Paſchæ immolationem perficientem, ac è medio tollentem; vnde ſtatim ſubdit Doctor Angelicus.

Cunctas legales victimas Euchariſtia complectitur.

TEXTVS OCTAVVS.

Vetuſtatem nouitas,
Vmbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

EXPOSITIO TEXTVS.

Svum proſequitur inſtitutum ſanctiſſimus Aquinas, & vt quod in præcedenti Textu protulit in hoc confirmet, ſubiungit, *vetuſtatem nouitas*, ideſt antiquum Hebræorum Paſchale ſacrificium à nouo Eccleſiæ Chriſtianæ ſacrificio, in tremendo Euchariſtiæ myſterio immolato, ac in futura ſecula vſque ad orbis conſummationem immolando exploditur. 6.

Sanè ſic olim Deo iubente Iudæis mandatum eſt, vt nouis alimentis ſuperuenientibus, vetera amandarentur. Nam *Leuit.* 26. 10. habetur: *Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus projicietis.* Quæ ſi tropologicè exponantur, in nouo vetus Paſcha conſummari, & agnum ſemel in anno immolatum, in illo qui quotidie à ſacris Chriſtianorum miniſtris ſuper ſancta offertur ac manducatur altaria, pertranſiiſſe omninò liquet. 7.

Nouum Euchariſtiæ ſacrificium vetera Iudæorum expellit.

Cæterùm huc referri videntur, quæ præcepta ſua ſeruantibus ſpopondit Deus Leuitici 26. 10. *Firmabo*, inquit, *pactum meum vobiſcum. Comeditis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus projicietis.* Pactum ſuum quippe cum hominibus confirmauit Filius Dei, dum proprio ſanguine novum condidit Teſtamentum, ac ſimul ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, ac ſacrificium citò in carne moriturus conſtituit, tantumque fœdus in alimentum præbuit & munimen. Verùm nouo hoc adueniente noui fœderis Sacramento, antiquæ Legis dum terminantur obſeruationes, omnem expellit nouitas vetuſtatem. *Vetuſtiſſima veterum* hoc in myſterio comedunt Chriſtiani; vmbræ enim in corpore concluduntur, & ſigna in re ſignificata continentur: & vetera nouis ſuperuenientibus projiciunt, dum cruentas carnalium animalium mactationes incruentâ agni immaculati immolatione depelluut. Vnde auctor proſequitur, *Vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat.* Ceſſant ſiquidem futurarum rerum inanes repræſentationes, adueniente reali rei repræſentatæ præſentiâ, ipſumque Iudæorum Paſcha, quod Chriſti in cruce ſacrificium, eiuſque in Euchariſtia immolationem adumbrabat, à Chriſto Domino ſi crucem amoris ſui impetu acto, & inaudito charitatis prodigio, ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia veraciter concluſo, fugatur ac conſummatur. 8.

Euchariſtia fœdus, alimentum & ſacramentũ, eſt nouitas fugans vetuſtatem.

Tuncque *noctem lux eliminat*, ideſt tenebrarum legis typicæ caligines, veri juſtitiæ jubaris Chriſti Domini ſplendoribus reſoluuntur, fugantur, diſſipantur. Quamvis enim abditiſſimum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ arcanum omni ex capite tenebroſum appareat, vnde & *myſterium fidei* ab Eccleſia antonomaſticè appellatur; tamen ſemel *captiuato intellectu in obſequium Chriſti*, vt loquitur Apoſtolus, eiuſque ſuper hoc Sacramentum 9.

Chriſti ſplẽdoribus Iudæorum caligines diſſipantur.

verbis

verbis mente ſubditâ, fideli corde, ac reuerenti animo auditis, immenſas effundit Fidelibus colluſtrationes, quibus Iudæos in noctis obſcuritatibus verſatos, obſcuroque ac typico cibo paſtos fuiſſe; Chriſtianos autem in ſplendoribus diei degere, ac ſplendido, fulgentique corporis Domini pabulo ſuſtentari cognoſcunt. Quod adeo verum eſt, vt ipſi qui ſub lege vixerunt Iudæi, noctis nomine; Chriſtiani verò qui Euangelij luce perfunduntur, diei titulo à Scriptura inſigniantur, ſicut eleganter notauit D. Ambroſius *in exhortat. ad virgin.* exponens illud Pſalm. 18. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Dies diei*, inquit, *Chriſtianus Chriſtiano: nox nocti, Iudæus Iudæo.* Noctem igitur lux eliminat, dum Chriſtiani nouæ Legis præcepta ſuſcipientes, eiuſque Sacramentis luculenter inſtructi, Iudæos legem derelinquentes, Chriſtumque qui *finis legis* eſt, vt ait Paulus *Rom.* 10. 4. durâ ceruice reſpuentes, eorumque tenebroſas rerum futurarum imagines, ſplendidâ Euangelij claritate repellunt; adeo enim Chriſti myſterio & aduentu obcæcata eſt Iudæorum Synagoga, vt veluti nox atra è medio euangelici ſplendore diei ſublata ſit. Qui autem hac tempeſtate adhuc Iudaici nominis titulo recenſentur, denſiſſimis in tenebris famelicos ac ſitibundos verſari, nemini dubium eſt. Sic enim illis Deus olim Iſaiæ vaticinio comminatus eſt, capite 3. 1. *Ecce*, inquit, *dominator Dominus exercituum auferet ab Hieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Quod ad rem præſentem Doctorum maximus D. Hieronymus ſic Interpretatur: *Habent*, inquit, *Iudæi panem, ſed abſque fortitudine: habent aquas, ſed abſque robore: legunt enim Scripturas, ſed non intelligunt; tenent membranas, & Chriſtum qui in membranis ſcriptus eſt, perdiderunt.*

D. Ambroſ.

Iudæi noctis & Chriſtiani diei nomine inſigniuntur.

Iudæi famelici & ſitientes.

D. Hieron.

10. At Chriſtiani qui non ſolùm filij lucis, ſed ipſa lux ab Apoſtolo vocitantur, dum *Eph.* 5. 8. ait: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In ſplendoribus commorantes, Chriſtumque Redemptorem adorantes, non ſolùm ſuauiſſimo diuinæ illius doctrinæ pabulo nutriuntur, ſed etiam ſanctiſſimi illius corporis Sacramento ſuſtentantur. Sicque dum Iudæi diuites, famelici egent; Gentiles pauperes à Chriſto vocati ſaturantur. Quod ſanè Pſalmiſta prædixit pſal. 33. 11. *Diuites eguerunt, & eſurierunt.* Et pſal. 21. 27. *Edent pauperes & ſaturabuntur.* Quæ à D. Ambroſio *ſerm.* 12. *in pſalm.* 118. de Iudæis & Gentibus ad præſens inſtitutum exponuntur. *Diuites*, ait Ambroſ. *eguerunt & eſurierunt, quia qui antea abundabant gratiâ, poſteà tamen propter perfidiam ſuam egere cœperunt. Qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem Chriſti ſatiantur, & abundant, ſicut ſcriptum eſt, Edent pauperes & ſaturabuntur.*

Chriſtiani lux dicuntur.

Corpore Domini ſaturantur.

D. Ambroſ.

11. Verùm nulla maior Iudæos offendit caligo, nulla durior cruciavit fames, quàm quæ illos à ſacroſancta remouit Euchariſtia. Cœleſtis huius ac diuini edulij fide olim tum ex oraculis, tum ex miraculis collecta ſaturabantur. Legebant enim pſal. 77. 24. *Panem cœli, & panem Angelorum.* Et Iſai. 25. 6. *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ.* Et Zach. 9. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Prodigia cernebant: *Manna de cœlo*, Exod. 16. 15. *Aquam de rupe*, Num. 20. 11. *Mel de petra*, pſal. 80. 17. *Oleum de ſaxo*, Deut. 32. 13. ex quibus vaticiniis, ac portentis, Sacramenti Euchariſtiæ fidem depromebant. Sed ipſo Sacramento apparente, illius radiis veluti perſtricti, attoniti hæſerunt increduli ac famelici, ad inſtar Tantali eorum ſuauiſſimo ac cœleſti cibo eſurientes, ac ieiunantes. Ipſis quidem ſeſe præbebat *panis* ille *viuus de cœlo deſcendens*, qui carnem ſuam in æternæ vitæ ſubſidium offerebat: at tantam gratiam contemnentes, repulerunt. *Quomodo*, inquiunt, *poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ioan. 6. 52. Gentiles autem ſacro Baptiſmatis fonte renati, ac Chriſtianæ Fidei aggregati, etſi olim nullâ huius Sacramenti aut fide, aut figurâ notitiâ, ſemel ad hanc terribilem vocati menſam, cœleſti hoc cibo, mirabilique corporis & ſanguinis Domini Sacramento veſcuntur & ſaturantur. Quâ in re impletum eſt illud Dauidis oraculum, pſal. 67. 11. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Dum enim non ſemel diuites vocati Iudæi, ad hunc cibum nauſeantes expulſi ſunt; pauperes ac eſurientes Gentiles, dulciſſimo Chriſti Domini carnis edulio recreantur. Quo ſenſu D. Thomas in Officio ſolennitatis corporis Chriſti, *opuſc.* 57. in Antiphona quæ in primis veſperis cantico *Magnificat*, accinitur, inquit: *Vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſoſque diuites dimittis inanes.* Hincque patet, quomodo *vmbram fugat veritas, & noctem lux eliminat.*

Iudæi figuris Euchariſtiæ ditati ipſam Euchariſtiã repulerunt.

Eſurientes Chriſtianos replet bonis Dominus Sacramento Corporis ſui, & faſtidioſos Iudæos dimittit inanes.

ELVCIDATIO I.

Ad Textus præcedentes.

De Regia Chriſti Domini dignitate.

Immenſam Sanctiſſimi Redemptoris maieſtatem hac in ſecunda huius Sequentiæ parte aperit D. Thomas. Cùm enim illius victoriæ triumphum ibidem celebret, à præſtantiſſima ouantis perſonæ excellentia incipit, Chriſtum ſummum omnium eumque nouum Regem appellans. Vt ergo Angelici Doctoris mentem aſſequamur, ac noſtræ methodo, vti par eſt, ſaciamus ſatis, Saluatoris monarchiam explanare, ac paucis illuſtrare conuenit. Rex ergo nouus eſt ille, qui ſacram Euchariſtiæ Fidelibus præparat menſam, triplici ex capite: æternâ ex diuini Patris intellectu proceſſione, temporali in vtero Virginis generatione, cruentâ in cruce, & incruentâ in Euchariſtia immolatione. 12.

Chriſtus ex triplici capite Rex.

Sectio Prima.

Chriſtus ab æterno Rex eſt æternâ ſuâ ex Diuini Patris intellectu proceſſione.

NOuum tantum in Euchariſtiæ menſa ne putes Principem: immò antiquiſſimum ibidem ſuſpice Monarcham. Idem ſiquidem qui vt homo tormenta & necem dum corpus ſuum hominibus tradit, præſtolatur, vitæ & mortis Dominus, vetus exiſtit Deus. Nec enim 13.

niſi Deus eſſet, carnem ſuam ſub aliena panis ſpecie occultatam ſemel à Fidelibus ore corporis in animæ ſubſidium ac nutrimentum receptam, iterum manducandam præberet: ſumpta conſumeretur, niſi ſicuti veri hominis, ita & veri Dei caro exiſteret. Vndequamvis hoc myſterium, corporis & ſanguinis Chriſti ſit ſacramentum, eiuſdem Deitatem non parum tamen demonſtrat, regiamque eius dignitatem ex vtroque capite manifeſtat.

Chriſtus in Euchariſtia Deus, & Rex.

14. Chriſtus igitur dum carnem ſuam & ſanguinem, hominum alimenta ſummâ liberalitate conſtituit, ſe diuinum Regem euidenter oſtendit, quia ſe verum Dei Filium tanto opere prædicauit. Diuinum enim opus eſt, ingratis hominibus, ac peruicacibus ſeruis, crudelem Domino ſuo necem inferentibus, corpus quod cruciant, in vitæ præſidium ac mortis antidotum ardenti charitate miniſtrare. Quod Regium etiam eſſe perhibetur; cùm non regium eſſe nequeat, quod diuinum eſt. Cùm ergo ſe Filium Dei ab æterno Patre genitum, mirabili Chriſtus exhibeat Sacramento, ſe etiam antiquum Regem æternâ ſuâ generatione coronatum hoc in myſterio deſignat.

Regiũ quod diuinum.

15. Planè ex æterni Genitoris vtero ante Luciferum prodiens æterna proles, coronata proceſſit, eodemque quo Pater diademate redimita, *in ſplendoribus Sanctorum* ſplendida coruſcauit: *Deus de Deo, lumen de lumine*, ac ſummus ex ſummo Principe refulſit Princeps: non exiuit ex vtero, ſed in eo, ex quo Filius natus eſt, permanſit, vt ſimul cum eo, à quo & ſubſtantiam æternam habet, & indiuiduam deitatem, eadem maieſtate micaret, eodemque regnaret principatu. In Parente Filius eſt, ac in genito genitor reperitur: nec vnus ſine alio eſſe poteſt, nec alter regnare ſine altero. *Coronatur Pater pulchritudine prolis*, vt loquitur Syneſius; at Filius Parentis maieſtate decoratur. Rex Pater eſt, Rexque Filius, nec propterea duos exiſtimes Reges: vnicum tantùm Regem dicito, ſicuti & vnicum Deum adoras & confiteris. Cùm enim regia dignitas, & ſummum in omnes creaturas diuinarum perſonarum imperium, in diuina ſubſtantia à qua dependent, & oriuntur, vt à prima omnium cauſa, cuncta quæ creata ſunt, fundentur; quia indiuidua, ſimpliciſſima, & vnica eſt diuina eſſentia, vnica in Deo Maieſtas, vnica Monarchia, vnicus Principatus, vnicuſque Rex in adoranda Trinitate reperitur, & ab Angelis & hominibus colitur & reueretur.

Filius Dei coronatus ex Deo proceſſit.

Coronatur Pater pulchritudine prolis. *Syneſ.*

Pater & Filius, vnicus Rex.

16. Verùm cùm Dei Filius ex vi æternæ ſuæ generationis, quâ ex intellectu Patris ſe & omnia quæ neceſſariò in ipſo ſunt, perfectiſſimè intelligentis, ab æterno procedit in ſimilitudinem naturæ, diuinam eſſentiam cum omnibus attributis, aliiſque rationibus eſſentialibus habeat, poſſideatque; ex vi eiuſdem proceſſionis, quâ perfectiſſima Dei imago oritur, etiam Regiam obtinet dignitatem. Vnde Regius Pſaltes *pſal.* 109. 3. ſicuti ex Græco notat D. Chryſoſtomus; Filium Dei in perſona Patris alloquens, inquit: *Tecum principatus in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Quæ verba exponens idem Chryſoſtomus, inquit: *Quid eſt tecum? hoc eſt in ipſo, in ſubſtantia eius, in natura eius. Quemadmodum fieri non poteſt, vt non ſit eius ſubſtantia, ita vt non ſit eius regnum. Principatus Regum eſt in multitudine exercitus: Principatus Apoſtolorum in operatione impertata extrinſecus: ipſe autem habuit Principatum in natura, in ſubſtantia perpetuum, immortalem.* Hæc Chryſoſtomus, in quibus diuini & humani Principatus diſcrimen ſtatuit in hoc, quod hominibus accidat, & ab extrinſeco dominandi authoritas adueniat, ſicque collata extrinſecus exerceatur, ſicuti ſubditis imperant Reges, exercitibus præſunt, militibus dominantur, omnemque Regiæ Maieſtatis extra propriam ſubſtantiam ſplendorem effundunt. At Dei Filio ab intrinſeco & ab æterno diuina cum ſubſtantia ſummus conuenit Principatus; non quòd ab æterno in vniuerſas dominium exerceat creaturas, quæ tantum in tempore ab eo conditæ ac formatæ ſunt: ſed quia ab æterno omnipotentiam ſimul & eſſentiam diuinam vi ſuæ generationis obtinet. Cùmque, vt docet Angelicus Doctor 1. *p. quæſt.* 13. *art.* 7. *ad* 5. *& ad* 6. diuina poteſtas ſit fundamentum relationis dominij, ex hac quam ab æterno Filius Dei obtinet poteſtate, dominium ab æterno ipſi verè conuenit, ac realiter ex hac ratione Dominus nominatur, quamvis tantùm in tempore ſupra creaturas regiam dominij ſui exerceat authoritatem; tuncque tantùm relatione dominij, quæ tantùm rationis à Theologis appellatur, abſque vlla ſui mutatione refertur, licèt iſtæ reali reſpectu veriſſimæ ſubiectionis, ac ſeruitutis ad tantum Principem referantur.

Filius Dei ex vi proceſſionis Rex. *D. Chryſoſt.*

Filij Dei principatus in eius eſt ſubſtantia.

D. Thom.

Relatio dominij in Deo ad creaturas eſt tantùm rationis, & creaturarum ad illum eſt realis.

Quæ igitur ex æternæ vi proceſſionis Verbo Dei competit Regia dominandi maieſtas, ab illo in tempore exercetur creationis ac conſeruationis poteſtate. *Omnia per ipſum facta ſunt*, inquit dilectus ille Diſcipulus, *Ioan.* 1. Sicque ab eo facta, ei ſubdita ſunt, ipſumque Dominum ac Monarcham reali ac indiſpenſabili dependentiâ profitentur. Quod planè expreſſit Mardochæus *Eſther* 13. dum inquit: *Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita; tu enim feciſti cælum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.* Vbi rationem ſummæ Dei dominationis in ſummam illam, quâ omnia creata ſunt, poteſtatem refundit, ſtatimque addit: *Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.* Quomodo enim effectus ex nihilo ingenti & bonitate & virtute educti, ſummæ ac eductrici cauſæ non ſubderentur? Sanè ſicuti parentibus ſubduntur Filij, Soli à quo procedunt radij non repugnant, nec niſi cum illo refulgent; ipſique riuuli à fonte à quo ducunt originem; & rami à ſtipite, flores, fructus & folia ab arbore dependent: ita à Diuino Verbo rerum omnium conditore creaturæ omninò dependent, ipſique ſupremo Monarchæ, ac Principi tenentur obtemperare. 17.

Creatione ac conſeruatione Rex Chriſtus eſt.

Quo ſenſu cuncta diuinâ virtute formata, etiam quæ omni ſenſu & cognitione ſunt deſtituta, Creatorem ſuum agnoſcere dicuntur, dum totis viribus infinitæ eius maieſtati mirâ obedientiâ ſubduntur, ſicut notauit D. Hieronymus lib. 1. in caput 8. Matth. *Omnes*, inquit, *creaturæ ſentiunt Creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; ſed maieſtate Conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.* Vnde ſummi huius 18.

D. Hieron.

Creaturæ omnes Dei maieſtatem agnoſcunt.

ius Regis in intemeratæ Virginis vtero incarnati aduentum omnia creata ſenſerunt, vt eleganter dixit D. Gregorius Magnus hom. 10. in Euangelia: *Omnia*, inquit, *elementa auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt; vt enim de eis quiddam vſu humano loquar, Deum hunc cœli eſſe cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt. Mare cognouit, quia ſub plantis eius ſe calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit.* Quamobrem tres illi Iſraëlitarum adoleſcentes, qui impio iubente tyranno, nullius criminis rei, niſi quòd idola non colerent, in ignis ardentis fornacem miſſi, ſed ab igne nil læſi, vno ore Regis regum encomia celebrantes, illum de ſumma in omnia creata monarchia collaudauerunt, dicentes *Daniel.* 3. 54. juxta LXX. Interpretes: *Benedictus es Domine ſuper ſceptrum diuinitatis tuæ.* Moxque *ibid.* 57. vniuerſas ad tantum Regem laudibus extollendum inuitant creaturas: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.* Immò crudeliſſimus ille Babyloniæ Princeps, qui tres pueros ſanctiſſimos flammis expoſuerat deuorandos, Dei optimi maximi ſuper ſeruos ſuos protectionem cum ſtupore demiratus, illum omnium Regum moderatorem, eiuſque regnum ſempiternum imperium vocitauit, *ibid.* 100. Sicuti namque increata non incœpit in Filio Dei ſubſtantia, ſed ſemper illam ante omnia ſecula ab æterno accipit Genitore; ita nec eius initium habuit dominandi poteſtas, quæ à diuina non diſtinguitur eſſentia, niſi virtualiter, ſeu per rationem, vt loquuntur Theologi: ideoque æternum Chriſti regnum, quod diuinâ ſortitur generatione, eſſe oportet. Vnde meritò ab Eccleſia in hymno Aſcenſionis *æternus Rex* appellatur, ipſumque Pſalmiſta alloquitur, dum *pſal.* 144. 13. ait: *Regnum tuum regnum omnium ſeculorum.* Et quidam metricè dixit:

P. Greg.

Chriſtique Aduentum.

Dei regnum imperium ſempiternum vocat Rex Babyloniæ.

Regnum Chriſti æternum.

Æternum Chriſti regnum non clauditur anno.

19. Porrò mirabile eſt ſempiternum Saluatoris imperium. Alia ſiquidem quæ ab hominibus temporaliter poſſidentur, plurium perſonarum conſortium non admittunt, nec duos etiam ſanguine indiſcretos ſolium capit; viuente patre filius non dominatur. Paucos ex cunctis Principibus inuenies, qui vel germanos, vel natos collegas dixerunt imperij; ſemperque maior in Rege, quàm in regni ſocio enituit authoritas. Nonnulli ſunt qui abdicatâ maieſtate proximos ad ſupremam euexerunt dignitatem. Diocletianus rerum ac curarum tædio, ſeu potiùs felici Chriſtianæ Religionis ſucceſſu, cum Maximiano Herculeo collega Imperium depoſuit, ſicque vterque nouo locum fecit Imperatori. Similiter ſuperiori ſeculo Carolus V. Auſtriacus, rerum humanarum pertæſus, Ferdinando Cæſari fratri imperium, Hiſpaniæ Regnum Philippo filio, ipſe in monaſterium S. Iuſti ſecedens, piæ ac tranquillæ vitæ cupidus, raro exemplo tradidit. Sic germanum, ac natum ſummo non potuit honore donare, niſi thronum vtrique, abdicatâ dignitate, cederet. Cuius quidem ratio non contemnenda videtur, quòd in hominibus etiam ſanguine nexis, ſicuti diuerſa reperitur ſubſtantia, ita etiam diuerſa eſt voluntas, diuerſum ingenium, ac conſequenter varius omninò regnandi modus, quæ Regis lacerant vnitatem, qui vt inquit Ariſtoteles, perfectus aptuſque ad dominandum eſſe nequit, ſi vnus non ſit. Quare idem Philoſophus ſic concludit: *Vnus ergo Princeps.*

Admirabile.

Diocletianus cum Maximiano collega depoſuit Imperium. Carolus V. idem praeſtitit.

Thronum vnum duos non capit homines.

R.P. Car. Bouquin. Comm. in Proſam D. Thom.

Attamen verè cum Patre à quo ab æterno procedit, & in quo ſemper manet, regnat Filius Dei: nec Filij maieſtas Patris minuit maieſtatem, cùm Patris ſplendor Filius ſit: nec genitoris authoritas geniti excludit poteſtatem, cùm vnus alteri æqualis ſit; eadem ſiquidem ſubſtantia vtriuſque, eadem eſſentia, eadem voluntas, eademque virtus: nec paterno titulo maior eſt Genitor, nec Filij nomine genitus minor exiſtit: & licèt acerrimus Diuini Filij propugnator Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.* dicat, quod *donantis authoritate pater maior eſt*, tamen minor non eſt Filius, cui vnum eſſe donatur. Æqualis inſuper vtriuſque poteſtas, quia ſicut eadem eſſentia quæ eſt in Patre, paternitas; in Filio eſt filiatio: ita eadem eſt potentia, quâ Pater generat, & quâ Filius generatur, quamvis filius habeat eandem potentiam, quam habet Pater, ſed cum alia relatione, quia Pater habet eam vt dans, & hoc ſignificatur, cùm dicitur quod poteſt generare; Filius autem habet eam vt accipiens, & hoc ſignificatur cùm dicitur, quod poteſt generari, vt docet D. Thomas 1. *p.* *q.* 42. *art.* 6. *ad* 3. quod ſanè eleganter proſequitur Auguſtinus *lib.* 3. *contra Maximinum*, *c.* 7. vbi de Patre diuino ſic loquitur: *An fortè dare æqualitatem non potuit? Vbi eſt ergo omnipotentia Dei Patris? Si non potuit gignere Filium æqualem, infirmus: ſi noluit, inuidus inuenitur.* Cùm ergo indiuiduâ eſſentiâ, voluntate, & poteſtate genitor, & genitus gaudeant in diuinis, vnicâ ſimul maieſtate refulgent, vnáque regnant Pater & Filius, nec diuidunt authoritatem diuerſa vtriuſque ſuppoſita; diſtinctæ enim illorum perſonæ, ſicut vnus Deus, ita & vnus Princeps ac Rex regum exiſtunt. Sed tertia increati Amoris perſona indiuiduam complens Trinitatem, diuinum ac increatum non diuidit Principatum. Eandem eſſentiam, voluntatem, ac poteſtatem à diuinis perſonis ſpirantibus recipit ab æterno, eandemque poſſidet maieſtatem: ſicque Patrem, & Filium regnantes non diſiungit, ſed connectit; vtriuſque enim amor eſt, vtrumque copulans ac coniungens; vtriuſque donum eſt, vtrumque alteri tradens, vtriuſque oſculum vtrumque delectans, vtriuſque centrum vtrumque complens, & vt loquitur D. Auguſtinus, genitoris genitique eſt ſuauitas, deliciis vtrumque perfundens. Verùm dum regnantes mutuò colligat, cum illis etiam regnat: & ſicuti Filius à Patris intellectu oritur diademate exornatus, ita Spiritus ſanctus à Patris, & Filij volontate procedit coronatus. Itaque ſicut in tribus perſonis vnus Deus eſt, ita in illis vnus Rex adoratur. 20.

Abſque diſſidio cum patre regnat filius Dei.

Hilar.

Eadem eſſentia & potentia Patris & Filij Dei, cũ diſtincta relatione.

D. Thom.

Auguſt.

Spiritus ſanctus cũ Patre & Filio regnat, vtriuſque amor, donum, oſculum, ſuauitas & centrum.

D. Auguſt.

Hactenus æterni Chriſti Domini principatûs radicem in diuina eius eſſentia ac omnipotentia ex vi diuinæ ſuæ ab intellectu Patris generationis ipſi formaliter realiterque communicata conſiderauimus: eiuſdem dominationis exercitium liceat modò in ordine ad creaturas ſubditas expendere. Primò quidem ipſâ rerum omnium fabricâ, cuius artifex & conditor extat, ſummum ipſi ſupra cuncta creata competit imperium. Quod quidem inſinuat Apoſtolus *Hebr.* 11. 3. dum inquit, *fide intelligimus aptata*, ideſt perfecta, *eſſe ſecula verbo Dei.* Cùm enim Deus ſit agens in- 21.

Æterni Filij Dei in homines & creaturas regni exercitium.

tellectuale, dum agit ad extra, vt in creatione contingit, per intellectum operatur, & per ſapientiam, quæ Verbo per intellectum procedenti attribuitur. Dum enim per ſapientiam, ſeu ſcientiam Deus condidit mundum, per Filium ſuum condidiſſe intelligitur; ipſe enim Patris ſui ſcientia eſt, *& ars quadam omnipotentis Dei*, vt loqui-

D. Auguſt.

tur D. Auguſtinus *lib. 6. de Trin. cap. 10.* vnde cùm *in ipſo condita ſint vniuerſa*, vt inquit Paulus *Coloſ.* 1. 16. vniuerſis creaturis debet imperitare. Quâ ergo ratione omnia creauit, omnium principium dum fuit, omnium parens effectus eſt, omnibuſque ſupremus Princeps impoſitus eſt. Verùm antequam è nihilo ad eius imperium prodirent creaturæ, jam illi parebant, ac ingenti miraculo quæ nondum erant, jam ipſi ſubjiciebantur, eiuſque voci antequam loquentem audirent, obtemperabant. Nam vt ait Apoſtolus Rom. 4. 18. *Vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.* In quo omnes creatos ſuperat Principes, qui ſolis hominibus, iiſque viuentibus, ac ratione vtentibus, quamdiu apud homines conuerſantur, dominantur: ipſe autem mundi Conditor, ipſis antequam ſint, dominatur & præcipit creaturis.

Creaturis antequam eſſent, Filius Dei imperauit.

22. Quod clariùs patebit antiqui Hebræorum Ducis Moyſis verbis, qui populum ſibi commiſſum alloquens Deut. 32. *Nunquid*, inquit, *non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te?*

S. Bonau.

Vbi ſicut exponit S. Bonauentura *opuſc. de expoſ. orat. Dom.* totius hominis fabricam ſigillatim declarans, totum conditoris, tanquam parentis eſſe demonſtrat. *Fecit*, inquit, *in corpore, creauit in anima, poſſedit in vtroque.* Quæ cùm ita ſint, mirum ſanè videtur, Prophetam priùs dixiſſe, hominis Creatorem hominem poſſediſſe, ac deinde feciſſe & creauiſſe. *Nunquid*, inquit, *ipſe eſt pater tuus qui poſſedit, & fecit, & creauit te?* An priùs hominem poſſedit, quàm creauit? Si fecit dum è ſuperfluo terræ corpus plaſmauit, vt notat Procopius; ſi creauit dum animam è nihilo ad imaginem ſuam efformatam infudit, quo modo ante corpus & infuſionem animæ, ex quibus totus coaleſcit homo, ipſum Deus poſſidet hominem, eo planè, quo nondum exiſtenti, aut è nihilo educto homini dominatur. Summo etenim quo cunctis rebus imperio præeſt Deus, etiam nondum productis imperat, cùm eius vocem nondum facta cognoſcunt; vbi Creatoris Principatus à cunctis hominum Principatibus non parum differre ſignificatur: omnium quippe Regum potentiſſimi rebus duntaxat exiſtentibus ac viuentibus dominantur, nec intra illorum regnorum fines futura aut poſſibilia concluduntur. Solius Regis regum eſt rei futuræ imperitare, ipſumque hominem antequam homo ſit poſſidere. Vaſtiſſimæ rerum poſſibilitati præeſt, ac determinatæ illarum futuritioni principatur. Omnia enim in manu illius continentur; poſſibilia quidem, infinitæ illius omnipotentiæ in ſinu, velut in virtute & ſemine latent; futura autem, quæ æternitati ſunt realiter præſentia, eius cognitioni omninò patent, ſicque æquale habet imperium in ea quæ non ſunt, atque in ea quæ ſunt: & ea quæ non ſunt facit, vt ſint; cunctaque & quæ ſunt, & quæ non ſunt poſſidet. Antequam faciat poſſidet, & habet antequam producat: quod nulli mortali Regi poteſt conuenire.

Poſſedit creaturas antequàm faceret.

Non solùm rebus exiſtentibus, ſed poſſibilibus & futuris imperat Deus.

Vocat ea quæ nō ſunt tanquam ea quæ ſunt.

23. Secundò æternum Chriſti vnigeniti Filij Dei ſuper creaturas imperium, earum conſeruatione exercetur. Subduntur omnia, quæ in rerum natura cenſentur, optimo conſeruatori; nec minùs ab eo dependent, ſemel proprio eſſe donata, vt illo fruantur, quàm vt illud acciperent. *In quantum Deus bonus eſt, ſumus*, inquit D. Auguſtinus *lib. 1. de doctrin. chriſt. c. 32. tom. 3.* Quod non ſolùm de productione in eſſe, ſed etiam de perſeuerantia in illo intelligendum eſt. Quæ producit homo arte ſua, in fieri ab eo dependent; at ſemel efformata, ſine actuali artificis influxu ſubſiſtunt. Abſente architecto, domus quæ ab ipſo condita eſt, permanet: & mortuo opifice, nauis fabricata exiſtit. Hæc enim, & ſimilia ſecundùm fieri, & non ſecundùm eſſe, ab operariis dependent. Verùm omnes à Deo pendent creaturæ, vt effectus à cauſa non ſolùm fiendi, ſed eſſendi: & ideò nequeunt in eſſe permanere, niſi ab ipſo Conditore conſeruentur. Quod quidem præſtat non per nouam aliquam actionem, ſed per continuationem actionis, quæ eſſe contulit. Conſeruatio enim continuata productio à Theologis appellatur; vnde D. Auguſt. *lib. 4. ſup. Gen. ad litteram, cap. 12.* ait: *Virtus Dei ab eis, quæ creata ſunt, regendis ſi ceſſaret aliquando, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret.* Quod vtique expreſſit Pſalmographus, dum inquit pſal. 103. 30. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes ſpiritum tuum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Nam vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 104. *art.* 1. ſicut ſe habet aër ad Solem illuminantem; ita ſe habet omnis creatura ad Deum: & ideo ſicut aër nullo modo natus eſt recipere lumen ſecundùm eandem rationem, ſecundùm quam eſt in Sole, vt ſcilicet recipiat formam Solis, quæ eſt principium luminis; vnde quia non habet radicem in aëre, ſtatim ceſſat lumen ceſſante actione Solis: ita nulla creatura recipit in ſe eſſentiam Dei, ita vt ſit ens per eſſentiam; ſed tantùm participat primum eſſe, & ſit ens per participationem. Sicuti enim Sol eſt lucens per ſuam naturam, aër autem fit lucidus participando lumen à Sole, non tamen naturam Solis: ita ſolus Deus eſt ens per eſſentiam ſuam, quia eius eſſentia eſt ſuum eſſe: omnis autem creatura eſt ens participatiuè, & ſua eſſentia non eſt eius eſſe. Quod eleganter D. Auguſtinus dixit *lib. 8. ſup. Gen. ad litt. cap. 12.* dum ait, quod *ſicut aër præſente Sole fit lucidus, ſic homo Deo ſibi præſente illuminatur, abſente autem continuò tenebratur.*

Conſeruatione creaturū regnat Filius Dei.

D. Auguſt.

Res à Deo in fieri & facto eſſe dependent.

D. Thom.

Nulla creatura poteſt eſſe ens per eſſentiam.

Cùm ergo totum creaturarum eſſe à Deo totius eſſe fonte, & ſcaturigine dependeat, ſicut tota lux aëris à Sole: regnat Deus in creaturis dum illas in eſſe conſeruat, ſicut regnat Sol in aëre, dum illum ſua luce colluſtrat. Cúmque omnis conſeruatio creaturæ à verbo Dei, à quo condita eſt, oriatur, vnde de eo Apoſtolus *Hebr.* 1. 3. inquit quod *portat omnia verbo virtutis ſuæ*, id eſt conſeruat cuncta imperio omnipotentiæ, quâ cuncta produxit, illum omnium rerum Monarcham & Dominum conſeruationis, ſeu continuatæ creationis titulo eſſe liquet. 24.

Tertiò denique quæ cuſtodit & condidit, dum ſummâ ſapientiâ regit æternus vnigenituſque Dei Filius, tertio titulo illorum Princeps euadit. Sanè incompletum eius regnum eſſe videretur, niſi ſapienter quæ ſeruat & creauit, gubernaret. *Dominus regit me*, inquit Propheta pſal. 22. 1. *& nihil mihi deerit*: non enim omni ex capite eſſet 25.

Gubernatione & regimine creaturarum regnat Chriſtus.

eſſet Dominus, niſi ſubditos regeret; ipſiſque multa deeſſent ſubditis, niſi eos rectè Dominus gubernaret. Rex à regendo dicitur, & niſi æquiſſimis Princeps plebem legibus ad finem dirigeret, iniuſtè Domini nomenclaturam obtineret. *Dominus Rex noſter, Dominus legifer noſter, ipſe veniet & ſaluabit nos*, inqoit Vates Euangelicus Iſaias 33.22. Antequam enim trabeâ mortalitatis indutus, vt perditum ſaluaret hominem, ad nos veniret immortalis Filius Dei, jam hominum erat Princeps optimis ſanctiſſimiſque, quas illos docuit, legibus, ſiue legiſlatoris Moyſis miniſterio, ſiue oraculis Prophetarum, ſiue ſacrarum textibus Scripturarum. Sic enim ſimul & Legifer & Rex extat.

26. Quamvis autem omnes regat creaturas, omneſque ſummo gubernet imperio; tamen non omnium legifer, neque omnibus per leges, ordinationes ac præcepta conſtituit. Sicut enim diuerſa mobilia diuerſimodè mouentur, etiam ſecundùm motionem vnius motoris: ita ſecundùm vnam artem Dei gubernantis res diuerſimode gubernantur ſecundùm earum diuerſitatem. Quædam enim ſecundùm ſuam naturam ſunt per ſe agentia, tanquam habentia Dominum ſui actus: & iſta gubernantur à Deo, non ſolùm per hoc quod mouentur ab ipſo Deo in eis interiùs operante; ſed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo, per præcepta & prohibitiones, præmia & pœnas, quod legibus præſtatur; hoc autem modo non gubernantur à Deo creaturæ irrationales, quæ tantùm aguntur, & non agunt; ſed ſolùm creaturæ rationales, vt ſunt homines qui aguntur & agunt, poſſuntque ex bonis meliores, & ex malis peiores euadere. Vnde dum Apoſtolus 1. *Cor.* 9. inquit: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* non totaliter ſubtrahit boues, cæteraque ratione carentia à cura gubernationis diuinæ; ſed ſolùm quantùm ad modum, qui propriè competit rationali creaturæ, vt docet S.D. 1. *p. q.* 103. *art.* 5. *ad* 2. non enim bobus, aliiſque pecoribus leges à Deo imponuntur.

Legibus ac præceptis regit & regnat Deus in hominibus.

D. Thom.

27. Attamen hæc vna omnibus lex conſtituta eſt creaturis, vt ſupremi Gubernatoris voluntati ſemper obtemperent, & ab illius nutibus in eſſe, & operari dependeant. Nec inſolitæ rerum vel inſenſibilium, vel irrationalium operationes a tanto abalienantur regimine, immò ipſo imperante procedunt. In hoc enim ſummum eius dominium eluceſcit, dum rebus præter conſuetum naturæ ordinem, & propriam propenſionem agere jubet, ipſæque incredibili velocitate natiuæ inclinationis oblitæ, conditoris juſſionem exequuntur. Sic immenſus ille piſcis, qui jubente Domino Ionam deglutiuit, hominem quem vorauit, non occidit, ſed ſeruauit ac euomuit incolumen. *Ion.* 2. Sic etiam contra propriam ad vorandas carnes propenſionem, obediens Deo leo, inobedientem necauit Prophetam, ſed ab eius carnibus abſtinuit. Nam vt dicitur 3. Reg. 13. *Occidit eum leo, & ſtabat juxta cadauer.* Quid inſuper mirabilius, quàm coruum, qui vt prædâ ſatietur, pullos in nido deſerit, eorumque obliuiſcitur, in ore prædam habere, & non ex illa guſtare, vt Prophetam ad nutum Domini reficiat. Nam vt dicitur 3. *Reg.* 17. 6. de Elia Thesbyte: *Corui deferebant ei panem & carnes mane; ſimiliter panem & carnes veſperi, & bibebat de torrente.* Quid etiam magis irrationali ac ſtupido repugnat jumento, quàm ſermo, qui rationis fœtus exiſtit? Et tamen ſic omnium Rege diſponente Balaam loquuta eſt aſina, & ipſum ab imminenti mortis periculo liberauit, vt videre eſt *num.* 22. 28. Nec minorem mouet ſtuporem portentoſa illa Ezechielis *cap.* 1. viſio, quâ grauia & ponderoſa animalia ſimul cum aquila circa magnificum ac ſplendentem Domini thronum volare intuitus eſt. Quis enim bouem, vel leonem, vel hominem, terrenæ molis pondere prægrauatos, leuitate, ac velocitate aquilæ donatos, expanſis alis crederet volitare, niſi tantum miraculum ſacræ paginæ teſtarentur? Verùm Dei opus eſt inauditum illud prodigium; etenim ad eius vocem volabant, & à volatu ceſſabant. Nam vt *ibid.* 25. dicitur: *Cum fieret vox ſuper firmamentum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.* Sic vocem Domini ſuper omnia regnantis, omniaque ſapienti regimine moderantis, non ſolùm homines, ſed etiam bruta audiunt animantia.

Inſolitis operationibus Deo regnanti obediunt creaturæ.

Vt piſcis degluriens Ionam, & non occidens.

Leo occidens prophetam, & non manducans.

Coruus paſcens etiam.

Aſina Balaam loquens.

Bos & leo, immò & homo alis volantes.

Similiter ipſa inſenſibilia Deo obediunt elementa, tantique Gubernatoris poteſtati ſubduntur. Cæteri in orbe terrarum Monarchæ hominibus imperantes, elementis obtemperant, morbis parent, nec in illorum pleniſſima eſt poteſtate pluuiæ ſtillam vel auertere, vel donare. Hæc autem omnia, quæ in ſe & alias erga creatoras carent ſenſu, miro modo ſuum ſeorium Creatorem, eius vocem agnoſcunt, eiuſque omnibus nutibus, immò aſpectibus parent. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant*, inquit Pſalmographus pſal. 103. 32. Aquis etiam, quarum ſæpiùs fluctus intumeſcunt, *ne tranſirent fines ſuos, legem poſuit*, vt dicitur *Prou.* 8. 29. ac ſuper eas carne indutus humanâ, firmo greſſu perambulauit. Flammas ignis in Babylonica fornace ita frænauit & conſopiuit, vt adoleſcentum conſumentes vincula ſoluerent, illorum vel etiam capillos habentes prorſus intactos, ſicuti ſacra perhibent oracula *Dan.* 3. 24. & 50. Ipſæ mobiliſſimæ cœlorum ſphæræ eius in famulo præceptum audiunt, ac loquente inclyto Duce Ioſuë *cap.* 10. 13. remorantur, Sole ac Luna eius juſſu per vnius diei ſpatium, tanquam ſpectatoribus victoriæ vrbis Gabaon, ſubſiſtentibus: rurſuſque ad Dei nutum corpora cœleſtia obtemperarunt, cùm ægrotante ad mortem Ezechiâ, in futuræ valetudinis ſignum, vmbram decem in horologio lineas regredientem, ipſumque propterea Solem à curſu ſuo pedem veluti reuocantem, vir Dei donauit Iſaias 4. *Reg.* 20. 11. Etiam venti ſummo Gubernatori famulantur, ipſæque procellæ mandata eius adimplent. *Dicam*, inquit Deus Iſai. 43. 6. *aquiloni, Da; & auſtro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Immò & ipſis ſupremus Moderator, ſi à ſuorum ſemitis mandatorum aberrent, pœnas comminatur, & ſupplicia infligit? Sic enim *Marci* 4. 39. à diſcipulis inuocatus & excitus optimus Saluator, *exurgens comminatus eſt vento.* Nec te moueant rei inſenſatæ à Chriſto Domino intentatæ minæ; in hoc enim ſummum in omnes res oſtentat imperium, omneſque hac principes vincit poteſtates. Qui enim hominum vento comminaretur, perperam quidem hoc præſtaret. Solus ille *qui educit ventos de theſauris ſuis*, æquiſſimè ventis poteſt comminari. 28.

Res inſenſibiles Deo parent.

Flamma ſoluit vincula, & non lædit corpora puerorum.

Sol & Luna ſtant.

Venti Deo parent.

Verùm quam pœnam, quodve ſupplicium vento cui comminatur, inferet? Magnum ſanè. Ven- 29.

tum vtrique infinitâ poteſt virtute ſuâ torquere, illi exitium infligendo. At quale exitium? Flandi finis & eſſendi ceſſatio, ventorum ſunt exitium; eademque quâ è nihilo producit ventos poteſtate, ad nihilum rediget: *In manu enim eius ſunt omnes fines terræ, altitudines montium ipſe conſpicit*, & ventorum principia ab eius voluntate dependent. Mirabilem & infinitam in ventos, mareque poteſtatem *loc. cit.* ex Marco Saluator inſinuat. Poſtquam enim comminatus eſt vento, ſtatim dixit mari: *Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Cùm enim non tantùm tacere, ſed etiam obmuteſcere mari præceperit, ſummam in ventum maris vndas agitantem oſtendit poteſtatem; nam dum obmuteſcere jubet, non ſolùm flandi actu, ſed etiam potentiâ priuat. Sicuti enim qui tacent, loqui valent, & qui obmuteſcunt, fandi carent facultate; ita dum mare vento perflatum non ſolùm tacere, ſed obmuteſcere jubetur, non ſolùm perflandi actu, ſed etiam virtute ventus priuatur. Vnde ſtatim omninò ceſſauit ventus, magnaque tranquillitas abſque vlla prorſus aura magnæ ſucceſſit procellæ.

Ventis ſupplicium infert Deus, dũ illos ad nihilum redigit.

Mare coërcet Christus.

30\. Cæterùm quid immoror? Nonne cuncta creata diuinæ ditioni ſubduntur, eiuſque potentiâ ac nutu reguntur? Ipſi triplici titulo, creatione, conſeruatione, ac gubernatione, Regi potentiſſimo flectunt omnia genu: ipſumque Dei Filium conditorem, conſeruatorem ac cum Patre & Spiritu ſancto Gubernatorem, & regum terræ Principem reuerentur. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, inquit Dauid *pſalm.* 47.1. Quod exponens D. Ioan. Chryſoſtomus *hom. in pſalm.* 47. ait: *Magnum quidem Dauid dicit Dominum, ſed quàm magnum, non dicit: hoc enim nemo ſcit, ideoque ſubiunxit, Et laudabilis nimis; non enim eſt finis eius magnitudinis.*

31\. Quem igitur immenſæ maieſtatis Principem cuncta inſenſibilia ſentiunt, elementa cognoſcunt, animantia reuerentur, ſolus peccator ignorat, eiuſque ſummæ dominationi non ſubditur. Mira res! Qui maiora capeſſit beneficia, & cui infinitæ creaturarum voces Dei Filium ſupremum Dominatorem inclamant, ille obturatis mentis auribus, propriâque malitiâ excæcatus, benefactorem neſcit, Regem non prædicat, eius mandata non ſeruat, immò deſpicit, contemnit, & intolerabili ingratitudinis ac ſuperbiæ faſtu optimum maximumque ſupra Dominum rebellis, & contumax extollitur ſeruus. In eum propterea damnationis proferunt propria elementa ſententiam; ipſumque nefandiſſimum veluti proditorem execrantur. Meritò vtique, quia optimum dum ſpernit peccator cuncta regentem Saluatorem, non ſolùm ab eius capite regium detrahit diadema, ſed inſuper eum ſibi ſervum ſubjicit, ipſiſque prauis, quibus paret affectibus, impio auſu tradere conatur. Eius enim concurſu ad perpetranda crimina vtitur, & quam ab illo capit virtutem, vt eum lædat infelix ac imprudens inſumit. Vnde iiſdem quibus Os aureum Iudam proditorem increpat, verbis liceat mihi nunc ingratum ac rebellem Christi æterni Regis ſubditum objurgare. Sic enim Chryſoſtomus *hom. de prod. Iudæ*, impium diſcipulum alloquitur: *Tradis eum qui cuncta conſeruat, qui dæmonibus imperat, cui obtemperant Maria, cui omnes ſubiacent poteſtates.* Sed ad tanti Regis maieſtatem etiam in materno vtero præfulgentem properemus.

Solus peccator non obtemperat Deo.

Peccator Iudam imitatur.

Sectio II.

Chriſtus etiam temporali ex Virginis vtero natiuitate Rex exiſtit.

32\. Magnum ſanè, ac prorſus incredibile nunc ſuſcipio paradoxum, dum Christum quã è gloriæ ſolio reſiliens ad noſtras deſcendit infirmitates, ex Virginis vtero natiuitate Regem propono. Nunquid qui ad tertium cœlum raptus eſt, qui audiuit arcana verba, & recondita Chriſtianæ Religionis penetrauit myſteria Paulus Apoſtolus, Chriſti in ſinu Patris maieſtatem, eiuſque in Matris vtero humilitatem, luculento ſermone non deſcripſit, dum ait Philip. 2. 6. 7. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Si igitur ſemetipſum exinaniuit, hoc eſt, vt plerique intelligunt, euacuauit, non depoſitâ, ſed ſepoſitâ, eaque obnubilatâ diuini ſplendoris maieſtate, dum homo, hominumque ſervus effectus eſt, dum vt ipſe *Matth.* 20. 28. loquitur, *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*, quomodo Rex ex intemeratæ Virginis prodit vtero? Quomodo Princeps & ſubditus? Vtrumque planè in ſe connectit, ac miro quodam fœdere humilitatem ſerui Principis maieſtati copulauit. *Ex vtero Virginis*, inquit D. Ambroſius præfat. in pſalm. 35. *idem & ſeruus exiuit & Dominus: ſeruus ad operandum; Dominus ad imperandum*, vt regnum Dei in hominum mentibus radicaret.

Chriſti in ſinu Patris maieſtas: in ſinu matris humilitas.

D. Ambroſ.

33\. Spiritualem igitur Regem Chriſtum dico, optiméque hîc, cum carnis infirmitate, ac humilitate cohæret Principatus. Qui enim ſe natum, vt teſtimonium veritati perhiberet, Pilato judici colloquutus eſt, ſpiritualem ſe habere principatum liberâ voce contendit, dum eidem ſciſcitanti reſpondit, Ioan. 18. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quamvis illum etiam regnum temporale, non quidem inferioris ordinis, ſeu humano more, ſicuti humani habent Reges, humano aliquo titulo; ſed altioris & eminentiſſimi ordinis, ac vniuerſaliter ſupra omnes creaturas, etiam Angelos extenſum, modo perpetuo ac inuariabili, hypoſtaticam ad Verbum diuinum eius vnionem conſequens, habere certum omnino ſit, ſicut eleganter admodum ac ſcitè oſtendit Franciſcus de Mendoza *tom.* 1. *comment. in lib.* 1. *Reg. cap.* 2. *num.* 10. *annot.* 15. *ſect.* 3.

Chriſtus Rex ſpiritualis.

Mend.

34\. Vt ergo regiam ac ſpiritualem Chriſti Domini temporali natiuitate dignitatem paucis illuſtremus, illam triplici ex capite nobilitatam operæpretium eſt oſtendere. Illum quippe ad principatum electum, iunctum, ac tandem coronatum maternus ſuſcepit vterus ac effudit; ſicque filij Virginis ſumma dominandi poteſtas, non fictitia, ſed germana eſt, quæ electione, vnctione, ac diademate comprobatur. Singula ſigillatim exponamus.

Ex triplici capite.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Chriſtus Dominus vt homo, ac intemeratæ Virginis filius, ad regiam dignitatem electus eſt.

35. Virgo non alium, niſi ſummum Regem, potuit concipere.

ENixa eſt puerpera Regem, inquit Sedulius. Planè ita fuit; alium etenim quàm Regem non debuit virgo concipere; nec ex alio quàm ex virginis vtero Summus Rex potuit naſci. Splendidiſſimo gloriæ in ſolio ſummus cum Patre ſedebat vnigenitus eius Filius creaturarum Monarcha; ſed à puriſſima Virgine ad noſtras euocatus neceſſitates, etiam dominator aduenit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum,* ſanctiſſima ait eius Genitrix *Cant.* 1. 13. Nardi igitur matris ſuæ odore, ſeu admirabilis Mariæ Virginis humilitatis virtute non ſolùm recreatus, ſed attractus, è ſinu Patris ad ſinum puriſſimæ Matris coronatus aduenit. Quod mellifluus Abbas Bernardus demiratus inquit ſerm. 43. in Cant. *Magna, & rara humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maieſtas tam facilè ſe inclinat.* At dum deſcendit in Virginis vterum, ac filius in tempore factus eſt hominis, qui ab æterno vnigenitus eſt Filius Dei, etiam in aſſumpta natura maieſtate refulſit, nec forma ſerui formam Regis abſorbuit, immò qui alienâ ſpecie factus eſt ſubditus, in eadem ad regiam dignitatem diuinâ electione eſt euectus.

Humilitas Virginis Chriſtum attraxit.

Bernard.

Forma ſerui formam Regis non abſorbuit.

36. Regale ſolium aſcendunt alij imprudentium hominum electionibus ſuffulti, ac non ſemel emendicatis eorum ſuffragiis: at ad ſummum Saluator eſt euectus Imperium perſpicaci, æternâ, ac gratuitâ Dei electione. Dum enim ab æterno ad vnionem cum Verbo Diuino perſonalem Chriſtus homo electus eſt, ad regiam dignitatem ſublimandus immutabili Dei decreto fuit præcognitus. Hæc autem electio in eius ſtupenda ac mirabili in Virginis vtero incarnatione eſt adimpleta; ſimulque Chriſtus homo ac Deus Rexque omnium maximus extitit. Quod expreſſit Apoſtolus *Rom.* 1. 3. dum de Redemptore noſtro Dei Filio ſic fatur: *Qui factus ei ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Nec alibi quàm in Virginis intemeratæ vtero, ex ſemine Dauid ſecundùm carnem Chriſtus Patri ſuo, hoc eſt *ad gloriam Patris*, vt exponit D. Thomas, factus eſt: non quidem ex ſemine, ſed ex caſtiſſimis, ac puriſſimis ſanguinibus matris ſuæ virginitate præfulgidæ, ex quibus corpus eius formatum eſt, vt docet Angelicus Doctor 3. *p. q.* 31. *art.* 5. & ante ipſum D. Ioannes Damaſcenus *lib.* 3. *fid. orthod. cap.* 2. vbi inquit, quod *Filius Dei conſtruxit ſibi ipſi ex caſtiſſimis ſanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali.* Cùm ergo Chriſto, in quantum eſt Filius Dei ab æterno à Patre genitus, prædeſtinari repugnet; immò potiùs alios prædeſtinare ipſi conueniat, electionem, ac prædeſtinationem tantùm ipſi, provt homo eſt, competere non ambigitur. Vnde vbi homo factus eſt, ibi eius prædeſtinatio adimpleta, eiuſque electio ſuum ſortita eſt effectum, ibique ſimul Dei Filius ac Virginis, homo ac Deus, Princeps ac ſubditus euaſit. Cúmque non adoptivus, ſed germanus, verus ac naturalis Dei Filius, Chriſtus etiam ſecundùm quod homo eſt, veriſſime nominetur, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 23. *art.* 4. planè Chriſtum hominem ad veram, & naturalem Dei filiationem prædeſtinatum, ſimulque ad regiam, ac ſummam quæ Deo competit, authoritatem electum liquet.

Chriſtus ab æterno à Deo ad regiam electus eſt dignitatem.

D. Thom.

D. Damaſc.

Corpus Chriſti ex puriſſimo Mariæ ſanguine formatum.

D. Thom.

Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus, ſed naturalis.

37. Hinc Apoſtolus ipſum *prædeſtinatum filium Dei in virtute* nominat; ac ſi planiùs ipſum electum ad ſupremam poteſtatem, & Regiam Maieſtatem electum vocitaret. Aliis ad Regiam dignitatem electis dumtaxat prodeſt electio: ſoli regale ſolium occupant; hominumque Principatus conſortium non recipit, ſocium non admittit: Rex vnus vni regno præficitur, nec vſquam ad vnum Imperium duo Principes eliguntur. Solus ſanè ad filiationem Dei naturalem, ac ad vnionem hypoſtaticam Chriſtus electus eſt; attamen cum ipſo, ac per ipſum quamplurimi ad adoptiuam Dei filiationem deſignari, ad ſpirituale Imperium deſtinantur. Immenſo hoc honore donantur, quotquot à Deo ad vitam æternam præordinati ſunt. Cum Chriſto quippe, ac per Chriſtum ad hanc euehuntur dignitatem; nam electio Chriſti, hominum ad gloriam electionem non excludit, hominumque prædeſtinatio Chriſti prædeſtinatione completur, vt inſinuat Apoſtolus *Eph.* 1. 5. dum de Deo ſic loquitur: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum*: & ſcitè docet D. Thomas *loc. iam cit. q.* 24. *art.* 4.

Ex electione Chriſti ad regalem dignitatem & filiationem Dei naturalē, homines ad adoptiuā & ius regiæ dignitatis electi ſunt.

D. Thom.

38. Nec gloriam Chriſti Regis minuunt cum ipſo & per ipſum ad regnandum electi; immò augent. Sic enim dum maieſtatis ſuæ conſortes admittit, non tantùm ſubditis, ſed Regibus dominatur, ipſumque quo fruitur, Imperium etiam ſupra imperantes extendit. Superat hoc modo cunctos terrenarum rerum dominatores; iſtis ſoli parent ſubditi, at Chriſto etiam obtemperant Reges. Cuius rei luculentum Pſaltes deprompſit oraculum, dum in perſona Patris de Chriſto ſic eſt loquutus pſal. 88. 28. *Ego primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ.* Dum enim primus omnium prædeſtinatorum etiam ad Dei vnionem hypoſtaticam electus eſt Chriſtus, cæterorum ad gloriam electorum non tantùm primogenitus, ſed etiam Monarcha effectus eſt. Nam vt inquit Paulus Rom. 8. 29. *Quos Deus præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Itaque omnium filiorum Dei adoptionis gratiâ inclytorum, primus ille eſt, Filius vtique Dei verus ac naturalis, ante omnes illos ad talem filiationem, ac vnionem cum Verbo, necnon ad omnem ſuam gratiam & gloriam deſignatus, maximè cùm omnium prædeſtinatorum, & electorum exemplar, & ſcopus ſit ac finis. Quæ omnia eum verum primogenitum multorum fratrum vniuerſæ familiæ præponunt, ac verum Regem præ cunctis terrarum orbis Regibus excelſum conſtituunt, quia ſuper electos dum vt primogenitos regnat, ſupra omnem principatum extollitur & poteſtatem.

Chriſtus Regibus dominatur.

Chriſtus primogenitus in multis fratribus, excelſus præ regibus terræ.

39. Par in parem non habet imperium, vt commune ſapientum fert proloquium; nec in alium Regem terrenus Rex ſummam exercet authoritatem: ſubditis tantùm ſeculi Principes dominantur. Maiori ac ſupereminenti Chriſtus Rex gaudet imperio; electis qui Principum dignitate refulgent, præeſt; ac ipſis Regibus imperat omnis regni ſpiritualis, myſtici, immò & terreni principium, ac ſcaturigo. *Per me*, inquit Prou. 8. *Reges regnant.* Et vt loquitur dilectus eius Diſcipulus

Cur in femore ſcriptū habeat, Rex regum & Dominus dominantium.

pulus *Apoc.*19.16.habet in veſtimento,& in femore ſcriptum: *Rex regum,& Dominus dominantium.* At cur in femore eius Regiæ Maieſtatis titulus inſcribitur? Quia etiam vt homo eſt, Regis nomenclaturâ decoratur, Regeſque ſibi agnoſcit ſubditos. Inſuper cùm femur filios & generis propagationem exhibeat, in femore Regis regum nomine inſignitur, quia omnes illius filij veri Reges ampliſſimâ ſub illius dominatione regnabunt. Summam ac vniuerſam in omnes homines etiam Reges poteſtatem ambierunt olim miſeri homunciones, captiui, ac inordinatarum ſerui cupiditatum, ſeque Regum Reges dicere auſi ſunt. Perſarum ſe ſic vocabant Principes, vt refert Alexander ab Alexandro *lib.* 1. *genial.c.*28. Immò impium Saporem Perſarum Monarcham, Regem regum appellat Iulius Capitolinus *cap.*24. vbi eiuſdem ad Conſtantium Imper. litteras cum hac inſcriptione recenſet: *Rex Regum Sapor, particeps ſyderum, & frater Solis & Lunæ, Conſtantio fratri meo S. P. D.* Eodem titulo Parthorum Reges gloriabantur, ipſeque Suetonius in Caligula cap. 6. *Regem Parthorum Regem Regum* appellat. Verùm nulli hominum præter Chriſtum magnificus Regis Regum titulus poteſt conuenire: qui enim ſibi illum arrogarunt, ſerui, non Domini extiterunt, ac vilia mancipia tot dominorum, quot vitiorum. Ipſe autem Redemptor amantiſſimus ſanctiſſimuſque, Deus & homo cùm ſit, omnium Regum Rex ſolus meritò nominatur. Tanta eſt eius in regnando maieſtas, tantaque omnibus dominandi facultas, vt illam etiam ſibi ſeruientibus impertiatur, ipſique illius ſerui, aliorum domini conſtituantur. Ratio huius mihi videtur exaltationis, inæſtimabilis illius dilectio charitatis, quâ ſubditos ſibi proſequitur, ac famulos ſimul filios facit & Reges. Iſti enim ſunt, qui Chriſto Domino obſequentes, aliis dominantur; ac dum illum tanquam ſummum adorant Regem, ab aliis ceu Principes honorantur.

Homines Reges Regū ſe dicentes.

Solus Chriſtus Rex Regum.

Et quomodo.

40. Omnes terrarum orbis Principes Filium Dei mortalitatis noſtræ amictum veſtibus adoraturos Regius Pſaltes prophetauit pſal. 71. 11. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Planè non ita contigit; à cunctis Regibus non adoratus eſt Chriſtus: ipſum adhuc in cunis agentem diriſſimè vexauit Herodes, eumque quem in Ægyptum fugere coëgit, in innocentibus quamplurimis trucidauit. Verùm tantæ crudelitati ſuperſtitem contempſit, irriſit, ac veſte albâ inglorium ad Pilatum remiſit alter Herodes prioris Filius, eiuſque in regimine Galilææ ſucceſſor; ipſumque Romani Principes iniqui Præſidis miniſterio, patibulo crucis addixerunt. Nec à morte rediuiuum, ac ad dexteram Patris ſedentem Reges terræ coluerunt; immò ipſum in filiis, ac cultoribus ſæuiſſimè ſunt perſequuti, ac non ſemel effuſo eorum ſanguine, conati ſunt Chriſtianum nomen extinguere. Quomodo ergo terreni Principes adorauerunt, quem toties vel in ſe, vel in diſcipulis delere voluerunt? Quomodo adorauerunt, quem gratis odio habuerunt, ac ingenti malitiâ execrati ſunt? Sanè de temporalibus in allato vaticinio orbis terræ Principibus loquutus non eſt Pſalmiſta; ex his enim vt rei probauit euentus, aliqui fuerunt, qui Chriſtum ſpreuerunt; ac conati ſunt profligare: ſed de Regibus ſpiritualibus, ac myſticis, qui corde optimo Chriſto famulantes, tanquam Regem adorauerunt, ipſi ab eo Reges effecti ſunt. Ita præfatum locum Pſalmiſtæ interpretatur D. Thomas præfat. in Epiſtolas Canonicas, dicens quod hæc verba, *adorabunt eum omnes Reges terræ, &c.* intelligenda ſunt per diſtributionem accommodam, vt ſit ſenſus: *Quotquot ſeruient ei, erunt Reges*; quia ei ſeruire regnare eſt, vt inquit D. Gregorius *gloſſa ad Rom.* 1. Sicque Chriſtus ſolus verus eſt *Rex regum, & Dominus dominantium*, quia illius famuli aliis creaturis, tanquam veri Reges præſunt, ac dominantur.

Quomodo omnes Reges terræ Criſtū adorant.

Quotquot Chriſto ſeruiunt, Reges ſunt.

41. Huc Rex noſter reſpexiſſe videtur, dum inquit Matth. 20. 27. *Qui voluerit eſſe dominus, ſit ſeruus*; nuſquam enim homo verum dominium habere poterit, niſi ex toto corde Chriſto, famulando ſubjiciatur: nam vt eleganter admodum D. Chryſologus *ſerm.* 7. ait, hæc ſeruitus non obligat, ſed abſoluit; non onerat, ſed honorat; abſtergit ſeruitutis maculam, non incurrit: impleta eſt Chriſti ſententia, quâ dixit, qui vult eſſe dominus, ſit ſervus. Beata eſt hæc ſeruitus quæ dominationem generat ſempiternam. Vnde D. Gregorius Magnus ſeruos Dei gratiâ diuinâ exornatos, veros Reges commemorat, exponens illa verba quæ *Iob* 36. 7. leguntur: *Deus non aufert à iuſto oculos ſuos, & Reges in ſolio collocat in perpetuum.* Sic enim *lib.*26. *Moral.cap.*21.loquitur: *Benè ſancti viri, Scripturæ ſacræ teſtimonio Reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æſtum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modo ſuggeſtionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo ſunt, quia tentationum ſuarum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt.* Hoc modo regnauit fideliſſimus multarum gentium pater Abraham, qui diem Chriſti, antequam illuceſceret, exultando meruit videre, vt ipſe Saluator inſinuat *Ioan.* 8. Dum enim omni poteſtate priuatus, homo profugus, & peregrinus virtutibus ac ſanctitate floreſceret, Princeps ab Hethæis appellatus eſt, Gen. 23. 6. *Princeps à Deo tu es nobis.* Vbi D. Ambroſius *in pſalm.* 47.5. legit: *Rex à Deo tu es nobis*; & ſtatim ſubdit: *Verus Rex, qui flagitiis eſſe neſcinit obnoxius, in quo culpæ & erroris illecebra regnare non potuit.* In quam etiam ſententiam idem Ambroſius verba pſalmi 47. 5. *Ecce Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum*; de abiectiſſimis hominibus per Euangelicam prædicationem ad Eccleſiam aggregandis exponens, inquit: *Boni Reges, qui ſui corporis poſſunt ſe præbere rectores, ab ipſa Patriarcha Abrahæ origine & inſtitutione manantes.*

Chriſti ſeruitus Regiā confert dignitatem.

D. Greg.

Iuſti Reges ſunt.

D. Ambroſ.

Abraham Rex, quia iuſtus.

42. Ad quantam ergo maieſtatem Chriſtus electus eſt, cùm per ipſam ad naturalem Dei filiationem & prædeſtinationem ſupra innumeros Reges ſit ſublimatus? Quod vtique in illibatæ parentis eius vtero adimpletum eſt, in quo primogenitus in multis fratribus extitit, ac ſupra quamplurimos Principes exaltatus. Quamvis enim noſtras in ſe ſuſcipiens infirmitates deſcenderit; attamen diuinâ fulgens maieſtate, à prima Regis Dignitate non receſſit. Se ipſam in illo veſtiuit Diuinitas, ac quodammodo fuit obnubilata maieſtas: verùm vtraque remanſit, nec vlla ſuum amiſit fulgorem, dum novum noſtræ humanitatis ſortita eſt indumentum. Ex ſacratiſſimo Virginis vtero Dei Filius cùm exiuit, calceatus apparuit ac coronatus. Humanitas enim eius vtrumque

Chriſtus prædeſtinatione ſupra omnes Reges ſublimatus.

Digitized by Google

Humanitas Chriſti, corona fuit & calceus.

vtrumque præſtitit, ſimulque & calcei & coronæ munos geſſit. Tantum aduertit Præcurſor eius Ioannes myſterium, dum de Chriſto, *Ioan.* 1. 27. inquit: *Non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Quod quidem non præcisè de diſſolutioue, ſed etiam de tactu ſanctiſſimi corporis Saluatoris, quod Ioannes venerabundus tangere non audebat, intelligeodum eſt; nam vt loquitur D. Bernardus ſerm. de Aduent. *Venerat ad nos calceata Maieſtas, Diuinitas incarnata.* At clariùs S. Gregorius Papa *hom.* 7. *in Euang.* rem attigit: *Incarnatus Dominus* (inquit) *veniens quaſi calceatus apparuit, qui in diuinitate ſua, morticina noſtra carnis aſſumpſit; & corrigia calceamenti eſt ligatura myſterij.* Sicuti enim ſeruorum eſt calceamenta detrahere, vnde & Moyſi famulo Domini à Deo mandatum fuit Exod. 3. 5. *Solue calceamenta de pedibus tuis:* ita non ſolùm libertatis, ſed etiam principatus indicium eſt in calceis ambulare; & ideo ſponſæ *Cant.* 7. 1. dicitur: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis.* Calceatus igitur ſuâ humanitate proceſſit Redemptor, ipſumque tangere veretur præcurſor, quia è virginali ac regia pudoris aula, regalibus exornatus infulis in terris apparuit.

D. Bernard.

S. Greg.

43. Tanto igitur Regi ab æterno ad Monarchiam electo colla deponant omnes creaturæ, ac ſpecialiter quorum liberator extiot, homines Chriſtiaoi: ſicque electum à Deo Principem propriâ electione ſuſcipiant, ſeque totos Chriſto Regi lubenti animo tradant: ex intimis ergo præcordiis optimo dicant Redemptori, *dominare noſtri, quia liberaſti nos,* vt dixit Iſraël ad Gedeonem *Iud.* 8. 22. vel vt olim Amaſai ad Dauid, 1. Paralip. 12. 18. *Tui ſumus, ô Dauid; & tecum, fili Iſai, pax: pax tibi, pax adiutoribus tuis.* Verùm proh dolor! quem Deus hominibus Saluatorem dedit ac Principem, hunc ſumma impietate rejiciunt, ac Hebræorum perfidæ ferocitatis cooſortes, qui Ioan. 19. 15. *ſe regem non habere niſi Cæſarem* profeſſi ſunt, hominibus obtemperaot, & Chriſto ſeruire recuſant. Immò inobedientes ac rebelles ſubditos, qui ſibi Regem impoſitum rejicere voluerunt, vt legitur *Luc.* 19. 14. imitari cupientes, non ſolùm vocibus, ſed iniquis actionibus inclamant: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.*

Sponte in regem Chriſtum ſibi eligant Chriſtiani.

44. Sanè imprudentes filij ſunt & væcordes, qui optimum parentem oon agnoſcunt; cæci ac furioſi ſubditi, qui naturalem ac legitimuo reſpuentes Principem, crudeliſſimis ſubjiciuotur tyrannis; contumaces, ac infelices ſerui, qui liberatorem oeſcientes, duriſſimis ac iniquis obtemperant dominatoribus. Tales liceat nunc ex intimo corde deteſtari, ac conatibus omnibus eorum deuitare conſortium, dum Chriſtum Regem, ad quem vt loquitur Apoſtolorum Princeps 1. *Pet.* 2. 4. veri accedunt Chriſtiani, *tanquam ad lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum;* ex omnibus, qui præeſſe valent, nobis Ducem ac Principem eligimus. Ille enim eſt, de quo perſpicax Sponſa *Cant.* 5. 10. ait: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Sicqoe æternam Chriſti ad regiam dignitatem electionem, ſpootaneâ noſtrâ, eaque temporali ſubiectiooe firmamus; eamque, quam nobis immenſo amore cootulit dignitatem, dum de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum, ac ſanctæ gremium Eccleſiæ, fideli obſequio rependimus. Quid enim juſtius, qoàm vt eum à quo

Peccatores tanto Regi non parent, vt crudelibus tyrannis obediant.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

electi ſumus, eligamus; & quem è turbulento ſeculi pelago ad tranquillum Chriſtianæ Religionis portum ducem habuimus, ſummum Regem ſuſcipiamus, colamus, veneremur. *Te elegit Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram: non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores; ſed quia dilexit vos Dominus.* Iudæorum plebem ſic alloquitur Deus *Deut.* 7. 6. quæ verba etiam Chriſtianis admodum quadrant; illos enim elegit Dominus, licèt hoſtes ioſenſiſſimos, idolorumque cultores; & ingenti quâ illos proſequutus eſt charitate, ſeruos, immò amicos fecit & filios. Quid ergo? Ardenti in Deum amore, ac fideliſſimis erga Chriſtum amantiſſimum Regem obſequiis ſe totos diuino cultui addictos, ac cœleſtium obſeruantiæ mandatorum mancipatos profiteri tenentur, vt quodammodo immenſus Dei amor tenui creaturarum amore penſetur.

Elegit Dominus indignos, debent ergo homines in regem eligere Deum.

§. II.

Chriſtus Dominus ad Regiam dignitatem in materno Virginis vtero vnctus eſt.

45. PEractâ eorum, qui ad ſupremum regimen populorum euehuntur, electione, eos mos eſt ſolenni ritu ab ipſis populis inaugurari. Variè à variis hoc præſtitum eſt nationibus. Etenim ad regiam dignitatem deſignatos vngebant oleo Hebræi, dooabant purpurâ ac fauſtis proſequebantur acclamationibus Romani; clypeo imponebant, ac ſuccollãtibus Ducibus per caſtra deducebant priſci Germani ac Franci: manibus ſceptrum, ac capiti diadema imponebant reliqui terrarum populi. Æquum igitur eſt, vt ſummus omnium Regum Princeps Chriſtus à Deo electus inauguretur. Verùm quo ritu? Eo plaoè, quo in eius typum Hebræorum Reges, iubente domino, eleuati ſunt. Vnctione ſcilicet, ac ſacri in eum olei copioſâ effuſione.

Variè à diuerſis nationibus inaugurabantur Reges.

Chriſtus vnctione inauguratur.

46. Attamen materialem ne putes huius inaugurationis actionem. Spiritualis ac interna extitit, oleumque quo Rex Chriſtus vnctus eſt, ſuauitate, puritate, ac pinguedine cætera ſuperauit vnguenta. In templo iounctus eſt; at oon in alio quàm in ſacratiſſimæ & intemeratæ Virginis ac Parentis vtero, qui domus regiæ, ac templi ſanctiſſimi vices geſſit, ipſa atteſtante Eccleſia, quæ ad Mariæ vterum venerabonda ſic canit:

Domus pudici pectoris,
Templum repentè fit Dei.

Spiritalis fuit vnctio, oleo facta ſpiritali.

Sed vnctionem tanto Priocipi non conceſſit, niſi qui elegit: cumque à Deo electus ſit, etiam ab eo haòd dubiè eſt iunctus. Vnde ipſum Regẽ Chriſtum futurum agnoſcens, ac vt jam præteritum alloquens Pſalmiſta, inquit pſal. 44. 8. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quod Chriſto ab Apoſtolo *Hebr.* 1. 9. attribuitur.

A Deo vnctus eſt.

47. Saülem olim in Hebræorum Regem Propheta vnxit Samuel: *tulit* enim, vt dicitur 1. Reg. 10. 1. *lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.* Illoque propter inobedientiam à Deo reprobato, electum in eius locum Dauidem in domo Iſaï patris ſui, apud Bethlehem, ipſo jubente Domioo, *ſumpto cornu olei, vnxit in medio fratrum eius.* 1. Reg. 16. 13. Præclara ſunt vtriuſque Principatus initia, manibus Prophetæ vnctione conſecrata. Verùm hæc in figura contingebant illis, Chriſtum Dominum

Vncti in Reges Saul & Dauid Chriſti vnctionẽ deſignabant.

ſummum omnium Regem Regum oleo ſancto perfuſum, ac in Monarcham hàc vnctione inauguratum adumbrantia.

47. Mirabilis ſanè Chriſti in Regem ſacrâ vnctione fuit inauguratio: non enim ab aliquo Prophetarũ, vel Patriarchiarum vnctus eſt; nemo ex creaturis huic præfuit electioni. Ipſe omniũ Creator ſupra cuncta extollens hominem Chriſtum, dum hypoſtatica ad æternam Verbi Diuini ſubſiſtentiam vnione infinitâ maieſtate nobilitauit, etiam propriis, ſi ita fas eſt dicere, manibus inaugurauit. Quâvis vnio naturæ diuinæ & humanæ facta ſit in perſona Filij, ſoluſque Filius homo verè ſit ac poſſit appellari, vt docent Theologi cum D. Th. *3.p.q.3. art.8.* nihilominus tota ſimul ſancta huic inaugurationi cooperata eſt Trinitas. Vnxit enim hominem Chriſtum in Regem ſimul ac Dei Filiũ æternus Progenitor, qui mundum adeo dilexit, vt Filium ſuum vnigenitum daret, ac immenſa quâ pollet poteſtate, creaturam Creatori miro fœdere copulauit. Vnxit etiam vnicus Æterni Patris Filius, qui proprio ſuppoſito humanam naturam hypoſtaticè connectens, verus hominis filius factus eſt. Vnxit denique Spiritus ſanctus, qui *genitoris genitique ſuauitas*, vt loquitur Auguſtinus, dulcedinem ac bonitatem ſuam etiam hominibus effudit Virgini matri dum obumbrauit, ac in eius vtero formandæ Redemptoris humanitati præfuit opifex, humana diuinis, imaque ſummis indiſſolubili vinculo aſtringens.

Tota Trinitas vnxit Chriſtum.

D. Thom.

48. Sed tantum altiùs ſcrutemur ſacramentum, ac recondita vnctionis Chriſti Domini timemur arcana. Vnxit enim Deus in Principem, dum in vtero Virginis hominem fecit Deum. Verùm quo vnguento? Increato, immenſo, æterno, ineffabili, ac omni virtutum genere repleto. At ne mireris: vnguentum hoc Deitas eſt, æterna maieſtas, ſapientia increata, ineffabilis bonitas. Vnguentum, inquam, non mixtum, ſed purum, ſed ſimplex, ſed vnicum. Illud planè de quo ſcriptum eſt Cant. 1.2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Cùm enim nomina pro rebus ſupponant, vt paſſim apud D. Thomam videre eſt, immò ſecundùm Iuriſperitos, potentia alicuius eius nomine exprimatur; dum nomen Dei oleum dicitur, idem eſt ac ſi eius infinita diuinitas, ac ſuprema poteſtas, vnguenti titulo declarentur. Accedit quod ipſa æterna Sapientia ſummam ac æternam potentiam, quam à Patre cum eſſentia proceſſione per intellectum recipit, balſami nomine deſcripſit, dum inquit Eccl. 24. 21. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Summo igitur hoc vnguento, ac ineffabili chriſmate Chriſtus homo vnctus eſt in ipſo Incarnationis inſtanti. Vnxerunt qui vnierunt Deo hominem, Pater ſcilicet cum Filio, ac Spiritu ſancto. Vngens Pater, vngens Filius, vngens Spiritus Sanctus, Ex quibus quamvis tres vngentes vnius vnctionis nomine poſſint decorari, quia illorum vnica & indiuidua diuinitas Chriſto homini collata eſt; tamen ſolus Filius vngendo, proprio ſuppoſito naturam vnitam terminauit, ſoluſque ſicuti incarnatus, ac Filius hominis dici poteſt; ita ſolus quà homo, vnctus eſt, ac Rex in illibatæ Virginis alvo inauguratus.

Oleum, ſeu vnguentum quo vnctus eſt Chriſtus, diuina perſona Verbi eſt.

Tota Trinitas vngens fuit & vnctio: Filius ſolus vngens & vnctus.

49. Copioſa igitur Regis noſtri vnctio maximam illi contulit maieſtatem; ſupra omnes principatus, ac poteſtates extulit, eiuſque nomini cœleſtium, terreſtrium ac infernorum genua curuauit: ſingularem, ac vnicum Regem conſtituit, neminemque tantæ dignitatis donauit conſortem. Quamvis enim homines, & Angeli cœleſtis electionis, ac gratiæ dono ad aliquando cum Deo regnandum ſint deſignati; attamen ſemper Chriſto tanquam Regi ſubjicientur: hos enim ſuâ inauguratione præcellit, ac longo poſt ſe interuallo relinquit. Vt enim ex pſalmo 44. colligitur, à Deo oleo exultationis præ omnibus participibus vnctus eſt: nullus enim ad tantam, ipſo agente, dignitatem euectus eſt, vt Filius Dei naturalis, ac Deus nominetur. Quod vtique ſoli Chriſto præ omnibus prædeſtinatis hominibus ingenti miraculo eſt conceſſum.

Summa ex hac vnctione Chriſti maieſtas.

Planè quæ in vtero Virginis Chriſti inauguratio acta eſt, ſeſe exteriùs prodidit portentoſâ illâ olei ſcaturigine, quæ Romæ trans Tyberim in illa, quam Iudæi incolebant, regione circa idem tempus, quo Regem puerpera eſt enixa, viſa eſt, vt refert Oroſius *lib.6.c.20.* vbi ampliſſima Dei Genitricis titulo à Calliſto Pontifice, prima omnium quarum extet memoria, Eccleſia olim eſt erecta, ſicuti refert Card. Baronius *in apparatu ad Ann. Eccleſ. n.27.* Æquum enim erat, vt homine ad Deitatem ſublimato, omnique ex tali aſſumptione imperio nobilitato, miſericordiæ ac Diuinitatis ſymbolum in terreni Principatus faſtigio, Romana ſcilicet ciuitate, quæ olim Regum ciuitas vocabatur, in qua Chriſtianæ Dominationis ſolium parabatur, apud illum ex quo Chriſtus ortus eſt, populum oleum à fonte per totum diem effluens omnibus pateret. Ille enim qui Rex Deitate inunctus eſt, omnium hominum Saluator omnibus ſalutem offerebat ac libertatem. 50.

Chriſti vnctio exteriùs manifeſtata in eius Natali, olei fonte Romæ ſcaturiente.

Baron.

Super omnes igitur Reges Chriſtus Rex conſtitutus eſt, ipſo diuinitatis vnguento perfuſus ac inunctus. Quod vt clariùs pateat, olei cum Deitate analogiam maximam aduertere lubet, ac illius cum ſumma Principis dignitate non paruam conformitatem. Oleum, inquit D. Gregor. *lib.27. Moral. c.5.* liquoribus aliis ſuperfertur; oleum ignem fouet, oleum vulnera ſanare conſueuit. Vbi ſanctus Pontifex tres olei proprietates deſcribit, quæ diuinitatis, ac regiæ maieſtatis dignitati, quæ in Redẽptore noſtro coruſcant, omninò conueniunt. 51.

Olei proprietates deitati Chriſti attributæ, *D. Greg.*

Prima olei proprietas.

Primò ſiquidem, ſicuti oleum omnibus ſuperfertur liquoribus, ita Deitas creata omnia, & regia dignitas cunctum excedit populum. Quod enim in ſyderibus Sol, hoc in populis Rex; & ſicuti vniuerſis corporis humani membris vnum præeſt, ac eminet caput, ita vniuerſæ plebi vnus Princeps dominatur. Quod liquet in Chriſto Domino, qui ſacrâ Deitatis ac Principatus vnctione, quâ in Virginali Deiparæ vtero inunctus eſt, tanquam Deus ac Rex præcellit Angelos, homines tranſgreditur, eminet cunctis, dominatur vniuerſis, ac in omnia creata ſummũ valet imperium exercere. Mira res! homo verus Angelos vincit, ſpiritus calcat, Cherubim obnubilat, Seraphim ſibi ſubjicit, omnique creaturæ dominatur, quia Deus & Creator eſt. Nec igitur te moueat forma ſerui, ſed te rapiat forma Regis, ac diuinus, qui in illo fulget, vnigeniti ſplẽdor Filij Dei. Obediant ergo Angeli, dum homo dominatur: immò adorent, dum homo vngitur, coronatur, ac in Regem ſublimatur: immò tantum Principẽ in carne regnantem adorent ac reuereantur: hoc enim ipſis à Patre mandatum eſt, ſicut atteſtatur Apoſtolus *Hebr. 1. 6.* dum ait: *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit:* 52.

Primò oleũ ſuper cũctos natat liquores.

Chriſtus deitate omnia vincit creata.

Angelis dominatur.

Et

Et adorent eum omnes Angeli eius. Nihil planè juſtius, nihilqoe dignius poteſt excogitari; cùm etiam quà homo Chriſtus Angelos ſuperet, vtpote eorum Rex ac Monarcha. Siquidem vt idem magiſter gentium Hebræis ſcribens, inquit: *Tantò melior Chriſtus Angelis effectus eſt, quantò differentius pre illis nomen hæreditauit: cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et infrà Regiam Chriſti maieſtatem ſupra Angelos extollens, Angelorum ſubiectionem ſic conuincit, Heb. 1.7. *Ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: ad Filium autem, Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.*

Chriſtus vt homo Angelorum Rex.

53. Adorent ergo Angeli, Chriſtus Regnet; ſeruiant illi, hic dominetur: nam illi miniſtri, hic Filius à Patre hodie, ideſt ſemper genitus. Serui titulo glorientur Angeli; Filij ac hæredis nomine fulgeat Chriſtus: hic throno ſedeat, illi ſtent ante thronum: hic ſedendo judicet, illi ſtando Judicis ſententiam exequantur: hic denique à Deo præ participibus oleo exultationis inunctus, Regum omnium Rex colatur, ac reuereatur; illi vt ignei tanti Regis miniſtri, quibuſdam olei lætitiæ ſtillis inflammati, aſſiduè ac celeriter famulentur. Nec enim huius vnctionis niſi ſtillas valent Angeli recipere, quia ab ipſa deitatis abyſſo obruerentur. Sufficit enim ſanctis ac prædeſtinatis Angelis gratia ſanctificans, quæ diuinæ naturæ veluti ſtilla, radius, ac ſcintilla, ſanctos ac gratos Deo præſtans, in accidentale Deitatis conſortium extollit. At Chriſtus ex hypoſtatica Verbi Diuini cum humana natura vnione ſubſtantiali Deitatis gaudet conſortio. Ipſe enim vnigenitus ab æterno Dei, ac in tempore Virginis Filius, ſicuti verus homo, ita & verus Deus exiſtit.

Angeli ſerui: Chriſtus Filius Dei.

Vnctionis Chriſti ſtillam tantùm poſſunt habere Angeli.

54. Vincit etiam vnctione ſuâ omnes electos ac prædeſtinatos homines ſanctiſſimus Redemptor, non ſolùm quia ex omnibus hominibus ſolus à verbo Dei ad vnitatem perſonalem aſſumptus eſt, ſed etiam qoia per ipſum, & ad ipſum electi omnes prædeſtinati, hoc eſt illius meritis, & ad ſuæ exemplar prædeſtinationis à Deo ad vitam præordinati ſunt æternam. Vnde quidquid gratiæ, quidquid ſanctitatis aut meriti hac in peregrinatione juſtis reperitur in hominibus, totum à Chriſto, vt à bonorum omnium fonte dimanaſſe nemo negat. Hinc eſt, quod omnium prædeſtinatorum primogenitus, omniumque juſtorum hominum caput Chriſtus eſt ac Angelorum, vt docet D. Thomas 3.*p.q.*8. *art.*3.& 4. ſicque præ omnibus gratiæ participibus copioſiùs inunctus eſt.

Prædeſtinati omnes Chriſto vt capiti ac Regi ſubjiciuntur.

D. Thom.

55. Quod quidem triplici modo, triplicique vnctione factum eſt. Primò quidem, gratiâ vnionis hypoſtaticæ, quâ Filius Dei naturalis factus, ſupra omnes non ſolùm homines, ſed etiam Angelos ac Principatus, & Poteſtates euectus eſt. Secundò gratiâ habituali ac ſanctificante, quâ quidem adeo vnctus eſt, vt omnem excogitabilem ſanctitatem illi attulerit, eumque principium & originem totius ſanctitatis Eccleſiæ præſtiterit. Hæc enim gratia, quamvis in eſſe entis, vtpote creata, ſit finita; attamen in eſſe gratiæ illimitata exiſtit; habet enim in Chriſto quidquid poteſt ad rationem gratiæ pertinere, nec vt talis ad menſuram ipſi collata eſt; *non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum Filio*, vt dicitur *Ioan.* 3. 34. nam vt docet idem Angelicus Doctor 3. *p.q.*7. *art.*11. ſecundùm propoſitum Dei, cuius eſt gratiam menſurare, confertur gratia animæ Chriſti, ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humana natura. Vnde *Ioan.* 1. 14. dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et *ibid.* 17. ſubditur: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Tertiò tandem gratiâ conſummatâ, ſeu gloriâ quâ anima Chriſti Domini ab inſtanti ſuæ productionis ſimul ac gratiâ vnionis, necnon & habituali, inuncta eſt. Ex vnione quippe Verbi Diuini, tanta in animam Chriſti effluxit ſacrorum copia donorum, vt & ipſa ſanctificans gratia vltimum ſuæ perfectionis gradum attigerit, ita vt perfectè animam Chriſti Deo aſſimilauerit per claram & intuitiuam Dei viſionem, quâ ſimul cum eſſe potita eſt. Vnde & Pſalmiſta miraculum hoc *pſal.* 64. 5. atteſtatur, dum inquit: *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti.* Quamvis vt pro hominibus pateretur, ac morte ſuâ illorum mortem penitus aboleret, gloria, quâ fruebatur, in corpus eius non redundarit, & ſimul viatoris ac comprehenſoris dotes in ſe Saluator ſit complexus, vt notauit S. Thomas 3.*p.* *q.*15. *art.*10.

Triplici vnctione Chriſtus ſupra omnes prædeſtinatos ſublimatus.

Primò gratiâ vnctionis. *D. Thom.*

Secũdò gratiâ ſanctificante.

Tertiò gratiâ conſummatâ, ſeu gloriâ.

D. Thom.

56. Vberrimas iſtas Chriſti Domini vnctiones, quibus ſupra cuncta effertur creata, diſertè gentium Magiſter Paulus declarauit nouo ac inuſitato loquendi modo ad Coloſſenſes ſcribens capite 2. 9. *In ipſo*, Chriſto, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quamvis enim omnem locum abſque vlla ab eo circumſcriptione immenſitas repleat Deitatis, vnde & Ierem. 23. 24. Deus inquit, *Cælum & terram ego impleo*: omniſque Deo plena ſit creatura, vt olim profanus quidam ſcripſit Vates, *Iouis omnia plena*; attamen nec cœlum, nec terram, nec homines, nec Angelos etiam ſanctiſſimos vſquam Deus ita repleuit ac Chriſtum. In eo quippe nouo modo, nempe hypoſtaticâ vnione Deus Chriſti humanitatem adimpleuit tanta cum gratiarum, virtutum ac donorum copia, vt triplici jam expoſitâ vnctione, Diuinitatis, ſanctitatis ac gloriæ, inaugurata, Dei reali ac ſubſtantiali, necnon perſonali præſentiâ ac poſſeſſione homines, vel Angelos vnctos tranſcendat vniuerſos.

Deus perfectiùs replet Chriſtum, quàm vllam creaturam.

57. Corporaliter autem in Chriſto diuinitatis plenitudo habitare ab Apoſtolo dicitur, vt inſinuet non vmbraticè & figuratiuè habitare, ſicut habitauit olim in propitiatorio, tabernaculo & veteris Legis Sacramentis: non etiam phantaſticè, ſicut voluerunt Manichæi; neque per accidens tantùm, ſcilicet per motum & operationem, vti docuit Neſtorius; ſed corporaliter, ideſt reuerà, realiter & ſubſtantialiter in aſſumpta humanitate reperiri & exiſtere. Etenim ita magnum Dei munus eſt gratia vnionis hypoſtaticæ homini Chriſto collatum, vt non ſolùm eius animam, ſed etiam corpus nobilitet. In quo gratiam habitualem ſeu ſanctificantem, quæ tantùm animam afficit, non parum excedit, ac propterea ipſa diuina Verbi perſona, quæ humanæ vnita eſt naturæ, corporaliter in Chriſto habitare dicitur, quia ſcilicet etiam corpori indiſſolubili vinculo copulatur; vnio enim hypoſtatica toti naturæ humanæ, animæ nempe & corpori, adimpleta eſt. Quod docuit D. Th. 3.*p.q.*2. *art.* 10. *ad* 2.

Diuinitatis plenitudo eſt in Chriſto corporaliter ideſt verè, realiter & ſubſtantialiter.

D. Thom.

Secunda qualitas olei.

Secundò oleum ignē fouet.

58. Secunda olei proprietas à D. Gregorio notata, eſt ignis ac lucis fomentum. *Oleum*, inquir, *ignem fouet.* Hæc autem noo minùs quàm prima Regiæ Chriſti Domini competit Maieſtati: ſicuti enim diuina Verbi perſona, quâ inunctus eſt, ſuper omnes effertur creaturas; ita admirabili ſanctimoniæ vbertate, quam Eccleſiæ ſuæ longè lateque diffundir, ardores parit & lumina. Oleo igitur præ cunctis inunctus Chriſtus conſortibus, olei virtute donatur; ignemque ac lucem non ſolùm fouet, ſed gignit. Bonus Rex, qui omnibus ſibi obtemperantibus lumina ardentia fundit. Etenim fidem, quæ ſupernaturale intellectus humani lumen eſt, & feruidum charitatis ardorem ſumma pietate concedit. Quàm mira igitur Chriſti in Regem inaugutatio! Non ſolùm ſpirituali lætitiæ oleo eſt inunctus, verùm in oleum eſt quodammodo transformatus.

Oleū Chriſtus eſt, ardorem ac ſplēdorem producens.

59. Etenim non ſolùm lucet ac illuminat, & ſplendoribus quibus credentium animas replet, eorum corda inflammat; ſed inſuper ſicut oleum, in eorum cordibus ingreditur, ignem ac ſplendorem in eis nutriturus. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, dilectus eius inquit Diſcipulus, *Ioan.* 1.9. quia ſcilicet vt Diuus Auguſtinus exponit, *nullus illuminatur niſi a Verbo.* At quomodò hæc patratur illuminatio? Eo planè modo, quo corporei oculi materiali luce perfunduntur. Radiorum Solis fulgoribus corporaliter illuſtramur, ipſo ſydere luminum fonte, noſtro in hemiſphærio coruſcante: ipſo autem abſcondito, ac ad aliud infra nos hemiſphærium conuerſo, tenebramur.

D. Auguſt. Eſt lux vera omnem illuminans hominem.

60. Vt ergo ſpiritualibus repleamur fulgoribus, & diuino mens noſtra ſplendore refulgeat, micantiſſimis Solis juſtitiæ radiis indigemus, ita vt non tantùm ſupra nos, ſed etiam in nobis oriatur. Sic enim in nobis venturum ſacra promittunt oracula. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitia, & ſanitas in pennis eius.* Malach. 4. 2. Vnde Apoſtolorum Princeps, 2.*Petr.* 1.9. inquit, *Lucifer oriatur in cordibus noſtris.* Non enim fides in nobis oritur, niſi ſimul fidei author & conſummator Chriſtus oriatur. Docet enim Apoſtolus Eph. 3. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris*: quo modo tanquam oleum intra nos diffuſus eſt, vt lucem fidei & charitatis ardorem, quæ produxit, foueat, & conſeruet. Credentium hæc felicitas eſt, qui illum in quem credant, jam poſſident vt credant: niſi enim in ipſis effuſus, intellectus aciem diuinis ſplendoribus colluſtraret, ſupernaturalium myſteriorum agnitione orbarentur. Iudæis Chriſtum reſpuentibus Regis noſtri fulgor non illuxit; ſolis ipſum Dei Filium colentibus, ſiue Iudæis, ſiue Gentibus, ſiue Hebræis, ſiue Græcis, ſiue Latinis coruſcauit, ipſiſque tantùm diuinum hoc effuſum eſt oleum. Quod attigit D. Bernardus exponens illud Cant. 1. 3. *Oleum effuſum nomen tuum.* Vbi *ſerm.* 14. *in Cant.* ait; *Iudæus habet oleum, ſed non effuſum; habet in codicibus, ſed non in cordibus. Quid tibi prodeſt pium Saluatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?* Hæc ille. Cùm enim pietas actus ſit religionis, quâ Deus fide, ſpe, & charitate adoratur, & colitur; huius omninò expertes ſunt, qui Chriſto, tanquam ſuauiſſimo oleo carent; ſine enim illo nihil poſſunt facere, nec rectè credere, nec firmiter ſperare, nec ardenter Deum diligere.

Fides nobis non oritur ſine fidei authore.

D. Bern.

Iudæis Chriſtus non eſt oleum effuſum.

61. Omne igitur incendium ſalutare, omniſque ſpiritualis, quæ vel in cordibus Fidelium, vel in Apoſtolicorum virorum ſermonibus fulget illuminatio, à ſuauiſſimo Redemptoris oleo procedunt. Hinc etiam corporeæ, eo naſcente, augentur illuſtrationes; nam vt aduertit D. Thom. 3. p. q. 36. art. 3. ad 3. *In Hiſpania apparuerunt tres Soles, paulatim in vnum coeuntes.* Ipſi dierum circuli prolixiùs extenduntur: vnde D. Ambroſius *ſerm.* 8. inquit: *Ipſa quodam modo tempora, cùm Dominus naſcitur, conſequuntur augmentum: vno eodemque ortu lucem intulit hominibus, & diebus.* Nouam inſuper ſtellam, quâ Magos ad Chriſti adduxit cunabula, creauit Deus: vt enim inquit D. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum, cap. 5. tom. 6. *Non ex illis erat hæc ſtellis, quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt: ſed nouo Virginis partu nouum ſydus apparuit; non tantùm vt nouo ſplendore ſyderis colluſtraretur orbis, ſed vt ſupernaturalis fulgore luminis humanum intellectum à Chriſto illuſtrandum oſtenderetur.* Etenim in illa, quam Magi viderunt ac ſequuti ſunt ſtella, vt eleganter elegantiſſimus Leo Papa dixit ſerm. 4. de Epiphan. *præter illam ſpeciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit.* Splendore quippe fidei eorum mentis oculi illuminati ſunt, dum corporeas ſtellæ claritas illuſtrabat pupillas.

Omnis mentis illuſtratio & feruor cordis à Chriſto.

D. Thom. Lux corporea Chriſto naſcente augetur.

D. Auguſt. Cur noua ſtella Chriſto naſcente.

S. Leo.

Nec minora, eaque ſpiritualia à Chriſto Rege velut ab oleo pinguiſſimo, incendia ſurgunt. Terrenas omnes flammas cupiditatum extincturus de cœlis ad nos deſcendit flammâ charitatis accenſus, ſtatimque ac ab intemeratæ Virginis vtero effuſus eſt, ſacrum in cordibus hominum ignem excitauit, vt ignem in eis profanum omninò extingueret. Ad hoc ſiquidem ſe veniſſe teſtatus eſt, dum inquit Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi vt accendatur?* Non enim ſancta diuini amoris flamma in humanis cordibus accendi valet, niſi conſumptis omnibus vitiorum ſentibus, ac prauorum affectuum dumetis, noua ac Deo grata in eis efflorefcat creatura. Nam vt inquit D. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ, cap. 22. *nihil tam durum, tamque ferreum, quod non amoris igne vincatur.* Quo cùm ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnis officinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor caſtus innititur. Cùm enim ſaluare quod perierat veneric Chriſtus, omniſque qui perit homo, à Deo ſeparetur; *omnes enim qui elongant ſe à Deo, peribunt*, vt dicitur *pſalm.* 72.27. & peccatum, vt docent Theologi, in auerſione à Deo & conuerſione ad creaturas ſitum ſit; ideo vt à Deo profugum hominem ad Deum reuocaret, debuit Saluator optimus infinitæ miſericordiæ ſuæ oleo ſcintillas diuini amoris in illorum corda projicere, vt flammis inde excitis cunctas vitiorum ſpinas ſacro igne combureret, ac purgatos ab omnibus cupiditatum tribulis ſuo conditori reſtitueret vniendos. Saluberrimo per totam vitam huic negotio nauauit operam verbis, actibus, aliiſque quamplurimis exantlatis pro hominum ſalute laboribus; ignemque diuini in illorum cordibus amoris conatus eſt inſerere. 62.

D. Auguſt. Diuini ignē amoris accēdit Chriſtus.

Hinc vniuerſam Legem ac Prophetas vnius 63.

charitatis

Vniuerſa lex in charitate conſiſtit.

charitatis incendio inſtaurari docuit, dum expoſitis Dei & proximi dilectionis præceptis, inquit Matth. 22. 40. *In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet & Prophetæ.* Quod admiratus D. Auguſtinus, vniuerſum Iudæorum ac Chriſtianorum diſcrimen ſolo amore conſtare aſſerit, dum inquit, vt refert Lyranus, *Breuis differentia Legis & Euangelij, timor, & amor.* Lex ergo Chriſti lex eſt amoris ſummo amore promulgata, immò & ab ipſo ſeruata, qui vt nos ad illum amandum induceret, ipſe prior dilexit nos, vt loquitur Apoſtolus 1. Ioan. 4. 10. nam vt inquit D. Auguſt. tract. de catechizandis rudibus, *nulla eſt maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando.* Eſt enim magnes amoris amor, qui cùm in Chriſto Domino erga homines ſummus ſit ac immenſus, haud dubium, quin apud nos eiuſdem flammæ incendia moueat. Etenim cùm teſte Apoſtolo, qui inimico benefacit, carbones ignis congerat ſuper caput eius, vt habetur *Rom.* 12. 20. non ſolùm carbones, ſed etiam flammas & incendia charitatis & amoris capitibus noſtris ingeſſit, qui nos hoſtes infenſiſſimos non ſolum dilexit, ſed etiam propriâ morte redemit, proprio corpore pauit, propriâque donauit hæreditate. Vnde Chriſtianos dum ſibi ſimiles effingit, ad ſummum non ſolùm Dei, ſed etiam inimicorum efformat amorem. *Ego autem dico vobis*, inquit Matth. 5. 44. *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, &c.* Sed quod ore docuit, opere adimpleuit, vt non ſolùm doceret verbo, ſed etiam nos firmaret exemplo. Nam vt de eo mellifluus loquitur Bernardus ſerm. de paſſ. Domini: *Flagellis cæſus, ſpinis coronatus, clauis confoſſus, affixus patibulo, opprobriis ſaturatus; omnium tamen dolorum immemor: Ignoſce, ait illis, quia neſciunt quid faciunt. O quàm multus os ad ignoſcendum! Mira res: ille clamat Ignoſce; Iudæi Crucifige.* Hæc ille. Sed vt à tanta Chriſti emolliri debuerunt Iudæi charitate, ita ab illa adduci debēt Chriſtiani, vt etiam aduerſantes amore proſequantur: Chriſtus ſiquidem, tanquam petra myſtica in cruce percuſſus, non aquam ſolùm fudit & ſanguinem, vt redemptionis pretium ſoluens etiam lauaret redemptos; ſed inſuper oleum effudit, vt Iudæis miſericordiam & Chriſtianis diuini amoris ſcintillas largiretur: quod etiam attigiſſe videtur idem Bernardus *loc. citato*, vbi ſubdit: *O Iudæi, lapides eſtis, ſed lapidem percutitis molliorem, de quo reſonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis.*

D. Auguſt.

Magnes amoris amor.

Flammas amoris ſuper nos congeſſit Chriſtus.

D. Bernard. Iniurias ac tormenta diſſimulat Chriſtus, & pro tortoribus orat.

Oleum charitatis effudit in cruce Chriſtus, vt nobis ſcintillas largiretur amoris.

64. Liquet igitur, quod ſicut oleum ignem fouet; ita oleo exultationis inunctus Rex noſter, ignem myſticum diuini in nobis producit amoris; & ebulliens vocibus, actibus, ac vulneribus etiam in hoſtes oleum charitatis, omnis ſpiritualis ardoris ac luminis, hoc eſt fidei & charitatis author eſt & conſeruator. Quo pacto de eo poſſunt exponi illa verba Deut. 32. 13. *Conſtituit eum Dominus ſuper excelſam terram, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Chriſtianus enim populus ſuper omnes naturæ limites, Dei aſpirante gratiâ, conſtitutus, de petra illa, quæ Chriſtus eſt, à Patre *propter ſcelus populi ſui*, & à Iudæis propter ſummum in eius gloriam inuidiæ liuorem, in cruce percuſſa dulciſſimum mel miſericordiæ ſugit, ac de ſaxo duriſſimo, hoc eſt nullis tormentorum cruciatibus fracto, pinguiſſimum ad ignem & lucem nutriendam oleum recipit charitatis. Ex Chriſti ore crucifixi mel fluxit, dum clamauit, *Pater ignoſce illis*; tuncque *mel & lac ſub lingua eius*, vt dicitur *Cant.* 4. 15. Verùm ex eius oleum manauit vulneribus, vt omnium in eum credentium cordibus inſereretur, vtque fidem ac charitatem, ſeu lucem & ignem in eis produceret ac foueret. Quod expreſſit D. Ambroſ. dum inquit, *Vulnus eſt quod Chriſtus excepit, ſed vnguētum eſt quod effudit.*

Chriſtus petra, mel: & ſaxum duriſſimum, oleū fundens.

Tertia olei proprietas.

Tertiò denique, vt notauit D. Gregorius, *oleum vulnera ſanare conſueuit.* Quod non ſemel 65.
in ſacris exaratum paginis inuenitur: vnde & Samaritanus qui hominis ab Hieruſalem in Iericho deſcendentis, ac à latronibus malè excepti, & ſaucij miſertus eſt, *alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34. Ipſeque Vates Euangelicus, Iudæorum gentis peccatricis juſtas pœnas ac miſerias recenſens, eius vulnera oleo non curata commemorat. *Plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamino, neque fota oleo*, inquit Iſaias c. 1. 6. Ille ergo qui in Principem oleo inunctus eſt, ſubditorum vulnera miſericordiæ ac lenitatis oleo fouere debet ac curare. Hinc D. Gregorius jam citatus, ſubdit: *Vngatur ergo caput Regis, quia ſpirituali gratiâ mens eſt replenda Doctoris. Habeat in vnctione ſua oleum, habeat miſericordiam abundantem, quæ virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum medicinæ, vt ſapienter diſponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, & ægras mentes ſaluti reſtituat.*

Oleum ſanat vulnera.

D. Greg. Princeps oleo vnctus ſubditorum vulnera ſanet.

Hæc autem quis inter homines Princeps melius præſtitit, aut feliciùs adimpleuit, quàm ipſe 66.
Regum omnium Rex optimus Saluator? Miſeriarum omnium, quibus humanum opprimebatur genus ſemel miſertus, *Dux eſt in miſericordia populo quem redemit*, ipſique clementiſſimus aduenit Princeps ac manſuetiſſimus Imperator, vt infinita quâ pollet bonitate, cuncta mala noſtra extingueret, curaret vulnera, ac omnes ſanaret infirmitates. *Ecce*, inquit Propheta Zach. 9. 9. *Rex tuus veniet tibi juſtus & ſaluator.* Nobis igitur, non ſibi, Rex juſtus & Saluator acceſſit, vt juſtitiæ ſuæ oleo iniuſtitiæ noſtræ vulnera ſanans, æternam nobis conferret ſanitatem. Non etenim ad noſtram dumtaxat venit naturam, maieſtatem ſuam mortalitatis noſtræ tegumento temperaturus, ſed vt loquitur D. Ambroſius lib. 5. in Loc. cap. 6. *Ad vulnera noſtra deſcendit, vt noſtris omnibus curatis languoribus, vſu quodam & copiâ ſuæ naturæ comparticipes nos faciat eſſe regni cæleſtis.* Ab illo ſiquidem omnium hominum Principe, vt à capite ad membra, à ſtipite ad ramos, à fonte, ad riuulos, à parente ad filios, ſumma in illos emanauit medicina. Ad hoc enim *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, vt mederetur contritis corde*, & etiam corporeas diſſiparet infirmitates.

Chriſtus ſuæ juſtitiæ oleo iniuſtitiæ noſtræ vulnera ſanauit.

D. Ambroſ.

Planè inſuperabilem in ſanandis ægrotis oſten- 67.
dit virtutem, qui nec corporeis vnguētis, nec herbarum juſculis, nec aliis terrenorum inſtrumentis vſus eſt Medicorum: ſeipſo ſanauit quoſcunque voluit ab infirmitatum languoribus liberare. Ipſe medicus, & medicina; ipſe curator infirmorum, ac remedium extitit, & ſolo vel ſermone fracta reſtituit, diſperſa colligauit, errantia collegit, diſſipata reſtaurauit, & inſanabilibus ſaucia vulneribus, priſtinâ ſanitate donauit. Etenim juſtitiæ Sol illuxit hominibus, in radiis ſuis deferens

Seipſo ſanat Chriſtus: medicus eſt & medicina.

V 3. ſanitatem,

ſanitatem. Et *ſanitas in pennis eius*, inquit Ma-
Sol eſt, in radiis ſuis ferens ſanitatem. lach.4. 2. Sicuti ergo Sol ſemel in noſtro ortus
hemiſphærio fulgentiſſimos non valet non ex-
plicare radios, quibus ſubiectus orbis admodùm
colluſtratur: ita ſemel è Virgine natus Chriſtus,
veluti è ſtella Sol ſplendidiſſimus, miram om-
nibus, quibus illuxit, contulit ſanitatem, quæ
eius radiis non minùs quàm ſplendor ſolaribus,
coniuncta eſt. Hinc Chriſtum de cœlis ad ter-
ram, tanquam Medicum vniuerſos curaturum
D. Auguſt. languores, veniſſe docuit Auguſtinus, dum in-
quit: *Magnus de cælo venit medicus, quia per*
totum mundum magnus jacebat ægrotus. Hinc etiam
D. Bernard. melliſſuus Abbas Bernardus Chriſtum Regem
ad homines venientem, cum ſanitate, ac vn-
guentis ad omnes etiam periculoſiſſimos ſanan-
dos morbos, demiratur *ſerm. 1. in vigil. Natiuit.*
Venit cum ſalute, cum vnguento, cum gloria. dum ſic de eo fatur: *Venit cum ſalute, venit cum*
vnguentis, venit cum gloria. Neque enim ſine ſa-
lute Ieſus, neque ſine vnctione Chriſtus, nec ſine
gloria venit Dei Filius. Siquidem ipſe ſalus, ipſe
vnctio, ipſe gloria. Et poſt pauca tanti Regis
omnium infirmitatum oleo miſericordiæ cura-
toris virtutem proſequens, ſubdit: *Reſpirate per-*
diti, venit Ieſus quærere & ſaluum facere quod pe-
rierat. Morbidi conualeſcite, venit Chriſtus qui
contritos corde ſanat vnctione miſericordiæ ſuæ. Exul-
tate quicumque eſtis grandia concupiſcentes, deſcen-
dit ad vos Filius Dei, vt regni ſui faciat coheredes.
Hæc Bernardus acutè & eleganter. Vbi Chri-
ſtum vnctionem ſuam, quâ ſcilicet præ con-
ſortibus ſuis in Principem exultationis oleo inun-
ctus eſt, ipſis conſortibus, electis nempe ac fideli-
bus, perfectam ſalutem vt conſequantur, commu-
nicare demonſtrat.

68. Nec ſolo miſericordiæ ſuæ oleo hominum
curauit vulnera Redemptor noſter amantiſſimus,
ſed terrenos imitatus curatores, qui vino ſimul
& oleo plagas fouere conſueuerunt, proprium
addidit cruorem, quem antequam in ſpecie viſi-
bili ſummis cruciatibus effuſum hominibus tra-
deret, inuiſibiliter ſub ſpecie vini ſummo amo-
Etiam ſuo ſanguine Chriſtus ſanat. re diſcipulis ſuis breui moriturus donauit. Sic
igitur oleo ſimul & vino perfectus *Samaritanus*,
& verus cuſtos hominum, ſananda fouet vul-
nera, ac miſeri, qui in latrones cecidit, à quibus
ſpoliatus læſuſque eſt, vulneribus ſalutarem ap-
plicat medicinam. Cùm enim totus in curandis
hominibus Saluator traditus ſit, morte ſua non
minùs quàm vitâ id exequitur, & totius vitæ ſuæ
dulcedini mortis ſuæ dolores, ac tormenta
coniungens, vinum oleo, morbis noſtris vt
mederetur, copulauit. Quo planè modo non ſo-
lùm nobis remedia contulit, ſed noſtras in ſe ac-
cepit infirmitates: quia ſicut loquitur S. Petrus
D. Chryſol. Chyſologus ſerm. 50. *Medicus qui non fert infir-*
Noſtras in ſe ſuſcepit infirmitates. *mitates, curare neſcit; & qui non fuerit cum infirmo*
infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.
Ipſe enim *verè languores noſtros tulit, & dolores*
noſtros ipſe portauit, vt inquit Propheta, *Iſai.* 53.4.
Sic enim in eo *juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, vt
dum ſummâ miſericordiâ bona ſua oleo gratiæ
languidis viuens erogauit, *pertranſiit quippe be-*
nefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo,
Act. 10. 38. diuinæ æterni Patris juſtitiæ vt fa-
ceret ſatis, omnia mala noſtra ſuſcepit, iniurias
pertulit, tormenta paſſus eſt, noſtriſque oppreſ-
ſus criminibus omnia vulnera noſtra moriens ſuo
ſanguine lauit. Vnde, vt ſuperiùs tetigimus, ſan-
guis è vulneribus Domini IESV profluens,
vnguentum, à D. Ambroſio vocitatur. *D. Ambroſ.*
Quàm ergo bonus Rex, qui non ſolùm vn- 69.
ctione, ſed etiam propriâ ſubditos ſuos curat
læſione. Non ſolùm *vnxit eum Pater, vt vnge-*
ret, ſicut ait Bernardus *ſerm. 16. in Cant.* ſed *per-*
cuſſit, vt nos etiam percuſſos ſanaret. Non ſolùm
inter homines viuit, vt nos cum Deo viuamus;
ſed etiam moritur, ne cum hominibus in æter-
num moriamur. *Quod factum eſt in ipſo, vita*
erat, inquit dilectus eius Diſcipulus, *Ioan.* 1. quia
in eo omnia quæ facta ſunt, ſiue circumciſio,
ſiue vulnus, ſiue etiam ipſa mors, vitam ſpi-
rant hominibus ac perfectam conferunt ſanita-
tem. Vnde D. Ambroſ. *in pſal.* 35. de Chriſto ſic
fatur: *Ipſe in omni materia, in omnibus vita eſt;*
ipſius diuinitas vita eſt, ipſius æternitas vita eſt, ip-
ſius vulnus & mors vita eſt. Hæc ille. Huius ergo
Regis regum *non minus profuit infirmitas quam*
maieſtas, vt ait Bernardus *ſerm. ad Milites Templi,* *D. Bernard.*
cap. 11. quia etſi ex Deitatis potentia peccati ju-
gum jubendo ſubmouit; ex carnis tamen infir-
mitate mortis jura moriendo concuſſit. Omnes
itaque ſpirituales hominis languores, dum mor-
tem vicit, ſuâ infirmitate ſanauit; quia peccati
ſtimulum, velut vniuerſæ humani generis ægri-
tudinis acumen, penitus ubtrudit. Sed talem
morte ſuâ glorioſam ſibi victoriam adeptus, ipſe
nobis pretioſam comparauit ſanitatem, quia dum
inter homines incœpit viuere, copioſam rece-
pit vnctionem: niſi enim præ participibus ſuis
in Virginis vtero vnctus eſſet, in cruce glorioſè
non triumphaſſet; pugiles enim, ac atletæ in
arenam ad certamen deſcenſuri, ad novum robur Pugiles oleo
oleo vngebantur: nec nos ad ſanitatem ſimul & vngebantur.
vigorem fouiſſet oleo, ac vino, hoc eſt proprio
ſanguine redemiſſet.

Quas tamen nobis, rogabis, affert curationes? 70.
Quæ oleo & vino nobis præſtat remedia? A
quibus ab illo curamur ægritudinibus? Planè ab
omnibus, quibus detinemur. Cùm enim *Dei* Ab omnibus
perfecta ſint opera, non niſi in integrum eius bo- per Chriſtũ
nitate ſanamur: ipſe enim *Spiritus qui vnxit eum,* ſanamur
ac miſit vt mederetur contritis corde, vt dicitur *Iſai.* vulneribus.
61. infinitâ eum repleuit virtute, vt illius effuſio-
ne, tum gratiæ oleo, tum vino ſanguinis ſym-
bolo cuncta donarentur delicta, ac omnia animi
vulnera ſanarentur. Quod eleganter D. Bernar- *D. Bernard.*
dus dixit ſerm. 16. in Cant. *Veniebat*, Chriſtus,
vngere contritiones noſtras ac lenire dolores; ideoque
venit vnctus, venit manſuetus & mitis, & multa miſe-
ricordiæ ſua omnibus inuocantibus ſe. Sciebat ſe ad in-
firmos deſcendere, exhibuitque qualem oportuit:
& quoniam multæ erant infirmitates, multa quo-
que prouidus medicus medicamina curauit affer-
re. Attulit *ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpi-*
ritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ &
pietatis, & ſpiritum timoris Domini, &c. quæ miri-
ficè ad rem præſentem florido ſtylo melliſluus
proſequitur Abbas.

Verùm quem Regem oleo exultationis inun- 71.
ctum deſcribo, eundem Medicum hominum
non abs re inſinuaui: nec quiſpiam miretur;
vnum ex altero oritur, & alterum in altero con-
tinetur. Nequit aliquis Rex eſſe, niſi etiam me- Chriſtus Rex
dicus exiſtat; nec vſquam mores reget ſubdito- & Medicus.
rum, niſi morbos depellat animi, ac vitia, quæ
ſpirituales cenſentur ægritudines, ſui vultûs maie-
ſtate confodiat. *Rex ſedens in ſolio ſuo*, inquit Sap.
Prou. 20. 8. *diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Si
vel reſpiciendo mala, diſſipat, monſtra profligat:
ergo

erg[illegible] ſanat dum dirigit ; & ſimul ac medetur languoribus, dominatur. Hinc eſt, quod ille rogatus vt regimen capeſſeret, ſe non eſſe dixit medicum, vt Imperium teeuſaret. *Non ſum*, inquit, *medicus : nolite me Principem conſtituere.* Iſai. 3. 7. Vnde ſecundùm Thucydidem Magiſtratus eſt medicus ciuitatis ; nam ſicut loquitur Dion Nicæus in Auguſto : *Vt medici in ſanandis hominum corporibus ea membra quæ putredine corrupta omnes medelas reſpuunt, adhibito ferro amputant, ne cætera membra inde inficiantur : ita Magiſtratus eos, qui in Republica omnibus dediti vitiis omnem admonitionem contemnunt, ferro etiam ſeparet, ne tanto malorum conſortio cæteri in peius etiam ruant.* Quod planè agnouit Chriſtianorum Imperatorum primus Conſtantinus Magnus, qui vt ſcribit Pomponius Lætus in compendio Romanæ Hiſtoriæ, dicere ſolebat : *Pro vtilitate Reipublicæ Imperatorem non debere labores recuſare, neque cuiquam omnium, ac ne ſuis quidem propriis membris parcere, publicæ tranquillitatis conſeruandæ causâ : immò & partem corporis reſcindere, ſi remedium non admittat : ſin contrà, fouere.* Quod nihil aliud eſt quàm optimi medici in regendo partes gerere.

Omnis Rex medicus. *Thucyd.*

Membra reipublicæ putrida debet amputare. *Pomp. Læt.*

72. Iuſtè igitur vetus omnium hominom conſtiſtitutus atque inunctus Monarcha Chriſtus Dominus, dum ſpirituali regimine cuncta diſponit, ſe medicum præſtat ; ſimulque oleo lenitatis ac miſericordiæ dum ſanabilia vulnera curat, juſtitiæ vitio pungit, immò & gladio immedicabilia reſcindit. Nec novum à tanto Rege ſimul & medico vini applicatio, juſtitiæ ſymbolum à me excogitatum cenſeri debet ; cùm inclytus Abbas Bernardus vino juſtitiam, ſicut & oleo miſericordiam Regis noſtri ac Medici intellexerit *ſerm. 16. in Cant.* vbi ſic fatur : *Infudit* Chriſtus *oleum meis vulneribus, infudit & vinum ; ſed minùs quàm olei. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, vt miſericordia ſuperexultaret judicio, quemadmodum vino oleum ſuperfertur infuſum.* Vtroque attamen curauit Dominus, & oleo, & vino ; & miſericordiâ, & juſtitiâ. Cùm enim ſe nobis non tantùm Principem, ac Medicum præbuerit, ſed exemplum ; ipſeque non ſolùm mirifico exultationis oleo inunctus, ſed etiam proprio cruore perfuſus, paternæ miſericordiæ ac juſtitiæ in ſe ſuſceperit vbertatem, ſalutem quam nobis tanquam filiis, fratribus, membris ac cohæredibus affert, non niſi oleo & vino, imò & ſanguine, hoc eſt miſericordiâ ac juſtitiâ, ſummâ pietate concedit. Nec enim alio modo ſanari poſſumus, niſi eo quo ille qui ſanat omnes infirmitates noſtras, languores noſtros abſtulit, noſtroſque labores portauit.

Chriſtus curat oleo & vino, hoc eſt bonitate & juſtitia. *D. Bernard.*

73. Hinc eſt, quod poſtquam Diuinum Verbum, quod jam Angelis erat infuſum, in Virginis vterum etiam fuſum, ab eo in homines ingenti bonitate, tanquam oleum effuſum eſt, octauo huius effuſionis die in aſſumpta carne legi circumciſionis obtemperans, vt infinitæ miſericordiæ juſtitiam ſociaret, ſimulque noſtram redemptionem perageret, proprium ac immaculatum cruorem effudit ; ſic enim caput pro membris accepit curationem, quam in ſeipſo non habuit neceſſariam. Nec mirum, *quod pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori*, vt loquitur D. Bernardus *ſerm. 3. de Circumc.* Iudæi enim, vt ibidem idem Sanctus Do[illegible] proſequitur, *occiderunt Agnum Dei, in ſuam quidem perniciem, ſed in ſalutem noſtram : illi enim ſanguinem agni fuderunt, nos acceſſimus, & bibimus illum.* Hæc ille. Non ſolùm autem pretioſum ſub ſpecie vini, Chriſti ſanguinem bibimus, ſed etiam illo à noſtris omnibus mundamur delictis, ac vulnerum ſordibus emaculamur. In hoc enim *Princeps Regum terræ* à Ioanne *Apoc. 1. 5.* dictus eſt, *quia dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quod quidem mirificè præſtitit, dum ipſo ſanguine, qui roborem videtur inducere, ablutos ac mundatos dealbauit, vt de illis legitur, qui è magna venientes tribulatione, ſtolas ſuas lauerunt & dealbauerunt in ſanguine agni, vt legitur *Apoc. 7. 14.* Siquidem vt ait D. Bernardus ſerm. ad Milites Templi, cap. 10. *Lauit nos Chriſti ſanguis, non quidem vt aqua diluens, ſed retinens ſordes : ſed vt ſolis radius exſiccans, & retinens puritatem.*

Mox natus circumciſus eſt, vt cruore ſuo juſtitiam miſericordiæ ſociaret.

D. Bernard.

Princeps eſt, quia lauit nos à peccatis in ſanguine ſuo.

D. Bernard.

At non quorumdam tantùm hominum, ſed omnium proprio cruore voluit lauare delicta ; ipſum pro omnibus fudit, ac pretioſum quod de vulneribus eius in cruce manauit vnguentum, ad omnes myſtici corporis partes effluxit. Sicuti enim vnguentum in capite Aaron, non tantùm in Barbam, ſed in oram eius veſtimenti deſcendit, *pſalm. 132. 2.* vt magis ad veſtes vngendas Sacerdotis, quàm ad vngendum caput eius effuſum videatur : ita Chriſti Domini ſanguis potiùs ad abluendam eius veſtem & pallium, immò & pallij oram, id eſt ad emundandas omnium hominum, quibus tanquam veſtimento in cruce vſus eſt, ſordes, quàm ad ipſius puriſſimum corpus lauandum effuſus eſt, ſicut notauit Rupertus Abbas *lib. 9. in Gen. cap. 33.* Ex quo liquet, meritò Regis noſtri nomen oleum effuſum ab Sponſa *Cant. 1. 2.* nuncupari. Nam vt ait D. Bernardus ſerm. 15. in Cant. *Quid mirum ſi Sponſi effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit ? Nam ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Denique ait, ſicut aqua effuſus ſum, pſal. 21. Effuſa eſt plenitudo diuinitatis, habitans ſuper terram corporaliter, vt de illa plenitudine omnes qui corpus mortis geſtamus, caperemus, ac vt tali odore repleti diceremus, Oleum effuſum nomen tuum.* Hæc Bernardus eleganter. Sic igitur ipſe Rex noſter ac medicus, oleo & ſanguine, miſericordiâ ac juſtitiâ ſeipſum nobis omnia noſtra vulnera ſanaturus infundit.

74. Pro omnibus ſanguinem fudit.

Quod in vnguento quod à capite ad oram veſtis Aaron fluxit, præſignabatur.

D. Bernard. Chriſtus in homines totus effuſus.

Si autem nequaquam cuncta hominum curantur vulnera, ſed immedicabilia manent, non in culpa eſt medici, ſed hoc ex induratorum prouenit malitia ægrotorum. *Etenim*, vt loquitur D. Auguſtinus tr. 14. in Ioan. *quantùm in Medico eſt, ſanare venit ægrotum : ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſeruare non vult.* Quæ igitur in hominibus, etiam baptizatis, ac oleo diuinæ gratiæ Chriſti inunctis, crimina (quæ languores animi ſunt) inueniuntur, ipſo diuini Medici agente nomine, & illorum cooperante voluntate, remittuntur ac ſanantur. Sacrum quippe IESV nomen tanquam effuſum oleum, *fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus & medecina*, vt melliſluo ſtylo proſequitur D. Bernardus *ſerm. 15. in Cant.* Cúmque à Chriſtianis inuocatur, morbos omnes animæ diſſipat & depellit. Quod probat idem Bernardus, ſubiungens : *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat, auaritiæ ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem*

75\.

D. Auguſt. Quæ non curantur vulnera, Chriſti reſpuunt medicinam.

Nomen Ieſu lux, cibus & medicina. *D. Bernard.*

Omnia vitia fugans.

dem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente: illa tanquam pigmentarias ſpecies, hoc tanquam vnde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poſſit. Hæc ille. Quibus optimè demonſtrat, vnctum Regem noſtrum, tanquam Medicum omnes ſpirituales infirmos ad perfectam morborum ſanitatem, humanitatis exemplo vngere, ac Deitatis virtute curare.

§. III.

Chriſtus Dominus Rex in materno Virginis vtero coronatus.

76. QVi ad Regiam dignitatem electi, ac ad illam capeſſendam ſacro oleo inuncti ſunt, etiam coronâ donantur. Cùm enim ſapientiâ ac prudentiâ commiſſos ſibi populos regere debeant Principes, vt tantis ſe dotibus præcellere teſtentur, caput in quo maximè vigent huiuſmodi, conſueuerunt diademate exornare.

Cur Reges diademate coronentur.

77. Verùm quis inter Reges maiori prudentiâ ac ſolertiâ, quàm ille, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, præditus eſt? Qui non ſolùm oculatiſſimâ ac perſpicaciſſimâ repletus ſapientiâ, ſed ipſamet ſapientia exiſtit, *nobiſque à Deo ſapientia factus eſt*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor*.1.30. Hic ergo æterni Patris, ac ſempiternæ Virginis vnigenitus, orbem terræ dum in ſapientia & æquitate regendum ſuſcepit, ac ad tantum opus humanitatis mortalitatibus indutus, ſe comparauit; ſplendido ab optima parente, à qua carnis ſuſcepit infirmitatem, diademate coronatus eſt. *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Cant. 3.11. Cùm enim naturæ humanæ à Verbo Diuino aſſumptio, eiuſque cùm eo hypoſtatica coniunctio mirabilis ſit Filij Dei cum humanitate deſponſatio, ſicut notauit D. Gregorius Magnus *hom*. 38. *in Euangel.* vbi inquit: *Tunc Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante ſecula fieri voluit hominem in fine ſeculorum*: & Doctor Angelicus 3. *p.q.* 30. *art*.1. rectè aduertit, congruum fuiſſe Beatæ Virgini annuntiari, quod eſſet Chriſtum concepptura, vt oſtenderetur eſſe quoddam ſpirituale matrimonium inter Filium Dei & humanam naturam, & ideo *per annuntiationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ*; à matre ſua intemerata Virgine in die deſponſationis ſuæ verus Salomon Chriſtus pretioſo diademate coronatus, à cunctis fidelibus ſummo amore, ingentique humilitate debet adorari.

Chriſtus à matre coronatus.

D. Greg. M.

D. Thom.
Dei incarnatio eſt naturæ humanæ cum Deo deſponſatio.

78. Sanè triplici ſimul incarnationis ac deſponſationis momento diademate, Dei ac Virginis Filius cinctus eſt; à Matre ſiquidem, à Patre, & ab vtroque ſimul coronatur. Cinxit eum puriſſima Genitrix puritatis ac integritatis coronâ; cinxit eum glorioſus æternuſque Genitor gloriæ diademate; cinxit vterque charitatis ac miſericordiæ coronâ. Ex Matre Chriſtus homo eſt, à Patre beatus eſt, & ab vtroque Redemptor hominum ac reſtaurator.

Triplici coronâ Chriſtus redimitur.

Coronatur à Matre Chriſtus coronâ puritatis.

Dum ergo agente Spiritu ſancto in Virginis intemeratæ vtero homo factus eſt, ab ipſa puriſſima Genitrice Rex eſt editus, ac puritatis diademate coronatus. An-non puritatis & integritatis coronâ puriſſimum ex puriſſimo Virginis ſanguine Chriſti corpus efformatum decoratur? Sic æterni Patris ſplendor dum tenebris noſtræ humanitatis obuoluitur, ſplendidiſſimi matris Virginis ſanguinis ſplendore coronatur, vt qui ante ſecula paternæ maieſtatis pulchritudo æternum coronat Genitorem, à piiſſima Genitrice virgineo corpore coronetur. Ipſum non ſolùm Virgo edidit hominem, ſed virginem, vt perpetuæ virginitatis non tantùm diceretur filius, ſed ſponſus; illamque quæ Angelorum contubernalis videtur, ſibi virtutem copulans, mortalibus longè lateque diffunderet, ſimulque virginitatis filius, ſponſus, ac Princeps ſui fulgore diadematis innumerabiles in odorem vnguentorum eius currentes ſibi Virgines ſociaret. *Cùm* enim, vt loquitur S. Maximus hom. de S. Agnete, *in toto mundo virgineus flos Maria immarceſcibiles coronas innectat, & ſceptrigeram pudoris aulam immaculato ſeruet affectu*, à Filio dilectiſſimo omnium virginum Rege, virginitatis coronæ, ſceptraque pudoris virginibus in carne ſine carnis commercio viuentibus conceduntur. 79.

Primò coronatur à matre coronâ Virginitatis.

S. Max.

Æquum autem fuit à Sanctiſſima Deipara integritatis ac virginitatis diademate Chriſtum Dominum exornari: illa etenim dum floreſcente immaculati pudoris lilio hominem caſtis concepit viſceribus, ac ſuum, naturâ mirante, genuit genitorem; ab illo quem genuit, nouo puritatis gradu aucta, pretioſa virginitatis coronâ donata eſt. Etenim intemerata Mariæ virginitas Saluatoris conceptu, ac natiuitate minimè læſa, imò potiùs nobilitata tantæ prolis fuit fœcunditate. Vnde illam dedicatam Filij natiuitate ſacroſancta cenſet Eccleſia, quæ in oratione ſecreta Miſſæ Natiuitatis Virginis, de Chriſto inquit, quod *natus de virgine, matris integritatem non minuit, ſed ſacrauit.* Et Doctorum aquila Auguſtinus, ad tantum prodigium ſtupens, exclamat ſerm. 6. de Natiuit. *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit: virgo partu ſuo nupſit; virginitatem dum pareret, duplicauit.* Quæ Auguſtini verba licèt mirum in modum Deiparæ virginitatem Chriſti natiuitate extollant, non paruam tamen pariuntur difficultatem. Quomodo enim vnius virginis duplex erit virginitas, cùm hæc vtpote accidens, à ſubiecto ſuam ſumat vel vnitatem vel multiplicitatem? Quomodo nouo non addito ſubiecto, noua poteſt addi virginitas? Vnde non in rigore Philoſophiæ, ſed per auxeſim à Sancto Doctore Beatæ Mariæ virginitas duplicata celebratur. Attamen huiuſmodi loquendi ratio vtcumque ſit, poteſt noua Mariæ in conceptione, ſeu ortu Saluatoris eſſe collata dignitas. Cùm enim per hanc ſanctiſſimam Deiparam, vt loquitur D. Bernardus ſerm. 3. in *Salue regina*, Deus ſit humilis, & homo ſublimis; adeo ſupra communem hominum ſtatum euecta eſt Maria, *vt meritorum verticem vſque ad ſolium Deitatis erexerit, nempe vt ad conceptionem Diuini Verbi pertingeret*, vt loquitur D. Greg. Mag. 80.

Virginitas Mariæ Chriſti natiuitate conſecrata.

D. Auguſt.

Immò & duplicata.

D. Bern.
Humilis Deus per Virginem.

D. Greg.

Ideo

81. Ideo præter communem omnium rerum ordinem, ſpeciali priuilegio duplicatâ in illa virginitas effloreſcit: vna quidem, quâ perpetuam mentis & corporis integritatem, ſecluſo quocumque terrenarum ſeu carnalium voluptatum contagio, ſeruandam firmo voluntatis decreto propoſuit: alia, quâ inuiolata hæc eſt remunerata virginitas, fœcunda ſcilicet integritas, quæ hominibus Deum peperit. Prima ſicuti Mariæ intemeratam caſtitatem, ita & perpetuam conferebat ſingularitatem ac ſterilitatem. Secunda emaculato ſterilitatis opprobrio, puriſſimo virginitatis flori ſuauiſſimum fœcunditatis, non quidem communis, ſed ſingulariſſimæ, quâ Deus homo natus eſt, contulit fructum. Quod quidem expreſſum videtur ab Eccleſia in illa, quam ad Deum, Chriſti natali tempore, de ſacra Deipara fundit oratione: *Deus qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ virginitate fœcundâ humano generi præmia præſtitiſti.* Quo ſanè loquendi modo duplex Mariæ virginitas inuitur; alia ſcilicet ſterilis, quâ virgo perpetua ſtabilitur; alia fœcunda, quâ virgo matris fœcunditate decoratur. Prima Mariam Dei Sponſam præſtitit: ſecunda Dei Genitricem effecit. Illa corpus Virginis templum Deo dedicauit: hæc Virginis vterum æterno Rege, thronum veluti eburneum repleuit. Primâ Beata virgo omnium aliarum quæ eius veſtigia terunt ſolenni profeſſione caſtitatis, virginum anteſignana; ſecundâ omnibus & virginibus & coniugatis magnum extitit miraculum; ſiquidem *gaudia matris habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.*

Duplex in Maria Virginitas.

82. Sicuti ergo duplex in Chriſto Domino gratia ponitur, alia quæ gratia vnionis nuncupatur, & eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in perſona Verbi: & alia habitualis, pertinens ad ſpiritualem ſanctitatem Chriſti hominis, ſicut effectus quidam conſequens vnionem, vt docuit D. Thomas 3. *p. quæſt.* 6. *art.* 6. ita cum proportione, & ſuo modo, ad hoc ſummâ Dei diſponente prouidentiâ, duplex veluti virginitas in ſanctiſſima Dei Parente reperitur: alia quâ omnium virginum Regina, etiam Angelos vicit puritate; altera, quâ Sponſi virginum ac Regis Angelorum vnigeniti Filij Dei mater virginali fœcunditate coronatur.

Duplex in Chriſto gratia.

D. Thom.

83. Cùm ergo in ipſa Verbi Diuini incarnatione, non ſolùm diuinâ virtute obumbrata, ſed etiam nouo puritatis ſplendore Maria ab illo quem concepit & peperit filio ſit cumulata: nonne æquum fuit à caſtiſſima Genitrice Filium carnis integritate ac virginitate coronari? Mutuas inuicem ſibi nectunt præſtantque coronas Virgo, Virginiſque Filius. Illa fœcundæ puritatis ac honoris materni à Filio ſuſcipit diadema, & vt de Patre æterno loquutus eſt Sineſius, *coronatur pulchritudine prolis*: hic à Genitrice puriſſimo, integerrimo ac virginali corpore veluti diademate cingitur, & conſequenter Matris puritate coronatur. Vnde D. Bernardus *ſerm. in caput* 12. *Apoc.* de Maria loquens: *Denique*, inquit, *& coronauit eum*, (Chriſtum) *& viciſſim ab eo meruit coronari.* Nec mirum, radij fulgore ſtella cingitur; & radius ſtellæ luce, ac ſplendore coronatur. Chriſtus autem qui tanquam Sol nube tectus, Beatæ Mariæ vtero clauſus eſt, ex eodem, ceu radius ex ſtella, proceſſit, vt in illa quæ in eius natali canitur Sequentia, cecinit melliſluus Bernardus.

Chriſtum coronat Maria, & viciſſim Mariam Chriſtus.

D. Bernard.

Sicut ſydus radium
Profert Virgo Filium,
Pari forma
Neque ſydus radio,
Neque mater filio
Fit corrupta.

Ornata igitur mater filium exornauit, coronata coronauit, ſimulque pudicitiæ ſplendore coruſcant Virgo Mater, & Virginis Filius, etiam virgo, virginumque ſponſus, tutamen, & præmium. Quàm ergo decorus, quàm formoſus Rex noſter eſt in ſtola candidiſſima ac puriſſima, quam in caſtiſſimæ vtero ſuſcepit Matris, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ, vt in manu potenti & brachio excelſo vinctum hominem educat de domo carceris, & vmbra mortis. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua.* Cant. 3. *Egredimini*, inquit D. Bernardus ſerm. 2. de Epiphan. *virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis ſupernæ. Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate quo coronauit eum mater ſua. Sed his deliciis vſque modò caruiſtis, hanc hactenus dulcedinem non guſtatis: habetis ſublimitatem eius, ſed humilitatem eius non vidiſtis. Egredimini igitur*, ſubdit infrà idem Bernardus homines alloquens, *& videte Regem Salomonem; nam vbique Rex eſt: licèt enim regnum eius non ſit de hoc mundo, tamen Rex eſt etiam in hoc mundo.* Sic ille Chriſtum à Maria humanitate velut diademate redimitum, ſpecioſumque formâ præ filiis hominum, tanto pudicitiæ ſplendore veſtitum Angelis & hominibus aſpiciendum proponit, vt ſimul cœlum & terra coronam carnis puritate integritatis ſplendidam à Matre Chriſto in incarnatione tributam ſuſpiciant, colant, venerentur. 84.

D. Bernard.

Chriſtum à matre coronatum Angeli & homines demirantur.

Si enim, vt idem melliſluus Abbas *ſerm.* 1. *de Aſſumpt.* eleganter proſequitur, *Mariæ præſentiâ totus illuſtratur orbis, adeo vt & ipſa jam cœleſtis patria clariùs rutilet virginei lampadis irradiata fulgore*; nulli mirum videri debet, eiuſdem puriſſimæ ac ſanctiſſimæ Virginis vnigenitum, maternæ caſtitatis integerrimæ ſplendoribus coruſcare, ac virgineo ex perpetua virgine ſumpto corpore coronatum, Angelorum atque hominum obtutus in ſe rapere. Quantâ enim ſpecie mox natus effulſit in præſepio? Quanto ſplendore in ſtabulo coruſcauit? Rapuit tunc ad ſe cœlum, & Angelos deſcendentes tantum Regem collaudandes Iudæa demirata eſt: rapuit homines, vel ex Iudææ montibus paſtores alliciens, vel ex Orientis finibus Magos vocans, & ad propria cunabula noui ſyderis ſplendido famulatu deducens: rapuit & ipſam ſanctiſſimam Genitricem, quæ filium optimum quem genuit, poſtquam peperit, adorauit. Hinc dilectus ille Regis noſtri diſcipulus, incarnationem eius poſtquam literis exarauit, dicens: *Verbum caro factum eſt*, Ioan. 1. 14. ſtatim eius in carne maieſtatem deſcribens, ſubiunxit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre.* Quia ſcilicet cum ex intemerata natum Virgine, vir- 85.

D. Bernard.

Mariæ præſentiâ totus illuſtratur orbis.

Chriſtus in præſepio rapuit & attraxit cœlum & terram.

gineo prædītum corpore, ac puritate coronatum agnouerunt; quod ſanè gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre ſummoperè declarat: nam vt inquit D. Maximus hom. 3. in natali Domini: *Dei Filius ab intacta natus eſt fœmina, vt hominem teſtaretur partus humanus, & Deum probaret Virginitas.* Quod etiam dulci ſtylo, vt aſſolet, dixit Bernardus *hom. 2. ſuper* Miſſus eſt: *Deum*, inquit, *decebat huiuſmodi natiuitas, quâ non niſi de virgine naſceretur: talis & congruebat virgini partus, vt non pareret niſi Deum.*

Virgo Deum debuit parere.

D. Bern.

86. Cùm ergo à Deipara Virgine Chriſtus inter homines natus, homo refulſit & Deus, quis illum à matre coronatum ambiget? Quis carnis trabeam in eo maieſtatis indumentum & regalem purpuram non pronunciabit? Hinc eſt quod Tertullianus *lib. de carne Chriſti, capite* 4. docuit Chriſtum Dominum ſua ex Virgine natiuitate vniuerſum carnis opprobrium abſtuliſſe, eiuſque honorem reſtauraſſe. *Natiuitate* (inquit) *reformatâ regeneratione cœleſti, carnem ab omni vexatione reſtituit.* Quod ſanè factum eſt, dum è Virgine carnem omninò virgineam, perpetuâ virginitate exornatam Chriſtus aſſumpſit, ipſique gloriam, quam in primo omnium homine Dei manibus ſummâ puritate efformato dumtaxat habuerat, reſtituit, immò & auxit; nam virginitatem quam à Creatore Adamus acceperat, filios generans amiſit: Chriſtus ingentem prolem verbo, & exemplo, ac puriſſimo in paſſione fuſo ſanguine gignens, perpetuò conſeruauit, vt ſcilicet coronam, quam à genitrice ſuſcepit, nuſquam amitteret, ſed in æternum teneret.

Tertull.

Chriſtus naſcens ex virgine carni honorem reſtituit.

Coronatur à Patre Chriſtus coronâ gloriæ.

87. Aliam Rex noſter in incarnatione accepit coronam ab æterno Patre in materno vtero ſibi tributam. Pretioſa ſanè ac magnifica illa fuit, ſed animam tantùm, non corpus, ingenti prouidentiâ exornauit. Gloria ſeu viſio Beatifica, quâ Chriſti Seruatoris anima in primo conceptionis inſtanti, ex aſſumptione ad vnitatem perſonæ Verbi Dei ditata eſt, hæc extitit corona. Simul enim ac homo fuit, perfectus fuit, vſumque liberi habens arbitrij, operationeſque rationalis exercens animæ, intellectu eius lumine gloriæ illuſtrato, excellentiſſimum attigit obiectum, ipſamque Dei eſſentiam clarè & intuitiuè conſpiciens, adhuc in via comprehenſor extitit, omneſque creaturas viſionis beatificæ perſpicacitate ſuperauit. Quod docent Theologi cum D. Thoma 3. *p. q.* 34. *art.* 2. & 4. & aſſeruit D. Bernardus *ſerm.* 2. *de Epiphan. jam allato*, de Chriſto dicens: *Coronat eum & Pater coronâ gloriæ*, ſicut pſalmus ait, *Gloriâ & honore coronaſti eum.*

Secundò Chriſtus à Patre gloriâ coronatur.

D. Thom.
D. Bernard.

88. Conuenientiſſimum hoc planè fuit; & qui, etiam vt homo, Filius verus & naturalis dicitur Dei, propter increatam Verbi hypoſtaſin, quæ in Chriſto humanam ſuſtentat naturam, vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 23. *art.* 4. Patrem vt perfectè cognoſceret, diuinam eſſentiam debuit intuitiuè contemplari: ſicque verum fuit Dauidicum oraculum pſalm. 64. 4. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti*: quod ſecundùm Gloſſam Auguſtini in hunc locum, *tom.* 8. ad naturam humanam Chriſti refertur, quæ aſſumpta eſt à Verbo Dei in vnitatem perſonæ. Si enim Moyſi famulo domini, & Paulo electionis vaſi pretioſo, aliquando in hac vita conceſſum fuit diuinam eſſentiam intuitiuè videre, & patriæ felicitatem in via prægustare, vt ſentit D. Auguſtinus *lib. de videndo Deum, ad Paulinam*, & *lib.* 12. *ſuper Geneſ. ad litteram, cap.* 13. & 28. *tom.* 3. quem ſequutus eſt D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 3. *Congruenter vtique*, vt inquit Angelicus Doctor: *nam ſicut Moyſes fuit primus Doctor Iudæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium.* Maiori cum ratione, potiorique jure Moyſis, Paulique Magiſter, Iudæorumque, ac Gentium communis & vniuerſalis Redemptor Chriſtus Dominus, qui electos omnes per proprium ſanguinem, æternâ redemptione inuentâ, ad cœleſtem patriam introducet, diuinam eſſentiam debuit intueri; non quidem per tempus aliquod, & per modum tranſeuntis, ſicuti Moyſes, ac Paulus: ſed toto vitæ ſuæ à primo inſtanti decurſu, & per modum formæ immanentis, lumen gloriæ eius intellectum ad beatam viſionem illuſtrauit, ex quo non tantùm ſecundùm quid & ad breue tempus, ſed omninò & ſimpliciter beatus fuit.

Conueniens fuit Chriſtũ in vtero Virginis gloriâ beatorũ coronari.
D. Thom.

D. Auguſt.

Moyſes & Paulus in via diuinam viderunt eſſentiam.

Nec te moueat, optimè Lector, gloriam quæ ex hac viſione animæ Chriſti copioſè collata eſt, ſacrum ad eius corpus non redundare: ingenti enim prouidentiâ, vt ſuprà jam diximus, ad carnem non tranſiuit Saluatoris eius gloria animæ, vt in corpore paſſibili noſtræ redemptionis expleret myſteria, & noſtras in ſe ſuſcipiens curaret infirmitates, ac languores doloreſque noſtros in carne ferens, & proprio cruore dilueret, & juſtitiam Dei, ſanguinis ſui pretio mitigaret. Quamuis enim ſecundùm naturalem habitudinem, quæ eſt inter animam & corpus, ex gloria animæ redundet gloria ad corpus; attamen quia in Chriſto hæc naturalis habitudo ſubiacebat voluntati Diuinitatis ipſius, ex illa factum eſt, vt beatitudo remaneret in anima, & non deriuaretur ad corpus, ſed caro pateretur, vt docet D. Thom. 3. *p. quæſt.* 14. *art.* 1. *ad* 2. & ante ipſum D. Damaſcenus *lib.* 3. *fid. orth. capite* 15. vbi inquit, quod *diuinitas Chriſti permiſit carni agere, & pati quæ propria.* Vnde & potuit Redemptor ſanctiſſimus gloriam animæ in corpus etiam exteriùs tranſmittere; quod & ſapienter, dum in monte excelſo coram electis diſcipulis transfiguraretur, præſtitit. Tunc enim ad Chriſti corpus deriuata eſt claritas à Diuinitate & anima eius, non per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipſum corpus, vt contingit in corporibus glorioſis; ſed per modum paſſionis tranſeuntis, ſicut cùm aër illuminatur à Sole: licèt enim claritas corporis Chriſti fuerit claritas gloriæ; non tamen fuit claritas corporis glorioſi, quia corpus Chriſti nondum erat immortale, vt docet idem D. Thomas 3. *p. q.* 45. *art.* 2. ſed paſſioni proximè venturæ aptiſſimum, ac conſequenter paſſibile ac mortale: vt enim dum Saluator tranſfiguratus eſt, priſtinam formam & faciem non perdidit, nec corporis veritatem amiſit, nec corpus ſpirituale vel aëreum aſſumpſit, vt ex D. Hieronymo notat Angelicus Doctor *q. mox citata, art.* 1. *ad* 1. ſic a proprio corpore paſſibilitatem, & ad pro hominibus moriendum aptitudinem non abſtulit. Quod Euangeliſta deſcribens quomodo

89. Gloria animæ Chriſti ad eius corpus non redundauit, vt mori pro hominibus poſſet.

D. Damaſc.

In transfiguratione hæc gloria ad corpus Chriſti extenſa eſt.

D. Thom.

Tamen claritas corporis Chriſti tranſfigurati, non fuit corporis glorioſi, ſed gloriæ.

Digitized by Google

modo transfiguratus ſit, demonſtrat dicens Matth. 17. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Vbi ſplendor faciei oſtenditur, & candor deſcribitur veſtium: non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur.

A Patre & Matre coronatur Chriſtus miſericordiâ.

Terriò coronatus Chriſtus miſericordiâ.

A Patre.

90. Tertiam denique, quam ab vtroque parente, nempe ab æterno Patre ac Virgine intemerata in ſacratiſſimo eius vtero coronam recipit Rex noſter, charitatis ac miſericordiæ nominamus. Hanc in anima ſuſcepit & corpore, vt ab vtroque in homines bonitatis radios vibrans, omnium & mente, & carne Redemptor comprobaretur. Sanè charitatem ſummam, ac ingentem ipſi miſericordiam, ſplendidum veluti diadema contulit Pater, qui ſummo amore, infinitaque miſericordiâ Filium dilectiſſimum tradidit, vt per ipſum captiuos redimeret, & miſeros ſubleuando liberaret. Quod Ioan. 3. 16. teſtatur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, &c.* Quod cum ſtupore perpendens Gregorius Magnus, in ſolenni Cerei Paſchalis benedictione exclamat, æternum Patrẽ ſic alloquens: *O ineſtimabilis dilectio charitatis! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti.* Summo igitur Patris amore mundo, pro mundi gloria, conceſſus, ſummo etiam pro mundo amore flagrauit, ac ſeipſum pro omnibus mundi hominibus, immò & pro ſingulis mirâ charitatis laureâ decoratum tradidit, ſicut ſecretorum cœleſtium particeps Galatas docet Paulus, dum inquit Gal. 2. 20. *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Vt ſcilicet auerſum à ſe hominem amore ad ſe reuocans in ſuum etiam traduceret affectum. Illud enim eſt, quod hoc modo loquendi, *& tradidit ſemetipſum pro me*, voluit Apoſtolus. Quod eleganter expoſuit D. Bernardus, dum *tract. de diligendo Deo*, Chriſtum ad omnia, vt ab hominibus amaretur, traditum in humana natura cenſet. Sic enim habet: *Ipſe* (Chriſtus) *fecit, vel potiùs factus eſt, vt amaretur: ſe dedit in meritum, ſe ſeruat in præmium, ſe apponit in refectione animarum ſanctarum, ſe in redemptione diſtrahit captiuorum.*

Greg. Magn.

Summus Patris amor in Filij incarnatione.

D. Bernard.

Immenſus Chriſti in homines amor.

A matre etiã amore coronatur.

D. Chryſol.

91. Etiam à Genitrice ſanctiſſima Chriſtus amoris diademate coronatur: & qui à puriſſima Virgine puritatis ac integritatis liliis cinctus eſt, à dilectiſſima Sancti Spiritus ſponſa amoris flammâ præferuidâ, charitatis coronâ redimitur. Etenim Virgo Deipara, in admirabili conceptione Saluatoris non tantùm *Regina totius extitit caſtitatis*, vt loquitur D. Chryſologus *ſerm. de Annunc.* ſed etiam ſedes & officina ardentis fuit charitatis. Huius flammâ ſuauiter exarſit, ſuamque hoc igne diuino poſtquam mentem exornauit, etiam vterum Verbo Diuino incarnando præparauit. Non alia diſpoſitio immenſæ Matris Dei dignitati aptior fuit: quæ Deum ad homines traxit charitas, hæc Virginem Dei parentem effecit. Ipſi quippe reſpondenti Gabrieli ac roganti, quomodo tantum myſterium impleretur, vt *Luc.* 1. legitur, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco*, S. Idelphonſus *ſerm. de Aſſump. Virg.* dat reſponſum: *Ama, & peperiſti.* Ac ſi diceret, optimam ac vltimam, vt Maria Dei genitrix efficeretur, diſpoſitionem in ardenti Dei amore conſiſtere. Quod cum verbis Angeli ad eandem Virginem maximè quadrat: dum enim ille addidit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, Luc. 1. 35. ardentiſſimam Virginis charitatis flammam, Spiritûs Sancti, qui increatus, æternus, ac perſonalis Diuinæ Trinitatis amor eſt, præſentiâ & aduentu mirum in modum augeri ac perfici innuit, vt ipſa Filij Dei mater euaderet. Sic autem non ſolùm *virginitate placuit, & humilitate concepit* Virgo Maria, vt loquitur D. Bernardus; ſed charitate Deum genuit, peperit, natumque hominibus obtulit, ac conceſſit. Dum enim in ea Dei incarnatio operabatur, *eam Spiritus ſanctus totam igniuit, incendit, incanduit; in ea Spiritus ſancti flamma tantùm videbatur*, vt eleganter dixit S. Idelphonſus Tolet. Archiep. *ſerm. de Aſſumpt.*

Charitas Mariam facit Dei genitricem.

S. Idelph.

D. Bernard.

Vnde Chriſtus ſummo tum Patris æterni, tum etiam Virginis Immaculatæ amore conceptus, amore, pretioſo veluti diademate in materno vtero cinctus eſt. Hinc ab Apoſtolo *Coloſſ.* 1. paternæ dilectionis filius nominatur, dum inquit 92.
verſ. 13. *Tranſtulit nos in regnum Filij dilectionis ſuæ.* Quamvis enim ab æterno Verbum Dei ab eius intellectu procedens, ex omnium quæ neceſſariò ac formaliter in eo exiſtunt, cognitione intellectionis ſit terminus, tantumque cognitionis eius filius poſſit appellari, vtpote ante quamcumque volitionem, & amorem à Patre genitus: tamen ex quo ſummo totius Trinitatis amore in tempore ad humanam reſtaurandam naturam Verbum Dei in vtero Virginis factus eſt homo, *Filius dilectionis*, & amoris nominatur. Siquidem dum Verbum ſine carne eſt, vt imago perfectiſſima Dei maieſtatis æternam veritatem continet, & repræſentat: dum autem carnem induit, etiam bonitatem æternam, ac infinitum Dei amorem exhibet amoris filius ac dilectionis; immò amoris ac dilectionis Dei miraculum ac prodigium. Etenim ille *ignitus carbo* eſt, quem de altari tulit Seraphim, vt eo labia Iſaiæ tangeret, *vt auferretur eius iniquitas, & peccatum eius mundaretur.* Iſai. 6. 6. Quod docuit Concilium Epheſinum, vbi expreſsè habetur: *Carbonem illum Iſaiæ, figuram dicimus Verbi hominis facti.* Quo pacto Verbum quod ante ſecula mentis & intellectûs proles eſt, in fine ſeculorum carne indutum, cordis ac voluntatis fœtus exiſtit; ſicque non tantùm Verbum, ſed etiam bonum appellatur, pſalm. 44. 1. *Eructauit cor meum verbum bonum.*

Charitatẽ peperit, & filium natũ hominibus conceſſit.

Chriſtus Filius dilectionis Dei.

Chriſtus amoris Dei miraculum.

Carbo eſt quo Iſaiæ labia purgata ſunt.

Itaque paternæ, ac maternæ charitatis fœtus, ac fructus eſt Chriſtus ipſâ charitate veluti laureâ redimitus: immò in ipſam charitatem, ſi ita fari liceat, quodammodo tranſmutatus, ita vt non ſolùm Patris ſui, matriſque ſanctiſſimæ ac puriſſimæ amor ſit, ac deliciæ, ſed etiam cunctorum, pro quibus venit, hominum. Sic illum in hymno Aſcenſionis vocat Eccleſia; 93.

Ieſu noſtra redemptio,
Amor & deſiderium;
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.

Chriſtus omnium amor.

Quibus verbis Chriſtum, in quantum pro hominibus in fine temporum homo natus eſt, amorem ſuum profitetur Eccleſia, quia & Patris, & matris etiam amor eſt. Verùm ſi amor eſt, amore coronatur, illo nempe quo Pater, quo Mater, quo Angeli, homines, cæteræque illum proſequuntur creaturæ. Hinc Ioannes *Apoc.* 19. 12.

Multæ coronæ in Chriſti capite.

quamplurima in capite eius diademata conſpexit, vtique vt illum verum probaret amorem: nam ſicut refert Cornelius à Lapide *in c.1.ep.S.Iacobi*, amorem coronis aureis vndique cinctum veteres depinxere.

Ipſi à Matre miſericordia datur.

94. Splendorem amoris coronæ Chriſti auget in immenſum miſericordiæ à Genitrice in incarnatione ſibi facta collatio, pretioſiſſima veluti gemma hoc in diademate collocatæ. Virtutem omnem miſeriam ſubleuandi in ſinu Patris ab æterno poſſedit; ſed in ſe miſeriam, à qua ſubleuabat, ſuſcipiendi, facultatem à Virgine Deipara cum carne paſſibili mirâ pietate recepit.

D. Thom.

Duplex miſericordia, ſcil. ſecundũ effectum, & ſecundùm affectum.

Duplex ab Angelico Doctore 1. *p. q.*21. *art.* 3. ſtatuitur miſericordia, alia ſecundùm effectum, & nõ ſecundùm paſſionis affectum, quâ aliquis facultatem habet & virtutem ad repellendam quamcunque miſeriam ſeu defectũ alterius, & hæc Filio Dei, ſicut & cuique Diuinæ Perſonæ ab æterno competit; altera etiam ſecundùm paſſionis affectum, prout non ſolùm aliquis alterius miſeriam depellit, ſed etiam ipſe illâ afficitur, ac ſi eſſet propria eius miſeria; & hæc eſt propria, ac rigoroſa miſericordia, juxta huius nominis ſignificationẽ; ille enim eſt miſericors, qui habet miſerum cor, hoc eſt qui corde, & affectu alterius patitur miſeriam. Cùm ergo miſericordia hoc ſecundo modo conſiderata non competat Deo, qui de alterius miſeria non triſtatur, ſed ipſam repellit; dum humanam ex Maria Virgine aſſumpſit naturam, hominumque miſeriam (vno dempto peccato, ac ignorantiâ, quæ eius ſanctitati, ac potentiæ repugnant) etiam aſſumpſit miſericordiam.

Secundam à Matre habet Saluator.

Sicuti ergo in ſacratiſſimo almæ parentis ſuæ vtero homo eſſe incepit Dei Filius; ita etiam cœpit eſſe miſericors, eamque Deo propriam ſecundùm effectum, miſericordiam ex tunc ſecundùm affectum poſſidere.

95. Hoc ipſum gentium docuit Apoſtolus, dum *Hebr*.2.17. Verbi Dei ſummum in homines amorem deſcribens, inquit: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vt miſericors fieret:* ac ſi diceret, qui ab æterno maximam ab omni miſeria liberandi habebat facultatem, ſummamque ſecundùm effectum poſſidebat miſericordiam Dei Filius, vt noſtrarum miſeriarum haberet in ſe experimentum, ac ſecundùm affectum ergà nos miſericordiam oſtenderet; non ſplendidam, ac fulgentem Angelorum naturam, impaſſibilem, nullique infirmitati humanæ obnoxiam; ſed humanam, obſcuram, infirmam, ac debilem aſſumpſit, vt in ea languores noſtros ſentiret, ac noſtris obnoxius doloribus, etiam ſecundùm paſſionis affectum veram ac propriam miſericordiam omnibus exhiberet.

Non Angelicam, ſed humanam aſſumpſit naturam, vt miſericors fieret.

Sic enim inſigne Dauidis adimpletur oraculum *pſal.* 88. exaratum: *Quoniam miſericordia ædificabitur in cœlis.* Vbi Pſalmiſta non tantùm in cœlo, ſed etiam in cœlis miſericordiam ædificari pronuntiauit, vt oſtenderet in duobus cœlis miſericordiam Chriſti Saluatoris ædificatam, ac veluti formatam; nempe in ſinu Patris ab æterno, & tandem in vtero Matris in tempore, cœlorum nomine ob ſummam puritatem, ſplendorem, ac pulchritudinem inſignitis.

In duobus cœlis, ſc. ſinu Patris & ſinu Matris, Chriſti miſericordia ædificata.

Quippe à Patre ab æterno in ſplendoribus Sanctorum, ac Sanctuarij decoribus, ex vtero mentis ante Luciferum genitus, eandem Genitoris naturam, maieſtatem, virtutem, ac ſecundùm effectum accepit miſericordiam: ac deinde in puriſſimo Virginis intemeratæ vtero incarnatus, eandem ſanctiſſimæ Genitricis naturam, humilitatem, infirmitatem ſuſcipiens, ac pietatem, nouo ſplendore miſericordiam cumulans, eam etiam ſecundùm paſſionis affectum ſuſcepit; ac ex materno ſinu in cœlis myſticis, ipſis cœlis corporeis purioribus ac præſtantioribus, formatam ac ædificatam miſericordiam, omnique ex parte completam, pretioſum veluti diadema geſtauit. Vnde vtramque in eo idem Propheta demiratus eſt miſericordiam, pſal. 85. 15. *Tu Domine Deus miſerator*, inquit, *& miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ.* Etenim in forma Dei, ac in micantiſſimo Diuinæ Maieſtatis ſplendore *miſerator eſt ac miſericors*, ſecundùm effectum miſericordiâ refulgens: verùm in natura aſſumpta infirmitatibus ac doloribus onuſtus, opprobriiſque ſaturandus, etiam ſecundùm affectum miſericors, patientiâ ipſam auxit miſericordiam, auctamque illuſtrauit; quod ipſe expreſſit Pſalmiſta dicens, *patiens & multæ miſericordiæ.*

Patientia prima paſſio Chriſti, eius auxit miſericordiam.

96. In hanc ſententiam Chriſtum à Deipara pietatis diademate cinctum D. Ambroſius *lib. de virg. inſtitut. cap.* 16. dixit: *Beatus eſt Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit quando formauit; nam hoc ipſo, quod ad omnium ſalutem eum concepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis impoſuit.*

D. Ambroſ.

Maria Chriſti capiti pietatis coronã impoſuit.

Vbi ſanctus Doctor, pietatis nomine bonitatem intelligens, coronâ capiti eius impoſitâ, miſericordiam ſecundùm affectum, & compatiendi facultatem, quam à matre Saluator accepit, ſine dubio deſignauit. Huc reſpexiſſe videtur amantiſſimus Dominus, dum ore ſponſi parentem optimam in ſponſa alloquutus, dixit Cant. 4. 9. *Vulneraſti cor meum*, ſeu vt legit D. Gregorius Nyſſenus, *Cor dediſti mihi.*

D. Greg. Nyſ.

Dum enim ab illa cor omnibus miſeriis obnoxium humanis recepit, vulneratum miſericordiâ, ac compaſſione ſaucium habuit; non enim compati in aſſumpta nobis potuit natura, niſi vulneraretur, quia vt inquit D. Auguſt. lib 9. de ciuit. Dei, cap. 5. *miſericordia eſt aliena miſeriæ in noſtro corde compaſſio.*

D. Auguſt.

Cor autem quod compatitur, verè patitur, ac vulneratur. Quare idem Redemptor noſter ſanctiſſimi Iob ſermone ſe ex Virginis vtero miſerum ac miſericordẽm declarauit: *Ab infantia*, inquit Iob 31. *creuit mecum miſericordia*; ſeu vt alij legunt, *creuit mecum miſeria*, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.

Chriſtus ab vtero Matris creuit in miſericordia.

Non enim miſericors ſecundùm affectum fuiſſet, niſi miſeriam accepiſſet, vt miſerum cor poſſideret. Vnde Apoſtolus *Hebr.* 4. inquit: *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret.*

97. Coronatur igitur à caſtiſſima, ac intemerata Genitrice in die deſponſationis ſeu incarnationis illius, ſplendidiſſimo miſericordiæ diademate, ac ſic Deo, Angelis, & hominibus tantâ exornatum coronâ ſpectabilem facit: hinc Maria ab Eccleſia *Mater miſericordiæ* vocitatur, quia Filium de puriſſimis viſceribus effudit, omni ex capite miſericordem, ipſamque cum eo hominibus peperit miſericordiam.

Cur Maria mater miſericordiæ dicatur.

Quod præuidens Pſalmiſta, Deum ſuam appellauit miſericordiam. *Deus meus*, inquit pſal. 58. 18. *miſericordia mea.* Vnde eloquentiſſimus Archiepiſcopus Rauennas D. Petrus Chryſologus ſerm. 5. *In vtero Mariæ*, inquit, *humanitati commixta eſt Deitas, Deitati conſociata pietas*; hoc eſt, ſicuti in ſinu Virginis naturæ humanæ Diuinitas in Verbi perſona vnita eſt; ita & Diuinitati pietas, ſeu miſeriarum noſtrarum compaſſio,

D. Chryſol.

compaſſio, ac ſecundùm affectum miſericordia ſociata, ſeu coniuncta perhibetur: quod etiam miro loquendi modo expreſſit Richardus à Sancto Victore *p.2. in Cant. cap.* 23. dum Mariam ſic alloquitur: *In te, Virgo, concreuit lac miſericordiæ.*

In Maria creuit lac miſericordiæ.

Vt oſtenderet, non ſolùm ex materno Virginis vtero Chriſtum compatientem miſericordiam accepiſſe, ſed etiam in illa profeciſſe, ſubuenientibus Genitricis vberibus; quod enim ex eis lac ſugebat, totum vt in miſeros pietatem exerceret peccatores ordinabat; omneſque quas creſcendo vires acquirebat, cibum in lacte virgineo, optimâ ſubminiſtrante parente accipiendo, vt homines liberaret, & redimeret, præparabat: ſicque & ab vtero, & ab vberibus ſanctiſſimæ Virginis ſummam Chriſtus ſuſcepit miſericordiam.

S. Hieron.

Vnde maximus doctorum S. Hieronymus ep. 10. ad Paul. *Duas*, inquit, *natiuitates in Chriſto confitemur; vnam de Patre ſine tempore ſempiternam; alteram de Matre cum tempore, quando miſerationem induens, & miſericordiam, ad nos deſcendit.*

Chriſtus de Virgine naſcens induit miſericordiam.

Vbi Dei Filium à Maria Virgine non ſolùm naturâ indutum humanâ, ſed etiam miſericordiâ, & miſeratione veſtitum dicit, vt innuat, illam tanquam regalem purpuram, magnificamque ac pretioſam coronam à Genitrice Chriſtum accepiſſe. Hinc Rex Chriſtus à Zacharia Saluator promittitur cap. 9. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi Saluator*, ſeu vt legit D. Matthæus 21. 6. *manſuetus*, ideſt mitis ac miſericors. Quod vtrique à Virgine genitrice obtinet; qui enim, vt loquitur Hugo à Sancto Victore lib. 1. miſcellan. tit. 85. *in cœlo ex Patre ſine Matre, in terra ex Matre ſine Patre, cum Patre immenſus, cum Matre manſuetus eſt*: ac ab vtroque coronatus, à Patre gloriâ fulget, à Matre miſericordiæ diademate redimitur.

Hugo Vict.

Sectio III.

Chriſtus pendens ac moriens in cruce, verus hominum Rex exhibetur.

98. Regem noſtrum hactenus vel in ſinu Patris ab æterno glorioſum, vel in matris vtero in tempore coronatum ſomus demirati: nobis nunc cruentas inter carnificum manus, ac rigida crucis brachia exaltatus, immò & magnificatus affulget. Sanè patiens ac moriens, & vſque ad ignominiam crucis humiliatus, nouo gloriæ ſplendore veſtitur, nouaque maieſtate donatur. Novus ergo Rex, qui dum patitur, vincit; dum ligatur, abſoluit; dum moritur, ſuperat, ac ſua morte triumphat.

Chriſtus in cruce triumphat.

99. Aliis opprobrium crucis tormentum protulit; nam vt Apoſtolus *Gal.* 3. loquitur: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Vnde ignominioſum hoc genus mortis cordati ſemper deteſtati ſunt homines, non ſolùm apud Hebræos, verùm etiam apud Gentiles. Hinc vt refert Suetonius *in Galba*, cuidam qui vt crucem declinaret, leges implorabat, ac ſe ciuem Romanum proclamabat, *multò celſiorem, & dealbatam*, in maiorem contumeliam juſſit Imperator erigi. Sed Chriſto Domino non modicam gloriam acquiſiuit: quapropter crucem ſuam, exaltationem appellauit, & gloriam, ſeu magnificentiam, ac triumphum. *Oportet*, inquit Ioan. 3. 14. *exaltari Filium hominis.* Et Ioan. 12. 32. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Vbi S. Leo Papa *ſerm.* 8. *de paſſione*, Regiam Chriſti in cruce Maieſtatem eleganti ſtylo ſic celebrat. *O admirabilis*, inquit, *potentia crucis! ô ineffabilis gloria paſſionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim, Domine, omnia ad te, cùm confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti, Domine, omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici ſceleris, vnam protulerunt omnia elementa ſententiam, cùm obſcuratis luminaribus cœli, terra quoque motibus quateretur inſolitis, vniuerſaque creatura impiorum ſe vſui denegaret*, & cætera quæ proſequitur, vt regiam ac ſummam in Chriſto crucifixo potentiam & authoritatem demonſtret. Crux ergo in qua Chriſtus velut Rex in throno ſublimatus eſt, illius exaltatio fuit & gloria. Hinc exceſſum illum, ſeu Chriſti paſſionem, de qua in monte Thabor transfiguratus Saluator cum Moyſe & Helia ſermonem texuit, gloriam appellauit D. Ioan. Chryſoſtomus. Vbi enim nos *Luc.* 9. 31. habemus, *dicebant exceſſum eius*, legit ille, *loquebantur de gloria.* Vnde idem ſanctus Doctor *tom. 5. hom. 5. de patientia Iob*, pro eo quod nos habemus Ioan. 17. 5. *Clarifica me pater*, ipſe legit, *glorifica me pater*; ſtatimque illud exponens, inquit: *Quid dicis? Ad crucem duceris cum latronibus maledictam ſufferre mortem, conſpuendus, cædendus colaphis; & hæc gloriam appellas? Ita*, inquit, *pro dilectis ipſe patior, meritoque hæc eadem gloriam exiſtimo.*

Ignominioſum crucis ſupplicium.

Recuſanti excelſior crux paratur.

Chriſto crux glorioſa.

S. Leo Pap.

D. Chryſoſt.

Pro hominibus pati, gloria eſt Chriſti.

Crux igitur, quæ cæteros depreſſit homines, Chriſtum dum tetigit, exaltauit ac glorificauit: immò ab ipſo viciſſim exaltata eſt ac glorificata; ornata enim Regis noſtri purpurâ, fulgida euaſit ac decora: & quæ aliàs timori ac horrori extitit, honori poſt contactum corporis Redemptoris fuit & amori. Illam ſpecioſam, decoram ac pretioſam agnouit Andreas Apoſtolus; agnitam dilexit, dilectam concupiuit, poſſedit, ac in eius brachiis *ſecurus, gaudens, & exultans* ad Chriſtum migrauit crucifixum. Sed omnem crucis pulchritudinem, quæ ardentiſſimum in eius corde excitauit amorem, à Chriſto deriuatam confeſſus eſt, dum exclamauit: *O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti.* Et turſus: *Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata.* Itaque regio ſplendore in cruce dum refulſit Saluator, illam formoſam, ac fulgidam præſtitit, ac ſuum regale ſolium effecit, vt omnibus hominibus dum crucifixus appareret, omnium liberator, Dominus, ac Rex agnoſceretur, ipſique ab omnibus acclamaretur, *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia.* Sap. 14. 7. 100.

Crux Chriſtum exaltauit, & ab ipſo eſt exaltata.

Pulchram ex membris Chriſti crucem Andreas appellauit.

Hinc eſt, quod ex regia affectata dignitate ſe permiſit accuſari; ac ex falſa accuſatione, & iniqua condemnatione, dum cruci addicitur, in ea non niſi vt Rex ſublimatur. Quod palam declarauit præfixus à Iudice cruci titulus, qui referente Matthæo 27. 38. mortis eius cauſam continebat: *Et impoſuerunt*, inquit Matthæus, *ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.* Etenim niſi Iudæorum, immò & gentium ſupremus Rex fuiſſet, eorumque à peccato ac diabolo veram libertatem ſuo ſanguine aſſeruiſſet, cruci nuſquam fixus fuiſſet. A ſuo igitur erga homines amore ad mortem dum impellitur, ab ipſa regia maieſtate ligno configitur. Sola itaque quæ ipſum in crucem ſuſtulit cauſa, Regis dignitas eſt. Hæc totius mortis eius 101.

A Regia maieſtate cruci Chriſtus configitur.

ſumma. Ac ſi ibidem diceretur, non à febri, non à ſenio, non ab hominum odio, non à criminis pœna, ſed à regiâ dignitate mortis ictum accipit, vt Principis munus & partes omninò impleat. Cùm enim, vt inquit Ariſtoteles, *eò Rex abeat à tyranno, quòd hic ſuam, ille ſuorum quærit felicitatem*; dolores, vulnera, crucem, mortem denique pro hominum ſalute ſubit, vt ſe eorum Regem ac liberatorem moriendo probaret.

Ariſtot.

101. Ea propter non ſervus, ſed dominus tota in paſſione refulſit, miráque animi conſtantiâ ac fortitudine patiens, tormenta deſpexit, tortores vicit, ipſoſque pœnarum arbitros inuictâ maieſtate contempſit. Pauca Pilato reddidit verba; omnia Herodi negauit, & ſermone ac ſilentio, vtriuſque ſe ſuperiorem exhibuit ac magiſtrum. Vbique Rex, vbique liber, etiam in vinculis, etiam in pœnis vincula nobilitans, & pœnas illuſtrans. Poſtquam autem roganti Pilato de regia dignitate, reſpondiſſet Dominus, *Tu dicis*, inualeſcentibus contra eum Principum, Sacerdotum & ſeniorum accuſationibus, penitus illis non reſpondit ad vllum verbum, *ita vt miraretur Præſes vehementer*, Matth. 27. 15. Verùm regale hoc ſilentium dixerim; ideo enim tacet, vt ſilentio ſe verum Regem ac Redemptorem demonſtret, accuſationes non refellens, ſed contemnens; mortem non timens, ſed deſpiciens, vt hoſtes qui ſibi necem præparant, non damnet confutando, ſed ſaluet & liberet patiendo. Quod aduertiſſe videtur D. Ambroſius lib. 10. in Lucam, cap. 23. *Accuſatur*, inquit, *Dominus, & tacet: & bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo. Quid enim timeret qui non ambiret ſalutem? Salus omnium ſuam prodit, vt acquireret omnium. Sed quid de Deo loquor? Suſanna tacuit & vicit; melior enim cauſa, quæ non defenditur, & probatur. Et hic pilatus abſoluit, ſed abſoluit judicio, crucifixit myſterio.* Et poſt pauca ſubdit: *Illud tamen præſtantiſſimum, quod maluit ſe Regem probare, quam dicere, vt condemnandi cauſam habere non poſſent, qui quod objiciunt, hoc fatentur.* Vbi pulchro elegantique ſermone S. Doctor oſtendit, Chriſtum patientiâ ac ſilentio ſe verum Regem exhibuiſſe: ac non vt reum, ſed vt Regem, crucis ſubiiſſe tormentum.

In paſſione ſe Dominum probat.

Sermone & ſilentio.

D. Ambroſ.

Chriſtum Pilatus abſoluit judicio, crucifixit myſterio.

102. Nec inferior coram Herode ſterit, qui ſibi ſemper fuit æqualis; & quamvis ab eo multis interrogatus ſermonibus, ipſum tamen integro ſilentio ſuperauit. Sanè impurum Regem non debuit alloqui Rex puriſſimus, qui virgo virginis filius eſt, ac virginum ſponſus: nec illi potuit Chriſtus vllum reddere verbum, *à quo fuerat ſuâ voce priuatus*. Ioannem enim, qui Saluatoris præcurſor & vox ipſum præibat, ac loquebatur, mulierculæ Herodes tradidit decollatum. Roget ergo Galilææ Rex Dominum, ac ipſum prouocet ad loquendum: ſemper tacebit rogatus, nec vllo aut verbo, aut ſigno, curioſo ſcrutatori donabit reſponſum. Multos ſermones congerentem vnico ſilentio ſuperat, nec verbo aut ſigno debuit vti, vt vinceret quem ſolâ patientiâ ac maieſtate proſtrauit. Si enim Chriſtus *calumniis oppetitus ſilentium detulit triumphale*, vt loquitur D. Ambroſius *ſerm. 17. in pſal.* 118. omnes in ſe vibratas accuſationes veluti jacula adamantina conſtantiâ retundens, Herodem multiplici inueſtigatione appetentem regali taciturnitate deuicit.

Cur Chriſtus Herodi non reſpondit.

D. Ambroſ.

Herodis interrogationes.

At non ſolùm Herodis verba, quibus ad oracula promenda, vel ad patranda miracula inducebatur, contempſit Dominus: etiam eius fregit adulationes, reſpuitque promiſſa. Quæ licèt in ſacris Euangelij codicibus exarata non referantur, ea tamen tanquam vera D. Anſelmo retulit ſanctiſſima Chriſti Parens, vt videre eſt tomo 3. operum D. Anſelmi, in Dialogo de paſſione, vbi Beatiſſima virgo, & ipſe D. Anſelmus in mentis exceſſu conſtitutus, inter ſe familiariter colloquuntur. Dum autem agit Mater de Filio ad Herodem adducto: *Poſuit*, inquit, *Herodes coronam ſuper caput eius, promittens quod ſi faceret ei ſignum, ipſum regni ſui participem faceret, & pariter cohæredem. Iſtâ coronâ Romani coronantur Imperatores: Ieſus autem non reſpondit ei.* Hæc Deipara apud Anſelmum. Vbi ſanè ſilentio de Herode triumphat Redemptor, ipſamque oblatam, immò & capiti impoſitam coronam reſpuit & contempſit; non enim à ſceleſtiſſimo Principe habere voluit diadema, ab æterno Patre gloria & honore coronatus; regnumque temporale deſpexit, qui æternum poſſidebat. Vnde ab Herode ſpretus, & veſte albâ in contumeliam indutus, ad Pilatum iterum miſſus eſt. Verùm contemptu hoc exaltatur, ac veſte albâ induitur, vt immaculatæ tribuat indicia paſſionis, & quod *agnus ſine macula cum gloria mundi peccata ſuſcepit*, vt loquitur D. Ambroſius *lib. 10. in Lucam, cap. 23.* 103.

Immò & adulationes contempſit Chriſtus.

D. Anſelm.

D. Ambroſ.

Dum ergo Herodes tacentem ſpernit Chriſtum, eumque candidâ veſte nititur obnubilare, non dejicit, ſed extollit; & inuitus glorificat, quem totis viribus conatur inhonorare. Ipſum enim fulgenti, ac ſplendida veſte, non ſolùm victorem, ac Regem, ſed etiam Deum neſciens profitetur. Album enim veſtimentum, quod propter ſplendorem coloris cæteris antefertur, victores olim, ac triumphatores exornabat. Sic Africanus Scipio veſte candidâ vſus eſt, eamque triumphanti Vitellio detulerunt plebis tribuni, ac exercitus Imperatores, vt refert Tacitus *lib.* 8. Immò & Reges candidâ veſte æquè ac purpurâ vtebantur. Hinc apud Romanos candida erat veſtis ambientium Magiſtratus, qui inde *Candidati* dicebantur. Quod etiam apud Hebræos magno in pretio fuit, nam ipſorum Reges albâ veſte induebantur: nec Salomon omnium Regum Iudæorum magnificentiſſimus, alio quàm veſtimento candido indutus, in templum à ſe conſtructum veniebat, ſicut & ipſe Rex Archelaus, teſte Ioſepho *lib. 2. de bello Iudaico.* Inſuper colores albi maximè decent Deos, vt ait Plato *lib. 11. de legibus*, ipſeque Deus *Candidus* ab antiquis appellatur. Vnde Virgilius *ecloga* 5. ait: 104.

Candida veſtis maieſtatem, & non vulgarem dignitatem indicat.

Tacit.

Ioſeph.

Virg.

Candidus inſuetum miratur lumen Olympi.

Vbi eius Interpres Seruius inquit: *Candidus, ideſt Deus, vt contrà mortuos nigros dicimus.* Et Cicero *lib. 2. de legibus*, ait quod *color albus præcipuè decorus eſt Deo.* Ideo & candidæ in ſacris olim erant, & nunc adhuc ſunt, etiam apud ſacros Myſtas Chriſtianorum veſtes. Cùm enim color albus ſplendeat, fulgeat, ac rutilet, lætus eſt ac feſtivus, ac felicitatis, & triumphi, immò & puritatis ſymbolum. Vnde & Poëtæ fingunt Iouis currum trahi *ab equis candidis*, teſte Suetonio in vita Auguſti *cap.* 9. Ex quibus omnibus liquet,

Veſte alba induẽs Chriſtum Herodes, ipſum Regem, victorem, Pontificem, & Deum declarauit.

Suet.

Herodem

Herodem candidâ veſte, quam Chriſto donauit, eius victoriam, regiam maieſtatem, immò & Deitatem, inſcium declaraſſe. Sic enim diuina diſpoſuit prouidentia, vt triumphali Chriſti victus ſilentio, primùm eius capiti, tanquam victori, proprium offerret, ac imponeret diadema; ac deinde fulgenti ac candidâ togâ veſtiens, eum triumphatorem, Regem, ac Deum hoc indumento declararet.

A militibus Chriſtus patiens Rex appellatur.

105. Vt autem omni ex capite regia in Chriſto patiente dignitas eluceſcat, non ſolùm à Romano Iudice, impiis Iudæis ſuggerentibus, verùm etiam à militibus Rex dicitur, veſtitur purpurâ, ac ſpineo diademate coronatur. Non vana ſunt hæc, ſed vera; & Chriſto opprobrium non conferunt, ſed maximum habent myſterium. Hæc etenim facienda erant, vt Regia in eo Maieſtas omni regali compleretur ſymbolo, ac indumento. Illum coronâ aoreâ Herodes, ac veſte candidâ exornauit, vt ſuperiùs diximus; & vt nullum regale deeſſet ornamentum, à militibus purpurâ induitur, ac ſpineo ſerto redimitur. *Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpureâ circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant, Aue Rex Iudaorum.* Ioan. 19. 2. & 3. En ſolennem Regis inaugurationem: nam vt inquit D. Cyrill. Hieroſol. catech. 13. *Milites coronam impoſuerunt capiti eius. Quid enim refert etiamſi ſpineam? Omnis Rex à militibus appellatur: oportebat & Ieſum à militibus typicè crucifigi.* Dum ergo Regem Chriſtum vocant milites, dum eum purpurâ induunt, ac genu flexo ante eum, de regia ipſi dignitate gratulantur, ſolenni pompâ eum Principem conſtituunt; ac Regem, licèt compungentes, coronant, & quamvis illudentes, adorant.

D. Cyril. Hier.

D. Ambroſ.

Ab eiſdem ſalutatur vt Rex, coronatur vt victor, adoratur vt Deus.

D. Athanaſ.

Vnde Ambroſius loco jam allato inquit: *Licèt illis defuit boni operis affectus, Deo tamen ſuus non defuit honor*, qui ſalutatur vt Rex, coronatur vt victor, quaſi Deus & Dominus adoratur. Quod acerrimum Deitatis Chriſti defenſorem Athanaſium *tom. 3. ſerm. de paſſione & cruce Domini*, è *veteri verſione*, induxit in hæc verba: *Miraculum nouum & incredibile; magnaque victoria reuerà documentum. Quem enim vt hominem condemnarant, hunc morientem deinceps, vt Deum adorabant; & quem pro nihilo duxerunt ceu vilem, hunc confitebantur Regem; & à quo vulgaria veſtimenta abſtulerant, huic purpuram imponêbant; & quem illuſerant verberantes, huic victoria præmia tribuerunt, coccineam chlamydem, & ſpinis contextam coronam cum arundine. Quamquam enim per contumeliam iſta faciebant, tamen ignorabant quod etiam nolentes ſpoliabantur ab eo.* Hæc ille, vbi Regiam Maieſtatem, victoriam, ac Deitatem Chriſti inter militum illuſiones detegit; ipſoſque milites, ac percuſſores ab ipſo victos, ac ſpoliatos aduertit, in perpetuum triumphi patientis Domini monumentum.

Cartag.

Egregium coronæ Chriſti ſymbolum.

106. Neſcio an huc referam, quod Ariſteas author vetuſtiſſimus retulit, ſicuti teſtantur grauiſſimi Doctores, Ioan. à Cartagena *libro 10. de paſſionis Chriſti arcano, homil.* 14. & Didacus Murillo in ſermonibus quadrageſimalibus, *ſerm. de corona Domini*; nempe annulum Salomonis, in quo corona ſpinea aureæ intertexta videbatur, triumphum Chriſti ſentibus redimiti præſignantem. Sanè rem non omninò indubitatam ſcribo, ſed Chriſti maieſtati ac triumpho admodum conſonam. Illius ergo certitudinis fides ſit apud authorem, dum eius myſticam rei præſenti aptabimus ſignificationem. Scribit ergo Ariſteas, Salomoni quemdam fuiſſe annulum, in cuius pala corona aurea, & altera ſpinea ſimul intertextæ videbantur, cum lemmate, VICTORIA AMORIS: deinde per totum annulum ſex, æque ſculpæ literæ videbantur, ſcilicet A, C, F, R, I, C: at à nemine legebantur, donec Rex Pacificus Reginæ Saba aduenienti ænigma explicuit, ac diſſoluit. Eſt autem huiuſmodi expoſitio. Tria hoc in annulo perpendenda ſunt, aurea corona, deinde ſpinea, tum denique vtriuſque connexio. Si coronam auream ſpectes, ſex literas ſic lege, *Aureâ coronâ fortiſſimus regnat in cœlis.* Si ſpineam aſpicias, in ordine ad illam ſex literas ſic pronuntia, *Aſperâ coronâ filius redimitus inferiora calcabit.* At ſi ſpineam cum aurea connexam conſideres, in illis literis inuenies, *Amoris cognita fortitudo regalia inſignia copulabit.* Ex quo tertio modo legendi rectè inſcribitur *Victoria amoris.* Triumphat enim amor ex ſerti ſpinei ad aureum mira coniunctione. Duo autem hæc diademata, vel ſeorſim, vel ſimul ſpectata, Redemptori noſtro haud dubiè competunt, eiuſque hoc ſymbolo æterna in ſplendoribus Sanctuarij, ac temporanea in paſſionis opprobriis maieſtas declaratur.

Ariſteas.

Annulus Salomonis.

107. Quis enim alius ille eſt, qui vt ſex illæ literæ aureo diademati collatæ ſonant, aureâ coronâ fortiſſimus regnat in cœlis, niſi vnigenitus ſempiterni Patris Filius, in omnibus genitori coæqualis, qui eodem quo Pater, regiæ dignitatis fulgore reſplendens, aureâ in cœlis coronâ exornatur: at fortiſſimus cum eo regnat, cuius mirâ fortitudine vniuerſæ conditæ ſunt creaturæ. Quod D. Auguſtinus *tract. 15. in Ioan.* eleganti ſtylo proſequitur, dum inquit: *Vis videre quàm iſte Filius Dei fortis ſit? Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & ſine labore facta ſunt. Quid ergo illo fortius, per quem ſine labore facta ſunt omnia?* Hæc ille. Sed hanc vel auream coronam, vel inſuperabilem fortitudinem in humanitate quam aſſumpſit in tempore, non amiſit, immò quæ in Diuinitate collucebat maieſtas, humanitati quodammodo coëxtenſa eſt. Hinc Ioannes Filium hominis aureâ redimitum coronâ nubi inſidentem candidæ aſpexit *Apoc.* 14. 14. vbi ſic ſcripſit: *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem, ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Ergo de Chriſto Domino myſticis illis literis loquebatur Rex Pacificus legens, *Aureâ coronâ fortiſſimus regnat in cœlis.*

Chriſtus in ſinu Patris fortiſſimus coronatus regnat.

D. Auguſt.

108. Ipſum etiam pro nobis patientem ac ſpinis acutiſſimis militari furore veluti diademate coronatum ſignificauit, dum eaſdem literas ſpineo ſerto collatas ſic legit: *Aſperâ coronâ filius redimitus inferiora calcabit.* Ille enim ipſe eſt, qui ludibriis dehoneſtatus, vexatus iniuriis, flagellis cæſus, irriſoriâ indutus purpurâ, ac ſpinis coronatus cunctos terræ vicit Reges, tyrannos ſubegit, omniaque inferiora conculcans, Principum mundi diademata proſtrauit. Vnde & ipſe diſcipulos alloquens dicebat Ioan. 16. 33. *Confidite, ego vici mundum.*

Coronâ ſpineâ redimitus omnia vincit.

109. Tertius denique legendi modus, qui ſequentes reddit voces, nempe *Amoris cognita fortitudo regalia inſignia copulabit*, quid aliud ſonat, niſi ſummum quo Filius Dei homines proſequutus

eſt

eſt amorem; qui diſſimilia copulans ac diſtantia jungens, Deum cum homine, gloriam cum opprobriis, auream coronam cum Spineo diademate, tanquam regalia veri Principis pacis inſignia in Christo patiente connectit. Sic enim vicit amor ac ſuperauit, recteque mira illorum connexio diadematum auro vel ſpinis conſtantium, lemmate *Victoria amoris*, inſcribitur & decoratur. Ex quibus Chriſtum Dominum opprobriis ſaturatum, ac pungentibus confoſſum ſentibus, Regem mundi, victorem, dæmonum domitorem, mortiſque deſtructorem, Salomonem cognouiſſe, ac ænigmaticè in præfato anulo exaraſſe liquidò conſtat.

Amor ſpineam coronæ gloriæ annectit.

110. Verùm toto paſſionis tempore integram ſibi Saluator ſeruauit maieſtatem, nec purpuram exuens, exuit Regem: nam depoſitâ chlamyde coccineâ, Rex remanſit, *crucemque tanquam currum ſuum triumphator aſcendit*, vt D. Ambroſius ait *lib.* 10. *in Luc. cap.* 23. Etenim veſtimenta depoſuit, nuduſque crucem aſcendit, vt ſeculum vincere parans, ſeculi adiumenta neſciret; & patibulo triumphali captiua de ſeculo ſpolia ſuſpendens, ſolus trophæa erigeret, ſoluſque de parta victoria triumpho potiretur. Ea propter cruci affixus, in ſolio regali poſitus emicuit; & licèt opprobriis, iniuriis, ludibriiſque dehoneſtatus, & flagellis cæſus, clauis confoſſus, cruci affixus, ſuoque conſperſus cruore, tanquam leproſus humanis obtutibus viſus ſit, formoſum tamen Regem fidelibus mentibus appoſitus cruci titulus renuntiauit: ipſum enim Saluatorem perditorum, inter ſpinas floridum, ac per vulnera decorum, in ſuppliciis Monarcham, & omnium Deo confitentium Principem declarant magnifica tituli verba, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Horum ſplendore percuſſa Iudicem vt tolleret, vel mutaret, Iudaica perfidia obſecrauit. Sed firmus in decreto ſtetit Pilatus, & quem Regem ſcripſerat, Regis titulo morientem voluit exornari. Sic etenim ſuperna diſponebat prouidentia, vt ſuppliciorum ac mortis obſcuritates, Regiæ Maieſtatis in crucis titulo, fulgore ſoluerentur.

In paſſione regiâ effulſit maieſtate.
D. Ambroſ.
Titulus crucis Chriſtum Regem indicat.

111. Inuidos ergo, impioſque torquet Iudæos regalis inſcriptio, & illam è cruce euellere non valentes, Dominum vt crucem deſerat, adhortantur. *Si Rex Iſrael eſt*, inquiunt Matth. 27. 24. *deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Cæca prorſus & ignara petitio. Siccine vobis voſmetipſos opponitis, ô Iudæi? Iam Chriſto crucem poſtulaſtis, & nunc ipſum à cruce tollere ſtudetis: Crucem ipſi ac mortem petiiſtis, dum à Pilato *Rex veſter* appellatus eſt, *Ioan.* 19. 14. ac tumultuosè clamaſtis, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, ibidem 16. Nunc autem vt ipſi è cruce deſcenſum ſuadeatis, ipſum Iſraël Regem dicitis; ac vt talem vos ſuſcepturos, ac in ipſum credituros, ſi crucem relinquat, vltrò pollicemini. Sanè neſcitis quid petatis: ipſum de regali affectata potentia falsò accuſari curauiſtis; ipſe autem vt veram ac regiam, non huius mundi, ſed ſupra mundum potentiam exerceret, ſe in crucem tolli permiſit, vt ibi verus hominum Rex comprobaretur. Ergo in ſolio maneat Princeps, in cruce remaneat Chriſtus, vt in throno ſedeat, vt coronatus genus humanum redimat, vt crucis titulo verus Rex prædicetur. Vnde D. Bernard. *ſerm.* 1. *in die S. Paſcha*, Iudæos ſic ridet: *Quid*, inquit, *conſequentia videtur habere, vt deſcendat de cruce, ſi Rex Iſraël eſt, & non magis aſcendat? Sic tibi, Iudæe, excidit quod audiſti, quia Dominus regnauit à ligno, vt Regem abneget, quia manet in ligno? Sed forſitan nec audiſti, quia non Iudæis, ſed nationibus hæc annuntiatio debebatur. Dicite*, inquit Pſalmiſta pſal. 95. 10. *in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. Meritò proinde titulum Regis Præſes Gentilis inſcripſit ligno, nec potuit Iudæus, vt voluit, corrumpere tituli inſcriptionem. Deſcendat, inquiunt, ſi Rex Iſraël eſt. Imò verò, quia Rex Iſrael eſt, titulum regni non deſerat, virgam Imperij non deponat, cuius Imperium ſuper humerum eius. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit; Chriſtus non perficiet quod incœpit?* Hæc Bernardus eleganter, vbi ad noſtrum inſtitutum Chriſtum Dominum ſuppliciis ac vulneribus cumulatum, ingenti cum maieſtate in crucis ſolio regnare demonſtrat.

D. Bernard.
De cruce noluit Chriſtus deſcendere, vt in ſolio regali maneret, & ne regni titulum ac ſceptrum desereret.

112. Quod etiam aduertit Tertullianus *lib. contra Iudæos, cap.* 11. vbi Saluatorem nouæ gloriæ Regem dicit, quia nouo modo à cruce, quam velut Principatum in humero geſtauit, extraxit maieſtatem. *Quis*, inquit, *omninò Regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus nouus Rex ſeculorum Chriſtus Ieſus, noua gloria & poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humero extulit, crucem ſcilicet ſuam, vt ſecundùm prophetiam Dominus regnaret à ligno.* Hæc ille. Nec mirum, quod crucem, *Chriſti ſublimitatem*, ſeu *maieſtatem*, ac poteſtatem appellet Tertullianus; cùm ea vſus ſit ad hoſtes debellandos, dæmones profligandos, mortem deſtruendam, & ad ipſum mundum vincendum: claui enim quibus cruci affixus eſt, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum, & vt dixit Auguſtinus in pſal. 54. *Domuit orbem, non ferro, ſed ligno.*

Tertull.
Chriſtus in cruce nouæ gloriæ Rex.
Crux ſublimitas & maieſtas Chriſti.

113. Hinc eſt, quod poſt paſſionem, rediuiuus in corpore glorioſo veſtigia ſeruauit vulnerum, tanquam titulos gloriarum; & *vt in perenne victoriæ ſuæ circumferret triumphum*, vt loquitur Beda Venerabilis *cap.* 97. *in Luc.* Nam in cruce adeo exaltatus eſt, vt omnia ſibi tunc ſubiecerit, dum ipſe paſſioni ac morti ſubditus apparuit. Eius ſiquidem infirmitas ſumma fuit fortitudo. Quando enim crucis cornua ſacratiſſimæ illius manus tetigerunt, ſummum quod latebat robur eluxit. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Abacuch 3. 4. Vnde D. Chryſoſt. *hom. de cruce & latrone*, Dominum alloquitur crucifixum, dicens: *Crucifixus es, clauis retineris, & paradiſum polliceris? Volo vt in cruce poſſint omnes meam virtutem inuenire, vt in ligno mea largitas demonſtretur.* Quinimò lignum in quo paſſus eſt Redemptor, tanto in pretio habitum eſt à D. Gregor. Nyſſeno *in catholica orat. cap.* 12. vt dixerit, *crucem diuinitatem referre.* Sicut enim Deus *infirma mundi elegit vt confundat fortia*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 1. 27. ita crux ſecundùm ſe omni robore deſtituta, Chriſti morientis infirmitate glorioſam de cunctis dæmonum, ac impiorum hominum poteſtatibus victoriam reportauit. Nam vt inquit D. Hieronymus *hom. ſuper Geneſim*, quæ tomo 6. eius operum circumfertur, *Chriſtus per corpus corporis expertes, & malignos dæmones debellauit; & per crucem de aduerſariis poteſtatibus triumphauit.* Et infrà exponens illud, *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*, pſal. 92. 2. *Quoniam*, inquit, *peccatum concuſſerat primum orbem*

Vulnera vt titulos gloriarum ſibi ſeruat Chriſtus.
V. Beda.
D. Chryſoſt.
D. Greg. Nyſ.
Crux Chriſti fortitudo.
D. Hieron.
Illam figens Chriſtus, orbem à peccato côcuſſum firmauit.

orbem terrarum, cùm veniſſet Saluator fixit crucem, & ſtabiliuit vniuerſitatem.

114. Triumphat ergo Rex Victor Chriſtus in cruce, ſimulque cum eo ab ipſo redempti triumphi potiuntur honore; ſic enim ſuam conſummauit victoriam, vt in ipſo & cum ipſo omnes qui in eum crederent, triompharent. Quidni? Cùm omnes in ipſo crucis patibulum aſcenderint: non ſolùm enim *nobis carnem ſuſcepit, ſed etiam nos in carne ſuſcepit*, vt loquitur D. Ambroſius *ſerm. 10. in pſalm.* 118. & ideo, vt ait D. Athanaſius *ſerm. de paſſ. & cruce Domini*, è veteri verſione, tomo 3. *nos in illo patiebamur*; & vt dixit D. Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 23. *fecit omnes prope jam homines triumphatores crux Domini.*

Redempti cum Chriſto in cruce triumphant.
D. Athanaſ.
D. Ambroſ.

115. Hinc in Regum Chriſtianorum diadematibus crux emicat Redemptoris, ipſorumque capitibus Chriſtus patiens imponitur, vt ab eius ſanguine omnem etiam temporalem dominatum oriri demonſtretur. Quod probè noſcens Flauius Anicius Iuſtinianus Imperator, in nummis ſuis aureis Chriſti cum cruce imaginem excudit, cum hoc veluti ſymbolo, *Ieſus Chriſtus Rex regnantium.* Quod & Conſtantinum Magnum ante eum feciſſe conſtat, qui Paulino illo ſymbolo delectatus fuiſſe ſcribitur, *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Gal. 6. Vnde hos ſequutus Gallorum Rex ac Romanorum Imperator Chriſtianiſſimus Carolus Magnus, chriſtianiſſimum vſurpauit ſymbolum, nempe, *Chriſtus regnat, Chriſtus vincit, Chriſtus triumphat*, vel *imperat*: ex veteri ſanè dicto quod eſt apud Alanum, vt refert Nicolaus Reuſnerius *in ſymbol. Cæſ. Rom. Germ.* ſcilicet, *Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuerſis.* Sic enim tyrannicum & iniquum pecuniæ principatum terrenis hominibus dominantem vindicauit ſapientiſſimus Princeps, & in legitimum, manſuetum, ſanctiſſimumque Chriſti crucifixi tranſtulit regnum, cuius hoc præclaro ſymbolo ſe teſtatus eſt participem, dum non ſe, ſed Chriſtum regnare, vincere, triumphare ac imperare eſt profeſſus. Etenim hoc modo ſibi & regnum, & victoriam, & triumphum perpetuò aſſeruit, dum illi à quo omnis victoria, & omnis oritur principatus, regnum, victoriam ac triumphum attribuit & conſecrauit. Sicuti enim malè regnat, qui ſine Chriſto regnat; malè vincit, qui ſine Chriſto vincit; malè imperat, qui ſine Chriſto imperat: ita optimè regnauit, vicit, triumphauit, ac imperauit Carolus, quia per Chriſtum & cum Chriſto regnauit, vicit, triumphauit ac imperauit.

Chriſtianorũ Regum diademata cruce coruſcãt.
Iuſtinianus,
Cõſtantinus,
Carolus Magnus Chriſtum cruce regnare profitetur.
Malè regnat qui ſine Chriſto crucifixo regnat.

Sectio IV.

Etiam in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento Regiam pandit Maieſtatem Chriſtus Dominus.

116. Regalis planè cibus eſt Euchariſtia, delicias præbens Regibus, regali magnificentiâ Chriſtum Dominum coruſcantem hominibus exhibens Chriſtianis. Ipſum Regiæ Maieſtatis ſplendore veſtitum, vt corpus ſuum manducandum hoc in Sacramento præberet, cœnaculum intraſſe, ibique electis cum diſcipulis ad menſam ſediſſe, ſacra teſtantur Euangelia. Etenim *Dominus ac Magiſter* antonomaſticè appellatur, dum *R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.* duos ante ſe mittit, vt locum ad vetus Paſcha conſummandum, nouumque condendum aptarent, vt patet *Matth.* 27.18. *Marc.* 14.14. *Luc.* 22.11. Hinc ille qui audiuit arcana verba, gentium Apoſtolus 1. *Cor.* 11. ſe à Domino in cœlis accepiſſe teſtatur, Chriſtum verè Dominum fuiſſe, dum in illa quâ tradebatur nocte corpus ſuum ac ſanguinem in cibum & potum tradidit hominibus: *Dominus*, inquit, *Ieſus in qua nocte tradebatur*, &c.

Cibus regius Euchariſtia.
Chriſtus in menſa Euchariſtiæ verè Dominus.

117. Hinc eſt, quod Ieruſalem corpus ſuum in cibum hominibus traditurus, ac deinde pro illis mortem ſubiturus veniens, Regio vrbem illam ingreſſus eſt triumpho, jumento vectus, virentes arborum ramos, communeſque plaudentium Hebræorum acclamationes non reſpuens, ipſaque Iudæorum quibus via ornabatur, pallia conculcans. Sed Regia illius ſplendore maiori coruſcauit Maieſtas, dum Sacerdotali munere ſacra corporis & ſanguinis ſui primò myſteria celebrauit. Cœnaculum magnum ſtratum elegit, pretioſo delibutus vnguento opus exorditur, & vt verus in tanti myſterij inſtitutione Rex appareret, ſi pluribus creditur, in ſmaragdo conſecrauit.

Maieſtate fulgens Euchariſtiam inſtituit.

118. Laudent alij ſplendidum celebrantem conuiuium Aſſuerum Regem, eiuſque in ferculorum copia, varietate, ſuauitate ac nouitate regalem extollant magnificentiam: nobis dumtaxat occurrit laudandus amantiſſimus Redemptor, qui Euchariſtico epulo Aſſuerum vicit, eiuſque magnificentiam ſuperauit. Non enim terreſtrium, volatilium, ſeu aquatilium carnibus animalium, quos ad maximum hoc conuiuium vocauit, ſuſtentat; ſed proprio corpore & proprio ſanguine nutrit. Vnde Aſſuerum Chriſti Domini typum meritò dixerim, qui grandis ſplendore conuiuij, Domini Iesv in menſa Euchariſtica maieſtatem adumbrat. Quod aduertit interlinearis ad cap. 1. Heſther, vbi inquit: *Aſſuerus Chriſtum Dominum oſtendit nomine & dignitate: interpretatur enim Oſtium. Chriſtus autem dicit, Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Nec diſcrepat Nicolaus de Lyra, dum Aſſuerum, Beatum interpretatur, Chriſtumque in eo docet expreſſum. *Aſſuerus*, inquit, *interpretatur Beatus; Chriſtus autem non ſolùm beatus eſt, ſed etiam Sanctorum beatitudo.*

Aſſuerum Regem hoc in myſterio deuicit.
A quo etiam in nomine præſignabatur.

119. Sicuti ergo in Regni Metropoli nomine *Suſan*, Regiam in grandi quod fecit conuiuio cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis prouinciarum coram ſe, maieſtatem demonſtrauit Aſſuerus, immò vt Heſther 1. inſinuatur, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum, vt ſe erga omnes Regem probaret: ita Chriſtus Dominus verus Aſſuerus, ideſt Princeps & Caput omnium hominum, in myſtica vrbe *Suſan*, hoc eſt Eccleſia, quæ vernat *vt roſa*, floret *vt lilium*, ſpiritualemque ciuibus ſuis parit *lætitiam*, ac nominis Suſan complectitur ſignificationes; cœnam magnam in qua corpus & ſanguinem ſuum pro dapibus exhibet cunctis Chriſtianis, præparauit, nullum penitus ab hoc excludens conuiuio. Vnde & aſtantes ſic ad diuinum epulum prouocat diſcipulos, vt dixerit, *Accipite & manducate ex hoc omnes.* In quo ſanè, omnes ad tantum inuitans Sacramentum, regalem demonſtrat magnificentiam,

Suſan, ideſt lilium, roſa, lætitia.

Chriſtus in Euchariſtia omnibus ſe præbet, & ideo Rex. D. Chryſoſt.

dum nulli ſeipſum denegat, ſicut Sol à nullo ſplendorem ſuum ſubtrahit, nec Rex minimo regni ſui ſubdito protectionem ſuam recuſat: vnde rectè D. Chryſoſt. *hom. 27. in 1. ad Cor.* ait: *Non ſinis cœnam eſſe dominicam, qui non ſinis eſſe communem: ſcilicet Domini non eſt, quæ vnius eſt.*

Ad Euchariſtiam vt ad Regem magna cum reuerentia accedũt Chriſtiani.

120. Quare ad ſacram olim Euchariſtiam, velut ad Regem accedebant Chriſtiani; ipſum etenim Chriſtum, Regem regum, ac Dominum dominantium, cum tota Regiæ dignitatis maieſtate hoc in Sacramento veraciter contineri, firmiter ſemper veri fideles crediderunt. Dum autem ad ſacram veniebant ſynaxim, magnâ ore præconis datâ voce, quæ *ſancta ſanctis* pronunciabat, adorandum Euchariſtiæ Sacramentum Sacerdos præbebat, dicens, *Corpus Chriſti*, cui accipiens reſpondebat, *Amen.* Porrò non ore, ſicuti in præſentiarum eſt in praxi, ſed manu ſacram accipiebant Euchariſtiam: viri quidem nudâ dexterâ ſuperpoſita ſiniſtræ ad modum crucis; vnde & manus antè lauabant: fœminæ verò, manu velatâ mundo linteo, quod *Dominicale* vocabatur, vt præcipit canon 36. Concilij Altiſiodorenſis. Sacramentum autem hoc tanta cum reuerentia, modeſtia & humilitate ſuſcipiebant, quia ſummum in eo omnium Regem ſe recipere non dubitabant: quod teſtatur D. Cyrill. Hieroſol. *catecheſi 5. myſtagog.* vbi ait: *Accedens autem ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis; ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjicias dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt; & concaua manu ſuſcipe corpus Chriſti, dicens: Amen.* Hinc linteum, in quo Chriſtianæ mulieres venerabile recipiebant Sacramentum, *Dominicale* vocabatur, quia ſcilicet omnium dominantium Domini, ac Regis corpus in eo ponebatur: nec mulieri abſque tegio hoc linteo corpus Domini fas erat recipere; quod patet ex canone 39. Altiſiodorenſis Concilij, vbi ſic dicitur: *Vnaquæque mulier, quando communicat, dominicale ſuum habeat.* Quod ſi non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet. Sumebant autem priſcis illis temporibus Chriſtiani omnes, ante omnem alium cibum, & jeiuni, diuinum illud pabulum, vt cibo regali primam ſedem, eamque digniorem in ſtomacho præberent, ac Regi regum Chriſto ſummam reuerentiam exhiberent. Quod antiqua actum eſſe traditione D. Auguſtinus docet *epiſt.* 118. dum inquit: *Talis traditio eſt, vt Euchariſtia ſumatur à jeiunis, cùm tamen Chriſtus poſt cœnam eam inſtituerit.*

Priſcus communicandi modus.

Conc. Altiſ.

D. Cyril. Hier.

Ieiuni communicabant priſci Chriſtiani.

D. Auguſt.

121. Itaque Chriſti in Euchariſtia maieſtatem non ſolùm agnoſcunt, ſed etiam experiuntur, immò & quodammodo guſtant, qui cœleſtis menſæ efficiuntur participes. Quod dixiſſe videtur Divus Petrus 1. *ep.* 2. 2. ſicuti legitur à Clemente Alexandr. 1. *pædagog. cap.* 6. vbi ait: *Quaſi modò geniti infantes verbale lac concupiſcite, vt in ipſo creſcatis in ſalutem, ſi guſtatis quod Chriſtus eſt Dominus.* Vbi juxta literam Apoſtoli Græcam, loco *dulcis*, tranſtulit, *Chriſtus.* Quamvis autem, vt notat S. Iuſtinus *apolog.* 2. χριστὸς per iota idem ſit ac vnctus; & χρηστὸς per ita, benignum, ſuauem, & officioſum omnibus reddat; vnde veteres Gentiles Chriſtum vocabant Chreſtum, & Chriſtianos appellabant Chreſtianos, vt referunt Lactantius *lib. 4. capite 7.* & Tertullianus *in apologet. cap.* 3. tamen in verbis D. Petri à Clemente Alexandrino tranſlatis, nomine Chriſti, Redemptoris noſtri perſona optimè exprimitur. Ille enim verè Dominus, ac Regum terræ Princeps, à Fidelibus deguſtatur, dum infantium innocentiâ, puritate, humilitate, ſimplicitate ac ſinceritate prædití, ſacram Euchariſtiæ menſam ſummo deſiderio cupientes, *verbale lac*, hoc eſt Corporis Domini ſuſcipiunt Sacramentum.

Clem. Alex. Chriſti maieſtas in Euchariſtia deguſtatur.

Lact. Tertull.

Meritò autem Euchariſtiam verbale lac appellat Apoſtolorum Princeps. Primò, quia Chriſtum Dominum totius Eccleſiæ ſuæ lac & alimentum realiter continet; nam vt ait S. Auguſt. tract. 3. in ep. 1. S. Ioan. *lac noſtrum Chriſtus eſt.* Et Clemens Alexandr. *loc. cit.* ait: *Verbum eſt omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Deinde Chriſtum appellat mammillam Patris; ait enim: *Ad mammillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit, nempe verbum, confugimus: verè beati, qui hanc lactant mammillam.* Verbale autem lac iſtud appellatur, quia verbo & ſermone Domini hoc conficitur Sacramentum; nam vt ait D. Cyprianus ſerm. de cœna Domini, *panis ille quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Vnde & Sacerdotes myſterium hoc conficientes, verbis Chriſti Domini ad panem & vinum conſecranda, ac in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutanda vtuntur. 122.

Cur Euchariſtia lac appellatur.

Clem. Alex.

Secundò lac vocitatur Euchariſtiæ Sacramentum, quia ſicut pueris poſt corporalem natiuitatem mox lac in alimentum ac ſuſtentationem exhibetur: ita Chriſtianis Baptiſmo renatis, etiam infantibus mox à Baptiſmo, ex Apoſtolica traditione corpus Domini dabatur: quod etiam nunc Græci pueris poſt Baptiſmum præbent. Vnde D. Dionyſius *lib. Eccleſ. Hierarch. capite 5.* de communione infantis recèns Baptizati, ait: *Tribuit Sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur, & creſcat ſacris augmentis.*

D. Dionyſ.

Dum ergo verbale lac, hoc eſt ſacroſanctam Euchariſtiam cum puerili innocentia ſuſcipiunt Chriſtiani, non ſolùm dulcedinem ac ſuauitatem Chriſti Domini, ſed etiam regalem eius ad ſenſum veluti experiuntur maieſtatem: in hoc quippe mirabili Sacramento guſtant quod Chriſtus eſt Dominus. Ex triplici capite Regia fulget in Euchariſtia Chriſti Maieſtas, eaque à fidelibus deguſtatur. Primò quidem ex ſumma eius potentia, quâ creaturas ſeu elementa tanti myſterij in corpus ſuum ac ſanguinem infinitâ virtute tranſmutat. Quamvis autem in cæteris Nouæ Legis Sacramentis, *dum accedit verbum ad elementum, fiat Sacramentum*, vt loquitur D. Auguſt. *tract.* 80. *in Ioan.* tamen aqua in Baptiſmate, oleum ſeu chriſma in Confirmatione, à ſua natura non recedunt: verùm panis & vinum, quæ elementa, ſeu materia Sacramenti dicuntur Euchariſtiæ, ipſa verborum prolatione ſacramentalium non tantùm ſanctificantur, ſed etiam conuertuntur ſubſtantialiter in corpus & ſanguinem Domini. Mirabilis planè iſta conuerſio, Regiæque ac ſupremæ virtutis effectus. Tum quia fit in inſtanti, in illo ſcilicet, quo verborum ſignificatio completur: tum quia mutatis panis & vini ſubſtantiis, 123.

Ex triplici capite Chriſtus in Euchariſtia Rex.

Primò ex ſumma eius potentia.

in

in corpus & ſanguinem Chriſti, materia quæ ſub formis ſubſtantialibus panis & vini fuerat, non remanet, ſicuti in naturalibus mutationibus contingit, in quibus materia, vtpote ingenerabilis, ſemper remanet: ſed de facto ſupremâ ac regiâ Chriſti poteſtate, cum forma vel panis, vel vini tota tranſit. Sed quod auget miraculum, eadem prorſus accidentia, quæ in pane & vino tanquam in ſubiecto hærebant, abſque vllo quo fulciantur adminiculo conſeruantur, omnem modum naturalium conuerſionum vincente Chriſti Regis maieſtate ac virtute. Tum denique quia ignobile panis corpus in omnium corpus nobiliſſimum, Verbo Diuino hypoſtaticè vnitum, immortale, ac beatum; vulgariſque vini liquor, in pretioſiſſimum Chriſti Filij Dei ſanguinem, repentè ac ſubitò, nempe in inſtanti tranſmutat: quod ſemper regalem Saluatoris declarat maieſtatem. Hanc in vltima cœna, in qua ſacroſanctam Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, in eius vultu coruſcaſſe notauit quidam Chriſtianus Poëta, qui Saluatorem menſæ aſſidentem, Regem verum, duodecim Apoſtolorum veluti prætorianorum præſidio militum cinctum dicit, vt refert D. Th. *3.p.q.81. art.1. ad primum*, hoc modo:

D. Thom.

Rex ſedet in cœna, turbâ cinctus duodenâ:
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

124. Secundò ex magnificentia.

Secundò, tanquam Rex ſedit in cœna, ex regali magnificentia, quâ ſuos, non animalium carnibus, nec aliis ſuauiſſimis dapibus, ſed ſeipſo cibat & reficit. *Quis paſtor oues proprio paſcit cruore?* Diuus inquit Chryſoſtomus, *hom. 60. ad popul. Antioch.* Chriſti in Euchariſtia immenſam erga ſuos admirans dilectionem ac magnificentiam. Omnium quippe paſtorum vigilantiam, amorem, liberalitatem ac bonitatem in oues, Saluatoris ſumma in homines per Euchariſtiam charitas ſuperauit; quod vtique optimi paſtoris nomen dum ipſi promeruit, regium titulum mirificè confirmauit: Reges enim paſtores ſunt eorum omnium, qui tanquam oues, eorum imperio diriguntur, legibus regulantur, ac protectionibus muniuntur. Vnde in ſacris paginis idem eſt regere ac paſcere; idemque regis ac paſtoris nomen, ac officium. Nam vbi *pſalm. 22.1.* in illa, quâ Eccleſia vtitur, verſione legitur, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, à pleriſque legitur, *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.* Ex quo idem eſſe populum regere, & paſcere, omninò liquet. Hinc *pſalm. 77. 71.* Dauid à Deo electus in Regem, vt Iſraëliticum populum juſtè ſanctéque regeret, dicitur ad tantam euectus dignitatem, ad eamque ab ouium paſtore tranſlatus ad paſcendos Iſraëlitas. Habetur enim pſ. 77. 70. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſt fœtantes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Vt autem juſtum ac pium Dauidis regimen exprimeret Scriptura, ſtatim ſubdidit, 72. *Et pauit eos in innocentia cordis ſui*: id eſt, rexit eos ac gubernauit in juſtitia ac ſanctitate. Cùm ergo idem ſit populum paſcere, & regere, idemque hominum paſtor & hominum Princeps; Chriſtum vltima in cœna diſcipulos proprio corpore ac ſanguine nutrientem, optimum paſtorem dicere omninò cùm oporteat; quis illum maximum omnium Regem tunc extitiſſe negabit? Regnauit vtique, ſummaque refulſit maieſtate, dum electos pauit diſcipulos, non tantùm *in innocentia cordis ſui*, ſed ſanctiſſimo ſuo corpore, ac pretioſiſſimo ſanguine.

Rex idem, qui & paſtor.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Tunc enim propheticum videtur adimpletū oraculum, Iſai. 60. 16. *Mammillâ Regum lactaberis, & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis.* Dum enim Eccleſia ſuauiſſimum lac, nempe Chriſtum, in Euchariſtia deguſtauit, Regiâ mammillâ lactata eſt, ipſumque Saluatorem qui mammilla Patris à Clemente Alex. dicitur, vt jam ſuprà notauimus, tanta cum magnificentia experta eſt, vt à regali eius epulo jam Regina omnes filios ſuos regij huius lactis participes, etiam Reges ſentiens, non ſolùm Chriſtum optimum paſtorem, ſed etiam Regem maximum, Dominum, Saluātem ac fortiſſimū Redemptorem agnouerit.

125. Tertiò ex maieſtate.

Hinc hauddubiùm, Sponſum ſuum Regem aliquando vocauit Eccleſia, ſcilicet quando ab eo in cellam vinariam inducta eſt. Introduxit me, inquit, Rex in cellam vinariam. *Cant.* 2. 4. Non enim regales delitias à Sponſo in cella vinaria ſibi paratas potuit deguſtare, niſi ſtatim eius ſentiens maieſtatem, qua tertiò ſe Dominum probat, ipſum Regem agnoſceret ac declararet. Quamvis enim cum Sponſa ſeu Eccleſia amor ſemper loquatur, qui vt inquit D. Bernardus *ſerm. 59 in Cant. Dominum neſcit*; attamen non poteſt cœleſtium officinam ingredi Sacramentorum, cellâ vinariâ deſignatam; ac in ea Chriſti corpus in cibum, ac ſanguinem in potum ſumere, quin ſubitò loquendi immutet modum: & quem dilectum, fratrem, & ſponſum hactenus habuerat, eum nunc Regem dicit, ac Principem reueretur. Vnde D. Hieronymus ad hæc Sponſæ verba inquit: *Propterea arbitror in his Regem Chriſtum nominatum fuiſſe, vt hoc nomine oſtendatur prædives eius cubiculum, multiſque opibus refertum.* Nullum autem præclarius Chriſti poteſt eſſe cubiculum, quàm templa Chriſtianorum ſeptem Sacramentorum diuitiis opulenta, & ſuauiſſimo ac regali Euchariſtiæ ferculo exornata, quæ in celebri illa Sapientiæ domo columnis ſeptem illuſtri, adumbrata ſunt, *Prou. 9. 1.* Rectè ergo hoc in myſterio Chriſtus Regum omnium moderator & Princeps ab hominibus adoratur.

Amor dominum neſcit. *D. Bernard.*

D. Hieron. Eccleſia Chriſtum in Euchariſtia Regem experitur.

126. Verùm non à ſolis hominibus Chriſtus in Euchariſtia Rex colitur & reueretur; etiam Angeli Regem ſuum ac noſtrum ſummâ præditum maieſtate, ſupplices ac humiles adorant. Veneranda circumvallant Altaria, in quibus diuinum hoc myſterium celebratur, & vt loquitur S. Nilus S. Chryſoſtomi diſcipulus, epiſt. ad Anaſtaſium: *Cum* præfatus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *venerandus Antiſtes, Sacerdos admirandus, & totius orbis ſplendor, ſanctiſſimum cœpiſſet ſacrificium celebrare, plurima ex cœleſtibus Virtutibus deſcendentes, ſtolis induta ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis prona altari, magno cum ſilentio & reuerentia, quoad reuerendum illud myſterium expletum fuit, circumſteterunt.* Quod idem, cui hoc accidit, D. Ioan. Chryſoſtomus teſtatur admirans *hom. de ſacra menſa*, dum inquit de ea: *Ad quam aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis alis præditi vultus demittunt, vbi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt.* Proni ergo ac ſupplices diuinis myſteriis aſſiſtunt Angeli, Chriſtumque in Euchariſtia Regem pia cum formidine reuerentur.

Angeli Chriſtum Regem in Euchariſtia adorant.

D. Chryſoſt.

127. Cherubinos olim in tabernaculo Moyſis, ac in templo Salomonis viſos fuiſſe ſacræ teſtantur paginæ; ſed diuerſo ſitu, ita vt in tabernaculo ſupra propitiatorium, in templo verò infra propitiatorium conſtituti viderentur, vt colligitur

Cherubini in Tabernaculo ſupra propitiatorium, in templo Salomonis infra propitiatorium cur collocentur.

ex 25. cap. Exod. 18. & *ex 3. Reg.* 6. Cur autem diuerſo ordine collocati ſunt, niſi quia in Tabernaculo, hoc eſt in Iudæorum Synagoga, diuinis ſe ingerere ſacrificiis Angeli non verebantur, vt patet in ſacrificio Manve, de quo legitur Iudic. 13. 20. *Cùmque aſcenderet flamma Altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit.* Ac ſi bonus ille Angelus in curru igneo ad cœlum videretur aſcendere, ſacrificio currum in flamma præbente. In Templo autem, hoc eſt in Chriſtianorum Eccleſia tremenda ſacrificij Euchariſtiæ myſteria adeò Angeli reuerentur, vt vel accedere ad illa non audeant. Sæpiſſimè enim à viris ſanctis coram venerabili corporis Domini Sacramento, eo tempore quo Deo in altari offertur, Angeli in terram proni ex ſumma reuerentia viſi ſunt. Cuius rei inter Græcos S. Ioannes Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio*, & inter Latinos D. Gregorius Magnus *lib. 4. dialog. c. 58.* teſtes ſunt locupletes.

128. Quamvis enim tremendum Euchariſtiæ myſterium, corporis & ſanguinis Chriſti formaliſſimè & ex vi verborum exiſtat; attamen ex neceſſaria concomitantia eius animam ac Deitatem complectitur; ſicque licèt ex noſtra, quam poſſidet, humanitate paulò minùs ſit ab Angelis minoratus, ex diuina ſua humanitati coniuncta perſona omnium Dominus & Rex exiſtit Angelorum; ipſique cœleſtes ſpiritus, qui Chriſto omnium tentationum ac tentatoris in deſerto victori, vt ipſi miniſtrarent, acceſſerunt, eidem in Euchariſtia mortis deſtructori, dæmonum profligatori, peccati, orbiſque domitori, cunctorumque hominum redemptori, necnon & ruinarum Angelicorum ordinum inſtauratori humiliter famulantur. Quod ipſe Dominus pronuntiauit, dum Ioan. 1. 51. *Videbitis* (inquit) *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*; hoc eſt, ipſi ad eius nutum aſcendendo & deſcendendo, hoc eſt vltrò citroque concurſando, ac in omnem partem celeriter miniſtrantes: quia in vno, eodemque homine Chriſto Ieſu, *& infirmitatem fouent, & ſtupent maieſtatem*, vt loquitur Bernardus *ſerm. 48. in Cant.*

Angeli aſcendunt, & deſcendunt ſupra Chriſtũ, & cur.

TEXTVS NONVS.

Quod in cœna Chriſtus geſſit,
Faciendum hoc expreſſit
In ſui memoriam.

EXPOSITIO TEXTVS.

129. POSTQVAM Doctor Angelicus in duobus præcedentibus textibus Chriſti Domini realiter in Euchariſtia latitantis maieſtatem conſiderauit, huiuſque mirabilis Sacramenti excellentiam ex Regia Seruatoris ibidem præſentis dignitate ſupra cætera, tum nouæ, tum antiquæ Legis Sacramenta deduxit, ſuum hoc in textu proſequitur inſtitutum, aliamque in Chriſto, eamque ſublimem in tremendo hoc myſterio detegit qualitatem. Eam Sacerdotalem appello, quâ Pontifex noſter *ſecundum ordinem Melchiſedech*, ſub ſpeciebus panis & vini proprium corpus & ſanguinem modo incruento immolauit, ac diſcipulis ſuis eorumque ſucceſſoribus Sacerdotali charactere inſignitis, vt ea quotidie offerrent, & immolarent, immenſi amoris dignatione mandauit. Ait igitur Sanctus Thomas: *Quod in cœna Chriſtus geſſit*; hoc eſt, illud quod in vltima cum duodecim Apoſtolis cœna, menſæ veluti aræ aſſidens Chriſtus *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ſacra corporis & ſanguinis ſui myſteria celebrando, primus omnium geſſit, id eſt fecit, ſeu ſacerdotali ritu præſtitit, offerendo, immolando, ac ſacrificando: illud omne Presbyteris faciendum commiſit. Vnde ſubdit Author:

Chriſtus in Euchariſtia Sacerdos.

Faciendum hoc expreſſit, hoc eſt dixit, proprioque ore juſſit, vt iteratis quotidie vicibus tanti Sacramenti celebrationem, tantique incruentam ſacrificij oblationem ad finem vſque ſeculorum repeterent: ſic enim quod in cœna ipſe fecit Saluator, hoc per homines faciendum ordinauit, dum inquit Luc. 22. 19. & 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm enim ingentia quæ accepimus à Deo beneficia, perenni memoriâ teneamur recolere; vnde ad talem memoriam faciliùs exhibendam ſolennia veteri lege, Deo mandante inſtituta ſunt feſta, ſicut de Paſchæ celebritate ac Paſchalis Agni immolatione apertè liquet, *Exod.* 12. 2. rationi omninò conſonum fuit, vt inæſtimabile, ac maximum omnium nobis à Deo conceſſorum donum quotidianâ memoriâ, Presbyterorum miniſterio, in Eccleſia, jubente Chriſto, celebraretur. Et ideo additur: 130.

Sacerdotij ſui participes fecit Apoſtolos.

Rectè quotidie Euchariſtia offertur.

In ſui memoriam, hoc eſt, vt immenſi, quo Chriſtus homines pridie ante mortem proſequutus eſt, amoris perenne in Eccleſia extaret monumentum. Nec ex hoc loquendi modo exultet hæreticus, vel errorem ſuum quo omnem ab Euchariſtia corporis Domini veritatem ac realem præſentiam conatur eliminare, aſtrui putet: poteſt enim Euchariſtia eſſe memoria rei quam veraciter continet; non enim rei abſentis ſemper eſt memoria, ſed rectè rem præſentem poteſt exhibere, ac in eius recordationem adducere, maximè cùm eadem res ſub diuerſo eſſendi modo reperta ſit. Sic quippe idem Rex, qui decem ante annos de ſubactis triumphum egit hoſtibus, ſeipſum hodiernâ luce, dum præfatum triumphum colit, repræſentat, eaque quæ modò agitur, triumphi memoria à Principe, ipſum alias triumphantem in recordationem adducit. Ita planè non diſpari modo, Chriſtum Dominum pro nobis paſſum, crucifixum ac mortuum noſtram reuocat in memoriam eiuſdem Redemptoris in Euchariſtia vivum, immortale ac impaſſibile corpus: quo ſenſu inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 11. 26. quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Et à D. Thoma, Memoriale mortis Domini, hoc Sacramentum appellatur. Verùm de hoc infrà vberior à nobis erit ſermo, dum hæreticorum argumentis ex illo, *Hoc facite in meam commemorationem*, petitis, quibus abſentiam corporis Chriſti ab Euchariſtia nituntur oſtendere, occurremus. 131.

Euchariſtia amoris & mortis Chriſti memoria.

Chriſtũ realiter continet Euchariſtia, & præteritam eius paſſionem commemorat.

TEXTVS

TEXTVS DECIMVS.

Docti ſacris inſtitutis,
Panem, vinum, in ſalutis
Conſecramus hoſtiam.

EXPOSITIO TEXTVS.

132. PERGIT ſanctus Doctor boc in textu, Chriſti Domini Sacerdotium explanare; & cùm in præcedenti Salustorem per ſeipſum in vltima cœna ſacrificantem, ac proprium corpos, & ſanguinem offerentem docuerit;in iſto per nouæ Legis Preſbyteros, ſeu Sacerdotes, quibus tum Sacerdotij, tum ſuæ exteoſionem facit authoritatis, panem & vinum io corporis & ſanguinis boſtiam conſecrata, offerre demonſtrat. Ait ergo:

Chriſtus per Sacerdotes Euchariſtiã offert.

133. *Docti ſacris inſtitutis*; id eſt, ſacrum. Domini in vltima cœna ſectantes ſermonem, eiuſque diuinis inhætentes verbis, quibus duodecim Apoſtolis, omnibuſque eorum gradui ſuccedentibus præcepit, vt eius ſequeotes exemplum, diuina myſteria in paſſionis ac mortis eius memoriam celebrarent, dum dixit Luc. 22. 19. & 1.Cor.11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis poteſtatem ac facultatem panem in eius corpus, & vinum in eius ſanguinem conſecrandi, illaque offerendi contulit Apoſtolis, omnibuſque quos poſt ipſos ad Sacerdotij dignitatem exaltauit.

134. *Panem, vinum in ſalutis conſecramus hoſtiam.* His verbis S. D. materiam ex qua ſacramentum Euchariſtiæ conficitur explicat, & poſtea illud in quod talis materia conuertitur, oſtendit. Sicut enim in omnibus pbyſicis mutationibus, immò & actionibus, ſeu motibus naturalibus dantur duo termioi, vnus à quo incipiunt, qui *terminus a quo* appellatur; alter ad quem deſinunt, & *terminus ad quem* dicitur: ita & in Sacramento Euchariſtiæ, cuius conſecratio, panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſione ſeu tranſubſtantiatione completur, duo ſimiliter termini inoeniuntur, nempe terminus *à quo*, ſcilicet panis & vinum, ex quibus corpus & ſanguis Domini conficiuntur: & ipſummet corpus, ac ipſemet ſanguis Chriſti in Sacramento realiter exiſtentia, loco & vice termini *ad quem.*

Materia Euchariſtiæ.

135. Meritò autem panis & vinum io hoc myſterio vicem gerunt termini à quo, ſuntque materia *ex qua* Sacramenti Euchariſtiæ, quia diuinum hoc à Cbriſto ad modum alimenti inſtitutum eſt Sacramentum, vt ipſo fideles ad vitam nutriantur æternam. Nam vt docet D. Thom. 3.*p.q.*74.*art.*1. ſicut aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad vſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita panis & vinum, quibus communiùs bomines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad vſum ſpiritualis manducationis. Cùm enim Chriſtus qoi ſeipſum veraciter in Euchatiſtia præbet hominibus, nomine panis inſigniatur, *Ioan.* 6. vbi inquit, *Ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi*; rectè communem panem, putà triticeum; & commune vinum à vite expreſſum elegit, vt conuerſis eorum ſubſtantiis, intactis manentibus eorum accidentibus, ſub eorum ſpeciebus ſe illis in cibum realiter communicet. Vnde non ſolùm huius myſterij materia panis eſt, ſed ipſum Sacramentum ex panis accidentibus ac vero Chriſti corpore coaleſcens, *panis* appellatur. Tum quia, vt notauit Gabr. *orat. prologom. ad lectiones*, Panis dicitur à pan, quod ſonat totum, quia totum quod ad ſalutem pertinet, confert homini viatori; tum quia omnem effectum, quem cibus & potus materialis præſtant ad vitam corporalem, hoc totum confert Euchariſtia ad vitam ſpiritualem; ſiquidem ſuſtentat, auget, reparat, & delectat: quod docuit Angelicus Doctor 3. *p.q.*79.*art.*1.

Rectè à Chriſto determinata.

Euchariſtia panis dicitur, & cur.

136. Immò cæteri ab Euchariſtia panes fictitij, inanes, & apparentes ſunt: ipſum autem corporis Domini admirabile Sacramentum, *panis verus ac viuus* exiſtit & appellatur, quia verè nutrit ac ſuſtentat hominem. Omnes etenim corperei ac materiales panes, cibi mendaces ſunt,& panes meodacij jure meritò nuncupantur, vt videre eſt *Prou.*20. 17. & 23. 3. Quamvis quippe ſecundùm externam ſpeciem oculis expoſiti, panes videantur; attamen ſi ad verum Euchariſtiæ pauem cooferantur, inanes & falſi, immò & mendacij panes ſunt; falſa enim, vana ac tranſitoria eſt illorum nutrino. Quod ſanè attigiſſe videtur D. Auguſtinus *tract.* 26. *in Ioan.* vbi inquit: *Cùm cibo & potu id appetant homines, vt neque eſuriant, neque ſitiant; hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit.* Idem etiam eleganti calamo proſequutus eſt D. Cyprianus *ſerm. de cæna Domini*, ſiue quiſquis eidem Cypriano ſynchronos author eſt illius ſermonis de cœna, qui ſub nomine Cypriani circumfertur, dum ait: *Qui manducat ex hoc pane, vltrà non eſurit; qui bibit, vltrà non ſitit: quoniam myſterij huius ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, vt cuicumque tanta rei innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine inuento, Chriſti baiulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente.*

Sola Euchariſtia verus ac viuus panis, quia veram & ſpiritualem vitam confert.

137. Sola igitur Euchariſtia, quæ omnem bominis complet & ſatiat appetitum, verus cibus eſt, veruſque panis ac ſuperſubſtantialis, ac proinde conuenientiſſimum fuit, panem triticeum, vtpote communiorem; ac viourn vitis, quod etiam frequentius eſt, huius Sacramenti materiam à Chriſto deſignari. Hæc autem materia ſuper altare à Sacerdote Deo oblata, *in ſalutis conſecratur hoſtiam*, ideſt per conſecrationem tranſmutatur, & conuertitur in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, qui ſalutis bumanæ boſtia eſt in cruce pro hominum ſalute immolata & oblata; vode & Eccleſia de Chriſto crucifixo ac rediuiuo canit in hymno Paſchali,

Hoſtia dicitur, & cur.

O verè digna hoſtia,
Per quam fracta ſunt tartara,
Redempta plebs captiuata,
Reddita vitæ præmia.

138. Adde quod Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ veraciter & realiter exiſtens, eſt etiam ibi hoſtia ſalutis pro viuorum & defunctorum ſalute quotidie immolata & oblata, non quidem diuerſa oblatione, quâ ſemetipſum in ara crucis obtulit; *vnâ* etenim *oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*, vt ait Apoſtolus *Hebr.* 10. ſed eâdem quæ quotidie in Miſſæ celebratione iteratur; nullumque diſcrimen intercedit, niſi quod io cruce viſibiliter, ac copioſum ex illatis vulneribus effudit cruorem, in Euchariſtia autem

Eadẽ hoſtia offertur in Euchariſtia, quæ in cruce ſed diuerſo modo.

nec vulnus ſuſcipit, nec ſanguinem fundit, ſed intacto ac immortali ſeu impaſſibili manente Chriſti corpore, quod inuiſibiliter offertur, ſpecies ſub quibus offertur, franguntur & conſumuntur. Vnde incruentum appellatur hoc ſacrificium, quod paſſionis Domini germana imago cenſetur, vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 1. & inſinuat D. Ambroſius *tom.* 5. *in cap.* 10. *epiſt. ad Hebr.* dicens: *In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius.* Quaſi dicat, Euchariſtiæ oblationem, quæ diebus ſingulis à Sacerdotibus Deo offertur, Chriſti patientis oblationem exhibere, eamque ad noſtram memoriam reuocare. Vnde ſicut notat D. Th. *loc. cit. ad* 1. Ambroſius ibidem ſubdit: *Vna eſt hoſtia* (quam ſcilicet Chriſtus obtulit, & nos offerimus,) *& non multæ; quia ſemel oblatus eſt Chriſtus.*

139. Euchariſtia vnica eſt hoſtia, & vnioſ ſacramenti.

Notanter autem S. D. dixit, *panem vinum in ſalutis conſecramus hoſtiam*, non verò hoſtias. Quandoquidem, etſi panis & vinum diſtinctâ formæ prolatione, diuerſiſque verbis, juxta Chriſti Domini inſtitutum in corpus, & ſanguinem eius conſecrentur; vnicum tamen conſtant Sacramentum, vnicam conficiunt vnici ſacrificij hoſtiam. Cùm enim tremendum hoc myſterium à Chriſto ſit ordinatum ad ſpiritualem Chriſtianorum refectionem, quæ corporali conformatur; ad iſtam autem duo requiruntur, nempe cibus, qui eſt alimentum ſiccum; & potus qui eſt alimentum humidum: ideò ad integritatem ac perfectionem huius Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus ſub ſpecie panis contentus, & ſpiritualis potus ſub vini accidentibus incluſus. Ex quibus vnicum tantùm reſultat formaliter & perfectiuè Sacramentum, licèt poſſit dici multa materialiter, vt aduertit D. Thomas 3. *p. q.* 73. *art.* 2.

140. Similiter vnica eſt hoſtia, & vnicum ſacrificium Euchariſtia, & non multa; quia vnica victima immolatur, & vnicus Chriſtus offertur. Nec iſti obeſt vnitati, corporis ſub ſpecie panis, & ſanguinis ſub ſpecie vini oblatio geminata; ſic enim ad inuicem duæ iſtæ oblationes ordinantur, vt formaliter vnicam conſtituant, non quidem vnitate indiuiſibilitatis, vel continuitatis, ſed integritatis & perfectionis. Offertur enim

In Euchariſtia vnica eſt oblatio formaliter.

corpus Chriſti vivum, quod ſine ſanguine nequaquam viuit; ſanguis inſuper vivus immolatur, & hic non viuit ſeparatus à corpore. Vnde juxta commune Theologorum placitum, quamvis ex vi verborum formæ conſecrationis ſolum corpus ſub ſpecie panis reperiatur, & ſolus ſub ſpecie vini ſanguis Chriſti; tamen ex naturali concomitantia, omnis ſanguis cum corpore ſub ſpecie panis, ipſumque corpus cum ſanguine ſub ſpecie vini exiſtunt. Cùm ergo idem corpus Chriſti vivum in vtraque ſpecie offeratur, vnica eſt oblatio, vnicum ſacrificium, & vnica hoſtia. Vnde ſanctiſſimam Euchariſtiam in hymno à D. Thoma edito ſic alloquitur Eccleſia:

O ſalutaris hoſtia,
Quæ cœli pandis oſtium;
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

141. Quæ verba S. D. meritò ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ dirigit Sacramentum. Cùm enim Chriſtum Dominum veraciter complectatur, ideo illud quaſi diuinum quid adoramus; quaſi vivum quid & oramus, & alloquimur, & rogamus, ſicut loquitur Divus Alger. *lib.* 2. *de ſacram. cap.* 3. Etenim diuinum eſt Sacramentum, quod Deum hominem ſignificat & inuolvit: vivum quid eſt, quia Chriſtum poſt mortem rediuivum, vitaque immortali donatum continet; vnde & ipſum alloqui poſſumus, & ab eo auxilia rationabiliter imploramus. *Si enim*, vt idem Author proſequitur lib. 1. de Sacram. cap. 19. *tanta vis eſt in cibo, qui non viuit, nec manet, vt labentem vitam huius temporis foueat, & retineat, quamdiu Deo placuerit; quantò magis Chriſtus, cibus viuens immortaliter vitam æternam conferre credendus eſt, qui vitam in ſe habet, & vita eſt, quam qui non habet, moritur.* Cùm enim ſit via, veritas, & vita; corpus eius nobis viaticum eſt, ne moriamur & deficiamus in via, ſed perducamur ad vitam: veritas eſt, ne eius promiſſionibus fallamur: vita eſt, vt eâ in peruentione feliciter fruamur.

Euchariſtiā poſſumus alloqui & rogare.

ELVCIDATIO II.

De ſacerdotio Chriſti Domini.

QVia in duobus, quos expoſuimus textibus, Angelicus Doctor Chriſtum Dominum in vltima cœna ſacrificantem exhibet, hancque ſacrificandi poteſtatem in conſecratione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini Sacerdotibus nouæ Legis communicatam docet; ideo vt mentem illius pleniùs aſſequamur, Chriſti Sacerdotium tum in propria eius perſona, tum etiam in illis, quos ad Sacerdotij dignitatem euexit, conſiderantes, paucis illuſtrare conabimur. 142.

SECTIO PRIMA.

Chriſtus verus, ac primus eſt omnium Sacerdos.

VNicus non fulget radio totius corporeæ lucis fons & origo, diei pater, aſtrorum princeps, cœlorum oculus, immenſo fulgore coruſcans Sol ſplendidiſſimus: multiplices variosque ſplendoris fundit rivulos, radioſque explicat lucidiſſimos, dum *tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultat vt Gigas ad currendam viam; à ſummoque cælo egrediens, vſque ad ſummum eius* tendens, omnibus ſublunaribus copioſa lumina pandit. Verumtamen non propter ſe tanto nitet ſplendore, tantoque decore veſtitur; ſenſu & vitâ carens orbis lucerna, rutilans Sol, totus ſuo ſplendore, decoreque ſplendorem ac maieſtatem ſui loquitur Conditoris; illius qui non ſolùm vt Pſalmiſta loquitur pſal. 8. 5. *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*, ſuamque imaginem collocauit; ſed etiam ſicut Sol in mundo ortus eſt, ab intemerata Virgine vt à ſereniſſima, fulgentiſſimaque aurora procedens. Chriſtum Deum ac Redemptorem noſtrum intelligo, qui verus *Iuſtitiæ Sol* iis qui in tenebris & in vmbra mortis ſedebant, apparuit. Sed quantum ſplendorem attulit? Quantam lucem effudit? Quot, quantoſque explicuit radios, in quibus tanquam in pennis, vniuerſam geſtabat hominum ſanitatem? 143.

Multis Sol fulget radiis.

Pluribus Chriſtus micat ſplendoribus.

Facilius planè eſt eius perfundi luminibus, quàm effuſum enarrare ſplendorem: illius radiorum 144.

rum virtute ſanari, quàm deſcribere curationem. Ipſum quod eſt, non licet neſcire; ſed velle exponere, nefas eſt. Huius igitur fulgentiſſimi jubaris radios fixâ acie quis aſpiciet? Vel potiùs quis non aſpiciet? Seipſum immenſo prodit lumine, & vel ſponte cæcutiet homo, vel

Se ſuo prodit lumine.

eius præſentiæ ſplendore illuminabitur. In eius lumine videbit lumen, & fulgente ipſius claritate, ipſum Deum de Deo, lumen de lumine, ac æternum Solem ab æterno Sole procedentem æternâ natiuitate cognoſcet. Sed Solem hunc nube tectum, ac humanâ velatum carne, dum fide, quæ in tenebris lucet, præeunte attingit, adhuc lucidum expetiatur: qui enim *in ſplendoribus Sanctorum* ex Patris mente *ante Luciferum genitus* eſt, in decoribus Sanctuarij ex puriſſimo Virginis aluo, velut ex vtero auroræ ſplendidus eſt in tempore natus; ſiquidem, vt inquit Bernardus in illa quæ in die Natalis eius canitur Sequentia,

Angelus conſilij
Natus eſt de Virgine,
Sol de ſtella.

Sol de ſtella natus eſt.

Proh! qualem ab intacta parente Sol hic ſortitur ſplendorem? Quantos ex eius integerrimo ſinu procedens, radios longè lateque diffundit? Quantam in eo exhibent maieſtatem? Mox natus homo inter homines, omnes homines vincit, eorumque Rex ab omnibus comprobatur. Planè Rex hic pacificus eſt, indeque Agnus vocatur; ſed propterea *magnificatus eſt ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ.* Alius, idemque egregius in

Sacerdotalis dignitas fulget in Christo.

eo rutilat radius, qui maieſtatis ſimul ac bonitatis ſplendore coruſcat. Ille eſt ſacerdotalis dignitatis ſublimis ac eminens gradus, quo Deum irarum placat, ac homines reos Deo placato reconciliat. Duos iſtos in ipſo aſpexerunt radios illi qui ab Oriente ad eius cunabula venerunt Magi, qui ſupplices Solem iſtum venerati, pretioſa illi in obſequium perenne munera offerentes, auro Regiam eius Maieſtatem, thure autem Sacerdotalem eius dignitatem declararunt. Quod ſancta eius Sponſa teſtatur Eccleſia in officio Epiphaniæ, vbi de myſteriis muneribus Magorum expreſſis ait: *In auro oſtenditur Regis potentia; in thure Sacerdotem magnum conſidera.* Ergo ſicuti

Sacerdos Christus natus eſt.

natus eſt Rex, ita etiam Sacerdos in mundum venit, moxque è ſinu puriſſimæ Matris effuſus, ſacerdotalis officij miniſteria voluit exercere.

145. Planè hoc agnouit Apoſtolus, dum de Chriſto *ad Hebr.* 10. 5. inquit: *Ingrediens mundum dixit, Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*; vt ſcilicet oſtendat, ab initio temporalis

Et naſcens exercuit Sacerdotium.

vitæ ſuæ, Chriſtum ſacerdotis munia obiiſſe, ſeque Deo Patri hoſtiam immaculatam, placentem, gratiſſimamque obtuliſſe. Ideo enim mundum ingrediens Saluator Patri loquens, omnia ſacrificia ab ipſo repudiata commemorat, ſtatimque ſubiungit *corpus ſibi aptaſſe*, vt in ipſo Sacerdotale munus exercens, ſemetipſum perfectiſſimum offerret holocauſtum. Ex quo ſacerdotium Chriſto cum humanitate ineſſe liquet, ac conſequenter antequam Filius Dei Filius hominis naſceretur, Patri ſacrificia offerre non potuit: vnde meritò Paulus de eo dixit, quod *ingrediens mundum corpus ſibi ad ſacrificandum aptatum aſſeruit.* Antequam enim mortalitatis noſtræ veſtitus indumentis mundum ingrederetur, nec hoſtias, nec ſacrificia, nec preces, ſupplicationeſque, quæ Sacerdotis munus exequuntur, offerre valebat.

Quod attigit D. Auguſtinus *in pſal.* 109. vbi de Chriſto ſic loquitur: *Si natum ex vtero de Virgine intelligimus ante Luciferum noctu, ſicut Euangelia conteſtantur, proculdubio inde ex vtero ante Luciferum natus eſt, vt eſſet Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech; nam ſecundùm id quod natus eſt de Patre, Deus apud Deum, coæternus gignenti, non Sacerdos; ſed Sacerdos propter carnem aſſumptam, propter victimam quam pro nobis offerret, à nobis acceptam.*

D. Auguſt.

Chriſtus Sacerdos propter carnem aſſumptam.

Duo omnis Sacerdos præſtare debet, vt ſuum exequatur miniſterium. Primum eſt, vt res ſacras populo æquali tradat diſpenſatione: hoc enim ſonat Sacerdotis nomen; dicitur enim *Sacerdos*, quaſi *ſacra dans*: quod quidem maximè conuenit; nam eùm qui Sacerdotio funguntur, inter Deum & populum mediatores exiſtant, à Deo accepta debent ſubditis conferre ſacra, vt illis veluti ſacro vinculo colligati, non diſſentiant homines à Deo, nec Deus ab hominibus elongetur. Secundò pro commiſſo populo preces & ſupplicationes Deo debent ſacri offerre miniſtri, vt miſeros ac egenos propriorum oblatione votorum ad Deum Opt. Max. ſingulari pietate reducant. Quod inſinuat Apoſtolus Hebr. 5. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Cùm ergo Redemptor noſter in illa, quam pro nobis aſſumpſit humanitate, hæc duo immensâ præſtiterit pietate; etenim diuina hominibus contulit dona, vt ipſe Apoſtolorum Princeps teſtatur 2. *Pet.* 1. vbi de Chriſto ſic loquitur: *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Inſuper preces, ſupplicationeſque, immò & ſeipſum hoſtiam pro nobis obtulit Patri, cuius iram omninò his placauit oblationibus; quod docet Apoſtolus *Hebr.* 5. vbi de Chriſto ait, quod *in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis obtulit.* Et *cap.* 9. ſubdit, quod Chriſtus *per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo.* Quibus ſine dubio oblationibus genus humanum Deo reconciliatum fuit, vt *Coloſſ.* 1. idem Apoſtolus innuit, dum inquit, *quod in ipſo* (Chriſto) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia.* Ideo verum ac proprium Sacerdotem fuiſſe Chriſtum res plana eſt, ac apud omnes indubitata.

146.

Duo Sacerdotis officia.

Sacrificia offerre, & preces.

Ea Chriſtus adimpleuit.

Ea propter, vt ſuum Dominus omnibos declararet Sacerdotium, ex parentibus Regali ac Sacerdotali dignitate inclytis, ſecundùm carnem naſci voluit; ſiquidem ex tribu Iuda (vnde Reges oriebantur, & quæ cum tribu Leuitica, ex qua Sacerdotes, ſæpiùs coniuncta perhibetur, & ideo Elizabeth cognata Mariæ Dei Genitricis ex ſtirpe David oriunda de filiabus Aaron dicitur, *Luc.* 1.) ortus eſt Dominus noſter, vt loquitur Paulus. *Heb.* 7. 14. Hinc, vt notauit D. Auguſtinus *lib.* 2. *de conſenſu Euangel. cap.* 4. illius ſeriem generationis diuerſo texuerunt ordine Euangeliſtæ. Matthæus enim qui Regiam in Chriſto inſtituit inſinuare perſonam, cum à Regibus ex Abraham ac ſtirpe David per Salomonem originem traxiſſe demonſtrat, *cap.* 1. Lucas autem qui Sacerdotalem in eo dignitatem oſtendit, eius natiuitatem ad David per Nathan, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit, reduxit; & à David vſque ad Adam, immò & vſque ad Deum aſcendit; cùm tamen Matthæus

147.

Ex Regibus ac Sacerdotibus Chriſtus natus, vt ſe Regē & Sacerdotē demonſtraret.

D. Auguſt.

ab

ab ipſo David per Salomonem, in cuius matre ipſe peccauit, ad ipſum Chriſtum deſcenderit, quod ab initio ſui præſtitit Euangelij, ipſum Regem à principio ſignificans: Lucas autem non ab initio, ſed à Baptiſmo Chriſti generationem narrat; nec deſcendendo, ſed aſcendendo, tanquam Sacerdotem in expiandis peccatis magis aſſignans, vbi teſtimonium Ioannes perhibuit, dicens: *Ecce qui tollit peccatum mundi*; aſcendendo autem tranſit ab Abraham, & peruenit ad Deum, cui mundati & expiati reconciliamur. Meritò etiam Lucas adoptionis originem aſcendendo deſcripſit, quia per adoptionem efficimur filij Dei, per carnalem verò generationem Filius Dei factus eſt Filius hominis, ſicut docet D. Th. *3.p.q.31. art.3. ad 3.*

‹Cur Matthæus deſcédendo, & Lucas aſcendédo, Chriſti generationé texuerit.› ‹*D. Thom.*›

148. Sacerdos igitur verus ac proprius Saluator, toti illuxit orbi, vt illum totum à Deo abalienatum, ad Deum conuerteret, ac conuerſum reconciliaret. Cumque hanc vniuerſalem mundi ad Deum conuerſionem, ac reconciliationem ſolus ipſe propria virtute præſtiterit, aliorum omnium ſacerdotum anteſignanum ac principem ſe exhibuit; quotquot etenim, vel in antiqua Lege ſacerdotali munere decorabantur, vel in noua ſacro exornantur miniſterio, illum tanquam Sacerdotalis dignitatis originem, omnium ſacrorum miniſtrorum omninò primum habent, agnoſcunt, venerantur. Illi quippe qui ante temporalem illius ex Virgine natiuitatem, veteris Teſtamenti mediatores ſeu Sacerdotes miniſtrabant, illum futurum viuæ veluti figuræ adumbrabant, eorumque miniſterium à Chriſto pendebat, & ad Chriſtum ordinabatur. Qui verò in Chriſtianorum Eccleſia ad Altaris miniſteria, & ſacras oblationes ſublimantur, eius poteſtate decorantur, eius inſigniuntur charactere, eiuſque virtute roborati, illius ſacris in miniſteriis perſonam exhibent, participantque dignitatem. Quod docuit Angelicus Doctor *3.p.q.22. art. 4. in corp.* dum inquit: *Chriſtus eſt fons totius Sacerdotij; nam Sacerdos legalis erat figura ipſius, Sacerdos autem nouæ Legis in perſona ipſius operatur, ſecundùm illud 2.Cor. 2. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.*

‹Chriſtus Sacerdos, quia ad Deum totum reduxit orbem.› ‹Omnis Sacerdos in lege Moyſis, ſiue in Eccleſia Chriſti, illius vicem gerit. *D. Thom.*›

149. Nec Regia Chriſti Maieſtas, de qua præcedenti elucidatione à nobis actum eſt, ipſius repugnat Sacerdotio; vtrumque enim munus, Regis ſcilicet & Sacerdotis, mirificè in eius coadunantur perſona. Cùm enim, vt notat D. Thomas quæſtione jam citata, *art. 1. ad 3.* alij homines particulatim habeant quaſdam gratias; Chriſtus tanquam omnium caput, perfectionem omnium habuit gratiarum; & ideo quantùm ad alios pertinet, alius eſt Legiſlator, & alius Sacerdos, & alius Rex; ſed hæc omnia concurrunt in Chriſto, tanquam in fonte omnium gratiarum. Vnde de eo dicitur Iſai. 33. *Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe veniet, & ſaluabit nos.*

‹Chriſtus fós omniũ gratiarum ac dignitatum.›

150. Quamvis autem in Chriſto ſacerdotium initium habuerit, quia ſicuti incœpit eſſe homo, dum noſtræ fragilitatis naturam ſibi hypoſtaticè copulauit; ita incœpit eſſe Sacerdos: non enim ante aſſumptam humanitatem in æternæ gloriæ maieſtate munus gerebat Sacerdotis, nec poterat. Cùm enim inter Deum & homines Sacerdos ſit mediator, vt illius vices omni ex capite Chriſtus impleret, in natura aſſumpta Dei & hominum mediator euaſit. Vnde id expreſſit Apoſtolus dum 1. *ad Tim. 2.* ait: *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Attamen quod in homine Chriſto incœpit, nullum ſortietur finem. *Sempiternum* quippe *habet Sacerdotium*, vt loquitur Apoſtolus *Hebr. 7. 24.* ac ad ipſum diriguntur verba pſalmi 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quamvis enim ipſa oblatio ſacrificij, quam Chriſtus in ara crucis æterno obtulit Patri, ſemel tantùm facta ſit, nec de cætero ſit iteranda; *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, vt ait Paulus *ad Rom. 6.* tamen virtus illius hoſtiæ ſemel oblatæ manet in æternum, quia vt idem Apoſtolus *Hebr. 10. 14.* inſinuat, *vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*, qui æternam felicitatem & omnia bona ſpiritualia, quæ cum interminabili vita in patria conſequuntur, tanquam finem ſacrificij Chriſti, ipſius mortis ac oblationis virtute adipiſcentur, ac in æternæ beatitudinis ſempiterna fruitione à Chriſto perenni bonitate conſeruantur. Licèt enim Sancti in patria non indigeant vlteriùs expiari per Sacerdotium Chriſti; tamen jam expiati indigent conſummari per ipſum Chriſtum, à quo gloria eorum dependet. Vnde dicitur *Apoc. 21.* quod *claritas Dei illuminabit illam*, ſcilicet ciuitatem Sanctorum, *& lucerna eius eſt Agnus*, vt docet S. D. *loc. cit. art. 5.*

‹Chriſtus Sacerdotium accepit cum natura humana.› ‹Æternum tamen eſt eius Sacerdotium.› ‹*D. Thom.*›

151. Cùm ergo immaculata, quam ſemel Chriſtus obtulit, hoſtia jugiter in homines perenni agat influxu, perenne etiam illum liquet habere Sacerdotium. Immò quamvis non niſi in natura aſſumpta Sacerdotium valeat vel habere, vel exercere, vt jam ſuperiùs diximus, & aliquo tempore homo eſſe deſiit; in eo tamen Sacerdotium non amiſit. Nam in triduo mortis ſuæ, dum à corpore eius animâ ſeparatâ ad inferos deſcendit, nec homo fuit, nec dici potuit, licèt humanitatis partibus diſtinctis ac diuiſis adhuc hypoſtaticè vnitum remanſerit Verbum. *Quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, vt commune fert Theologorum proloquium. Nihilominus ſacerdos etiam in illo triduo remanſit, quia vt notat D. Thomas *3. p. q. 50. art. 4. ad 3.* eſſe Sacerdotem conuenit homini ratione animæ, in qua eſt ordinis character; vnde per mortem homo non perdit ordinem ſacerdotalem, & multò minùs Chriſtus, qui eſt totius ſacerdotij origo. Nec propterea arbitrandum eſt, Chriſtum characterem habere ſacerdotij, ſicut in Chriſtianis Sacerdotibus inuenitur. Cùm enim character ſacramentalis ſit quædam participatio ſacerdotij Chriſti in Presbyteris nouæ Legis, vt ſcilicet ſicut Chriſtus habet plenam ſpiritualis ſacerdotij dignitatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam ſpiritualem poteſtatem reſpectu Sacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum: nequit Saluator ſibi ipſi configurari, nec ſuam, quam pleniſſimè poſſidet, participare poteſtatem; ideoque poteſtas Sacerdotij eius comparatur ad characterem, ſicut id quod eſt plenum & perfectum ad aliquam ſui participationem, vt idem Sanctus Doctor tradit *3. p. q. 63. art. 5.* Cum hoc tamen ſtat, quod quamvis in Chriſto non ſit Sacerdotij character, ſeu ſpiritualis participatio poteſtatis; nihilominus ipſe character æternus optimè dicitur, eoque nomine rectè ab Apoſtolo

‹Nuſquam deſiuit Chriſtus vel ipſa morte eſſe Sacerdos.› ‹*D. Thom.*› ‹Chriſtus nõ habuit characterem Sacerdotij, ſed pleniſſimam poteſtatem.›

inſignitur

Inſiguitur, *Heb.* 1. dum de illo inquit: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura*, ſeu character *ſubſtantiæ eius.* Vnde illo veluti perfectiſſimo charactere conſignantur Fideles per Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, eiuſdem Sacerdotium his Sacramentis participantes: ac propterea ſacramentalem characterem à Chriſto eſſe, ac Chriſti characterem appellari docet D. Thom. quæſtione proximè citata, *art.* 3.

Character Sacramenti eſt character Chriſti.

Sectio II.

Suum in cruce Chriſtus Dominus exercuit Sacerdotium, hoſtiam immaculatam Deo ſemetipſum offerens.

152. QVia juxta Philoſophum ac D. Thomam pluribus in locis, *vnumquodque eſt propter ſuam operationem; operari enim ſequitur eſſe*, vt tritum eſt apud omnes; ideo poſtquam ſectione præcedenti verum in Chriſto oſtendimus eſſe Sacerdotium, ipſumque Saluatorem optimum, primum omnium Sacerdotem, ac totius originem Sacerdotij demonſtrauimus; rectè modò huius Sacerdotis operationem ac Sacerdotij exercitium explanare ſatagimus: ſupervacanea etenim Sacerdotalis in Chriſto fuiſſet poteſtas, niſi ad actum eſſet redacta; ipſeque ſummus ac primus omnium Sacerdos, parum aut nihil hominibus contuliſſet, niſi pro illis Sacerdotali munere functus fuiſſet.

153. Hoc autem præcipuè in cruce præſtitit, vbi ſupplicationes ac hoſtiam pro hominum ſalute, cum *clamore valido & lachrymis* Deo patenti obtulit ac conſecrauit. Planè ſuauiſſimum ac gratiſſimum Deo ſacrificium immolauit, per illud *pacificans ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Vt autem omni ex capite Chriſti in cruce pendentis nobiliſſimum pateat ſacrificium, tria ad omne ſacrificium deſiderata, in eo animaduertere operæpretium eſt: hæc autem ſunt ipſe Sacerdos ſacrum faciens; ara in qua immolat; & ipſa quæ offertur & immolatur hoſtia.

Chriſti ſacrificium Deo gratiſſimum.

§. I.

Chriſtus in cruce Sacerdos.

154. NVllum alium in excellentiſſimo crucis ſacrificio Sacerdotem quæras offerentem cruentam & immaculatam hoſtiam, quàm ipſum qui pro omnibus immolatur hominibus Saluatorem. Ille ipſe eſt qui ineffabili charitate totius humani generis peccatis onuſtus ſemetipſum, vt illa deleret, hominesque mundaret, Deo holocauſtum in ligno crucis tanquam verus Sacerdos obtulit. Neque enim dumtaxat amantiſſimus Redemptor *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, vt dicitur *Iſai.* 53. 7. ſed inſuper paſſioni ſuæ ſpontaneam coniungens actionem, *per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatam Deo hoſtiam*, vt ait Apoſtolus *Hebr.* 9. 14. ac conſequenter Sacerdotis miniſterium in ligno crucis expleuit, quod docuit D. Auguſtinus *lib.* 10. *de ciuit. Dei, capite* 20. *tom.* 5. dum inquit, *Sacerdos ipſe Chriſtus offerens, ipſe & oblatio.* Non enim qui Chriſtum Dominum inuidiâ & odio tradiderunt, Principes Sacerdotum & ſeniores populi Iudæorum; vel qui auaritiâ prodidit infidelis diſcipulus, ac ſacrilegus apoſtata Iudas Iſcariothes; vel quæ gladio linguæ clamando occidit inſana plebs Iudaica; vel qui timore Cæſaris iniquus damnauit Iudex; vel qui crudelem exequentes ſententiam, Pilati mandatis obtemperantes, illum cruci affixerunt ſæui tortores, impiique miniſtri, Chriſtum patientem ac morientem obtulerunt: myſterium quippe non nouerant quod peragebant; nec ſacrum poterant facere, vel holocauſtum conſummare, qui crimen atrociſſimum perpetrabant, & horrendum parricidium committebant. Vnde Chriſti paſſio reſpectu illorum, id eſt prout ab illis proceſſit, non grata, ſed ingrata Deo extitit, illudque quod in ea iniqui egerunt homines, non ſacrificium, ſed potiùs maleficium vocitatur, vt aduertit D. Thom. 3. *p. quæſt.* 48. *art.* 3. *ad* 3.

Chriſtus ſacerdos offerens & hoſtia oblata.

D. Auguſt.

D. Thom.

Solus ergo Chriſtus ſacrificij perfectiſſimi, quod in cruce peregit, oblatione Pontifex fuit ac Sacerdos, quia ſolus ex charitate ſumma patiens, etiam ex eadem charitate, dum pateretur, egit, paſſioneſque, dolores, corpus ſuum ac ſanguinem, animam, vitamque præſtantiſſimam, omnemque ſuam humanitatem Deo vt ipſum placaret, ipſique infenſos reconciliaret homines, obtulit. Quod inſinuat Paulus *Eph.* 5. 2. dum ait de Chriſto: *Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Hinc eſt quod Angelicus Doctor 3. *p. quæſt.* 22. *art.* 2. *ad* 2. docet Chriſti Domini occiſionem ad duplicem voluntatem comparari poſſe. Primò ad voluntatem occidentium, & ſic non habet rationem hoſtiæ; non enim dicuntur Chriſti occiſores hoſtiam Deo obtuliſſe, ſed grauiter deliquiſſe, cuius peccati ſimilitudinem gerebant impia Gentilium ſacrificia, quibus homines idolis immolabant. Secundò ad voluntatem Chriſti patientis, qui voluntariè ſe obtulit paſſioni: ex qua parte habet rationem hoſtiæ, in quo non conuenit cum ſacrificiis Gentilium; immò maximè differt, cùm ex nobilitate offerentis, nempe Chriſti, qui Deo gratiſſimus eſt, vtpote dilectiſſimus eius Filius: tum ex ipſius hoſtiæ præſtantia; eſt enim ipſemet homo Chriſtus, qui immolatur & Deo offertur in omnium hominum redemptionem ac ſalutem. 155.

Solus Chriſtus in cruce Pontifex.

D. Thom.

Chriſtum occidentes grauiſſimè peccauerunt.

Chriſtus moriens hoſtia præſtantiſſima.

Sanè Chriſti Domini ſemetipſum in cruce immolantis præſtantiſſimum agnouit ſacerdotium Apoſtolus *Hebr.* 10. vbi illud ſupra omnes veteris Legis Sacerdotes mirificè extollit, & præcipuè dum inquit: *Omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata; hic autem* (Chriſtus) *vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vnâ enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* In hoc etenim ſacrorum omnium ritus veteris miniſtrorum Sacerdotium ſuperat ſuo Sacerdotio Chriſtus, quòd illi iteratis ac ſæpiùs repetitis oblationibus hoſtiarum nuſquam obliterare potuerunt delicta; vacua enim erant, & egena elementa, venturum cum Sacerdotio Redemptorem præſignantia: at vnicâ ſui corporis immolatione, quam in cruce Deo 156.

Veteres omnes Chriſtus ſuperat ſacerdotes.

obtulit Salutor, vniuerſa hominum expiauit peccata, cœlum aperuit, orcum clauſit, Patrem placauit, reos abſoluit, indulgentiam promeruit, & vt loquitur Apoſtolus, *Conſummauit in æternum ſanctificatos.* Hæc eſt Sacerdotis noſtri præſtantia, qui *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inuentâ.*

157. Solus etenim proprio ſanguine redemptionem inuenit Chriſtus, qui cruore ſuo captiuorum delicta expiauit, ipſiſque cœlos, qui clauſi erant, reſerauit. Cùm enim duo ad perfectam peccatorum emundationem requirantur, nempe deletio culpæ, & expiatio pœnæ; vtrumque præſtitit paſſione ſua Dominus: maculam quippe culpæ delet per gratiam, virtute paſſionis illius infuſam, vel per nouæ legis Sacramenta, vel ingenti Redemptoris bonitate, quæ cor peccatoris conuertit in Deum: reatus autem pœnæ totaliter tollitur per copioſam ac infinitam, quam Deo obtulit, ſuo ſanguine ſatisfactionem: ſicque Chriſti ſacerdotium, deletis ac obliteratis, quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam, hominum peccatis, illos pleniſſimè Deo reconciliauit. Vnde & *Rom.* 3. hoc attigit Apoſtolus, dum inquit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Nec tanto obeſt beneficio, quod homini Chriſto Sacerdotium competat, ac in ſua humanitate omnia ſacerdotalia munia patiendo ac moriendo obierit; quandoquidem licèt Chriſtus non fuerit Sacerdos ſecundùm quod Deus, ſed ſecundùm quod homo: vnus tamen, & idem fuit Sacerdos & Deus. Vnde in Concilio Epheſino contra Neſtorium congregato ſub S. Cyrillo Alexandrino Patriarcha Apoſtolicæ Sedis Legato, *can.* 10. dicitur: *Si quis Pontificem dicit, & Apoſtolum noſtrum fieri, non ipſum ex Deo Verbum, quando factum eſt caro, & ſecundùm nos homo, ſed tanquam alterum præter eum ſeorſum hominem ex muliere, anathema ſit.* Ideoque in quantum eius humanitas operabatur in virtute diuinitatis, illud ſacrificium erat efficaciſſimum ad delenda peccata, vt loquitur D. Thom. 3. *p. q.* 22. *art.* 3. *ad* 1.

Duo ad perfectam peccati remiſſionem requiſita Chriſtus præſtitit.

Vnus fuit Chriſtus Sacerdos & Deus.

Conc. Eph. Cyril. Alex.

158. Denique ſi gentium Magiſtro atteſtante, Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia;* quis Chriſto crucifixo Sacerdotium denegabit? Ille enim pro omnibus crucem pertulit hominibus, in eaque conſtitutus pro vniuerſi redemptione generis humani, ſanguinem ſuum pretioſiſſimum, animam ſanctiſſimam, vitam puriſſimam, totamque præſtantiſſimam humanitatem, perfectiſſimum ſacrificium Deo conſecrauit: nobis omnibus mortuus in patibulo viſus eſt, qui nobis in ſtabulo natus erat: ſibi non paſſus eſt, qui nec paſſione, nec ſacrificio indigebat. Cur etenim pro ſe pateretur ac propter ſe litaret, cùm ab omni culpa immunis omninò ſit. *Pontifex* enim nobis factus eſt, *ſanctus, innocens, impollutus ac à peccatoribus ſegregatus*, ſicut loquitur Apoſtolus *Hebr.* 7. 26. Infinitum cruenti Chriſti crucifixi ſacrificij valorem ac immenſam virtutem minueret, iniuriamque non paruam patienti Domino irrogaret, qui ſanguinis ſui pretium ſibi profuiſſe, ac pro offerente ſacrificium oblatum eſſe exiſtimaret. Omnis expers criminis nullâ prorſus egebat expiatione; cum Deo ſemper vnitus, nullâ Dei indigebat reconciliatione. Nullum ergo Sacerdotij, aut ſacrificij ſui fructum in ſe ſuſcepit, ſed illum omnibus hominibus, pro quibus immolatus eſt, obtulit ac donauit. Et ideo ſeipſu, & nullius aut ſacrificij, aut hoſtiæ adminiculo, vt pro nobis cauſam noſtram apud Patrem diceret, ad Patrem acceſſit. Vnde de eo ait Apoſtolus Hebr. 7. 25. *Accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vnde in præfato Concil. Epheſino, *can.* 10. ſic legitur: *Si quis dicit Chriſtum pro ſe obtuliſſe oblationem, & non magis pro nobis ſolùm* (non enim indiguit ſacrificio, qui peccatum neſcit) *anathema ſit.* Vnde notabile Chriſti & aliorum Sacerdotum diſcrimen apparet, quia ſcilicet alij homines ſunt infirmitatem habentes, qui condolere poſſint iis qui ignorant & errant, quoniam & *ipſi circumdati ſunt infirmitate*, vt dicitur *Hebr.* 7. 28. Dum enim ſacrificia offerunt *pro ſua & populi ignorantia*, ſe ex peccatorum numero non disjungunt. Chriſtus autem omnis peccati expers & ignorantiæ, nullatenus pro ſe, ſed omninò pro peccatoribus, *iuſtus pro iniuſtis*, corporis ſui Deo obtulit in ligno ſacrificium *ad deſtitutionem peccati.* Ex quibus verum Pontificem ac pefectiſſimum Sacerdotem in cruce Chriſtum apparuiſſe certum eſt.

Sibi non paſſus eſt Chriſtus, ſed nobis.

Conc. Eph.

Notabile Chriſti & aliorum Sacerdotum diſcrimen.

§. II.

Crux Chriſti altare eſt, in quo ſemetipſum Deo obtulit.

NVſquam hoſtias immolauerunt priſci temporis Sacerdotes, niſi ſuper altare, quod ad Dei honorem & gloriam ædificatum erat. Tria ergo mutuo fœdere colligata ſunt, Sacerdos, Altare, & Hoſtia. De ſecundo nunc agimus, primo jam à nobis ſuperiùs expoſito. Tertium nobis reſtat inferiùs explicandum. 159.

Chriſti igitur Sacerdotis hoſtiam & ſupplicationes offerentis nobiliſſimum crux altare fuit. In eo ſummus omnium hominum Pontifex, & hoſtia apparuit. Vnde *lignum in quo fixa erant membra patientis, non ſolùm cathedra fuit magiſtri docentis*, vt ait D. Auguſt. *tract.* 119. *in Ioan.* ſed etiam altare Sacerdotis immolantis. Quapropter Chriſtum extra ciuitatem, publico ac omnibus patenti Caluariæ loco, paſſum fuiſſe demonſtrat S. Leo Papa, vt novum altare noua hoſtia occuparet; & crux communis totius orbis ara, cunctis patens, à cunctis comprobaretur. Sic enim habet ſerm. 8. de paſſione: *Non in templo, nec intra ſepta ciuitatis* (Chriſtus) *crucifixus eſt, vt veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia nouo imponeretur altari, & crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Ideo quippe crux in altum protenſa erigitur, vt Chriſto hoſtiâ ſimul, ac Sacerdote feliciter onuſta, ſacrum ab omnibus 160.

Crux altare Chriſti.

D. Auguſt.

S. Leo.

Cur Chriſtus extra vrbem crucifixus.

reconci

reconciliandis hominibus, qui ex omni orbis parte ad Paſchalem conuenerant feſtiuitatem, altare videretur. Sicuti enim *lapidem in titulum erigens Iacob, fuſo deſuper oleo*, altare Domino conſecrauit, *Gen.* 28. 18. Ita Chriſtus, cuius *nomen oleum eſt effuſum*, crucis affixus patibulo, dum de terra exaltatus fuit, ſacri tactu corporis, ac ex vulneribus manante cruore, crucem aram ſacerrimam dedicauit.

Sanguine ſuo crucem altare dedicauit.

161. Ex qua crux formata eſt materia tantæ non obſtitit conſecrationi. Quamvis etenim apud antiquos ſacrorum rituum Antiſtites, ex lapidibus fabricata ſint altaria, ac ſanctiſſimus Patriarcha Iacob, non lignum, aut arborem, ſed lapidem in titulum erexerit, quem in altare vnxit, ac dedicauit: immò & apud Chriſtianos Chriſti Domini Sacerdotij participes diuina non celebrent myſteria, nec incruentam ſacratiſſimi eius corporis hoſtiam, niſi in aris lapideis ſacro ab Epiſcopo chriſmate vnctis immolent, tum quia altare ſignificat Chriſtum, qui PETRA ab Apoſtolo 1. *Cor.* 10. vocitatur; tum quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum, vt notat D.Th. 3. *p.q.* 83. *art.* 3. *ad* 5. attamen conuenientiſſimè lignum, in quo pependit Dominus, in altare erectum eſt ac ſanctificatum, quia in lege veteri altare holocauſtorum, in quo animalium ſacrificia offerebantur, ex ligno fabricatum erat, vt legitur *Exod.* 26. vnde cùm omnium holocauſtorum perfectiſſimum ſit illud quod pro nobis in cruce Deo obtulit Redemptor, vbi non tantùm doloribus, vulneribus ac copioſiſſimâ ſanguinis effuſione conſumptus eſt, ſed etiam charitate ardentiſſimâ combuſtus; nam *loco materialis ignis, fuit in holocauſto Chriſti ignis charitatis*, ſicut docet idem S.D. 3. *p.q.* 46. *art.* 4. *ad* 1. ideo rectè in cruce è ligno conflata, tanquam in holocauſtorum altari Chriſtus Sacerdos, & hoſtia ſemetipſum obtulit, mundumque hac oblatione redemit.

Quamvis altaria ſint lapidea.

D. Thom.

Tamen lignum crucis altare fuit holocauſti, quod obtulit Chriſtus, in quo loco ignis charitas fuit.

162. Cæterùm altaris, atque etiam aræ nomen, quæ licèt indifferenter pro eadem re in Eccleſia accipiantur, tamen ex diuerſo modo ſignificandi diuerſas exprimunt rationes, Chriſti Domini cruci conuenit. Nam cùm altare quaſi *alta res*, vel *alta ara* dicatur, in qua Sacerdotes incenſum adolebant; ara verò quaſi area, ideſt plana, vel ab ardore dicatur, quia in ea ſacrificia ardebant, vt notat Guillel. Durandus *in Rational. diu. off. lib.* 1. *cap.* 2. hæc omnia in ſacratiſſimo crucifixi cernuntur patibulo. Etenim alta res, ſeu alta ara, à terra in aëra protenſa, immò & in Caluariæ monte ſublimis eminet crux Domini, ita vt illam tanquam ſuam è terra exaltationem ſemper Chriſtus reſpexerit; ait enim Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra*, hoc eſt ſi cruci affixus fuero, *omnia traham ad meipſum*: ibi enim tanquam in alta ara ſublimatus non ſolùm mentis ſuæ incenſum adoleuit, ſed corpus ſuum charitatis igne torridum Deo patenti pro cunctis reis dedicauit. Vnde Chryſoſtomus *hom. de cruce & latrone*, exponens illud *Ioan.* 3. Oportet exaltari filium hominis, inquit: *Exaltari audiens, ſuſpenſionem intelligas in altum, vt ſanctificaret aërem, qui ſanctificauerat terram ambulando in ea.*

Altaris & aræ diſcrimen.

Durand.

Crux altare & ara.

Chryſoſt.

In crucem Chriſtus vt ſanctificet aërem tollitur

163. Conuenit inſuper aræ nomenclatura cruci Domini, quæ non ſolùm in altum protenſa altare extitit, ſed etiam in latitudinem extenſa, *Ara*, hoc eſt areæ, ſeu cuiuſdam planitiei, in qua ardebant oblata, nomen meruit, officiumque exercuit. Dum enim expanſis in cruce manibus latitudinem ſuæ oſtendit erga omnes charitatis, quâ *omnia traxit ad ſe ſecula*, vt in Laudibus feriæ 5. in cœna Domini canit Eccleſia, verè cruci ſuæ, areæ ſeu planitiei, in qua victimæ comburebantur, titulum ac munus tribuit; adeo enim ipſemet Chriſtus, qui tanquam victima immolabatur, arſit amoris igne, vt perfectum holocauſtum, hoc eſt totum incenſum fuerit, omneſque ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus ardentiſſimâ flammâ pellexerit; nam vt inquit Chryſoſt. loc. cit. *In cruce expanſis manibus moritur, vt alterâ manu veterem populum, alterâ eos qui ex gentibus ſunt, trahat.* Meritò autem in cruce exaltatus ad ſe homines dum traxit, erexit; quia vt ex Chryſoſtomo notat Angelicus Doctor 3. *p. q.* 46. *art.* 4. per hoc *quod in alto moritur, aſcenſum nobis parat in cælum.* Sicuti enim qui in celeberrima tutiſſimaque Noëmi arca, præcipiente Domino includebantur, exundantibus vbique diluvij aquis in ſublime, calcatis etiam eminentioribus terrarum montibus, elati ſunt; ita qui ſalutifero crucis ligno, arcæ veluti tutiſſimæ ſeipſos credunt, pretioſo Crucifixi exundante cruore, ad excelſa cœlorum habitacula ſublimantur. Mirabiles ſanè ſunt myſtici elationes maris, hoc eſt paſſionis Chriſti, cuius magna velut mare fuit in cruce contritio; ſed mirabilior in altis Dominus, dum in crucem velut in palmam aſcendens, vberrimos ac dulciſſimos fructus eius apprehendit, quos non tantùm ſibi tanquam victori reſeruauit, ſed & omnibus pro quibus paſſus eſt hominibus, ingenti bonitate præparauit, vt ſcilicet calcatis terrenarum rerum illecebris, perennes gloriæ, & honoris fructus in palma adumbratos, vnà ſecum in cœlis apprehenderent, ac in æternum poſſiderent.

In breuiario FF. Prædicat.

Expandit manus in cruce Chriſtus, vt alterâ manu Iudæos, altera Gentiles trahat.

D. Thom.

In alto Chriſtus moritur vt hominibus in cœlum paret aſcenſum.

Crux aræ ſimilis homines Chriſti cruore erigit.

164. Quod attigiſſe videtur inclytus Martyr Cyprianus *lib. de operib. cardinal. Chriſti*, vbi Chriſtum in cruce tanquam in ara eleuatum, cuncta ad ſe erigentem demiratus, ſic alloquitur: *Conſidero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum, & eleuatum in ſublime, & quaſi cælo proximum ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum, & inferioribus erexiſſe ſcalam in Patris occurſum.* Vbi poſtrema ponderanda ſunt verba: crux equidem, dum Chriſtum in aëra extulit, omnibus pro quibus in illam Saluator aſcendit, *veluti ſcala gradus præbuit*, aſcenſumque parauit, vt ad ſummum cœlorum Opificem æterna in cœlis præmia largientem accedant, ipſique perpetuâ charitate coniuncti, perenniter adhæreant. Vnde D. Gregor. Nazianz. *orat. de pace*, illud pſalmi 67. 19. *aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, de Chriſto Domino cruci affixo intelligendum arbitratur; ibi enim non ſolùm dæmonem debellauit, ſuamque in poteſtatem redegit; ſed omnes qui ad ipſius, hoc eſt diaboli voluntatem captiui tenebantur, in ſe ſuſcepit, ſublimauit, liberauit, ac perfectâ libertate donatos, in ſe traduxit, ac in æterna ac ſyderea regna ſecum victor eleuauit.

D. Cyprian.

Crux velut ſcala hominibus gradus præbuit, & in cœlum parauit aſcēſum.

D. Greg. Naz.

Per illam captiuos Chriſtus liberauit & ad cœlum ſubleuauit.

165. Nec ſolùm quamdam cum arca Noë crux habet affinitatem, à peccatorum diluvio homines liberans, & ad ſuperna cœlorum regna illos exaltans: alterius arcæ, quæ fœderis nuncupatur, & ex lignis Sethim fabricata eſt, præfert ſimilitudinem, viceſque gerit. Etenim ſi in illa Legis

tabulæ, virga Aaron quæ fronduerat, & vrna aurea habens manna erant condita, vt inſinuat Apoſtolus *Hebr. 9. 4.* in cruce *finis legis Chriſtus*, immò & ipſe Legiſlator; *virga virtutis* Dei, quæ *in medio inimicorum dominatur*; ipſaque ſanctiſſima Chriſti humanitas, vrna myſtica, multò pretioſior aureâ, non ſolùm manna mirabilem cibum habens, ſed Diuinitatem mannæ fabricatricem concludens, exhibentur. Et vt omni ex capite crux Chriſti fœderis arcæ reſpondeat, etiam in illa aureum propitiatorium reperitur.

Crux arca fœderis.

Immò & propitiatorium.

A cruce hoc non diſtinguitur; nam cùm propiatorium Hebræorum ipſum fuerit arcæ operculum ex auro ſolido conflatum, ex quo Angelus perſonam Dei gerens percunctanti Moyſi & populo vocaliter reſpondebat, dabatque oracula; nonne ipſa crucis ſuperficies puriſſimo ac nitidiſſimo Chriſti ſanguine deaurata, myſticum quoddam extat propitiatorium? *Sanguis* etenim *Chriſti aurum eſt*, vt inquit D. Ambroſius, & vt loquitur D. Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. *Quemadmodum ſi quis liquefacto auro manum, vel linguam injiciat, quamprimum deauratur: ita anima immerſa ſanguine Chriſti, aurea redditur.* Crux ergo Chriſti cruore madida fulgentiſſimo veluti auro coruſcat, in eaque non Angelus, ſed vnigenitus Dei Filius diuina pandit oracula, ac in illo nouæ Legis propitiatorio ſe Parenti pro omnibus cunctorum hominum delictis propitiationem offert. *Ipſe* enim, vt dicitur 1. Ioan. 2. 2. *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

D. Ambroſ.
D. Chryſoſt.

Sanguis Chriſti aurum eſt.

166. Ara igitur crux eſt, ſimulque arcæ fœderis ac propitiatorij vices gerit: immò & altaris thymiamatis, juxta Sanctum ſanctorum in tabernaculo collati, vt patet *Exod. 40. 24.* Cùm enim ex lignis Sethim compactum ſit hoc altare, aureumque dictum ſit, quia auro vndique veſtitum erat & obtectum; rectè illud exprimit ligneum Chriſti patibulum, eius ſanguine tanquam auro decoratum ac nobilitatum. Inſuper ſicut in thymiamatis altari erat ignis, quo incendebantur aromata, & Domino adolebantur, vt illorum ſuffitu Deus in Sancto ſanctorum reſidens honoraretur: ita in cruce ignis myſticus deflagrauit, flammaque ardentiſſimæ charitatis Chriſti diuina accendit aromata, quæ mirificum, Deoque gratiſſimum odorem exhalarunt, ita vt Dominus in Redemptoris ſacrificio odoratus ſit odorem ſuauitatis, & vt loquitur D. Th. 3. p. q. 46. art. 4. ad 1. *loco materialis ignis, fuerit in holocauſto Chriſti ignis charitatis.*

Crux eſt altare thymiamatis.

D. Thom.

167. Ex quibus omnibus liquet, primum, excellentiſſimumque Chriſtiani ritus altare fuiſſe crucem Domini. Quo ſenſu D. Chryſoſt. *hom. 4. de cruce & latrone*, illam *Eccleſiæ fundamentum* appellauit. Cùm enim nulla ſine altari, hoſtia & Sacerdote (quæ tria correlatiua ſunt, ac minimè ſeparantur) poſſit eſſe religio, quæ Deum Opt. Max. ſine altari & hoſtiis colere nequit vel inuocare; ideo Chriſtianorum Eccleſia, quæ ſanctiſſimam ac immaculatam Religionem profitetur, in cruce Saluatoris, tanquam in altari omnium nobiliſſimo, in quo Sacerdos ſanctiſſimus puriſſimam hoſtiam immolauit, fundata eſt. Hinc eſt quod cætera quæ in Chriſtianorum templis viſuntur altaria, ad crucem referuntur, & in crucis ſigno conſecrantur. Etenim non ſolùm figura crucis in quatuor Altaris cornibus imprimitur; ſed etiam in medio altari exhibetur, vt in omni parte dum crucis ſignum cernitur, virtus crucis habeatur; & paſſio quam Chriſtus vt omnium ſalutem operaretur, *in medio terræ* ſubiit, à medio ad omnes partes dilatetur altaris, ſicque diuerſo tantùm modo vna & eadem hoſtia, quæ in cruce immolata eſt, in templi altari offeratur, de qua hoſtia vt in cruce à Chriſto oblata eſt, nunc ſermo à nobis eſt inſtituendus.

Crux primũ altare Chriſtianorum.
D. Chryſoſt.

Omnia altaria ſigno crucis conſecrantur.

§. III.

Chriſtus cruci affixus, hoſtia eſt omnium perfectiſſima.

Fruſtra ſanè inſtitueretur Sacerdos, inutile ac ſuperuacaneum omnino eſſet altare, niſi ab illo ſuper iſtud hoſtia immolaretur. *Omnis* enim, inquit Apoſtolus Heb. 8. 3. *Pontifex*, ſeu Sacerdos *ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur.* Cùm ergo in cruce ſe Sacerdotem geſſerit Saluator, ſanctiſſimoque cruore lignum in quo pependit, altare conſecrauerit, hoſtiam Domino tunc debuit immolare. 168.

Sacerdos & altare inutilia ſine hoſtia.

Verùm affixus cruci, ab illa peregrinam quæſiturus hoſtiam, non receſſit, ſed *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*, vt loquitur Gentium Doctor *Eph. 5. 2.* Cùm enim ea quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſint vnita, vt tritum eſt apud Philoſophos; ea quæ in omnibus inferiorum Sacerdotum oblationibus ſeiuncta cernuntur, in ſupremi omnium Sacerdotis Chriſti Domini ſacrificio reperiuntur copulata. Ille quippe Sacerdos eſt, ac victima, vtrumque quà homo eſt, munus in ſe complectens. Immò quatuor quæ in omni ſacrificio diſtincta notantur, in Chriſti oblatione congregantur. Quod aduertit D. Auguſtinus *lib. 4. de Trin. cap. 14.* dicens: *Cùm quatuor conſiderentur in omni ſacrificio, ſcilicet cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur: idem ipſe vnus verúſque mediator per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo manſit, cui offerebat; vnum in ſe fecit, pro quibus offerebat; vnus ipſe fuit qui offerebat, & quod offerebat.* Hæc Auguſtinus: ea etenim quæ in antiquis veterum ſacrificiorum hoſtiis requirebantur, in Chriſto crucifixo, qui voluntariè oblatus eſt, reperiuntur. 169.

Chriſtus in cruce hoſtia.

D. Auguſt.

Quatuor in ſacrificiis disiuncta, in Chriſto adunata.

Quod antiquitus offerebatur animali duo à priſcis attributa ſunt nomina, nempe hoſtiæ, aut victimæ, quæ ab eodem capite ſeu principio deriuata ſunt, ſcilicet ab hoſtibus victis ac ſubactis. Cùm enim omnis victoria ſit à Domino, qui *Sabaoth*, ſeu *Dominus exercituum* à ſacris paginis appellatur, ipſe quippe bellatorum docet manus ad prælium, & digitos eorum ad bellum; qui hoſtem vicerant, in grati animi monumentum, victorum ſeu ſubactorum animalia Deo mactabant, ſpoliaque conſecrabant: vnde ab hoſtibus manu militis ablata, Deoque oblata, hoſtiæ ſunt vocata, nomenque victimarum à victis ſeu deletis inimicis ſortita ſunt. Vnde Poëta cecinit, 170.

Vnde nomen victimæ & hoſtiæ.

Victima, quæ cecidit dextrâ victrice, vocatur;
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Ouid.

Quæ cùm ita ſint, vt etiam ex Scriptura colligi poteſt, *ex 1. Reg. 15. 21.* vbi Saül, qui præcepto Domini, quo funditus Amalech delere jubebatur, cùm non paruiſſet, ſuam conatus eſt excuſare contumaciam hoſtiarum & victimarum 171

prætextu,

Digitized by Google

prætextu, aſſerens ſe vocem Domini audiuiſſe, etſi Agag Regi Amalech parcitum fuiſſet, mileſque illæſa hoſtis animalia, ad immolandum ſeruaſſet; ait enim: *Tulit de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis*; vtrumque rei oblatæ nomen, hoſtiæ ſcilicet ac victimæ, Chriſto conuenire nemo non nouit.

172. Chriſtus victima & hoſtia.

Bellauit etenim in paſſione ſua Dominus, infenſiſſimoſque humani generis hoſtes patiendo potiùs, quàm agendo proſtrauit, vicit, ſuperauit. Sacratiſſimum corpus ſuum crudeliſſimis hoſtium manibus permiſit, ſeque ludibriis dehoneſtari, duris nexibus colligari, alapis cædi, ſputis contemni, ſpinis coronari, clauis configi, ac immani crucis ſupplicio vexari à diaboli membris tanquam ab exercitus furentis militia ſuſtinuit, vt inuictiſſimâ patientiâ tormenta ac tortores ſuperans, otcum vinceret ac de dæmone triumpharet, omneſque quos cum aſſumpta natura ſibi coniunxerat homines, à poteſtate eriperet tenebrarum, ac in perfectam aſſereret libertatem. Nam vt inquit S. Leo Papa ſerm. 8. de paſſione: *Sæuienti diabolo per miniſteria Iudæorum* (Chriſtus) *formam ſerui nihil peccati habentis obiecit, vt per eum ageretur omnium cauſa, in quo ſolo erat omnium natura ſine culpa.* Innocentiâ igitur ac patientiâ præliatus eſt Dominus, hoſtemque debellauit; noſque *qui in illo patiebamur*, vt inquit D. Athanaſ. *ſerm. de paſſ. & cruce Domini*, cum illo & per illum ſuperauimus, eius innocentiâ puri, eiuſque patientiâ roborati. Tunc quippe deleuit, *quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, & exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*, vt inquit Apoſtolus *Coloſſ.* 2. 15. Siquidem chirographum decreti, hoc eſt obligationem ad pœnam æternam, juxta decretum Dei, & ſententiam damnationis in Adamum & poſteros eius latam, cui ſponte peccando quaſi manu noſtrâ ſubſcripſimus, noſque diabolo quaſi vindici hac obligatione obligauimus; nam vt inquit Origenes hom. 13. in Geneſ. *quiſque dum peccat, peccati ſui literas ſcribit*; Chriſtus obliterauit & aboleuit cruce ac morte ſuâ. Cúmque chirographo ſic deleto, ac ſyngraphâ ſic laceratâ & abolitâ, nullum ſupra nos diabolo jus remanſerit, de eo Chriſtus moriens victor palam ac publicè triumphans, triumphi ſui nos effecit conſortes.

S. Leo. D. Athan. Origen.

173. Dum ergo homines in aſſumpta natura Chriſtus à diaboli poteſtate morte ſuâ liberauit, ſuam quæ pro hominibus patiendo debita ſoluebat, humanitatem, prædam veluti locupletem recuperauit, ac tanquam ſpolium opimum de manibus hoſtis arripuit, illamque dum Parenti optimo patiendo obtulit, hoſtiam & victimam conſecrauit. Duplexque hoſtiæ ac victimæ titulus Chriſti humanitati crucifixæ, Deoque oblatæ mirificè quadrat, & conuenit; quia de manibus hoſtium eripitur, omniſque per illam hominum natura ad Deum reuocatur, ac de ſubacto ac victo dæmone, vulneribus ſuis perenne extat monumentum. Hinc ab Apoſtolo paſſim Chriſtus dicitur ſe *hoſtiam Deo obtuliſſe*, eiuſque immaculata Sponſa illum paſchalem victimam vocat in Sequentia diei Reſurrectionis, canens:

Victimæ paſchali laudes immolent Chriſtiani:
Agnus redemit oues, Chriſtus innocens Patri
Reconciliauit peccatores.

174. Nulla victima gratior Deo quàm Chriſtus.

Cæterùm nulla vſquam Deo gratior victima mactata, nulla acceptior hoſtia immolata eſt illâ, quæ à Chriſto in cruce Deo eſt oblata. Immò cætera Deus reſpuit holocauſta; vnum Filij ſui in carne ſacrificium acceptauit. In illo quippe ſolo immaculata omninò extitit hoſtia, vtpote innocentiſſima, puriſſima, optima, ſpontanea, ac omni ex capite perfectiſſima. Ipſe enim Chriſtus, homo Deus, Deique dilectiſſimus Filius ſeipſum immaculatum in ligno crucis obtulit. Vetera planè adimpleuit ſacrificia, omniumque ritus veteris hoſtiarum finis fuit, ac complementum, illaſque quamvis diſſonas, in ſe mirabili fœdere perficiens copulauit.

175. Triplex hoſtia, pro peccato, pacifica & holocauſtum.

Ad triplex homini bonum procurandum ſacrificia ipſi neceſſaria inſtituta ſunt. Primum quidem, vt homo à Deo per peccatum auerſus, ad ipſum per peccati remiſſionem, quæ gratiæ diuinæ infuſionem requirit, reuocetur: vnde ad hoc indiget oblationibus, quæ hoſtiæ pro peccato nominantur, vt patet ex Apoſtolo *Hebr.* 5. vbi ait quod ad Sacerdotem pertinet, *vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Secundò homo Dei gratiâ ornatus auxilio diuino indiget, vt in illa conſeruetur, ſemperque inhæreat Deo, in quo eius pax & ſalus conſiſtit: & ideò ad illud Dei adiutorium implorandum offeruntur hoſtiæ pacificæ, quæ nimirum pro offerentium ſalute immolantur, vt patet *ex 3. cap. Leuit.* Tertiò denique maximè indiget homo, vt eius anima perfectè Deo vniatur; quod maximè erit in gloria, & ad hoc offerebantur in veteri Lege ſacrificia & hoſtiæ, quæ omninò igne conſumebantur, & vocabantur holocauſta, eo quòd omninò deflagrabant ac in cineres redigebantur, vt patet *Leuit.* 1. Omnium autem harum hoſtiarum ritus recenſentur à D. Thoma 1. 2. *q.* 102. *art.* 3. *ad* 8, ita vt in qualibet illarum proprius ac ſingularis diuidendi, comburendi, ac offerendi modus habeatur. Ab omnibus illis conſultò abſtinemus, nihil enim præſenti conferunt inſtituto.

D. Thom.

176. Ritus omnium hoſtiarum.

Attamen notat S. D. quod in omnibus illis hoſtiis hoc generaliter obſeruabatur, quod ſanguis & adeps eorum quæ immolabantur animalium, non veniebant neque in vſum Sacerdotum, neque in vſum offerentium: ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps verò adurebatur in igne. Sicuti igitur ſigna in re ſignificata complentur, & figuræ in re figurata adimpletæ cernuntur; ita cuncta legis veteris hoſtiarum ac victimarum ſacrificia in Chriſti crucifixi ſacrificio adunantur, adunata conſummantur, & conſummata omninò terminantur. Nam vt inquit D. Aug. lib. 10. de ciuit. cap. 6. *Huius veri ſacrificij* (paſſionis Chriſti) *multiplicia, variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum; cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multùm commendaretur.* Vnde Chriſtus, qui in cruce non ſolùm Sacerdos, ſed hoſtia extitit, triplicis priſcarum oblationum ſacrificij rationem in ſe collegit. Ipſe enim hoſtia pro peccato, hoſtia pacifica, ac tandem perfectiſſimum fuit holocauſtum. Etenim neminem latet Chriſtum cruci affixum, immolatumque pro peccatis hominum, noſtraque piiſſimo eius cruore deterſa fuiſſe

D. Auguſt. Omnes incluſæ in oblatione Chriſti.

fuiſſe ſcelera. Quod Euangelici Vatis ore æternus Pater teſtatus eſt, dum inquit Iſai. 53.8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Sicque factum fuiſſe gentium docet Apoſtolus *Rom.* 4.25. dicens: *Traditus eſt propter delicta noſtra.* Ac conſequenter Saluatorem noſtrum hoſtiam pro peccato oblatum eſſe, certum eſt. Inſuper cùm virtute paſſionis eius gratiam nos ſaluantem ac conſeruantem accipiamus, omniaque ſacramenta quibus in Eccleſia vel ſpiritualiter renaſcimur, vel confirmamur, vel paſcimur, vel ſanamur, vel multiplicamur, vel eleuamur, vel ad præliandum roboramur, virtute ſanguinis in cruce fuſi operentur; illum etiam hoſtiam fuiſſe pacificam conſtat. Vnde de illo ait Paulus Hebr. 5. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Tandem per Chriſtum crucifixum perfectionem gloriæ adipiſcimur, eiuſque ſanguine nobis cœli reſerantur. Vnde idem Apoſtolus *Hebr.* 10. inquit: *Habemus fiduciam per ſanguinem eius, in introitum ſanctorum*, ſcilicet in gloriam cœleſtem; ſicque perfectiſſimum Chriſtus nobis extitit holocauſtum, quod immenſo amoris igne deflagrauit, ſicut notauit D. Thomas 3. *p. q.* 46. *art.* 4. *ad* 1.

D. Thom.

177. Perfectiſſimum igitur omnium ſacrificiorum Chriſti crucifixi extitit ſacrificium, dum omnia veteris legis in ſe compleuit ac vniuit ſacrificia; ſimulque fuit hoſtia pro peccato, hoſtia pacifica, & holocauſtum. Quod ſancta agnouit Eccleſia, dum oratione ſecreta, quam inter Miſſarum ſolennia fundit ad Dominum Dominica ſeptima poſt Pentecoſten, ſic precatur: *Deus qui legalium differentiam hoſtiarum vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti.* Docuitque S. Leo Papa *ſerm.* 7. *de paſſ.* dum eleganter, vt aſſolet, inquit: *Oportebat vt manifeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio; & vno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum.* Vnde Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 102. *art.* 3. *ad* 8. notatur, quod in omnibus hoſtiarum oblationibus apud Hebræos ſanguis in altaris crepidine fundebatur, totuſque adeps comburebatur, quia per hoc figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti, & pinguedo eius charitatis, per quam ſe obtulit Deo pro nobis. Nulla ergo in veteribus Iudæorum victimis, ad Deum placandum, expiandaque peccata virtus inerat, niſi in quantum futurum Domini IESV ſacrificium præſignabant. Ideoque paſſione Domini conſummata ac abolita ſunt omnia antiqui fœderis ſacrificia.

Perfectiſſimũ omnium ſacrificium oblatio Chriſti.

S. Leo Pap.

D. Thom.

Omnes hoſtias cõſummauit oblatio Chriſti.

178. Hoſtiæ etenim à Chriſto in cruce oblatæ dignitas maxima, antiquarum longè ſuperat ignobilitatem victimarum. Muta ſiquidem animalia ratione carentia à Iudæis mactabantur: à Chriſto autem humana caro ſanctiſſimâ informata animâ oblata eſt; quæ cùm à carnibus irrationalium animalium, tanquam perfecta ab imperfectis figurata ſit, perfectiſſimum dum immolata eſt, compleuit ſacrificium. Optimè quippe duplici oblationum fini congruebat; cùm enim vel hominum ſalus, ſeu peccatorum remiſſione, ſeu in gratia conſeruatione; vel Dei gloria in omni hoſtiarum immolatione intendatur; conuenientiſſimum ad hos fines Saluatoris immolatio extitit medium. Nam vt notat D. Thomas 3. *p. q.* 48. *art.* 3. *ad* 1. Chriſti Domini caro, ex eo quod eſt humanæ naturæ caro, congruè pro hominibus offertur, & ab eis ſumitur ſub Sacramento Euchariſtiæ; ex eo etenim quod hæc caro erat paſſibilis & mortalis, apta erat immolationi; ex eo autem quod erat ſine peccato, efficax erat ad emundanda peccata; & tandem ex eo quod non aliena, ſed propria erat caro ipſius offerentis, ex maximâ quâ agebat charitate, Deo multùm erat accepta. Deinde immenſam Deo gloriam pro ea, quam ipſi hominum protoparentis offenſa intulit, iniuria, Chriſti immolatio ſimul & humiliatio obtulerunt. Cùm enim ex obedientiâ paſſus ſit, dum ſuam Verbo Diuino hypoſtaticè vnitam humanitatem vſque ad mortem crucis humiliauit, infiniti pretij ſatisfactionem pro inobedientia Adami retulit, ſicque *pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſoluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit*, vt ex D. Gregorio Magno canit Eccleſia in bened. Cerei Paſchalis. Cùm enim Chriſtus ſit caput omnium hominum, membraque cum capite quaſi vnam myſticam coaleſcent perſonam, optimè potuit Chriſtus pro omnibus patiens hominibus, omnium debita ſoluere; infinitaque ac ſuperabundans, quam Patri æterno obtulit, ſatisfactio ad omnia eius membra dilatari, atque ad omnes extendi potuit homines, etiam ad ipſos crucifixores: maior quippe Chriſti patientis charitas extitit, quàm malitia crucifigentium.

D. Thom.

Congruè caro Chriſti pro hominibus oblata eſt.

D. Greg.

Pro omnibus Chriſtus paſſus eſt hominibus, & pro illis vt illorũ caput ſatisfecit.

Quamobrem ſola ad omnia obliteranda peccata hoſtia à Chriſto oblata cùm ſufficiat, cæteræ animalium oblationes, ipsâ Chriſti paſſione è medio ſublatæ ſunt. Immò & crudeliſſimi Gentilium ritus, quibus filios & filias ſuas dæmoniis immolabant, Chriſti ſacrificij prædicatione penitus extincti ſunt ac deleti. Simul enim ac ferociſſimæ gentes, Apoſtolicis tubis inſonantibus, Chriſtum pro cunctis immolatum hominibus didicerunt, eius fidei colla ſubdentes ab exſecrandis hoſtiarum humanarum ſacrificiis abſtinuerunt. Quod planè in Galliis accidiſſe vetera ſanctæ Arelatenſis Eccleſiæ monumenta teſtantur. Cùm enim in inclyta Arelatenſi ciuitate adhuc Gentilitatis caligine obuoluta tres pueri publicâ pecuniâ empti, ac per annum ſaginati, calendis Maij ſupra latam duabus columnis aram quotannis immolarentur, eorumque ſanguine in peccatorum expiationem barbara immenſaque plebs aſpergeretur; immane facinus deteſtatus Trophimus Pauli diſcipulus, ac ab eodem Apoſtolo Arelatenſium primus Epiſcopus deſignatus, Euangelicâ prædicatione ſignis ac portentis confirmatâ, atrocem ritum ſuſtulit, docens non mortalium hominum cruore, ſed Chriſti ſanguine, qui pro humana ſalute ſeipſum hoſtiam & victimam immaculatam æterno Patri obtulerat, expiari peccata ac deleri, quo aſperguntur homines non viſibiliter cruore madidi, ſed Baptiſmatis lauacro ſub inuocatione Trinitatis perfuſi, ac inuiſibiliter gratiâ renouati. Quod adeo feliciter præſtitit, vt prouinciæ Lugdunenſis Præfectum, innumeramque hominum multitudinem Chriſti Fidei & Eccleſiæ aggregarit, ac in cæteras Galliarum prouincias Chriſtianam Religionem diſſeminarit: nam, vt ſanctus Zozimus Papa ſcribit, ex Trophimi prædicationis fonte tota Gallia fidei riuulos accepit. Sola igitur vera, & Deo grata hoſtia, Chriſtus immolatus extitit, omneſque alias complendo victimas, excluſit ac repudiauit. 179.

Immania gentilium de filiis ſacrificia.

Ex lect. 2. nocturni officij S. Throphimi, in prop. feſt. Eccl. Arelat.

Ex S. Throphimi prædicatione tota Gallia fidei riuulos accepit.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

Chriſtus in vltima cœna corpus & ſanguinem ſuum præbens Apoſtolis, Sacerdos apparuit, & verum ſacrificium obtulit.

180. OMnem amor odit moram, dilationes neſcit, tardaque reſpuit molimina: ipſe etenim celerrimus eſt, reique vt inſeruiat amatæ, ſemper agit, vrget, currit, volat ac tranſvolat. *Præceps amor*, inquit Bernardus ſerm. 9. in Cant. *nec judicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubjicitur.* Hinc eſt quod ardenti Chriſtus homines proſequens charitate, ad crucem toto mentis affectu properauit, cucurrit, volauit. *Baptiſmo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vſquedum perficiatur.* Luc. 12. 50. hoc eſt, vt exponit Hugo Cardinalis, *Sanguine proprio vniuerſaliter quaſi baptiſmo habeo perfundi.* Vnde quando Ieroſolymam, vt pateretur aſcendit, cum tanta gloria eſt ingreſſus, vt amplius Iudæorum aduersùs ſe excitaret inuidiam, quia jam tempus paſſionis eius inſtabat, *& non mors eum vrgebat, ſed ipſe magis aduersùs ſe compellebat mortem*, vt loquitur D. Ioan. Chryſoſt. *hom. 21. ex variis in Matth.* Cúmque ardentiſſimo, quo mortem pro nobis cupiebat, deſiderio velociſſima Scribarum ac Phariſæorum malitia non reſponderet, ipſumque quamvis præceps Præſidis cruci Chriſtum addicens judicium, longiùs ipſi videretur protractum, infinita eius præcucurrit dilectio, mortemque quam in propria ac viſibili forma craſtinâ luce pati debebat, pridie quàm pateretur, admirabili in corporis & ſanguinis ſui Sacramento, amore præueniente, ſubiit; ac ſeipſum quem in cruce cruore perfuſo, corporeque clauis confoſſo, victimam offerre volebat, ſacra quam inſtituit in Euchariſtia, incruentam ac immaculatam Deo Patri hoſtiam immolauit.

Moras neſcit amor.
D. Bernard.
Hugo Card.
D. Chryſoſt.
Chriſtus ad mortem cucurrit ardenti moriendi deſiderio.
In Euchariſtia mortem antequam moreretur, inuenit

181. Planè Sacerdos apparuit Chriſtus, dum immenſo cogente eius amore, antiquum Paſcha conſummans & novum condens, ſeipſum habuit ſub ſpecie panis præ manibus, Patri obtulit, diſcipulis erogauit, ſeque vt omni ex capite ſacrificantis partes impleret, proprio corpore ſaturauit. Cùm enim Agni Paſchalis immolatio, quæ quartadecima die menſis Niſam, qui apud Hebræos primus anni eſt, jubente Domino fiebat, veram ſacrificij rationem haberet; corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum, cuius Paſchalis Agnus typus extitit, etiam veram hoſtiam extitiſſe, nemo cum fundamento negabit. Id docuit S. Leo Papa *ſerm. 7. de paſſione*, vbi ait: *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo excluditur Sacramento. Hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Et poſt pauca ſubdit: *Ieſus conſilij ſui certus, vetus Teſtamentum conſummabat, & nouum paſcha condebat: & cùm in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Chriſtus deberet occidi: ille corporis & ſanguinis ſui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hoſtia deberet offerri.*

S. Leo Pap.

182. His accedit, Chriſtum *ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdotem*, à Spiritu ſancto Dauidis ore prænuntiatum, *pſal.* 109. 5. dum ſub ſpecie panis & vini in Euchariſtiæ Sacramento corpus ſuum & ſanguinem Deo obtulit, hominibuſque donauit, Sacerdotium ſuum veraciter exercuiſſe, ſimulque Deo ſacrificium, & hominibus Sacramentum exhibuiſſe. Typo etenim res figurata reſpondet, ipſumque Melchiſedech in panis & vini oblatione ſacrificium, in corporis Domini hoſtia, quam adumbrabat, ſuum habuit complementum. Sicuti ergo panis & vinum à Sacerdote Melchiſedech Deo oblata, & Abrahæ, ac eius militibus diſpenſata, veri ſacrificij naturam conſequuta ſunt, nam Melchiſedech verus erat Dei Sacerdos, nullamque aliam ex quibuſvis rebus, aut animalibus hoſtiam immolauit, vt fuſiùs in ſequentibus oſtendemus: ita quæ in vltima cœna Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus, ſecundùm ordinem Melchiſedech, panem & vinum obtulit, verum hoſtiæ omnium perfectiſſimæ ſacrificium conſtabant. Quod attigit inclytus Martyr Cyprianus *lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium*, vbi adductis verbis pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ſubiungit: *Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei Summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Hæc Cyprianus, vbi apertè ſacerdotium ac ſacrificium Melchiſedech profitetur, verumque Chriſti Domini in Euchariſtia ſacrificium in illo Melchiſedech præſignatum declarat. Vnde à primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis communis Orthodoxorum conſenſus, Euchariſtiæ oblationem, quæ quotidianis vicibus iteratur, ab illa quam Chriſtus in vltima cœna obtulit minimè diſſonam, ſacrificium appellauit, & cum ſacrificiis Abrahæ ac Melchiſedech contulit; quod patet ex Canone Miſſæ, cuius meminit D. Ambroſius *lib. 4. de Sacramentis, cap. 6.* Cuius teſtimonium multùm vrget Nouantes, cùm Ambroſiùs vnus ſit ex Patribus, qui quatuor primis Eccleſiæ vixerant ſeculis, quos ex communi Caluiniſtarum fidei profeſſione coguntur cum veneratione ſuſcipere: viuere etenim inter mortales deſiit Ambroſius circa finem quarti ſeculi; nam obiit pridie nonas Aprilis, anno Chriſti 397. vt conſtat Ex Baronio *tom. 4. annal.* Pars igitur Canonis incruenti ſacrificij Miſſæ ab Ambroſio relata ſic habet: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Vnde in eodem Miſſæ Canone immediatè ante illa quæ nunc retulimus verba, corporis & ſanguinis Domini ſub panis & vini ſpeciebus oblatio, *hoſtia* appellatur. Ibi enim dicitur, *offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.*

Melchiſedech oblatio fuit verum ſacrificium.
D. Cyprian.
Chriſtus ſacrificium oblationi Melchiſedech ſimile obtulit.
D. Ambroſ.
Canõ Miſſæ antiquiſſimus
Baron.
Euchariſtia ſacrificium appellat.

183. Verùm Chriſtianorum ſacrificij hoſtes infenſiſſimi huius temporis Nouatores, vt Chriſtum in Euchariſtia nullatenus ſacrificium obtuliſſe demonſtrent, nec Melchiſedech panem & vinum Deo in ſacrificium, ea Abrahæ & militibus eius in refectionem protuliſſe contendunt: quod probare

Inſtant Nouatores.

bare conantur ex verbis Scripturæ, vbi *Gen.* 14. non dicitur quod Melchiſedech panem & vinum obtulit, ſed *protulit*. Deinde licèt in vulgata editione legatur particula cauſalis, *enim*, dum factâ mentione de pane & vino prolatis à Melchiſedech, ſubditur, *erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*: tamen juxta originale Hebræum, tantùm ibi reperitur particula coniunctiua. Vnde ex Hebræo poteſt ſic verti, *Et erat Sacerdos Dei altiſſimi*. Vel vt Caluinus & Kemnitius legunt, *erat autem Sacerdos Dei altiſſimi*. Inſuper addunt, quod Sacerdotium Melchiſedech non debet referri ad panis & vini prolationem, ſed ad benedictionem quam Melchiſedech impertiit Abrahæ. Nam benedictio ad nomen Sacerdotis additur: ibi enim legitur: *Erat autem Dei Sacerdos altiſſimi, & benedixit ei.*

184. Corruunt tamen facillimè iſtæ hæreticorum inſtantiæ, nulloque negotio confutantur. Ex tribus etenim Melchiſedech actionibus, quæ *capite* 14. *Geneſis citato*, narrantur, duæ poſteriores fuere planè ſacerdotales, nempe benedicere Abrahæ, & ab eo decimas accipere: ergo & prima eius actio, proferendi ſcilicet panem & vinum, fuit etiam ſacerdotalis, & ad ſacrificium pertinens. Quod expreſsè docuit D. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam vt migret Betlehem, vbi Sanctam illam mulierem ſic alloquitur: *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem, huius Principem inuenies ciuitatis, qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Saluatoris ſanguine & corpore dedicauit.* Quod etiam docet epiſtola ad Euagrium, & in quæſtionibus in Geneſim, explicans caput 14. & *in cap.* 22. & 26. Matthæi. Idem ſentit Auguſtinus in epiſtola 95. ad Innocentium Papam, vbi ait: *Melchiſedech prolato Sacramento menſæ dominicæ, nouit æternum eius ſacerdotium figurare.* Et *lib.* 16. *de ciuit. Dei, cap.* 22. loquens de oblatione Melchiſedech: *Ibi*, inquit, *primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum, &c.* Et *lib.* 1. *cont. aduerſ. leg. & proph. cap.* 20. ait: *Ibi quippe & hoc dictum eſt, Iurauit Dominus, & non pænitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nouerunt, qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham; & jam ſunt participes eius: vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.* In eadem ſententia fuit Theodoretus comment. in pſalm. 109. *Inuenimus*, inquit, *Melchiſedech Sacerdotem & Regem eſſe, & offerentem Deo non ſacrificia ratione carentia, ſed panem & vinum.* Aliique Sancti Patres in ſcriptis ſuis paſſim docuere: vnde omninò certiſſimum eſt, Melchiſedech panem & vinum Deo in ſacrificium incruentum obtuliſſe, cùm nulla alia res Deo ab ipſo in tota Geneſi legatur oblata.

Refelluntur.

D. Hieron.

D. Auguſt.

Theodor.

185. Nec panis & vini à Melchiſedech oblati ſacrificium vllo modo textus Hebræos, vbi loco particulæ cauſalis, *enim*, legitur coniunctiua, *&*, quæ voce Hebraïca, *vau*, exprimitur, poteſt infirmare. Quia vt doctiſſimi obſeruatunt Interpretes, particula copulatiua, *vau*, Hebraïcè; Latinè, *&*; apud Hebræos pro cauſali *chi*, ſeu *enim*, vſurpari ſolet. Ex ideo licèt juxta phraſim Hebraicam locus citatus ex 14. capite Geneſis Latinè reddatur, *Melchiſedech protulit panem & vinum, & ipſe Sacerdos Deo altiſſimo, & benedixit ei*; attamen genuina eſt tranſlatio vulgatæ editionis, in qua cauſalis pro copulatiua particula ponitur, & legitur, *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei*, &c. quod non ſemel factum eſſe liquet; pluribus enim in locis particula copulatiua, *&*, quæ in Hebræo ponitur, Latinè per cauſalem *enim*, vel *quia*, reddita eſt, vt Gen. 20. *En morieris propter mulierem, quam tuliſti, & ipſa habet virum*, juxta phraſim Hebraïcam: ſed in vulgata editione legitur, *habet enim virum.* Et *pſalm.* 59. 13. licèt Hebraïcè habeatur, *da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis*; tamen vulgata tranſlatio poſuit *quia*, pro, *&*; legendo, *quia vana ſalus hominis.* Similiter *Iſai.* 64. vbi legitur, *tu iratus es, quia peccauimus tibi*; Hebraicè legitur, *& peccauimus tibi.* Vnde Ianſenius exponēs illa verba Lucæ 1. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*; aduertit poſitum eſſe *&*, pro *quia.* Ex quibus liquidò conſtat, Latinum Interpretem optimè ex Hebræo tranſtuliſſe verba Geneſis 14. *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*, &c. Adde quod vt notauit Bellarminus *lib.* 1. *de Miſſa, cap.* 6. in Hebræo codice poſt illa verba, *& erat Sacerdos Dei altiſſimi*, inuenitur accentus, quem Hebræi vocant *ſoph-paſuch*, qui indicat ibi terminari periodum.

Peterius in Gen.

Particula copulatiua, &, apud Hebræos pro cauſali ponitur, ſæpe pro enim, vel quia.

Bellarm.

Vnde non poteſt illud, *& erat Sacerdos*, coniungi cum ſequentibus, *& benedixit ei*, quia puncto ſeu accentu diſiunguntur; ſed debet cum verbis ſuperioribus, *proferens*, vel *protulit panem & vinum*, copulari; ac conſequenter falſum eſt, quod Nouantes addunt, ſcilicet Sacerdotium Melchiſedech ad benedictionem Abrahæ, non verò ad panis & vini oblationem referri. Abraham etenim etiam Sacerdos erat, vt patet ex pluribus quæ obtulit ſacrificiis. Non ergo Melchiſedech, vt Sacerdos, vel quia Sacerdos erat præcisè, benedixit Abrahæ; ſed quia maior Sacerdos, vel quia abſolutè maior erat, cùm & Rex, & Sacerdos eſſet. Benedicere quippe non eſt ſolius ſacerdotis, ſed omnis maioris. Salomon enim qui Rex, & non Sacerdos erat, benedicit populo, 3. *Reg.* 8. Idem præſtitit Dauid 2. *Reg.* 6. & antea idem fecerat Ioſuë Sacerdotio carens. Ioſuë 8. & 22. Vnde Apoſtolus Heb. 6. ex eo quod Melchiſedech benedixit Abrahæ, non colligit illum Sacerdotem fuiſſe, ſed maiorem Abrahamo; minor enim à maiore benedicitur. 186.

Abraham erat Sacerdos.

Vrgent tamen Nouantes, quod etſi Chriſtus tum à Dauide *pſal.* 109. tum ab Apoſtolo *Hebr.* 6. Sacerdos dicatur *ſecundùm ordinem Melchiſedech*; & multæ ab eodem Apoſtolo, *Hebr.* 7. inter Chriſtum & Melchiſedech ſimilitudines explicentur: tamen ab illo de panis & vini oblatione à Melchiſedech, vel de Euchariſtiæ conſecratione à Chriſto, nec quidem verbum exaratum eſt. Non igitur Chriſti Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech in oblatione panis & vini, ſeu corporis & ſanguinis eius conſiſtit. 187.

Inſtant hæretici.

Parum tamen, vel potiùs nullo modo vrget hoc argumentum. Non enim Paulus oblationem panis & vini à Melchiſedech factam, ad Hebræos ſcribens recenſuit; quia illam certam, & ab iis, ad quos ſcribebat, agnitam ſupponebat. Cùm enim peculiare Melchiſedech Sacerdotium, ab Aaronico ſeu Leuitico diſtinctum expoſuerit; Chriſtumque Sacerdotem ſeu Pontificem, 188.

Confutantur.

tificem, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech dixerit, excellentiam dumtaxat Melchiſedech & Chriſti ſupra Aaronem oſtendit, non immoratus explanare, in quo conſiſtat ordo Melchiſedech, & figura ſacerdotij Chriſti, quia Hebræi ad quos ſcribebat, ex Iudæis Chriſtiani erant, ac conſequenter tanquam Iudæi ſciebant Melchiſedech panem & vinum Deo obtuliſſe, vt expreſsè *in libro Gen. cap.* 14. refertur, & nulla alia à Melchiſedech facta oblatio legitur: & tanquam Chriſtiani ex Euangelica prædicatione didicerant, Chriſtum in vltima cœna, quam cum diſcipulis celebrauit, corpus, & ſanguinem ſuum ſub panis & vini ſpeciebus Deo oblata, Apoſtolis erogaſſe, vt oblata conſumerent, & ſacrificium manducarent. Quod planè ita eſſe, omnium Sanctorum Patrum conſenſus, qui ordinem Melchiſedech in panis & vini oblatione conſtituunt, apertè indicat, ac conuincit.

Oblationem Melchiſedech cur tacuit Paulus.

189. Cùm enim Apoſtolus *Hebr.* 7. conformitates inter Melchiſedech, & Chriſtum, ad Sacerdotium minimè pertinentes aſſignauerit; ſicut quod Melchiſedech ex vi nominis ſui ſit Rex iuſtitiæ; ex Salem ſeu Ieruſalem, in qua regnabat, ſit rex pacis; ex eo quod eius in Scriptura taceantur progenitores, ſit ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia; & ex eo quod Abrahæ parenti, ſeu ſtipiti Aaronis, omniumque Leuitici Ordinis Sacerdotum benedixit, ipſo Abraham omnibuſque ab eo deſcendentibus maior exiſtat: ipſius oblationem & ſacrificium, quæ ſacerdotalia ſunt munia, ex inſtituto non expreſſit, quia Hebræis ſacrarum Scripturarum non ignaris erant notiſſima; apud illos enim tritum erat, panem & vinum Melchiſedech, non autem aliam rem Deo obtuliſſe.

Chriſtum & Melchiſedech comparauit Paulus in his quæ ad Sacerdotium non pertinebant.

190. Chriſtus igitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, debet cum illo conuenire in eo, quod eſt proprium talis Sacerdotij, ſcilicet in forma ſacrificij ab eo oblati. Cùm autem panem & vinum offerre ſit proprium Melchiſedech, & ad Sacerdotium, vtpote proprium eius actum, maximè pertineat; debuit Chriſtus in pane & vino, ſeu in ſpeciebus illorum ſacrificium corporis & ſanguinis ſui Domino dedicare. Nam quod Melchiſedech Abrahæ benedixerit, maioris eſt, non Sacerdoris. Quod decimas acceperit, non eſt proprium illius Sacerdotij, ſed commune etiam cum Leuitico Sacerdotio. Quod Melchiſedech non fuerit vnctus oleo ſenſibili, nec alteri ſucceſſerit, nec ei alius ſucceſſerit, non eſt proprium Melchiſedech, ſed commune cum Abel & aliis. Et tandem quod eius genealogia non ſcribatur, & inde ſit figura æternitatis Sacerdotij Chriſti, extrinſecum eſt ad ſacerdotium, & commune cum Iob, Helia & aliis, qui & Sacerdotes erant, & eorum non deſcribitur genealogia, vt oſtendit D. Epiphanius *hær.* 55. Vnde ſicut loquitur Arnobius in pſal. 109. *Chriſtus per myſterium panis & vini factus eſt Sacerdos in æternum.* Quod etiam eleganti ſtylo proſequitur Primaſius *in comment. cap.* 5. *Epiſtola ad Hebr.* vbi ait: *Quare ſecundùm ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordinem Aaron dicatur exiſtere Sacerdos, diuerſa cauſa exiſtunt; & prima quidem eſt, quia Melchiſedech ſecundùm legalia mandata non fuit Sacerdos, ſed ſecundùm cuiuſdam ſingularis Sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium ſanguinem: in cuius ordine Sacerdotij Chriſtus factus eſt Sacerdos, non temporalis, ſed æternus; nec offerens victimas legales, ſed inſtar illius panem & vinum, carnem videlicet & ſanguinem ſuum.* Hæc ille.

Proprius actus Sacerdotij Melchiſedech fuit oblatio panis & vini.

D. Epiphan.

Arnob.

Primaſ.

Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech æternus Sacerdos.

Nec obſtat, quod in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non remanent panis & vinum, quæ in corpus & ſanguinem Domini conuertuntur; ſed tantùm eorum ſpecies, ſeu accidentia; & conſequenter quod etſi Melchiſedech panem & vinum obtulerit, maxima eſt diſſimilitudo inter illius oblationem, & Chriſti ſacrificium, cùm in hoc corpus & ſanguis Domini offerantur. Quia cùm panis & vini accidentia, ſub quibus caro & ſanguis Chriſti realiter contenta offeruntur, verè, realiter ac ſenſibiliter remaneant, ſufficienter exhibent ac repræſentant eam quam panis & vini Melchiſedech Deo conſecrauit oblationem; ſicque in exteriori ſymbolo ſacrificium Chriſti planè conuenit cum illo quod olim Rex Salem obtulit: maximè quia inter typum ſeu figuram, & rem figuratam, non requiritur eſſentialis ſeu ſubſtantialis ſimilitudo, ſed accidentalis, exterior ac ſenſibilis, qualis reperitur inter imaginem & imaginatum, ſufficit. Non enim in omnibus debent eſſe ſimiles figura & res figurata; alioquin non diuerſæ, ſed eſſent vna & eadem res, vt notat D. Thom. 3. *p. q.* 46. *art.* 4. *ad* 1. Oportuit autem Chriſti in Euchariſtia ſacrificium diuerſum eſſe à ſacrificio Melchiſedech; quia illud præſtantius ac diuinius eſſe debuit, in quo veritas cum ſymbolo, quàm illud in quo dumtaxat ſymbolum continetur. 191.

Accidentia panis & vini in Euchariſtia ſufficienter exprimũt oblationem Melchiſedech.

D. Thom.

Nam ſacrificium Chriſti debuit eſſe præſtantius.

Sectio IV.

Sacerdotes nouæ legis, Chriſti miniſtri in Miſſa verum Deo offerunt ſacrificium.

QVia æternus Sacerdos æternum poſtulat ſacrificium, ſemel ſtabilito à nobis æterno Chriſti Domini ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdotio, æternum illius in oblationibus offerendis exercitium eſt ſtatuendum. Verùm quia deuicto inferni ac mortis aculeo, cœlos penetrauit Pontifex noſter, ſedetque ad dexteram Maieſtatis in Excelſis, melior Angelis, omnibuſque ſublimior hominibus; ne ſacrificio dilecta eius careret Eccleſia, aliquos ex hominibus ad ſacerdotalem euehens dignitatem, incruentum eis corporis & ſanguinis ſui ſacrificium quotidianis vicibus celebrare mandauit, vt ſimul & ſacris hoſtiis ac miniſtris Chriſtiana Religio firmaretur. 192.

Sacerdotibus & hoſtiis Chriſtiana Religio firmatur.

Duo igitur à nobis exponenda modò ſuſcipiuntur. Primum eſt, Chriſtianorum hominum verum ac proprium Sacerdotium à Chriſto Domino immenſa pietate ad illos deriuatum & extenſum. Secundum eſt ſacrificium quod illi in Eccleſia quotidie Domino offerre ſolent. Vtrumque ſigillatim claritati ac facilitati ſtudere ſatagentes præſtabimus. 193.

§. I.

Chriſtiani Sacerdotes, Chriſti Domini Sacerdotij participes, verè ac propriè Sacerdotis nomine & officio inſigniuntur.

194. QVamvis omnes qui ſacro renouati Baptiſmate in Chriſtiana Religione cenſentur, de Chriſti Domini accipiant plenitudine, vt inſinuatur *Ioan.* 1. 16. membra enim à capite, filij à parente, redempti à redemptore non poſſunt non recipere: attamen non omnes Sacerdotalem à Chriſto participant dignitatem. Illi dumtaxat qui diuinâ vocante clementiâ, è communi plebe ad clericalem militiam cooptati, manuum impoſitione ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus presbyteratus ſuſcipiunt ordinem, ſacerdotali munere decorantur. Etenim illis dumtaxat preces, ac corporis & ſanguinis Domini ſacrificium offerendi, atque fideles à peccatorum nexibus abſoluendi facultas conceſſa eſt, ac ouium Chriſti à veris Paſtoribus cura demandata.

Non omnes Chriſtiani Sacerdotes.

195. Non igitur omnibus Chriſti Fidelibus verum ac proprium competit Sacerdotium, quidquid inclament Hæretici ac Nouatores: nec vllum hoc ſuadet, aut conuincit Scripturæ teſtimonium; nam neque Princeps Apoſtolorum Petrus, 1. *ep.* 2. 5. dum fideles appellat *regale Sacerdotium*; neque dilectus Chriſti diſcipulus, dum *Apoc.* 1. 6. & *cap.* 5. 10. inquit quod Chriſtus *fecit nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes*, intendunt Chriſtianos omnes indiſcriminatim ſacerdotali inſignitos eſſe charactere, ac ad offerendum immaculatam in Euchariſtia hoſtiam eſſe deſtinatos.

196. Bifariam etenim Sacerdotium vſurpari conſtat; aliud quippe eſt metaphoricum, commune, myſticum, impropriè ac lato modo ſumptum, quod in omnibus Chriſti Fidelibus reperitur; nec tamen eos Sacerdotes myſteriorum Dei diſpenſatores efficit, de quo procul dubio loquuntur D. Petrus, & D. Ioannes locis jam citatis: non enim iſtius vi Sacerdotij myſtici, ac communiter dicti Miſſam celebrare, Euchariſtiam adminiſtrare, Deo ſacrificium offerre, ac cætera huiuſmodi præſtare valent fideles, nec propriè ac rigoroſè Sacerdotes appellari; quidquid in contrarium ganniant Lutherus, aliique eiuſdem farinæ hæretici. Vnde S. Ambroſius *lib.* 4. *de ſacram. cap.* 1. myſticum hoc Sacerdotium ſpirituale tantùm & communiter dictum exiſtimat, illudque hominibus conferri, cùm eis in Baptiſmi aut Confirmationis Sacramento vnctio communicatur; ait enim: *Vnuſquiſque vngitur in Sacerdotem, vngitur in regnum. Sed ſpirituale regnum eſt, & Sacerdotium ſpirituale.* Sicuti ergo Chriſtianus ex illa quam in Baptiſmo accipit vnctione, non proprius & verus Rex, ſed tantùm ſpiritualis & myſticus cenſetur, quo pacto juſtos Reges eſſe demonſtrat D. Gregorius *lib.* 2. *moral. cap.* 21. dicens: *Benè viri ſancti diuina Scripturæ teſtimonio Reges vocantur; quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æſtum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò ſuggeſtionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Reges ergo ſunt, quia tentationum ſuarum motibus non conſentiendo ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt.* Ita & tantùm impropriè, ſpiritualiter ac myſticè Sacerdos conſtituitur, poteſtque dumtaxat ſpirituales hoſtias, putà orationes, eleemoſynas, jejunia aliaque pia opera, quæ impropriè & lato modo ſacrificia nuncupantur, offerre. Quo ſenſu D. Auguſtinus *lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 6. ait: *Sacrificium verum* (hoc eſt, inſigne, præſtans ac Deo gratum, non tamen propriè dictum) *eſt omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati eſſe poſſimus.*

Sacerdotium aliud metaphoricum & impropriũ, aliud proprium.

S. Ambroſ.

Omnes Chriſtiani ad improprium ac ſpirituale ſacerdotium euecti.

D. Greg.

Iuſti Reges ſpirituales.

Sicut Chriſtiani Sacerdotes myſtici.

D. Auguſt.

Aliud eſt Sacerdotium verum, proprium, ac ſtrictè ſumptum; non quidem ſecundùm Aaronicum, ſeu Leuiticum ordinem, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, à Chriſto ad Chriſtianos homines deriuatum; quo character in anima illius, qui ad hoc Sacerdotium ſacra vnctione ac manuum ab Epiſcopo impoſitione ſublimatur, imprimitur, eique confertur poteſtas panem in corpus, & vinum in ſanguinem conſecrandi; ipſumque corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum in ſacrificium pro viuis & defunctis offerendi, ipſoſque Chriſti Fideles eius ſolicitudini demandatos à peccatis abſoluendi, aliaque ſacerdotalia munera adimplendi. 197.

Verum & proprium Sacerdotium quibuſdam tantùm ad hoc electis conceditur.

Conſultò autem dixi hoc Sacerdotium à Chriſto ad Chriſtianos deriuari, vt vnicum, idque æternum, ac ſecundùm ordinem Melchiſedech in Eccleſia Sacerdotium agnoſcatur. Etenim cùm in Chriſto ſit tota Sacerdotij plenitudo, vt ait D. Thom. 3. *p. quæſt.* 63. *art.* 6. ipſeque ſit totius Sacerdotij origo, vt loquitur idem S. D. *loc. cit. quæſt.* 50. *art.* 4. *ad* 3. ab alio, quàm ab illo non potuit Sacerdotium ad Chriſtianos deriuari, maximè cùm præcipuum Sacerdotis nouæ legis munus ſit eandem ac immaculatam, quam Chriſtus Deo Patri obtulit, hoſtiam, videlicet corpus & ſanguinem ſuum incruento modo quotidie immolare. Quod quidem non in propria perſona, ſed in perſona Chriſti, cuius eſt Sacerdotij particeps, præſtare conſtat. Cùm certum ſit in corporis & ſanguinis ſui ſacrificio Chriſtum ſimul eſſe Sacerdotem, & hoſtiam, vt docet D. Auguſt. *lib.* 4. *de Trin. cap.* 14. Accedit inſuper, præceptum Domini, quo dilectos ad Sacerdotium euectos diſcipulos docuit ea facere, quæ ipſe in vltima cœna ſacra myſteria celebrando fecit: *Hoc facite*, inquit 1. Cor. 11. *in meam commemorationem.* Vnde Doctor Angelicus 3. *p. quæſt.* 22. *art.* 4. *in corp.* aduertit, quod Sacerdos nouæ Legis in perſona Chriſti operatur ſecundùm illud 2. ad Cor. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* 198.

D. Thom.

Chriſtus totius Sacerdotij origo.

D. Auguſt.

D. Thom.

Sacerdos in perſona Chriſti operatur.

Verumtamen contra hanc inſurgunt Nouatores doctrinam, exiſtimantes diſcrimen eſſe inter Sacerdotium legis veteris, & Sacerdotium nouæ legis, quòd illud à pluribus participatum ſit hominibus, hoc verò in vnico dumtaxat homine, putà in Chriſto reperiatur. Quod quidem probare nituntur D. Pauli Apoſtoli verbis; nam *ad Heb.* 7. 23. inquit: *Alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere; hic autem* (Chriſtus) *eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Vnde, inquiunt, Chriſtus ſemper viuens, ſuoque 199.

Inſurgunt Nouatores contra verũ ſacerdotium Chriſtianorum.

Digitized by Google

ſuoque ſemper fungens Saeerdotio, conſortes Sacerdotij oon tecipit, ſocios non admittit, nulluſque in noua Lege præter ipſum poteſt eſſe Saeerdos.

200. Sed parum, aut nihil vrget hic aduerſariorum occurſus; ſiquidem etſi juxta S. Pauli Apoſtoli verba, *Chriſtus ſemper viuens ſempiternum habeat Sacerdotium*, tanquam ſupremus, independens, primus ac ſummus Sacerdos; attamen hoc non impedit, quin alios ſtatuat Sacerdotes ſui Sacerdotij participes, ſibi inferiores, à ſe dependentes, in ſua virtute agentes, ac ſuo nomine ſacrificantes. Hos Chriſti ſucceſſores nequaquam dicimus; nemo enim ei qui ſemper viuus permanet, ſemperque ſuperſtes habetur, ſuccedere poteſt: ſed Illius dicimus miniſtros, vicarios, ac quædam viua & animata inſtrumenta. Quod vtique nec dignitati, nec Sacerdotij Chriſti vnitati derogat: ſemperque verum eſt, æternum eſſe Chriſti Sacerdotium, illumque ſolum ſummum permanere Sacerdotem. Vnde Romanus Pontifex Sancto Petro, qui Romanam Eccleſiam jubente Domino fundauit, eamque ſuo ſanguine purpurauit, ſuccedit, non Chriſto: nec poteſt dici Chriſti ſucceſſor, ſed vicarius ac miniſter; nomenque Summi Pontificis quo decoratur, reſpectu inferiorum gerit Epiſcoporum ac Sacerdotum, quibus tanquam gregis Dominici paſtor viſibilis præeſt; non verò reſpectu Chriſti, cuius vices tanquam famulus exequitur, & cui tanquam ſupremo paſtori, ac totius Eccleſiæ capiti, in omnibus ſubeſſe gloriatur.

Refelluntur.

Chriſtus primus & independens ſacerdos, alij ſubalterni ac dependentes ſunt ab eo ſacerdotes: non tamen eius ſucceſſores dicuntur, ſed miniſtri.

Summus Pōtifex ſubeſt Chriſto, & cæteris præeſt Epiſcopis.

201. Quod cum proportione de aliis Romano Pontifici ioferioribus Epiſcopis ac Sacerdotibus dicendum eſt; nullus enim illorum ſucceſſor Chriſti, ſed vicarius eſt ac adminiſter in ſacrorum oblationibus myſteriorum, in ſanctorum diſpenſationibus Sacramentorum, & in aliorum ſacerdotalium munerum exercitio. Id docuit gentium Magiſter 1.*Cor*.4.1. dum ait: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Et 2. Cor.11. 23. *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego*. Quod etiam ſtylo aureo aurea loquens Chryſoſtomus attigit *hom*. 35.*in Luc*. vbi inquit: *Nos miniſtrorum locum tenemus*. Et Martyr glorioſiſſimus Cyprianus agnooit, dum *ep*.63.ait: *Sacerdos vice Chriſti fungitur*.

D. Chryſoſt.

D. Cyprian.

202. Falſum ergo eſt, vt Nouatorum ſupponit argumentum, eos qui in noua lege ad Sacerdotium ſublimantur, æterno Sacerdori Chriſto ſuccedere; ſicut olim apud Hebtæos Aaron ſummo Sacerdoti alij ſuccedebant. Nam Eleazarus, qui Aaroni ſucceſſit, ipſi par & æqualis fuit, in eodem gradu & dignitate Pontificatus: at Chriſtiani Sacerdotes nec pares, nec æquales Pontifici Chriſto exiſtunt. Præterea qui morte ſublato Iudæorum Pontifici in Sacerdotio ſuccedebant, in propria perſona, ſeu vt dicitur, ex proprio capite, independenter à prædeceſſore agebant; ſacrificia, & orationes offerebant: Chriſtiani autem Sacerdotes à Chriſto ſemper viuente ita depeodent, vt in ſua propria perſona nequeant agere, ſed taotùm io perſona Chriſti, à quo ſacramentalem poteſtatem ad ſacra myſteria celebranda ſuſcipiuot: vnde D.Thomas 3.*p*.*q*.82. *art*.2. inquit, quod *Sacerdos non conſecrat, niſi in perſona Chriſti*. Vnde & Chryſoſt. *hom*. 60. *ad pop*. inquit: *Tu laice cùm videris Sacerdotem offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam*. Cui accinit D. Auguſt. qui Chriſtianos Baptiſmum conferentes, inſtrumenta tantùm Chriſti; & ipſum Chriſtum præcipuum baptizantem agnoſcit. Nam *tract*.6.*in Ioan*. explicans illud Præcurſoris dicentis de Chriſto Ioan. 32. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum, &c*. inquit: *Per columbam didicit, vt quamvis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue juſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi niſi illi, ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat*. Vbi Sanctus Doctor Sacramenti Baptiſmatis adminiſtros inſtrumenta Chriſti Domini, præcipui in Sacramentorum diſpenſatione agentis, eſſe demonſtrat. Quod idem cenſendum eſt de Sacerdotibus in omnibus Sacerdotij muneribus; inſtrumenta quippe ſunt, ſed viua & animata, Chriſti ſummi Sacerdotis, ac præcipui ſacrificium incruentum offerentis.

Succedens alicui, ipſi par & æqualis eſt.

Sacerdos in ſua nequit agere perſona, ſed in perſona Chriſti.

D. Thom.

D. Auguſt.

Chriſtus eſt præcipuus baptizans.

203. Cæterùm ſicut apud Hebræos, dum *lex vmbram habens futurorum bonorum* vigebat, ſupremus Aaronici ritus Antiſtes, ſummus Sacerdos vocabatur, quia plurimos ſibi inferiores, ac in Sacerdotio dependentes ſacrificiorum habebat adminiſtros; ita modò in noua lege Chriſtus Dominus totius Chriſtiani Sacerdotij fons & origo, ſupremus Sacerdos ac ſummus Pontifex dicitur, quia aliorum omnium, ſiue Pontificum, ſiue Sacerdotum, ſuo nomine, ſuaque authoritate ſacrificantium Princeps ac caput exiſtit.

Chriſtus ſummus Sacerdos & Pontifex.

204. Dixi præterea in ſuperioribus, Chriſtianos Sacerdotes, Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech eſſe participes, vt innuerem, non ad cruenta pecudum ſacrificia in quibus occiduntur animalia, cruor funditur, laniantur carnes, & cætera huiuſmodi non ſine horrore peraguntur; ſed ad incruentam corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini ſecuodùm morem & ritum ſacrificij Melchiſedech hoſtiam immolandam præcipuè deſtinari. Chriſtus enim Sacerdos ſecuodùm ordinem Melchiſedech potiſſimùm dicitur, quia ſicut ille Rex Salem priùs panem & vinum Deo obtulit in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, deinde illa Deo oblata in milites Abrahæ libanda, ſeu participanda & comedenda diſtribuit: ita & Chriſtus in vltima cœna obtulit panem & vinum, conſecrando illa, ac in corpus & ſanguinem ſuum mirabiliter transformando, eaque deinde Apoſtolis libanda tribuit, & ſimiliter offerenda & libanda præcepit, dum dixit, *Hoc facite in meam commerationem*. Ad quem Apoſtolicum ordinem euehit Chriſtus eos, quos ad presbyteratum, ſeu Sacerdotium Epiſcoporum miniſterio promouere dignatur, ſicut notauit D. Thomas 3.*p*.*q*.82. *art*.1. vbi ait: *Sacerdoti cùm ordinatur, confertur poteſtas hoc Sacramentum* (Euchariſtiæ) *conſecrandi in perſona Chriſti: per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino, Hoc facite in meam commemorationem*.

Non ad animalia immolanda, ſed ad offerendū corpus & ſanguinem Chriſti Sacerdotes deſtinantur.

Iuſſit Chriſtus Euchariſtiam offerri.

D. Thom.

205. His omnibus accedit, ſacrificium eſſe correlatiuum Sacerdotij; ita vt ſacrificio propriè dicto reſpondeant verum & proprium Sacerdotium, hominesque illo verè & propriè inſigniti; non enim cuiuſque eſt offerre ſacrificium, ſed publici & certi hominis, qui communi nomine id peragat. In lege quidem naturæ Sacerdotes erant vel capita familiarum, vt Noë, Abraham; vel ij

Sacerdos & ſacrificium correlatiua.

quibus Deus id inſpirabat, vt Abel. In lege autem ſcripta ſoli filij Aaron. In nationibus autem, ſacrificia quæ à Gentilibus Deo immolabantur, à determinatis hominibus, è communi plebe vocatis ac ſegregatis offerebantur. Cùm ergo in lege gratiæ Eccleſia Chriſtianorum vero, reali, ac propriè dicto ſacrificio exornetur, vt infrà fuſiùs demonſtrabimus, veri & proprij debent in ea eſſe Sacerdotes, ad tale ſacrificium peragendum deſtinati. Hi autem ſunt Epiſcopi & Presbyteri, ſicut illos his nominibus appellant Dionyſius Areopagita *lib. 1. de Eccl. Hierarch. c. 2. 3. & 5.* & Iuſtinus in dialogo cum Triphone. Vnum autem ſanè admirabile hîc reperitur, quod non familiarum primogenitis, nec certæ aut determinatæ ſtirpi, ſicut olim Leuiticum, Sacerdotium hoc à Deo committitur; ſed immenſâ clementiæ illius largitate nullam ad illud reſpuere videtur familiam, cùm illud omnibus illis, quos ex omni gradu, etiam infimo, doctrinâ & morum probitate ſuffragantibus, diuina gratia eligit, immenſâ bonitate concedat. Quod nitido ac eleganti calamo proſequutus eſt Sanctus Leo Papa *ſerm. 2. de anniuerſ. Aſſumptionis ſua ad Pontificatum*, inquiens: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; hoc eſt non ſecundùm ordinem Aaron, cuius Sacerdotium per propaginem ſui ſeminis currens temporalis miniſterij fuit, & cum veteris Teſtamenti lege ceſſauit: ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, in quo æterni Pontificis forma præceſſit.* Denique cùm huius diuini Sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis creauit, eligitur: ſed ceſſante priuilegio patrum, & familiarum ordine prætermiſſo, eos rectores Eccleſia accipit, quos Spiritus ſanctus præparauit.

Sacerdotium quomodo olim conceſſum.

D. Dionyſ.

Sacerdotium Chriſtianorũ cuiuſcumque conditionis hominibus confertur, qui à Spiritu ſancto eliguntur.

§. II.

Euchariſtia à Chriſtianis Sacerdotibus oblata, eſt verum ac proprium ſacrificium.

206. STabilito ex ſupradictis in Eccleſia vero ac proprio Sacerdotio, verum ac proprium in ea ſtabilire ſacrificium haudquaquam erit difficile. Poſito etenim vero ac proprio ſacerdote, otioſus eſſet omninò & inutilis, niſi ſacrificia perageret, oblationes ac hoſtias immolaret. Cùm enim vnũquodque ſit propter ſuam operationem, vt apud Philoſophos tritum eſt; ſacra facere, hoſtiaſque Deo offerre debet Sacerdos: hæc quippe illius ſunt munia, vt apertè colligitur ex verbis Apoſtoli Heb. 5. 1. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia.* Cùm ergo veri ſint in Eccleſia Sacerdotes, Chriſti Domini ſummi Sacerdotis vicarij & miniſtri, verum debent offerre ſacrificium, illud ſcilicet quod Chriſtus offerendum præcipit, nempe corpus & ſanguinem ſuum, in Euchariſtiæ Sacramento panis & vini ſpeciebus velata. Vnde in Decret. *diſt. 25. cap. Perlectis*, ex S. Iſidoro *epiſt. ad Ludifr.* dicitur: *Ad presbyterum pertinet Sacramentum corporis & ſanguinis Domini in altari Deo conficere.*

Offerre ſacrificium eſt proprius actus Sacerdotis.

207. Altaris nomen luculentam noſtro inſtituto ſuggerit probationem. Illud enim nuſquam erectum eſt, niſi ad ſacrificia propriè dicta; quod adeò verum eſt, vt illud non neget Caluinus, qui *lib. 4. inſtitut. cap. 18. §. 12.* vbi quamvis maximè erret, diſcrimen ponens inter Sacramentum Euchariſtiæ, & ſacrificium propriè dictum: *Menſam*, inquit, *nobis dedit, in qua epulemur; non altare, ſuper quod offeratur victima.* Vndè illius errorum ſequaces altaria in templis nolunt, perenne Chriſtianorum ſacrificium abrogantes; multaque in Catholicorum Eccleſiis altaria ſunt demoliti. Nihilominus ab initio naſcentis Chriſtianæ Religionis, in Eccleſia ad ſacram offerendam Euchariſtiam erecta ſunt altaria, vt patet ex Canonibus Apoſtolorum 3. & 4. & ex D. Dionyſio *cap. 3. Eccl. Hierarchiæ*, vbi altaris meminit. Tertullianus *in lib. de pœnitentia*, inter alia ſigna humilitatis pœnitentium, refert illos Presbyteris advolui, ariſque Dei adgeniculari: & in vltimis verbis libri de oratione, ait: *Solemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris.* Inſuper Cyprianus *ep. 9. lib. 1.* prohibet ne ſacrificium offeratur pro quodam demortuo Chriſtiano, qui Presbyterum rerum temporalium procuratorem inſtituerat: & rationem reddit, *quia non eſt dignum, vt pro illo ſacrificetur, qui Sacerdotem Dei ab altari abſtraxit.* Sed conuincit hac in re teſtimonium B. Optati Meliuitani, qui *lib. 6. contra Parmenianum*, ait: *Quid eſt tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere, radere, & remouere? In quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt, &c.* Et infrà addit: *Quid eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti.* Similiter apud alios Sanctos Patres, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Ioannem Chryſoſtomum, & alios qui primis Eccleſiæ temporibus floruerunt, paſſim nomen altaris Eccleſiæ ad ſacrificium corporis Domini deſtinati, legitur: quorum verba nihilominus breuitati conſulens reticeo.

Altaria ad ſacrificia eriguntur.

D. Dionyſ.

Ab initio Eccleſiæ in ea, fuerunt, vt patet ex Can. Apoſt.

D. Dionyſ.

Tertull.

D. Cyprian.

Opt. Melim.

Ex quibus hoc deducitur argumentum ad probandum intentum. Vbi verum & proprium reperitur altare, ibi verum & proprium reperitur ſacrificium: ſed in Chriſtianorum Eccleſia verũ & proprium altare reperitur, ſupra quod offertur corpus & ſanguis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus panis & vini, quia vt ex Optato Meliuitano jam diximus, *altare nihil aliud eſt quàm ſedes corporis & ſanguinis Chriſti.* Ergo Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, ſub ſpecie panis & vini in altari oblatum, eſt verum ac proprium ſacrificium. 208.

Verum in Eccleſia ſacrificiũ, quia verum altare.

Nec nobis deeſt Scriptura, vt hoc firmetur argumentum, & catholica veritas fulciatur. Nam Apoſtolus *Hebr.* 13. 10. poſtquam Iudæos ad Chriſtianam fidem conuerſos docuit, eſcis ſacrificalibus, quæ & Sacerdoti offerenti, & laïco pro quo offerebantur, diuidebantur, cor non ſtabiliri; non enim proderant neque ad mentem purgandam, neque ad illam ſanctificandam: eſcas ſpirituales Chriſtianorum, ac victimas longè nobiliores illis opponens, inquit: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.* Ac ſi dicat, nos Chriſtiani habemus altare in quo offerimus ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, olim in cruce immolati, quod edunt & participant non Leuitæ & Iudæi, ſed Sacerdotes & fideles laici, dum ſacram ſumunt Euchariſtiam, vt ſcilicet gratiam quâ cor ſtabilitur, conſequantur, ac ſic ſpiritualiter roborati in bonis operibus proficiant, & tandem ad vitam perueniant æternam. Cùm ergo ex Apoſtolo verum Eccleſia habeat altare, ſeu vt 209.

Hoc ſuadet Apoſtolus.

Altare ſacrificatorium dicitur.

in

in Græco eſt *θυσιαστήριον*, ideſt *ſacrificatorium*; verum etiam habet in Euchariſtia, quæ in illo offertur, ſacrificium.

210. Occurrunt hæretici, inſtantque, altaris ſeu ſacrificatorij nomine Apoſtolum loquutum fuiſſe de altari crucis, in quo Chriſtus ſemetipſum hoſtiam immaculatam obtulit Deo; non verò de aliquo alio altari, quod adhuc ſit in Eccleſia ad ſacrificandum. Sed mirâ facilitate refelluntur. Primò quia Apoſtolus loquitur de altari quod habebat Eccleſia, quando ipſe ad Hebræos ſcribebat, & quod nunc etiam in Eccleſia habemus, vt patet ex illo verbo, *habemus*: ſed altare crucis non habebat Eccleſia quando Paulus Hebræis ſcripſit; nec modò habemus, ſed habuimus ante 1650. annos. Quamvis enim mors Chriſti, quam in cruce pro nobis paſſus eſt, in cuius virtute nobis Sacramenta gratiam largiuntur, adhuc moraliter præſens exiſtat; attamen crux in qua tanquam in altari oblatus eſt, non remanet, ſed tranſit. Sed loquitur Apoſtolus de altari, quod juxta Sanctos Patres à nobis ſuprà addoctos adhuc eſt in Eccleſia, in quo celebratur ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod ſemel ſub ſpecie panis & vini Deo oblatum, à Sacerdote & à Chriſtiano populo manducatur.

Inſtant Nouatores.

Confutatur.

Crux non dicitur modò haberi ab Eccleſia.

211. Secundò conſtat ex verbo, *edere*, Paulum non loqui de altari crucis; de hoc enim non edimus, nec carnem Chriſti ibi crucifixam laceramus, aut laniamus, viſibiliter illam manducantes, quod maximo eſſet horrori, & Chriſtianos ab hoc altari repelleret, ſi carnem hominis crucifixi viſibiliter manducaturi eſſent; ſed de altari Euchariſtiæ, ex quo ſacram & incruentam hoſtiam, corpus ſcilicet & ſanguinem Domini, ſub ſpeciebus panis & vini, realiter, & tamen inuiſibiliter manducamus.

Crux nequit manducari.

212. Tertiò, quia tabernaculo, hoc eſt altari tabernaculi veteris, ex quo Sacerdotes & offerentes Iudæi victimas comedebant tanquam eſcas ſacras, Apoſtolus opponit nouum hoc Eccleſiæ altare, ex quo Sacerdotes & fideles, non carnales pecudum eſcas, ſed cœleſtem & diuinum cibum, corpus & ſanguinem Chriſti comedunt; quod non conceditur Iudæis adhuc tabernaculo deſeruientibus, necdum ſacro Baptiſmate renouatis. Nomine autem altaris intelligit Apoſtolus per metonymiam, cibum & ſacrificium in altari contentum & oblatum.

Euchariſtia opponitur victimis quæ in tabernaculo offerebantur.

213. Reſpondent hæretici cum Beza, Geneuæ Caluini in cathedra peſtilentiæ ſucceſſore, Apoſtolum nomine altaris metonymicè ſumpti non intellexiſſe aliquod ſacrificium, ſed tantùm oblationes fidelium, quæ fiunt ad altare; cùm ſcilicet panes, oleum, oua, pecuniam, aliaque miniſtris Eccleſiæ offerunt.

Vrgent.

214. Sed vana hæc reſponſio, nullo nixa fundamento confutatur. Primò, quia altare nuſquam alibi ſignificat oblationes, ſed ſacrificia, pro quibus requiritur, & non pro oblationibus: ſiquidem oblationes in gazophylacium, arcam, abacum, aut in manus Sacerdotis deponi ſolent. Imò Canone 3. Apoſtolorum prohibetur, ne quidquam in altari offeratur, præter ea quæ Dominus inſtituit, ſcilicet corpus & ſanguinem ſuum.

Refelluntur.

Can. Ap.

215. Secundò, quia Sacerdotes comedebant has oblationes, non autem offerentes: vnde cùm Apoſtolus ſignificet fideles quoſlibet Hebræos ex hoc altari comedere, vt *gratiam, quâ cor ſtabilitur*, conſequantur: per altare non intelligit eorum oblationes factas Sacerdotibus, ſed ſacrificium à Sacerdotibus Deo oblatum, ſacroſanctum videlicet Euchariſtiam.

Tertiò, huic altari Apoſtolus opponit verum & proprium altare tabernaculi, in quo ſacrificabantur animalia: ergo verum & proprium altare, in quo ſacrificium Euchariſtiæ offertur, quod directè altari tabernaculi opponitur, intelligit. Quod etiam confirmari poteſt ex eodem Apoſtolo, qui 1. *Cor.* 10. 21. vt Fideles doceret à carnibus idolis immolatis abſtinere, inquit: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Vbi nomine *menſæ Domini*, intelligit altare Euchariſtiæ, ex quo ſacrum Domini corpus percipiunt Chriſtiani: ſicut per menſam dæmoniorum, intelligit altaria, ex quibus Gentiles comedebant animalium carnes dæmonibus, ſeu idolis immolatas. Relinquitur ergo, verum ac proprium in Eccleſiâ eſſe altare, ad diuinum Euchariſtiæ ſacrificium celebrandum, de quo procul dubio Apoſtolus loquutus eſt. 216.

Nomine menſæ intelligitur altare.

Neque obſtat Minutium Felicem in dialogo qui inſcribitur *Octauius*, inducere Cecilium Ethnicum cum Octauio Chriſtiano ita loquentem: *Cur nullas aras habent* (Chriſtiani) *nulla templa, nulla ſimulachra?* Siquidem tunc verè Chriſtiani habebant aras, ſed occultas & ignotas Ethnicis; cauebant enim diligentiſſimè, ne ab Ethnicis viderentur, quia non erant idonei ad tanta myſteria intuenda. Nam temporibus Dionyſij Areopagitæ, Tertulliani & Clementis Alexandrini, vera habebant Chriſtiani altaria, & conſequenter ante tempus Minutij Felicis, qui vixit temporibus D. Cypriani, qui expreſsè altaris Eccleſiæ in quo ſacrificatur, meminit, vt ſuprà tetigimus. Adde quod cùm ob merum perſequutionum in cryptis & cauernis, vel certè in priuatis domibus tem diuinam facerent, & ſacrificium celebrarent, Ethnici putabant Chriſtianos carere aris, templis & ſacrificiis; quia eos Deo ſacrificare palam non videbant. Vel tandem cùm ſecundùm aliquos, vt refert Nicolaus Coiffetæus Maſſilienſium Epiſcopus *de Sacrif. Cath. & Ap. Rom. Eccl. cap.* 1. aræ ab ardendo dicantur, quia in his victimæ adolebant, hoc ſenſu Chriſtiani non habebant aras; non enim victima in altari Chriſtianorum immolata, igne corporeo & terreno comburitur: vnde quando Gentiles dicebant Chriſtianos nullas habere aras, loquebantur de illis in quibus hoſtiæ igne ardere debebant: Chriſtiani autem ne ſacra myſteria infidelibus propalarent, nihil opponebant, nec diſcrimen inter ſacrificium & altare noſtrum, & gentilium aras explicare volebant. Quod nulli mirum videri debet, cùm ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium, etiam catechumenos latéret, nec ab Epiſcopo coram catechumenis, niſi verbis obſcuris & obuolutis exprimebatur, vt apud ſanctos Patres paſſim videre eſt. Vnde D. Cyrillus in Ioan. loquens de Euchariſtia, ſermonem ſuum ad baptizatos dirigit: *Sciant igitur*, inquit, *baptizati homines & diuinæ gratiæ participes*, &c. Quod etiam ſæpiſſimè præſtitit Auguſtinus. 217.

Minut. Fel.

Altaria occulta habebant primi Chriſtiani.

In cryptis ac priuatis domibus offerebant.

Coiffetaus.

Quo ſenſu Chriſtiani aras non habebant.

Euchariſtiæ myſterium latebat catechumenos.

D. Cyril.

D. Auguſt.

Verum igitur ac proprium ad immolandum Eccleſia habet altare, & ſupra illud verum corporis & ſanguinis Domini offert ſacrificium. Sic enim à Vate Euangelico olim fuit prophetatum, apud gentes nomine Ægypti expreſſas, altare Domini reperiri. Nam *cap.* 19. 20. legitur: 218.

Altare in medio Ægypti, hoc eſt in medio Eccleſiæ gentium

In die illa erit altare Domini in medio terra Ægypti, & titulus Domini juxta terminum eius. Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, &c. Vbi Eſaias futurum inter gentes Dei altare, ipſumque à gentibus ſacrificiis, hoſtiis & muneribus coli, expreſsè aſſeuerat. Quod quidem nullo alio modo, quàm altaribus in Chriſtianorum templis ad ſacrificium Euchariſtiæ celebrandum erectis adimpletum eſt. Vnde

D. Cyril.

D. Cyrillus *in cap.* 19. *Iſaiæ*, inquit: *Erit altare Domino in regione Ægyptiorum, & columna ad confinia eius. Columnam verò hic dicit, vt mihi videtur, vel templum ſanctum, hoc eſt Eccleſiam, quæ fortè prima aliarum ad confinia eius excitata eſt, vel ſanctæ Crucis ſignum, quo obſepiri credentes ſolent, & communiri. Aræ enim extiterunt Domino complures, & innumerabiles per Ægyptum: & crucis ſignum incolis venerabile.* Hæc Cyrillus. Vtrumque ergo Chriſtianorum altari ſuffragatur Teſtamentum; & ideò jure merito ſacram Euchariſtiæ oblationem verum Deu ſacrificium quotidie offerunt; aliàs inania eſſent altaria, vani eſſent Sacerdotes: hæc etenim tria, altare, Sacerdos & ſacrificia, correlatiua ſunt, ac mutuò colligata, ita vt vnum ſine alio nequaquam valeat exiſtere.

219. Quæ cùm ita ſint, nullus ſanæ mentis ſacrificium aliquod eſſe in Eccleſia negare poterit; maximè cùm nulla Religio, nullàve lex vſquam fuerit ſine ſacrificio, vt etiam apud prophanos

Plutarch.

Authores paſſim legitur: vnde Plutarchus contra

Nulla religio ſine ſacrificio.

Colotem Epicureum oſtendit, fuiſſe quidem vrbes aliquas nullis mœnibus occluſas, nullis diſciplinis, litteris, ſcientiis, vel artibus exultas, à nullis Ducibus aut Principibus gubernatas; ſed nullam hactenus fuiſſe ſine aliquo cultu externo, & ſacrificio, quo veram vel falſam diuinitatem coleret; ſubditque: *Vrbes potiùs ſine terris ſeu agris reperiri poſſe, quàm ſine viſibili ſacrificio, quo cultus Deo exhibeatur.* Et D. Auguſt. libro 19.

D. Auguſt.

contra Fauſtum: *In nullum nomen*, inquit, *religionis, ſiue verum, ſiue falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſacrificiorum & ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Adde quod ex An-

D. Thom.

gelico Doctore 2. 2. *q.* 83. *art.* 1. ſacrificium eſt de lege naturæ; in qualibet enim ætate, & apud

Sacrificium eſt de lege naturæ.

quaſlibet hominum nationes ſemper fuit aliqua ſacrificiorum oblatio. Cùm autem gratia non deſtruat naturam, ſed perficiat, vt docent Theologi, lex gratiæ quæ à Ieſu Chriſto in Eccleſia lata eſt, legem naturæ confirmabit, ac conſequenter verum ac proprium ſacrificium à Chriſto inſtitutum erit in Eccleſia.

220. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm ſacroſancta Euchariſtia, in qua Chriſtus per ſe, & per illos

Euchariſtia eſt verum ſacrificium Chriſtianorum.

quos ſui miniſtros & Sacerdotes inſtituit, corporis & ſanguinis ſui, ſub panis & vini ſpeciebus, Deo verum exhibet, offertque ſacrificium. Sic etenim prænuntiatum fuit à Spiritu ſancto, Malach. c. 10. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ex quo loco ſancti Patres illam oblationem mundam, quæ in gentibus ab ortu ſolis vſque ad occaſum in omni loco diuino offertur nomini, docuerunt eſſe corpus & ſanguinem

D. Iuſt. Mar.

Chriſti in Euchariſtia. Vnde D. Iuſtin. Martyr *de veritat. Chriſt. Relig. contra Tryphonem*, ait: *De noſtris verò, quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, &c.* D. Irenæus *lib.* 4. *cont. hæreſes, cap.* 34.

D. Iren.

ait: *Et non genus oblationum reprobatum eſt; oblationem enim & illic, oblationes autem & hic: ſacrificia in populo, ſacrificia & in Eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantum.* Et *ibid. cap.* 32. idem Irenæus inquit: *Eum qui ex creatura panis & accepit, & gratias egit, dicens, hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, &c.* Sed clariùs id docuit D. Auguſt. lib. 18. de

D. Auguſt.

Ciuit. Dei, cap. 56. *Hoc ſacrificium*, inquit, *per ſacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à Solis ortu vſque ad occaſum Deo jam videamus offerri: ſacrificium autem Iudæorum; quibus dictum eſt, Non eſt mihi voluntas in vobis, &c.* Cùm ergo hæc oblatio munda à gentibus in omni loco Deo oblata, ſit ex ſanctis Patribus jam adductis, ſacroſancta Euchariſtia, illam eſſe verum ſacrificium certum eſt, maximè cùm hoc opponatur veteris Iudæorum ſacrificiis, à Deo reiectis & reprobatis.

Reſpondent Nouatores, nomine *oblationis mundæ*, quæ juxta Malachiam à Gentibus vbique 221.

Deo offertur, ſignificari bona Chriſtianorum opera, ipſam Euangelij prædicationem, ac tandem

Euaſio hæreticorum.

Sacramentorum Eccleſiæ diſpenſationem, ſeu diſtributionem.

Sed nullo fundamento hæc reſponſio nititur, 222.

ſed omninò gratis procedit, vnde facillimè refellitur. Et primò non poſſunt bona opera per

Præcluditur primò.

oblationem illam mundam deſignari. Etenim ibi loquitur Spiritus ſanctus de noua omninò oblatione, à Iudæis incognita, & à gentibus in futurum exhibenda. Iudæi autem bonas operationes ac legis obſeruationes nouerant. Immò quamvis peſſimi apud illos eſſent homines; attamen aliqui legem, & mandata Dei ſeruantes, boni erant. Vnde de Zacharia & Elizabeth, Ioannis Chriſti Præcurſoris parentibus, Euangelium reſtatur, illos ante Legis nouæ promulgationem juſtos fuiſſe, multaque bona opera ediſſe: Nam de illis, *Luc.* 1. 6. legitur. *Erant au-*

Oblatio à Malachia inter gentes prophetata, diſtincta eſt à ſacrificiis Iudæorum.

tem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela. Ac conſequenter ſpiritualia bonorum operum ſacrificia Deo offerebant. Cùm ergo ſacrificium, quod in Gentibus deſignatur mundum à Malachia, diuerſum à ſacrificiis Iudæorum, tam veteris quàm myſticis debeat eſſe, nulloque modo ab ipſis agnitum, impoſſibile eſt quod per oblationem mundam intelligantur bona Chriſtianorum opera, maximè cùm hæc oblatio debeat eſſe verum & proprium ſacrificium, non verò myſticum & ſpirituale; vnicum & eodem modo vbique celebratum; non verò multiplex, ac diuerſis modis exhibitum.

Secundò, quia in verbis ex Malachia adductis 223.

expreſsè dicitur, quod illa à gentibus Deo vbique facta oblatio erit munda ad laudandum ac celebrandum nomen Domini, quod in Gentibus magnum erit, hoc eſt ſummo honore habebitur: omnia autem bona opera hominum etiam fidelium, in ſententia Nouatorum immunda ſunt, nec poſſunt Deo honorem, aut reuerentiam exhibere: ergo etiam ſecundùm doctrinam aduer-

ſariorum

ſariorum impoſſibile eſt, nomine oblationis mundæ intelligi bona opera Chriſtianorum.

224. Inſuper oblationis illius nomine, Euangelij prædicationem nequit intelligere Propheta; ſiquidem prædicatio illa, cùm Deum ac myſteria Fidei gentes doceat, non ſupponit Dei nomen ab ipſis Gentibus agnitum, honoratum ac glorificatum, cùm illius cognitionem tribuat, modumque quo glorificatur, oſtendat. Cùm ergo oblatio illa munda ſupponat, nomen Dei in Gentibus ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſſe, ideſt magnificatum ac glorificatum, impoſſibile eſt quod Euangelij prædicationem ſignificet.

225. Denique illa oblatio munda Sacramentorum diſpenſationem non valet ſignificare; quod patet ex diſcrimine, quod inter Sacramentum & ſacrificium intercedit. Sacramentum namque, prout tale eſt, ad homines ordinatur, illiſque adminiſtratur & conceditur: ſacrificium autem, in quantum ſacrificium eſt, Deum reſpicit, & ſoli Deo offertur. Vnde *Exod.* 22. 20. dicitur, *Qui ſacrificat Diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Et D. Auguſt. libro 10. de Ciuit. cap. 4. *Quis verò*, inquit, *ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit?* Quamvis ergo vna & eadem res poſſit dari hominibus, & offerri Deo, ac conſequenter ſacramenti & ſacrificij, ſub diuerſo reſpectu, rationem habere; attamen prout præcisè ac formaliter datur hominibus, non offertur Deo: neque prout præcisè Deo offertur, poteſt ſub eadem formalitate diſpenſari hominibus. Cùm ergo hæc oblatio munda dicatur offerri diuino nomini, & nullo modo hominibus diſpenſari, vt patet ex contextu verborum, liquet, Prophetam loqui de oblatione, ſeu ſacrificio formaliſſimè ſumpto, in quantum verum & proprium ſacrificium eſt; non verò de ſacramento prout ſacramentum eſt, neque de ſacramẽtorum diſpenſatione, ſeu diſtributione.

Diſcrimen inter ſacramentum & ſacrificium.
D. Auguſt.

§. III.

Propriam & formalem ſacrificij rationem ſacra Euchariſtia conuenire demonſtratur.

226. ILla, quæ in omni loco à gentibus diuino nomini oblatio munda offertur, ſanctiſſima procul dubio eſt Euchariſtia, vt ex ſupradictis apertè conſtat. Verùm vt rationibus firmetur quod ſcripturâ ſtabilitur; id quod jam ex Malachiæ teſtimonio probauimus, rationibus nunc nitimur roborare. Cùm autem ſecundùm Philoſophos, cui conuenit definitio, conueniat etiam definitum, poſtquam oſtenderimus ſacrificij veram & propriam definitionem anguſtiſſimæ conuenire Euchariſtiæ, ſatis à nobis probatum erit, propriam ſacrificij naturam ſeu formalitatem ipſi etiam omninò quadrare, & conſequenter Euchariſtiam verum & proprium eſſe ſacrificium, certum erit, ac indubitatum. Sacrificium igitur verè & propriè ſumptum definiri poteſt: *Oblatio realis ac religioſa, à Deo inſtituta, ipſique ſoli facta à legitimo miniſtro, de re ſenſibili ac permanente, ex cuius mutatione publicè profitemur, Deum ſupremum noſtri eſſe authorem.* Hæc autem omnia conueniunt Euchariſtiæ in Miſſæ celebratione Deo oblatæ.

Sacrificij definitio.

227. Primò etenim eſt oblatio; actio enim quâ mirabile hoc conficitur Sacramentum, realiter ac in cultum Dei, ac conſequenter religioſe illud offert, ſacrificatque: nam apud omnes, tam ſacros quàm prophanos Authores, ſacrificare & offerre idem ſonant: & in ſacris litteris vbi primùm fit mentio ſacrificij Abel, dicitur obtuliſſe de primogenitis gregis ſui. *Gen.* 4. & *ibid. cap.* 8. de Noë dicitur quod obtulit holocauſta, hoc eſt ſacrificauit. Conſecratio igitur Euchariſtiæ, ſeu Miſſæ celebratio, eſt oblatio realis & religioſa, ſeu ad cultum Dei ordinata. Sic enim loco ex Malachia ſuprà citato, habetur, *Offertur nomini meo oblatio munda.* Et ipſe perpetuus ac primus Sacerdos Chriſtus, qui hoc in myſterio præcipuus eſt agens, Pſalmiſtæ ore *pſal.* 39. 7. & *Hebr.* 10. 5. inquit: *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Vbi D. Auguſt. corpus Chriſto aptatum, in Euchariſtia oblatum ſeu immolatum docet. *Huius*, inquit, *corporis participes ſumus, quod accipimus, nouimus; & qui non noſtis, noueritis; & cùm didiceritis, vtinam non ad judicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Et in eundem pſalm. idem Auguſtinus clariùs infrà noſtrum docet intentum, dum ait: *Sacrificium & oblationem ideo noluiſti. Quid ergo? Nos jam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit; corpus enim perfeciſti mihi, ideo illa noluiſti, vt hoc perficeres.* Vbi S. D. apertè demonſtrat, vetera Iudæorum ſacrificia reprobata, vt novum corporis Domini ſtatueretur ac perficeretur. Et *lib. 20. contra Fauſtum, cap.* 18. idem Auguſtinus docet Chriſtianos Euchariſtiæ oblatione ſacrificij à Chriſto in cruce oblati memoriam celebrare. *Chriſtiani* (inquit) *peracti eiuſdem ſacrificij* (crucis) *memoriam celebrant ſacroſanctâ oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.*

Euchariſtiæ conuenit oblationis
D. Auguſt.
Vetera ſacrificia noluit Deus, vt corporis Chriſti ſacrificiũ perficeret.

Immò & ipſi ſacrificij incruenti acerrimi impugnatores id fateri coguntur; nam ipſe Nouatorum anteſignanus Calvinus *in* 1. *Cor.* 11. 24. *tom.* 5. aſſerit fractionem corporis Chriſti, de qua in Euchariſtiæ inſtitutione fit mentio, idem eſſe ac *immolationem*: aliique inter errorum illius propugnatores, vt Molinæus ac Meſtrezatius, Chriſtum in huius Sacramenti inſtitutione, vt habet textus Græcus, in tempore præſenti loquutum fuiſſe aduertunt; dixit enim, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Vt ſcilicet innoeret ſe loqui de fractione & effuſione, quas actu faciebat, dum Euchariſtiam inſtituebat. Vnde etiam ſecundùm Sectarios euidenter ſequitur, Euchariſtiam veram oblationem eſſe: non enim res aliqua immolatur, niſi offeratur; etenim immolatio oblationem neceſſariò ſupponit, vel potiùs illam includit ac continet. Certum enim eſt, Deo tantùm immolari, ipſamque peragi immolationem ad Dei maieſtatem reuerendam, eiuſque gloriam propagandam. 228.

Calvinus Euchariſtiæ fractionem vocat immolationẽ, confirmantque eius ſequaces.

Præterea apertè ex verbis Domini tremenda inſtituentis myſteria, liquet illam actionem fuiſſe corporis & ſanguinis ſui oblationem. Dixit enim Luc. 22. 19. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, vel vt refert Paulus 1. Cor. 11. 24. *quod pro vobis frangitur.* Similiter protulit Luc. 22. 20. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Et Matth. 26. additur, *in remiſſionem peccatorum.* Vbi modus ille loquendi, *pro vobis datur, frangitur, funditur*, non ſignificat, dari vel effundi Apoſtolis ad manducandum & bibendum, quia non dicitur, vobis datur & funditur, ſed *pro vobis*: ſed deſignat dari 229.

Modus loquẽdi Chriſti in inſtitutione Euchariſtiæ ſacrificiũ deſignat.

&

& effundi Deo in ſacrificium. Adde quod licèt cibus ille & potus tunc noo darentur, niſi Apoſtolis præſcotibus; attamen Saluator addit Matth. 26. *& pro multis effundetur*: quibus verbis apertè innuitur, quod corpus & ſanguis Chriſti in ſpeciebus panis panis & vini Deo offeruntur in ſacrificium propitiatorium, ſcilicet in remiſſionem peccatorum.

230. Fauet etiam modus quo Chriſtus vini conſecrationem, vt fert Græca litera, pronuntiauit, *Luc.* 22. 20. vbi inquit: *Hic eſt calix, nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funditur.* Vbi illud *funditur*, non coniungitur cum voce *ſanguine*, ſed cum voce *calix*, vt ex Græco contextu liquet, τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. Quo loco refellitur Sectariorum oppoſitio, quâ contendunt Chriſtum de traditione corporis ſui, & effuſione ſanguinis in cruce loquutum fuiſſe; quod tamen ex his verbis patet eſſe falſum: ſi enim de ſanguine in cruce fundendo loquutus fuiſſet, coniunxiſſet Euaogeliſta Chriſti verba, referens pronomeo *qui*, cum voce *ſanguine*. Cùm autem contrarium fecerit, & illud pronomen ad calicem retulerit, planè dicendum eſt, Dominum loquutum fuiſſe de effuſione, ſeu oblatione ſanguinis ſui in calice: quæ effuſio ſeu oblatio io cœna facta eſt; non verò de illa quæ in cruce viſibiliter in propria ſpecie ſanguinis à Chriſto facta eſt.

Verba Chriſti in conſecratione calicis ſuadent Euchariſtiã eſſe ſacrificium.

231. Accedit quod in duplici ſpecie, panis & vini, corpus ac ſanguinem ſuum ſuis Dominus dederit diſcipulis manducandum ac bibendum, tanquam ab inuicem ſeparata, vt hoſtiæ mactatæ, in qua ſanguis à corpore ſecernitur, ſe vicem gerere oſtenderet. Quamvis enim ex naturali concomitantia, ſanguis cum corpore in boc Sacramento ſub ſpecie panis realiter inueniatur, & corpus cum ſanguine ſub ſpecie vini; tameo ex vi verborum præciſè, corpus ſeu caro tantùm ſub ſpecie panis; & ſanguis dumtaxat ſub ſpecie vini continetur: quod apertè inſinuat, Chriſtum immolatum io hoc myſterio, cùm ex vi Sacramenti, quod per modum cibi & potûs inſtitutum eſt, ſaoguis à corpore ſeparatus, ac conſequenter aptior ad ſumendum exiſtat. Cùm autem caro & ſanguis nec realiter ſeparentur, nec ad cibum & potum apta ſint, niſi priùs animal moriatur; Chriſtum per immolationem & oblationem quam hoc in myſterio fecit corporis & ſanguinis ſui, myſticè mortuum ac ſacrificatum conſtat: euidenterque colligitur, Dominum corpus & ſanguinem ſuum obtuliſſe, ac poſtea ſumenda diſcipulis tradidiſſe. Quod attigit D. Gregorius Nyſſen. *or.* 1. *de reſurrect.* vbi Chriſtum Iudæorum impetum, qui eum cruci ac morti addixerunt, corporis & ſanguinis ſui ſacrificio, quod in Euchariſtia obtulit, præueniſſe oſtendit; ait enim: *Sacrificij modo ſua diſpoſitione & adminiſtratione praeoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem ac victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando hoc accidit? Cùm ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum familiaribus ad bibendum prabuit.* Et poſteà ſubdit: *Non enim idoneum eſſet ad edendum corpus animatum.*

Corpus ſeparatum à ſanguine offertur & ſumitur in Euchariſtia, vt hoſtiæ immolatio magis pateat.

D. Greg. Nyſ.

Mortem in Euchariſtia præuenit Chriſtus, vt ſacrificium offerret.

232. Secundò, ſacrificium eſt *oblatio à Deo inſtituta*, vt ſuperiùs diximus. Quæ ſecunda oblationis conditio ſacroſanctæ etiam conuenit Euchariſtiæ, cuius celebratio à Deo inſtituta eſt: quod patet tum ex verbis Malachiæ ſuprà relatis; tum etiam ex illis Chriſti Dauidis ore prolatis *pſal.* 39. 7. & *Hebr.* 10. 5. ſecundùm expoſitionem S. Auguſtini, quam ſuprà adduximus. Tum etiam ex verbis eiuſdem Redemptoris, quæ ſuis diſcipulis loquutus eſt de huius celebratione miſterij, Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quo loquendi modo uon ſolùm Euchariſtiam tanquam Sacramentum ſumere, ſed etiam tanquam ſacrificium iubet offerre. Etenim in ſacris paginis *facere*, ſacrificare ſignificat, vt patet *Leuit.* 15. 15. vbi de duobus turturibus dicitur: *Faciet* (ideſt offeret) *vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* Et 3. *Reg.* 18. 23. Helias dixit Prophetis Baal, *Ego faciam bouem alterum*, hoc eſt ſacrificabo. Et Oſeæ 2. 8. *Ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt* (ideſt obtulerunt) *Baal.* Quod etiam in nouo Teſtamento reperitur, nam *Luc.* 2. 27. legitur: *Cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent* (ideſt vt offerrent) *ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.* Nam ſuperiùs Euangeliſta dixerat, quod *tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Chriſtus juſſit offerri Euchariſtiã. Facere, ſacrificare ſignificat.

233. Tertiò dicitur, *Soli Deo oblata*: non enim alteri quàm Deo ſacrificare fas eſt, vt communi tam Chriſtianorum, quàm Gentilium cooſenſu, apud omnes receptum eſt, & vt ſuperiùs innuimus. Sacra autem Euchariſtia Soli Deo ac Domino ooſtro quotidianâ oblatione immolatur: quod verbis Malachiæ præſignatum eſt, dum dicitur: *In gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ verba ab Euſebio Cæſareenſi *lib.* 1. *demonſtr. Euang. cap. vlt. de Sacrificio Euchariſtia*, exponuntur; ait enim: *Sacrificamus igitur Deo altiſſimo ſacrificium laudis, ſacrificamus Deo plenum, & odorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium; ſacrificamus nouo more, ſecundùm nouum teſtamentum, hoſtiam mundam.* Quamvis eoim Euchariſtia in quantum Sacramentum ad modum cibi & potus inſtitutum Fidelibus in alimẽtum ſpirimale diſpenſetur; tamen prout hoſtia & ſacrificium eſt, ſoli Deo offertur & conſecratur. Quare falſum omninò eſt, quod à quibuſdam Nouatoribus catholicis exprobratur, ſcilicet Miſſæ ſacrificium ab illis Beatæ Virgini, vel ſanctis Apoſtolis, aut Martyribus offerti. Verum quidem eſt quod io memoriam & venerationem Sanctorum altaria eriguntur, ac ſacroſanctum corporis Domini incruentum ſacrificium celebratur, vt ſcilicet qui eſt *mirabilis in Sanctis ſuis*, Deus honorificetur. Sed hæc altaria ſoli Deo dedicantur, ipſaque immaculata & incruenta Euchariſtiæ hoſtia, quæ in illis à Sacerdotibus omoipotenti Chriſti ſermone conficitur, etiam ſoli Deo offertur & conſecratur. Nam, vt inquit D. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. cap. vlt. *Quis audiuit aliquando fidelium, Sacerdotem ſtantem ad altare, dicere in precibus, Offero tibi Petre, aut Cypriane?* Immò contrarium patet ex ipſis verbis, quæ ſacri ritus Antiſtites & Sacerdotes ſacrum faciendo pronuntiant; hæc etenim ad Deum, ſeu ad ſanctiſſimam Trinitatem ſemper diriguntur. Vnde vt ait Aug. lib. 20. cont. Fauſtum, cap. 21. *nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum ſacrificamus, quamvis in memorias martyrum conſtituamus altaria.*

Euſeb. Caſ.

Soli Deo offertur Euchariſtia.

Et non Sanctis.

D. Auguſt.

234. Quartò dicitur in præfata definitioое ſacrificij, quod eſt oblatio facta *à legitimo miniſtro*;

non

non enim cuiuſque eſt, ſed certæ ac determinatæ & à communi plebe ſegregatæ perſonæ hoſtias immolare, ac oblatiooes offerre quod optimè incruento Euchariſtiæ conuenit ſacrificio, quod non à quocumque fideli, ſeu à quocumque ſacro miniſtro offertur, ſed tantùm à Presbyteris ſeu Sacerdotibus, quibus à Domino immolandi, ſeu offerendi poteſtas proprio ore tradita eſt, dum dixit Apoſtolis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Sacerdotes autem dicuntur propriè Epiſcopi & Presbyteri, vt loquitur D. Auguſtinus *lib. 20. de Ciuit. cap.* 10. non autem Diaconi, vt docet Concilium IV. Carthaginenſe, *can.* 4. vbi apertè dicitur, *Diaconos non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium* (hoc eſt ad miniſtrandum Sacerdoti) *ordinari*; quia vt habetur in canon. 14. Concilij Nicæni, *Diaconi non habent poteſtatem ſacrificia offerendi, ſed tantùm miniſtrandi ſacrificantibus Sacerdotibus.*

A ſolo ſacerdote offertur Euchariſtia.

D. Auguſt.

Conc. Carthag.

Conc. Nic.

235. Nec Sacerdotes propriè dicti, qui in Eccleſia Chriſti ad ſacrificium corporis & ſanguinis Domini incruentum ordinantur offerendum, à Catholicis ſunt excogitati, vt garriont quidam ex Nouantibus: hos omnes Chriſtus inſtituit; ſupremi enim ac præcipui, aliorumque paſtores, in Apoſtolis; minores autem in ſeptuagintaduobus Chriſti diſcipulis electi ac inſtituti ſunt: *Apoſtolis enim ſuccedunt Epiſcopi; & ſeptuagintaduorum diſcipulorum formam tenent minores Presbyteri*, vt loquitur Gloſſa ordinaria *in cap.* 10. *Luc.* & docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 6. *ad* 1. & *quæſt.* 188. *art.* 4. *ad* 5. vnde vtrique, & Epiſcopi, & Sacerdotes, ſeu minores Presbyteri, etiam cum diſtinctione officiorum & munerum, ab Eccleſiæ incunabulis Chriſtianam Rempublicam rexerunt, gubernaruot, illuſtrarunt, vt fuſiùs infrà oſtendemus.

Chriſtus ſacerdotes ad offerendum Euchariſtiam inſtituit.

D. Thom.

236. Immò & diuina Sacerdotes nouæ Legis oracula propberatunt. Illos enim apud Chriſtianos futuros depromſit Vates Euangelicus Iſaïas. Poſtquam enim *cap.* 6. Propbetæ huius calamo exarauit Spiritus ſanctus, ſe miſſurum ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiã, tenentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de ſe, & non viderunt gloriam ſuam; hoc eſt, ad Gentiles vbique terrarum diffuſos, ſubdit ibidem 21. *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas.* Ad quos etiam dixerat Iſaï. 61. 6. *Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei veſtri dicetur vobis.* De quibus etiam D. Hieronymus *in cap.* 3. *Malach.* intelligit ea, quæ Propheta ibidem de Chriſto Domino inqoit, ſcilicet: *Purgabit filios Leui, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia: & placebit Domino ſacrificium Iuda, &c.* ait enim Hieronymus: *In filiis Leui omnem ſacerdotalem intelligit dignitatem.*

Sacerdotes nouæ Legis Prophetarũ oraculis prænuntiati.

D. Hieron.

237. Reſpondent Nouatores, Sacerdotes illos ac Leuitas ex gentibus aſſumendos juxta Iſaïæ Vaticinium, omnes eſſe Chriſtianos, ad quos 1. *Pet.* 2. dicitur: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium*: & qui *Apoc.* 1. inquiunt: *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri.*

Occurrunt hæretici.

238. Sed facilè refellitur hæc reſponſio, quia & 1. *Pet.* 2. & *Apoc.* 1. dum Chriſtiani omnes dicuntur Sacerdotes, hoc eſt intelligendum de myſtico, ſpirituali, communiter & impropriè dicto Sacerdorio, quo decorantur omnes juſti, offerentes hoſtias ſpirituales, vt loquitur D. Petrus *loc. cit.* ſemetipſum exponens: quo ſenſu Paulus *Rom.* 12. dixit: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Conſtat autem huiuſmodi hoſtias ſpirituales, quales ſunt orationes, pœnitentiæ, corporis auſteritates, jejuoia, eleemoſynæ, &c. eſſe tantùm impropriè & largo modo hoſtias, ſeu ſacrificia; ac conſequenter offerentes illas, tantùm impropriè ac metaphoricè dici Sacerdotes. Vnde liquet in locis citatis nullam fieri mentiooem Sacerdotij propriè dicti, quo aliqui è Chriſtiana plebe electi, ad altaris ſacrificium incruentum offerendum, tanquam Chriſti miniſtri ſublimantur. Quod patet ex eo quod Chriſtiaoi in locis adductis oon ſolùm Sacerdotes, ſed etiam Reges appellantur. Cùm autem apud omnes certum ſit ac indubitatum, regiam hanc dignitatem myſticè tantùm, metaphoricè, ſpiritualiter & impropriè illis conuenire; quomodo Sacerdotium quod illis ibidem tribuitur, verum & proprium cenſebitur.

Confutantur.

Inſuper, ſi omnes ſacro abluti Baptiſmate ac Chriſtianæ Religioni aggregati, proprio donantur ſacerdotio, cur denuò quibuſdam illis cùm ab Apoſtolis, tum ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus manus impoſitæ ſunt, ad ſacerdotalem eis poteſtatem tribuendam? Cur Chriſtiani omnes in plebem, & ſacros miniſtros, ſeu io laïcos, & clericos, communi & vbique receptâ partitione diſtribuuotur? Cur Paulus Timotheo dilecto diſcipulo jam Baptiſmate renouato, ac Chriſtiano, vt illum ad Sacerdotium promoueret, manus impoſuit? Si autem hæc manuum impoſitio otioſa quædam & inutilis eſt actio, vt falsò effutiunt Nouatores; oon autem ſacramentalis, hominem cui adminiſtratur, ad ſublimiorem ſtatum euehens, & ordinis ſacerdotalis Sacramentum conferens; cur gratiam producit? Sanè ordinatio Chriſtianorum in ſacros miniſtros & ſacerdotes verum eſt Eccleſiæ Sacramentum, veramque characterem imprimit animæ ordinati, ac ſpiritualem ei poteſtatem ad ſacra myſteria celebranda communicat. Probat hoc Apoſtolus, dum Timotheo ſic ſcribit, 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij*; hoc eſt, per ordinationem Presbyterij, ideſt vt exponit Cornelius à Lapide, *cœtus Presbyterorum maiorum*, ſcilicet Epiſcoporum. Et 2. *Tim.* 1. 6. eidem ait: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Vnde à tempore Apoſtolorum ſemper in Eccleſia fuerunt homines ordinati in Sacerdotes; ita vt etiam hæretici, Catholicæ Eccleſiæ ſimiæ, aliquos ordinare præſumpſerint: ſed quàm leuiter, quámve temerariè id fecerint, quantaque inconſtantiâ ab eis ordinati ad priſtinum ſtatum reſilierint, exprobrat Tertullianus, qui de illis ſic loquitur lib. de præſcript. aduerſùs hæreticos: *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloriâ eos obligent,*

239. Neceſſaria diſtinctio ſacerdotum propriè dictorum ab aliis fidelibus.

Ordinatio in Sacerdotem characterem confert & gratiam.

Etiam hæretici aliquos ordinare voluerunt.

Tertull.

Vana tamen eorum ordinatio.

quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis ſacerdotalia munera iniungunt. Sic ille dum leuem ac temerariam hæreticorum ordinationem deſcribit, de ſapienti ac prouida Eccleſiæ Catholicæ ad Sacerdotium promotione luculentum in primis Chriſtianorum ſeculis reddit teſtimonium. Sed de hac re qui vberiorem doctrinam cupit, præclariſſimos quos D. Ioannes Chryſoſtomus de ſacerdotio edidit libros, videat, legatque.

Videndi libri Ioan. Chryſoſtomi de Sacerdotio.

140. Quintò in præfata definitione additur, *de re ſenſibili ac permanente.* Etenim à ratione ſacrificij propriè dicti excluduntur actiones internæ, ſenſibus non expoſitæ; & externæ tranſeuntes, quales ſunt pſalmodiæ, preces, genuflexiones, & aliæ quæ ad honorem Dei à Sacerdotibus fiunt. Vnde cùm ſacra Euchariſtia ſit res ex accidentibus panis & vini, quæ in illa continentur, ſenſibilis; & ex duplici capite, tum ex ſubſtantia corporis & ſanguinis Domini, tum ex ipſis accidentibus quæ actu ſunt in ea, permanens, apta omninò eſt, vt Deo in verum ac proprium ſacrificium offeratur & immoletur.

Sacrificium debet fieri de re ſenſibili ac permanente.

141. Denique additur: *Ex cuius mutatione publicè profitemur Deum ſupremum noſtri eſſe authorem.* Cùm enim in venerationem infinitæ maieſtatis Dei, ac ſupremi eiuſdem dominij, noſtræque proteſtationem infirmitatis & ſubiectionis ſacrificia quædam veluti tributa offerantur; vt omne quod in nobis eſt à Deo eſſentialiter omninò dependere demonſtretur, oportet vt res oblata omninò Deo tradatur: hæc autem plena illius traditio innoteſcit, dum non ſolùm vſus eius, ſed etiam ſubſtantia mutatur, deſtruitur & conſummatur. Addunt aliqui quod cùm omnia ſacrificia ſacrificium omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum, nempe mortem Chriſti, ex diuino inſtituto adumbrauerint, ideo victima mori, & res oblata conſumi debebat. Hæ autem poſtremæ particulæ definitionis ſacrificij optime conueniunt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. In ea ſiquidem eſt realis mutatio, quâ Deum ſupremum Dominum ac noſtri eſſe authorem profitemur. Nec tamen oportet vt hoſtiæ, quæ offertur, realis occiſio pro mutatione accidat. Etenim ſolùm occiſio realis requiritur in oblatione rei viuentis, & quæ in forma rei viuentis offertur, vt cùm immolantur animalia, quorum mutatio ſeu deſtructio in morte conſiſtit. Dum autem res expertes animæ immolantur, vt panis, vinum, thus, &c. non requiritur occiſio, ſed ſolùm rei oblatæ conſumptio. Cùm ergo in Euchariſtia Chriſtus, qui eſt viuens, offertur in forma rei viuentis quantùm ad repræſentationem; ſemetipſum enim in cruce poſitum & oblatum refert, mors repræſentata tantùm requiritur, non autem mors reipſa; ſed vt eſt ſacrificium reale & propriè dictum, offertur in forma panis & vini ſecundùm ordinem Melchiſedech, ac proinde in forma rei carentis animâ. Vnde peractâ conſecratione Sacerdos celebrans de re immolata loquens, inquit: *Offerimus panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.* Et ideo huius ſacrificij mutatio, ſeu conſumptio non debet eſſe occiſio, ſed manducatio. Hæc autem mutatio ſeu conſumptio ſpecierum panis & vini; ipſaque repræſentatio mortis Chriſti, quæ in Euchariſtia celebratur, ſufficiunt vt per illas ſumma Dei maieſtas, ac ſupremum illius dominium, quo necis & vitæ dominus eſt, profiteatur. Si enim ipſa realis mors Chriſti in cruce ſupremam Dei authoritatem proteſtata eſt; Euchariſtia quæ ipſam mortem Chriſti exhibet, tanquam eius imago, ac memoria ſpecialis, etiam ad hoc ſufficiet.

Deo totum debet tradi in eius maieſtatis venerationem, & noſtræ proteſtationem infirmitatis.

Mors Chriſti repræſentata ſufficit ad ſacrificiũ Euchariſtiæ.

Adde quod Christus in Euchariſtia myſticam videtur ſubire mortem; corpus etenim eius quaſi à ſanguine ſeparatur, cùm ſub ſpeciebus panis & vini omninò diuerſis, ex vi verborum vtrumque reperitur ab alio diſtinctum: ſiquidem ibi fit myſtica effuſio ſanguinis *per gladium verborum*, vt loquitur D. Cyrillus. Hæc autem myſtica mactatio ſeu immolatio Chriſti, per ſeparationem ſanguinis & corporis accidit in ipſa conſecratione, in qua præcipuè ſacrificium nouæ Legis conſiſtit. Tandem cùm corpus & ſanguis Chriſti, quæ realiter & ſubſtantialiter ſunt in Euchariſtia, ſub ſpeciebus panis & vini exiſtant, ac cum eiſdem ſpeciebus vnicam conſtituant hoſtiam, ſeu oblationem; ſufficienter hæc victima cenſetur immutari per fractionem & manducationem ſpecierum panis, & effuſionem ac conſumptionem ſpecierum vini. Si enim panis in propria natura & eſſentia immolaretur, eius eſſentia ſeu ſubſtantia non frangeretur, ſed tantùm accidentia. Cùm ergo ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti ſit conuerſa; dum panis accidentia franguntur, immutantur, manducantur, corpus Chriſti cenſetur frangi, immutari, manducari. Et hoc ſanè notatum fuit à D. Ioanne Chryſoſtomo exponente Chriſti verba 1. Cor. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Ait enim loquens de hac fractione, hom. 14. in 1. ad Cor. *Hoc autem licet videre fieri in Euchariſtia; in cruce autem non itidem, ſed vtique ei contrarium. Os enim*, inquit, *eius non conteretur. Sed quod non paſſus eſt in cruce, hoc in oblatione patitur propter te.* Ac ſi diceret, quod in oblatione incruenti ſacrificij corpus Chriſti frangitur ad fractionem ſpecierum panis, ſub quibus verè & realiter reperitur, & mutatur, quia amittit eſſe ſacramentale, ac deſinit eſſe ſub illis ſpeciebus; ac conſequenter deſinit eſſe cibus ſenſibilis. 242.

Myſticam in Euchariſtia mortem ſubit Chriſtus.

D. Cyril. Effuſio ſanguinis in Euchariſtia fit gladio verborum.

Cum accidẽtia panis frãguntur, corpus Chriſti dicitur frangi.

D. Chryſoſt.

§. IV.

Sacrificium Euchariſtiæ verè propitiatorium eſſe ſuadetur.

Is quæ hactenus de ſacroſanctæ Euchariſtiæ oblatione diximus conuicti huius tempeſtatis Sectarij, Euchariſtiam, ſacrificium Euchariſticum, ſeu gratiarum actionis, vel honorarium quo Deus colitur, fateri coguntur. Attamen propiatorium verè ac propriè dictum nequaquam concedunt, ſed obſtinatâ pertinaciâ negant. Vt ergo tremendo, adorandoque corporis & ſanguinis Domini myſterio, quod ſuum 243.

ſuum eſt tueamur, illudque à tanta quæ ipſi à Nouantibus irrogatur, iniuria vindicemus, illud verè ac propriè ſacrificium propitiatorium oſtendere conabimur, eiuſque oblatione Deum placari, peccata remitti, hominemque liberari probabimus.

Euchariſtia eſt verè ſacrificium propitiatorium.

244. Verè igitur ac propriè propitiatorium ſacrificium, pro pœnis, & culpis non ſolùm leuibus, ſed etiam grauibus, Euchariſtiam cum vniuerſa Eccleſia Catholica, contra omnes Sacramentarios, Lutheranos, alioſque Nouatores dicimus & prædicamus.

245. Hanc docuit nos veritatem diuinus Sacramentorum Author Christus Dominus, dum in Euchariſtiæ inſtitutione ſanguinem ſuum in hoc myſterio fundi, ſeu offerri pronuntiauit *in remiſſionem peccatorum.* Summo enim charitatis ardore perpetuum, quo hominibus ſanguinem ſuum in cruce fuſum, culpas humanas expiantem, per cunctas Eccleſias in hac peregrinationis duratione applicaret, medium cupiens, Euchariſtiam excogitauit, inſtituit, eamque in Eccleſiaſticis relinquens Altaribus, perennem donauit paſſionis ſuæ transfuſionem, ac facilem, quo mors ſua applicaretur, modum contulit. Dum enim inquit Matth. 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; de illa quæ tunc accidit effuſione ſeu oblatione, & de omnibus quæ vſque ad finem ſeculi fient in Euchariſtiæ celebratione, oblationibus ſeu effuſionibus loquutus eſt; quod patet ex eo quod jam ſuprà tetigimus, nempe quod *Luc.* 22. dicitur, *Hic eſt Calix, nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funditur*; hæc vltima verba ad ipſum calicem mirabili prouidentiâ reducens. Quamvis igitur in cruce Dominus ſacrificium propitiatorium, ſemetipſum offerens immaculatam pro hominibus hoſtiam, obtulerit, omniſque ſiue peccatorum remiſſio, ſiue gratiarum ac donorum largitio effectus ſint paſſionis Christi, quæ noſtram operata eſt redemptionem: nihilominus Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, vt quæ ſemel tranſacta erat mors ſua, hoc in myſterio jugiter vſque ad ſeculorum conſummationem perſeueraret, tanquam in memoria, ac imagine perfectiſſima; quæ cùm ipſam exhibeat Christi Domini paſſionem, eiuſdem virtutem ac fructus applicat & largitur. Vt ergo imago & imaginatum in aliquo vno conueniant, cùm juxta Philoſophos ratio ſimilitudinis fundetur in vnitate; Euchariſtiæ ſacrificium debet eſſe verè ac propriè propitiatorium, cùm ſacrificium crucis hoc titulo exornetur; alias non conuenirent res repræſentata, & illius imago: nec poſſet dici quod Christus qui in cruce oblatus, & immolatus eſt, etiam in Euchariſtia immolatur; nec quod celebratio huius Sacramenti ſit imago repræſentatiua paſſionis Christi, ſicut docet D. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 1. vnde nullum aliud inter ſacrificium Christi in cruce & in Euchariſtia ponitur diſcrimen, niſi in modo, quia ſcilicet illud cruentum fuit, & in eo ſanguinem ſuum viſibiliter fudit Christus, qui viſibiliter mactatus fuit: illud autem incruentum eſt, & in eo Christus inuiſibiliter ac ſpiritualiter immolatur.

Quia eſt perennis paſſionis Domini transfuſio in remiſſionem peccatorum.

Paſſio Christi in Euchariſtia vſque ad finem ſeculi perſeuerat, & exhibetur in remiſſionem peccatorum.

D. Thom.

Sacrificium Euchariſtiæ eſt propitiatorium, quia idē eſt cum ſacrificio crucis.

246. Accedit, quod vetera quæ in omni hominum ſtatu, ab initio ſeculi ſiue ante, ſiue poſt Legem Deo oblata ſacrificia, etſi mortem Christi adumbrarent, tamen propitiatoria extiterunt, Deum iratum placauerunt, ipſi homines reconciliauerunt, eorumque peccata ſeu maculas legales expiabant (nam peccata quoad culpam remitti non poterant, nec homines juſtificari niſi per ſanguinem Christi, vt Apoſtolus inſinuat *Heb.* 10.) vt patet ex Leuit. 4. vbi legitur: *Offerat ſacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Et *Iob vlt.* Deus contra amicos Iob juſtè exaſperatus, ſacrificiis voluit placari. Ergo etſi Euchariſtia ſit memoriale ſacrificij propitiatorij, quod Dominus pro nobis obtulit, adhuc Deum placare, ipſi homines reconciliare, ac eorum peccata expiare poterit, ac conſequenter verum ac proprium ſacrificium propitiatorium vocabitur: maximè cùm non ſolùm mortem Christi præteritam exhibeat, ſicut vetera Hebræorum ſacrificia futuram exhibebant; ſed etiam quia eandem quam refert Christi paſſionem applicat, eiuſque hominibus vberrimos largitur effectus. Quod optimè aduertit D. Thomas loco jam citato, vbi Ambroſium *in cap.* 10. *Epiſtolæ ad Hebræos*, refert ſic loquentem: *In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius.* Vbi ex D. Ambroſio innuit Angelicus Doctor, quod hoſtia quæ à Christo ſemel in cruce ad ſempiternam ſalutem oblata eſt, quotidie ab Eccleſia pro hominum ſalute offertur, in quantum hæc quotidiana à Sacerdoribus immolata hoſtia, Christi Domini mortem non ſolùm nobis in memoriam reducit, ſed etiam quia eiuſdem mortis, ſeu paſſionis Domini fructuum ſiue effectuum nos participes efficit: vnde vt idem notat S. Doctor in oratione ſecreta quæ Dominica 9. poſt Pentecoſten à Sacerdore in huius myſterij celebratione recitatur, dicitur: *Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur.* Hinc eſt quod Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacrificium verè propitiatorium docet, ac in illo Christum Dominum incruentè immolari, vt diuinam miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ait enim, quod *huius oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſâ.*

D. Ambroſ.

Hoſtia quæ à Christo ſemel ad ſalutē omniū eſt oblata, offertur quotidie ab Eccleſia in Euchariſtia pro omnium ſalute.

Euchariſtiæ oblatione placatus Deus peccata dimittit.

247. Sine fundamento igitur Nouatores ſacrificium propitiatorium Euchariſtiam eſſe negant, cùm illius oblatione diuinam propitiationem obtineri conſtet. Si enim omne quod in nomine Christi à Patre petimus, impetramus, ſicut diſcipulis promiſit Dominus, Ioan. 16. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: cur ipſum dilectiſſimum æterni Patris Filium in Euchariſtia offerentes, vt à Patre culparum noſtrarum expiationem, ſuæque gratiæ largitatem habeamus, ipſo agente Filio non recipiemus? Sanè ſi; vti narrat Plutarchus in vita Themiſtoclis, Moloſſi Epiri incolæ fauorem à Rege poſtulantes, vnum ex Regis filiis brachia inter geſtantes, ante aram domeſticam flexis genibus obſecrabant, remque poſtulatam obtinebant; quod mirè Themiſtocli ab Athenarum vrbe exulanti profuit; nam cùm in domum Admeti Moloſſorum Regis, hoſtis ſibi infenſiſſimi incidiſſet, ſine dubio necatus fuiſſet, niſi arrepto eius filio, Regi humiliter ſupplicans vitam impetraſſet. Quomodo Christianus qui lacrymarum imbre perfuſus, tactuſque

Christus Patri oblatus iram eius placat.

Moloſſi Regi filium offerentes, poſtulata & veniam obtinebant.

k. P. Car. Bonquin Comm. in Proſam D. Thom.

que dolore cordis intrinſecus, veniam à Deo ſupplex poſtulat delictorum, vnigenitum Dei Filium in Euchariſtia latitantem, Sacerdotum manibus offerens non impetrabit? Indulgebit vtique pius Pater miſeris peccatoribus, & propter Filium in ara crucis oblatum, ac in Euchariſtia modo incruento immolatum, ſibique à Sacerdotibus præſentatum offenſas donabit, iram ponet, gratiam largietur, ſuamque placatus propitiationem effundet.

248. Qui olim ſupplices veniam poſtulabant, ac commiſſa ſcelera dimitti rogabant, olearum ramos manibus præferebant, vt dum verbis obſecrarent, etiam manibus pietatis onuſtis ſymbolo ad miſericordiam excitarent. Sic Locrenſis Reipublicæ Legati oliuarum ramos exhibentes Senatui populoque Romano ſupplicarunt, vt videre eſt apud Titum Liuium *lib. 9. decade 3.* Idemque præſtiterunt Sidonij, vt iratum Artaxerxem mitigarent, vt teſtatur Diodorus Siculus in vita Philippi. Immò & Carthaginenſes à Scipione victi, ipſo conſulente Annibale, ex primoribus eorum decem olearum ramos geſtantes, vt miſericordiam impetrarent, ad victorem deſtinarunt. Cùm ergo dum Deo ſupplicant rei homines, eiuſque efflagitant pietatem, incruentum corporis & ſanguinis Domini ſacrificium offerentes, non tantum virentis oliuæ ramos manibus gerant, ſed etiam ipſam oliuam in campis ſpecioſam, ac in domo Dei fructiferam, immò & ipſum puriſſimum oleum, Chriſtum Dominum, cuius nomen oleum eſt effuſum, Deo exhibeant ac præſentent; quis eos Deum placare, eiuſque miſericordiam impetrare inficiabitur? Vnigeniti igitur oblatione, tanquam virentis oliuæ exhibitione, ad noxas hominibus condonandas Pater excitatur. At quomodo pius Dominus pij Filij immolatione non moueretur, cùm non ſolùm *ille ſit pax noſtra*, vt ait Apoſtolus *Eph. 2. 14.* ſed etiam, vt idem inquit Col. 1. 20. *pacificet per ſanguinem crucis eius ſiue quæ in cælis, ſiue in terris ſunt*; hæcque cruoris in cruce effuſio, in ſanctæ Euchariſtiæ celebratione commemoretur?

Veniam poſtulantes, ramos oliuarum offerentes impetrabant antiquitus. *Ti. Liu. Diod. Sic.*

Chriſtus oliua ſpecioſa in campis, Patri oblatus veniam poſtulātibus obtinet.

249. Chriſtum Dominum Ieroſolymam venientem, ac ad offerendum pro mundi ſalute ſacrificium tum incruento modo in corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini myſterio, tum etiam cruento more copioſiſſima ſanguinis ſui in crucis patibulo effuſione, ac mortis paſſione, properantem ingenti gaudio, ac ſolenni pompa receperunt illius incolæ ciuitatis: obuiam ei proceſſerunt, ſuaque ſtrauerunt in via veſtimenta, ramoſque de arboribus cæſos, non ſolùm iter exornaturi ſternebant, ſed etiam Chriſtum vel præcedentes, vel ſubſequentes, manibus geſtabant. At non ſolùm palmarum iſti erant rami, vt dicitur *Ioan. 12. 13.* ſed etiam oliuarum, quod colligitur tum ex capite 21. Matth. vbi legitur, quod ex turba plurima quæ Chriſto obuiam venit Bethphage ad montem oliueti, *alij cædebant ramos de arboribus*, quæ vtique oleæ erant: tum etiam ex traditione Eccleſiæ, quæ in antiphonis quas in Dominicæ palmarum celebritate decantat, in altera illarum ſic loquitur: *Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum obuiauerunt Domino, &c.* Verùm quorſum Chriſto morituro ac breui ex hominibus diſceſſuro, oliuarum rami à promiſcua plebe exhibentur? Sanè hoc ingenti prouidentiâ factum eſt, vt ſcilicet pro hominibus ſacrificaturus, ab hominibus manſuetudinis ac clementiæ ſymbola in ramis oliuarum ſuſcipiens, ad ſummam erga illos miſericordiam flecteretur. Vnde qui has geſtabant oleas, ſalutem poſtulantes clamabant, *hoſanna* (hoc eſt, ſalua nos) *in excelſis.* Ipſe autem Saluator amantiſſimus, qui ſacerdos eſt ac ſacrificium ſeu hoſtia quæ immolatur, dum ſeipſum in Euchariſtia hoſtiam pro nobis obtulit Deo, virentis oliuæ ramum præ manibus geſtauit. Cùm enim ipſe *oliua ſit fructifera in domo Dei*, ſeque *viride lignum* appellet *Luc. 23. 31.* dicens de ſeipſo, *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* dum corpus ſuum ſpecie panis inuolutum manibus geſtans Patri obtulit (nam vt ait D. Auguſtinus conc. 1. in pſal. 23. *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ait, Hoc eſt Corpus meum*;) virentem oleam Patri, vt ipſum ad ſummam pietatem prouocaret, præſentauit.

Cur Chriſtus ingrediens Ieruſalem à geſtantibus ramos oliuarum deductus ſit.

Seipſum in manibus tāquam oliuā Chriſtus tulit in Euchariſtiæ inſtitutione. *D. Auguſt.*

Dum ergo Chriſtiani Sacerdotes immaculatam corporis & ſanguinis Domini pro peccatis hominum Deo victimam offerunt, etiam virentem oliuam quæ Chriſti corpus eſt, manibus gerunt, ipſumque Deum Opt. Max. ad miſericordiam excitantes, propitiationemque eius impetrantes, ſacrificium ſine vlla dubitatione exhibent propitiatorium. Quod adeo verum eſt, vt Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, qui ob egregiam ſanctitatis præſtantiam tempore, quo ſacra corporis Domini myſteria celebrantur, templum Angelis plenum non ſemel videre meruit, dixerit cœleſtes illas virtutes corpus Domini tanquam olearum ramum Deo ad miſericordiam commouendam offerre. Nam inquit hom. 3. contra Anomæos: *Vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges conſueuerunt, eoque arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatem: ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe largitus es tuum ſanguinem: pro his oramus pro quibus corpus hoc immolaſti.* Hæc Chryſoſtomus. 250.

Sacerdos Euchariſtiā offerens virentē oliuam Deo vt miſereatur exhibet. *D. Chryſoſt.*

Etiam Angeli corpus Domini vt ramum oliuæ Deo offerunt, pro hominibus obſecrantes.

Quibus omnibus adhuc ratio ſuffragatur. Etenim Sacerdotis propriè dicti munus eſt ſacrificium etiam propriè dictum exhibere: huius autem formalis ratio in hoc ſita eſt, quod Deo oblatum, eius maieſtatem, ac hominum infirmitatem proteſtetur, ſimulque ad curandas ſpirituales infirmitates, quæ peccata ſunt, miſericordiam Dei excitet, ac gratiam impetret. Vnde Apoſtolus *Heb. 5. 1.* ait: *Omnis Pontifex conſtituitur, vt offerat ſacrificia pro peccatis.* Cùm ergo veri & propriè dicti ſint in Eccleſia Sacerdotes, debent verum & proprium ſacrificium offerre; hoc autem pro peccatis offertur: nam Sacerdos, vt *ibid. 3.* ſubdit Apoſtolus, debet *quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Cùm autem Euchariſtia ſit verum Catholicæ Eccleſiæ ſacrificium offerens Deo corpus & ſanguinem Chriſti, debet pro peccatis offerri, ac conſequenter veri ſacrificij propitiatorij rationem habet. 251.

Sacerdotis munus eſt offerre ſacrificia pro peccatis.

Quod certè ſemper ab initio ſancta tenuit, ac docuit Eccleſia, quæ vt teſtantur ſancti Patres, pro peccatorum remiſſione Deo Euchariſtiam offerre conſueuit. Id videre eſt in liturgia Iacobi 252.

Apoſtoli,

Eucharistia ſemper pro remiſſione peccatorum oblata eſt.

D. Baſil.

D. Cyril.

Apoſtoli, vbi dicitur: *Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris, & ignorantiis populi.* Idem docet in ſua liturgia D. Baſilius, vbi miniſtrum Deum rogantem inducit, *vt dignus efficiatur, vt offerat ſacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta, & pro piaculo populi.* D. Cyrillus catech. 5. myſtagogica *Euchariſtiam* vocat *propitiationis*; & ſubdit: *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offeramus, vt & nobis, & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus.* D. Chryſoſtomus in ſua liturgia: *Idoneos*, inquit, *nos redde ad inferenda tibi dona, & ſacrificia pro peccatis noſtris, & populi ignorantiis.* Idem docuit Ambroſius, dum *lib. 1. de officiis, cap.* 48. loquens de Euchariſtia, inquit: *Offert Chriſtus ſeipſum quaſi Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat.* D. Auguſtinus idem ſentit qu. 57. in Leuit. *In multis*, inquit, *ſacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc noſtrum ſacrificium ſignificatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum.* Et ſerm. 11. de Sanctis: *Ibi*, inquit loquens de Euchariſtia, *pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur.* Quibus addendum Concilium Bracarenſe, vbi can. 1. dicitur: *Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipſa ſacrificij oblatione erratur.* Omni ergo ex capite liquet Euchariſtiæ ſacrificium verè & propriè dici propitiatorium.

D. Chryſoſt. — D. Auguſt. — Concil. Bracar.

253. Neque obſtat, quod Euchariſtia eſt Sacramentum, quod ſuſcipientem debet ſanctificare; ac per conſequens non poteſt eſſe ſacrificium pro aliis oblatum, nec propitiatorium. Quia diuerſæ in Euchariſtia rationes poſſunt accipi, & ſecundùm diuerſam acceptionem, ſacramentum eſt, & ſacrificium. Prout igitur Euchariſtia datur hominibus ad illos ſanctificandum, ad modum ſpiritalis pabuli animæ Sacramentum eſt: prout autem Deo offertur ad ſupremum eius dominium colendum, & noſtram infirmitatem proteſtandam modo ſuprà expoſito, ſacrificium eſt; eo planè modo, quo in Lege veteri Agnus Paſchalis, prout erat ſignum viſibile gratiæ inviſibilis, erat Sacramentum: prout verò Deo offerebatur, erat ſacrificium. Vnde licèt Euchariſtia, prout eſt Sacramentum, ſoli ſuſcipienti proſit, ad eum modum quo Baptiſmus baptizatum dumtaxat renouat: attamen prout eſt ſacrificium ordinatur ad impetranda beneficia iis omnibus, pro quibus offertur, ſicuti oratio prodeſt omnibus, pro quibus oratur. Cùm enim Euchariſtia prout ſacrificium, non tantùm paſſionem Domini, in qua Chriſtus ſemetipſum holocauſtum pro nobis obtulit Deo, repræſentet, vt ſemper ſenſit Eccleſia, & docet D. Auguſtinus *lib. 20. contra Fauſtum, cap.* 21. dicens: *Huius ſacrificij caro & ſanguis ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur*; ſed etiam effectum paſſionis & mortis Chriſti hominibus applicet; ideo omnibus pro quibus offertur, verè eſt propitiatorium. Verùm neminem moueat, quod Auguſtinus *loc. cit.* ſanctiſſimam Euchariſtiam *Sacramentum memoriæ* appellauerit: nec vllus ex hoc inferat, quod corpus Domini in hoc myſterio, in quo eius memoria celebratur, non inuenitur; vel quod ſacrificium proprium & verum eſſe non poſſit, cùm ſit veri ſacrificij memoria.

Secundum variam rationem Euchariſtia Sacramentum eſt & Sacrific.

D. Auguſt.

Euchariſtia Sacramentũ memoriæ.

254. Etenim dum Euchariſtia Sacramentum memoriæ a S. Auguſtino appellatur, nullo modo corporis Domini abſentia ab hoc myſterio indicatur, ſed tantùm innuitur, quod hoc Sacramentum in noſtram memoriam paſſionem & mortem Domini, quæ tranſacta eſt, reducit: vnde myſterium hoc non eſt præcisè corporis & ſanguinis Domini memoria, cùm vtrumque realiter contineat, nobiſque exhibeat: ſed eſt memoria Chriſti crucifixi, mortem pro nobis patientis, ac cruentum ſui ipſius ſacrificium in cruce offerentis. Quod apertè ex verbis Apoſtoli 1. *Cor.* 11. colligitur, vbi ait: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Itáque intellexit Auguſtinus, dum Euchariſtiam *Sacramentum memoriæ* appellauit, corpus Domini verè & realiter in illa contineri dixit, & mortem Chriſti jam præteritam nobis repræſentare. Quod ſic eſſe conuincitur ex ipſis eiuſdem Auguſtini verbis *lib. 20. cont. Fauſtum, cap.* 18. vbi inquit. *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tantà dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde jam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.* Quid clarius dicere potuit Sanctus Doctor ad refellendas hæreticorum cauillationes, cùm expreſſe doceat, ſacrificium in mortis Chriſti memoriam celebrari ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Ergo & reali eius præſentiâ; niſi enim præſens eſſet, nec offerretur, nec ipſi participaretur.

D. Auguſt.

Victimis Hebræorum victima quam Chriſtus obtulit & Sacerdotes poſt ipſũ offerunt, deſignabatur.

255. Deinde ex eo quod Euchariſtia ſit commemoratio ſacrificij crucis, malè infertur quod non ſit verum ac proprium ſacrificium. Immò cùm Euchariſtia mortis & ſacrificij crucis Chriſti ſit commemoratio, in quantùm mortem illam exhibet vt quædam illius imago; ad hoc vt verè repræſentet, & vera imago dici poſſit, verum & proprium debet eſſe ſacrificium. Siquidem nihil melius oblationem aut ſacrificium refert, quàm oblatio & ſacrificium. Imago enim quaſi *imitago* dicitur: & quod aliud nobis refert, ad hoc vt illius nobis ſpeciem ingerat, illud imitetur oportet. Nam ut inquit D. Auguſt. in libro quæſtionum ad Simplicianum, *q.* 3. & docet D. Thomas 3. p. q. 83. art. 1. *ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt.* Vnde idem Auguſtinus *in lib. ſentent. Proſperi*, & habetur *de conſec. diſt. 2. c. Semel*, inquit: *Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamen quotidie immolatur in Sacramento.* Alioquin vetera Hebræorum ſacrificia, quæ paſſionem Chriſti præfigurabant, non fuiſſent vera ſacrificia, quod tamen falſum eſt.

Euchariſtia verum ſacrificium, quia ſacrificium crucis exhibet.

D. Thom.

Quotidie Chriſtus in Euchariſtia immolatur.

256. Nec valet dicere, quod antiquæ Iudæorum oblationes venturam Chriſti mortem præſignabant Euchariſtia autem jam præteritam repræſentat; etenim Agni Paſchalis immolatio, quæ quotannis quartadecima die menſis Niſan à Iudæis fiebat, aliud ſacrificium jam præteritum, nempe primi illius agni, qui jubente Domino in terra Ægypti immolatus fuit, cuius ſanguine in Hebræorum januis coruſcante, ab internecione liberati ſunt, exhibebat; & tamen verum ac proprium ſacrificium fuit. Sicuti ergo Agni Paſchalis oblatio *tranſitum Domini* exprimebat, hoc enim ſonat phaſe, ſeu paſchæ nomen; nam vt legitur Exod. 12. 11. *Phaſe, ideſt tranſitus Domini*: & ibid. 26. & 27. *Cum dixerint vobis filij*

Agnus Paſchalis verum erat ſacrificium, licet rem præteritam exhiberet.

veſtri: Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt, *&c.* Ita ſacroſancta Euchariſtia ipſi Agno Paſchali reſpondens, Chriſti Domini ea hoc mundo ad Patrem morte crucis tranſitum, quo perfectam hominibus aſſeruit libertatem, repræſentans, verè ac propriè ſacrificium eſt propitiatorium, præfati tranſitus ſeu paſſionis Chriſti virtutem hominibus applicans. Vnde D. Ambroſius *in cap.* 1. *Luc.* ait: *Quando ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur: etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

D. Ambroſ.

257. Tandem ex ipſa aduerſariorum doctrina facilè conuincitur, Euchariſtiæ ſacrificium eſſe propitiatorium. Siquidem contendunt Lutherani ad peccati remiſſionem inſtitutam eſſe Euchariſtiam: quod etiam ſentit Caluinus, qui *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 17. §. 11. *&* 33. & *cap.* 18. §. 3. docet redemptionem, abſolutionem à peccatis, juſtitiam, ſanctificationem, & ipſam vitam æternam effectus eſſe Euchariſtiæ. Quod ab illius diſcipulis paſſim etiam tenetur ac propugnatur. Quo ſuppoſito ſic contra eos licet ratiocinari. Euchariſtia peccata remittit, juſtitiam, & ſanctitatem tribuit, vel vt eſt ſacramentum, vel vt eſt ſacrificium. Sed non poteſt ea præſtare, vt eſt ſacramentum; quia vt ſic, cùm ſit inſtituta à Chriſto ad modum cibi ſpiritualis, proprius eius effectus eſt vitam ſpiritualem conſeruare, augere, delectare; & cùm cibus non nutriat, niſi ſumentem, Euchariſtia quà ſacramentum eſt, dumtaxat ſuſcipienti prodeſt, qui antequam hoc myſterium accipiat, tenetur ſe probare, vt cum conſcientiæ puritate, & abſque peccato mortifero tantum manducet Sacramentum, vt patet ex Paulo 1. *Cor.* 11. Vnde *Sacramentum viuorum*, hoc eſt juſtorum, & à peccatis immunium; & non *mortuorum*, ideſt actu peccatorum appellatur; aliàs qui hoc myſterium ſuſciperet, *judicium ſibi manducaret*, vt loquitur Apoſtolus: ergo peccata dimittit, & juſtitiam tribuit, etiam non ſumentibus, in quantum eſt ſacrificium pro illis Deo oblatum, quo Deus placatur, ac ad remittendum peccata, gratiamque conferendam excitatur. Vnde Cyprianus *in ſerm. de cœna Domini*, inquit, *Euchariſtiam eſſe holocauſtum ad purgandas iniquitates.* Quod ex mox dicendis clariùs patebit.

Ex nouatorũ doctrina cõuincitur Euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Euchariſtia eſt holocauſtum ad purgandas iniquitates.

§. V.

Quomodo Euchariſtia ſit ſacrificium propitiatorium, explicatur.

258. ADorandum Euchariſtiæ myſterium, tanquam propitiatorium ſacrificium Deum placare, ac homines à peccato liberare, vt clariùs pateat; etiam illud impetratorium eſſe, corpuſque Dominicum ad diuina obtinenda beneficia ritè offerri, neceſſariò eſt præmittendum. Cùm enim, vt ſuperiùs tetigimus, omne ſacrificium, vel holocauſtum, vel hoſtia pro peccato, vel tandem hoſtia pacifica eſſe debeat, ipſamque Euchariſtiam omnem legalium differentiam victimarum complecti ex oratione ſecreta quam Eccleſia in Miſſa Dominicæ 7. poſt Pentecoſten legit, ſuprà docuerimus; non ſolum holocauſtum, quo Dei maieſtas totius incendio oblationis colitur; hoſtia pro peccato, ſeu ſacrificium propitiatorium, quo placatur Deus & peccata remittuntur: ſed etiam hoſtia pacifica, quà de beneficiis acceptis Deo gratiæ exſoluantur, & noua ab ipſo bona poſtulentur & impetrentur, meritò appellabitur. Itaque myſterium hoc ſicuti verè honorarium, quia ipſo tanquam holocauſto Deus ſummè colitur; & verè propitiatorium dicitur, quia ipſo vt hoſtiâ pro peccato Deus placatur, ac crimina expiantur: ita & verè impetratorium vocari debet, quia illius oblatione, tanquam hoſtiæ pacificæ immolatione, acceptis de beneficiis gratiæ referuntur, nouaque bona & gratiæ neceſſariæ impetrantur.

Euchariſtia eſt ſacrificiũ impetratorium.

Sic ab initio naſcentis Eccleſiæ in Miſſarum celebratione & diuinæ Euchariſtiæ immolatione, ad obtinenda non ſolùm ſpiritualia & interiora, ſed etiam externa & temporalia bona, preces à ſacris miniſtris virtute hoſtiæ oblatæ fuſæ ſunt. Vnde Apoſtolus 1. Timot. 2. jubet in Eccleſia fieri *obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, &c.* quod ſancti Patres exponunt de publicis precibus, quæ fiunt in Miſſa etiam pro temporali pace, & tranquillitate Eccleſiæ, vt videre eſt apud D. Ambroſium *lib.* 6. *de Sacramentis, cap. vltimo*, Auguſtinum *ep.* 59. *ad Paulinum*, & Chryſoſtomum *in* 1. *ad Tim.* 2. Vnde Tertullianus *lib. ad Scapulam*, inquit: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Et *lib. de coron. mil.* ſcribit, *oblationem pro natalitiis fieri ſolitam*; hoc eſt ſacrificium Euchariſtiæ oblatum in die natali Imperatoris ſeu Principis, ad eius à Deo incolumitatem poſtulandam. Sed hoc luculento Cyrilli Hieroſolymitani teſtimonio comprobatur, qui catecheſi 5. myſtagogica inquit: *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, & in ſumma pro omnibus, qui egent auxilio.* Hæc Cyrillus. D. Auguſtinus *lib.* 22. *de Ciuit. Dei, cap.* 8. refert ſacrificium Euchariſtiæ oblatum ad purgandam domum à dæmonum vexatione. Quod etiam ratione ſuaderi poteſt. Etenim ſi incruentum Euchariſtiæ ſacrificium Deum placat, ab eoque noxarum reis condonationem obtinet, quia eſt propitiatorium: ergo pro abolendis tum neceſſitatibus, tum etiam infirmitatibus à peccato productis, à Deo beneficia obtinebit; nam ſi iratus hoc ſacrificio mitigatur, & cum inimicis in gratiam redit, etiam eiuſdem oblatione victimæ reconciliatis & amicis bona concedet. Quibus præmiſſis 259.

In oblatione Euchariſtiæ preces fundebantur pro ſalute Imperatoris & pro tranquillitate Eccleſiæ.

Tertull.

Cyril. Hieroſ.

Pro omnibus in Miſſa oratur.

Euchariſtia oblata ad purgandam domum à dæmonum vexatione.

D. Auguſt.

Dicimus, ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium propitiatorium cauſare remiſſionem peccatorum mortalium ex opere operato, non quidem immediatè & directè, eo modo quo ſacramenta cauſant gratiam; ſed indirectè tantùm & mediatè, impetrando ſcilicet à Deo auxilium, quo homo excitetur ad contritionem, vel attritionem cum Sacramento, quorum vi immediatè remiſſio peccatorum obtineatur. Huius noſtræ ſententiæ ſingulæ partes expendendæ ſimul, ac probandæ ſunt ſigillatim. 260.

Quomodo Euchariſtia ſit ſacrificiũ propitiatorium.

Prior ergo pars, nempe quod Euchariſtia vt ſacrificium propitiatorium cauſet remiſſionem peccatorum mortalium ex opere operato, probatur ſimul & explicatur. In hoc diſtinguitur effectus ex opere operato, ab effectu ex opere operantis, quòd ille datur intuitu meritorum Chriſti, & ex inſtitutione ipſius, quia merita 261.

Ex opere operato cauſat remiſſionem peccatorum.

ſua

ſua tali vel tali operi applicauit: iſte verò datur intuitu meriti operantis, ſeu facientis opus. Atqoi ſacrificium Euchariſtiæ operatur remiſſionem mortalium ex ſua ſola dignitate ſacrificij, independenter à merito vel dignitate Sacerdotis offerentis, aut eius pro quo offertur: nam Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 2.*, ideo docet ſacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium, quia idem eſt principalis offerens, & res oblata, ipſe ſcilicet Chriſtus, qui ſemetipſum ſemel in ara crucis cruentè obtulit. *Huius quippe oblatione* (ait Concilium) *placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Ergo ſacrificium Euchariſtiæ cauſat remiſſionem peccatorum mortalium ex ſola dignitate ſacrificij, & ex opere operato; non verò à merito, vel dignitate Sacerdotis offerentis, aut eius pro quo offertur, ſeu ex opere operantis.

Conc. Trid.

261. Poſterior verò pars, ſcilicet qood ſacrificium Euchariſtiæ oon cauſet talem remiſſionem immediatè & directè, ſed tantùm indirectè & mediatè, &c. euidenter patebit coonſideranti diſcrimen quod inter ſacrificium eſt & ſacramentum. Differuor enim in hoc, quod ſacrificium vt tale immediatè refertur ad cultum Dei, & ſecundariò ac veluti per redundantiam ad vtilitatem hominum; ſacramentum verò primò & per ſe inſtitutum eſt ad ſanctificationem hominum, eorum ſcilicet qui parati recipiunt illud. Vode bæc formatur ratiocinatio. Quod non eſt inſtitutum ad juſtificandum immediatè homines tanquam verum Dei inſtrumentum, ſed tantùm ad ipſum Deum colendum directè & immediatè; ipſum Deum immediatè & directè colit, & homines tantùm mediatè & indirectè juſtificat: ſed ſacrificium Euchariſtiæ formaliter vt tale, inſtitutum eſt ad colendum Deum, & eius ſupremum Dominum externa oblatione venerandum; oon verò ad juſtificandum homines. Ergo ſacrificium Euchariſtiæ immediatè & directè colit Deum; & tantùm indirectè & mediatè juſtificat homines, Deum excitando vt eis gratiam & contritionem, quibus à peccato liberentur, tribuat. Quod expreſſit Tridentinum jam citatum, dum inquit: *Huius oblatione placatus Dominus gratiam* (excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Quod ipſe Aogelicus Doctor *in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 4.* docuit, dum de boc ſacrificio reſpectu eorum, pro quibus offertur, inquit: *Peccata mortalia eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Non immediatè & directè, ſed indirectè & mediatè.

In quantum contritionē peccatoribus impetrat. D. Thom.

262. Adde quod ſi ſacrificium Euchariſtiæ immediatè juſtificaret, præuiam diſpoſitionem in eo pro quo offertur, exigeret; quod tamen falſum eſt, cùm liceat Miſſam celebrare pro exiſtentibus in peccato mortali, impœoitentibus, & obduratis. Deinde ſacrificium crucis, quod ab Euchariſtia repræſentatur, & applicatur, non juſtificat homioes immediatè, ſed impetratoriè & meritoriè, quia placauit Deum, & impetrauit vt per debita media peccatores ad ſalutem perducerentur. Ergo & ſacrificium Euchariſtiæ non immediatè juſtificat homines, ſed impetrat, vt ex merito ſacrificij crucis ſeu mortis Chriſti, hominibus gratia excitans, & donum pœnitentiæ concedantur. Denique omne peccatum vel eſt originale, vel actuale; ab originali mundatur homo immediatè per Baptiſmum; ab actuali immediatè purgatur per Pœnitentiam, quæ ſunt duo ſacramenta mortuorum, hoc eſt peccatorum, immediatè ad delendum peccata à Deo inſtituta. Vnde Euchariſtiæ ſacrificium nequit hos effectus immediatè præſtare. Imoò ſub hac formalitate ſacrificij nequit immediatè augmentum gratiæ producere; boc enim proprium eſt Euchariſtiæ ſub ratione ſacramenti, & cibi ſpiritualis animæ, & aliorum ſacramentorum, quæ primam gratiam ſaoctificantem in ſuſcipientibus prærequirunt: vnde & ſacramenta viootum, hoc eſt juſtorum, appellantur.

Licet Miſsā celebrare pro actu peccatoribus & obduratis.

Baptiſmus & pœnitentia duo Sacramenta mortuorum.

Nec dicas contra præfata, quod ſi ſacrificium hoc cauſet gratiam & remiſſionem peccatorum indirectè taotùm, & per modum impetrationis, non cauſat illas ex opere operato; quia quamvis id quod cauſatur per modum impetrationis, quæ fit mediâ oratione, non cauſetur ex opere operato; tamen quod impetratur ex vi operis meritorij jam à Chriſto patrati, verè fit ex opere operato. Cùm autem Euchariſtiæ ſacrificium non ſit impetratorium gratiæ diſponentis, præparantis, & excitantis ad pœnitentiam oratiooe, ſed ex vi ſua, ſeu ratione operis quod agitur, & ex dignitate rei oblatæ ac principalis offerentis, nempe Chriſti; planum eſt, illud cauſare remiſſionem peccatorum ex opere operato. Sed quia hanc remiſſionem non cauſat, niſi mediatè & indirectè, non poteſt facere de attrito contritum, nec gratiam infundere vltra ſubiecti diſpoſitionem; poteſt tamen impetrare diſpoſitionem ad gratiam, ſeu obtinere auxilium ad ponendam talem diſpoſitionem, quæ omninò requiritur, vt boc ſacrificium effectum habeat propitiatorium in illis pro quibus offertur. Etenim quamvis cauſet gratiam excitantem ex opere operato, non tamen cauſat illam infallibiliter, ex eo quod illi, pro quibus offertur, tali effectui ponunt obicem. 263.

Euchariſtia eſt impetratoria ex vi operis meritorij à Chriſto patrati.

Non cauſat gratiam infallibiliter in eis pro quibus offertur.

Expiat inſuper, ac immediatè remittit incruentum hoc ſacrificium pœnas ex mortalibus, ſiue venialibus peccatis condonatis relictas. Primò quidem, quia Concilium Tridentinum ſuprà allatum docet, quod hoc ſacrificium offertur non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis. Sed defuoctis non poteſt valere mediatè, impetrando ſcilicet auxilium, quo eliciant actum ſatisfactorium; nam animæ purgatorij non ſunt capaces actiuæ ſatisfactionis, aliàs poſſent ſeipſas è purgatorio liberare; ſed tantùm ſatisfactionis ab aliis applicatæ. Ergo hoc ſacrificium immediatè remittit pœnas relictas ex condonatis peccatis, ſiue mortalibus, ſiue venialibus. 264.

Expiat & remittit pœnas temporales peccatorum, vt ſunt purgatorij.

Secundò quia D. Thom. 3. *p. q. 79. art. 5. in corp.* comparans Euchariſtiam vt habet rationem ſacramenti, cum ipſamet vt habet rationem ſacrificij, ait quod *vt eſt ſacramentum non eſt inſtituta ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum, per vnionem ad Criſtum & ad membra eius; ſicut & nutrimentum vnitur nutrito, &c. in quantum verò eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactiuam.* Ex quo loco D. Thomæ extrahitur hoc argumentum. Remiſſio pœnæ cùm non pertineat ad intrinſecam hominis ſanctitatem, 265.

poteſt

Habet vim ſatisfaciendi vt eſt ſacrificium.

poteſt fieri per extrinſecam condonationem, abſque intrinſeca hominis mutatione. Ergo optimè poteſt fieri per hoc ſacrificium, quod vt tale non ſolùm prodeſt offerentibus, ſed etiam illis pro quibus offertur, etiam ipſis nihil operantibus aut recipientibus, maximè cùm per illud offeratur Deo ſatisfactio infinita Chriſti pro omnibus hominum peccatis.

266. Neque obſtat quod D. Thomas dicat *loc. cit.* quod ſacrificium cauſat hunc effectum ſecundùm diſpoſitionem ſubiecti, & ſecundùm modum ſuæ deuotionis & feruoris: quia tantùm vult S. D. quod ſicut Sacramenta, quæ cauſant gratiam ex opere operato, conferunt illam in maiori quantitate in ſubiecto magis diſpoſito; ita & hoc ſacrificium plures gradus pœnæ remittit in ſubiecto meliùs diſpoſito. Vnde ſi ille pro quo offertur, elicit actum bonum ſatisfactorium vt quatuor, remittuntur ipſi octo gradus pœnæ, ex quibus quatuor correſpondent actui ſatisfactorio, & quatuor ipſi ſacrificio.

In ſubiecto meliùs diſpoſito plures gradus pœnæ remittit.

§. VI.

De nominibus & valore ſacrificij Euchariſtiæ.

267. QVia nomina naturam rei explicant, ſunt enim velut quædam imagines rerum, quæ earum eſſentias ac proprietates manifeſtant; unde vt ait Plato in Cratilo: *Oportet pulchrum nomen habeat id quod pulchrum eſt*: etenim malè deformi nomine res formoſæ ſignificantur; ideò expoſitâ ſacrificij Euchariſtiæ naturâ, eius nomen, quo frequentiùs exprimitur, operæpretium eſt adducere.

Nomina rerum imagines.

Plato.

268. Verùm, quia res in dignitate, præſtantiâ, virtute, ac vtilitate immenſa non facilè vnâ voce declaratur; ideo non vnicum, ſed plura Euchariſtia à fidelibus ſortita eſt nomina, quibus, licèt vtcumque eius exprimatur excellentia; tamen qualis omninò ſit, perfectè non manifeſtatur. Quare ſingula obiter tangemus, præcipuum ac vſitatius ſedulò vt explicetur, immorantes.

269. Primò igitur corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini admirabile munus, prout omnium Sacramentorum præſtantiſſimum eſt, ſolet appellari *Euchariſtia*, tum apud Græcos, tum apud Latinos, vel vt ipſo tremendo myſterio gratias Deo nos agere ob tantum nobis conceſſum beneficium; vel vt in ipſo totius gratiæ fontem contineri demonſtretur. Vocatur etiam *Communio*, ſeu communicatio, ab Apoſtolo 1. *Cor.* 10. & à D. Luca *Act.* 2. quia per ipſam Euchariſtiam communicamus Chriſto, eius carnem & Deitatem participantes: & quia per ipſam communicamus & vnimur ad inuicem. Inſuper ob ineffabilem rerum diuinarum ſecretam quandam coniunctionem, à Græcis *myſterium*, à Latinis *Sacramentum*, addito ſancti cognomine, vocitatur; quia ſcilicet cætera ſanctitate ſuperat Sacramenta, ipſum omnis ſanctitudinis Authorem Chriſtum Dominum veraciter complectens. *Panis* etiam *Dei*, & *Panis Cæleſtis* à Sancto Ignatio *ep. ad Romanos*, vocata eſt, & ab Eccleſia in quotidiana huius myſterij celebratione appellatur. Præterea ab exordio naſcentis Eccleſiæ ſine vllo addito *Corpus Chriſti* dicitur; immò & olim dum hæc diuina myſteria à ſacro miniſtro Chriſtiano ad communionem porrigebantur, ille pronuntiabat, *Corpus Chriſti*; & recipiens reſpondendo *Amen*, confitebatur ore quod corde credebat, nimirum corpus Chriſti ſub ſpecie panis realiter contineri. Vocatur etiam *Viaticum*, quia eius auxilio roborati viam ab hoc exilio ad cœleſtem patriam peragunt. Denique à Græcis dicitur *Metalepſis*, hoc eſt aſſumptio; quia ſicut notauit S. Thomas 3. *p. q.* 73. *art.* 4. ex D. Damaſceno *lib.* 4. *fid. orth.* per hoc Sacramentum Filij Deitatem aſſumimus: & vt notauit D. Auguſt. *lib. de Ciuit. Dei*, Chriſtiani Africæ Euchariſtiam *vitam* appellabant.

Corporis Domini ſacrificium vocatur Euchariſtia.

Communio ſeu communicatio.

Myſterium.

Sanctum ſacramentum.

Panis Dei, panis cœleſtis.

Corpus Chriſti.

Viaticum

Metalepſis.

Vita.

D. Damaſ.

D. Auguſt.

Sed quatenus ineffabile corporis & ſanguinis Domini ſacramentum rationem induit ſacrificij pro hominum ſalute & ad Dei gloriam ac maieſtatem proteſtandam Deo oblati, aliis, diuerſiſque nominibus inſignitur. Dicitur enim *hoſtia*, quia continet ipſum Chriſtum qui ſemetipſum obtulit Deo hoſtiam immaculatam pro nobis. Præterea antonomaſticè appellatur *Sacrificium*, quia nullo alio propriè dicto ſacrificio quàm Euchariſtiæ Chriſtianorum gaudet Eccleſia; & quia cruenti, quod in cruce Chriſtus obtulit, ſacrificij incruenta eſt commemoratio. Vocatur etiam *Oblatio*, quia quotidie in Eccleſia pro viuis & defunctis Deo offertur. Sed frequentiora ac vſitatiora quæ tanto Sacrificio tribuuntur nomina, duo notantur; quorum vnum apud Græcos, aliud apud Latinos inualuit. Græci quippe λειτουργίαν vocant, hoc nomine non munus ſeu miniſterium publicum, vt ipſum nomen ſonare videtur, accipientes; ſed miniſterium quo ſacrificium Euchariſtiæ offertur. Quo nomine in hac acceptione vſus eſt Lucas *Act.* 15. vbi de Apoſtolis *miniſtrantibus Domino*, hoc eſt ſacra myſteria celebrantibus, Græcè habetur λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ; hoc eſt, vt interpretatur Eraſmus, *ſacrificantibus ipſis Domino.* 270.

Hoſtia.

Sacrificium.

Oblatio.

Liturgia.

Latini autem ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio ad corporis & ſanguinis Domini incruentum ſacrificium ſignificandum, *Miſſæ* nomine vſi ſunt. Vnde autem hoc ortum ſit ac deriuatum *Miſſæ* nomen, non omninò certum eſt. Alij vocem hanc putant Hebraïcam, & ab Hebræis Chriſtianorum primis, ad Latinos tranſmigraſſe: quod non ſine fundamento videtur. Nam ſecundùm viros eruditiſſimos Hebræi ſermonis non ignaros, idem eſt apud Hebræos *Miſſah*, quod apud Latinos ſpontanea oblatio. Vnde notarunt quod *Deuteron.* 16. 10. vbi in vulgata editione legitur, ſpontanea oblatio, Hebraïcè & Chaldaïcè habetur *Miſſah*, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, quâ & veſcebantur in templo, cum recordatione præteritæ ſeruitutis, & ab eadem liberationis. Quæ omnia cùm optimè conueniant cum Euchariſtiæ ſacrificio, ideo ad illud exprimendum maiores noſtri *Miſſæ* nomine vſi ſunt. Attamen contrarium cenſent alij, & miſſam nec vocem Hebraïcam, nec ab Hebraïca deriuatam, ſed Latinam omninò volunt. Quod patêre videtur ex eo quod Hebrææ voces, vt ſunt *Amen*, *Alleluia*, *Sabaoth*, &c. apud omnes nationes Chriſtiano nomine decoratas adhuc vigent, nullo modo autem *Miſſæ* nomen apud illas in vſu eſt: ſed Græci liturgiæ voce ſacrificium nominant; ipſique Maronitæ & Syri, qui Chaldaïcâ linguâ ſacra myſteria peragunt, *Miſſæ* nomen non norunt. Adde quod doctiſſimi huius vocis originem è Latinitate deducunt. Nam Hugo à Sancto Victore *lib.* 2. *de ſacr.* 271.

Miſſa.

Vnde hoc nomen deriuetur.

Hugo Vict.

ſacr. p. 8. c. vlt. exiſtimat ſacrificium Euchariſtiæ Miſſam dici, ex eo quod in illius celebratione oblationes & preces ad Deum mittantur: ſicque dum populus hac voce dimittitur, *Ite Miſſa eſt*, de hoſtia ſalutari ac precibus ad Deum pro ſua incolumitate certificatur. Idem ſenſit D. Gregorius Magnus *lib. 4. dial. c. 58.* vbi inquit: *Dicitur Miſſa, quaſi tranſmiſſio, eo quòd populus fidelis per miniſterium Sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines, preces & ſupplicationes, & vota tranſmittat Altiſſimo. Ipſum verò ſacrificium, ideſt hoſtia, Miſſa vocatur, quaſi tranſmiſſa primùm nobis à Patre, vt eſſet nobiſcum per incarnationem; poſtea Patri à nobis, vt intercedat pro nobis ad ipſum per paſſionem; vt & in ſacramento primùm nobis à Patre per ſanctificationem, poſtea Patri à nobis per oblationem.* Hæc Gregorius, cui concordat S. Thomas *3. p. q. 83. art. 4. ad 9.* vbi ait: *Miſſa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per Sacerdotem; vel quia Chriſtus eſt hoſtia nobis miſſa à Deo.*

Greg. Mag.

D. Thom.

272. Nihilominus quidquid ſit de Miſſæ nominis etymologia ac origine, præfata optimè poſſent cohærere, dicendo quod primi Eccleſiæ fundatores Apoſtoli, ad ſignificandam oblationem corporis & ſanguinis Domini, qui ſemetipſum ſponte in Euchariſtia, ac deinde in cruce obtulit, nomen Miſſæ ex voce Hebraïca ſpontaneam oblationem ſignificante acceperunt, ac Latinæ Eccleſiæ tradiderunt: quamuis deinde ſucceſſu temporis ob maximam vocis Miſſæ cum Latinis vocabulis ſimilitudinem, Eccleſiæ Doctores hoc nomen ad modum Latinarum vocum explicuerint. Eadem enim res ab hac voce, *Miſſa*, ſignificari videtur, ſiue Hebraïca, ſiue Latina cenſeatur. Etenim juxta Hebraïcam originem, cùm ſpontaneam oblationem Miſſa ſignificet, optimè exprimit Euchariſtiæ ſacrificium, quod ſpontè & liberè Deo offertur, tum à principali offerente Chriſto Domino, tum ab eius miniſtro, ſeu vicario, nempe Sacerdote. Nec diuerſam habet ſignificationem, ſi Latinè hæc vox vſurpetur. Cùm enim hoc modo ſignificet miſſionem hoſtiæ, precum, & votorum, vel per Chriſtum præcipuum ſacrificij authorem ac offerentem, ſiue per Angelum aſſiſtentem, ſiue per Sacerdotem celebrantem, ſiue per populum concelebrantem ac comminiſtrantem; hæcque miſſio ad Deum ſit vera, ſpontanea, ac libera, tum hoſtiæ, tum precum & votorum oblatio facta Deo, liquet eandem rem illo vocabulo, ſiue Hebraicum, ſiue Latinum ſit, explicari.

Nomen Miſſæ ab Hebraico ſermone deriuatum, deinde cum Latino coniunctum.

273. Parum ergo refert Miſſæ nomen, ſiue ex Hebræis, ſiue ex Latinis eſſe depromptum; ſed multùm intereſt hoc nomen in Eccleſia à primis ſeculis vſurpatum eſſe ad ſignificandam incruentam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia oblationem. Illud autem eſſe antiquiſſimum, & ab initio Eccleſiæ vſitatum, quis contradicet? Etenim Pius Papa Apoſtolorum temporibus vicinus, nam Higino Pontifici ſucceſſit anno Chriſti 158. juxta Cardinalem Baronium, Sacrificium noſtrum *Miſſam* vocat in epiſtola quam referente eodem Baronio ſcripſit Iuſto Epiſcopo Viennenſi, anno Domini 166. quæ habetur *tom. 1. biblioth. veterum Patrum*; ait enim: *Soror noſtra Euprepia, ſicut benè recordaris, titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit, vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus.* Similiter Cornelius Romanus Pontifex in epiſtola quam anno

Antiquiſſimum Miſſæ nomen.

Pius I.

A primis Eccleſiæ ſeculis vſurpatum.

Cornel. Papa.

Chriſti 255. dedit ad Lupicinum Epiſcopum Viennenſem, quæ extat eodem tom. 1. Biblioth. Patrum, ſæuientem in Chriſtianos perſequutionem à Gallo & Voluſiano Imperatoribus excitatam dum intimat, Miſſarum meminit; ait enim: *Scias frater chariſſime, aream dominicam vento perſequutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Chriſtianos vbique tormentis variis affici; nam in vrbe Romana Imperator ad hoc conſtitutus eſt: vnde publicè neque in cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet.* Vnde & *Miſſa* nomen in Concilio Romano ſub Sylueſtro, in fine: in Concilio Carthaginenſi II. *can. 3.* in Concilio Agathenſi, *cap. 47.* & aliis videre licet. Illud inſuper vſurpauit ad ſacrificij Euchariſtiæ celebrationem ſignificandam D. Ambroſ. qui *lib. 5. ep. 33.* de ſe inquit: *Ego manſi in munere, Miſſam facere cœpi, orare in oblatione, &c.* Et D. Auguſt. ſerm. 91. de tempore: *In lectione (inquit) quæ nobis ad Miſſas legenda eſt, audituri ſumus.* Aliique Sancti Patres hoc nomine vtuntur, quos longum eſſet recenſere. Ex quibus omnibus conſtat, quàm rationabiliter, quàm juſtè ad incruentum ſacrificium ſignificandum *Miſſæ* nomine Catholica vtatur Eccleſia; ac quàm injuſtè à Nouatoribus in hoc, aliiſque quæ ab antiquis Patribus recepit, impugnetur.

Concil. Rom.

Carthag.

Agathenſ.

D. Ambroſ.

D. Auguſt.

Malè à nouantibus impugnatū.

Huius igitur acceptabilis Deo ſacrificij, quod rationabiliter *Miſſa* nominatur, quodque ſingulis diebus piâ deuotione ad Dei gloriam & hominum vtilitatem celebratur, valor maximus eſt, ac quantum ad ſufficientiam intenſiuè infinitus: licèt quantùm ad efficaciam, ſeu ex parte effectus, ſemper ſit finitus. 274.

De valore ſacrificij Miſſæ.

Suadetur facilè prior huius valoris pars, ſcilicet infinitas intenſiua quantùm ad ſufficientiam. Primò ex duplici capite præcipuè valor ſacrificij deſumitur, ſcilicet ex re oblata, ac principali offerente, ſiue mediatè aliorum miniſterio, ſiue per ſeipſum immediatè offerat. Non enim valorem amittit donum à Principe collatum, ſiue manu miniſtri eius, ſiue propriâ conferatur. Atqui in ſacrificio Miſſæ res oblata, nimirum corpus & ſanguis Chriſti Verbo Dei hypoſtaticè vnita; & principalis offerens, nempe ipſe Chriſtus Dominus, qui ideo Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech appellatur, quia continuò & vſque ad finem ſeculi corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini Sacerdotum miniſterio Deo offert, ſunt dignitatis ſimpliciter infinitæ: ergo valor ſacrificij Miſſæ eſt intenſiuè infinitus. 275.

Corpus & ſanguis Chriſti ſimul valoris infiniti.

Prætereà *Miſſæ* ſacrificium eſt idem numero cum ſacrificio Crucis ex parte rei oblatæ & principalis offerentis, & ſolâ offerendi ratione diuerſum, vt loquitur Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 2.* Sed ſacrificium crucis fuit valoris infiniti quantùm ad ſufficientiam. Ergo eundem valorem habet ſacrificium Miſſæ. Adde quod vis ſatisfactoria ex opere operato eadem eſt in vtroque ſacrificio; ſiquidem infinita ſatisfactio, quam Chriſtus in cruce exhibuit, nobis incruento Miſſæ ſacrificio applicatur. 276.

Miſſæ ſacrificium idem eſt cum ſacrificio crucis.

Conc. Trid.

Quod autem huius ſacrificij valor quantùm ad efficaciam, ſeu ex parte effectus vel fructus recepti, non ſit infinitus, apertè conſtat. Sicuti enim in naturalibus cauſa vniuerſalis non agit, niſi iuxta diſpoſitionem ſubiecti: ita ſacrificium Crucis & Miſſæ, quæ ſunt cauſæ vniuerſales in ordine ſupernaturali, non agunt niſi juxta menſuram 277.

ſuram diſpoſitionis ſubiecti. Cùm autem hæc diſpoſitio ſit finita, effectus etiam erit finitus; vnde non remittitur tota pœna Sacerdoti offerenti, vel aliis pro quibus offertur Miſſa. Quod docuit S. Thomas 3. *p. q.* 79. *art.* 5. vbi ait, quod *quamuis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſolum ſit ſatisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna.*

Euchariſtia agit ſecundùm diſpoſitionem ſubiecti. D. Thom.

278. Vnde meritò notatur diſcrimen in remiſſione pœnæ quæ datur in Eccleſia per indulgentias ex theſauro Eccleſiæ; & in illa quæ remittitur ex ſacrificio Miſſæ, prout habet vim ſatisfactoriam ex opere operato intenſiuè infinitam, virtute paſſionis Chriſti & ſacrificij crucis, quæ per ſacrificium Miſſæ applicantur. Nam per indulgentias remiſſio pœnæ determinatur juxta intentionem concedentis, non verò juxta deuotionem recipientis. Quod patet ipſis diplomatibus Pontificum, in quibus determinantur pœnæ remittendæ. Vel enim plenaria (vt dicitur) indulgentia omnem condonat pœnam, vel non plenaria pœnarum partem ſecundùm tempus, vel decem, vel quadraginta dierum; vel decem, vel centum, vel mille annorum poteſt expiare: at in ſacrificio Miſſæ offerens pro aliquo non determinat quantitatem pœnæ, quæ hoc ſacrificio debet remitti, aliàs vnico ſacrificio tota poſſet tolli pœna, & applicatio vnius Miſſæ plenariæ indulgentiæ æquiualeret: ſed remiſſio pœnæ omninò commenſuratur deuotioni ſeu diſpoſitioni illius, pro quo ſacrificium offertur.

Diſcrimen inter remiſſionem per indulgentias & per ſacrificium Euchariſtiæ.

279. Quod tamen non impedit, quin hoc incruentum ſacrificium habeat vim infinitam ad ſatisfaciendum intenſiuè, & extenſiuè. Etenim non ſolùm pro omni pœna debita culpis, ſiue lethalibus, ſiue venialibus, valet ſatisfacere, ſed etiam pro pœna debita culpis infinitorum hominum, ſi exiſterent: nam cùm ſit idem cum ſacrificio crucis, ex parte rei oblatæ & principalis offerentis, viſque ad ſatisfaciendum ex opere operato eadem ſit in vtroque ſacrificio, eandem cum illo infinitatem, ſiue intenſiuam, ſiue extenſiuam habet. Ex quibus ſequitur, hoc ſacrificium pro pluribus oblatum æquè prodeſſe cuilibet, ac ſi pro vno tantùm offerretur. Siquidem infinitus illius valor nequit exhauriri, & multi ipſum participantes non obſtant aliis & aliis, qui poſſunt etiam eiuſdem valorem recipere; infinitum enim ex Ariſtotele 3. *phyſic.* eſt illud cuius partes accipientibus ſemper remanet aliquid extrà; hoc eſt, quantumuis de infinito accipiatur, ſemper accipiendum remanet, & nuſquam totum accipi valet. Dum enim Sacerdos generaliter pro circumſtantibus plurimis hoc ſacrificium offert, non minùs ſingulis prodeſt, quàm ſi quilibet eorum ſolus adeſſet: aliàs tutius & melius eſſet intereſſe ſacro, cui pauci vel nullus alius interſit, quàm publico & ſolenni, cui omnis adeſt populus; quod tamen falſum eſt. Vnde quando Sacerdos applicat Miſſam pro pluribus nominatim id poſtulantibus, æquè ſingulis prodeſt, ac ſi pro vno celebraret.

Euchariſtia pro pluribus oblata, cuilibet æquè prodeſt ac ſi pro vno dumtaxat offerretur.

280. Nec propterea dicendum eſt, quod vna Miſſa tantùm proſit fidelibus, quantùm ipſis prodeſſent plures, ex eo quòd habeat valorem infinitum, qui vt talis non indiget multiplicatione: quia licèt Miſſa ſit valoris infiniti quoad ſufficientiam, non eſt valoris infiniti quoad efficientiam; quia eius effectus limitatur à deuotione offerentis, & eius pro quo offertur; & ideo plura Miſſæ ſacrificia magis prodeſſe poſſunt, quàm vnum.

Tamen plures Miſſæ magis proſunt quàm vna.

ELVCIDATIO III.

De præſtantia Sacerdotij nouæ Legis.

281. QVia in ſuperioribus incruentum Euchariſtiæ ſacrificium in Eccleſia à Chriſto Domino inſtitutum ſtabilientes, Chriſti Sacerdotium in ſe conſiderauimus, idque ab illo ad Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, ad ſacra altaris miniſteria celebranda, extenſum ac diffuſum vidimus: connexione doctrinæ nunc cogimur hoc Chriſtianum ac nouæ Legis Sacerdotium ſigillatim explanare, eius præſtantiam declarare, munus exponere, cæteraque quæ in illo notantur, & ab illo procedunt pertractare. Cùm autem juxta Philoſophos, de quaslibet re quatuor inquirantur, an ſit, quid ſit, qualis ſit, & propter quid ſit; hoc eſt, cuiuſlibet rei eſſentia, exiſtentia, dignitas & finis debent exponi: à duabus primis quæſtionibus abſtinebimus (jam enim dari Sacerdotium in Eccleſia ad ſacrificium offerendum ſufficienter probauimus;) tertiam & quartam explicabimus, qualitates Sacerdotij Chriſtianorum, & eius finem conſiderantes.

Sacerdotium à Chriſto ad Apoſtolos eorumque ſucceſſores diffuſum.

SECTIO PRIMA.

In quo præcipuè conſiſtat dignitas Sacerdotij nouæ Legis.

282. VErum ac proprium Sacerdotium dari in noua Lege ac in Chriſti Eccleſia, quo viri ad ſacra electi miniſteria decorantur, ex ſuperiùs dictis tanquam certum ſupponimus. Cúmque etiam ex præfatis ad ſacrificia offerenda Sacerdotium eſſe ordinatum pateat, illius modò dignitatem inueſtigantes, eius originem, excellentiam, ac qualitates indagamus.

283. Sed ante omnia quæ de huius Sacerdotij dignitate dicturi ſumus, ad illorum euidentiam præmittendum eſt, non ſimplicem quemdam ritum, aut quandam ceremoniam externam & vacuam, ad ſacra exercenda homines deputantem, eſſe Sacerdotium, ſed verum ac proprium nouæ Legis Sacramentum. Nouantes torquet hic dicendi modus; illi enim Ordinem non Sacramentum, ſed merum figmentum eſſe contendunt, nullamque in Eccleſia ordinationem, præter ritum eligendi concionatorem exiſtimant. Verùm hic eorum error refellitur ſtatuendo, Ordinem, ac conſequenter Sacerdotium, verum ac proprium à Chriſto inſtitutum eſſe Sacramentum, quod ſemper ſancta tenuit ac docuit Eccleſia.

Sacerdotium nouæ legis eſt ſacramentum.

284. Statuitur ergo, Ordinem ſeu Sacerdotium verum eſſe Sacramentum. Primò; nam ad rationem Sacramenti tria requiruntur, ſcilicet quod ſit ceremonia ſenſibilis, permanenter inſtituta, habeatque infallibilem gratiæ promiſſionem, nempe quod in eius vſu & exercitio gratia infallibiliter conferatur; quia vt loquitur Concil. Trident. Sacramentum eſt *ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis ad noſtram juſtificationem diuinitus inſtitutum.* Sed ordinatio quâ miniſtri Eccleſiæ in Sacerdotes promouentur, hæc tria continet; eſt enim ſenſibilis, quia per ſignum ſenſibile & externum, ſcilicet per impoſitionem manuum confertur. Vnde *Act.* 14. pro

Tria ad Sacramentum requiſita.

Quæ in ordinatione reperiuntur.

pro eo quod in vulgata editione de Barnaba & Paulo legitur, *cùm conſtituiſſent illi per ſingulas Eccleſias Presbyteros*, Græcè habetur χειροτονήσαντες, hoc eſt, *manus extendentes*, ſeu *manus imponentes*: quo loco innuitur manuum impoſitione Presbyteros ab Apoſtolis ordinatos eſſe. Qui ritus initiandi miniſtros Eccleſiæ, conſtans & permanens eſt, cùm ex continuo vſu Eccleſiæ ad hæc vſque tempora perſeueret; & tandem hoc ritu ſenſibili & permanenti infallibiliter ex diuina promiſſione confertur gratia. Quod patet primò ex Apoſtolo 1. *Tim.* 4. dilecto ſuo ſcribente diſcipulo: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* Vbi Presbyterij nomine intelligit cœtum Presbyterorum, qui cum Epiſcopo imponunt manus ſupra caput illius qui in Presbyterum ordinatur: vel potiùs cœtum Epiſcoporum, à quibus Timotheus fuerat ordinatus Epiſcopus per manuum impoſitionem. Secundò ex eodem Apoſtolo, qui 2. *ad Timoth.* 1. inquit: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Ergo cùm ſignum ſenſibile, permanens, ac gratiam ordinato conferens in Sacerdotio reperiatur, illud verum eſſe Sacramentum Eccleſiæ nemo non videt.

Presbyteriũ cœtum ſignificat Epiſcoporum.

285. Quod adeo verum eſt, vt etiam à Caluino Nouatorum anteſignano admittatur. Hic enim quamuis infenſiſſimus Fidei Catholicæ, ac Eccleſiaſticæ Hierarchiæ hoſtis, Presbyteratum verum Sacramentum fatetur *lib. inſtitut. cap.* 19. *num.* 28. dum ſcribit: *Quantum ad verum Presbyterij munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim ceremonia eſt, primùm ex Scriptura ſumpta, quam non eſſe inanem, nec ſuperuacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus.* Et *num.* 31. ſubdit: *Id quod dixit, duo tantùm eſſe Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam, intelligendum eſſe de ſacramentis, quæ fidelibus omnibus ſunt communia.*

Caluinus fatetur Ordinem eſſe ſacramentum.

286. Duo contra præfata opponunt hæretici. Primum, quod impoſitio manuum quâ Apoſtoli vtebantur, erat tantùm quædam ceremonia à Sacramento aliena, quia illâ homines pro quibus orabant, Deo offerebant & commendabant. Secundum eſt, quod quando Apoſtolus meminit gratiæ collatæ per manuum impoſitionem, non loquitur de gratia juſtificante ſeu gratum faciente, ſed tantùm de gratia gratis data.

Inſtant hæretici.

287. Refelluntur tamen facilè duo oppoſita. Primum etenim confutatum manet ex illa cautela quam in manuum impoſitione adhibebant Apoſtoli; non enim niſi poſt diligentem morum & doctrinæ inquiſitionem, ac examen peculiare alicui manus imponebant, ne ſcilicet indignum & incapacem ſacro miniſterio deputarent. Et ideo Apoſtolus Timotheo Epiſcopo *ep.* 1. *cap.* 5. ſcribit in hæc verba: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Ex quo patet, manuum impoſitionem ad Sacramentum verum, nempe Ordinis ſeu Sacerdotij pertinere; nam ſi ſola ceremonia eſſet, ille qui citò eam alicui adhiberet, peccatis eius non communicaret; ſiquidem licet pro peccatore etiam in mortali peccato exiſtente orare Deum, abſque eo quod delictis eius participetur; ſed non licet indignum aut incapacem manuum impoſitione in Presbyterum promouere, niſi eius peccatis ſeu indignitati communicetur.

Confutatur.

Inquiſitio morum & doctrinæ in ordinandis, indicat Ordinem eſſe ſacramentum.

288. Secundum etiam oppoſitum ex ſe corruit; falſum enim omninò eſt, quod ibi Apoſtolus de alia gratia, quàm de gratum faciente loquatur. Quod patet ex verbis quæ ſubdit poſt illa quæ ex 2. ad Timotheum epiſtola adduximus. Subiungit quippe, *non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis.* Atqui ſpiritus dilectionis eſt charitas, quæ non eſt ſine gratia gratum faciente. Ergo de gratia gratum faciente, non autem de gratis data ibidem loquitur Apoſtolus. Neque obeſſe videtur quod Paulus in teſtimonio ex 1. Tim. 4. meminit *prophetiæ*, quæ eſt gratia gratis data: nam prophetiæ nomine intellexit Apoſtolus, vel reuelationem ſibi factam de Timotheo in Epiſcopum ordinando, vel ſupernaturalem operationem, quâ ſanctificatus fuit in ordinatione, eo modo quo *Eccl.* 48. miraculoſa mortui ſuſcitatio Eliſæi oſſium contactu *prophetia* vocitatur, dum dicitur, *& mortuum prophetauit corpus eius*: vel tandem formam Sacramenti, ſeu myſtica verba quæ cum impoſitione manuum in ordinatione pronuntiantur. Etenim ipſe Sacramentorum author Chriſtus, cuius virtus nequaquam Sacramentis alligatur, in Apoſtolorum ordinatione verbis vſus eſt; dixit enim Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt docet Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1.

Gratia ſanctificans in ordinatione confertur.

Quid prophetiæ nomine intelligatur.

Conc. Trid.

Secundò antiquorum Eccleſiæ Doctorum ac Sanctorum Patrum teſtimoniis Ordinem ſeu Sacerdotium verum eſſe Sacramentum comprobatur: ipſe etenim catholicæ doctrinæ propugnator acerrimus, cuius apud omnes Chriſtiani cultus profeſſores immenſum ſemper fuit authoritatis pondus, Auguſtinus *lib.* 2. *contra Parmenianum, cap.* 13. docet expreſsè Ordinem eſſe Sacramentum, dum inquit: *Nulla oſtenditur cauſa, cur qui Baptiſmum amittere non poteſt, jus dandi amittere poſſit: vtrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur; illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur.* Et inferiùs ſubdit: *Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti? Si enim vtrumque Sacramentum eſt (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur, & iſtud amittitur?* Et *lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.* 1. inquit: *Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur; & ſacramentum dandi Baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur.* 289.

Auguſtinus expreſsè docet ordinem eſſe Sacramentum.

Idem docuit S. Leo Papa *ep.* 81. *cap.* 1. vbi de ordinatione ſic loquitur: *Intelligamus quantâ deuotione curandum ſit, ne tanta benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Et *ep.* 87. *ad Epiſcopos Africanos*, contra illegitimè ordinatos ſic *cap.* 1. inuehitur: *Quis audeat diſſimulare, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?* Fauet etiam Greg. Magnus *lib.* 4. *in lib. Regum, cap.* 4. exponens verba ex 1. libro, nempe: *Tulit Samuel lenticulam olei*, vbi ait: *In hac vnctione exprimitur quod in ſancta Eccleſia nunc etiam materialiter exhibetur; quia qui in culmine ponitur, Sacramenta ſuſcipit vnctionis; quia verò ipſa vnctio Sacramentum eſt, is qui promouetur, benè foris vngitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.* 290.

Idem ſentit S. Leo Papa

Et Gregorius Magnus.

Tertiò id ratione ſuadetur. Deſtinare aliquem ad ſacrum munus exercendum, eique gratiam quâ dignè exerceatur conferre, veri Sacramenti proprium eſt. Quod patet in Baptiſmo, quo baptizato confertur poteſtas ſuſcipiendi Euchariſtiam & alia Sacramenta: datur ſimul gratia ad illa dignè recipienda, & ad ſanctè juſtéque, vt Chriſtianum decet, viuendum. Sed Sacer- 291.

Ratione conuincitur.

dotium nouæ Legis deſtinat hominem ad conſecrandum panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, datque illi poteſtatem offerendi ſacrificium eiuſdem corporis & ſanguinis Domini in Eucbariſtia; ſimulque confert ordinato gratiam ſanctificantem, quâ dignè conſecrare & offerre valeat: nam vt loquitur Ambroſius de ſacerdotali dignitate, cap. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* Et Concil. Florentinum in decreto Eugenij de ordine, inquit, quod *effectus* (Ordinis) *eſt augmentum gratiæ, vt quis ſit idoneus miniſter.* Immò Chriſtus Dominus Apoſtolis concedens poteſtatem remittendi peccata in ſacramento pœnitentiæ (quæ poteſtas Sacerdotio annexa eſt) ſimul infudit Spiritum ſanctum, vt ad hoc munus illos ſanctificaret. Ait enim Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ergo Sacerdotium nouæ Legis eſt verum ac proprium Eccleſiæ Sacramentum.

Sacerdotium omnium ordinum præſtantiſſimũ.

292. Ad maiorem autem horum euidentiam notandum eſt, omnium Eccleſiæ Ordinum, qui ſub vniuerſali Sacramento Ordinis recenſentur, maximum ac nobiliſſimum eſſe Sacerdotium, quia immediatè ordinatur ad conficiendum Euchariſtiæ Sacramentum, illudque in altari tanquam verum ac propitiatorium ſacrificium Deo offerendum: cæteri autem Ordines mediatè Euchariſtiam reſpiciunt, & immediatè ad Sacerdotium ordinantur. Vnde ſeptem Eccleſiæ Ordines, ſub Ordinis Sacramento comprehenſi, ſecundùm dignitatem ſic numerantur, vt primus ſit Sacerdotum, ſecundus Diacooorum, tertius Subdiaconorum, qui tres maiores ac ſacri nuncupantur. Deinde Acolytorum, Exorciſtarum, Lectorum & Oſtiariorum, qui minores vocantur, quatuor Ordines ſubnectuntur. Hos omnes recipiant qui veram Chriſtianam profitentur Religionem; nullumque reſpuant, cùm ab Apoſtolis ſint admiſſi, ac ſemper in Eccleſia ab eius exordio recepti: nam horum omnium meminit Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in epiſtola ad Antiochenos, in Bibliotheca Patrum ordine 12. & Cornelius Papa in epiſtola ad Fabium Antiochenum, omnes ſeptem Ordines nominat. Vnde in Concil. Carthag. IV. horum omnium Ordinum materiæ & formæ ac officia deſignantur.

Septem Eccleſiæ ordines vnicum conſtant Sacramentum.

Ignatius mart.

Cornel. Pp.

Conc. Carth.

293. Nec dicas quod ſeptem jam enumerati Ordines, ſi Sacramenti nomine ac ratione gaudent, ſeptem diſtincta conſtituant ad inuicem Sacramenta: etenim licèt quilibet ex ſeptem Ordinibus ſit verum Sacramentum, quia quilibet cauſat gratiam & characterem: tamen quia omnes Ordines Sacerdotio inferiores tendunt ad ipſum vt ad principale miniſterium, & ad ritè & conuenienter peragendam corporis Chriſti conſecrationem, vt ad finem ordinantur, ratione vnitatis Ordinis quam inter ſe habent, & finis ad quem tendunt, vnicum Ordinis Sacramentum conſtituunt. Vnde aduertendum eſt, Sacramentum Ordinis non eſſe totum integrale, vel vniuerſale; ſed potentiale, cuius hæc eſt natura, quod totum ſecundùm completam rationem eſt in vno; in aliis verò eſt aliqua participatio ipſius: ſiquidem tota huius Sacramenti plenitudo eſt in Sacerdotio, in aliis autem inferioribus Ordinibus eſt quædam participatio illius, maior vel minor, ſecundùm quod magis vel minùs accedunt ad Sacerdotium, vt docet Angelicus Præceptor *in ſupplem. 3. p. q. 37. art. 1. ad 2.* Eſt tamen aliquod diſcrimen

Sacramentũ Ordinis eſt totum quodam potentiale.

inter totum potentiale, & Sacramentum Ordinis: nam totum potentiale non prædicatur ſimpliciter de ſingulis inferioribus: nam juſtitia, cuius partes potentiales ſunt Religio, Pœnitentia, &c. non prædicatur ſimpliciter de illis. Contrarium autem accidit in Ordinis Sacramento, quod ſimpliciter de omnibus inferioribus, ſiue maioribus, ſiue minoribus prædicatur: verè enim dicitur de illis ſigillatim, quod ſint Ordines & Sacramenta. Quibus præmiſſis, *D. Thom.*

294. Dicendum eſt, Sacerdotum nouæ Legis dignitatem præcipuè ac primariò conſiſtere in illa, quæ in illorum ordinatione confertur, poteſtate conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, illaque pro viuis & defunctis, tanquam verum ac propitiatorium ſacrificium offerendi. Secundariò autem ac minùs principaliter illorum dignitas procedit à poteſtate ligandi atque ſoluendi, ac conſequenter peccata in Sacramento pœnitentiæ remittendi. Tertiò autem à verbi Dei prædicatione illorum rectè deducitur nobilitas. Quæ vt ex triplici capite oriri clariùs demonſtretur, ſigillatim conſiderandum eſt.

A tribus Sacerdotalis dignitas ſplendeſcit.

§. I.

A poteſtate conſecrandi ac offerendi Euchariſtiam, Sacerdotum dignitas præcipuè oritur.

295. Immenſa ſanè poteſtas illa eſt, quâ homo ad ſacratiſſimum Chriſti Domini corpus in Sacramento Euchariſtiæ conficiendum ab ipſo Chriſto ſublimatur. Hanc tradidit duodecim Diſcipulis ſecum ad vltimam cœnam aſſidentibus; eiuſque collatione ſolennibus quæ Lucas *cap.* 22. 19. refert his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, primos nouæ Legis inſtituit Sacerdotes; omneſque qui poſt illos in Eccleſia Sacerdotali munere ſunt decorati, eiuſdem facultatis conceſſione ordinati ſunt. Vnde in Eccleſia Latina verba quæ Antiſtes promouendo Diaconos in Sacerdotes pronuntiat, eandem ipſis concedi facultatem declarant. Dum enim calicem cum vino, & patenam cum pane Diacono in Sacerdotem ordinando porrigit, ipſum promouet in Sacerdotem per hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c.* Vnde D. Thomas *in ſupplem. 3. p. q. 37. art. 5.* ait, quod *in ipſa datione calicis ſub forma verborum determinata character ſacerdotalis imprimitur.* A cuius doctrina non diſcrepat Concilij Florentini ſententia, quæ in decreto Eugenij ſic habetur: *Ordinis materia eſt illud per cuius traditionem confertur ordo, ſicut Preſbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et infrà ſubditur: *Forma ſacerdotij talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium.*

Omnibus Sacerdotibus poteſtas conficiendi & offerendi Euchariſtiã conceditur.

296. Cùm ergo Sacerdos ordinetur per acceptionem poteſtatis conſecrandi & offerendi corpus Chriſti (oblatio enim ſacrificij Euchariſtiæ præcipuè in conſecratione, quæ panem in corpus, & vinum in ſanguinem tranſmutat, conſiſtit) ipſeque character ſacerdotalis qui in eius anima imprimitur in ipſa reali ordinatione, ſit ipſamet poteſtas ad conſecrandum & offerendum corpus & ſanguinem Chriſti; manifeſtum eſt, eſſentiam ac formalitatem dignitatis Sacerdotij Legis Euangelicæ in tali conſecrandi ac offerendi facultate reperiri. Vnde licèt impoſitio manuum, quæ ab

Character Sacerdotalis eſt ipſamet poteſtas. conſecrandi & offerendi Corpus Chriſti.

Epiſcopo ordinante in fine Miſſæ recenter ordinato Presbytero fit in hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur ei*; non ſit vacua, accidentaria, ac otioſa ceremonia, ſed ad integritatem ordinationis Sacerdotalis pertineat; nec nouum conferat characterem, ſed augmentum gratiæ ad ſecundarium & minùs principale munus Sacerdotij, nempe peccatorum remiſſionem, exercendum; quia tunc verè Spiritus ſanctus cum gratia infunditur, vt docet Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. non tamen de eſſentia ac intrinſeca eius formalitate recenſetur; quod patet ex eo quod nouiter promotus in Presbyterum, etiam antequam manus illi imponantur, poteſtatem conſecrandi & ſacrificandi, quæ præcipua & eſſentialis illi eſt, exercet; nam ſimul cum Epiſcopo celebrante profert verba conſecrationis, & verè cum illo tanquam cauſa partialis concurrit ad conſecrationem eiuſdem hoſtiæ, vt docet Sanctus Thomas 3. *p.* q. 82. *art.* 2. vbi ait, quod *ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti concœnauerunt: ita noui ordinati Epiſcopo ordinanti concelebrant.* Nec proptee hoc iteratur conſecratio ſuper eandem hoſtiam; quia ſicut Innocentius III. dicit, *omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis.* Sicut ergo corpus ex pluribus integratur membris, ita Sacerdotium ex variis conſtat officiis, nempe ex officio cõſecrandi ſeu ſacrificandi, quod præcipuum eſt ac characterem ſacerdotalem immediatè ſequitur; & ex officio abſoluendi, quod tanquam ſecundarium & minùs principale ad collationem Sancti Spiritus & gratiæ cum manuum impoſitione Sacerdoti confertur.

Impoſitio manuum integrat ordinationem ſacerdotalem, nec nouum confert characterem, ſed augmentum gratiæ ad remittendum peccata.

D. Thom.

Nouiter in ſacerdotes ordinati cum Epiſcopo ordinante conſecrant.

297. Nec exiſtimes gratiam manuum impoſitione ad peccata remittenda nouo Sacerdoti collatam, nouum Sacramentum, aut nouum illi conferre ordinem; ſed tantùm hoc modo ſacerdotij gradum compleri complemento integrali putandum eſt. Cuius quidem ratio eſt, quia character ſacerdotalis tunc accipit nouam perfectionem realem, ratione cuius poteſt ligare & abſoluere, quod vt ritè à Sacerdotibus fiat, ſpecialis gratia requiritur.

298. Immenſa ergo Sacerdotum ad conſecrandum Chriſti corpus, illudque in altari Deo offerendum, dignitas æſtimanda eſt ab immenſa, ac planè diuina ipſis conceſſa facultate procedens. Quâ etenim virtute, niſi diuinâ, ipſum quod in vtero Virginis, ipſo agente Spiritu ſancto corpus immaculatum conceptum ac formatum eſt, in mirabili Euchariſtiæ Sacramento, panis in ipſum conuerſione denuò ac quotidie conficeretur? Infinitæ igitur Dei potentiæ inſtrumenta ſunt ac miniſtri homines illi, qui *Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt*, vt Doctorum maximus Sanctus Hieronymus loquitur epiſtola ad Heliodorum. Illos ſanè diceres Spiritus ſancti corporis Domini plaſmatoris collegas: quod enim ille rerum omnium creator virginali Mariæ formauit in vtero, iſti tremendo Eccleſiæ in altari verborum prolatione producunt.

Immenſa eſt dignitas cõſecrandi & offerendi corpus Chriſti.

D. Hieron.

299. Sed quàm pura, quàm ſplendida eſt iſta productio? Puriſſimo ac immaculato mentis verbo, externo ſignificato, incorruptæ ſermone loquelæ, panis vinique ſubſtantiæ in puriſſimum Chriſti corpus & ſanguinem transmutantur. Suam hoc modo conſeruat omninò dignitatem ſanctiſſima Ieſu caro; vt quæ diuino operante Pneumate, ac intemerata cooperante Genitrice virginali vtero primùm ex puriſſimo ſanguine puriſſima eſt edita; eodem afflante Spiritu ſancto, diuinoque Sacerdotis mente concepto, oreque pronunciato ſermone, omni modo incorrupta in tanto myſterio habeatur. Sanè diceres Deiparæ Virginis in locum Presbyteros eſſe ſuffectos, vt ſacrorum celebratione myſteriorum quod ſemel Maria Domini corpus virginitatis gloriâ permanente hominibus effudit, illi quotidie puro ſermone Eccleſiæ pariant. Quod demiratus Sanctus Auguſtinus in hæc verba prorumpit: *O veneranda Sacerdotum dignitas! in quorum manibus Dei Filius velut in vtero Virginis incarnatur. O cœleſte myſterium! quod per vos Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus tam mirabiliter operantur ſub tam ineffabili miniſterio veſtro, quo vno eodemque momento idem Deus qui præſidet in cœlo, in manibus veſtris eſt in ſacrificio. Cœlum miratur, horreſcit infernus, contremiſcit Diabolus, reueretur quamplurimùm Angelica celſitudo.* Hæc Auguſtinus.

Modo ſplẽdido ac puriſſimo Sacerdotes corpus Chriſti conficiunt.

Sanctus Auguſtinus de dignitate Sacerdotum.

An non ex hoc corporis Chriſti parentem Sacerdotem ſacra myſteria celebrantem rectè dixerim? Moralis eſt ac myſtica hæc paternitas, ex vera ac reali corporis Domini in Euchariſtia productione proueniens. Sicuti enim qui æterni Patris voluntatem adimplet, Chriſti pater, frater, ſoror & mater dicitur, ipſo atteſtante Saluatore *Matth.* 12. & verbi Dei concionator, eiuſdem Chriſti, quem verbi miniſterio in audientium cordibus generat, pater ac illorum quos in fide parit, genitor nuncupatur, vt innuit Apoſtolus *ad Galat.* 4. 19. dum inquit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: & Princeps Apoſtolorum ſuffragatur, qui 2. *Pet.* 1. 19. ait: *Donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:* ita qui ineffabili in altaris Sacramento, diuino ſermone panem in corpus, vinumque in Chriſti ſanguinem tranſmutat, nouum eſſe ſacramentale ſanctiſſimo huic corpori præbens, eius parens meritò poterit nominari. Miretur ergo cœlum, ſtupeat terra, dæmones contremiſcant, bonique obſtupeſcant Angeli ad ſublimitatem hominum Sacerdotum, cœleſtium ſpirituum eminentem celſitudinem ſuperantem. 300.

Sacerdos Chriſti poteſt dici pater & mater.

Sublimitas Sacerdotis.

Iam ſupremos diuinâ proximitate vicerat Angelos humana infirmitas, cunctoſque tranſcenderat altiſſimos ſpiritus vilis & abiecta humanæ carnis humilitas ab vnigenito Dei Filio aſſumpta, ſibique ad hypoſtaticam vnionem ſociata; quod neutiquam Angelicæ conceſſum eſt dignitati; *nuſquam* enim *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, vt ait Apoſtolus *Hebr.* 2. 16. Verùm vnicus, quo ſupra Angelos eueherentur, exceſſus hominibus per incarnationem Deo affinibus non ſufficiebat: ſecundus Chriſti Sacerdotij effuſione illis additus eſt; geminaque excellentiâ fraternitatis ac paternitatis Angelos ſuperant Sacerdotes. Venite igitur Angelici ſpiritus, & videte *opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* Homines ſcilicet, non ſolùm incarnationis gratiâ, Baptiſmi lauacro, & Chriſtiani nominis pretioſo titulo decoratos, & Filij Dei germanos; ſed etiam eiuſdem æterno ac indelebili Sacerdotij charactere ſignatos, collegas, parentes, vicarios, ac fideliſſimos miniſtros. Suſpicite myſtica hæc ſydera in altiori cœlo collocata: fatemini humanam ſupra Angelos ſublimitatem, & cum Pſalmiſta Deo ſic pronunciate: 301.

Incarnatione & ſacerdotio homines Angelos ſuperant.

Maior eſt dignitas Sacerdotis quam Angeli.

Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Pſal. 65.12. Vnde Auguſtinus jam citatus, Sacerdotes alloquens ait: *Maior eſt dignitas vobis collata, quàm Angelis, qui adorant quod vos conficitis; quod nec ipſi conficere poſſunt. O altitudo ſapientiæ Dei! ô ineffabilis clementia Saluatoris! Quod datum non eſt Angelis, conceſſum eſt homini: Sacerdos hoc Sacramentum ineffabile conficit, Angelus conficienti ſibi quaſi famulus aſſiſtit.* Hactenus Auguſtinus.

D. *Auguſt.*

302.

In tribus Angelis præſunt Sacerdotes, quia habent poteſtatem conſecrandi Euchariſtiã remittendi peccata & cœlos aperiendi.

In tribus autem Sacerdotes Angelis Deus prætulit, ac ſupra illorum veluti capita collocauit. Primò quidem in ſui Sacerdotij communicatione, quâ hominibus poteſtatem conceſſit Chriſtus panem in eius corpus, vinumque in ſanguinem conſecrandi, & Deo tanquam perennem hoſtiam offerendi, dum *Luc.* 22. inquit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod nuſquam Angelis demandatum eſt; illorum enim tantùm eſt conſecrantibus & offerentibus aſſiſtere Preſbyteris, confectumque ac oblatum Sacramentum adorare. Secundò in peccatorum remiſſione; Angelorum etenim eſt peccatores ad pœnitentiam admonitionibus ſeu inſpirationibus excitare, à peccatis auertere, ſuiſque orationibus illis Dei miſericordiam implorare: at Sacerdotum eſt peccatorum confeſſiones audire, & confeſſis veraciter peccata remittere. Etenim non Angelis, ſed Sacerdotibus dumtaxat à Chriſto dictum eſt, Ioan. 20. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Tertiò denique in collatione clauium regni cœleſtis. Angelorum quidem eſt animas electorum ad cœlum deducere, ſed Sacerdotum eſt ipſis animabus cœli januam aperire: non enim Angelis, ſed Sacerdoti in perſona Petri dictum eſt, Matth. 16.19. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Tribus his Sacerdotum ſupra Angelos prærogatiuis quarta ex illis deriuata addenda eſt, judiciaria ſcilicet poteſtas, ad quam authoritatis ſuæ veluti collegas, cui Pater omne judicium dedit, Chriſtus aſſumpſit: quamvis enim Angelorum ſit ad judicium colligere judicandos, collectos ab inuicem ſeparare, maloſque in ignem projicere, vt habetur Matth. 13. 50. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* Tamen Sacerdotum eſt ipſos judicare; vnde non Angelis, ſed Sacerdotibus in Apoſtolorum perſonis dictum eſt Matth. 19.28. *Cùm ſederis Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.*

Quibus adiungitur judicandi poteſtas Chriſto judici aſſidendo.

303.

Quod negatum eſt Angelis, conceſſum eſt Sacerdotibus.

Cùm ergo ſacerdotali charactere inſigniti tot dotibus Angelos præcellant, nemini mirum videatur, quod ipſis beatis ſpiritibus denegatum eſt, Sacerdotibus fuiſſe conceſſum. Coram fulgido Dei throno ſtant Angeli, Regis regum maieſtatem adorantes, eius juſſa ſpectantes, mandata ſuſcipientes, ac velociter exequentes: vnde & Raphaël *Tob.* 12. 15. ait: *Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Deum.* Et *Iſai.* 6. prope ſolium Dei ſupremi Angelorum ſtare dicuntur. *Seraphim ſtabant ſuper illud*, ibidem 2. At ipſi diuinæ ſedi aſſidebunt Sacerdotes. Volabunt Seraphini ſex alis præditi, vultumque Dei, cuius micantiſſimos nequeunt ferre obtutus, duabus velabunt alis, pedeſque eius ſplendore igneo rutilantes duabus tegent, ac reliquis, iiſque binis volitabunt: at nec faciem, nec Dei pedes tangent, nec deitatem, nec humanitatem palpabunt, maieſtatem Conditoris vel etiam in carne aſſumpta cum tremore reuerentes, & à longè humili mente, ac demiſſo vultu demirantes. Sed dum hærent longiùs Angeli, propiùs accedant Sacerdotes; ſedeant juxta ſedentem in throno; aſpiciant, videant, tangant, amplexentur. Illis etenim victor mortis & immortalitatis gloriâ coronatus ſe palpandum ac videndum præbuit, dum dixit Luc. 24. 39. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Illis inſuper vltima in cœna ſe accipiendum & manducandum dederat. Matth. 26. 21. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.*

Longiùs hærent Angeli. Sacerdos autem ad Deũ proximè accedit.

Verùm quomodo Deum tangerent juxta thronum ſtantes Angeli, qui licet alis ſex donati ſint, attamen omninò manibus carent? Sanè nulla juxta ſolium Dei, niſi manus hominis reperitur. In myſticis illis quæ Ezechiel proſpexit animalibus, manus humana viſa eſt; nam vt *cap.* 1. 8. legitur: *Et manus hominis ſub pennis eorum.* Quorſum hæc? Quia ſola hominis Sacerdotio decorati manus, ad diuinum munus aſſumpta, Deum etiam carne indutum tangere digna eſt. Sed quæ in pennis humanæ ab Ezechiele viſæ ſunt manus, juxta Theodoretum pennis tegebantur; ait enim quod *manus ſub alis erant abſcondita*, quia humanam tarditatem ſpiritualium velocitate pennarum operientes, non carneæ, ſed ſpirituales; non humanæ, ſed diuinæ, ad diuinum Dei corpus tangendum reddebantur. Etenim nec carneæ, nec terrenæ, nec prorſus humanæ, nec etiam Angelicæ, ſed ſpirituales ac diuinæ ad diuina tractanda myſteria deſiderantur. 304.

Nulla juxta ſolium Dei, niſi manus hominis.

Manus Sacerdotum Deum tangentes ſpirituales ſunt.

Vt Vates Euangelicus mundaretur, jubente Domino, calculo ignito os eius tetigit vnus de Seraphim, qui è Dei ſolio ad ipſum tranſvolauit; verùm nec ſua calculum illum tangere auſus eſt manu, ſed aureo forcipe de altari tulit, ac reuerenter ad labia Prophetæ portauit, vt legitur *Iſai.* 6. 6. Cuius quidem ratio eſt, quia calculus ille quem de altari tulit Seraphim, Dei Filium ſummo erga homines amore carne indutum deſignabat, ſicuti in Concilio Epheſino D. Cyrillus Alexandrinus declarauit, dum inquit: *Carbonem illum Iſaia dicimus figuram Verbi hominis facti.* Suam igitur manum contineat Seraphim, nec illam ad typum extendat Chriſti: ſuam etiam abſcondat homo ſub ſacrorum animalium pennis: ſola Dei manus ad Dei Filium, filium hominis factum extendatur. Sed aduertere operæpretium eſt, calculum illum in altari micantem & fulgentiori ſplendore donari, & maiorem reuerentiam poſtulare: quia etſi Dominus Ieſus immensâ ſemper dignitate fulgeat, ſemperque Angelis & hominibus ſeſe exhibeat reuerendum: attamen in altari, hoc eſt in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, nouo nitet ſplendore, nouo amoris igne ſcintillat, noua ab immenſa beneficentia maieſtate refulget, ac ſpecialem honorem requirit. Hinc eſt quod amantiſſimus Redemptor, qui ante tanti myſterij inſtitutionem ſe adhuc cum hominibus in vita mortali conuerſantem pœnitenti mulieri, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, tangendum & oſculandum præbuit, vt narratur *Luc.* 7. 38. poſtquam corpus ſuum mirâ charitate in Euchariſtia tradidit hominibus manducandum in mortis ſuæ pro illorum ſalute memoriam ſempiternam, ſe eidem tangendum penitus denegauit. *Noli*, inquit, *me tangere.* 305.

Calculum non tangit Seraphin, ſed forcipe accipit.

D. *Cyril. Alex.*

Quia caro Chriſti non ab Angelo, ſed à Sacerdote debet tangi.

Corpus Chriſti in Euchariſtia nouo ſplendore coruſcat.

Ioan. 20.

Ioan. 20. 17. Cùm enim Euchariſtiæ myſterio, crucifque ac paſſionis ſuæ ſacramento, nouâ eaque geminâ conſecratione corpus ſuum in maiorem tranſitiſſet ſanctitatem, ideo illud à pœnitente contrectari oon permiſit: adhuc enim hæc mulier, licèt peccatorum exonerata ponderibus, maculiſque purgata, mortalem eamque communem ducebat vitam, & vt D. Ambroſius *lib.* 20. *in Luc. c.* 14. loquitur, *nondum lubricum ſeculi euacuauerat, & carnis ambiguum, & nondum vixerat vitâ Chriſti.*

Ideo Chriſtus rediuiuus Magdalenæ ſe tangendum denegauit.

D. Ambroſ.

306\. Attamen incredulus ille diſcipulus, qui ſociis ſe Domioum poſt mortem rediuiuum vidiſſe nuociantibus dixerat ſe non crediturum, niſi in manibus eius fixuram clauorum oculis, & lateris vulnus manibus comprobaret; ad ſacroſanctum Domini corpus tangēdum non ſolùm admittitur, ſed etiam adhortatur, inuitatur, immò & quodammodo cogitur: *Infer digitum tuum huc*, ait illi Dominus, Ioan. 20. 27. & *vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Vnde hoc? Cur dubitanti Thomæ conceditur, quod amanti & confitenti Magdalenæ denegatur? Gemina huius conceſſionis ratio poteſt aſſignari. Prima quidem hæc eſſe videtur, vt tactu vulnerum corporis Chriſti à diſcipulo dubitante, omnium ad fidem vocatorum vulnera infidelitatis curarentur. Quod docet D. Gregorius Magnus *hom.* 20. *in Euang.* dum ait: *Egit miro modo ſuperna clementia, vt diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis. Minùs enim* (vt idem Gregorius ibidem proſequitur) *nobis Maria Magdalena præſtitit, quæ citiùs credidit, quàm Thomas qui diu dubitauit: ille enim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de noſtro pectore dubitationis vulnus amputauit.*

Et Thomæ latus palpādum obtulit.

D. Greg.

Thomas vulnera carnis Chriſti tangens ſanauit vulnera infidelitatis noſtræ.

307\. Secundò, & aptiùs ad rem præſentem, Thomas, & oon Magdalena, corpus Domini eiuſque vuloera tangit, palpat, contrectat, quia diuino quo exornabatur Sacerdotio, ab amantiſſimo Magiſtro ſibi io vltima cœna collato, diuinâ donabatur manu, vt glorioſum à morte reſurgentis Chriſti corpus tangeret, & palparet. Quod cùm in Magdalena, licèt ſanctitudine ac charitate præſtanti noo exiſteret, nec ei corpus Domini tangere donatur. Hoc enim ſolis Sacerdotibus conceſſum eſt, vt Dei verbum hominem factum non ſolùm audiant & videant, ſed etiam tangant & amplexentur. Sicut teſtimonio dilectiſſimi diſcipuli comprobatur, qui *cap.* 1. eius quam primam dedit, epiſtolæ, *num.* 1. ait: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Itaque creatis manibus, ſiue ſanctorum ſint hominum, ſiue etiam ſpirituum ſupernorum, Sacerdotum manus digniores ſunt ac nobiliores; cùm illæ Chriſti Domini venerabile corpus & tangant, & contrectent; illæ autem tangere prohibeantur. Sicuti igitur nec ignitum calculum manu, ſed forcipe tulit Seraphim, *Iſai.* 6. & à tangendo corpore Chriſti repulſam paſſa eſt Magdalena: ita ab altari Euchariſtiæ omnium arcentur manus, oullæque admittuntur, niſi quæ fuerint Sacerdotio exornatæ: quia ſcilicet non hominum, ſed Dei, Presbyterorum manus cenſentur. Vnde Sacerdotis manum Chriſti manum appellauit S. Ioaooes Chryſoſtomus, dum inquit hom. 60. ad pop. *Tu laice cùm videris Sacerdotem offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* Quapropter Petrus Abbas Cellenſis *lib.* 3. *de panibus, cap.* 1. alludens ad illud jam allatum ex capite 6. Iſaiæ, vbi Seraphim forcipe tantùm calculum ignitum auſus eſt ferre, ſacram Euchariſtiam manu Sacerdotis, quam manum Dei appellat, dumtaxat tangi poſſe demonſtrat, dum inquit: *Manum ſubtrahat Seraphim, quia munus huiuſmodi manum aliam non admittit, niſi ſolius Dei.*

Vulnera Chriſti tangit Thomas, quia per Sacerdotium diuina manu gaudebat.

Manus Sacerdotis eſt manus Chriſti.

Abb. Cell.

Immò & Dei.

Nec mireris Sacerdotum manus, Dei manus appellari, cùm & ipſi diuinam habeant authoritatem, quæ à ſummo omnium Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſto Domino ad illos deriuatur: illius etenim omnipotentiæ participes, ac diuinæ virtutis exiſtunt adminiſtri, inſtrumenta, & organa: nam vt aduertit D. Thomas 3. *p. quæſt.* 82. *art.* 1. Euchariſtiæ Sacramentum eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur niſi in perſona Chriſti. Vnde qui ſacra myſteria celebrat, non ſuo, ſed Chriſti nomine agit; dumque ſacra conſecrationis profert verba, poteſtate ſibi conceſſa, non ſuum, ſed Chriſti corpus ſub panis ſpecie, eiuſque ſanguinem ſub vini accidentibus eſſe ſignificat. 308.

Diuina gaudet Sacerdos authoritate.

D. Thom.

Conſecrat in perſona Chriſti.

Ex quo liquet poteſtatem conſecrandi & offerendi corpus & ſanguinem Chriſti, non omnibus fidelibus indifferenter, vt Nouatores aſtruunt; ſed illis tantùm qui ad Sacerdotij gradum euecti ſunt, eſſe conceſſam. Sicuti enim baptizato conceditur à Chriſto poteſtas ſumendi hoc Sacramentum: ita & Sacerdoti, cùm ordinatur, confertur poteſtas hoc Sacramentum conſecrandi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ideo qui io Presbyterum ordinatur, in actuali, quâ ad Sacerdotium ſublimatur, conſecratione, dum facultatem hanc recipit, hæc ab Epiſcopo ordinante audit verba: *Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium, tam pro viuis, quàm pro mortuis.* Ideoque fidelis laïcus, licèt juſtus, ac Chriſto vnitus vnione ſpirituali per fidem & charitatem; quia tamen non eſt vnitus per ſacramentalem poteſtatem, ſeu characterem ſacerdotalem, nequit corpus Domini conficere, nec illud in altari offerre. Etenim Chriſtianus non ordinatus in Preſbyterum, noo poteſt verè, & propriè dici Sacerdos, ad verè & propriè ſacrificium in altari offerendum; ſed tantùm impropriè, & metaphoricè: quo pacto cùm habeat ſpirituale & improprium Sacerdotium, poteſt tantùm offerre hoſtias ſpirituales. Quo ſenſu Romanos hortatus eſt Apoſtolus Rom. 12. *Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Et pſalm. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c.* quo etiam ſenſu 1. *Pet.* 2. dicitur, *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias.* Vnde D. Dionyſius *cap.* 5. *Eccleſ. Hierarch.* expreſsè docet, fidelem non eſſe verum Sacerdotem, niſi ad hoc fuerit ordinatus. Ait enim: *Nec ipſe Sacerdos erit, niſi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* 309.

Soli Sacerdotes Euchariſtiā poſſunt conficere, & offerre.

Non verò laici, etiam juſti.

D. Dionyſ.

Immò neque clerici ſacris altaribus ſpecialiter mancipati, ac inter ſacros cooptati mioiſtros, niſi Sacerdotali dignitate refulgeant, ipſa diuina valent celebrare myſteria: Diaconi etenim qui poſt Sacerdotes 310.

Neque etiam Diaconi.

cerdotes diuinorum primi cenſentur miniſtri, nec huiuſmodi gaudent ſacramentali ad conſecrandum, & offerendum poteſtate, nec vſquam in Dei Eccleſia aut Euchariſtiam conſecrarunt, aut obtulerunt, quidquid inclament nouitatum amatores. Nam in canone 15. Concilij Arelatenſis, vbi dicitur: *De diaconis quos cognouimus multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere*; prohibetur benedictio oblationum fidelium diſtinctatum à conſecratione Euchariſtiæ; quæ oblationes præſente Sacerdote non poterant ab alio benedici, temeréque à quibuſdam Diaconis id præſumebatur. Similiter dum *cap.* 2. Synodi Ancyræ, Diaconi qui idolis immolauerunt, jubentur ceſſare ab omni ſacro miniſterio, & præſertim ſiue à pane, ſiue à calice offerendo: prohibetur non conſecratio ſeu oblatio Euchariſtiæ, quæ nuſquam à Diacono facta eſt; ſed oblatio quam facit Diaconus in Miſſa ſolenni, miniſtrans Sacerdoti, & tradeos illi calicem cum vino, & patenam cum pane: quod vocatur propterea oblatio, tum à Sacerdote, tum à Diacono præſentata: quod etiam nunc in ſacrorum fit celebratione myſteriorum. A ſacro igitur miniſterio, quod immediatè erga Sacerdotem exercent Diaconi in cultum idolorum lapſi, in pœnam lapſus arcebantur Concilij Ancyrani decreto; non verò à conſecratione Euchariſtiæ, quæ nullibi legitur Diaconis fuiſſe commiſſa. Vnde Concilium Nicænum primum, *can.* 14. expreſsè docet, *Diaconos non habere poteſtatem offerendi ſacrificium Euchariſtia, ſed Presbyteros.*

Quæ oblatio fiat à Diacono.

Qua pœna plectebantur Diaconi lapſi à fide.

Conc. Nic.

311. Ex quibus colligere oportet, nullum prorſus Chriſtianum, niſi ſacerdotali exornatum charactere, Euchariſtiæ ſacramentum vel conficere, vel offerre poſſe: moltò minùs fœminam baptizatam ſacrorum vel oblationi, vel adminiſtrationi myſteriorum ſe immiſcere debere. Vnde Collyridianorum ac Pepuzianorum ab Eccleſia damnatus eſt error, apud quos olim mulieres ſacrificandi munus vſurpabant, vt referunt S. Auguſtinus *lib. de hereſibus, hereſi* 27. & D. Epiphan. *hereſi* 79. vbi contra Collyridianos diſputans, affirmat ſolos Apoſtolos fuiſſe à Chriſto ordinatos miniſtros Euchariſtiæ, & deinde poſt Apoſtolos alios Epiſcopos & Presbyteros: cæteris autem, & maximè fœminis, adeo id non licere, aut vnquam licuiſſe, vt nec Beatæ Virgini Deiparæ conceſſum fuerit. Hinc patet quàm turpiter hallucinatus ſit Petrus Molinæus Caluiniſta, qui fœminas olim Euchariſtiam adminiſtraſſe auſus eſt dicere, idque ex D. Ambroſio *in libro de viduis*, conatus eſt confirmare. Hoc enim omninò falſum eſt, neque Ambroſios id vnquam docuit; loco ſiquidem citato non loquitur de fœmina, ſed de Sacerdote, cuius animam comparat ſocrui Apoſtoli Petri, languenti febribus, & à Chriſto ſanatæ.

Nequeunt fœminæ ſanctiſſimæ Euchariſtiã offerre.

Collyridiani & Pepuziani apud quos olim mulieres ſacrificabant.

Molinæi error.

§. II.

A poteſtate clauium, ſeu ab authoritate remittendi peccata Sacerdotalis dignitas illuſtratur.

312. Peccata remittendi poteſtas, quam jubente Domino in Eccleſia ſua exercent Sacerdotes, à virtute eiuſdem Domini corpus conſecrandi oritur, & ab illa, tanquam à ſecundo veluti capite, Sacerdotalis procedit ſplendor dignitatis. Cùm enim, vt docet S. Thomas *ſupplem.* 3. *p. q.* 17. *art.* 3. poteſtas quam habet Sacerdos ſupra corpus Chriſti myſticum, dependeat ex poteſtate quam habet ſuper corpus Chriſti verum, hæcque in virtute conficiendi verum Chriſti corpus in Euchariſtia conſiſtat; fidelium peccata remittere, eorumque delicta mundare, in eis neceſſariò præſupponit ad ſacra myſteria celebranda facultatem.

Poteſtas abſoluendi à peccatis oritur à poteſtate conficiendi Euchariſtiam.

313. Quod quidem euidenter liquet ex eo quod Chriſtus Sacramentorum author priùs Apoſtolis poteſtatem corpus ſuum conficiendi, quàm peccata remittendi authoritatem contulit: illam enim eis in vltima cœna pridie quàm pateretur conceſſit, dum dixit Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hanc autem poſtquam à mortuis reſurrexit, donauit, *Ioan.* 20. 22. 23. dum inquit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Vnde & Epiſcopi in ſacri Presbyteratus ordinis collatione priùs conferunt ordinando Euchariſtiam conſecrandi, quàm peccata remittendi facultatem: illam enim porrigendo calicem, & verba hæc proferendo, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium tam pro viuis quàm pro mortuis*, quo tempore imprimitur character ſacerdotalis, vt docet Angelicus Præceptor *ſupplem.* 3. *p. q.* 37. *art.* 5. hanc autem, dum poſt Euchariſtiæ conſecrationem manus imponendo dicunt, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis*, tribuunt. Tunc autem integratur & completur Sacerdotium, quod diuerſis officiis conſtat, nempe ſacrificandi, tanquam præcipuo, & à peccatis abſoluendi, tanquam minùs principali. Vnde ſi nouiter in Presbyterum ordinatus, ſemel acceptâ ſacerdotali dignitate, & corpus Chriſti conſecrandi virtute, non acciperet ab Epiſcopo manuum impoſitione peccata remittendi poteſtatem, eſſet quidem verus Sacerdos, cùm poſſet offerre ſacrificium Miſſæ & Euchariſtiam conficere; attamen non eſſet perfectus Sacerdos, deeſſet enim illi aliquod complementum ad integritatem Sacerdotij nouæ Legis requiſitum, ſcilicet poteſtas abſoluendi à peccatis. Quare vt hic perfectus Sacerdos euaderet, manuum impoſitionem ſimul & peccata remittendi poteſtatem deberet ab Epiſcopo recipere, non iteratâ collatione facultatis conſecrandi & offerendi Euchariſtiam, ſicut definiuit Gregorius IX. *in cap. Preſbyter, de ſacramentis non iterandis*, vbi ait: *Preſbyter, & Diaconus, cùm ordinantur, manus impoſitionem corporali ritu ab Apoſtolis introducto, recipiunt. Quod ſi omiſſum fuerit, non aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad eiuſmodi Ordines conferendos cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum.*

Quo tempore imprimitur character Sacerdotalis.

Habens poteſtatem conſecrandi, & non abſoluendi, eſſet verus, ſed non perfectus Sacerdos.

Greg. IX.

314. Meritò autem peccata remittendi facultas Apoſtolis à Chriſto poſt paſſionem ſuam collata eſt; & ab Epiſcopis nouiter ordinatis Sacerdotibus, poſt Euchariſtiæ conſecrationem, quæ mortem Domini annuntiat, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 11. tribuitur: quia vt notat Doctor Angelicus 3. *p. q.* 84. *art.* 7. *ad* 2. poteſtas clauium à paſſione Chriſti deriuatur: virtute etenim ſanguinis in cruce effuſi, qui valoris extitit infiniti, expiantur peccata, ira Dei mitigatur, eius juſtitiæ rigorosè ſatisfit, ac janua regni cœlorum peccatis noſtris occluſa aperitur: nam vt ait D. Hieronymus epiſtola ad Dardanum, *ſanguis Chriſti clauis eſt cœli.* Tuncque poteſtatem remittendi peccata

Rectè Apoſtolis poſt Chriſti reſurrectionẽ & Sacerdotibus poſt Euchariſtiæ conſecrationem facultas abſoluendi à peccatis conceſſa eſt, & quare.

D. Hieron.

concedens

concedens Chriſtus diſcipulis, Pœnitentiæ ſacramentum inſtituit in remedium peccatorum actualium poſt ſuſceptum Baptiſma à fidelibus commiſſorum. Nam vt ratiocinatur D. Thomas *loc. cit.* cùm poteſtas abſoluendi à peccatis à Chriſti paſſione oriatur, nondum erat inſtitutum quod aliquis doleret de peccato cum propoſito ſubjiciendi ſe per confeſſionem & ſatisfactionem clauibus Eccleſiæ, ſub ſpe conſequendæ veniæ virtute paſſionis Chriſti. Vnde patet quod licèt in lege naturæ, & deinde in Moſaïca, Sacramentum aliquod fuerit inſtitutum in remedium peccati actualis, ne deficeret contra morbum quotidianum medicina, vt docet S. Doctor *in 4. diſt. 1. quaſt. 1. queſtiunc. 3. ad 2.* tamen illud erat diuerſæ rationis & ſpeciei à Sacramento pœnitentiæ Euangelicæ Legis.

D. Thom.

Pœnitentia nouæ legis omnino diſtincta ab aliis.

315. Ab illa igitur authoritate, quâ Apoſtoli cæterique Sacerdotes ipſis ſuccedentes pœnitentiæ Sacramenti miniſtri effecti, ſoluere ac ligare, peccata retinere ac relaxare valent, ſumma dignitas emicat Sacerdotij. Quid enim aut mirabilius, aut ſublimius poteſt excogitari poteſtate, quâ peccatores peccata remittere, & mortales mortalibus immortalitatis januam valent aperire? *Quid poteras* (Sacerdoti) *accidere glorioſius, quam in terra manere, & cælum claudere; vitam communem viuere, & ſupernas cælorum ſedes ſubditis authoritate poteſtatis exhibere?* ait D. Gregorius exponens verba Chriſti dicentis Petro, *Tibi dabo claues Regni cælorum.* Matth. 16. 19.

Nihil ſublimius quàm peccata remittere.

D. Greg.

316. Supremas omnes, quæ in terris ſupra homines exercentur authoritates, etiam illam, quâ Regiâ fulgent Principes maieſtate, vincit hæc peccata remittendi poteſtas; ſublimiuſque ſolium aſcendunt Sacerdotes, quàm Reges, dum quæ in cordibus gerunt homines, ſupernæ judicant commiſſione virtutis. Quod aureum os Chryſoſtomi eleganter protulit, *hom. 5. de verbis Iſaia, Vidi Dominum, tom. 1. in fine*, dicens: *Sacerdotium principatus eſt ipſo regno venerabilius & maius: non mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas: vmbra ſunt iſta omnia, vernisque floribus leuiora; omnis enim gloria eius quaſi flos campi. Ne itaque mihi narres iſta; ſed ſi vis videre diſcrimen, quantùm diſtet Rex à Sacerdote, expende modum poteſtatis vtrique traditæ, & videbis Sacerdotem multò ſublimiùs ſedentem Rege. Quamquam enim nobis admirandus videtur thronus Regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus eſt; tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec vltra poteſtatem hanc præterea quidquam habet authoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cælis affixus eſt, & de cæleſtibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem. Quis hoc dicit? Ipſe cælorum Rex: Quacumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Quid cum hoc honore conferri poteſt? A terra judicandi principalem authoritatem ſumit cælum; nam Iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quidquid hic in inferioribus judicat, hoc ille in ſupernis comprobat.* Hæc diſertè ſanè Chryſoſtomus, vbi ſupra regiam, Sacerdotalem mirificè exaltat dignitatem: quod jam *homil. 4. præcedenti*, acutè ſatis præſtiterat, dicens: *Regi corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ: Rex maculas corporum remittit, Sacerdos maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille neceſſitate, hic conſilio: ille habet arma ſenſibilia, iſte ſpiritualia: ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum eſt aduersùs dæmones. Maior hic principatus, propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis: & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes inungebant Reges.* Hæc ille.

Regiam poteſtatem vincit facultas remittendi peccata.

Chryſoſt.

Sacerdotium eſt principatus.

Quod ſeruus in terris judicat, Dominus in cælis confirmat.

Sacerdoti Rex caput ſubmittit.

317. Altiùs ergo præſunt Sacerdotes quàm Reges; quia iſti tantùm corporibus, illi etiam animabus dominantur: nobiliùs imperant, quia iſti terrore, minis, pœniſque ſuorum exigunt obedientiam ſubditorum: illi donis, & amore ad ſuam ſimul & Dei homines attrahunt. Generoſiùs militant; Reges enim ferro flammiſque quos ſuperant, vaſtant; victoſque ingrata ac faſtidioſa premunt ſeruitute: at Sacerdotes gratiis, veniis, ac remiſſionibus pugnant, maximaque vincunt bonitate; nec victos vt ſeruos deprimunt, ſed illos à grauiſſima ſeruitute peccatorum abſoluunt, & liberos ad ſyderea ſubleuant regna. Vnde & maximi inter Reges ſe Sacerdotibus inferiores agnouerunt; nefaſque exiſtimarunt ſacris altaribus conſecratos judicare.

Nobilior dominatio Sacerdotis quàm Regis.

318. Eo planè modo in Concilio Nicæno primo aduersùs Arianam impietatem congregato, anno Chriſti 325. vſus eſt Conſtantinus Magnus Imperator, qui ab illis, qui partes Arij tutabantur, accuſatorios ſibi contra Orthodoxos Epiſcopos oblatos libellos legere, ac ſuper his jus dicere recuſauit, vt refert Sozomenus *lib. 1. cap. 16.* ac vt narrat Ruffinus *lib. 1. capit. 2.* dignam Conſtantino ſententiam protulit in hæc verba: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium; & veſtra jurgia, quæcumque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos autem nobis à Deo dati eſtis Dij; & conueniens non eſt, vt homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.* Hæc Conſtantinus, qui non ſolùm verbis, ſed etiam factis ſummo honore proſequutus eſt Sacerdotes; nam ſicuti refertur à Cardinali Baronio *tom. 4. annal. anno 325.* ex Euſebio, Socrate, Theodoreto & Sozomeno, omnibus præfati Concilij Epiſcopis de rebus in Synodo controuerſis tractaturis in palatium Imperatoris conuenientibus, & ſecundùm ordinem conſidentibus, adfuit etiam inter illos Conſtantinus, ſed tanta cum reuerentia, vt non priùs in parua ſella aurea ipſi parata aſſidere voluerit, quàm Epiſcopi innuiſſent; ibique fuit non vt de rebus fidei ſuffragium præberet, vel cauſam ſententiâ definiret, vel aliquam ad controuerſiam pertinentem inconſultis Patribus legem ferret; ſed vt attentè audiret, paci ſtuderet, faueret veritati, concordiam foueret, tumultus comprimeret, & diſcrepantes à veritate ad rectæ fidei ſemitam reuocaret. Meritò igitur Innocentius III. *lib. 1. Decretal. epiſt. ad Imper. Conſtantinopol.* ſcribit, quod *Imperium non præeſt Sacerdotio, ſed ſubeſt.* Rectèque Sanctus Antoninus *3. p. tit. 19. capite 1. §. 14.* Sole Sacerdotium, Lunâ autem Imperium docet deſignari, vt quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur; quantùm enim Lunæ præſtat Sol altitudine, magnitudine, pulchritudine, & agendi efficacitate; tantùm Regi Pontifex præcellit.

Conſtãtinus Sacerdotes judicare recuſat.

Sozomen.

Ruffin.

Sacerdotes Dij appellati à Conſtantino.

Baron.

Qui infra Sacerdotes ſedere voluit vt tantùm audiret, non vt judicaret.

Imperium Sacerdotio ſubeſt.

S. Anton.

cellit. Nullus etenim eorum quos ad regnum temporale euexit Dominus, ſanandi animam, eamque ſuarum remiſſione valet purgare culparum: at nullus eſt ad Sacerdotium Dei elementiâ ſublimatus, cui non conceſſa ſit poteſtas ſpiritualia ſoluendi vincula delictorum, ac animas diaboli jugo ſeruitutis excuſſo, in libertatem gloriæ filiorum Dei transferendi.

319. Dei ſolius, cui obtemperant Principes, Reges ſeruiunt, Imperatores famulantur, expiare crimina, delicta condonare, ac peccata eſt remittere. Vnde qui Chriſti Domini Deitatem non nouerant, ſemel auditâ mulieris in ciuitate peccatricis delictorum remiſſione, eiuſdem Saluatoris ore prolatâ, *Luc.* 7. 48. dicentis: *Remittuntur tibi peccata tua, cœperunt dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* ibid. 49. & qui eundem Dominum paralytico peccata dimittentem audiuerunt, illum blaſphemare exiſtimarunt, ſtatimque ſubiunxerunt: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Marc. 2. 8. & Luc. 5. 22. Cùm ergo hæc Sacerdotibus peccata remittendi poteſtas collata ſit, aliquid diuinum in eis haud dubium reperitur. Dei etenim vicarij ac miniſtri ſunt, cuius authoritate verè & propriè abſolutionis beneficio peccata relaxant. Quod demiratus D. Ioannes Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio*, ait: *Non ſolùm Sacerdotes regenerant, ſed etiam condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem.*

Peccata dimittendi poteſtas diuina eſt.

320. Hinc eſt quod Apoſtolis culpas remittendi facultatem dum conceſſit Chriſtus, priùs ipſis ſacrum diuinæ Triados amorem Spiritum ſanctum immenſa bonitate donauit; nam vt legitur Ioan. 20. 22. & 23. *Inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Vt ſcilicet Spiritûs Dei receptione ad diuinam authoritatem recipiendam diſponerentur: immò vt ſupra homines poteſtate ligandi & ſoluendi conſtituti, ſupremum diuino Spiritu eſſe reciperent, ac ſupremæ & diuinæ actioni diuinum eſſe reſponderet; operari etenim ſequitur eſſe, vt docent Philoſophi. Cùm enim ſapientis ſpiritus homini collatus ſapientem præſtet; oratoris oratorem faciat; regiuſque regium, cui donatur, efficiat: diuinus ſpiritus hominibus conceſſus, ad diuinam eos euehit dignitatem. Quod docet D. Baſilius *hom. de Spiritu ſancto*, dum ait: *Huius* (Spiritus) *gratiâ Deus eſt quiſque Sanctorum.* Vnde Apoſtoli, ipſiſque ſuccedentes Sacerdotes, diuino Spiritu afflati, diuinaque poteſtate exornati, vt hominum deleant beneficio abſolutionis peccata, diuinum proculdubio eſſe participant, rectéque Dij nominantur. Sic enim docuit Innocentius Papa, exponens illud *Exod. 22. 28. Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*; dum inquit: *Sacerdotes intelligit, qui per excellentiam ordinis, & officij dignitatem, Deorum nomine nuncupantur.*

Cur Chriſtus Spiritû ſanctum dedit Apoſtolis antequam poteſtatem peccata remittendi concederet.

D. Baſil.

Diuinus ſpiritus diuinos facit homines.

321. Quod inſuper Chriſti Domini teſtimonio comprobatur. Ille enim diſcipulos quos ſui Sacerdotij participes deſtinarat, eorumque mentes diuinis fulgoribus colluſtrarat, ab hominum appellatione diſcretos diuino nomine decorauit, ſicut notauit S. Hieronymus *lib. 3. Comment. in Matth. cap. 16.* Apoſtolos ſiquidem interrogans dixit, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Verùm illos ab hominibus ſeiungens, ſubdit: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Matth. 16. 16. vbi Doctorum maximus ait: *Prudens lector attende, quod ex conſequentibus, textuque ſermonis, Apoſtoli nequaquam homines, ſed Dij appellantur. Cùm enim dixiſſet: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? ſubiecit: Vos autem quem me eſſe dicitis? Illis, quia homines ſunt, humana opinantibus, vos qui eſtis Dij, quem me eſſe exiſtimatis?* Sic ergo qui naturâ Deus, Deique vnigenitus extat, Chriſtus Dominus, quos gratiâ ſuâ ad Sacerdotij aſſumpſit honorem dilectos diſcipulos diuino nomine cohoneſtauit, ita vt ipſi cum Apoſtolis colloquenti optimè quadret illud Dauidicum: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*, pſal. 81. 1. & illud, *Deus Deorum Dominus locutus eſt*, pſal. 49. 1. Etenim inter Apoſtolos veluti in Concilio ſtetit, ac illorum Dominus, ac præceptor ſacra pandens oracula, illos cœleſtes diuinaſque docuit veritates, ac conſequenter ſuam ipſis detegens deitatem, diuinum ipſis contulit nomen; vt enim loquitur D. Hieronymus loco citato: *Qui de Filio hominis loquuntur, homines ſunt; qui verò diuinitatem eius intelligunt, non homines, ſed Dij appellantur.*

S. Hieron.

Apoſtoli dicuntur Dij à Chriſto.

Chriſtus inter Apoſtolos Deus inter Deos.

D. Hieron.

Immenſos quos pro Chriſto, eiuſque Eccleſia exantlauit labores, recenſens Apoſtolus, nouo planè ac inuſitato vſus eſt termino, dum inquit 1. Cor. 4. 12. & 13. *Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus.* Cùm enim blaſphemia *falſa ſit locutio aduersùs Deum prolata*, vt docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 14. *art.* 1. dum ſcilicet quæ Deo non conueniunt, ipſi attribuuntur; & quæ ipſi conueniunt, auferuntur: ſicuti Chriſtus à Iudæis blaſphemabatur quantùm ad humanitatem, dum ab eis homo vorax, potator vini, & publicanorum amator dicebatur, vt habetur *Matth.* 11. & quantùm ad diuinitatem, dum opera quæ ipſe operabatur virtute propriæ diuinitatis, attribuebantur principi dæmoniorum ab eiſdem Iudæis, vt legitur *Luc.* 11. quomodo Paulus dicit ſe blaſphemari? Nunquid ille qui ſe peccatorum omnium primum, Apoſtolorum minimum, ac nouiſſimum, immò & abortiuum commemorat, in Deum tranſiit? An ſui omninò obliuiſcens, Deus haberi voluit? Minimè quidem, ſed Sacerdotij, quo exornabatur, dignitatem apprimè noſcens, ſe Dei Vicarium agnouit, ac iniurias ſibi illatas, in eum, cuius miniſter erat, illatas exiſtimans, blaſphemias meritò nominauit. Non enim vt homo, ſed vt Dei adiutor Sacerdos in Eccleſia ſacerdotale officium, vel ſacra myſteria celebrando, vel à peccatis abſoluendo exercet. Itaque non homo, ſed Deus in homine Sacerdote & honoratur & ſpernitur: non enim homo, ſed Deus in homine Sacerdote & offert ſacrificia, & peccata dimitit. Vnde idem Apoſtolus inquit initio capitis 4. 1. *ad Cor.* jam allati: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Ad diuinam igitur homo transfertur dignitatem Sacerdotali munere, Deique vices gerit dum hominibus peccata relaxat. Quare ſumma reuerentia Sacerdotibus eſt exhibenda, ſicuti ſtatuit Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio Imperatore, *c. 3. tom. 3.* vbi ſic decernitur. *Licèt Sacerdotes in multis ſint negligentes, non tamen vituperandi, nec deſpiciendi, ſed propter illum cuius miniſterium gerunt, audiendi, & congruo honore venerandi ſunt; poſt Apoſtolos enim ad ipſos hæc ſententia dirigitur: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* 322.

Detractio in Sacerdotes eſt blaſphemia.

D. Thom.

Quia Deus in Sacerdote & honoratur, & ſpernitur.

Conc. Aquiſ.

Meritò igitur in Sacerdotibus diuinam illam ſupra omnia, quæ in vniuerſo orbe cernuntur, Authoritatẽ demirari liceat, quam D. Auguſtinus à Deo Apoſtolis eſſe conceſſam eleganti ſermone 323.

D. Auguſt.

proſequi

proſequitur *ſerm. 1. de Apoſt. Petro & Paulo*, vbi ſic fatur: *Dedit Dominus Apoſtolis poteſtatem ſupra naturam humanam, vt eam curarent; ſuper dæmones, vt ipſos fugarent; ſuper philoſophos & ſapientes huius mundi, vt ipſos confunderent; ſuper peccatum, vt illud remitterent, vel retinerent; ſuper mortem, vt eam contemnerent; ſuper mundum, vt ipſum poſſundarent; ſuper cœlos, vt illos quibus vellent, clauderent, vel aperirent; denique ſuper Angelos, vt corpus Domini conſecrarent.* Ex quibus tanti Doctoris verbis colligere fas eſt, Sacerdotes poteſtate ſupra cuncta creata exornatos, vniuerſam ſuperare creaturam; ex eo etenim quod toti dominantur orbi, illo digniores ac maiores exiſtunt: par enim in parem non habet imperium; & minora ac inferiora eſſe oportet, quæ alicuius authoritati ſubduntur.

Sacerdotes habent poteſtatem ſuper omnes creaturas.

324. Verùm cæteris creaturis Prælati Sacerdotes, vni Chriſto omnis Sacerdotij Principi ac Monarchæ ſubduntur illo minores, & in omnibus ab ipſo dependent, in eius nomine operantur, eius virtute ac authoritate judicant, eiuſque ſupremâ à peccatorum vinculis abſoluunt poteſtate. Denique non ſolùm per Chriſtum hominum delicta relaxant, ſed ipſe omnium Saluator per Sacerdotes peccatorum vincula ſoluit, ita vt nemini per ſacramentum pœnitentiæ peccatorum maculas Chriſtus abſtergat, niſi illi à Sacerdote abſolutionis beneficium conferatur, adeo vt ipſa Redemptoris ſumma in peccatis remittendis authoritas, Sacerdotum ſententiæ quodammodo ſubordinata videatur: nullus enim à Chriſto ſacramentaliter abſoluitur, niſi à Sacerdote abſoluatur, & vt loquitur Melliſluus Abbas Bernardus ſerm. de SS. Petro & Paulo: *Tantâ Petro claues poteſtate Chriſtus tradidit, vt præcedat ſententia Petri ſententiam cœli.* Sic enim mirabili prouidentiâ Sacerdotium in Eccleſia ſtatuit, vt ſicut eleganter S. Leo Papa *ſerm. de transfigur.* inquit, *neque in ſoluendis, aut ligandis hominibus aliud firmum, & ratum eſſet in cœlo, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio. Ille etenim Beatus eſt cœli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre judicium præiudicata auctoritas eſt in cœlo, vt quæ in terris ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo.*

Chriſto ſubjiciuntur.

D. Bernard.

Sententia Petri præcedit ſententiã cœli.

S. Leo Pap.

§. III.

A verbi Dei prædicatione Sacerdotalis dignitas commendatur.

325. Tertius hic eſt Sacerdotalis dignitatis radius: nec illius maieſtas omni ex capite coruſcaret, niſi geminæ, ſcilicet Euchariſtiam conſecrandi, ac peccata remittendi facultates, diuinum verbum annunciandi, ſacramque doctrinam diſſeminandi exornarentur virtute. Sanè qui in altari ſacra myſteria celebrantes, infiniti amoris Chriſti flammas omnipotenti ſermone eiaculant, & in ſacramento pœnitentiæ pro tribunali ſedentes, judiciariam eius exercent poteſtatem, ſuper cathedras Eccleſiarum diuina promentes oracula, eius debent ſapientiam exhibere: illorum eſt cœleſte ſemen in cordibus hominum diſſeminare, & diuinâ doctrinâ eorum colluſtrare mentes: immò cùm in Sacerdotibus Chriſtus aſſiſtat, eorumque miniſterio panem in corpus ſuum, & vinum in ſanguinem tranſmutet, hominibuſque pœnitentiæ Sacramento peccata relaxet; in illis

In Sacerdotibus Chriſtus conſecrat, abſoluit, & prædicat.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

etiam debet loqui, & vniuerſum eorum ſermone hominum genus edocere.

Cùm enim primum in quolibet genere ſit cauſa cæterorum, vt docet Philoſophus 2. *Metaph.* 326.
Chriſtus qui æternum ac primum Verbum eſt, cuncti ſermonis, omniſque veritatis quæ extra Deum effunditur, principium eſt, ac ſcaturigo; nulluſque inter homines aut cogitare, aut loqui valet, niſi ab eo in corde lumina, & in ore recipiat verba. Hoc planè expertus eſt gentium magiſter Paulus Apoſtolus, qui licèt à Deo ſupra cœlos ſublimatus diuina ſecreta audierit; nuſquam tamen à ſe vllum potuit proferre ſermonem, ſed cœleſtia quæ quotidie fidelibus dabat verba, à Chriſto Domino pronuntiata declarauit. *An experimentum*, inquit, *quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* 2. *Cor.* 13. 3. Ille quippe eſt qui concionatoris mentem diuinis replet fulgoribus, cor zeli ardore ſuccendit, linguam mouet, verba format, ac cœleſtia eius ore dogmata profert. Quapropter idem Apoſtolus ſe, cæteroſque diuini ſermonis prædicatores, non tanti operis authores, ſed miniſtros dumtaxat ac adiutores Dei pronuntiauit, 1. *Cor.* 3. 9. dum inquit: *Dei adiutores ſumus, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Vbi ſicut Concionatores non propriâ, ſed Dei virtute operantes: ita fideles diuino ſermone inſtructos, formatos, ac in chriſtiana doctrina ſolidos, non Prædicatorum, ſed Dei ope declarauit: non enim eos hominum, ſed Dei agriculturam, & ædificationem dixit.

A Chriſto omne verbũ procedit.

In Paulo Chriſtus loquebatur.

Dei adiutores Concionatores.

Nec Sacerdotum diuini verbi ſatorum dignita- 327.
tem Apoſtolus minuit, immò auxit. Sicuti enim nobilius ac maius de credentibus encomium prompſit, dum eos non hominum, ſed Dei agriculturam dixit & ædificationem; ita præſtantius aliquid de Prædicatoribus protulit, dum non à ſe agentes, ſed Dei miniſtros ac adiutores nominauit. Etenim ſi à ſeipſis loquerentur, & præcipui verbi quod pronuntiant, eſſent authores, humanum dumtaxat ac naturale traderent documentum: dum autem ab alio, nempe à Chriſto Domino verba recipiunt, cœleſtem, ſupernaturalem, ac diuinam non poſſunt non proferre doctrinam, nec ad ſummam Dei Filij dignitatem non ſublimari. Ille etenim qui vices gerit alicuius, eius pollet authoritate, nobilitate, ac dignitate decoratur. Vnde D. Dionyſ. *cap. 3. Cæl. Hierarch.* inquit: *Ingens hæc, Angelica, immò Diuina eſt dignitas, Dei cooperatorem fieri in conuerſione animarum, diuinamque in ſe operationem palam cunctis oſtendere.* Hinc ſanè liquet, cur Saluator hominum diſcipulos Euangelij ſui præcones mittens, dixit illis: *Sicut miſit me Pater, ſic ego mitto vos.* Ioan. 20. 21. Cùm enim verum ſit, neminem verbi diuini prædicationi aptum fore ſine diuina miſſione, *quomodo* enim *prædicabunt, niſi mittantur?* vt ait Paulus *Rom.* 10. 15. vt illos tanto dignos faceret miniſterio, ſimilem illi quam à Patre habuit, miſſionem eis conceſſit; ita vt ſicut in verbis ac miraculis Chriſti à Patre miſſi, & maieſtas, & diuinitas Patris mittentis elucebant: ita in Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ad diuinum verbum annunciandum miſſis, Chriſti mittentis authoritas & doctrina ſermone ſigniſque comprobentur. Quod eleganti ſtylo à D. Chryſoſtomo *in cap. 10. S. Matth.* expreſſum eſt: *Miſit*, inquit, *Chriſtus Apoſtolos quaſi ſol radios ſuos, quaſi roſa ſuauitates odoris ſui, quaſi ignis ſcintillas ſuas diſperſit; vt ſicut ſol in*

A Chriſto & per Chriſtũ loquentes, maiori gloriâ fulgent.

D. Dion.

Sicut Chriſtus à Patre, ita à Chriſto prædicatores mittuntur.

D. Chryſoſt.

Chriſtus ſol, roſa, ignis: Apoſtoli radij, odor, & ſcintillæ.

radiis apparet, ſicut roſa in odoribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur; ſic in illorum virtutibus Chriſti potentia agnoſcatur. Quis enim videns diſcipulos venè inſtructos, non ſcientiam magiſtri collaudet? Hæc ille.

328. Quibus addere liceat, quod ſicuti radij ſolis fulgore cotuſcant, illioſque ſplendor cùm ſint, eiuſdem eſſe donantur, illumque veluti corona decorant: ſicuti inſuper ſuauiſſimus roſæ odor ex intimo illius floris procedit; denique vt ignis ſcintillæ illius naturâ gaudent, ciuſque claritate refulgent: ita Apoſtoli juſtitiæ jubaris Chriſti lucentes radij, dum ſacram ſpargunt prædicatione doctrinam, Chriſti ſplendore emicant, immenſam eius lucem continent, eius dignitate decorantur, ipſumque dum gentibus Deum & hominem manifeſtant veritatis ſuæ fulgore ſplendidum, gloriâ & honore coronant. Inſuper Chriſti, florum omnium præſtantiſſimi, odor ſuauiſſimus dum verbis Apoſtolorum longè lateque diffunditur, non ipſos præcones, ſed Chriſtum declarat; illud enim quod in illis aut bonum, aut jucundum, aut ſuaue eſt, non illorum, ſed Chriſti eſſe dignoſcitur; non enim ſui ipſius odor eſt, ſed floris, à quo procedit. Prædicatores autem Apoſtolici, Chriſti bonus odor à gentium Magiſtro vocitantur. Scintillæ tandem ſunt Concionatores; ſed Chriſti, qui cùm verus Deus exiſtat, ignis nomine decoratur: *Deus* enim noſter *ignis conſumens eſt*. Quàm ergo ſublimes ſunt, qui ab igne non elementari & corporeo, cuius altiſſima ſedes in concauo lunæ dumtaxat à Philoſophis collocatur; ſed ab ſpirituali & diuino, qui Deus ipſe eſt, originem trahunt! Fulgent, ſed vt ignem iſtum aperiant illis qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: coruſcant ſignis ac portentis, vt doctrinæ quam diſſeminant, ſtabiliant veritatem: fulgurant, ſed lumina quibus orbem replent, ab illo, cuius ſcintillæ ſunt, igne exoriuntur: procedunt, ambulant, currunt, volant, tranſvolant; ſed nunquam ab igne recedunt, illum vbique deferunt, & ab illo feruntur; quia Deum vbique Apoſtoli Euangelij prædicatione tulerunt, & ab eo portati ſunt. Denique igne à tantis ſcintillis cunctis gentibus manifeſtato, in igne ſcintillæ requieſcunt, quia pro Deo agentes, Deum annuntiantes, ad Deum currentes, curſu feliciter conſummato, in Deo placidè Apoſtoli conquieſcunt. Quæ omnia Spiritus ſanctus declarauit, *Iob* 38.35. his verbis: *Mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent, Adſumus.* Adſunt itaque, vt de laboribus exantlatis à Deo juſtiſſimo bonorum omnium retributore coronam accipiant; quam non alibi quàm in Deo, ab ipſo Deo recipiunt. Vnde Apoſtolus qui 2. *Tim.* 4.7. ait: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, &c.* dixit Philip. 1.23. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; vt ſcilicet diſcipulus cum magiſtro, miles cum Rege, ſcintilla cum igne coniungeretur, & in eo quieſcens coronaretur.

Quod bonũ eſt in Apoſtolis, Chriſti eſt.

Nuſquam à Deo recedat Apoſtolus, vel Concionator.

Fulgura ſunt Apoſtoli.

329. Planè igitur maxima eſt Sacerdotum dignitas, dum verbum diuinum ſeminantes, Dei adiutores euadunt. Sanè illos diuinos homines dixerim, ex diuina quam in Eccleſia exercent operatione. Cùm enim apud Philoſophos tritum ſit, quod operatio ſequitur eſſe, non ſolùm hoc dicendi modo ſignificatur, quod eſſe ſupponitur in re antequam operetur, vel quod actiones debent commenſurari dignitati aut virtuti agentis, quod vtique ſecundùm quod exiſtit, operatur; ſed etiam quod operationes manifeſtant naturam operantis, ita vt imperfecta ab imperfecto, perfecta verò actio à perfecto agente producatur. Vnde Enangelij prædicatio, quæ fidem in cordibus audientium generat, viamque ſalutis aperit, cùm ſit actio diuina, à Chriſto tanquam ab agente principali; & ab homine tanquam ab inſtrumento elicita, rationem quandam diuinam, à Chriſto concionatori conceſſam, euidentiſſimè declarat. Etenim ſi diuinum eſt vitam hominibus dare, conſeruare, ac propagare, vnde Iob Deo dicebat, *vitam & miſericordiam tribuiſti mihi*, Iob 10. & Chriſtus ſemetipſum Deum & ſalutis humanæ authorem exhibens, *Ioan.* 10. 11. inquit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, verè præcones Euangelici, qui dum verbum Dei diſpenſant fidelibus, cibant eos *pane vitæ & intellectus*, Diuini dicendi ſunt.

Verbum Dei prædicare, diuina eſt actio.

Dum carnales diſcipuli corporea tantùm attingentes, Chriſtum Dominum de Sacramento corporis & ſanguinis ſui magnificè perorantem deſeruerunt, ac ſi durum ac impoſſibilem ſermonem pronuntiaſſet, noluit Petrus magiſtrum optimum relinquere, immò ab ipſo rogatus an vellet cum aliis diſcipulis recedere, animosè reſpondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. 69. Vbi non minùs verè Apoſtolorum Princeps, quàm cùm eidem Domino dixit, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, Matth. 16. apparuit. Ille etenim qui Dei viui Filius viuus eſt, Deus & vita cùm ſit, æternique Patris ſapientia, veritas, verbum & imago, nulla alia quàm vera, viua, immò & viuifica potuit proferre verba. Quod adeò verum eſt, vt verba ſua debitâ cum reuerentiâ ſuſcipientes, diuinam quodammodo ſortiantur vitam; ipſe enim non ſolùm dixit Ioan. 8. *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum*; ſed vt ſermonis ſui veritatem, quo ſe Filium Dei dixerat, confirmaret, addidit homines ex verbo Dei ad diuinam dignitatem exaltatos: *Si illos*, inquit Ioan. 10. 35. *dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura, &c.* At quæ Concionatoris ore promuntur, Chriſti verba ſunt, quæ in eorum poſuit intellectu, vt eorum linguis ſuam doceret Eccleſiam, & æternam diuinamque auditoribus vitam communicaret; adeo vt de ipſis Euangelij Concionatoribus dici queat, quod *verba vitæ æternæ habent.* Vnde meritò Apoſtolus, quos diuini verbi præconio Chriſtianâ fide imbuerat Philippenſes, ſancti rectique propoſiti, etiam inter infideles, tenaces collaudans ſic fatur: *Inter quos* (Gentiles) *lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam meam.* Philip. 2.15. & 16. Quæ cùm ita ſint, non ſolùm lucentia, ſed viuifica ſunt Concionatorum verba, quæ auditores non ſolùm lucentes, ſed luminaria præſtant, ipſiſque verbum vitæ continere, ac conſeruare concedunt. 330.

Verba Chriſti vitam cõferunt.

Verba vitæ æternæ habẽt Euangelici Prædicatores.

Planè igitur diuinum eſt concionandi munus; cùm ſermone lucem, vitamque, etiam æternam, fidelibus largiantur viri Apoſtolici. Hinc à Chriſto non ſolùm *Sal terræ*, quo peccatorum putores extinguntur; ſed etiam *Lux mundi*, quâ diuinis Fideles fulgoribus illuſtrantur, appellati ſunt. *Matth.* 5. Cùm ergo ipſum nomen quo ſe Redemptorem mundi Dominus expreſſit, Ioan. 8. 12. dum ait, *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, verbi ſui 331.

Apoſtoli ſal terræ: Lux mundi.

ſui diſpenſatoribus tribuerit; eis etiam dignitatis ſuæ, ſolicitudinis, ac curæ earum quas redemit animarum partem contulit; hominesque à ſe redemptos Prædicatorum miniſterio æternam vitam aſſequi ingenti prouidentiâ decreuit. Itaque ſalnti humanæ ſtudentes, dum Dei coadiutores verbum cœleſte diſſeminant, homines ſaluare dicuntur, diuinoque Saluatoris Titulo decorantur. Ita prophetauit Abdias 21. *Et aſcendent*, inquit, *ſaluatores in montem Sion judicare montem Eſau; & erit Domino regnum.* Vbi ad noſtrum inſtitutum S. Hieronymus ait: *Ipſe Saluator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit Saluatores.* Quanta igitur, & quàm ineffabilis Euangelij præconum gloria!

Et mundi Saluatores. *S. Hieron.*

332. Maius eſt hominem juſtificare, quàm creare; immò quàm vniuerſam orbis molem è nihilo educere; non quidem ex modo agendi, ſed ex nobiliori ac præſtantiori termino, qui in juſtificatione producitur. Creatio quippe ad bonum naturæ mutabilis; juſtificatio verò ad bonum æternum diuinæ participationis, nempe ad eſſe gratiæ terminatur. Ita vt *bonum gratiæ vnius maius ſit, quàm bonum naturæ totius vniuerſi*, vt docet S. Thomas 1. 2. *q.* 113. *art.* 9. Vnde ſecundùm id quod habet Auguſtinus tract. 72. in Ioan. *maius opus eſt, quod ex impio fiat juſtus, quàm creare cœlum & terram.* Ex quibus non vulgaris, ſed ſpecialiſſima Apoſtolicorum virorum colligitur gloria. Nam quanto donaretur honore, qui Deo ad creandum cœlum & terram adiutor eligeretur? qui vnà cum omnipotente omnium Conditore, ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt vocaret? Infinitus eſſet honor ille, virtutem ipſi creationis adiutori infinitam adducens. Verùm præſtantius eſt cooperari Deo in ſalutem animarum, & verbi miniſterio homines ab impietate ad juſtitiam reuocare, eorumque ſanctificationi collaborare. Hoc Euangelicis conceditur Concionatoribus, qui ab errorum tenebris ad fulgentiſſimum veritatis lumen, & à peccati jugo ad libertatem gloriæ filiorum Dei homines transferentes, opere & ſermone fidei pariunt & ſanctificant. Ineffabilis omninò hæc eſt operatio, quæ homines hominum Deos quodammodo præſtat.

Maius eſt hominem juſtificare, quàm orbem creare.

Bonum gratiæ vnius maius eſt quàm bonũ naturæ totius vniuerſi. *D. Thom.* *D. Auguſt.*

Summa virorum Apoſtolicorum gloria.

333. Qui vt Dei voluntatem impio Ægyptiorum Regi annuntiaret, olim electus eſt Moyſes, vt ſcilicet ab immani ſæuitia, quâ Hebræos torquebat, temperaret, & ſibi conſulens, liberum ad ſacrificandum Iudaïcum populum dimitteret, non Dei nuntius à quo mittebatur; non Pharaonis doctor, judex aut princeps, ad quem mittebatur, vocatus eſt, ſed magnifico ac ſplendido exornatus titulo, Pharaonis Deus dictus eſt. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, ait Dominus *Exod.* 7. 1. Quorſum hoc nomine decoratur Propheta? Quia Prædicatoris officium gerebat, & Euangelij præconum, qui à Deo ad impios à via ſua mala auertendos, miſſi ſunt, perſonas exprimebat. Sic optimè ad rem præſentem notauit S. Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel, cap. 2. *In Moyſe*, inquit, *venturi Doctoris figura, qui legem doceret, Euangelium prædicaret, impleret Teſtamentum vetus, nouum conderet, cœleſte populis alimentum daret, humana dignitatem conditionis exceſſit, eò vſque, vt Dei donaretur nomine, dicente Domino: Poſui te Deum Pharaonis.* Si ergo Moyſes obſtinato Principi, quem ab impietate non reuocauit, Dei verbum annuntians, Deus pharaonis dictus eſt: nonne viri Apoſtolici, quorum typus extitit Moyſes, Imperatoribus, Regibus, Principibus ac populis doctrinam Euangelicam prædicantes, eosque ad Dei cultum, veramque juſtitiam, profligatis errorum ac impietatis monſtris, adducentes, Dij cenſendi ſunt?

Moyſes Deus Pharaonis.

Quia illum à via mala prædicatione retrahebat. *D. Ambroſ.*

Concionatores Dei nomine decorantur.

Suffragatur Scriptura tantæ Concionatorum dignitati; in illa etenim homini Deus ſic loquitur: *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Ierem. 15. 19. Hoc eſt, ſi animam rationalem, quæ vtique pretioſa eſt, vtpote Chriſti ſanguine redempta, ab erroris tenebris, à voluptatum illecebris, & ab immunditiis peccatorum potenti ſermone erueris; oris ac linguæ Dei honore decoraberis. Os tuum non humanum, ſed diuinum erit: lingua tua non humanos, ſed diuinos pronuntiabit ſermones; ita vt de huiuſmodi dici queat, quod *ſermones Dei* loquatur, vt habetur 1. *Pet.* 4. 11. In hoc etenim verè Apoſtolicus vir concionator exiſtet, ſi non propria, ſed eius, nempe Chriſti Domini, à quo miſſus eſt, verba hominibus annuntiet: illis enim tanquam diuinis ac ad conuerſionem animarum validis, pretioſum à vili, nempe juſtum ab impio ſegregabit, magnumque Chriſti Seruatoris officium exequetur; nam vt loquitur D. Chryſoſtomus hom. 3. in Gen. *ipſe cùm Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, & omnia alia humana ſuſtinuit, & crucem quoque ſuſcepit, niſi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret.* Quod amantiſſimus ipſe Redemptor proprio ore docuit *Marc.* 1. 38. dicens: *Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem; ad hoc enim veni.* Fecit illud ad quod venerat, & ſemel ſuſcepto Baptiſmate cùm triginta eſſet annorum, quamdiu cum hominibus viſibiliter conuerſatus eſt, diuinum verbum annuntiauit: ſed ex hoc mundo ad Patrem diſceſſurus, conſummato redemptionis opere, miniſtros verbi, ac ſermonis diuini diſpenſatores ſtatuit diſcipulos, quibus ſolenniter prædicationis iniunxit officium, dicens Marc. 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Itaque verba ſua in ore Concionatorum poſuit, vt euellant & deſtruant, vt ædificent & plantent: vt vitia eradicantes, & virtutes inſerentes, pretioſum à vili ſeparent, & ſimul os Domini & lingua Chriſti ab omnibus comprobentur. 334.

Os Dei ſunt.

D. Chryſoſt.

In hoc Chriſtus venit, vt à peccato homines eripiat verbi miniſterio.

Hinc patet, quàm juſtè Dominus dixerit diſcipulis, Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Cùm enim per illos, cæteroſque quos eis adiunxit Concionatores, tanquam per os ſuum ac propriam linguam diuina verba pronuntiet, haud dubium in illis auditur & reueretur; vel in illis non auditur & ſpernitur: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur, vt fert communis regula juris. 335.

Deus in prædicatoribus auditur & reueretur.

Cæterùm maiora poſſem hîc ad concionatorum encomia congerere: ſed conſultò abſtineo, ſtudens breuitati. Pauca tamen ſubjiciam, vt laudabilia eorum inſtituta, quibus pietatis apicem debent aſſequi, obiter attingam. 336.

§. IV.

Summa in viris Apoſtolicis virtus requiritur, vt dignè verbum Dei annuntient.

AB immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? inquit Spiritus ſanctus *Eccl.* 34. 4. Etenim vt apud omnes tritum eſt, 337.

nemo dat quod non habet. *Neque enim de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam*, vt ait Chriſtus Dominus, Luc. 6. 44. *Bonus homo de bono theſauro ſuo profert bonum*, vt ibidem ab eodem Saluatore ſubditur. Itaque qui verbi Dei miniſterio in auditoribus bonos cupit efformare mores, laudabili debet conuerſatione fulgere: qui falſitatis tenebras ab auditorum mentibus fugare conatur, nullo obſcurari debet errore: qui peccatores à via ſua mala laborat auertere, nequaquam in via peccatorum debet ſtare: qui denique ſanctitatem & juſtitiam aliis prædicat, morum ſanctimoniâ, & vitæ integritate debet decorari. Factis negaret quod voce confitetur & docet vir Apoſtolicus, niſi quod loquelâ ſuadet, moribus comprobaret. Illum haudquaquam lateret, ſe pro Chriſto legatione fungi, verbaque quæ hominibus annunciat, illi fuiſſe demandata ab optimo Saluatore, *cui parum fuit Martyres docuiſſe verbo, niſi firmaſſet exemplo*, vt loquitur S. Auguſtinus. Etenim vt legitur *Act.* 1. cœpit Ieſus facere & docere. Priùs fecit, poſteà docuit: nec aliquid loquendo fideles docuit, quod agendo, aut patiendo operibus non confirmarit: ipſeque totius doctrinæ chriſtianæ ſpeculum ſe præbuit & exemplum.

Iuſtus ſit prædicator, & ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum.

S. Auguſt.

338. A Chriſto igitur omnium Prædicatorum anteſignano, ſibi exemplum ſumat Euangelicus Concionator; nec linguâ ſolùm, ſed manu, verbi miniſterium exequatur. Operetur antequam doceat, & homines à vitiis ad virtutes, ab erroribus ad veritatem, ab impietate ad ſanctimoniam operibus reuocet & ſermone. Magis quippe mouent exempla, quàm verba. Etenim ſi veteris Teſtamenti Pontifex in rationali gerebat hæc duo verba, *doctrina & veritas*, vt habetur *Leuit.* 8.8. quæ à pleriſque leguntur, *illuminationes & perfectiones*, quia ſcilicet ab illo doctrinæ lux, & vitæ perfectio in populum ſibi commiſſum oriebantur: nonne Legis gratiæ Sacerdotes, Chriſti miniſtri in ſtatu perfectiori conſtituti, doctrinæ fulgore, & vitæ perfectione debent coruſcare? Sanè ab Apoſtolico viro illuminationes nequeunt procedere, niſi perfectiones oriantur; hoc eſt nuſquam ab eius doctrina Eccleſia illuminabitur, niſi eius vitæ ſanctitate ac perfectione ædificetur. Hinc intelligitur cur Paulus ſe Architectum; eos verò quibus prædicauit, ædificationem dixit, 1. *Cor.* 3. Nam ſicuti non ſolùm mente, & ore ædificij forma concipitur & exprimitur, ſed etiam manibus & operibus perficitur & conſummatur: ita non ſolùm ſermone & linguâ, ſed manu & opere; hoc eſt non ſolùm doctrinâ, ſed etiam pietate ac ſanctimoniâ Corinthios Apoſtolus in fide chriſtiana formauit, ædificauit, perfecit. Illa eſt perfecta fideles pariendi & Eccleſiam ædificandi methodus, doctrinæ fulgoribus ſanctitatis ſcintillas conjungere. Ex his non ſolùm colluſtrationes tenebras repellentes, ſed incendia corda igne charitatis inflammantia ſurgent, ſimulque fidem & amorem Chriſti Concionatores auditoribus infundent. Illam ſequi tenentur Apoſtolici viri, aliàs à gentium magiſtro in immenſum diſcrepabunt, & à via in quam à Chriſto Domino miſſi ſunt, errantes deuiabunt. Liceat mihi impræſentiarum ethnici hominis Chriſtianorum magiſtris documentum offerre. Loquatur nunc Seneca, quem inter ſapientes ſapientiſſimum olim Roma ſuſpexit: *Plus tibi*, inquit epiſt. 6. *viua vox & conuictus, quàm oratio proderit. Homines ſemper amplius oculis, quàm auribus credunt: longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. Plato, & Ariſtoteles, & omnis in diuerſum itura ſapientum turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit.* Hæc ille. Sic ergo vitam voci coniungat Sacerdos, vt ſaltem tantùm ex moribus, quantùm ex verbis turba colligat Chriſtianorum.

Manu & linguâ verbi exequatur miniſterium.

Doctrina & veritas, ſeu illuminationes & perfectiones in Sacerdote.

Cur Paulus ſe Architectum dicit.

Magis mouent exempla quàm verba. *Senec.*

339. Quamuis ad Iudæis prædicandum Chriſtus in mundum venerit, non tamen legitur officium prædicationis peregiſſe, niſi trigeſimo ætatis ſuæ anno, ſuſcepto Baptiſmate, & peractâ ac conſummatâ omni tentatione, quam poſt quadraginta dierum jeiunium ipſi diabolus auſus eſt inferre. *Exinde enim cœpit Ieſus prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, &c.* vt legitur *Matth.* 4. 17. Quare æterni Patris æternum Verbum mortalitatis noſtræ trabeâ indutum, vt hominibus diuina panderet oracula, per triginta ſiluit annos? Cur non citiùs ad ſermonem ora laxauit? Poterat vtique ſtatim à natiuitate verba hominibus dare. Poterat cùm duodecim eſſet annorum, poſtquam in Templo in medio Doctorum, vt illos audiret ac interrogaret, apparuit, prædicationis officium inchoare. Poterat vtique, ſed noluit, vt ſuo exemplo omnibus forma factus Concionatoribus, omnes illos doceret. Priùs enim longo tempore tacuit: priùs Baptiſmatis vndâ puriſſimâ ſanctiſſimaque eius caro abluta eſt: priùs corpus quadraginta dierum inediâ macerauit: priùs tentationes omnes ſuperauit, & tunc Baptiſmate purgatus, jeiunio roboratus, tentationibus probatus ac victoriis coronatus, omni ex capite ſanctitatis ſplendore conſpicuus, ad docendum homines properauit, quod geſſerat, prædicauit, & virtutem quam iteratis actibus exercuit, homines docuit vt exercerent. Sicque ſeipſum bonorum operum & cunctis Concionatoribus, & eorum auditoribus præſtantiſſimum præbuit exemplum. Quod notauit Doctor Angelicus 3. *p.* *q.* 41 *art.* 3. *ad* 1. dicens: *Nullus debet prædicationis officium aſſumere, niſi prius fuerit purgatus, & in virtute perfectus: & ideò Chriſtus ſtatim poſt Baptiſmum auſteritatem vitæ aſſumpſit, vt doceret poſt carnem edomitam, oportere alios ad prædicationis officium tranſire.* Itaque niſi, vt docet S. Thomas, Concionatoris caro fuerit edomita, & ipſe plenè perfectéque purgatus, diuini verbi ſemen nec poteſt, nec debet ſeminare.

Cur Chriſtus ætatis anno trigeſimo, & poſt 40. dierum jeiunium, officium prædicationis aſſumpſit.

D. Thom.

Purgatus à vitiis, auſteritate vitæ roboretur Cõcionator.

340. Qui ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, Filius Dei, vt dicitur *Philip.* 2. defectus omnes naturæ humanæ corporales, mortem, famem, ſitim & huiuſmodi à primi Parentis inobedientia dimanantes ſuſcepit, tum vt verus homo, & non phantaſticus probaretur; tum vt ſuæ finem incarnationis, nempe hominum à peccato & à pœnis peccatorum liberationem aſſequeretur. Attamen perfectioni ſcientiæ & gratiæ repugnantes, nempe ignorantiam, aut peccatum, alioſque qui in aliquibus hominibus ex quibuſdam particularibus cauſis prodeunt, vt ſunt lepra, morbus caducus, & aliæ infirmitates, quæ ex culpa hominis interdum, putà ex inordinato victu, vel ex defectu virtutis formatiuæ procedunt, minimè ſuſcepit, vt docet S. Thomas 3. *p.* *q.* 14. *art.* 4. quia vt inquit D. Athanaſius lib. de Incarnatione, *non decuit vt is qui ad tollendas infirmitates noſtras veniebat, ægritudines ſuſciperet.* Cùm ergo viri Apoſtolici ſpirituales hominum ægritudines verbi diuini debeant

D. Thom.

Ægritudines à peccatis procedentes non accepit Chriſtus, vt illas & peccata ab hominibus fugaret.

D. Athan.

A peccatis ſint liberi, qui à peccato recedere alios hortantur.

beant diſpenſatione ſanare, ab illis Chriſto conformes omninò debent eſſe immunes: nec poterunt homines ad jugum diaboli pœnitentiâ excutiendum inducere, ſi eorum animæ pondere peccatorum aggrauentur. Liberi à malo penitus eſſe debent, vt captiuis libertatem prædicatione impertiantur.

341. Semel iniquo jubente Rege, Apoſtolorum Princeps, Chriſtiani gregis Paſtor, Domini Ieſu Vicarius, in carcerem coniectus, duriſque vinculis colligatus, vniuerſâ Chriſtianorum precante cateruâ, cœlo aſſentiente, ac Saluatore imperante, ab Angelo nexibus ſolutus eſt. *Percuſſo latere Petri*, ait ſacer textus Act. 12. 7. *excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius.* Rectè quidem; non enim decebat, eum qui gregem verbo paſcebat, manuum colligatione teneri: immò cùm exemplo ac poteſtate, ſicut & ſermone Eccleſiam gubernaret, manus actionis ac authoritatis ſymbola, ab herode ligatas, Angelico, Deo jubente, miniſterio debuit habere ſolutas. Quod notaſſe videtur Thomas Bozius *lib. de ſignis Eccleſiæ*, dum inquit: *Namque manus, quæ nexus peccatorum, & ligamenta iniquitatum debebant ſoluere, catenis minimè debebant eſſe obnoxiæ.* Cùm igitur Dominici gregis forma factus ſit Petrus, caueant Euangelici Concionatores, ne dum ad diuinum verbum diſſeminandum eorum ora laxantur, manus peccatorum vinculis conſtringantur: ſed ſimul dum ora vera pronuntiant, pia ſanctaque manus operentur; nuſquam enim ad veram pietatem, morumque rectitudinem audientes commouebunt, niſi pij, ſanctique exiſtant. Vnde S. Hieronymus *ep. 83. ad Oceanum*, optimi oratoris diffinitionem optimam approbat, quâ dicitur, quod *orator eſt vir bonus, dicendi peritus.* Vbi primùm bonitas, deinde dicendi peritia in oratore deſideratur. Quæ cùm ita ſint in prophano ac forenſi oratore, potiori jure in ſacro Euangelij præcone morum ſanctitas ac bonitas vitæ requiruntur. Immò cùm, vt ibidem notat idem S. Hieronymus, Latinæ Eloquentiæ facilè Princeps Tullius, omnem facundiam in factorum cum verbis vnione conſtituerit, dicens: *Caput eſt artis dicere quod facias*; nullus diuinum cum fructu diſpenſabit verbum, niſi quod ſermone docet, bonis operibus exequatur. Vnde ibidem ſubdit Doctorum Maximus, *perdit authoritatem dicendi, cuius ſermo opere deſtituitur.* Et *ep. 2. ad Nepotianum*, inquit: *Non confundant opera tua ſermonem tuum. Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat.* Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent.

Angelo iubente catenæ de Petri manibus cadunt, quia actiones liberas & à nexibus peccatorum ſolutas Paſtor & Concionator debent habere.

S. Hieron. Definitio optimi oratoris.

Caput eſt artis dicere quod facias.

342. Dilectiſſimis ſibi diſcipulis Iacobo & Ioanni germanis, præſtantiſſimum Chriſtus impoſuit nomen, dum Boanerges appellauit, *Marc. 3. 17.* vbi dicitur, *Et impoſuit eis nomina Boanerges*, quod eſt, *filij tonitrui.* Singularis ſanè nomenclatura, ſed perſonis conuenientiſſima. Cùm enim filios Zebedæi eximios verbi ſui præcones Chriſtus inſtitueret, eximium ad tantum miniſterium exprimendum eis donauit nomen. Sicque præſtantiſſimi Concionatores filij tonitrui appellantur, quia fulgurant, coruſcant, ac fulminant. Sicuti enim antequam auribus percipiatur tonitru, fulgura ac coruſcationes oculis percipiuntur: ità prius Apoſtolici viri operum coruſcationibus & vitæ ſanctitatis fulgore oculos, quàm verborum ſonitu aures replent. Igitur Boanerges ſint ſinguli verbi Dei prædicatores, pietate luceant, ſanctitate coruſcent, zelo ſcintillent, verbis tonent, ac diuino charitatis ardore fulminantes, vitia abſumant, virtutemque in cordibus auditorum efforment.

Boanerges, ideſt filij tonitrui ſunt Concionatores, quia pietate ſimul & ſermone coruſcant.

Mirum ſanè eſt id quod legitur Exodi 20. *Legem dabat Dominus, & loquebatur Hebræis.* Et pronuntiatis omnibus Decalogi præceptis, dicitur quod *cunctus populus videbat voces*, ibid. 18. At quomodo voces videri poſſunt? Nonne ſonus qui in vocis prolatione ſentitur, auditus obiectum eſt, non viſûs, qui coloratum tantùm poteſt percipere. Cur ergo ſcriptum eſt, *cunctus populus videbat voces?* Meliùs expreſſum videretur, ſi dictum fuiſſet, *cunctus populus audiebat.* Attamen congruentiùs ſcriptum eſt, quod voces Dei videbantur, quàm ſi ſcriptum foret, quod audiebantur. Loqui enim Dei, agere eſt, eiuſque verba ab actionibus nequaquam diſcrepant: ita vt ſicuti actiones humanæ videntur, & verba hominum audiuntur, Dei ſermones actiones ſecum circumferentes potiùs videantur quàm audiantur. Ita exiſtimauit Philo Hebræus lib. de Decalogo. *Vox è medio*, inquit, *flamma intonuit, tam manifeſtè ſe ingerens, vt videre magis, quàm audire ſe putarent. Humana vox auditu, diuina viſu percipitur. Quare? Quia quæcumque Deus dicit, non verba ſunt, ſed opera, quorum judicium non tam eſt penes aures, quàm penes oculos.* Hæc ille. Ex quibus manifeſtè colligitur, quod ille qui legem Dei annuntiat, eiuſque verba prædicat, auditorum oculis opera bona potiùs, quàm auribus vacua verba debet exhibere: eius videantur voces, magis quàm audiantur; & ſe diuinum gerens miniſtrum, Dei præcepta magis intimet manu quàm linguâ; & vberiorem doctrinam pietate quàm loquelâ largiatur. 343.

Voces quomodo poſſunt videri.

Verba Dei ab actionibus non diſcrepant, & ideo ſimul videntur. Philo.

Voces Prædicatorum videntur, dum eorum opera bona refulgent.

Noë virum juſtum atque perfectum Concionatoris partes obiiſſe tradunt Interpretes non contemnendi, docentque ſancti Patres. Ille etenim qui cum Deo ambulauit, fraternæ charitatis ardore ſuccenſus inſtantem generis humani per diluuium ruinam, vt peccatores ad meliorem frugem adduceret, & pœnitentiâ Dei iram placarent, haud dubium annuntiauit. Verùm in ſacris Codicibus huius Noëmi prædicationis nec vel minima ſit mentio, ſi de prædicatione quæ ſolâ vocis prolatione pronuntiatur, ſit ſermo: nobiliori enim modo, & non loquendo, ſed operando, nempe arcam fabricando, diluuium prædicaſſe legitur. Nam poſtquam Deus ipſi arcam fabricare præcepit, dicens: *Fac tibi arcam de lignis læuigatis*, Gen. 6. 14. ſtatim operi manum admouit, videntibus ac ſpectantibus impiis, & obſcœnis hominibus; cunctaque quæ Deus mandauerat, obſeruauit in arcæ fabricatione. Nam vt ibidem 22. legitur, *Fecit Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.* Hoc planè modo faciendo omnia quæ præceperat ei Deus, potiùs quàm loquendo, vel clamando prædicauit. Vnde D. Auguſtinus *ſerm. 69. de temp.* ait: *Noe etſi tacebat voce, opere loquebatur: ſilebat linguâ, fabricatione clamabat.* Tanti viri zelum ſacri imitentur Concionatores, & linguâ manuque, hoc eſt verbo & actione, peccatoribus, qua irati Numinis vindictam declinent, arcam myſticam ſtudeant fabricare. Immò potiùs exemplis doceant, quàm verbis; adeo vt etiam ſine verbis prædicent, & ſine ſermone loquantur. Sic egit Magnus ille Baſilius, de quo S. Gregorius Nazianz. *orat. 20.* inquit, *quod non modo loquendo, ſed* 344.

Noë Concionator.

Non loquendo, ſed operando, & arcam fabricando.

D. Auguſt.

Tacebat voce, opere loquebatur.

[1] Sine verbis interdum prædicandū. *Greg. Naz.*

ſed etiam tacendo monitoris partes obibat. Cùm enim eius vita ſanctimoniæ ſplendore fulgeret, eius coruſcabant actiones, omneſque, à quibus videbantur, luce pietatis replebant. At dum opera Baſilij fulgebant, tonabant, fulminabantque ſermones; quoſque actibus illuſtrabat, terrebat verbis, & ab iniuſtitiæ ſemita ad juſtitiæ viam reducebat. Hinc præfatus Nazianzenus in eius epitaphio ait: *Baſily oratio erat tonitru, quia vita erat fulgur.*

Oratio Baſilij erat tonitru, quia vita erat fulgur.

345. Quiſquis ergo cœleſtis doctrinæ diſpenſator exiſtit, vitæ fulguret ſanctimoniâ, vt ipſo poſſit ſermone tonare. Si enim de *throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*, vt legitur *Apoc. 4. 5.* à Deo miſſi Euangelici Concionatores morum ſplendore fulguant antequam loquantur, vt dum poſt coruſcationes voces dabunt, non ſolùm verba proferant, ſed tonitrua. Etenim cùm juxta Quintilianum *lib. 2. cap. 16.* pulchrum ſit oratori tantùm aſſequi laudis, *vt non loqui, non orare, ſed quod Pericli contigit, fulgurare, & tonare videatur*; Prædicatori neceſſum eſt, vt eius ad auditores verba tonitrua & fulmina videantur. Verùm nec tantùm Apoſtolicorum virorum ſermones, ſed & ipſi Apoſtolici viri tonitrua in ſacris litteris appellantur. *Loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*, inquit S. Ioannes *Apoc. 10. 3.* Rectè quidem, quia ſicuti tonante cœlo eiaculantur fulmina quæ ab ipſo tonitru videntur oriri: ita ab Apoſtolicis Concionatoribus, tanquam à tonitruis fulminantia verba procedunt. Vnde juxta D. Thomam & gloſſam ibidem, Prædicatores dicuntur tonitrua ratione terroris quem inferunt, comminando ſupplicia. At nocent plerumque hominibus fulmina à nubibus magno fragore emiſſa: non nocent, immò proſunt quæ ab ore veniunt Prædicatorum. Quædam eſſe fulmina, quæ in venenatis ſerpentibus venenum extinguant, ipſis ſerpentibus illæſis, refert Simon Maiolus ex Seneca Philoſopho *colloqu.* 1. Planè bis ſimilia ſunt prædicantium verba: fulmina ſunt, ſed in prauis ac ſceleratis hominibus peccatorum venena penitus abſumentia, & virtutum germina producentia, ac ſedulò conſeruantia. Sicuti autem, vt notant Philoſophi, res duras comminuunt fulmina, quæ mollibus parcunt: ita Euangelici Concionatores debent arrogantes frangere, & ſuperbos conterere: humiles autem fouere, afflictos conſolari, debiles roborare, bonoſque recreare.

De throno exibant fulgura & voces & tonitrua, & quare. *Quintil.*

Ipſi Concionatores tonitrua.

Fulmina ſerpentum abſumunt venena, illæſis ſerpentibus.

346. Præterea ſicuti ad terrorem hominibus incutiendum aptiſſima ſunt tonitrua; viri dum prædicant Apoſtolici peccatoribus non leue ſint terriculamentum: verborum floſculis aures non demulceant auditorum, nec vanis ſententiarum inutilium diſpoſitionibus, aut carminibus titillent; ſed potenti ſermone, ac verborum diuinorum fulminibus ſaucient. Meminerint, Apoſtolis non floridas, ſed igneas linguas ſimul cum Spiritu ſancto conceſſas: ac conſequenter non floridum, ſed igneum ſermonem Eccleſiæ Chriſti tradendum eſſe. Nam vt ait S. Bernard. *ſerm. 1. Pentecoſt.* Spiritus ſanctus venit ſuper diſcipulos in linguis igneis, *vt verba ignea loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicarent.* Vnde inclytus ille Cardinalis S. Petrus Damiani *lib. 6. ep. 17.* ait: *Si vis vocem habere vel in prædicationibus intonantem, vel in orationibus efficacem, ſatage ſemper, vt te diuinus feruor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat.* Dum enim feruida verba tanquam fulmina ex Concionatorum oribus in audientes exeunt, bonorum corda ſuccendunt, malorum animas purgant, & ipſos ſaltem terrent obſtinatos. Ita fulgurabat, tonabat, immò & fulminabat Paulus Apoſtolus, qui corde & ore ſacrum diuini verbi ſemen fidelibus exponebat. *Os noſtrum*, inquit, *patet ad vos, ô Corinthij; cor noſtrum dilatatum eſt.* 2. Cor. 6. 11. zelumque quo deflagrabat, non ſolùm loquendo demonſtrabat, ſed etiam ſcribendo exarabat, ita vt ipſum ſuis in epiſtolis fulgurantem ac tonantem longo poſt eius mortem interuallo Sanctus Hieronymus audierit; ait enim in Apolog. ad Pammach. epiſt. 50. *Paulum Apoſtolum quotieſcumque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* Verùm cùm neſcio quid latentis energiæ viua vox habeat, vt loquitur idem D. Hieron. *ep. 103. ad Paulinum*, quæ tonitrua, quæ fulmina ex ore Pauli prodibant, cùm ex eius ſcriptis ea prodire ſanctus hic Doctor aſſeruerit? Sanè toties tonabat, quoties loquebatur; totieſque audientes terrebat, quoties prædicabat. Eius verbis tanquam ingenti quodam tonitru percuſſus fuit Præſes ille, de quo *Act. 24. 25.* habetur: *Diſputante autem Paulo de juſtitia & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix.* Et ideo terrentem Apoſtolum ampliùs noluit audire. Magiſtrum gentium imitentur ſinguli Concionatores; & quos ab iniquitate reuocare nequeunt, ſaltem verbi Dei fulminibus terreant leonum more, qui rugiunt vt rapiant, & belluas quas curſu conſequi non valent, rugitu tremefaciunt & ſiſtunt, vt notat S. Ambroſius *lib. 6. Hexaemer. c. 3.* Ita ſermonis Dei præcones, quos nequeunt ſupplicijs coërcere, ſaltem clamoribus terreant ac refrænent.

Audientes terreant Concionatores.

Non floridas, ſed igneas Spiritus ſanctus Apoſtolis conceſſit linguas, & cur.

S. Petr. Dam.

Concionatorum voces feruidæ ſint & tonantes.

Tonabat Paulus, cuius voces non verba erant, ſed tonitrua.

D. Hieron.

Felicem terruit loquens de juſtitia & caſtitate & de judicio.

Tonitrua denique non ſemper fulmina mittunt: quædam ſunt quæ inſtantis pluuiæ certiſſima præſagia adducunt, & tunc igneis coruſcationibus aquarum inundationes protenduntur. His ſanè ſignificatur, Concionatores interdum à fulminum eiaculatione ceſſare, vt myſticas ac ſpirituales peccatorum cordibus pluuias concedant: dum enim verborum fulgore intima audientium illuſtrant, eos ad gemitus ac fletus emolliunt. Quod à Pſalmiſta dictum eſt, *pſal. 134. 7. Fulgura in pluuiam fecit.* Vt enim poſt fulgura pluuiæ; ita poſt prædicatoris verba, auditoris lacrymæ ſubſequuntur. Hinc patet cur Apoſtolici viri nubibus & columbis ab Iſaia comparantur, *cap. 60. 8.* vbi de eis dicitur: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Quia ſcilicet ſicut à nubibus arenti ſolo congruæ pluuiæ diſpenſantur, & columbæ gemitum habent pro cantu: ita à prædicatorum fulgentibus verbis myſtici fletuum imbres arentes in conſcientias effluunt peccatorum; & à ſuſpirijs ac gemitibus illorum auditores ad fletus & gemitus prouocantur. Illa, illa eſt vox, non ſolùm columbæ, ſed turturis, quæ ſtatim ac in terra auditur, illam irriguis ſuperioribus & inferioribus ditat, hoc eſt internis & externis lacrymis abluit & fœcondat. Vnde D. Bernardus *ſerm. 59. in Cant.* ait: *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat: ſi perſuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando ſtudeas. Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, priùs cognoſceris perſuaſiſſe.* Hinc D. Hieronymus ad Nepotianum, 347.

Tonitrua interdum non fulmina, ſed flumina, hoc eſt pluuias mittunt.

Prædicatores ad lachrymas moueăt auditores.

Ideo nubes & columbæ appellantur.

Vox turturis eſt vox illorum.

D. Bernard.

D. Hieron.

Nepotianum, quem optimum verbi Dei declamatorem efformare cupiebat, inquit: *Doceme te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacryma auditorum laudes tua ſint.*

Feruidi Concionatores non paruum fructũ afferunt.

His exornati dotibus diuini verbi diſpenſatores, vberrimos in Eccleſia Dei colligent fructus: ſapientes erunt, alioſque reddent ſapientes: lucebunt, & omnes audientes colluſtrabunt: accedent ad Deum, & alios adducent: ſanctificabuntur, aliiſque non modicam offerent ſanctitatem: & tandem vt plura vno verbo complectar, loquentur vt oracula, & vt oracula audientur, ſi viuant vt numina. Nam vt aliàs dixit

Greg. Mag.

D. Gregorius: *Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur.* Nec poteſt in aliis ſpiritualia peccatorum curare vulnera, qui ipſis delictis inuenitur ſauciatus. Seipſum prædicando damnaret, ſi in ſe ea quæ in aliis arguit, poſſideret. Vt ergo alios corrigat, à cunctis penitus

Verba illorũ ſint ſtimuli.

vitiis ſit immunis. Inter illos annumeretur, de quibus ſcriptum eſt: *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* Eccl. 12. 11. Quod exponens D. Gregor. *lib.* 24. *Moral. cap.* 9. ait: *Rectè Prædicatorum verba claui vocata ſunt; quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere.*

Sectio II.

Vtrum omnes Sacerdotes æqualis ſint dignitatis, & an rectè alij maiores, nempe Epiſcopi: alij minores, ſcilicet ab ipſis dependentes Presbyteri, diſtinguantur.

Sacerdotes Eccleſiæ aſtra.

348. STellam à ſtella in claritate differre tradidit gentium Apoſtolus, 1. *Cor.* 15. 41. Cùm ergo Sacerdotes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, & ex quorum ore legem requirunt, tanquam Eccleſiæ firmamenti aſtra myſtica refulgeant; nam *qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, vt dicitur *Daniel.* 12. 3. diuerſo micant ſplendore, ac differenti dignitate decorantur. In duas ab initio naſcentis Eccleſiæ diſtribuii ſunt claſſes. Alij militiæ Chriſtianæ veluti Duces, inferiorum Sacerdotum Principes, maiores Sacerdotes, necnon Epiſcopi dicti ſunt, ac in gradu nobiliori collocati: alij ſuperioris ordinis Sacerdotum aſſiſtentes, minorum Eccleſiarum adminiſtri, Sacerdotes communes, ac ordinarij Presbyteri appellati ſunt, ac poſt Epiſcopos gradum obtinuerunt. Vtriſque Epiſcopi nomen aliquando commune fuit, ſed cuilibet illorum ſingulare officium nuſquam commune extitit. Contrarium ſentiunt Nouatores, & Epiſcopi titulum ac miniſterium omnibus indiſcriminatim Sacerdotibus competere exiſtimant. Sed quàm toto cœlo à veritate aberrent, ex infrà ſubjiciendis patebit. Vt autem clariùs pateat eorum ſententiam omni carere fundamento, altiùs res conſideranda eſt, & quædam quæſtioni quæ nunc ventilatur, connexa, neceſſariò ſunt enucleanda.

In duas diſtributi claſſes.

Alij maiores ſcilicet Epiſcopi, alij minores, nempe Preſbyteri ordinarij. Vtriſque aliquando nomen Epiſcopi commune.

349. Primò igitur dicimus, in Eccleſia Chriſtiana maiores eſſe Sacerdotes, qui meritò Epiſcopi appellantur, à Chriſto Domino immediatè inſtitutos, & aliis minoribus Sacerdotibus ab eodem Saluatore prælatos. Duplici ex parte noſtra hæc conſtat propoſitio: vtramque ſigillatim ſtatuemus.

350. Prima igitur noſtræ aſſertionis pars, ſcilicet majores Sacerdotes, nempe Epiſcopos, à Chriſto Domino immediatè inſtitutos eſſe, probatur. Ab illo inſtituti ſunt maiores Sacerdotes, qui Epiſcopi, hoc eſt ſuperſpeculantes, ſuperintendentes, ſuperuigilantes dicti ſunt, à quo Apoſtoli electi & nominati ſunt; quia ipſis Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi: qui autem in locum Magiſtratus alicuius ſufficiuntur, ab eo cenſentur inſtituti, à quo & ipſe magiſtratus: vnde S. Hieron. *ep.* 54. *ad Marcellam*, inquit: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent.* Et *ep.* 1. *ad Heliodorum*, de Epiſcopis ſic loquitur: *Abſit vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Sed à Chriſto Domino immediatè electi ac nominati ſunt Apoſtoli: ipſis immediatè dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. 19. & eiſdem immediatè dixit Ioan. 20. 21. *Sicut miſit me pater, ſic ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Ergo & à Chriſto Domino immediatè Epiſcopi in Apoſtolis inſtituti ſunt.

Chriſtus maiores Sacerdotes, hoc eſt Epiſcopos inſtituit.

Nec nomen Epiſcopi recens eſt, ſed à Domino, ſicut & eius officium, inſtitutum. Nam Scripturæ teſtimonio Apoſtolatus nominatus eſt Epiſcopatus. Illud enim quod *pſal.* 108. ſcriptum eſt, *Et Epiſcopatum eius accipiat alter*, hoc ad Iudæ proditoris Apoſtolatum retulit D. Petrus, dum apud centum viginti fratres de ſufficiendo aliquo in locum Iudæ habuit concionem. Cùm ergo Mathias ſuper quem ſors cecidit, in Iudæ Epiſcopatum ſubrogatus ſit, dum eius recepit Apoſtolatum; planè conſtat ipſum æquè dictum eſſe Epiſcopum, ſicut Apoſtolum; cæteroſque tantæ dignitatis poſſeſſores, Epiſcopos fuiſſe appellatos, præſertim cùm alicuius ciuitatis Eccleſiam, in qua functiones Epiſcopales exercerent, regendam ſuſciperent. Vnde Hieron. *lib. de Scriptor. Eccleſ.* ait, *Iacobum Apoſtolum ſtatim poſt Aſcenſionem Domini, Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe ordinatum.* Sicut autem Apoſtoli dicti reperiuntur Epiſcopi; ita qui Eccleſiis præficiebantur Epiſcopi, nominabantur Apoſtoli. Sic enim Epaphroditus Eccleſiæ Philippenſium Epiſcopus, à Paulo *Philip.* 2. 25. Apoſtolus appellatur. Sic etiam Andronicus, & collega Iunias, eius cognati, quia erant Epiſcopi, nobiles in Apoſtolis ab eodem Paulo fuiſſe dicuntur, *Rom.* 16. 8. vbi habetur: *Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* Alioſque his ſimiles 2. Cor. 8. 23. *Apoſtolos Eccleſiarum* appellat. Ex quibus omnibus liquet, Epiſcoporum officium & nomen non ab hominibus adinuenta, ſed à Chriſto Domino inſtituta fuiſſe: nuſquam enim Petrus, cui æterna myſteria ab æterno Patre reuelata ſunt: nec Paulus, qui in tertium raptus cœlum, arcana audiuit verba, quæ non licet homini loqui, Apoſtolatum Epiſcopatum nominaſſent, nec Epiſcopis Apoſtolorum nomina impoſuiſſent, niſi eos Chriſtus ingenti bonitate hæc nomina docuiſſet. 351.

Antiquum Epiſcopi nomen.

Apoſtolatus dictus eſt Epiſcopatus.

Epiſcopi dicti Apoſtoli.

Secunda autem propoſitionis noſtræ pars, ſcilicet Epiſcopos Presbyteris ſeu communibus Sacerdotibus jure diuino fuiſſe prælatos, ſic ſuadetur. Primò quidem, quia duodecim Apoſtoli à Chriſto Domino ſeptuaginta diſcipulis prælati ſunt, vt ex ipſo Euangelij contextu paſſim liquet, & docet S. Ioan. Chryſoſtomus *hom. de prodit. Iudæ*, exponens illud Matth. 26. 14. *Tunc abiit vnus de duodecim.* Vbi eleganter, vt 352.

12. Apoſtoli 72. Diſcipulis prælati.

D. Chryſoſt.

aſſulet, inquit: *Septuaginta diſcipulis non tam interiora commiſſa ſunt. Hac erat caterua regalis; de hoc choro Iudas egreſſus eſt.* Atqui Presbyteri communes ſeptuaginta ſuccedunt diſcipulis; Apoſtolis verò Epiſcopi, vt in confeſſo eſt apud omnes. Ergo ſicuti Apoſtoli ex Chriſti inſtitutione ac vocatione maiores erant ſeptuaginta diſcipulis: ita ex eadem inſtitutione Epiſcopi maiores ſunt Presbyteris.

Apoſtolis Epiſcopi, & diſcipulis Presbyteri communes ſuccedunt.

353. Secundò, quia apud antiquiſſimos Eccleſiæ Patres ſemper Presbyteris ſuperiores dicuntur Epiſcopi. D. Ignatius Apoſtolorum ſynchronos, *in epiſt. ad Tharſenſes*, inquit: *Presbyteri Epiſcopo ſubditi eſtote, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis.* Et *in ep. ad Philadelphos*, ait: *Boni ſunt Sacerdotes ſermonis miniſtri; melior autem Pontifex, cui tradita ſunt ſancta ſanctorum, & cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta Dei.* D. Dionyſ. Areopagita Athenis ab Apoſtolo Paulo Chriſtianæ Religioni aggregatus, cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: *Pontificum*, inquit, *ordo primus, qui purgat, illuminat, & perficit. Sub illo autem ordo Sacerdotum purgat, & illuminat, non verò perficit: miniſtrorum verò tantùm purgat.* S. Clemens Petri in Epiſcopatu Romano ab eodem Petro deſignatus ſucceſſor, in canonibus Apoſtolorum, can. 40. *Presbyter*, inquit, *& Diaconi, præter Epiſcopum nihil agere pertentent: nam Domini populus illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.* Et tandem Tertullianus *lib. de Baptiſmo, cap. 17.* ait: *Ius habet dandi Baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi authoritate.* Vnde Sacerdotibus Epiſcopos ſuperiores eſſe, ac Apoſtolorum ſucceſſores, definitum eſt in Concil. Conſtantienſi, in Bulla Martini V. contra errores Ioan. Vuiclef: & in Concilio Trident. *ſeſſ. 23. cap. 4.* vbi *can. 7.* dicitur: *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, &c. anathema ſit.*

Antiquiſſimi Patres docent Epiſcopis Presbyteros ſubjici.
D. Dion.
Conc. Conſt.

354. Tertiò, quia vt docet S. Thomas *ſupplem. q. 40. art. 4. in arg. Sed contrà*, diuina miniſteria debent eſſe magis ordinata quàm humana: ſed humanorum officiorum ordo exigit, vt in quolibet officio præponatur vnus qui ſit princeps illius officij; ſicut militibus præponitur Dux, & inferioribus artificibus architectus, qui princeps operis dicitur. Ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi, qui ſit Sacerdotum princeps; & hic eſt Epiſcopus. Ergo Epiſcopalis poteſtas debet eſſe ſupra Sacerdotalem.

Ratione conſtat.

355. Quartò ex eodem S.D. *loc. cit. in corp. articuli*: Omnis poteſtas, quæ non poteſt exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, dependet ab illa poteſtate, quæ illas ordinationes facit: Sed Sacerdos non poteſt abſoluere & ligare, niſi præſuppoſitâ prælati juriſdictione, quâ ſibi ſubdantur illi quos abſoluit: Ergo poteſtas Sacerdotalis ab Epiſcopali dependet, & illi inferior eſt, immò ab illa oritur: nam in Eccleſiaſtica Hierarchia, vt ait Dionyſius loco citato, *primus eſt Pontifex, à quo omnis ſacra poteſtas ad inferiora deriuatur.*

Sacerdos non poteſt abſoluere ſine Epiſcopi licentia.

356. Quintò: Ille eſt ſuperior in Eccleſia, qui ſecundùm maiorem perfectionem Chriſtum repræſentat: Chriſtus enim exemplar eſt omnium officiorum Eccleſiaſticorum, & quilibet miniſter Eccleſiæ, quantùm ad aliquid gerit typum Chriſti. Atqui Sacerdos repræſentat Chriſtum in hoc quod per ſeipſum aliquod miniſterium impleuit: Epiſcopus autem in hoc, quod alios miniſtros inſtituit, & Eccleſiam fundauit. Vnde ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid diuinis officiis, quaſi cultum diuinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuens: & propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter *Sponſus Eccleſiæ* dicitur, ſicut & Chriſtus. Vnde ſicut olim in veteri Teſtamento Aaroni tanquam principi Sacerdotum ſubdebantur eius filij, & alij: ita in Eccleſia Presbyteri, & alij inferiores miniſtri, filiis Aaronis & Leuitis reſpondentes, ſunt inferiores Epiſcopo, qui Aaronis locũ tenet.

Epiſcopus magis exprimit Chriſtũ quàm inferior Sacerdos.

Epiſcopus ſponſus Eccleſiæ.

Nihilominus contra propoſitionem noſtram inſurgunt Nouatores Aërij ſententiam, de qua S. Auguſtinus *hæreſi 53.* & D. Epiphanius *hær. 75.* propugnantes. Epiſcopi & Presbyteri iidem ſunt, vt docet Apoſtolus ad Philip. 1. *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus Sanctis qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus.* Vbi Presbyteri vocantur Epiſcopi; non enim in vna vrbe multi fuiſſent Epiſcopi, ſi Epiſcopi nomen ſummum aliquem Sacerdotem ſignificaret. Et 1. *Tim. 4.* ait: *Noli negligere gratiam Dei, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* Vbi Epiſcopatum, ad quem aſſumptus fuit Timotheus, vocat Presbyterium. Et *Act. 20.* idem Paulus vocauit ad ſe maiores natu Eccleſiæ, ideſt Presbyteros: & tamen dum eos alloquitur, Epiſcopos appellat. *Attendite* (inquit) *vobis & vniuerſo Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam.* Ergo Epiſcopi non ſunt maiores Sacerdotibus. 357.

Inſtant nouantes.

Verùm parum vrgent iſta, nec vnquam Apoſtolus docuit inferiores Sacerdotes Epiſcopis eſſe æquales. Vnde vt eius mens in locis allatis omninò aperiatur, aduertendum eſt, Apoſtolorum tempore Epiſcopi & Presbyteri vocabula communia fuiſſe omnibus Sacerdotibus, tam maioribus, quos nunc Epiſcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus: licèt res ipſæ & poteſtates ac officia diſtincta eſſent. Et ratio communitatis nominis vtriſque Sacerdotibus, tam maioribus, quàm minoribus oriri potuit ex poteſtate conſecrandi, ſacrificandi, & à peccatis abſoluendi, quæ in omnibus illis æqualis eſt; idem enim eſt Sacerdotium, prout eſt ſeptimus & ſummus ordo, in Epiſcopis & inferioribus Presbyteris: quamvis in dignitate & poteſtate juriſdictionis, & authoritate Pontificia, Presbyterum ſeu Sacerdotem præcellat Epiſcopus. Ex quibus patet, non eſſe mirum, Paulum Presbyteros appellaſſe Epiſcopos, & Presbyterium dixiſſe Epiſcopatum, ad quem Timotheus aſſumptus fuit. Attamen juxta multos Eccleſiæ Patres Presbyterium *loc. cit.* pro cœtu ſeniorum ſeu Epiſcoporum, qui nouo Epiſcopo manus imponunt, accipitur. 358.

Refelluntur.

Nomen Epiſcopi commune maioribus & minoribus ſacerdotibus, quia omnes æqualiter, conſecrant, ſacrificant, & abſoluunt.

Tamen in juriſdictione præſunt maiores minoribus.

Opponunt inſuper aduerſarij teſtimonium S. Hieronymi, quo Doctorum maximus Epiſcoporum ſupra Presbyteros authoritatem, non à Chriſto, ſed ex humana conſuetudine ipſis fuiſſe conceſſam docere videtur. *Nam in caput 1. ep. ad Titũ*, inquit: *Olim idem erat Presbyter qui Epiſcopus, & propter ſchiſmata cõſuetudine potiùs, quàm Dominicâ inſtitutione factũ eſt, vt Presbyteris præeſſent Epiſcopi.* 359.

Vrgent ex Hieronymo.

Verùm in verbis allatis nuſquam ſententiam aduerſariorum docuit Hieronymus, ſed tantùm voluit olim communi conſenſu, ſpiritu & zelo magis, quàm hierarchico ordine & imperio Presbyteros rexiſſe Eccleſiã, conniuentibus Epiſcopis: 360.

Confutatur.

ſimul

ſimul enim Presbyteri cum Epiſcopis ad negotia Eccleſiæ pertractanda congregabantur, vt patet ex actis Apoſt. cap. 15. 4. *Cùm autem veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, ac ſenioribus.* Ac rurſum: *Conuenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*, ibid. 7. & 22. Ibid. dicitur: *Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia.* Et in literis ab Apoſtolis ex Concilio Hieroſolymitano Antiochiam miſſis hæc habetur inſcriptio, Act. 15. 23. *Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochia & Syria.* Vbi qui ſeniores dicuntur, ij fuere Presbyteri, vt nomen ipſum declarat, qui Apoſtolis & Epiſcopis in Eccleſiæ regimine coniungebantur. Tunc enim par erat Apoſtolorum ſeu Epiſcoporum, & Presbyterorum ſeu Sacerdotum ordinatio; ſimul in Conciliis ſedebant, & vtriſque commune erat Epiſcoporum nomen. Factum eſt igitur (quod ait D. Hieronymus) vt eo perſeuerante ordine, ante oborta ſchiſmata, communi Presbyterorum Concilio Eccleſiæ gubernarentur. Sed paulò poſt cùm orirentur diſſenſiones, vt patet 1. *Cor.* 1. 12. & 1. *Tim.* 5. 19. ob ſuperbiam & ſchiſmata Presbyterorum, Apoſtoli ſeu Epiſcopi ſuum primatum reſumpſerunt, & ſecluſis Presbyteris Concilia celebrarunt, & communem Eccleſiæ rem adminiſtrarunt. Sicque factum eſt, vt qui in nonnullis æquales Epiſcopis viderentur, poſtea illis in omnibus ſubiecti eſſent. Et hoc eſt quod vult Hieronymus, ſcilicet quod *conſuetudine potiùs quàm dominicâ inſtitutione* in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis Presbyteri ſubiecti eſſent Epiſcopis, nec ad communem conſeſſum, vbi de negotiis Eccleſiæ ageretur, ampliùs admitterentur.

Epiſcopi & Presbyteri ſimul agebant & ſedebant, & eodē nomine vocabantur.

Sed ob diſſenſiones, gradum ſuū Epiſcopi ſupra Presbyteros reaſſumpſerunt.

361. Hæc autem conſuetudo ipſis Apoſtolorum cœpit temporibus, eorumque fuit authoritate firmata. Cùm enim Paulus Timotheum Epheſinum Epiſcopum moneat, *ne aduerſus Presbyterum accuſationem recipiat, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus*, euidenter oſtendit, Timothei Epiſcopi fuiſſe munus Presbyteros judicare, ac proinde illos poteſtate ac dignitate ſuperaſſe; par enim in parem non habet imperium. Inſuper idem Apoſtolus Titum Cretenſem Epiſcopum monet, *Tit.* 1. 3. vt conſtituat *per ciuitates Presbyteros*, quos appellat *Epiſcopos*, vt ſuam ſupra Sacerdotes Epiſcopalem authoritatem demonſtret.

Quod tempore Apoſtolorum factum eſt.

Apoſtolus ſcribit Tito Epiſcopo, vt Presbyteros conſtituat per ciuitates.

362. Semper autem in Eccleſia Presbyterum tanquam inferiorem ſibi tum in poteſtate ordinis, qui in Epiſcopo extenſionem & vltimum habet complementum, non verò in Presbytero: tum etiam in juriſdictione, quæ ab Epiſcopo dimanat ad Sacerdotem, ſuſpexit Epiſcopus. Vnde & ab Eccleſiæ initio ſolius Epiſcopi fuit miniſtros ac Presbyteros ordinare, baptizatos confirmare, conſecrare virgines, & alia huiuſmodi præſtare, quæ nequit Sacerdos peragere. Vnde à SS. Patribus Epiſcopi dicuntur *Patrum progenitores*, quia ſpiritualiter ordinatione generant Sacerdotes, qui Baptiſmo, & verbi diſpenſatione, filiorum Eccleſiæ patres nominantur. In qua ſententia perpetuus fuit Hieronymus, qui non ſolùm Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, ac conſequenter Presbyteris prælatos appellauit, vt ſuprà oſtendimus; ſed ipſum Epiſcopum maiori dignitate ſublimem ſupra Presbyterum *ep.* 85. *ad Euagrium*, docuit, dum ipſi altiorem in ſedendo locum conceſſum, & ſublimius manuum impoſitione miniſterium eſſe tradit. Nam de eminentiori ſede ad modum throni ait: *Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collatum, Epiſcopum nominant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat.* Et D. Auguſtinus in pſalm. 126. tom. 8. *Altior*, inquit, *locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum.* Deinde de manus impoſitione ſic loquitur Hieronymus: *Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* De Confirmatione autem quæ à ſolo Epiſcopo ſemper baptizatis in Eccleſia tradita fuit, ſic loquitur D. Hieronymus contra Luciferianos: *Quod ſi hoc loco* (inquit) *quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui? Diſce hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit. Denique*, ſubdit, *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Inde euenit, vt ſine chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque Diaconus jus habeat baptizandi.* Hæc Hieronymus. Ex quibus liquet ipſum Epiſcopum Presbyteris jure diuino prælatum ſemper exiſtimaſſe.

Epiſcopi ab initio ſupra Presbyteros, quia Presbyteros ordinant, baptizatos confirmant, virgines conſecrant, templa dedicant, &c.

D. Hieron.

Sedes altior conceſſa Epiſcopo.

Ipſum Presbytero prælatum docet Hieronymus.

Vt autem clariùs pateat, ante quælibet exorta ſchiſmata, Epiſcopos in Eccleſia Sacerdotibus eſſe prælatos, notandum occurrit id quod narratur *Act.* 8. nempe quod licèt à Philippo baptizati eſſent Samaritani, tamen ad imponendum manus ſuper ipſos, vt acciperent Spiritum ſanctum, miſſi ſunt Petrus & Ioannes, quia hoc dumtaxat Apoſtolorum ſeu Epiſcoporum munus erat. 363.

§. I.

An Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Maiores ſanè omnibus inferioribus Presbyteris Epiſcopos, ipſiſque jure diuino prælatos hactenus oſtendimus: verùm vt omni ex capite veritas pateat, vtrum communibus Sacerdotibus peculiari ordine ac ſacramēto præcellant Epiſcopi; & an Epiſcopatus diſtinctum à Presbyteratu ordinem conſtituat, debemus inueſtigare. Hanc circa difficultatem Theologorum diuiſa eſt ſententia. Quidam enim, inter quos Durandus, Caietanus, Petrus à Soto, Bellarminus & Valentia præcipuum obtinent locum, Epiſcopatum diſtinctum à Sacerdotio ordinem eſſe putarunt: alij autem antiquiores ac maioris nominis, nempe Magiſter Sententiarum *in* 4. *diſt.* 24. *litera L*, S. Thomas *ſupplem.* 3. *p. q.* 40. *art.* 5. B. Albertus Magnus, D. Bonauentura, Scotus, aliique celeberrimi Theologi etiam moderni contrariam ſententiam tuentur, cui & nos libenter ſubſcribemus. 364.

Samaritani à Philippo baptizati, à Petro & Ioanne Apoſtolis & Epiſcopis recipiunt Spiritum ſanctum & Confirmationem.

Epiſcopatus igitur non eſt ordo diſtinctus à Sacerdotio, ſed ipſius Sacerdotij extenſio, eiuſque excellentiſſimum complementum. Authoritate, & rationibus hic dicendi modus à nobis ſtabilitur. 365.

Epiſcopatus non eſt ordo, ſed complementum ſacerdotij.

Primò quidem inclyti Cardinalis S. Petri Damiani teſtimonio comprobatur: nam *opuſc.* 6. *cap.* 15. inquit: *Ad inſtar ſeptem donorum Spiritus ſancti ſeptem ſunt Ordines Eccleſiaſticæ dignitatis. Quod autem iis omnibus gradibus adhuc & alij præferantur,* 366.

S. Petr. Dam.

Quod docet eleganter Petrus Damiani, & Concil. Trident.

ferantur, vt ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, non tam nouus Ordo ſuſcipi, quam in eodem Sacerdotio ipſi videntur excellentiùs ſublimari. Hæc ille: vbi expreſsè noſtram ſententiam docet. Idem à Concilio Trident. colligitur, vbi *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *&* 2. *& can.* 2. Septem tantùm recenſentur Ordines, incipiendo à Sacerdotio tanquam à maiori, nullâ factâ mentione Epiſcopatus: ſi autem Epiſcopatus eſſet Ordo, inter Ordines primus à Concilio poſitus fuiſſet.

Ratione ſuadetur.

367. Sed ratio ſuadet quod jam eſt authoritate ſtatutum. Diſtinctio Ordinum ſumitur ex vario reſpectu, quem dicunt ad Euchariſtiam, ad quam vt ad finem ordinantur, vt patet in Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu, & quatuor Minoribus: atqui Epiſcopatus nullum ad Euchariſtiam dicit reſpectum diſtinctum ab illo quem dicit Sacerdotium: non enim poteſt eam magis conſecrare Epiſcopus, quàm ſimplex Sacerdos: ergo Epiſcopatus non eſt ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Epiſcopatus eſt apex Sacerdotij.

368. Præterea, ſi Epiſcopatus eſſet ordo ſpecie diſtinctus à Sacerdotio, vel illi eſſet par & æqualis, vel ſuperior, vel minor: atqui non poteſt eſſe par, quia diuerſæ eſſentiæ rerum non poſſunt eſſe æqualis perfectionis; ſe habent enim ſicut numeri, quibus ſi addatur aliqua vnitas, neceſſariò variantur, & fiunt inæquales: nec ſuperior poteſt eſſe character Epiſcopalis Sacerdotali, quia poteſtas in corpus Chriſti naturale propria Sacerdoti, præſtat poteſtati in corpus myſticum, quam Epiſcopatus addit. Nec tandem inferior, quia non conuenit; cùm Epiſcopatus ſit apex Sacerdotij, & Epiſcopus ſupremum Sacerdotij gradum occupet. Ergo Epiſcopatus non poteſt eſſe ordo à Sacerdotio diſtinctus.

Vnus ordo à præcedenti non dependet, quantū ad neceſſitatem ſacramenti.

369. Denique vnus ordo non dependet à præcedenti, quantùm ad neceſſitatem Sacramenti: vnde qui ante Diaconatum ordinaretur Sacerdos, verus eſſet Sacerdos, quia verè in eius anima imprimeretur character Sacerdotalis, vt patet ex capite *Tua litera*, de clerico per ſaltum ordinato: ſed Epiſcopatus dependet à Sacerdotio; nullus enim poteſt recipere Epiſcopalem poteſtatem, niſi priùs habeat Sacerdotalem: ergo Epiſcopatus non eſt ordo.

Occurrunt aduerſarij.

370. Sed contra noſtram ſententiam ſic ſtabilitam inſtant aduerſarij. Conſecratio Epiſcopi eſt Sacramentum: tum quia S. Leo *epiſt.* 18. ordinationem Pauli & Barnabæ, quâ fuerunt conſecrati Epiſcopi, *Act.* 13. vocat *benedictionis ſacramentum*: tum quia cauſat gratiam, vt patet 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, &c. cum impoſitione manuum Presbyterij.* Et 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Vbi de ordinatione Epiſcopali fit ſermo. Ergo Epiſcopatus eſt ordo.

Refelluntur.

371. Refellitur tamen hæc inſtantia negando antecedens; non enim Epiſcopalis conſecratio eſt Sacramentum, ſed complementum Sacramenti, ſcilicet Sacerdotij; in quo ſenſu loquutus eſt S. Leo Papa. Vnde ad hoc vt conſecratio Epiſcopalis cauſet gratiam, non requiritur quod ſit Sacramentum, ſed ſufficit quod ſit excellentiſſimum quoddam complementum Sacramenti, nempe Sacerdotij, vt patet in illa ceremonia, quâ Sacerdoti jam ordinato confertur poteſtas ad abſoluendum à peccatis, pèr impoſitionem manuum Epiſcopi, & verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* Licèt enim tunc Sacerdoti noua gratia conferatur, tamen ceremonia illa non eſt Sacramentum diſtinctum à conſecratione Sacerdotali, quæ fit in contactu calicis, in quo character Sacerdotalis imprimitur; ſed tantùm complementum, & extenſio Sacerdotij in ordine ad actum corpus Chriſti myſticum reſpicientem, nempe abſolutionem à peccatis.

Vrgent aduerſarij. Conſecratio Epiſcopalis 372.
confert characterem diſtinctum ab eo qui imprimitur in collatione Sacerdotij; quia datur noua poteſtas confirmandi & ordinandi. Ergo Epiſcopatus eſt nouus ordo diſtinctus à Sacerdotio.

Vrgent.

Verùm nullo negotio reſpondetur conſecra- 373.
tionem Epiſcopalem non conferre nouum characterem, ſed dumtaxat characterem Sacerdotalem complere & extendere, cauſando in eo nouum modum realem & phyſicum, quem antea non habebat, ratione cuius extenditur ad miniſtrandum duo alia Sacramenta, quæ ſimplex Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis miniſtrare nequit. Ille autem modus eſt indelebilis, ſicut ipſe character, eo planè modo, quo poteſtas phyſica abſoluendi à peccatis, quæ datur Sacerdoti in ſua ordinatione, non eſt character, ſed modus realis intrinſecus, & phyſicus, characterem ſacerdotalem jam impreſſum in contactu calicis extendens ad corpus Chriſti myſticum, ſiue ad eius membra inſtrumentaliter phyſicè mundanda à peccatis. Vnde Epiſcopatus nihil eſt aliud quàm Sacerdotium completum, & omninò perfectum; & ſicut puer & vir perfectus in eo differunt, quod puer in ratione hominis ſit imperfectus, nec vim habeat gignendi ſibi ſimile; vir autem in ratione hominis ſit perfectus, & alios poſſit generare: ita etiam ſimplex Sacerdos ſuo modo eſt imperfectus, nec poteſt alios Sacerdotes ſpiritualiter gignere vel ordinare; quod benè poteſt Epiſcopus.

Confutantur.

Epiſcopatus non dat nouum characterem, ſed Sacerdotalē cōplet, cauſando in eo nouum modum realem & phyſicum ad miniſtrandum duo alia ſacramenta, quæ ſimplex Sacerdos nequit miniſtrare.

Ex quibus liquet, diſtinctum à Sacerdotio or- 374.
dinem non eſſe Epiſcopatum, ſed characteris Sacerdotalis dumtaxat extenſionem ac nobile complementum, quo ad Præſulatum aſſumptus ſupra cæteros ſimplices Presbyteros, veluti alta ſupra ſydera Sol, ſupra Duces Imperator, ſupra regni Proceres Rex ipſe, ſublimatur. Hinc ſpeciali vnctione in capite & in manibus chriſmate ex oleo & balſamo confecto conſecratur, vt cœleſtibus eius mens ditata chariſmatibus, per bona opera ac ſuauem ſanctitatis odorem, ſe cunctis in Eccleſia exhibeat celſiorem. Etſi autem manus Epiſcopi oleo inunctæ fuerint, dum in Presbyterum fuit ordinatus; iterum inunguntur chriſmate, dum in Epiſcopum conſecratur, vt nouo Spiritus ſancti oleo delibutus, hoc eſt nouâ gratiâ ſanctificatus, præſtantiora producens opera, maiori bonæ famæ decore reſplendens, maius in illo, quàm in inferioribus Sacerdotibus Spiritus ſancti munus appareat, & ſuauior ac melior Chriſti odor percipiatur. Sicuti enim Angeli in cœleſti Hierarchia ſuperiores gratiâ, ſcientiâ, aliiſque bonis eminent inferioribus: ita qui in Eccleſiaſtica ſublimiorem Epiſcopam obtinent locum, ſanctimoniâ, pietate, charitate, ſcientiâ, zelo cæteris in Sacerdotio inferioribus tenentur antecedere, vt non tantùm in dignitate, ſed etiam in virtutibus obtineant principatum.

Epiſcopus ſupra Sacerdotes, ſicut Sol ſupra ſydera, ſicut Imperator ſupra Duces, & Rex ſupra Proceres Regni.

Speciali vnctione conſecratur in capite & manibus.

Ea

375. Ea propter cunctis Epiſcopis vocem Apoſtolus protulit formidandam, dum 1. *Tim.* 3.2. dixit: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*; hoc eſt, omni virtutum genere exornatum. Nam in illo verbo, vt notat D. Hieron. *ep.* 83. *ad Oceanum*, omnes virtutes comprehendit, & penè rem contra naturam exigit: quis enim ille eſt, qui abſque peccato & reprehenſione viuat? Hinc Gregor. Nazianz. *in Apologet.* ait, *vitium in Epiſcopo eſt non quam optimum eſſe.* Ergo Epiſcopi in ſublimitate poſiti, & ſupra omnem Chriſti Eccleſiam tanquam ſpeculatores conſtituti, in maximo ſciant ſe verſari diſcrimine: dum enim in altiori conſident ſolio, vt omnes circumluſtrent, regant & corrigant, viciſſim ab omnibus videntur, & audiuntur, omnibuſque ſe præbere bonorum operum tenentur exempla; ac quantùm in loco ſuperiori, tantùm in periculo maiori verſantur. Vt enim loquitur S. Auguſtinus lib. 19. de Ciuit. cap. 19. *Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris; ille que ſciat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Si quis namque*, ait Apoſtolus 1. Tim. 3. 1. *Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; opus, non dignitatem; laborem, non delicias: opus per quod *humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio*, ſicut eleganter dixit Hieronymus *ep. cit. ad Oceanum.*

Epiſcopus ſit irreprehenſibilis.

Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris.

S. Auguſt.

Nõ eſt Epiſcopus qui diligit præeſſe, non prodeſſe.

Sectio III.

De fine Sacerdotij nouæ Legis.

376. NObiliſſimus planè eſt Chriſtiani Sacerdotij finis: nec ab illo quem Chriſtus Dominus totius Sacerdotij fons & origo in mundum veniens habuit, vllo modo diſcrepat. Eundem milites & dux; legatus, & à quo mittitur, finem reſpiciunt, nec ſagitta à ſcopo aberrat ſagittantis. Milites Dei ſunt Chriſtiani Sacerdotes, ſub Chriſto duce ſtrenuiſſimo: eius legatione ad omnes funguntur homines: ac denique electæ ſunt ſagittæ, ab ipſo Redemptore ſagittante directæ: eundem ergo tendunt ad finem, eundem terminum attingent, nec diuerſum ſcopum aſſequentur.

Idem ſcopus ducis & militis Chriſti & Sacerdotum.

377. Geminus fuit Chriſti Domini, mundum tanquam Sacerdotis ſecundùm ordinem Melchiſedech ingredientis finis; vel potiùs duplex in eodem fine ratio: dum enim *venit quærere & ſaluum facere quod perierat*, vt dicitur *Luc.* 19. 10. Deo gloriam & homini ſalutem omnibus ſtuduit viribus comparare. Vtrumque probè aſſequutus eſt; etenim Patrem glorificauit, hominique æternam ſalutem obtulit. Vterque Dominicæ incarnationis ſcopus à ſacris paginis propalatur. De primo enim loquutus eſt Apoſtolus *Rom.* 1. 3. vbi de Filio Dei inquit: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem*; ideſt, vt exponit Doctor Angelicus ibidem *lect.* 2. ad gloriam Patris, ſecundùm illud Ioan. 8. *Ego gloriam meam non quæro, ſed gloriam eius qui miſit me.* De ſecundo idem Apoſtolus 1. *Tim.* 1. 15. ait: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Vbi Gloſſa Auguſt. *ſerm.* 9. *de verb. Apoſtoli*, quam refert D. Thomas 3. *p. q.* 1. *art.* 3. *in arg. Sed contrà*, inquit: *Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.* Vnde ipſe Dominus, Matth. 9. *Non* (inquit) *eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus; non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quæ omnia complexus eſt dum dixit Ioan. 3. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.*

Duo incarnationis Chriſti fines.

Gloria Dei & ſalus hominum.

D. Thom.

Peccatum fuit occaſio incarnationis.

378. Cùm ergo nouæ Legis Sacerdotes Chriſtum Dominum, à quo ad tantum euecti ſunt miniſterium, & cuius in illo vices gerunt, debeant imitari, duplicem etiam ſibi propoſitum finem debent appetere, gloriam ſcilicet Dei, ac ſalutem hominum. Hic totus planè eſt Chriſtiani Sacerdotij ſcopus: hæc illius meta, hic illius terminus. Cùmque omne agens propter finem debeat agere, ſemper ad gloriam Dei, & ad ſalutem hominum comparandam tenentur Sacerdotes inſudare. Cúmque omne agens deficiens à fine peccet, toties peccabit Sacerdos, quoties à ſui fine Sacerdotij ſe nouerit aberrare: toties autem aberrabit, quoties gloriam Dei procurare, & hominum ſaluti inuigilare ceſſabit. Vtrumque munus paucis illuſtrabimus.

Agens à fine deficiens peccat.

§. I.

Ad Dei gloriam propagandam poſiti ſunt in Eccleſia Sacerdotes.

379. O*Mnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Prouerb. 16. 4. Ipſe etenim cùm ſit primum ens, omniumque entium origo, ſeu vt loquitur D. Ioan. Damaſcenus, *omnis eſſentiæ Pelagus*, prima omnium extat cauſa. Cúmque Deus ſit actus puriſſimus, nullamque intendat agendo acquirere bonitatem, ſed ſuam, quæ eſt infinita, communicare; omneſque creaturæ ſuam intendant conſequi perfectionem, quæ vtpote perfectioni diuinæ ſimilis, in ipſo ſolo Deo reperitur; ideo Deus omnium creaturarum finis vltimus neceſſariò conſtituitur, vt docet S. Thomas 1. *p. q.* 44. *art.* 4.

Deus prima cauſa, & vltimus finis. D. Thom.

380. Si autem in naturali rerum ordine ad Deum tanquam ad finem vltimum cunctæ diriguntur creaturæ; potiori iure in ordine ſupernaturali gratiæ, in quo ad quoddam eſſe diuinum participatum creaturas rationales ſublimauit, vltimus rerum omnium finis, ſicut & principium Deus erit. Cùm autem in hoc ordine gratiæ non infimum, ſed quaſi ſupremum Sacerdotes obtineant locum, tanquam ipſius gratiæ Authoris Chriſti Domini legati, vices gerentes, ac miniſtri dilectiſſimi, Deum glorificandum ac manifeſtandum tanquam vltimum finem debent reſpicere.

Etiam in ordine ſupernaturali.

381. Sanè primarius Chriſti Domini Incarnationis finis ipſa fuit Dei glorificatio, & illius, quem ab illo, peccando Adamus abſtulerat, honoris reſtitutio. Quare illius inobedientiam infiniti valoris obedientia reparauit, & quem primus homo legis ſuæ tranſgreſſione contempſerat, perfectiſſimâ ſuorum omnium mandatorum adimpletione, ſummáque dilectione honorauit, & glorificauit. Sic enim opus noſtræ redemptionis ſua morte conſummaturus, Patris legem adimplere, ipſique perfectam præſtare obedientiam declarauit, dum inquit Ioan. 14. 30. *Iam non multa loquar vobiſcum; venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam, ſed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Vnde triplici modo Patris gloriam comparauit Redemptor, loquendo ſcilicet, agendo & patiendo. Verbis

Gloria Dei primus finis incarnationis.

Chriſtus Deum glorificauit ſermone, actione, & paſſione.

etenim Deum glorificauit, dum eius deitatem, ſanctitatem, prouidentiam, bonitatem, immò & trinitatem annuntiauit hominibus, vt habetur Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Operibus inſuper Deum declarauit, vt habetur Ioan. 5. 36. *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Et 14. 10. ait: *Pater in me manens ipſe facit opera.* Deinde paſſione ſua non ſolùm ſemetipſum, ſed etiam Patrem clarificauit; ſiquidem ex obedientia crucem ac mortem pertulit, ſicuti teſtatur Paulus *Philip.* 2. 8. dum de Chriſto inquit: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Itaque cùm gloria juxta Tullium *lib.* 2. *de inuent.* ſit *frequens de aliquo fama cum laude*, ſeu vt ait D. Auguſt. *lib.* 83. *quæſt. q.* 31. ſit *clara cum laude notitia*; Chriſtus Dei notitiam non ſolùm cum laude, ſed etiam cum ſtupore bonitatis, miſericordiæ, ſapientiæ, &c. afferens hominibus ſermone, miraculis, & paſſione, his tribus perfectiſſimè Deum glorificaſſe omninò eſt indubitatum.

D. Auguſt.

382. Chriſtum imitentur Chriſti Sacerdotes; vtque finem propter quem ad tantam ſublimati ſunt dignitatem aſſequantur, Deum glorificare, eiuſque cum laude notitiam hominibus dare, verbis, opere ac patientiâ totis viribus adnitantur.

Chriſtum Sacerdotes imitentur, tripliciter Deum glorificantes.

Deus à Sacerdote ſermone eſt glorificandus.

383. Primò quidem verbis Dei gloriam ſtudeant ampliare, Dei vnitatem, trinitatem, maieſtatem, bonitatem, ſapientiam, miſericordiam ac juſtitiam: Filij eius vnigeniti incarnationem, natiuitatem, vitam, miracula, paſſionem, mortem, ſepulturam, ab inferis reſurrectionem, in cœlos aſcenſionem: Spiritus ſancti in linguis igneis miſſionem, Eccleſiæ per ſeptem Sacramenta ſanctificationem, aliaque diuina Chriſtianæ Religionis myſteria, tum ex ſacris paginis, tum ex antiquiſſima ac infallibili Eccleſiæ traditione, Conciliorum generalium definitione, ac Sanctorum Patrum traditione doceant, annuntient, prædicent. Nec vllus à tanto excuſari poteſt miniſterio: debet enim quilibet Sacerdotio decoratus diuina callere myſteria, eaque dum neceſſitas exigit, ſaltem vulgari ſermone ac familiari ſtylo tenetur exponere ac declarare, vt illi qui Sacerdotis curæ commiſſi ſunt, Deum Opt. Max. cognoſcant, laudent, adorent. Quomodo enim credent, niſi credenda myſteria proponantur; & quomodo Deum diligent, dum bonitatem eius ac miſericordiam in incarnatione, Euchariſtia, paſſione, aliiſque myſteriis, cæteraſque diuini amoris nedum ſcintillas, ſed flammas ignorant? Os ergo aperiat Sacerdos, & omnes Eccleſiæ ſuæ fideles verbo doctrinæ paſcat, aliàs ſe Sacerdotio omninò indignum fateatur, ac à Deo, ſe à tanto deturbandum agnoſcat munere. Vel enim neſcit ſacrorum diſpenſator Religionis noſtræ myſteria, & conſequenter ea non poteſt aliis declarare; & tunc omninò tanto indignum miniſterio Deus expellit. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*, ait Spiritus ſanctus *Oſea* 4. 6. vel ea quæ noſcit myſteria, non vult ſubditis aperire; & tunc malitiâ crudeli laborat, dum panem myſticum famelico populo non largitur. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. 4.

Doceat ac prædicet Sacerdos.

384. Sanè paſtor non eſt ille, ſed mercenarius; quia dum videt lupum venientem dimittit oues, & fugit. Verùm reſpondebit hic Presbyter, non fugi, ecce hîc ſum. Sed illi ſic Auguſtinus loquitur: *Fugiſti, quia tacuiſti: corpore ſtetiſti, ſed mente fugiſti.* Dum enim quæ credenda ac facienda ſunt non docet ſubditos, eos erroribus imbuendos, ac cunctis vitiorum ſordibus inquinandos relinquit, ac de numero illorum videtur eſſe paſtorum, de quibus *Iſai.* 56. 10. legitur: *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare.*

Fugit Sacerdos qui tacet & non prædicat.

D. Auguſt.

Iubebatur olim Aaron Hebræorum Sacerdos Sanctuarium ingreſſurus tunicam cum tintinnabulis induere: cuius rei ratio inſinuatur Exod. 28. 25. *Vt*, ſcilicet, *audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur.* Quibus verbis ſpiritualis Chriſtiano Sacerdoti annuntiatur interitus, niſi templum ingrediens & egrediens, hoc eſt ſuo fungens miniſterio, prædicando, ac docendo populum audiatur. Quod & à S. Gregorio *lib.* 1. *regiſtr. ep.* 24. notatum eſt; ait enim: *Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur; quia iram contra ſe occulti judicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit.* 385.

Moritur Sacerdos cuius verba in templo non audiuntur.

D. Greg.

Communius vitæ humanæ ſubſidium, magiſquè neceſſarium alimentum panem vel abſcondere, vel denegare nefas eſt. Diris à Spiritu ſancto deuouetur, qui frumentum huius cibi materiam claudit: *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium*, inquit Sapiens *Prouerb.* 11. 26. At *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, vt dicitur *Matth.* 4. 4. Cùm enim non tantùm corpore, ſed etiam animâ conſtet, ſicuti corporeo pane eget, vt corpus ſuſtentetur: ita etiam ſpirituali alimento, ſcilicet verbo Dei indiget, vt anima nutriatur. Ergo ſi panem corpori eſurienti denegare crimen eſt, immò & homicidium à D. Ambroſio reputatur; ait enim, *paſce fame morientem: quem non paviſti, occidiſti*; nonne animæ doctrinæ ac verbi diuini panem ſubtrahere horrendum planè erit ſacrilegium? Etenim cùm fideles myſtici Chriſti corporis ſint membra, dum prædicationis incuriâ in illos delinquitur, profectò in Chriſtum peccatur. Quod aliàs deplorauit D. Bernardus ſermone ad Clerum in Concilio Rhemenſi congregatum. *Si reddenda*, inquit, *eſt ratio de his, quæ quiſque geſſit in corpore ſuo; heu! quid fiet de his, quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Itaque ſuper illos qui frumentum ſpiritale & verbi diuini pabulum abſcondunt, diuina cadit maledictio: nam vt ait D. Hieronymus *in cap.* 11. *Prouerb.* jam citatis: *Qui ſanctæ prædicationis apud ſe verba retinet, talis maledicitur in populis*: quia non ſolùm culpa ſilentij, ſed pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Ipſe eſt ſeruus piger & malus, qui pro retentione talenti quod accepit, in exteriores tenebras miſſus eſt. 386.

Chriſtianus pane doctrinæ à Sacerdote nutriendus.

D. Ambroſ.

Sacrilegium eſt verbi pabulum populo denegare.

D. Bernard.

Peccat in corpus Chriſti qui non prædicat.

Huc reſpexit gentium magiſter, omnium Sacerdotum exemplar & regula, dum inquit 1. Cor. 9. 16. *Si euangelizauero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero.* Siquidem graui præcepto Chriſti Domini ore intimato tenebantur Apoſtoli euangelizare & docere omnes gentes, vt patet *Matth.* 28. 20. adeo vt ſi neglexiſſent euangelizare, peccaſſent mortaliter, vt docet Cornelius à Lapide *in cap.* 9. 1. *ad Cor. n.* 16. Talibus enim intentatur væ iræ Dei & gehennæ. Eodem autem præcepto 387.

Tenebantur Apoſtoli prædicare.

tenentur

Digitized by Google

Et tenentur modò habẽtes curam animarum. Conc. Trid.

tenentur modò Archiepiſcopi, & Paſtores; horum enim præcipuum munus eſt prædicatio Euangelij, quod per ſe, niſi legitimè impediantur, exercere debent, vt definit Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Baptiſmum verò, aliaque Sacramenta Parochis, eorumque adiutoribus poſſunt committere. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 1. 17. inquit: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Euangelizare.* Etenim Sacerdotes qui ex vi miniſterij Paſtores ſunt, Doctores debent eſſe, hoc eſt verbum Dei prædicare, & populum docere tenentur. Quapropter Paulus inquit: *Oportet Epiſcopum Doctorem eſſe*, 1. Tim. 3. 2. & cùm Eccleſiaſticam Hierarchiam recenſet *Eph.* 4. 11. ait: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Vbi copulatiuè *Paſtores & Doctores* pronuntiauit, ad oſtendendum, vt ibi inquit D. Thomas lect. 4. *quod proprium officium Paſtorum Eccleſiæ eſt docere ea quæ pertinent ad fidem & bonos mores.* Vnde illis qui doctrinæ panem ſubditis non diſpenſant, væ, ideſt æterna damnatio, ſecundùm eundem S. Thomam *in* 1. *Cor.* 9. 16. ab Apoſtolo comminatur.

Paſtores ſunt Doctores. D. Thom.

388. Vt igitur æternum væ non incurrat Sacerdos, non taceat, ſed loquatur, & ſcientiâ ac doctrinâ gregem paſcat ſibi commiſſum; ſic enim propriæ ac auditorum ſanctificationi collaborabit, ac non parum Dei gloriam promouebit. Etenim ſi Deo hoſtiæ immolatæ, in eius gloriam cedunt, dicitur enim pſal. 49. 23. *ſacrificium laudis honorificabit me*; ſpecialem ei gloriam pariet animarum verbi cœleſtis diſpenſatione colluſtratio; hæc enim Deo hoſtia eſt grata, & benè placens, & perfecta. Vt enim ait S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 7. *nullum Deo tale eſt ſacrificium, quale zelus animarum.* Cuius ratio optima poteſt aſſignari, quia in cæteris oblationibus animalia ratione carentia mactantur, & belluarum vita humanam exprimens, Deo omnis entis, & omnis vitæ authori conſecratur: at dum chriſtianâ doctrinâ ab errore & impietate animæ rationales reuocantur, ipſamet vita humana diuino ſplendore nobilitata, Chriſti ſanguine redempta, fide fulgida, ſpe firmata, charitateque pretioſa Deo offertur, datur, conſecratur. Cui addere liceat, quod animarum conuerſione ac Deo oblatione tantùm dat Deo diuini verbi diſpenſator, quantùm debet: ipſe animam ſuam, vitam ſuam, ac ſeipſum debet Deo ac Chriſto Redemptori: illam dat, illam reddit, dum eius vires, ingenium, zelum, loquelam, aliaque ad docendum, ac prædicandum inſumit: ac poſtremò duplicatâ ſolutione debitum tradit, dum non ſolùm ſe, ſuamque vitam, & animam; ſed inſuper aliorum multorum, quos ad diuinum fidei, & pietatis lumen ſuo adduxit ſermone, animas, vitamque exantlatis laboribus reddit.

D. Greg.

Nullum ſacrificium ſicut zelus animarum.

Deo redditur quod debetur feruidâ verbi Dei prædicatione.

389. At dum Dei gloriam promouet, propriam curat; nec ſolùm Deo hoſtias gratiſſimas offert, ſed ſibi pulcherrimam coronam connectit. Ipſi, quos docet, ſibi corona ſunt. Sic enim Philippenſes quos ad Chriſtianam Fidem verbi Dei prædicatione adduxerat, *gaudium* ſuum, & *coronam* ſuam vocat Apoſtolus, *Philip.* 4. 1, olimque ſancti Sacerdotes & Epiſcopi populum ſuum, à quo inſtar coronæ vallabantur, ac tanquam filiis exornabantur, coronam ſuam appellabant: quod fecit S. Cornelius Pontifex & Martyr; etenim vt martyrij eius acta referunt, interrogatus à Voluſiano Præfecto, cur contra Imperatoris juſſa, & contra Rempublicam à Cypriano Epiſcopo Carthaginenſi epiſtolas acciperet, reſpondit: *Ego de corona Domini literas accepi, non contra Rempublicam.* Coronam Domini vocans fidelem Chriſti plebem ſe & Epiſcopos circumdantem. Rectè quidem. Cùm enim, vt legitur Prouerb. 17. 6. *Corona ſenum ſint filij eorum*: vtique parentes ſpirituales, qui in Chriſto Ieſu per Euangelium filios in æternum victuros genuerunt, illis tanquam coronâ vallari debent & exornari. Hinc enim Apoſtolus ad Theſſalonicenſes *ep.* 1. 19. vocat ſuam *coronam gloriæ ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in aduentu eius*; quia in die judicij, animarum quas Chriſto, & Eccleſiæ, ac tandem æternæ ſaluti miniſterio verbi peperit, fulgore, ſplendore, ac pulchritudine, ſplendenti veluti diademate coronabitur. Eo planè modo, vt refert author vitæ S. Giſleni, *cap.* 12. à ſeculo migrauit ad cœlum S. Amandus, ſanctis ſtipatus animabus, quas verbo & exemplo ad omnem virtutem inſtituit: omneſque quæ à ſanctis Sacerdotibus à via mala ſunt auerſæ, & ad ſemitas juſtitiæ introductæ animæ, eorum veluti corona illos exornans ac circundans, coram Deo, Angelis, & hominibus in tremendo omnium judicio apparebunt. Quod eleganti ſtylo proſequutus eſt S. Gregorius Magnus hom. 17. in Euangel. *Ponamus*, inquit, *ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo judex veniet, & rationem cum ſeruis ſuis, quibus talenta credidit, ponet. In illo tanto examine vnuſquiſque quid ſit operatus, oſtendetur: ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit: ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens: ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui judicis cõuerſam ducet. Cùm igitur tot Paſtores cum gregibus ſuis ante æterni Paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus? Qui Paſtorum nomen habuimus, & oues quas nutrimento noſtro debeamus oſtendere, non habemus?* Hæc Gregorius, quibus poſtquam Apoſtolos in judicio, animabus quas verbo lucrati ſunt, tanquam coronis cinctos ac glorioſos ſignificauit; omnibus Eccleſiæ Sacerdotibus ac Paſtoribus, qui diuini prædicatione ſermonis ſimilia animarum non ſibi fabricant diademata, non paruum timorem incuſſit. Totis ergo conentur viribus, vt commiſſum gregem doctrinâ paſcant, & ab errore, impietateque verbis educant & exemplo, vt lingua manuque Dei gloriam amplient, & extendant.

Plebs Chriſtiana, corona Domini.

In die judicij animabus quas Deo lucrati ſunt, coronabuntur Concionatores.

S. Greg. Mag.

Quas Sacerdos cõuertit animas, eas Deo in judicio præſentabit.

Sacerdos operibus Deum glorificet.

Secundò, opera verbis debent coniungere Sacerdotes, vt ab illis omninò glorificetur Dominus. Lucem mundi, Apoſtolos primarios Eccleſiæ Sacerdotes vocauit Chriſtus Matth. 5. 14. ac ſtatim, vt oſtenderet illos non ſolùm ſplendore doctrinæ, ſed etiam bonorum operum fulgore debere collucere, vt ſimul Deus honorificetur, ac eius ædificetur Eccleſia, ſubdit ibid. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Etenim antequam Apoſtoli magnalia Dei Eccleſiam docerent, Spiritu ſancto repleti ſunt, & *cœperunt loqui*, vt habetur *Act.* 2. 4. Priùs enim pij ac ſancti ſpiritu ſcientiæ & pietatis repleti ſunt, & poſteà eodem agente pneumate, 390.

Secũdò opere gloriam Dei promouent Sacerdotes.

Google

mare, cæteros loquendo ad pietatem inflammarunt. Sicut enim impoſſibile eſt ignem in ſinu portare, & eius calore non comburi; ignei Spiritus feruore repleri ad eius Eccleſiæ luces flammaſque miniſtrandas, & ab eo non inflammari omninò eſt impoſſibile. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, inquit Dauid *pſal.* 118. 140. Ergo prius igniat proferentem, quàm ſuſcipientem; priùs accendat prædicantem, quàm audientem neceſſe eſt. Vnde D. Ambroſius in pſal. 118. *Bonus*, inquit, *ignis, qui calefacere nouit, neſcit exurere, niſi ſola peccata; mundat animum, conſumit errorem.* Quod non ſolùm in illis qui tale eloquium ſuſcipiunt, ſed etiam in illis qui illud annuntiant, eſt intelligendum. Cùm enim *non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris*, vt dicitur *Eccleſ.* 15. 9. non decet hominem impium pietatis verba, quæ ſimul Deum laudant, & fideles inſtruunt, pronuntiare: ab omni ſcelere purgatus doctrinam quæ cor purificat, proferat; & ſanctus, immò diuinus efficiatur, vt diuinum promat ſermonem. Sic enim D. Dionyſius Areop. *lib. de Cœl. Hierar. cap.* 2. ad Tim. inquit: *Tu autem, ô fili, diuina dicendo diuinus efficiare.*

Sermo ignitus prius igniat proferentem, quàm audientem.
D. Ambroſ.

Diuina dicēs diuinus efficiatur.
D. Dionyſ.

391. Diuino vtique Legiſlatori debet conformari diuinæ legis Prædicator: at ille non ore tantùm, ſed etiam manu legem condidit: qui enim accepit duas tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei Moyſes, vt dicitur *Exod* 31. 18. de eodem loquens Legiſlatore *Deuteron.* 33. 2. inquit: *In dextera eius ignea lex*; nam ſimul ex ore Dei prodibat, & in dextera ad agendum prompta & expedita, & non in ſiniſtra inerte & ad agendum inhabili, tutilabat. Non ergo linguâ tantùm, ſed manu igneam legem proferat Concionator; quia non tantùm otioſus & deſes verbis ſolùm, ſed etiam gnauus ac ſtrenuus operibus legem Euangelicam, quæ verè ignea eſt, ſtudeat explanare. Etenim ſi, vt notauit Apoſtolus, *Galat.* 3. 19. priſca illa timoris lex *ordinata fuit per Angelos in manu mediatoris*, vt ſcilicet potiùs à Moyſe impleretur, quàm prædicaretur; noua & Euangelica lex amoris, quam Chriſtus Dominus cœpit facere & docere, in manibus mediatorum, Apoſtolorum ſcilicet & Sacerdotum, per magni conſilij Angelum, ac Dominum Angelorum ordinata eſt, vt eam potiùs operibus adimpleant, quàm verbis annuntient. Meliùs enim docebunt pia prædicatorum opera, quàm diſertiſſima eorum verba.

Cur ignea lex in dextera Dei.

Et cur data eſt per Angelos in manu mediatoris, id eſt Moyſis

Melius docent opera quàm verba.

392. Chriſti milites haud dubium ſunt Sacerdotes, ſub illo tanquam ſtrenuiſſimo ac inuictiſſimo duce præliantes. De illis loquutus eſt Apoſtolus 2. *Tim.* 2. 4. dum ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Cùm ergo milites non ſibi, ſed vni bello, ac victoriæ intendant, & ad hunc finem conſequendum nulli parcant labori, à negotiis omnibus domus & vrbis abſtinentes, ita vt militibus olim vetitum fuiſſe coniugium doceat Cornelius Tacitus *lib.* 14. ac tempore Tertulliani, vt ipſe docet in exhortatione ad caſtitatem, milites fuerint cœlibes; ſoli Dei exercitui, hoc eſt Eccleſiæ, quæ *terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata*, vtilitati, ac Chriſti Imperatoris gloriæ debent fidelium paſtores laborare. Manum ergo operi admoueant Sacerdotes, ſe Regis regum milites agnoſcentes, verbi Apoſtoli 2. *Tim.* 2. 3. memores, nempe: *Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti.* Ex multis militibus, cæteris reprobatis, illos tantùm elegit Gedeon, *qui linguâ lambebant aquas, ſicut ſolent canes.* Iud. 7. 5. vel vt legunt D. Auguſt. Origenes, aliique, *qui lambebant aquas manu & linguâ ſuâ.* Quia vt notauit Origenes *hom.* 9. *in Iud.* & manu, & linguâ operari debent milites Chriſti, hoc eſt opere & verbo: quia *qui docet & facit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Quod iterum ibidem 16. inculcatum eſt in eiſdem militibus, qui facibus accenſis ac tubis armati, ad bellum profecti ſunt. *Armati quidem facibus*, quia vt idem Origenes proſequitur, *pugnare decet Chriſti milites, luce operum refulgentes, & ſplendore geſtorum. Tubis verò, quia myſteria regni cælorum humanis auribus pandunt.* Vnde idem Origenes concludit: *Præcedat ergo & nos operum lux, ſcientia virtus, & diuini verbi prædicatio.*

Concionatores Chriſti milites.

Coniugium olim vetitū militibus.

D. Auguſt. Origen.

Facibus & tubis milites Gedeonis vincunt, quia ſermone & operum luce decertant.

393. Etenim verbum Dei non curret, nec fructum faciet cœleſte ſemen, niſi ab ore fulgido, & ab homine operum luce coruſcante procedat. Iacula ſunt Concionatoris verba, acria ſanè ac præacuta; ſed obtuſa fient, ac à ſcopo aberrabunt, niſi ab optimo viro ſagittentur. Etenim vt egregius ille humanæ eloquentiæ magiſter Fabius dixit, verba eloquentiæ ſagittis aſſimilantur, & oratoris mores funibus quibus huiuſmodi vibrantur ſagittæ; & ſicuti iſtæ, quamvis acutiſſimæ, irritæ cadent & inefficaces, ſi tenui quodam filo eiaculentur; ita oratoris verba, licet grauia & expolita, abibunt inaniter, ſi cum prauis moribus ſocientur. Verborum igitur vis, acumen, ac fructus non ab ore, ſed à manibus oriuntur prædicatorum, nec ab illis Deo gloria tribuitur, niſi priùs ab iſtis honorificetur. Mirabilis ſanè fuit illa menſarum ſtructura, quæ in Ezechielis templo viſebatur; erant enim *labia earum vnius palmi*, vt legitur *Ezech.* 40. 42. vbi non ſolùm lingua cum manu coniungitur, ſed etiam labia palmo menſurantur, quia Prædicatoris verborum regula & menſura, eius debet eſſe factorum ſanctimonia. Nam vt ait D. Gregor. in Ezech. loc. cit. *Doctor quod docendo loquitur, hoc vigilanter operetur.* Hinc Deo in ſacrificium turtures & columbarum pulli, non niſi retorto ad collum capite, hoc eſt ore ad alas reuocato, vt patet *Leuit.* 1. 15. offerebantur; quia nec Deo placent, nec eius promouent gloriam illi Prædicatores, qui linguam ad manum, & verba ad opera non reducunt, vt notat D. Gregorius *homil. in Ezech.* vbi ait: *Caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas.* Sic etenim *in templo Dei omnes dicent gloriam*, vt habetur *pſal.* 28. 9. dum & Sacerdos bonis actibus & ſermone populum ad Deum piis actionibus glorificandum hortabitur. Ille accommodatiſſimus laudandi Deum modus eſt, dum quod linguâ confitemur, moribus comprobamus; & quod voce prædicamus, operibus confirmamus. Inde ad Domino benedicendum eas Dauid incitat virtutes, quæ eius in omnibus adimplent voluntatem. *Benedicite* (inquit) *Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Pſal. 102. 21. Nam vt ibi optimè inquit Auguſtinus: *Quid prodeſt, quia hymnum cantas lingua tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua? Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum eius, fac voluntatem eius.*

Verba Concionatorum ſunt iacula, mores ſunt funes illa iaculantes.

D. Greg.

Labia palmo junguntur, quia voces operibus debent ſociari.

Laudatur Deus à virtutibus facientibus eius voluntatem.
D. Auguſt.

Fortiſſimi ac inuictiſſimi illius ex Machabæis, qui manibus, linguaque pro Dei lege compleuit martyrium, huc pertinet memorabile factum. Tertius ille è ſeptem fratribus à tyranno cruciabatur, 394.

Digitized by Google

Tertiò Machabæus linguam poſtulatus protulit, & manus extēdit, quia non ſufficit Deum ſermone laudare, niſi etiam operibus laudetur.

batur, ſed *linguam poſtulatus citò protulit, & manus conſtanter extendit*, vt legitur 2. *Mach.* 7. 10. vbi perpendere licet, quod à generoſo Iudæo lingua tantùm vt euelleretur, aut ſcinderetur poſtulabatur; ſed & linguam protulit, & manus etiam non poſtulatus extendit. Quorſom hæc? Quia integro martyrio nuſquam Deum glorificaſſet, niſi linguæ manus, hoc eſt vocibus opera coniunxiſſet. Vtraſque à Deo habebat, & illi debebat: vtraſque illi patiendo donauit. Sed meliùs ad rem præſentem illud expoſuit S. Ambroſius *lib.* 2. *de Iac. cap.* 11. dum illum juuenem manus cum lingua offerentem, ſic loquentem inducit: *Abſcinde linguam, ſed non abſcindes conſtantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies teſtimonium veritatis. Quid verba damus? Loquaciora ſunt vulnera: ſatis jam Deum ſermone laudaui, nunc paſſione laudemus.* Hæc Ambroſius, quibus omnibus Chriſti fidelibus, ac præſertim Sacerdoribus optimum tribuit documentum; non enim linguam tantùm, ſed & manus ad Deum glorificandum debent conſtanter extendere. Quid ergo Concionatores verba dant? Loquaciora ſunt opera: ſatis jam Deum ſermone prædicauerunt, ſed inutilis eſt prædicatio, niſi operibus prædicent. Linguam proferant, ſermonem promant: ſed ſtatim manus conſtanter extendant, & vocibus ſanctas actiones coniungant; immò ſi opus eſt, ſubiungant paſſiones: loquaciora enim ſunt vulnera; & qui Deum ſermone & operibus prædicauerunt, etiam annuntient paſſione.

Loquaciora ſunt opera quàm verba.

Patientiâ Deum glorificet Sacerdos.

395. Tertiò denique gloriam Dei patientiâ ſtudeant Sacerdotes totis viribus propagare. Parum eſt voce tantùm Deum glorificare; malus eſt operibus illius honorem dilatare; ſed perfectiſſimum eſt, ſermonem, & opera patientiâ coronare, & illis omnibus ad Dei gloriam augendam inſudare. Quare Sacerdotalis officij finis principalis & complementum patientia eſt Sacerdotum. *Maiorem charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, ait Dominus, *Ioan.* 15. 13. Hæc in verbi Dei diſpenſatoribus vtique eluceſcat, vt omnia aduerſa ad gloriam Domini, & proximorum ſalutem perferentes, ſuam offerant & ponant pro amicis, immò & pro inimicis animam, ſummaque patientiâ coronentur. In hoc ſanè electi ſunt Apoſtolici viri, eoſque tanquam oues in medio luporum in orbem deſtinauit Dominus, *Matth.* 10. 16. dum inquit: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*; vt ſui ipſius exemplo ad patientiam prouocet inconcuſſam. Redemptor enim noſter, qui *voluptate patientiæ venerat ſaginari*, vt loquitur Tertullianus, ouis nomine ab Euangelico Vate fuit præſignatus, *Iſai.* 53. 7. vt animali pacifico ac omnium patientiſſimo, mirabilis eius in iniuriis, doloribus, ac tormentis ſuperandis patientia prænoſceretur. Cùm ergo aptiſſimum patientiæ ſymbolum ſit ouis, vnde Iob ad priſtinam proſperitatem, conſumptis ac voratis omnibus calamitatibus reſtituto ouem vnam, quaſi patientiæ typum, ſinguli eius amici obtulerunt, vt legitur *Iob* 42. 11. Euangelicos Concionatores patientes omninò voluit Dominus, dum illos tanquam oues in medio luporum, vt vniuerſum mundum doctrinâ ſuâ illuminarent, deſtinauit.

Tertiò patientiâ Dei gloriam amplient Sacerdotes.

Cur Apoſtoli ſicut oues à Domino in medio luporum miſſi.

Ouis patientiæ typus.

R.P.Car.Bouquin Comm.in Proſam D.Thom.

396. Hoc eſt quod antea à Pſalmiſta fuerat prophetatum, *pſalm.* 91. 15. dum de Apoſtolis dicitur, *& benè patientes erunt, vt annuntient.* Cùm enim impiis ac obſcœnis potiùs quàm piis orbis ad quem docendum Apoſtolici mittuntur viri, plenus ſit, & *animalis homo non percipiat ea quæ Dei ſunt*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 2. 14. maxima cum difficultate, ac immenſis cum laboribus, ac conſequenter ſumma cum patientia verbum Euangelij à Sacerdoribus diſſeminatur. Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuauis eſt; & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis. Veſpertiliones offendit diurnum ac ſolare lumen, quos nocturnum recreat. Ita planè impuros homines puriſſimus ſermo lædit: carnales ſpirituale verbum vulnerat; & errori ac impietati mancipatos, ſancta & veriſſima conturbat loquela. Hinc jurgia, & contentiones inter plebem exoriuntur: hinc iniuriæ Concionatoribus irrogantur: hinc perſequutiones & odia contra Dei Sacerdotes, hinc denique tormenta, cruces, lanienæ Concionatoribus præparantur: hinc eorum patientia neceſſaria, hinc eorum conſtantia exigitur: nuſquam enim Dei gloria in populis promoueretur, niſi Prædicatorum patientia colluceret. Hinc eſt quod cùm Paulus, qui ex ſæuiſſimo perſequutore fideliſſimus Prædicator effectus eſt, à Chriſto Domino dictus eſt *vas electionis, vt portet nomen ſuum coram gentibus & Regibus & filiis Iſraël*; ſtatim idem ſubiunxit Dominus: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. 15. Quod vtique adeò verum fuit, vt Paulus de ſe dixerit, *ſemper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes.* 2. Cor. 4. 10. vt oſtenderet ſe ſemper paſſum fuiſſe pro Chriſti Euangelio, hoc eſt, vt nomen Chriſti coram gentibus portaret, & eius Euangelij verbum vbique diſſeminaret. Vnde ſe quotidie mori teſtatur, 1. *Cor.* 15. 31. dicens; *Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres*; vt ſe quotidianâ patientiâ probari, ac ad prædicationem roborari demonſtret. Quod luculentâ laborum ſuorum narratione proſequitur 2. *Cor.* 11. vbi vt ſe Chriſti miniſtrum, hoc eſt eius verbi nobiliorem aliis portitorem, eiuſque gloriæ ardentiorem propagatorem inſinuet, ſe maiora, ac duriora perpeſſum affirmat numero 23. dicens: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, &c.* Quod exponens S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 11. in Geneſ. *Eſt-ne poſſibile*, inquit, *vt quis ſæpe moriatur?* Et ſibi reſpondens, ait: *Etiam, quamuis non mortis experientiâ, ſed moriendi propoſito.*

Cum patientia prædicandum.

Paulus vas electionis patientiâ clarum.

D. Chryſoſt. Sæpe quis mori poteſt.

397. Meritò igitur idem gentium magiſter, ac Chriſti miniſter zelantiſſimus Apoſtolatum ſuum incredibili laborum tolerantiâ confirmauit, vt ſe illius, cuius vita continua mors fuit, germanum legatum oſtenderet. Vnde 2. *Cor.* 12. 12. inquit: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt apud vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Vbi patientiam ad omnia aduerſantia toleranda, miraculis ac portentis in confirmationem Euangelij à ſe editis præfert: etenim maius Apoſtolatus ornamentum eſt pro Chriſto & eius Euangelio pati, quàm in Chriſti nomine ſigna edere ac miracula. Vnde Chryſoſt. *hom.* 8. *in epiſt. ad Epheſ.* exponens illud cap. 3. 1. *Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu*, ait: *Vinctum eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum,*

Apoſtolatū ſuum patientiâ Paulus nobilitauit.

Chryſoſt.

Maius eſt pati pro Chriſto, quàm eſſe Apoſtolum.

ſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc, regno quovis ac conſulatu maior: qui diligit & ardet Chriſtum, eligit potiùs vincula ferre propter Chriſtum, quàm cælos inhabitare: non enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, vt catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Hæc ille. Magna igitur Pauli gloria, qui non tantùm illata ſupplicia & vincula patienter ſuſtinuit, ſed etiam ad noua ſubeunda Chriſtum glorificaturus, eiuſque Euangelium diſſeminaturus, nedum ſe obtulit, ſed ad ea cucurrit ac volauit. Dum enim Agabus ipſi vincula & carceres Hieroſolymis prædiceret, Paulique diſcipuli lacrymis & precibus obſecrarent ne adiret Hieroſolymam, intrepidus Chriſti atleta reſpondit Act. 21. 13. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Vbi ſe magis diſcipulorum lachrymis, ob maximam in eos teneritudinem, quàm ſuis vinculis affici Apoſtolus demonſtrauit, ſicut notauit D. Chryſoſt. *hom. 45.* dum ait: *Nihil Paulo in amore indulgentius; quia videbat lacrymantes, dolebat, qui in propriis tentationibus non patiebatur.*

D. Chryſoſt.

398. Tanto ab Apoſtolo ſumant ſibi exemplum Chriſtiani Sacerdotes: ad Chriſti gloriam propagandam mori parati ſint, ad vincula & carceres feſtinent, nec labore, iniuriâ, odio, perſequutione, inuidiâ, vel tormentis ab Apoſtolico munere deterreantur; immò vbi plus laboris erit ac difficultatis, illuc maiori cum fiducia, ac animi alacritate accurrant, patientiæ ſplendore attracti. Sic planè egit Paulus, qui *Rom. 15. 20.* ait: *Prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ſed ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annuntiatum de eo.* Vbi D. Chryſoſt. *hom. 24.* inquit: *Vide Paulum illuc accurrentem, vbi plus erat laboris, vbi plus ſudoris.* Sic etiam agere docuit dilectiſſimum ſibi Timotheum, quem monet 2. epiſt. 4. 2. *Prædica verbum*, inquit, *inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Etenim Sacerdotis prædicatio, & ab ipſo auditorum obiurgatio, obſecratio ac increpatio omninò vanæ eſſent & inanes, niſi quod doctrina pronuntiat, patientia confirmaret. Immò doctrinam debet antecedere patientia, ſicut ibidem notauit Hugo Cardinalis, quia vt ipſe loquitur, *patientia mouet affectum, & doctrina inſtituit intellectum; patientia in exemplo, doctrina in verbo.* Nuſquam enim vel iratus, vel commotus appareat concionator, ſed ſemper ex ſumma animi tranquillitate doceat; maximè cùm ex charitate ad Deum & proximum Eccleſiam Dei inſtruendam ſuſceperit. Hæc autem, vt loquitur Apoſtolus 1. Cor. 13. 4. *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, ſed omnia ſuffert, & omnia ſuſtinet.* Conſequenter igitur, ſicut qui diligit aliquem propter eius amorem, patienter quæcumque difficilia tolerat: ita Concionator quem charitas Chriſti debet vrgere, ob Saluatoris amorem & animarum ſalutem quæcumque aduerſantia inuictâ debet patientiâ tolerare. In quo Chriſti doctrina ore Sacerdotis promulgata maximo cum fructu ab audientibus ſuſcipietur; nam vt dicitur Prouerb. 19. *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Illius ſcilicet, de quo ſcriptum eſt, *Ecce vir oriens nomen eius.* Zach. 6. 12. Hinc optimus amantiſſimuſque Saluator *Luc.* 21. 19. diſcipulis prædixit, animarum ſuarum patientiâ propriâ effici poſſeſſores. *In patientia* (inquit) *veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Quod D. Bernard. *de conuerſ. ad clericos, cap.* 26. expendens, aduertit patientem verbi Dei diſpenſatorem, non tantùm ſuam, ſed etiam aliorum animas poſſidere; ait enim, *non modò ſuam, ſed & multorum animas lucrifacit.* Quod cùm in maximam Dei gloriam cedat, qui à nouiter conuerſis cognoſcitur, colitur, & adoratur, Deum non parum patientiâ glorificari certum eſt.

Ibi Paulus accurrebat, vbi plus erat laboris.

Hugo Card.

Patientes cum fructu audiuntur.

Patientia doctrinam præcedat.

D. Bernard.

Eo planè modo quamplurimos ex Albigenſibus ad gremium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reuocauit ſanctiſſimus Patriarcha Dominicus: incredibili enim patientiâ ac manſuetudine illatas ab eis iniurias, omnaſque alias calamitates conſtantiſſimè perpeſſus, Fulconem Toloſanum Epiſcopum ad paupertatem, manſuetudinem & patientiam ſectandam hortatus eſt; ac aliquando ab hæretico per loca inuia, lapidibus acutis, tribulis ac ſpinis conſita ductus, dum copioſus ab eius pedibus ſentibus vulneratis ſanguis emanaret, lætus Deo hymnos concinens, de purgatis proprio cruore reatibus, ac citiſſimè deuincendis ac ad Eccleſiam reducendis Albigenſibus gratias egit, vt ex B. Humberto de Romanis Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali quinto, S. Antonino & aliis refert Malvenda in annalibus Ord. FF. Prædicatorum, ann. 1211. ita vt ille qui à recto viæ tramite S. Dominicum errare fecerat hæreticus, cernens mirabilem & lætam Dominici & ſociorum patientiam, & viri Dei verbis bonis compunctus, fraudis venena detexerit, & hæreſim abiurauerit. Cúmque aliàs in eius faciem exſpuerent hæretici, ac eius vultum etiam luto deturparent, gaudenſque ſui contemptum & irrogatas pateretur iniurias, patientiâ obſtinata eorum corda ita perculit, vt benignitate, conſtantiâ ac manſuetudine doctrinâ & miraculis roboratis, centum millia illorum Chriſto & eius Eccleſiæ admirabili fœcunditate genuerit. Adeo verum eſt Sacerdotes ac diuini verbi diſpenſatores, *patientiâ*, quæ *opus perfectum habet*, vt loquitur Iacob. *cap.* 1. Deo non mediocrem gloriam comparare. 399.

S. Dominicus patientiâ hæreticos ad fidem reduxit.

§. II.

Salus animarum, poſt gloriam Dei, alter finis eſt Sacerdotij nouæ Legis.

Illud cuius gratiâ aliquid fit, illius finem eſſe, vniuerſa Philoſophorum docet ſchola poſt Ariſtotelem 2. *Phyſic.* Cùm ergo diuinæ gloriæ propagandæ, ac ſalutis humanæ procurandæ gratiâ ſummus omnium ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdos Chriſtus Dominus in materno vtero vnctus ſit, ſuique Sacerdotij conſortes quoſdam ex hominibus elegerit, quorum miniſterio alij, prioribus morte ſublatis, ſufficiuntur; gloriam Dei ac hominum ſalutem Sacerdotij nouæ Legis finem eſſe, res eſt omninò indubitata. Cùm autem omne agens propter finem agere debeat, & dum à fine deficit, peccet; gloriam Dei ac ſalutem animarum intendere totis viribus nitantur Sacerdotes, ita vt quoties ab illis declinabunt, toties ſe crimini obnoxios agnoſcant. 400.

Ariſtot.

Salus animarum alter Sacerdotij finis.

cant. Iam modum quo glotiam Dei comparare debent præcedenti paragrapho expoſuimus, nunc quomodo animarum ſaluti ſtudere tenentur illuſtrabimus.

401. Ingentis momenti res eſt ſalus animarum; opus omninò arduum, humanas vires ſuperans, diuinaſqoe requitens; nec aliquis vel homo, vel Angelus ſuperno adiutorio deſtitutus, par tanto poteſt eſſe negotio. *Ars artium eſt regimen animarum*, inquit Gregorius in Paſtorali, *part.* 1. *cap.* 1. quia ſcilicet a via veritatis errantes ad illam reducere, & in via mandatorum Dei ambulantes confirmare, ac ad curſum incitare tenetur. Vnde à Deo ſpecialiter conſtituti ſunt Sacerdotes animarum Paſtores, eius veluti legati, coadiutores, ac miniſtri. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, inquit Apoſtolus 2. *Cor.* 5. 20. & 1. Cor. 3. 9. *Dei* (inquit) *adiutores ſumus*. Cùm enim illius ſit ſaluare hominem, cuius eſt condere, ac redimere; ſolus autem Deus hominis ſit creator & redemptor; ideo ſolus ille poteſt hominis eſſe Saluator, ac conſequenter vt de facto animæ Dei potentiâ creatæ, ac Chriſti ſanguine redemptæ ſalutem conſequantur æternam, nequeunt homines laborare, niſi à Deo ad hoc eligantur, & ab eo idoneas tanto miniſterio vires recipiant. Hinc Dominus diſcipulis, quos fidei Chriſtianæ ſatores, ac animarum piſcatores conſtituit, dicebat Ioan. 15. 16. *Elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Cùm tamen priùs dixiſſet ibidem 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic vos niſi in me manſeritis*: vt oſtenderet nullum in peccatorum conuerſione ac animarum ſalute fructum poſſe producere, niſi in eius charitate firmati, ac eius virtute roborati fuerint. Debent igitur in Chriſto manere, & propriæ ſaluti inuigilare Sacerdotes, ſi commiſſi populi ſalutem Apoſtolicâ cupiunt ſollicitudine procurare. Tunc etenim non mediocri gloriâ donabuntur, ſi propriam verbis & exemplis in proximum eructantes ſanctitatem, dignos in eo æternæ ſalutis fructus pariant. Si autem à Chriſto Domino veriſſima ac nobiliſſima vite, iniquitatis gladio reſecentur, non ſolùm gloriâ, ac propriâ ſalute orbabuntur, ſed & in proximo verbis erunt ſteriles, & operibus inefficaces, nullamque exinde Deo animam comparabunt. Quod eleganter attigit Auguſtinus *tract.* 81. *in Ioan.* dum inquit: *Ligna vitis tanto ſunt contemptibiliora, ſi in vite non manſerint, quantò glorioſiora, ſi manſerint.* Et ſtatim ſubdit: *Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, in vite ſit.* Hæc Auguſtinus, vbi optimum Sacerdotibus tradit documentum, vt ſcilicet à Chriſto nullatenus ſeparati, non ſolùm æternum fugiant incendium, ſed etiam ab illo aliorum animas verbo & exemplo ſtudeant retrahere, eiſque æternam ſalutem ardenti zelo procurare.

Ars artium eſt regimen animarum. D. Greg.

Eiuſdem eſt hominem ſaluare, cuius eſt creare.

Propriæ ſaluti inuigilent Sacerdotes, vt alienam curent & promoueant.

D. Auguſt.

Palmiti aut eſſe in vite, aut eſſe in igne competit.

402. Vtramque, & propriam, & aliorum, Timotheo dilecto diſcipulo Apoſtolus commendauit ſalutem, dum 1. *Tim.* 4. 16. inquit: *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Primùm ergo propriæ Sacerdos, deinde ouium ſaluti ſermone & opere debet inuigilare; ſic enim dabit voci ſuæ vocem virtutis, quia vt notat D. Bernardus ep. 201. *Sermo viuus & efficax exemplum eſt operis, facilè faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur.* Quod verè accidit dum bonis operibus plenus, ſe gratiâ ac ſanctitate plenum ſuis auditoribus demonſtrat Sacerdos, eoſque ad virtutem propriæ virtutis adducit incitamento. Sic ſuum Eugenium docebat Bernardus *lib.* 2. *de conſider.* vbi Sacerdotis & Paſtoris, qui ſeipſum, deinde populum ſaluum facere debet, officium deſcribit. *A te*, inquit, *tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucreris, te vnum perdens? Et ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris.* Deinde ſubdit: *Noueris licèt omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam, non ſtructuram faciens. Quidquid exſtruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulueris, ventis obnoxium, &c.* Sibi ergo primùm attendat, deinde alios docere ſatagat; ſeipſum primùm ſanctificare, deinde alios juſtificare optimus curet Prælatus. Trium, quæ gerit, officia perſonarum ipſum ad ſtrenuè laborandum compellunt, vt ſibi commiſſæ ſaluentur animæ, ſcilicet quia *Patris, Paſtoris, ac Medici muneribus in Eccleſia à Deo ſibi credita decoratur, & fungitur.*

D. Bernard.

Sermo efficax exemplũ eſt operis.

Sapiens non dicitur qui propriam negligit ſalutẽ, alienam procurans.

Triplici officio ſalutem curet animarum Sacerdos.

Subditorum ſalutem promoueat Sacerdos, tanquam illorum pater.

Pater eſt qui Dei vicem in ſuæ Eccleſiæ gubernatione gerit, qui regendas, inſtruendas ac ſanctificandas ſuſcipit animas. Pater, inquam eſt, non carnis, ſed ſpiritus; non corporum, ſed animarum. Has genuit non corruptibili, ſed incorruptibili ſemine; non ventre, ſed mente; non carnis fœcunditate, ſed ſermone veritatis; non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum; non vt in terra manerent, ſed vt cœlum replerent; non vt temporali rerum abundantiâ diteſcerent, ſed vt æternis gloriæ diuitiis fruerentur. Se patrem dixit Apoſtolus eorum quos Chriſto & Eccleſiæ verbi peperit prædicatione: alij (inquit) magiſtrorum nomine erga vos glorientur, ego patris veſtri titulo gaudeo; nam *Etſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres; nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* 1. Cor. 4. 15. Quod exponens S. Thomas ibidem *lect.* 3. ait: Eſt autem generatio proceſſus ad vitam: homo autem viuit in Chriſto per fidem. *Gal.* 2. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei. Fides autem, vt dicitur *Rom.* 1. eſt ex auditu, auditus autem per verbum. Vnde verbum Dei eſt ſemen quo Apoſtolus eos genuit in Chriſto. Vnde *Iacobi* 1. dicitur, *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Hæc S. D. Cùm ergo Apoſtolorum locum in Eccleſia teneant Paſtores & Sacerdotes, ſibi commiſſas animas Deo gignunt verbo veritatis, earumque meritò parentes appellantur. 403.

Primò, quia pater eſt.

D. Thom.

Cùm autem juxta communem Philoſophorum ſententiam, qui dat eſſe, det etiam conſequentia ad eſſe, & ab eodem res producatur ac conſeruetur, vnde & Deus rerum omnium conditor, eſt etiam conſeruator; qui verbo veritatis 404.

Qui hominẽ Chriſto genuit, debet illũ in Chriſto conſeruare.

ac Sacramenti Bapriſmatis adminiſtratione in eſſe ſpirituali ac ſupernaturali Eccleſiæ Chriſti animas genuerunt, illas in eſſe gratiæ conſeruare, ac ad gloriam, quæ eſt gratia conſummata, tenentur perducere; vel ſaltem nulli labori parcere, vt ipſam ac æternam ſalutem conſequantur. A patribus carnalibus ſumant ſibi parentes ſpirituales erga filios documentum; & ſicuti illi tenerrimo ac fortiſſimo à ſe genitos amore proſequuntur, ita vt bonum omne quod in eorum eſt poteſtate, ipſis velint: ita ardenti charitate ſpirituales filios ſpirituales diligant genitores, ipſiſque æternæ beatitudinis communicationem, ſupra quam fundatur charitas, vt docet S. Thom. 2. 2. *q. 25. art. 5.* ſeu ſummi boni aſſequutionem velint, quærant ac procurent. Quamvis enim omnes homines teneantur Sacerdotes ex charitate diligere, eiſque æternam ſalutem deſiderare; attamen maiorem erga ſibi commiſſos exhibeant dilectionem, maiorique zelo eis adminicula debent ſuppeditare, vt æternam beatitudinem valeant comparare: nam vt docet D. Thomas *loc. cit. q. 26. art. 6.* non minus eſt ordinatus affectus charitatis, qui eſt inclinatio gratiæ, quàm appetitus naturalis, qui eſt inclinatio naturæ; vtraque enim inclinatio ex diuina ſapientia procedit. Cùm autem ex amore naturali plus diligat pater filium, eiuſque maiorem curam habeat, quàm aliorum; ex charitate, quæ eſt dilectio ſupernaturalis, magis debet diuinorum diſpenſator, eos qui ſpiritualiter ab eo geniti, ac tanquam filij, eius ſubiacent ſolicitudini, quàm alios aliis commiſſos amare, ac vehementiùs & ardentiùs pro illorum ſalute laborare. Immò vt loquitur D. Ioan. Chryſoſt. hom. 3. in 2. ep. ad Timot. *Oportet naturales patres affectu & dilectione tranſcendere, qui pater eſt animarum.*

Æternum bonum ſibi ſubditis debet velle & quærere Sacerdos.

D. Thom. Affectus charitatis eſt inclinatio gratiæ; affectus naturalis eſt inclinatio naturæ.

D. Chryſoſt.

405. Cùm autem temporales genitores omni induſtriâ, omnique labore filiis ſuis temporalem prouideant hæreditatem, eamque in dies augere conentur, vt iſti tranſitoriâ felicitate in ærumnoſo ſeculo breui tempore fruantur, vnde vt ait Apoſtolus 2. Cor. 12. 14. *non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis:* omnem debent Sacerdotes adhibere ſolicitudinem, omnemque diligentiam, vt æternam & immarceſſibilem gloriæ immortalis coronam, quæ Sanctorum merces eſt, ac hæreditas, ſpirituales filij in cœlorum domicilio valeant adipiſci. *Filiæ tibi ſunt? Serua corpus illarum*, inquit Sapiens Eccleſ. 7. 27. quia ſcilicet theſaurum, hoc eſt virginitatem, deferunt in vaſis fictilibus. Quibus verbis admonentur Sacerdotes, vt animas ſubditorum, quas tanquam filias regendas tradidit eis Dominus, ſummâ vigilantiâ ſtudeant conſeruare, vt fides quæ mentis virginitas eſt, ac integritas, charitate roborata, ſpe firmata, ac diuinâ gratiâ exornata, pretioſus veluti theſaurus in eis cuſtodiatur, ac tandem finem fidei ſuæ reportantes, ſalutem æternam conſequantur. At non ſolùm animæ fidei, charitatis, cæterarumque virtutum theſaurum poſſident; ſed ipſi parentes ſpirituales, Domini Sacerdotes: horum pretioſiſſimus theſaurus ſunt animæ ipſæ, quæ cùm Chriſti Saluatoris diuitias faciant, mirum non eſt, miniſtris ac legatis ſuis inæſtimabilem eſſe theſaurum.

Filij parentes debent theſaurizare.

Animæ ſubditorum filiæ paſtorũ.

Et eorum diuitiæ.

406. Caueant ergo, ac ſummâ vigilantiâ curent creditas ſibi diuitias conſeruare, ac tandem Domino ad communem operum retributionem venienti, abſque aliqua valoris diminutione præſentare. Periculoſa ſanè ſolicitudo, quæ non minimum Dei miniſtris incutit terrorem! Formidabat vtique inclytus ille monaſterij Clareuallenſis Abbas D. Bernardus, in quo non multarum curam gerebat animarum; attamen ne vel vna, tanquam ex theſauro, gemma, vel margarita deficeret, expaueſcebat. *Quid ergo*, inquit ſerm. 3. de duplici aduentu, *infelix? quo me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius iudicauit, contigerit negligentiùs cuſtodire? Si ſtillantem* (ſubdit Bernardus) *in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpiùs oporteret, quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſeruandum accepi, pro quo mercator non inſipiens, ipſa vtique Sapientia, ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur.* Hæc Mellifluus Doctor. In quibus rectè colligit, quanto ſtudio in huius theſauri cuſtodiam incumbendum ſit, quantâ ſolicitudine vigilandum, tum propter magnitudinem pretij, quod includit; tum propter iacturæ periculum, in quo verſatur.

D. Bernard.

Timebat Bernardus animarũ ſibi commiſſarũ ruinam.

Theſaurum illas dicebat animas.

Sed cui ſeruatur hic theſaurus? Cui cuſtoditur anima. Nonne illi, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*, vt loquitur Apoſtolus *Coloſſ.* 3. & qui, vt dicitur 1. Pet. 2. 25. *Paſtor eſt, & Epiſcopus animarum.* Sanè vt ad illum bonis accedat operibus, & ab eius manibus æternæ vitæ recipiat coronam, debet ſpiritualis parens omnem laborem exantlare. Si defecerit, aut negligens fuerit, theſaurum amittet, filios perdet, ac gregis derelicti pœnas dabit: propriam reddet ab æterno iudice in æternum caſtigandam animam, qui ſibi commiſſas filiorum animas non curauit. Etenim non ſolùm deſidiæ, ſed & crudelitatis arguitur, qui cordis ſui prolem in æternas patitur abire moleſtias, ſeque non parentem, ſed peremptorem omnibus manifeſtat. Non ſolùm autem filiorum, ſed ſui ipſius occiſor inuenitur, qui ſpiritualiter à ſe genitos à vitiorum voragine non nititur reuocare, ac ad ſalutem promouere. Seipſum enim in illis, qui non ſolùm caro eius & viſcera, ſed etiam ſpiritus eius ſunt, dirâ inhumanitate confodit: nam vt inquit Euripides, *omnibus hominibus filij ſunt anima:* & vt Ariſtoteles 8. *Ethic. cap.* 12. dixit, *parentes diligunt filios, vt aliquid ſui exiſtentes:* vnde illis liberorum vita ita chara eſt, atque ſua; vel vt quidam dixerunt, pluſquam ſua. 407.

Christo ſeruantur animæ.

Crudelis eſt qui ſpiritualẽ prolem dãnari ſinit.

Eurip. Parentibus filij ſunt anima. *Ariſtot.*

Damnantur itaque à carnalibus patribus ſpirituales, ac negligentes genitores: dum enim illi, vt natos ad ſeculi faſtigia, quæ plerumque funeſtos dant caſus, extollant, nullo non labore defatigantur; iſti nec voce, nec opere, nec nutu, nec ſigno filios ab vltimo vitæ æternæ fine, in quo ſumma rationalis creaturæ dignitas conſiſtit, aberrantes, ac in inferorum properantes abyſſum, ſtudent reuocare. *Si vos*, dicebat Dominus carnis parentibus Matth. 7. 11. *cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, &c.* Quo ſermone ſignificauit vehemens quo ad filiis benefaciendum inclinantur humani parentes, deſiderium: ardens enim in eis ad bona natis congreganda eſt voluntas. Pudeat ergo Sacerdotes à carnalibus patribus in amore vinci; & totis mentis ac corporis viribus ſummum bonum iis, quos 408.

Negligentes Sacerdotes à carnalibus patribus dãnantur.

ſpiritu

ſpiritu genuerunt, nitantur comparare. Vt autem feliciter tanto manum admoueant operi, & animas ſibi commiſſas ad ſalutem perducant, ardenti flagrare debent charitate, ita vt non ſolùm patris, ſed etiam matris in illas & perſonam exhibeant, & affectum.

Etiam matris præſtent officium Sacerdotes in ſubditos.

409. Ita planè vſus eſt gentium Apoſtolus, qui Theſſalonicenſes non ſolùm verbo genuit, exemploque formauit vt pater, ſed etiam dilexit, fouit, amauitque vt genitrix. *Tanquam*, inquit, *ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis*. 1. Theſſalon. 2. 8. Et ad Corinthios ſcribens, quos ſe in Chriſto tanquam patrem genuiſſe commemorat, tanquam nutricem fouiſſe, & lactaſſe gloriatur: *Lac*, inquit, *vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis*, &c. 1. Cor. 3. 1. Vnde exemplum Apoſtoli normam ſibi ſtatuant Prælati, & ſe non tantùm parentes, ſed etiam nutrices ſciant & gerant animarum. Illis tanquam alumnis ſummâ charitate ſemper adſint, vt eos lactent, nutriant, foueant, & indulgentiſſimo gremio complectantur: eos doceant, inſtruant, informent, ad greſſus moueant, ad verba diſponant, balbutientes corrigant, loquentes conducant, agentes, immò in via mandatorum Dei ambulantes dirigant, & ad æternæ beatitudinis brauium veluti manuducant.

Sacerdos vt nutrix foueat & nutriat ſubditos, ac formet.

410. Nec ſolùm verba & manus alumnis porrigant, ſed & vbera, & cor, immò & ipſam animam exhibeant. *Bonus enim paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, vt dicitur *Ioan.* 10. & optima genitrix, vt fœtui ſuo ſeruet vitam, propriam amittere non veretur. Vnde & ille qui fidelium pater ac mater ſuis declaratur Apoſtolis, vtriuſque amorem Corinthiis ſignificauit, dum 2. *ep.* 12. 15. ait: *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Et D. Bernardus Bernardum diſcipulum in Eugenium Papam mutatum monuit epiſt. 137. *vt pro ſibi creditis à Deo ouibus intelligeret ſe miniſtrare debere, non ſolùm ſubſtantiam, ſed ipſam quoque animam.* Dum enim optimus pro ſubditis animam ponit Sacerdos, animas ſine dubio lucratur, & ſanctificat ſubditorum, eaſque ad regnum cœlorum introducit, ſicut eleganter proſecutus eſt Rupertus Abbas *in cap.* 10. *Ioan.* dicens: *Aſperſa ſunt ouilia ſanguine paſtorum, maduerunt campi, cruentata ſunt paſcua, ditatum eſt cœlum animabus, quas paſtores pro ouibus poſuerunt.* Quibus verbis liceat addere, *ditatum eſt cœlum animabus quas paſtores ex ouibus ad cœlos verbo & exemplo, immò & ſanguine, hoc eſt ardenti zelo, & infatigabili labore tranſtulerunt.* Sic enim Chriſto Domino omnium Sacerdotum primo, & Paſtorum optimo conformabuntur: ipſe enim qui *pater futuri ſeculi* ab Iſaia *cap.* 9. 6. vocatus eſt, cunctos fideles genuit: ac tanquam nutrix fouit & lactauit; ideoque vberibus plenum illum aſpexit Ioan. *Apoc.* 1. 13. vbi illum vidit *præcinctum ad mammillas zonâ aureâ*. Hominesque paterno ac materno proſequens affectu, pro illis animam ſuam poſuit, ac illorum quamplurimos ſecum ad cœlos ſubleuauit, ac in æterna tabernacula, dum illa triumphans ingrederetur, introduxit. Nam vt dicitur pſal. 67. 19. *Aſcendens in altum captiuam ſecum duxit captiuitatem.*

D. Bernard.

Etiam animã debet dare Sacerdos pro ſubditis.

Rupert.

Chriſtus vt nutrix ad mammillas præcinctus.

Subditorum ſalutem curet Sacerdos vt illorum Paſtor.

Verùm non ſolùm parentis, ſed etiam paſtoris in ſubditorum ſalute procuranda officium debet exercere Sacerdos. Ipſum hoc ſuadet genitoris nomen; vt enim notarunt plurimi, pater à paſcendo dicitur; & idem debet nutrire, qui genuit. Quod ab ipſa natura comprobatur, quâ dirigente, non ſolùm homines, ſed etiam rationis expertia, quæ genuerunt, alunt animalia. Vnde qui omnia creauit Dei Filius, omnia paſcit: *Omnia* ſiquidem *ab illo expectant, vt det illis cibum in tempore*, vt dicitur *pſal.* 103. 27. quod attigit D. Clemens Alexand. *lib.* 1. *pædag. cap.* 6. dum ait: *Verbum eſt omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Debet ergo qui ſuo Sacerdotio ſpiritualis pater eſt, etiam ſpiritualis eſſe nutritius animarum, eaſque debet paſcere juxta præſcriptum à Domino Apoſtolorum Principi, quem Eccleſiæ ſuæ rectorem, ſimul & fidelium paſtorem conſtituit. Poſtquam enim eius in ſe, iteratâ reſponſione, cognouit amorem: iteratâ, immò & ternâ commiſſione præcepit, vt oues ſuas paſceret. *Ioan.* 21. *à num.* 15. vt ſcilicet triplicem paſcendi modum ad ſuas reficiendas ac ſaginandas oues deſignaret. Voluit enim vt Petrus, & quilibet eius in Sacerdotio vel collega, vel ſucceſſor, tria quæ in ſe habet, ad paſcendum oues inſumeret: vt ſcilicet animum, ſermonem, & vtrumque in pietatis operibus inuolutum, ouibus rationalibus præberet in pabulum, ſicut notauit D. Bernardus *ſerm.* 2. *de reſurr.* nam dum Petro oues paſcendas triplici mandato præcepit, idem eſt ac ſi dixiſſet, vt hîc Mellifluus Abbas loquitur, *paſce mente, paſce ore, paſce opere: paſce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Quod etiam docuit *ep.* 201. vbi inquit: *Paſce verbo, paſce exemplo, paſce ſanctarum fructu orationum.* Etenim ſicuti dum Dominus, qui paſtorum omnium paſtor eſt, hominem paſcit, omnia ei requiſita pabula ſubminiſtrat, ita vt nihil prorſus ei deſit, vnde Pſalmiſta cecinit pſal. 22. 1. *Dominus regit me*, ſiue vt alij legunt, *paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit*: ita qui eius in Eccleſia vices gerunt, Chriſti ouibus quas regendas ſuſceperunt, omnia tum ſermonis, tum operis, tum orationis debent alimenta, vt vocibus excitatæ, orationibus roboratæ, pietatis exemplis ac bonis operibus magis firmentur. 411.

Secũdò quia paſtores ſũt, ſalutẽ curent ſubditorum Sacerdotes.

D. Clem. Alex.

Idem paſtor qui & pater.

Paſcẽdi ſunt fideles à Sacerdote, animo ſermone, & pietatis operibus.

Mente, ore, opere.

Animi oratione, verbi exhortatione exempli exhibitione.

Verbo, exemplo & oratione.

Aliud pabulum ouibus Chriſti à Paſtoribus deberi docuit S. Thomas *in cap.* 12. 2. *ep. ad Cor. lect.* 5. nempe temporale ſubſidium, quod ipſis eleemoſynæ diſpenſatione erogatur. Nam ſicuti Paulus, qui dicebat: *Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*; bona ſpiritualia fidelibus impendebat prædicando, & exempla monſtrando: & diſpenſabat temporalia Corinthiis, in quantum prædicabat, & ſeruiebat eis cum ſumptibus aliarum Eccleſiarum: ita hæc tria quilibet Prælatus debet ſuis ſubditis miniſtrare, vnde addit D. Thomas, *Dominus dixit ter Petro, Paſce oues meas*; id eſt, *paſce verbo, paſce exemplo, paſce temporali ſubſidio.* Salutem igitur ſibi commiſſi populi promouere ſtudeat Sacerdos, paſcendo ſpirituali alimoniâ diuini ſermonis, de quo Chriſtus Dominus *Matth.* 4. 4. dixit: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Sed quia ſuperiùs de 412.

D. Thom.

Paſcẽdi ſunt fideles verbo, exemplo & temporali ſubſidio.

prædicationis munere, quo fungi debent Sacerdotes, loquuti ſumus, ab hoc modò abſtinemus.

412. Paſcat deinde bonorum operum exemplo, vt ſimul verba quæ protulit, confirmet, & auditores ad pietatem & ſanctimoniam efformet. Nam vt loquitur D. Gregor. *in cap.* 28. *Iob*, ſub finem: *Lex eſt prædicatoribus poſita, vt impleant quod loquendo ſuadere feſtinant; nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur. Illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc quod ſonuerit, opere confirmat.* Hinc Paulus Timotheum Epheſiorum Paſtorem monet 1. ep. 4. 12. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide & caſtitate.* Et Tito Cretenſium Epiſcopo ſcribens *cap.* 2. 7. inquit: *In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Ac ſi dicat, vt inquit ibidem S. Chryſoſt. *ſit omnibus doctrina, exemplarque tuæ virtutis, ſpeculum vitæ, quod omnibus ad imitandum proponitur, veluti primaria quædam imago, omnia in ſe habens, quæ bona & honeſta ſunt.* Nam ſicuti qui ſcribere & pingere diſcunt, exemplar à magiſtro propoſitum inſpiciunt & conantur exprimere: ita Sacerdotis mores inſpicit & imitatur populus; vnde non paſcit, ſed alimentum ſubtrahit, immò & occidit populum, qui bona docens, mala agit: opere enim deſtruit, quod verbo formauit. Vnde Primaſius *in cap.* 2. *epiſtola ad Titum*, inquit: *Apoſtolum monuiſſe Titum, vt ſeipſum præberet exemplum bonorum operum, ne exemplo deſtrueret verbum.* Vnde D. Dregor. 1. parte Paſtoral. cap. 3. *Sit Paſtor*, inquit, *operatione præcipuus, vt vita viam ſubditis viuendo denuntiet; & grex qui paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur. Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: & optima ouium paſcua ſunt exempla paſtoris.* Denique ſemper gregem paſcat inceſſabili operatione virtutum, ſuoſque ſubditos non tam loquendo, quàm viuendo ſanctificet; & vt loquitur D. Athanaſius ad Monachos: *Vita iubeat, lingua perſuadeat.* Sed de his ſuperiùs tractauimus.

D. Greg.

Vox Sacerdotis roboratur.

D. Chryſoſt.

Sacerdotis mores populus imitatur.

D. Greg.

Dum vita iubet, lingua ſuadet.

D. Athanaſ.

413. Tertium quod gregi ſuo Paſtor debet alimentum, iuxta Abbatem Mellifluum ſanctarum fructus eſt orationum: etenim illius præcipuum munus eſt pro ſe populoque ſibi commiſſo preces & vota Deo offerre, vt diuinam omnibus clementiam exoret, ac propitiationem impetret: ſic enim Princeps Paſtorum, dum pro ouibus ſuis animam ſuam poneret, vt ex omni parte Paſtoris munus adimpleret, preces, ſupplicationeſque ad Deum obtulit, vt ait Paulus *Hebr.* 5. 7. immò & pro crucifixoribus orauit, dum inquit Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Vnde Apoſtolus Chriſti Domini exemplum ſequutus, pro illis quos verbo docebat & exemplo, orauit: *Non ceſſamus*, inquit Coloſſ. 1. 9. *pro vobis orantes & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius.* Et Rom. 1. 9. *Teſtis mihi eſt Deus*, inquit, *quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, obſecrans, &c.* Sic etiam quem Dominus Pharaonis Deum & populi ſui ducem ac liberatorem conſtituerat, Moyſes, ceu zelantiſſimus Paſtor, pro commiſſo grege feruenti deprecatione rogauit: *Aut dimitte eis*, inquit, *hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Exod. 32. 32. Sicut autem orante Moyſe manus Domini veluti alligatæ tenebantur, ne in populum iraſceretur, ac eis crimina condonaret; ita eodem deprecante Dei manus aperiebantur, vt illos omni impleret benedictione, & alimenta etiam temporalia ſubminiſtraret. Vnde portentoſum illud, quod manna appellatum fuit, pabulum non ſolùm Moyſis precibus eis conceſſum, ſed per eius manus fuit erogatum. Nam primùm in manus cecidit Moyſis, & ab illis in populum tranſiuit, ſicut notauit Ioſephus lib. 2. Antiquit. cap. 1. *Dum Moyſes*, inquit, *precabundus palmas attollit, ros de cœlo delabitur: qui cum manibus eius hærens concreuiſſet, ſuſpicatus ille hanc alimoniam à Deo demitti, deguſtat, ac mox deguſtatam aliis offert, vt experti crederent.* Tantorum igitur ſequentes Sacerdotes exempla Paſtorum, pro grege commiſſo aſſiduè orent, leuantes puras manus ad Dominum, vt gratiæ quæ veluti manna à cœlo in eas decident, ab eis in populum labantur, & fluant. Sed de hac re infrà redibit ſermo.

Paſcat oratione Sacerdos.

Manna primùm in Moyſis manus cecidit, & inde ad populum tranſiuit. Ioſephus.

414. Vltimum quod gregi ſuo debent Sacerdotes pabulum, temporale ſubſidium eſt, quod iubente Domino illi tenentur erogare. Si enim cuilibet Chriſtiano à Chriſto imperatum eſt, de eo quod ſupereſt, proximo indigenti dare eleemoſynam, *Luc.* 11. 41. qui Paſtoris titulo gloriantur, ſubditis egentibus temporalia tenentur impertiri alimenta. Cùm enim non mediocri gregem proſequi teneantur amore, vnde antequam Petro gregem ſuum paſcendum Chriſtus committeret, de amore in ipſum, ac conſequenter in gregem interrogauit, *Ioan.* 21. vbi D. Auguſt. ait: *Interrogatur amor, & imperatur labor, quia vbi eſt amor, non eſt labor*: planè nullum pro grege amorem habere conuincitur, qui ad eum per eleemoſynarum largitatem manus non extendit: ſed nec in Deum amorem habere teſtatur, cuius abſque miſericordia egentem non iuuat imaginem. Nam vt inquit Ioannes 1. ep. 3. 17. *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vt ergo & Dei, & proximi charitatis igne ſe deflagrare demonſtret, paterna erga ſubditos, immò & materna viſcera ſummâ beneficentiâ aperiat, maximè cùm opulenti, quibus diteſcit, redditus, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex aliàs Eccleſiæ à piis viris conceſſis bonis, illi ad erogandum pauperibus à Deo tantùm commiſſi ſint. Vnde peccant grauiter qui bona quæ ab Eccleſia accipiunt, Eccleſiæ & pauperibus non reddunt; quia vt ait S. Proſper lib. de vita contemp. cap. 9. & 10. *Res Eccleſiæ nihil aliud ſunt, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* Vnde S. Bernard. *ep.* 2. *ad Archidiaconum Lingonenſem*, ait: *Dignum eſt, vt qui altari deſeruit, de altari viuat. Conceditur ergo tibi, vt ſi benè deſeruis, de altari viuas; non autem vt de altari luxurieris, vt de altari ſuperbias, vt inde compares tibi frena aurea, &c.* Et concludit: *Denique quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Quibus verbis non paruum ſanctus Abbas clericis & Sacerdotibus incutit terrorem: etenim monet omnes bona eccleſiaſtica poſſidentes, præter ſimplicem victum & veſtitum, cætera Eccleſiæ & pauperibus ab illis eſſe reddenda. Ergo paſcant pauperes neceſſe eſt, temporalia alimenta, aliaque ſubſidia corporalia ſuppeditando. Vnde idem Bernardus *ep.* 42. *ad Archiepiſcopum Senonenſem*, de pauperibus ab Epiſcopis derelictis ſic loquitur: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, &*

Paſcat etiam temporali ſubſidio.

D. Auguſt.

Subditos amet Sacerdos.

Sacerdotum redditus ſunt patrimonia pauperum.

S. Proſp.

D. Bernard.

dicunt:

Clamant pauperes in Sacerdotes bona in ſuperes vſus inſumentes.

dicunt : Dicite Pontifices, in freno quid facit aurum? Nunquid aurum à freno repellit frigus, ſiue eſuriem? Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis: noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis. Et alia quæ eleganti ſtylo proſequitur.

415. Notanter autem dilectus Domini diſcipulus carpens illum qui ſubſtantiam huius mundi egenti proximo non diſtribuit, dixit illum clauſiſſe viſcera ſua; vt inuat ſe præſertim increpare illos, qui parentum vices & nomina erga proximum ſeu fideles in Eccleſia gerunt, quales ſunt Sacerdotes & Prælati. Viſcera quippe ſymbolum ſunt paterni, imò & materni amoris; pa-

Filij parentũ viſcera.

tres coim & matres filios ſuos vocant viſcera ſua, vti Paulus vocat Oneſimum filium ſuum ſpiritalem *ep. ad Philem. verſ.* 14. vbi inquit: *Tu autem illum vt mea viſcera ſuſcipe.* Vbi S. Hieronymus

Crudeles ſunt qui eleemoſynis pauperes non alunt.

inquit, quod *omnes fily parentum ſunt viſcera.* Quantâ ergo crudelitatis notâ inuruntur Sacerdotes, qui viſcera ſua egentia ac famelica, bonorum quæ abundanter poſſident, erogatione oon reficiunt. Quomodo proprium ſanguinem pro ouibus fundent, vt bonus Paſtor agere tenetur, iuxta verbum Domini *Ioan.* 10. ſi externa bona diſpenſare recuſant. Confundat eos egregium

Ioannis eleemoſynarij egregium dictum.

S. Ioannis Epiſcopi Alexandrini, cognomento Eleemoſynarij reſponſum. Cùm enim quis profuſam eius in pauperes liberalitatem celebraret, reſpondit: *Nondum frater pro te ſanguinem fudi, ſicut mandauit Dominus meus Chriſtus.*

416. Cura pauperum & viduarum Sacerdotibus commiſſa.

Hinc eſt, quod ab exordio naſcentis Eccleſiæ pauperum & viduarum, etiam quoad temporalia ſubſidia ſpecialem curam habuerunt Sacerdotes & Epiſcopi, vices gerentes illius, qui pater orphanorum, & judex viduarum à Pſalmiſta *pſal.* 67. 6. voluit appellari. Quod attendentes Chriſtiani immenſas viris Eccleſiaſticis opes contulerunt, vt ſcilicet per manus illorum pauperibus erogarentur. Quæ etiam ratio Imperatores, Reges ac Principes Chriſtianos ſine dubio mouit, vt per manus Sacerdotum, qui eorum vocantur eleemoſynarij, bona ſua quotidianâ diſpenſatiooe mendicis & egentibus diſtribuerent. Inde etiam Xenodochia, vbi ægrotantes pauperes curantur, & peregrini hoſpitio donantur, Sacerdotum & Epiſcoporum, ex ſacrorum diſpoſitione Canonum curæ committuntur. Vnde & Apoſtolus 1. *Timoth.* 3. 2. Epiſcopum vult *hoſpitalem*, hoc eſt peregrinorum amantem, & in domo ſua hoſpitio recipientem: & ideo S. Gregor. ſcribens ad Ioannem Epiſcopum: *Hoſpitalitatem neſciens*, inquit, *non fiat Epiſcopus.* Vnde Concilium Aquiſgranenſe *lib.* 1. *cap.* 10. Epiſcopis præcipit hoſpita-

D. Hieron.

litatem, & verbis D. Hieronymi ad Oceanum

Hoſpitales ſint Epiſcopi.

præceptum contexuit: *Ante omnia*, inquit, *hoſpitalitas futuro Epiſcopo denuntiatur. Si enim omnes illud Euangelij audire deſiderant: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; quantò magis Epiſcopus, cuius domus omnium debet eſſe hoſpitium? Laicus enim vnum aut duos, aut paucos recipiens implebit hoſpitalitatis officium; Epiſcopus niſi omnes recipiat, inhumanus eſt.*

417. Egerunt hoc ſanctiſſimi Pontifices Gregorius Magnus, & Leo IX. Ille quotidie pauperes & peregrinos ad menſam adhibebat, cum quibus &

Sicut fuerũt Gregorius Magnus & Leo nonus.

Angelum, & Dominum Angelorum peregrini facie recepit. Pauperes & vrbanos & externos, quorum numerum deſcriptum habebat, benignè ſuſtentabat; & dum aliquando mendicus quidam mortuus inuentus fuiſſet, obſtupuit, ac adeò conturbatus eſt, vt de morte eius ſeipſum culpans, ac ſi defectu ciborum quos miniſtraſſe tenebatur, obiiſſet, pluribus diebus à tremendi oblatione ſacrificij temperarit. Leo autem circa annum Domini 1048. vt refert Sigebertus in Chronico, totus in pauperes & peregrinos effuſus, leproſum ante ædes ſuas inuentum in lecto ſuo collocari juſſit, ac mane ſequenti eundem requirens, diſparuiſſe comperit; vnde creditum eſt, Chriſtum miſericordiæ Dominum, Pontificis tam miſericordis ſpecie pauperis lectũ nobilitaſſe.

Hæc ſunt igitur quæ ardenti zelo gregi ſuo 418.
quilibet paſtor ſpiritualia debet præbere pabula. Si autem aliquis vnum ex quatuor quæ ſuprà expoſuimus, alimentis indigenti ſubtrahit, minimè ſe paſtorem gerit. Verba ergo diuina frequenter exponat; pia bonorum operum inceſſanter exhibeat exempla; feruentes ad Deum pro grege precationes dirigat, ac tandem ſubſidia temporalia bonorum largitione egentibus non recuſet. Cùm enim amor ſubditorum nobiliſſimus ſit paſtorum character; amare autem, vt ſæpius docuit D. Thomas, ſit velle bonum; hæc autem voluntas in boni communicatione effulgeat, ipſeque amor ſit primum donum, vt ex Ariſtotele idem inſinuat D. Thomas 1. *p. q.* 38. *art.* 2. paſtorem bonum velle ouibus ſuis, ac bonum præſtare, vtique & ſpirituale & temporale, omninò neceſſe eſt. Cùm enim Sacerdotes animabus prælati, ſponſi Eccleſiæ, nempe Chriſti amici eſſe debeant, immò vt loquitur D. Bernardus ſerm. 76. in Cant. *amiciſſimi*, eius familiam ſummo proſequi debent amore, & in eius ſubſidium ſpiritualia & temporalia bona conferre, etiam cum proprio detrimento. Siquidem cùm bonus paſtor animam ſuam dare debeat pro ouibus ſuis; illas magis quàm animam ſuam, hoc eſt propriam vitam, debet diligere. Vnde idem Bernardus *loc. cit.* ſubiungit: *Non otioſè toties repetitum eſt, Petre amas me, in commiſſione ouium. Et ego quidem id ſignificatum perinde puto, ac ſi illi dixiſſet Ieſus, Niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientiâ quod me ames, & valde perfecteque ames, hoc eſt plusquam tua, plusquam tuos, plusquam te, vt huius repetitionis numerus impleatur, nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus ſanguis vtique meus effuſus eſt.* Hæc Bernardus, qui etiam videndus eſt *ſerm.* 77. *ſeq.* vbi malos increpat Sacerdotes, qui vt ipſe loquitur, *peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſolicitudinem non impendunt.*

D. Thom.

Prælati ſubditos ament, vt pote qui Chriſti debent eſſe amiciſſimi. D. Bernard.

Amari debet Chriſtus à Sacerdote plusquam ſua, plusquã ſui, & plusquam ſe.

Salutem ſubditorum curet Sacerdos, vt illorum medicus.

Tandem in ouium ſalute procuranda, præ- 419.
ſtantiſſimi medici officium & perſonam gerere debent Sacerdotes. Sic enim paſtorum princeps in mundum medicus, mundum ſaluaturus, aduenit. *Spiritus Domini ſuper me*, inquit Iſai. 61. 1. & Luc 4. 18. *Propter quod vnxit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum.* Etenim, vt loquitur S. Auguſtinus, *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus.* Quod notauit S. Bernardus ſerm. 4. in vig. natal. exponens

Vt medicus ſalutem curet animarũ Sacerdos.

D. Bernar.

Chriſtus vt medicus venit in mundum.

exponens illud Cant. 2. *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vbi inquit: *Laua quidem leuat, dextera ſuſcipit. Laua medetur & juſtificat: dextera amplectitur & beatificat. In laua eius merita; in dextera verò præmia continentur. In dextera, inquam, deliciæ; in ſiniſtra ſunt medicinæ. Sed attende pium medicum, attende medicum ſapientem. Conſidera diligentiùs quàm noua medicamina portet: vide quod non modò pretioſas, ſed & ſpecioſas attulerit medicinas, non ſolùm perutiles ad ſanitatis fructum, ſed & delectabiles ad aſpectum, & ſuaues ad guſtum.* Sic ille Chriſtum medicum veniſſe, & in ſiniſtra ſua pretioſas & ſpecioſas attuliſſe medicinas, ad languores noſtros curandos & animos recreandos eleganter demonſtrat, quod etiam proſequitur ſerm. 32. in Cant. vbi legendus eſt.

410. Cùm ergo Chriſto Paſtorum omnium Principi conformes fieri teneantur Sacerdotes, gregis ſibi commiſſi ſanare tanquam Medici debent vulnera, & ferre languores, tædia diſſipare, & æternam illis ſalutem comparare. *Medicus eſt Dominus Ieſus, qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Pſal. 146. 3. vt loquitur D. Bernardus *ſerm. cit. in Cant.* Ergo fidelibus corde contritis medeatur Sacerdos, eorũ alliget contritiones, & oleo miſericordiæ foueat, ſanet, reſtauret. Sicut autem medicus abſens non ſatis opportunè medetur ægroto; ita abſens Sacerdos, vel Prælatus non ſatis opportunè auxiliatur delinquenti. Hinc reſidentiam Prælatorum omninò neceſſariam, ac de jure diuino diffiniuit Concil. Trident. *ſeſſ. 23. decreto de reform. cap. 1.* Quomodò enim ouem morbidam curabit, qui non videt, & ab illa maximè diſtat? Quomodò infirmum ſanabit, cuius neſcit infirmitatem? Et quomodo ſciet, ſi non tangit ægrotum? Quomodo tanget, ſi abſit? Sit ergo prope ægrotantem medicus, & juxta gregem Prælatus, vt illius videat languores & ſanet: agnoſcat vulnera & curet: cicatrices intueatur, & claudat, ac conſolidet: quod ſi putreſcere incipiat membrum infirmitate percuſſum, abſcindat partem in totius ſalutem corporis: ferro interdum vtatur, & igne; ſeueritate ac manſuetudine; juſtitiâ ac clementiâ. Medicus enim ſpiritalis poſitus eſt vt *euellat & deſtruat, vt ædificet & plantet.* Ierem. 1. 20. Vtrumque habet in ore, ignem ſcilicet & ferrum. Eloquium Domini cuius diſpenſator exiſtit, & quo euncta diſperſa debet reſtaurare, igneum eſt. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, pſal. 118. 140. Sed idem verbum ferreum eſt, nam *viuus eſt ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus*, vt dicitur *Hebr.* 4. 12. vnde & Sacerdotis os, quo verbum Domini fidelibus diſpenſatur, *gladius acutus* appellatur, Iſai. 49. 2. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum.* Et ideo de ore filij hominis *gladius vtraque parte acutus exibat*, vt habetur *Apocal.* 1. 15. Zelo igitur amoris & juſtitiæ infirmos ſubditos ſtudeat curare Sacerdos.

D. Bernard.

Vt medicus ſuis præſens ſit Sacerdos.

Conc. Trid.

Reſidentia Sacerdotum eſt de jure diuino.

Verbum Dei ignis eſt & ferrum.

421. Inſuper ſicut medicus ægrotantium domos perpetua viciſſitudine frequentat; ita eorum qui ſub paſtorali cura conſtituuntur, domicilia frequenter debent viſitare Sacerdotes: vnde maiores Sacerdotes, nempe Epiſcopi, proprias luſtrare diœceſes à multis Conciliis, & nouiſſimè à Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. cap.* 3. jubentur. Vnde *Eccl.* 7. 24. dicitur: *Pecora tibi ſunt? Attende illis.* Vbi juxta Græcum Ianſenius legit: *Inſpice & viſita*: etenim qui ſuas oues non viſitat, nec illis attendere, nec earum valet mederi languoribus. Chriſtus enim qui ſe medicum dixit animárum, Marc. 2. 17. *circuibat omnes ciuitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem*, vt dicitur *Matth.* 9. 35. vt oſtenderet Sacerdotes ad ſubditorum viſitationem teneri, vt eis ſpiritualem impertiant ſanitatem. Nulli parcere debent labori, contumelias omnes, ac iniurias vorare tenentur, & corporeã vitam exponere, vt oues ſeruent, eiſque vitam conferant ſempiternam; immò nec ſeipſos perdere vereantur, vt ſibi commiſſos ſanare & ſaluare valeant. *Factus ſum tanquam vas perditum*, inquit Pſalmiſta *pſal.* 30. 23. quod ad rem præſentem exponens D. Bernardus ſerm. de S. Benedicto: *Benè*, inquit, *ſeipſum perdit, qui nihil vnquam pro ſe facit: ſed omnis eius intentio, & omne deſiderium tendit ad Dei placitum, & vtilitatem fratrum ſuorum.* Hæc ille. Feliciter ergo laborabit ſpiritalis medicus, vt quietem & tranquillitatem afferat ægrotis: feliciùs infirmabitur, vt infirmis conferat ſanitatem: ſed feliciſſimè ſeipſum, hoc eſt vitam ſuam temporalem perdet, vt ſuis, ſibique vitam lucretur ſempiternam. Feliciſſima factura, per quam comparatur noua creatura nuſquã moritura, & immarceſſibilis corona in æternũ duratura.

Subditos vt medicus ægrotos inuiſat Sacerdos.

Chriſtus circuibat omnes ciuitates & caſtella, vt homines viſitaret.

D. Bernard.

Seipſum quodãmodo perdat Sacerdos, vt ſaluet ſubditos.

Vita temporalis amittenda, vt æterna tribuatur, & poſſideatur.

Ex quibus liquidò conſtat, duriſſimam ac periculoſiſſimam eſſe Paſtorum ſpiritualium dignitatem: eos enim qui illâ decorantur duriſſimo judicio ſubmittit; etenim vt legitur Sap. 6. 6. *Iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Quod probè noſcens inclytus ille Venetiarum Patriarcha D. Laurent. Iuſtinianus *de inſtitut. & regim. Præl.* ait: *Cathedra paſtoralis officium non eſt honoris, ſed oneris; non ſecuritatis, ſed periculi; non quietis, ſed laboris.* Vnde meritò S. Bernardus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſcribens, poſtquam Bernardum diſcipulum ſuum Abbatem ſancti Anaſtaſij in ſummum Pontificem Eugenium elegerunt, conqueritur, & nouum Pontificem deplorat his verbis, epiſt. 236. *Niſi Dominus ſupponat manum ſuam, heu neceſſe eſt obruatur & opprimatur onere inſueto & nimio, quod & Gigantinis* (vt aiunt) *vel ipſis quoque Angelicis humeris formidabile videatur.* Bernardum ſic loquentem audiant Prælati, & contremiſcant. 422.

Cathedra paſtoralis eſt plena periculis.

Animarum cura eſt onus angelicis humeris formidabile.

TEXTVS VNDECIMVS.

Dogma datur Chriſtianis,
Quod in carnem tranſit panis,
Et vinum in ſanguinem.

EXPOSITIO TEXTVS.

POSTQVAM Doctor Angelicus in præcedentibus Textibus Chriſti Domini in Euchariſtia latitantis dignitatem, ac miniſtrorum tremenda myſteria offerentium munus expoſuit; ipſum adorandum ſacramentum altaris explanare, & eius eſſentiam declarare incipit, oſtendens myſterium hoc ex conuerſione panis in corpus Chriſti, & vini in eius ſanguinem, realiter ipſum Chriſtum ac veraciter continere. Dicit ergo: 423.

Dogma

Dogma datur Chriſtianis. Hoc eſt, documentum præcipuum Chriſtianæ Religionis,
424. & vnus ex præcipuis fidei articulis, ſeu credendis propoſitionibus ab Eccleſia Chriſti fidelibus, vt ab ipſis firmiter credantur, expoſitis, eſt quod in adorando Euchariſtiæ Sacramento, virtute verborum à ſacro miniſtro pronuntiatorum, in ſacrorum celebratione myſteriorum, panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti conuertatur & tranſmutetur.

Articulus eſt fidei, panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti conuerti.

425. Cùm autem Fidei Chriſtianæ articuli ab initio naſcentis Eccleſiæ Fidelibus, ac præcipuè maioribus, quales ſunt Epiſcopi, Parochi, Doctores, & huiuſmodi, omnes expoſiti fuerint; ſiquidem fidei articuli quoad ſubſtantiam ſecundùm ſucceſſionem temporum non creuerunt, ſed tantùm quoad maiorem explicationem & clariorem manifeſtationem, vt docet Angelicus Doctor 2. 2. *q.* 1. *art.* 7. nulli dubium eſſe debet, conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem Domini, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia, tanquam vnum ex præcipuis Chriſtianæ Religionis myſteriis, creditam fuiſſe: quod infrà in elucidatione Deo dante fuſiùs proſequemur, vbi etiam de nomine hanc conuerſionem ſignificante, nempe de Tranſubſtantiatione agemus.

D. Thom. Fidei articuli non quoad ſubſtantiam, ſed quantum ad explicationē ſucceſſu temporis creuerunt.

426. Addit inſuper Sanctus Thomas, quod hoc dogma datur *Chriſtianis*, vt inſinuet eos, qui illud reſpuunt, immò impugnant, vt ſunt Lutherani, Caluiniſtæ, aliique Sacramentarij, Chriſtiano nomine eſſe prorſus indignos. Non enim Chriſtianus eſt, nec glorioſo Chriſtianorum nomine exornari debet, qui in Chriſtum non credit. Ille autem qui panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſionem reſpuit, in Chriſtum non credit, *quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei*, vt dicitur *Ioan.* 3. 18. hoc eſt, quia omnipotentiam Chriſti Domini in mirabili illa tranſmutatione non confitetur: nomen ſiquidem in ſacra Pagina poteſtatem ſignificat; vnde Criſtus de ſeipſo mortis triumphatore, ac infernorum copioſâ ſui ſanguinis effuſione victore loquens, in præmium earum quas ſuſtulit paſſionum, poteſtatem in cœlo & in terra maximam ſe recepiſſe declarat, Matth. vlt. 18. *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hanc autem poteſtatem optimè Paulus Apoſtolus ſignificauit, dum inquit Philip. 2. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*; hoe eſt ſummam & maximam in omnia creata poteſtatem, vt ſcilicet *ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant, ſicut Deo*, vt loquitur D. Thomas 3. *p. q.* 49. *art.* 6. Cùm igitur Sacramentarij mirabilem omnipotentiâ Verbi Saluatoris, panis in corpus, & vini in ſanguinem eius conuerſionem confiteri recuſent; in nomine, hoc eſt in poteſtate vnigeniti Filij Dei non credunt, & conſequenter ex albo illorum, quibus ab Eccleſia tranſubſtantiationis dogma datur, expungendi, & à Chriſtianorum numero meritò rejiciendi ſunt.

Qui tranſubſtantiationē impugnant, Chriſtiani non ſunt.

Nomen poteſtatem ſignificat.

D. Thom.

427. Sanè Chriſtiana fide orbati ſunt, qui inſcrutabile Sacramenti Euchariſtiæ myſterium humanâ, eâque debiliſſimâ ratione penetrare contendunt. Cæcutit oculus noctuæ ad lumen Solis, ac eodem planè modo intellectus noſter ad manifeſtiſſima naturæ, vt loquitur Ariſtoteles. Quomodo ergo qui naturalia non valet attingere, ſupernaturalia, immò & omnium ſupernaturalium abditiſſimum attinget arcanum? *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria*, inquit Sapiens *Prou.* 25. 27. & curioſus tremendi Euchariſtiæ Sacramenti inueſtigator immensâ caligine perfundetur. Mentis humanæ captum excedunt omnia Religionis noſtræ Sacramenta: hæc autem omnia ſuperat Euchariſtia, quæ propterea non tantùm myſterium, ſed etiam myſterium fidei, hoc eſt myſteriorum omnium abditiſſimum meritò vocitatur.

R.P.Car.Bouquin Comm.in Proſam D.Thom.

Rationem excedunt fidei myſteria.

Chriſtianæ *militiæ arma non carnalia ſunt*; hoc eſt, ſenſum carnis & ſanguinis non ſequuntur; *ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſùs ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*, vt loquitur Apoſtolus 2. *Cor.* 10. 4. *&* 5. Cúmque Sacramentarij carnalibus armis, & humanis innitantur rationibus, vt panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſionem impugnent; nec *intellectum in captiuitatem redigant in obſequium Chriſti*, qui proprio ore mirabilem illam docuit tranſmutationem, dum accepto pane dixit, *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*, Matth. 26. vt infrà demonſtrabimus; ac inanitet ingenia ſua *aduerſùs ſcientiam Dei*, hoc eſt diuinam cognitionem, quæ per fidem datur, *extollant*; illos Chriſtianæ militiæ minimè adſcriptos eſſe liquet. 428.

Arma militiæ Chriſtianæ ſupernaturalia.

Iudæis illis, qui apud Capharnaum ad inuicem litigabant, dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ioan. 6. 53. ſimiles ſunt. Sicuti enim illi antiqua miracula credentes, nouum iſtud reſpuebant: ita & Sacramentarij, verbi Dei incarnationem, eius ex Virginis immaculatæ vtero abſque vllo integritatis detrimento natiuitatem, & alia his ſimilia, quæ humanum excedunt ingenium, credere profitentur, & ipſam panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, ipsâ atteſtante, quæ non fallit, nec fallitur, Veritate, conuerſionem confiteri omninò recuſant. Etenim inanem non poſſunt, vt hoc myſterium euertant, impotentiam prætendere; ſicuti namque vt Virginis partum Angelus aſtrueret, ſterilis Eliſabeth conceptum adduxit, vt miraculum miraculo confirmaret, ac ſtatim ſubiunxit, *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, vt habetur *Luc.* 1. 37. ita nulla, contra conuerſionem panis in corpus, & vini in Chriſti ſanguinem, poteſt impoſſibilitas opponi, cùm eadem omnipotentia, quâ *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*; quâ *Virgo concepit, Virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit*; quâ in corpore humano Dei Filius ſupra mare greſſu ſolido perambulauit; quâ mortem ſubiit, ac mortem vicit; quâ ad inferos deſcendit, & ad ſuperos remeans, cum carne noſtra ſuper omnes cœlos euolauit, & ad Patris dexteram ſupra omnes Angelorum choros corpus humanum conſtituit: eâ panem in corpus, & vinum in ſanguinem proprium Chriſtus commutauit, vt perenni miraculo ſub ſpeciebus panis & vini latitans, Eccleſiam ſuam paſceret, foueret, roboraret. 429.

Antiqua credebant Iudæi miracula, & noua reſpuebant.

Ita & faciunt hæretici.

Hac ratione vſus eſt D. Cyrill. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 13. vbi inuehitur in eos qui dicebant *Ioan.* 6. 53. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? *Quomodo* (inquit) *ſummis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, vt quomodo? in operibus* 430.

Qui alicui fidei myſterio credunt, non poſſunt de alio dicere, quomodo fit? *eius dicere audeant, quem totius ſapientia largitorem eſſe non ignorant? Si verò tu, ô Iudae, quomodo? etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque ſequutus, libenter quomodo ex Ægypto exiuſti? rogabo: quomodo in ſerpentem Moſaica fuit virga conuerſa? quomodo leprâ manus affecta vno momento temporis in priſtinum ſtatum reſtituta fuit? quomodo in naturam ſanguinis aqua tranſierunt? quomodo patres tui per media maria & per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo ſtetit Iordanis? quomodo ſolo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? Innumerabilia ſunt, in quibus ſi quomodo? quaris, vniuerſam tibi euertere Scripturam neceſſe erit.* Hæc Cyrillus. Quibus non ſolùm Iudæos de infidelitate ac curioſitate obiurgat, ſed etiam Sacramentariorum proteruiam retundit. Dum enim conuerſionis, quam in Euchariſtia Catholica docet Eccleſia, modum inueſtigant ac rogant, ſtatim rogandi ſunt, quomodo tot mirabilia, quæ patrata recenſet Scriptura, facta ſunt? Sed addenda ſunt Chriſtianæ Fidei myſteria, quæ etiam ab eis profitentur, de quibus jam loquuti ſumus. Cúmque Incarnationis, natiuitatis, paſſionis, mortis, deſcenſus ad inferos, Reſurre-
Alius fidei articulis aſſentientes, Euchariſtiæ ſacramentū negare non valent. ctionis ac Aſcenſionis Chriſti in cœlum modum nullus humanus valeat aſſequi intellectus; cur mirabilis tranſubſtantiationis panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti modus omninò ſupernaturalis inueſtigatur? Planè myſterium hoc credendum eſt, non verò ſcrutandum aut inueſtigandum: vnde qui illud non credunt, fidem non habent; dum enim vnum articulum reſpuunt, cæteros repudiaſſe cenſentur; nam *qui peccat in vno, factus eſt omnium reus*, vt dicitur *Iacob*. 2. 10. ac conſequenter nec in Chriſtum credunt, nec Chriſtiani ſunt appellandi.

431. Deinde addit Author, *quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem.* Vbi in ſpeciali exponit quid ſit illud dogma quod Chriſtianis tradit Eccleſia. In hoc autem ſitum eſt, quod panis & vinum, ſupra quæ Sacerdos profert verba conſecrationis cum debita intentione, tranſeunt, hoc eſt conuertuntur, in corpus & ſanguinem Chriſti. Quod ita intelligendum eſt, vt hæc
Panis & vinum in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti mutantur. conuerſio ſit tantùm ſubſtantiæ panis in ſubſubſtantiam corporis; & ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti: vnde & tranſubſtantiatio à Concilio Lateranenſi appellata eſt, quæ vox ſignificat tranſitum ſubſtantiæ in ſubſtantiam. Cùm autem ſubſtantiæ rerum ſenſibus non percipiantur; ſed intellectu, vt docent Philoſophi, hæc mutatio nequit ſenſi-
Quod nequit ſenſu percipi. bus apprehendi. Idem enim quoad externam ſpeciem apparet panis poſt conſecrationem, ac ante illam; quia tantùm eſt in ſubſtantia mutatus, non autem in accidentibus, quæ eadem remanent, habéntque eoſdem affectus, quos habebant antea, & ſine ſubiecto miraculosè ſubſiſtunt. Sed de his in elucidatione ſtatim ponenda fuſiùs.

ELVCIDATIO IV.

De conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia; ſeu de tranſubſtantiatione.

SActoſanctum Euchariſtiæ Sacramentum immenſi Chriſti Domini amoris pignus, eius 432.
corpus ac ſanguinem veraciter ac realiter continere, illudque verum ac proprium ſacrificium, idque propitiatorium, in præcedentibus elucidationibus oſtendimus: nunc modum, quo corpus & ſanguis Chriſti in illo ponuntur, qui nihil aliud eſt, quàm mirabilis conuerſio ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, quæ propterea vocatur tranſubſtantiatio, exponere conabimur, eius antiquitatem, eſſentiam ac veritatem ſtatuentes.

SECTIO I.

Verum dogma conuerſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti ſit nouum in Eccleſia.

QVamvis de hac materia aliquid à nobis obiter dictum ſit *lib. prac. elucid.* 7. §. 2. attamen 433.
Maxima eſt de tranſubſtantiatione controuerſia. nunc de ea, tanquam in proprio loco, fuſiùs agemus, vt veritas catholica, quæ maximam contra huius tempeſtatis hæreticos controuerſiam mouet, omni ex parte inconcuſſa ac inuicta, immò & errorum nouantium victrix effulgeat.

Ad cuius euidentiam aduertendum eſt, Nouato- 434.
res qui ſemper & verbis, & ſcriptis, inſuper & operibus ſacram ac venerabilem antiquitatem reliquerunt, reſpuerunt, condemnauerunt; de nouis tum dogmatibus, tum ad ea exprimenda nominibus receptis, Catholicam Eccleſiam in omnibus antiquitatis ſectatricem accuſare auſos fuiſſe. Lutherus etenim *lib. de captiuit. Babylon. c.* 1. non ſe-
Mendacium Lutheri, & aliorum nouatorum. mel affirmauit, tranſubſtantiationem à Sancto Thoma fuiſſe inuentam & excogitatam, eamque eſſe Thomiſtarum ſententiam: quam indicat fuiſſe à Romano Pontifice probatam *in c. Firmiter*, deprompto ex Concilio Lateranſi ſub Innoc. III. vbi Deo ita diſponente, mendacium mendacio impudens Hereſiarcha cumulauit. Patet enim omnibus lateranenſe Concil. ſub Innocentio III. anno 1215. celebratum fuiſſe, nouem circiter annis ante ortum Sancti Thomæ, qui vt ex eius liquet hiſtoria, natus eſt anno Domini 1224. Nec à Luthero diſſentit Petrus Martyr, qui licèt non ita turpiter errauerit in hiſtoria; tamen in libro contra Stephanum Gardinerum, *obiecto* 128. Innocentium III. cum Lateranenſi Concilio facit authorem primum tranſubſtantiationis, tum quoad nomen, tum etiam quoad rem. Similiter & Ioan. Caluinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 17. §. 15. docuit tempore D. Bernardi, qui obiit 1153. nondum innotuiſſe orbi tranſubſtantiationem. Ac tandem Martinus Kemnitius 2. *p. exam. Concil. Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 4. inquit tempore Petri Lombardi Magiſtri Sententiarum nihil certi de hac re fuiſſe in Eccleſia. Sed quantùm in hoc iſti errauerint, ſtatim liquidò apparebit.

Dico igitur, dogma tranſubſtantiationis, quo 435.
docetur in Euchariſtia panem in corpus, & vinum in ſanguinem Domini ſubſtantialiter conuerti, quoad rem Diuinum, Apoſtolicum, ac Catholicum eſſe, antiquiſſimum, & ab initio Eccleſiæ à Fidelibus creditum: quamuis vox illa, *tranſubſtantiatio*.

Ab initio Eccleſiæ fuit credita tranſubſtãtiatio.

ſtantiatio, ad maiorem tanti myſterij explicationem non fuerit à primis ſeculis vſurpata, ſed ſucceſſu temporis à ſanctis Patribus introducta, ac tandem à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. approbata, & ab aliis poſterioribus Conciliis generalibus confirmata.

436. Prima pars huius propoſitionis probatur primò. Verba Chriſti Domini Sacramenti Euchariſtiæ authoris veriſſima ſunt, & tanquam vera ab Apoſtolis huius myſterij inſtitutioni præſentibus intellecta ac recepta: atqui illa ſignificant panem in eius corpus, & vinum in eius ſanguinem ſubſtantialiter tranſmutari, & ſic fuerunt ab Apoſtolis intellecta: ergo ab initio inſtitutionis huius Sacramenti dogma conuerſionis panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti diuino eius ore pronuntiatum, ab Apoſtolis aliis fidelibus promulgatum fuit creditum in Eccleſia. Minor propoſitio, in qua eſt difficultas, probatur. Verba quæ Chriſtus Dominus protulit in Euchariſtiæ inſtitutione, referuntur ab Euangeliſtis eodem tenore; nam accepto pane *benedixit, fregit, dedique diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, vt dicitur *Matth.* 26. 26. & 27. Hæc autem vera eſſe non poſſunt, niſi panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti tranſmutetur: ſi enim panis ſubſtantia ibi remaneret, falſa eſſet illa loquutio, *Hoc eſt corpus meum*; nuſquam enim ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti: ſed debuiſſet Chriſtus dicere, *hic eſt corpus meum*. Idem judicium ferendum eſt de verbis formæ conſecrationis vini in ſanguinem Chriſti: nam ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ requiritur identitas inter ſubiectum & prædicatum, ſaltem in eodem ſuppoſito, pro quo vtrumque ſupponit, vt docetur à Dialecticis.

Ex verbis Chriſti ortũ habuit tranſubſtãtiatio, & ab Apoſtolis fuit credita.

Cùm autem panis nec identificetur cum corpore Chriſti, nec ſubſiſtat in eodem ſuppoſito, non erit verum dicere, *Hoc eſt corpus meum*, niſi per verba conſecrationis in corpus Chriſti tranſmutetur. Etenim ſola intima vnius in alio præſentia non ſufficit, vt vnum de alio poſſit prædicari: nam quando corpus Chriſti exiuit de ſepulchro, intimè erat præſens in lapide; quia in illo erat penetratiuè; & tamen non poterat ſignato lapide verè dici à Chriſto, *hoc eſt corpus meum*; ſed dumtaxat, *hic eſt corpus meum*. Sed non potuit ſubſtantia panis ibi deſinere eſſe, niſi per conuerſionem in corpus Chriſti; non enim annihilatur, vt infrà à nobis probabitur. Ergo ex veritate verborum prolatorum à Chriſto in Euchariſtiæ inſtitutione rectè colligitur conuerſio, ſeu tranſubſtantiatio panis in eius corpus, & vini in eius ſanguinem; ac conſequenter dogma tranſubſtantiationis Diuinum eſt, Apoſtolicum, ac Catholicum, ab initio Eccleſiæ creditum.

437. Reſpondent aduerſarij, quod licèt ſub ſpeciebus conſecratis ſubſtantia panis remaneret; tamen quia adeſt ſimul ſubſtantia corporis Chriſti, verè ac propriè potuit Chriſtus dicere, *hoc eſt corpus meum*; non enim requiritur vt pronomine *hoc*, demonſtretur totum id quod continetur ſub accidentibus ſenſibilibus; ſed ex intentione loquentis poteſt, ſaluâ proprietate verborum, pronomen illud determinari ad deſignandam vnam rem contentam ſub illis, & non aliam: ſic enim ſignato marſupio, in quo eſt aurum, poteſt dici, hoc eſt aurum: & ſignato dolio in quo eſt vinum, hoc eſt vinum.

Inſtant hæretici.

Sed nullo negotio rejicitur hæc reſponſio. Licèt enim pronomen *hoc*, poſſit demonſtrare tam ſubſtantiam contentam, quàm continentem, ſi iſta ſit vel ex natura ſua, vel ex vſu hominum inſtituta ad illam continendam, vt in exemplis adductis; non tamen quando ſubſtantia continens non ſic eſt idonea ad continendum ſubſtantiam, quam tamen de facto continet: vnde ſi ſub pane argentum conderetur, non rectè aliquis demonſtrando panem diceret, hoc eſt argentum. Cùm ergo ſubſtantia panis non ſit, neque ex natura ſua, neque ex communi vſu hominum, apta ad continendum corpus Chriſti, non poteſt ſignatâ tali ſubſtantiâ in Sacramento dici, *Hoc eſt corpus meum*: ac conſequenter nullatenus verba Chriſti eſſent vera, niſi ſubſtantia panis in corpus Chriſti conuerteretur. 438.

Refelluntur.

Secundò propoſitionis noſtræ veritas patet ex antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus, qui dogma conuerſionis panis in corpus Chriſti ſcriptis mandarunt, ſicut ore prædicauerunt. S. Irenæus, qui ſecundo Eccleſiæ ſeculo floruit, ac florentem in Galliis Lugdunenſem rexit Eccleſiam, *lib. 4. contra hereſes, cap.* 34. diſputans contra hæreticos, qui negabant Chriſtum eſſe filium Creatoris, & Creatorem mundi, ait: *Quo modo conſtabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, eſſe corpus Domini ſui.* S. Iuſtinus *in apologia* 2. *prope finem*, dicit: *Eum cibum, ex quo carnes noſtræ aluntur, idest panem, prece verbi Dei ſanctificatum, eſſe carnem Domini.* Vbi vterque vult hanc propoſitionem eſſe veram, *Panis eſt corpus Domini*: ſed hæc nequit eſſe vera ſine mutatione panis in corpus Domini, vt jam diximus. Idem ſentit Tertullianus, qui tertio ſeculo vixit: nam *libro 4. contra Marcionem*, inquit: *Acceptum panem corpus ſuum fecit, dicendo: Hoc eſt corpus meum.* Sed expreſſiùs noſtram docuit ſententiam Tertulliani diſcipulus, qui tanto magiſtro gloriabatur, martyr inclytus S. Cyprianus: hic enim ſerm. de Cœna: *Panis* (inquit) *iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Quod etiam docuit Cyrillus Hieroſol. *catech. 4. myſtag.* vbi ait: *Chriſtus aquam aliquando mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſolâ voluntate; & non erit dignus cui credamus quod vinum in ſanguinem tranſmutauit? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis.* Vbi Cyrillus apertè ponit tranſmutationem panis in corpus Chriſti, & ſolas ſpecies ſeu accidentia panis remanere poſt illam tranſmutationem. Eandem conuerſionem docuit S. Ambroſius *lib. 4. de Sacram. c.* 4. vbi ait: *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum; vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Quod autem hoc fiat per mutationem panis in corpus Chriſti, expreſsè aſſerit lib. de myſter. initiandis, cap. 9. *Quamis*, inquit, *vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit; maioremque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens.* Poſtea narratis multis Moyſis, Eliæ, & Eliſæi miraculis, ſubdit, *quod ſi tantùm valuit humana benedictio, vt naturam converteret, quid dicemus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod*

439. Antiquiores Eccleſiæ Patres docent tranſubſtantiationem.

S. Irenæus.

S. Iuſtinus.

Tertull.

S. Cyprianus.

Ciril. Hieroſ.

S. Ambroſ.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

ſi tantùm valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſtis, quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erat? Non enim minus eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas. Hæc Ambroſius. Quibus euidenter tranſubſtantiationem docet quoad rem, licèt illius vocem non ponat, ſed tantùm mutationis vtatur nomine. Ergo ab initio Eccleſiæ dogma conuerſionis panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, ſeu tranſubſtantiationis fuit creditum in Eccleſia.

440. Tertiò probatur teſtimoniis aliorum Sanctorum Patrum, qui præcedentes in Eccleſiæ regimine ſequuti ſunt, qui eandem de conuerſione panis in corpus, & vini in ſanguinem Domini veritatem catholicam docuerunt, ac totis viribus propugnauerunt. Gregor. Nyſſenus, qui quarto ſeculo Eccleſiam illuſtrauit, *orat. catech. cap. 37.* ait: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari.* Et infrà: *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud* (corpus Domini) *tranſelementatâ eorum* (panis & vini) *quæ apparent, naturâ.* S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, qui eodem ſeculo floruit, *tract. 2. in Exodum*, inquit: *Ipſe naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus, quia & poteſt & promiſit, efficit proprium corpus: & qui de aqua vinum fecit, de vino ſanguinem ſuum facit.* S. Remigius, qui Clodoueum Francorum Regem baptizauit, *in cap. 10. primæ ad Cor.* idem docet, dum inquit: *Caro, quam Verbum Dei Patris aſſumpſit in vtero virginali, in vnitate ſuæ perſonæ; & panis qui conſecratur in altari, vnum corpus Chriſti ſunt: ſicut enim illa caro corpus Chriſti eſt, ita iſte panis* TRANSIT *in corpus Chriſti; nec ſunt duo corpora, ſed vnum corpus.* Idem docuit Ioan. Damaſcenus *lib. 4. fid. c. 14.* vbi: *Panis*, inquit, *vinumque & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutātur in corpus & ſanguinem Chriſti; & non ſunt duo, ſed vnum & idem.* Omneſque Doctores Catholici vſque ad annum 1215. in quo celebratum fuit Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. idem ſenſerunt, & docuerunt: & Berengarium Andegauenſem Archidiaconum, qui contrariam ſententiam inducere conabatur anno 1051. arguerunt, ac damnauerunt. Vnde Lantfrancus qui temporibus Berengarij vixit, *lib. de corpore & ſanguine Domini*, inquit: *Eccleſia Chriſti panem in carnem, vinum conuerti credit in ſanguinē.* Et infrà: *Confitetur Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, panem & vinum ad ſacrandum proponi in altari; ſed inter ſacrandum incomprehenſibiliter, & ineffabiliter in ſubſtantiam carnis & ſanguinis commutari.* Quod eleganti calamo paucis abhinc annis proſequutus eſt Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus, in defenſione perpetuæ Fidei Catholicæ Eccleſiæ de Tranſubſtantiatione in Euchariſtia, quam contra Claudium Caluiniſtarum pſeudominiſtrum edidit, & Clementi IX. Pontifici Maximo dicauit. Quam videat Lector, vt ab initio Eccleſiæ ad hæc vſque tempora tranſubſtantiationem ab omnibus Catholicis receptam agnoſcat.

Greg. Nyſſ.

S. Gaudent.

S. Remigius.

D. Ioan. Damaſc.

Omneſque Doctores Catholici vſque ad Concil. Lateran. 1215.

Anton. Arnaldus.

441. Quartò denique noſtra ſuadetur propoſitio à Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 4.* vbi ſemper in Eccleſia creditum fuiſſe panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti tranſmutari, definitur. Sic enim ibi legitur: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò hæc ſancta Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius.* Etenim quoties apud Chriſtianos de Euchariſtia controuerſia orta eſt, toties ab Eccleſia in Synodis congregata definitum fuit, panem in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti, ex verborum conſecrationis ſignificatione conuerti: nam ſtatim atque Berengarius patriâ Turonenſis, Eccleſiæ Andegauenſis Archidiaconus, quem S. Thomas *3. p. q. 75. art. 1.* primum authorem appellat hæreſis quæ carnem Chriſti ab Euchariſtia, ac conuerſionem panis in corpus Chriſti rejicit; virus quod è lectione libri Ioannis Scoti dè hoc Sacramento malè ſentientis hauſerat, cœpit euomere, ac errorem nefandiſſimum diſſeminare: mox occurrit vniuerſa Catholicorum Eccleſia, & variis coactis Synodis errorem hunc, eiuſque authorem condemnauit. Quod quidem primò factum eſt in Concilio Vercellenſi ſub Leone IX. anno 1050. iterum in Concilio Turonenſi anno Chriſti 1055. ſub Victore II. vbi Berengarius errorem deteſtatus, Fidei Catholicæ propriâ manu ſubſcripſit, eamque jureiurando firmauit. Tertiò in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1059. vbi idem Berengarius errorem ſuum proprio ore damnauit, dicens: *Ego Berengarius anathematizo eam hæreſim, de qua hactenus infamatus ſum, &c.* ac tandem in alio Concilio Romano ſub Gregorio VII. anno 1079. coacto, ex cuius actis conſtat, vt loquitur Henricus Spondanus *in epitome annal. Baronij*, anno præfato inueteratum dierum malorum ſenem jam octogenarium, Hæreſiarcham Berengarium, ſæpe reuocatum ad pœnitentiam, ſæpeque relapſum, iterum veniam poſtulaſſe, & coram vniuerſis abiurantem hæreſim, iureiurando profeſſum eſſe Fidem Catholicam de ſubſtantiali conuerſione panis & vini in veram carnem & ſanguinem Chriſti, his verbis: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter conuerti in veram ac propriam & viuificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Sic ergo Catholicâ agente Eccleſiâ, variarum celebratione Synodorum, ad priſcam ac communem ab initio Eccleſiæ ad ſua vſque tempora propagatam Fidem tandem miſerante Domino Berengarius reuocatus eſt. Vnde conſtat, antiquiſſimum eſſe conuerſionis, ſeu tranſubſtantiationis dogma; nam vt loquitur Lantfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui diuerſis Conciliis contra Berengarium interfuit, in opere quod aduersùs eundem edidit: *Hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles qui nos præceſſerunt, à priſcis temporibus habuerunt.*

Concil. Trid. ſtatuit ſemper fuiſſe creditam tranſubſtantiationem.

D. Thom.

Berengarius ex lib. Ioan. Scoti hauſit prauam de Euchariſtia ſententiam.

In tribus Conciliis damnatus fuit.

Et tranſubſtantiationē confeſſus eſt cap. *Ego Berengarius.*

Lantfrancus Cantuar. Archiepiſcopus.

Ex quibus conſtat, Concilium Lateranenſe poſt præfata celebratum, nempe anno Domini 1215. ſub Innocentio III. doctrinam conuerſionis panis in corpus Chriſti non inueniſſe, ſed ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus per tredecim circiter ſecula promulgatam, ac veluti per manus traditam confirmaſſe, ac ſuâ authoritate comprobaſſe. Immò & vox *Tranſubſtantiationis*, quæ à pleriſque ab hoc Concilio inuenta dicitur, longo antea tempore in Eccleſia ab aliquibus 442.

Concil. Lateran. tranſubſtantiationē non inuenit.

Sed vocem jam in Eccleſia receptam approbauit.

Stephanus Eduenſis Epiſcopus integro ſeculo ante Concil. Lateran. illam vocem vſurpauit.

quibus Patribus recepta erat: nam vt ſuperiùs retigimus, Stephanus qui ad Epiſcopatum Eduenſem aſſumptus eſt anno Domini 1113. & abdicato Epiſcopatu apud Cluniacum monachum egit, cuius meminit Petrus Cluniac. epiſt. 6. libri quinti, *Tranſubſtantiationis* voce, integro ſeculo ante Lateranenſe Concilium vſus eſt, vt videre eſt *tomo 12. Bibliotheca SS. Patrum, cap.* 13. Cùm ergo vox illa ſubſtantialem mutationem panis in corpus, & vini in ſanguinem Domini, quæ ab Apoſtolis & primis Eccleſiæ fidelibus, ac deinde eorum ſucceſſoribus ſemper credita fuit, optimè exprimeret, ac jam ad illam ſignificandam à quibuſdam vſurpata fuiſſet, maximo ac catholico ex omni terrarum orbe Congregato Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. in quo Hieroſolymitanus & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, ſeptuaginta Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, quadringenti Epiſcopi, duodecim Abbates, octingenti Priores Conuentuales, Græci & Romani Imperij Legati, ac Regum Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores interfuerunt, vt refert B. Carranza *in ſum. Concil.* placuit ad maiorem dictæ conuerſionis ſignificationem, præfatam *Tranſubſtantiationis* vocem acceptando comprobare, ac ad præfatum vſum confirmare. Cùm enim apud Philoſophos mutatio ſeu tranſitus ab vna forma in aliam dicatur transformatio; & ab Euangeliſtis mutatio vnius figuræ in aliam vocetur transfiguratio, meritò mutatio vnius ſubſtantiæ totalis in aliam appellata fuit *Tranſubſtantiatio*; ac conſequenter conuerſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, rectè ab vniuerſa Eccleſia *Tranſubſtantiatio* dicta eſt.

443. *Inſtant nouatores.*

Verùm inſtant Nouatores, vocem hanc non reperiri in ſacris Literis, nec fuiſſe ante Stephanum Eduenſem ab alio Doctore vſurpatam, ac conſequenter eſſe omninò rejiciendam.

444. *Refelluntur.*

Sed inanis prorſus ac futilis eſt hæc inſtantia. Quamvis enim illa vox, *Tranſubſtantiatio*, explicitè & ſecundùm eaſdem ſyllabas & literas non legatur in Scriptura; attamen implicitè, & tam ex parte modi ſignificandi, quàm ex parte rei ſignificatæ verè ibi reperitur. Siquidem verba Chriſti dicentis, accepto pane, *hoc eſt corpus meum*, continent implicitè *tranſubſtantiationem*, & idem ab illis, quod ab iſta voce, ſignificatur. Non enim panis acceptus à Chriſto, manens panis poteſt eſſe verum eius corpus: ſed ad hoc vt Chriſti loquutio ſit vera, panis debet mutari ſubſtantialiter, & conſequenter ſubſtantia panis debet tranſire in ſubſtantiam corporis Chriſti: & ſic hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, tam ex parte modi ſignificandi, quàm ex parte rei ſignificatæ idem cum *Tranſubſtantiatione* ſignificant. Vnde ſicut notauit Guitmundus *lib. 3. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti*, per illa verba oſtenditur, nullo modo panem in Euchariſtia remanſiſſe, ſed ſolum corpus Chriſti, in quod panis mutatus fuit, & tranſubſtantiatus; ait enim: *Hos impanatores* (qui ſcilicet conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti negabant) *ipſe Dominus verbo oris ſui interfecit, cùm accipiens panem, gratiaſque agens, ac benedicens, ait: Hoc eſt corpus meum. Non ait, In hoc latet corpus meum: nec dixit, In hoc vino eſt ſanguis meus: ſed dixit, Hic eſt ſanguis meus.* Quibus verbis liquet mutationem ſeu tranſubſtantiationem, quam modò propugnamus, ipſis verbis Chriſti contineri.

Vt vera ſint Chriſti verba, neceſſariò debet admitti tranſubſtantiatio.

Nec requiritur quod hæc vox, *Tranſubſtantiatio*, ante Stephanum Eduenſem ſecundùm eundem tenorem ſyllabarum ſit vſurpata à Sanctis Patribus: cùm enim nomina, prout ſunt quædam literæ ad inuicem ordinatæ, quæ conſtant ſyllabas ex quibus vocabula coaleſcunt, à nemine conſiderentur, ſed ſecundùm quod res ſignificant, ad hoc enim inſtituta ſunt, & ideo à Dialecticis nomen definitur, *Vox ſignificatiua ad placitum, &c.* ſufficit quod ab initio Eccleſiæ res ſignificata per illam vocem, nempe mutatio ſubſtantialis panis in corpus Chriſti, reperiatur in ſcriptis ſanctorum Patrum, & ſit ab omnibus Chriſti fidelibus credita; immò & ab ipſis verbis Chriſti in conſecratione prolatis euidenter & neceſſariò colligatur. Eccleſia etenim quæ articulos Fidei ſecundùm inſurgentes difficultates poteſt explicare, nominibus ad illam explicationem ſignificandam accommodatis, etſi antea non fuerint vſurpata, nec ſecundùm ſuum tenorem in ſcripturis exarata, poteſt vti. Quod de facto ab ea factum eſt quoties neceſſitas id requiſiuit. Hac viâ varia ab Eccleſia ad res fidei ſignificandas inducta ſunt nomina, qualia ſunt, *Trinitas, Hypoſtaſis, Conſubſtantialis, Chriſtianus, Liberum Arbitrium, Purgatorium, Indulgentia, & tandem Tranſubſtantiatio*: quæ licèt vox noua Nouantibus videatur, non poteſt tamen ab illis rejici, quia rem omninò antiquiſſimam, & præcipuum ex Chriſtianæ Fidei articulis ſignificat. Sicuti enim S. Athanaſius diſputans cum Arrio, qui vocem ὁμούσιον, ſeu conſubſtantialis, nouam, à Nicænis Patribus adinuentam, & Scripturæ incognitam objiciebat; reſpondit eique regeſſit ſuum τριούσιον, dicens (vt ipſe refert *lib.* 1. in diſputatione cum Arrio juſſu Conſtantini habita,) *oſtende mihi in ſacra Scriptura tuum τριούσιον, & ego oſtendam noſtrum ὁμούσιον; immo verò tres in Deitate ſubſtantias quas tu fingis, nunquam è Scriptura oſtenderis; ego autem vnicam eſſe ſubſtantiam in tribus perſonis diuinis (quod eſt ὁμούσιον) tibi è Scriptura euincam.* Ita Nouantibus, qui panem integrè & ſubſtantialiter in Euchariſtia remanere contendunt, & negantes illius in corpus Chriſti conuerſionem, petunt à nobis videre in Scriptura nomen tranſubſtantiationis; reſpondere poſſumus, quod nuſquam nobis oſtendent in eadem Scriptura corpus Chriſti cum pane, vel panem tantùm, & non corpus; hoc enim omninò eſt impoſſibile: nos autem optimè oſtendemus ex verbis Chriſti, ſuum verè & realiter Apoſtolis tradidiſſe corpus & ſanguinem, dum dixit: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum; &, Bibite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus, &c.* Quæ verba falſa eſſent, niſi panis in Chriſti corpus, & vinum in eius ſanguinem ſubſtantialiter conuerterentur. Quod eſt id quod tranſubſtantiatione ſignificatur. 445.

Non voces, ſed res per voces ſignificatæ attendendæ.

Antiqua fidei myſteria nouis interdum vocibus Eccleſia explicat.

D. Athanaſ.

Ex ſcriptura nequit ſuaderi, panem eſſe cum corpore Chriſti, vel corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia.

Neque inſuper obſtat illud Apoſtoli 1. Tim. 6. 20. *Deuita profanas vocum nouitates.* Nomina enim ab Eccleſia, etiam nouè adinuenta, quæ res Fidei breuiùs & clariùs explicant, non ſunt profanæ vocum nouitates; ſiquidem non ſignificant res nouas, ſed priſcas & antiquas; ſic enim *Tranſubſtantiatio*, quæ noua non eſt, cùm ante quingentos & ſexaginta annos ſit à Patribus vſurpata, eo tempore quo adinuenta fuit, rem antiquiſſimam ac ſanctiſſimam, nempe realem corporis & ſanguinis Domini traditionem hominibus ſignificabat. Vnde D. Aug. *tract. 97. in Ioan.* allata Apo- 446.

Nomina ab Eccleſia vſurpata ad fidei myſteria explicanda non ſunt profanæ vocum nouitates.

D. Auguſt.

 ſtoli

ſtoli verba exponens, inquit: *Non ait Apoſtolus, vocum nouitates, ſed addit, profanas: ſunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates. Et xenodochia, & monaſteria poſteà ſunt appellata nouis nominibus: res tamen ipſa & ante nomina ſua erant. Aduersùs quoque impietatem Arrianorum nouum nomen Patres ὁμοούσιον condiderunt, ſed non rem nouam tali nomine ſignauerunt; hoc enim vocatur omouſion, quod dicitur Ego & Pater vnum ſumus.* Hæc Auguſtinus. Cuius veſtigiis inhærentes dicimus aduersùs impietatem Berengarij, & aliorum Paniſtarum, qui corpus Domini ſub pane in Euchariſtia poſuerunt; vel etiam eorum Sacramentariorum, qui panem dumtaxat corporis Chriſti ſignum eſſe hoc in Sacramento docuerunt, quod vt omnes illos Catholicæ Eccleſiæ hoſtes vno ictu confoderet, antiquiſſimam Fidei Chriſtianæ doctrinam conuerſionis panis in corpus Chriſti, ab Apoſtolis ac Sanctis Patribus traditam, noua *Tranſubſtantiationis* voce declarauit.

447. Vnde ab illo Lateranenſi Concilio ad hæc vſque tempora, in propugnanda cùm re, tum nomine *Tranſubſtantiationis*, conſtans vniuerſa fuit Eccleſia. Quod liquet ex omnibus vniuerſalibus, quæ celebratæ ſunt, Synodis: nam in Concilio Romano 1413. ſententia Ioannis Vuiclef tranſubſtantiationi contraria damnata fuit: hæcque damnatio confirmata fuit à Concilio Conſtantienſi 1414. iterumque approbata à Martino in fine eiuſdem Concilij. Præterea in Concilio generali Florentiæ celebrato ſub Eugenio IV. anno 1439. Latinis ac Græcis aſſentientibus, Armenis inſtructio de Fide & Sacramentis data eſt, in qua expreſsè habetur: *Subſtantia panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem conuertuntur.* Falſum eſt autem Græcos tranſubſtantiationem reſpuiſſe, vt fingunt aduerſarij; nam vt ex præfati Concilij actis liquet, nunquam fuit quæſtio inter Latinos & Græcos, an panis verè & ſubſtantialiter in corpus Chriſti mutaretur, ſed tantùm de verbis quibus illa fit mutatio. Latini enim ſemper ſenſerunt, illam ſolis verbis Chriſti fieri: Græci autem ſentire videbantur non ſolùm verbis Domini, ſed etiam aliis precibus ab hominibus compoſitis illam fieri mutationem. Quare cùm Græci tempore Leonis IX. & deinceps multa obiecerint Latinis, ob quæ ab illis diſſentire ſe dicerent; nunquam tamen hoc obiecerunt de mutatione panis in corpus Chriſti, quam vt dogma Fidei à Latina Eccleſia doceri, non poterant ignorare. Vnde confeſſio Auguſtana à Lutheranis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum miſſa, in hoc articulo *Tranſubſtantiationis* contrario, ab illo reprobata fuit; nam in illa cenſura *cap.* 10. ait Patriarcha: *Multa in hac parte de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari poſſunt. Eccleſia igitur ſancta illud judicium eſt, in ſacra cœna poſt conſecrationem & benedictionem, panem in illud ipſum corpus Ieſu Chriſti, vinum autem in illum ſanguinem, virtute Spiritus ſancti tranſire, ac immutari.* Et infrà dicitur, *corpus Chriſti non deſcendere de cœlo, vt in Euchariſtia præſens adſit, ſed fieri præſens per tranſmutationem, & tranſitionem panis in corpus.* Ex quibus fidem Eccleſiæ circa Euchariſtiam, à fide Eccleſiæ Latinæ non diſcrepare, ipſi aduerſarij conuincuntur; & ab vtraque Eccleſia tranſubſtantiationem credi conſtat.

In omnibus Concilijs à Lateranenſi, Tranſubſtantiatio confirmata eſt.

Conc. Rom. 1413.

Conc. Conſtant. 1414.

Florentin. 1439.

Nuſquam Græci tranſubſtantiationem reſpuerunt.

Confeſſio Auguſtana Lutherana à Patriarcha Cõſtantinop. reprobata.

Sectio II.

Vtrum ad hoc vt corpus Chriſti ſit realiter præſens in Euchariſtia, neceſſariò admitti debeat tranſubſtantiatio.

Chriſti Domini corpus veraciter ac realiter 448.
in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri ſacroſancta ſemper credidit & docuit Eccleſia. Hoc ſuadent veriſſima Saluatoris verba, quæ in tremendi huius inſtitutione myſterij protulit; dum enim dixit Luc. 22. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, verè & realiter tradidit quod ſuâ voce ſignificauit: vnde D. Cyrillus relatus à D. Thoma 3. *p. quæſt.* 75. *art.* 1. inquit ſuper illa verba: *Non dubites an hoc verum ſit, ſed potiùs ſuſcipe verba Saluatoris in fide. Cùm enim ſit veritas, non mentitur.* Quare etiam infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtes, verbis illis adeo formalibus attendentes, corporis Chriſti realem præſentiam in Euchariſtia auſi non ſunt denegare. Lutherus enim qui prætetito ſeculo non ſolùm Germaniam, ſed etiam vniuerſam impiis dogmatibus turbauit Eccleſiam, corpus Domini verè & realiter in hoc Sacramento ſemper confeſſus eſt: ſed malo, quo ducebatur, dæmone inſtigatus, panem cum Chriſti corpore, ſeu corpus Chriſti ſub pane latitans aſſeruit, ac conſequenter Chriſtum in Euchariſtia impanatum impudenti ore pronuntiauit, ac priſcum Berengarij errorem, etiam ab authore proprio damnatum, & à quamplurimis Conciliis, etiam in articulis Ioannis Hus & Vuiclef à Conſtantienſi Synodo anathematizatum, ac proſcriptum ſuſcitauit.

D. Cyril.
D. Thom.
Verba Saluatoris in fide ſuſcipienda.

Lutherus docet impanationem.

Verùm quantum à veritate aberrauerit Luthe- 449.
rus, impanationem docens, & tranſubſtantiationem negans, liquidò apparebit ex dicendis: vel enim panis in corpus Domini diuinâ verbi virtute tranſit & tranſmutatur; vel ſi remanet, ibi corpus Chriſti non eſt. Vnde exploſa ſæpiùs damnatâ Lutheri, ac ſequacium Paniſtarum ſententiâ, catholicam propugnabimus.

Dico igitur, ſubſtantiam panis & vini nullo 450.
modo remanere poſt conſecrationem in Euchariſtia; ſed conuerti & tranſmutari in corpus & ſanguinem Chriſti, ac conſequenter hanc conuerſionem, ſeu tranſubſtantiationem neceſſariò debere admitti, vt corpus Chriſti ſit realiter præſens in Euchariſtia. Propoſitio hæc certa eſt apud omnes Catholicos, & de fide, in multis Conciliis ſectione præcedenti allatis definita.

Neceſſaria eſt tranſubſtantiatio, vt corpus Chriſti ſit in Euchariſtia.

Probatur primò ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 451.
13. *can.* 2. vbi dicitur: *Si quis dixerit in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis & vini vnà cum corpore & ſanguine Chriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini; quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit.*

Conc. Trid.

Probatur ſecundò. De fide eſt corpus Chriſti 452.
eſſe realiter præſens in Euchariſtia, idque concedunt Lutherani à verborum Chriſti veritate coacti: ſed per nullam aliam actionem ibi poteſt eſſe præſens, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum: ergo neceſſariò admittenda eſt tranſubſtantiatio ad illam realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. Probatur minor.

Res non poteſt de nouo eſſe vbi priùs non erat, niſi vel per loci mutationem, vel per alterius conuerſionem in ipſam; ſicut in domo aliqua de nouo incipit eſſe ignis, aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur: ſed corpus Chriſti nequit eſſe in Euchariſtia per motum localẽ; moueri enim localiter nihil aliud eſt, quàm tranſire de vno loco in alium, & conſequenter relinquere vnum ad acquirendum alium. Implicat enim vnum corpus ſimul poni in pluribus locis circumſcriptiuè, quia præſentia localis & circumſcriptiua ſumitur à quantitate, & eſt effectus formalis illius, ſaltem ſecundarius: hic autem nequit multiplicari immultiplicato primario, à quo eſſentialiter dependet: nec effectus formalis primarius multiplicari poteſt, niſi ipſa forma multiplicetur; effectus quippe formalis primarius nihil eſt aliud quàm ipſa forma, vt communicata ſubiecto; & ideo nequeunt multiplicari præſentiæ locales circumſcriptiuæ, immultiplicatâ quantitate: & cùm vnitas numerica corporis à quantitate ſumatur, implicat eam in vno & eodem corpore multiplicari. Cùm autem corpus Chriſti non deſinat eſſe in cœlo, vbi circumſcriptiuè & in propria ſpecie ad dexteram Patris ſedet, dum fit præſens ſacramentaliter in Euchariſtia, non ibi incipit eſſe per motum localem, & ratione propriæ quantitatis extenſæ ad locum, ſed per conuerſionem ſubſtantiæ panis in corporis ſui ſubſtantiam, ratione cuius in pluribus altaribus poteſt rectè ſimul eſſe. Tot enim poſſunt dari præſentiæ ſacramentales, quæ non tribuunt vnitatem numericam corpori Chriſti, ſicut quantitas; quot poſſunt dari conuerſiones, quæ poſſunt in infinitum multiplicari, ipſo Chriſti corpore immultiplicato, & eodem numero permanente. Vnde Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. inquit: *Docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo Euchariſtia Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem Chriſtum realiter ac ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri: nec enim hæc inter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & in multis nihilominus aliis locis ſacramentaliter præſens ſuâ ſubſtantiâ nobis adſit.* Vbi Concilium diſtinctè docet, corpus Chriſti quantitate ſua & circumſcriptiuè in dextera Patris ſuper cœlos ſedere; & tamen ſubſtantiâ ſuâ, ac modo indiuiſibili in ſanctiſſima Euchariſtia realiter eſſe præſens: quod quidem eſſe nequit, niſi ſubſtantia panis in ipſum corpus Chriſti tranſmutetur. Quod etiam docuit D. Chryſoſt. *lib.* 3. *de Sacerdotio*, vbi ait: *O miraculum, ò Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur.*

Non poteſt corpus Chriſti eſſe præſens in Euchariſtia, niſi per mutationem ſubſtantiæ panis in ipſum.

Conc. Trid. Præſentia ſacramentalis non pugnat cum præſentia locali, quâ corpus Chriſti habet in cœlo.

D. Chryſoſt.

453. Tertiò probatur eadem propoſitio. Illud tantùm eſt in Euchariſtia, quod author Sacramenti eſſe voluit; ab illo enim & infinita eius voluntate pendent omnia Sacramenta Eccleſiæ: ſed Chriſtus tantùm voluit corpus ſuum eſſe in Euchariſtia, & non panem; quod patet ex verbis eius, quæ eius manifeſtant voluntatem: poſtquam enim *Ioan.* 6. corpus ſuum in cibum hominibus dare promiſit, dicens: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*; vt promiſſis ſtaret, pridie quàm pateretur, *accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Matth. 26. 26. Vbi ſingula verba demonſtrant corpus Chriſti, & nullo modo panem: nam pronomen *hoc*, quod eſt neutrius generis, non refertur ad panem, qui eſt maſculini; ſed ad corpus, quod eſt neutrius generis: & vltimum pronomen, nempe *meum*, omninò oſtendit, id quod Chriſtus præbet diſcipulis, eſſe proprium ac verum eius corpus, quod anteà ſe daturum promiſerat: etenim ſi verba illa ad panem referrentur, falſa eſſent; impoſſibile enim eſt, quod panis remanens panis, ſit corpus Chriſti; nec poteſt dici quod ibi eſt vtrumque, nempe panis & corpus Chriſti ſub pane; quia ad hoc falſa eſſet illa loquutio, & dicere debuiſſet, *hic eſt corpus meum*. Cùm autem dixerit, *hoc eſt corpus meum*, conuincitur panem mutatum fuiſſe in corpus eius.

Chriſtus tantùm voluit corpus ſuum eſſe in Euchariſtia, & non panem.

Confirmatur hæc ratio ipſis Caluini Hæreſiarchæ verbis: cuius, cùm hoſtis ſit, teſtimonium alicuius non poteſt non eſſe momenti. Ille igitur Sacramentariorum anteſignanus fatetur, ex naturali ac ſimplici verborum Chriſti ſignificatione neceſſariò deduci, panem in Chriſti corpus tranſmutari: nam *in defenſ. 2. piæ & orthodox. de ſacram. fidei, tom. 7. pag.* 773. *col.* 1. *edit. Geneu.* 1617. inquit: *Non conſiſteret verborum ſimplicitas, niſi panis conſtetur in corpus.* Et infrà agens contra Lutheranos, qui panem cum reali præſentia corporis Domini in Euchariſtia ponunt, ait: *Papiſtas meliùs à neceſſitate tropi eximeret ſua tranſubſtantiatio.* Et *in admon. vlt. ad Vueſtphalum Lutheranum, tom.* 7. *pag.* 829. *col.* 1. de Lutheranis loquens inquit: *Craſſiùs eos de corporali præſentia, quàm Papiſtas ſentire & loqui arguimus.* Idem ſenſit Beza Caluini Geneuæ in Cathedra peſtilentiæ ſucceſſor: nam in libro de cœna Domini contra Vueſtphalum, *pag.* 215. ait: *Non poſſe vrgeri ῥητὸν in his verbis Chriſti: Hoc, id eſt hic panis, eſt corpus meum, quin Papiſtica tranſubſtantiatio conſtituatur.* Et *pag.* 216. ait: *Hoc ſæpe diximus, quod nunc quoque repetam, retineri non poſſe τὸ ῥητὸν in his Chriſti verbis: Hoc eſt corpus meum, quin tranſubſtantiatio Papiſtica ſtatuatur.* Et *pag.* 217. ait: *Vel tranſubſtantiatio ponenda eſt, vel tropus.* Quibus ex verbis poſſumus inferre, quod cùm nullus tropus, nullave figura ponenda ſit in verbis quibus Chriſtus Sacramentum ſtatuit, teſtamentum condit, promiſſionem implet, & immenſum ac infinitum hominibus amorem teſtatur; ideo neceſſariò ponenda eſt tranſubſtantiatio. Vnde Hoſpinianus 2. *p. hiſtor. Sacramentarior.* relatis variis erroribus poſt illum à Berengario excogitatum ſuſcitatis, ſcilicet Conſubſtantiatorum corporis Chriſti, & impanationis Verbi, quam ſententiam Ruperto Tuitienſi Abbati attribuit, inquit: *Hæ tamen ſententiæ omnes longiùs quàm Tranſubſtantiatorum à Chriſti verbis recedunt, ſi vel litera ſpectetur, vel ſenſus.* 454.

Caluinus ex verbis Chriſti panem in corpus mutari docet.

Idem ſenſit Beza.

Quartò denique aliâ ratione ſtabilitur. Omne quod eſt in rerum natura, vno excepto Deo, qui eſt primum ens, & cuiuſcumque eſſentiæ oceanus & ſcaturigo, fit vel ex nihilo, vel ex aliquo; hoc eſt, vel creatur, ſi fiat ex nihilo; vel producitur, ſi fiat ex aliquo. Nihil enim eſt præter Deum, quod non factum ſit: immò & Chriſtus ſecundùm humanitatem poteſt dici factus. Vnde & *Ioan.* 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Vnde rectè D. Bernardus *ſerm.* 14. *in pſalm.* Qui habitat: *Fecit* (inquit) *te Deus tuus, fecit tam multa propter te: fecit propter te & ſemetipſum. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quid adhuc reſtat? Factus eſt ipſe tecum vna caro.* Ergo cùm corpus Chriſti ſit realiter in Euchariſtia, vt ex verbis 455.

D. Bernard. Chriſtus poteſt dici factus.

Google

verbis Chriſti, & ex ſuperiùs dictis conſtat, & fatentur etiam Lutherani; & non poſſit ibi eſſe per loci mutationem, ſemper enim eſt in cœlis viſibiliter ad dexteram Patris, debet ibi eſſe factum: atqui nequit niſi ex pane eſſe factum, ita vt ſubſtantia panis in illud corpus tranſmutetur. Quod ſic probatur.

456. Omne quod eſt factum, eſt tale vel per vnionem hypoſtaticam, vel per creationem, vel per generationem, vel tandem per mutationem ſeu tranſubſtatiationem; non enim datur alius modus, quo res fiat: ſed corpus Chriſti in Euchariſtia non fit per vnionem hypoſtaticam cum pane, quia panis non vnitur hypoſtaticè, ſeu perſonaliter illi; nec illud corpus hypoſtaticè ſibi vniuit panem, aliàs Verbum mediante corpore panem ſibi hypoſtaticè vniuiſſet, & Deus poſſet dici panis, ſicuti ex aſſumptione humanitatis dicitur homo: nec vnquam panem dimitteret Verbum; nam quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Quæ omnia ſunt abſurda. Vnde & ſententia Ruperti, & illa quam docuit Ioannes Pariſienſis, qui docuit panem aſſumi à Verbo, vt refert Vualdenſis *tom. 2. de Sacram. cap. 63.* reprobatæ ſunt. Nec per creationem, quia non fit ex nihilo, cùm panis ſit neceſſarius, tanquam materia ad conficiendum hoc Sacramentum: nec per generationem; ſemel enim genitum fuit à B. Maria Virgine, Spiritu ſancto cooperante, & ſolius Virginis Chriſtus dicitur filius: nec panis materia ingreditur compoſitionem eiuſdem corporis; tunc enim non eſſet idem corpus quod natum eſt ex B. Dei Genitrice, & quod in cruce paſſum eſt; quia non eiſdem partibus eſſentialibus gauderet, ſed diuerſis. Ergo relinquitur, quod ſolùm fiat per mutationem ſubſtantiæ panis in illud, ac conſequenter per tranſubſtantiationem. Vnde ſicuti notat D. Thomas *3. p. q. 75. art. 8.* licèt panis non poſſit eſſe corpus Chriſti, attamen quia in hoc Sacramento, factâ totali conuerſione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, remanent accidentia panis, optimè poteſt dici, de pane fit corpus Chriſti: vnde D. Ambroſ. *lib. 4. de ſacr. cap. 4.* ait: *Vbi accedit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Et ſicut quia in creatione & in tranſmutatione naturali extrema non ſunt ſimul, poteſt optimè dici, ex non ente fit ens, ex aëre fit ignis; ita & rectè dicitur, ex pane fit corpus Chriſti.

Corpus Chriſti in Euchariſtia nequit eſſe factum, niſi ex ſubſtantia panis, quæ in ipſum transmutetur.

D. Thom.

De pane fit corpus Chriſti.

D. Ambroſ.

Cæterùm quæ à Lutheranis contra fidem tranſubſtantiationis, tum è Scriptura, tum ex Patrum verbis opponuntur argumenta, à nobis adducta ſunt, & ſoluta, immò & confutata ſuprà *lib. 1. elucid. 7. ſect. 2. §. 2.*

§. Vnicvs.

Veritas tranſubſtantiationis magis illuſtratur.

457. Non ſolùm amor amorum, & Sacramentum Sacramentorum, vt loquitur S. Bernardus, ſed etiam miraculorum miraculum ſanctiſſima eſt Euchariſtia: omnia vincit mirabilia, & quod in ea prodigium, Deo docente creditur, naturalium omnium agentium ſuperat facultates. Nec ſolùm præter naturam, ſed ſupra omnem naturæ modum mirabilis panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſio, quæ aptiſſimè tranſubſtantiatio appellatur, extollitur. Etenim in omnibus naturalibus conuerſionibus materia vnius ſuſcipit formam alterius, priori formâ depoſitâ; ſicut materiæ aëris ſuccedit forma ignis; & formæ hominis ſuccedit forma cadaueris. Ipſa autem materia non mutatur; eſt enim naturaliter immutabilis & ingenerabilis, & commune ſubiectum vtrique formæ ſucceſſiuè: at in conuerſione, quæ in Euchariſtia accidit, tota ſubſtantia panis, & forma & materia, in totam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſmutantur. Deinde in mutatione ſubſtantiali naturali, licèt tranſmutatâ formâ remaneat eadem materia, non remanent tamen eadem accidentia, ſed mutantur ad mutationem totius compoſiti phyſici, in quo ſuſtentantur, vt docet Philoſophus *cap. de ſubſtantia,* vbi inquit: *Corruptis primis ſubſtantiis, corrumpuntur omnia quæ inſunt.* Cùm enim, vt docet D. Thomas, accidentia indiuiduentur à ſubiecto, & illud ſit totum compoſitum phyſicum, quod in corruptione, & mutatione ſubſtantiali ad variationem formæ variatur; variantur etiam accidentia; & ideo vt docent communiter Thomiſtæ poſt Angelicum Præceptorem *in tract. de ortu & interitu,* in corruptione ſubſtantiali datur reſolutio vſque ad materiam primam; in mutatione autem ſubſtantiali, ſeu tranſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini, licèt totum compoſitum ſubſtantiale etiam quoad materiam mutetur, non mutantur tamen accidentia, ſed remanent eadem, & miraculosè, omni admirante naturâ, ſine ſubiecto ſubſiſtunt.

Euchariſtia eſt amor amorum.

D. Bernard.

Tranſubſtantiatio maximum miraculum.

In tranſubſtantiatione materia & forma panis mutantur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & remanent eadem accidentia panis.

Procul ergo à tanto myſterio debiliſſimum rationis naturalis lumen: dumque ad tremendum corporis Domini Sacramentum accedimus, *abigatur terrenarum caligo rationum, & ab illuminato fidei oculo mundana ſapientiæ fumus abſcedat,* vt loquitur S. Leo Papa *ſerm. 7. de natiuit. Domini.* Non enim æquum eſt ſupernaturalium omnium miraculorum maximum naturali acie perluſtrare. Cùm enim idem quod ex intacta proceſſit Virgine, puriſſimo ſermone in Euchariſtia corpus reperiatur, vtrobique humanorum captum excedit ingeniorum. Vnde S. Ambroſius *lib. de his qui myſter. initiantur, c. 9.* inquit: *Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid ergo quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine?* 458.

S. Leo Pap.

Sola fide attingitur tranſubſtantiatio.

D. Ambroſ.

Quamvis autem hoc in myſterio ratio cæcutiat humana, licebit tamen ſuppoſitâ fide & captiuato intellectu in obſequium Chriſti, ex conuerſionibus naturalibus ad ſuadendam mirabilem tranſubſtantiationem argumenta depromere, vt etiam natura ſupernaturalia inſinuet, & ſuo, quantum illi fas eſt tanto in negotio, Authori obſequatur. A nobis non ſunt quæ adducemus argumenta: illa excogitauit Angelicus Doctor, & ſcriptis mandauit *opuſc. 58. cap. 4.* vbi mutationem panis in corpus Chriſti, ſeu tranſubſtantiationem, tribus rationibus ſtabiliuit: quibus etiam & nos ad idem inſtitutum nunc vtemur. 459.

D. Thom.

Primò igitur mutatio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti probatur à ſimili. Potuit Filius Dei vnam ſubſtantiam in aliam commutare, & de facto vocatus ad nuptias in Cana Galilææ, aquam in vinum commutauit, vt legitur Ioan. 2. 7. Ergo & potuit panem in proprium corpus tranſmutare. Vbi enim ſimilis præcipit virtus, ibi ſimilis obedit effectus: vnde cùm eadem virtute, quâ dixit Dominus, Ioan. 2. 7. *Implete hydrias aquâ,* & eandem aquam ſine loquela in vinum commutauit; dixerit accepto pane, Matth. 26. 26. 460.

Tranſubſtantiatio probatur à ſimili.

Accipite,

Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, panem in corpus ſuum ſubſtantialiter conuertit.

A minori ad maius.

461. Secundò à minori ad maius tranſubſtantiatio ſuadetur. Illud quod poſſunt agentia minùs potentia, poteſt agens omnipotentiſſimum, maximè ſi infirma agentia non habeant virtutem agendi niſi ab agente illo potentiſſimo: ſed agentia minùs potentia quàm Filius Dei poſſunt mutare res ſubſtantialiter in alias: ergo & hoc potuit Filius Dei, ac conſequenter panem in corpus ſuum tranſmutauit. Probatur minor. Ars, natura, & gratia, quæ à Filio Dei dependent, qui à D. Auguſtino *lib. de vera relig. c. 31 tom. 1.* vocatur *lex omnium artium, & ars omnipotentis Artificis*, & conditor naturæ, authorque gratiæ exiſtit, tranſmutant ſubſtantialiter res. Primò ſiquidem ars hominis vnam ſubſtantiam mutat in aliam, vt patet in vitrifice, qui arte ſuâ vilem cinerem, immò & lutum mutat in præclarum & nobile vitrum. Ergo multò magis virtus verbi Dei poteſt panem in corpus eius, & vinum in eius ſanguinem commutare. Secundò natura vnam ſubſtantiam mutat in aliam, ſicut in vite aqua mutatur in vinum: & operâ apum ſuccus florum per ſecreta naturæ mutatur in fauum: & in nobis panis, quem manducamus quotidie, per naturam mutatur in carnem. Ergo multò magis, &c. Tertiò gratia hominis mutat vnam ſubſtantiam in aliam, ſicut Moyſes per gratiam mutauit virgam in ſerpentem, & aquam Nili fluminis in ſanguinem: ergo, &c.

D. Auguſt.

Arte, naturâ & gratiâ ſubſtantiæ tranſmutantur.

A maiori ad minus.

462. Tertiò à maiori ad minus ſtabilitur. Maius eſt ex nihilo aliquid facere, quia inter nihilum & ens eſt diſtantia infinita; ideoque cùm ad creationem requiratur potentia infinita, nulla creatura, etiam vt inſtrumentum, poteſt creare, vt docet S. Thomas *1. p. q. 45. art. 5. in corp. & ad 3.* quàm ex aliquo aliud facere, ſeu quàm ſubſtantiam in aliam ſubſtantiam mutare; non enim inter duo entia, verbi gratiâ inter panem, & corpus Chriſti, datur aliqua diſtantia infinita. Sed verbum Dei omnia creauit, & ex nihilo eduxit, vt dicitur Ioan. 1. 3. *omnia per ipſum facta ſunt*: ergo à fortiori potuit Filius Dei panem in corpus ſuum tranſmutare, & ſui ſermonis virtute infinitâ facere in inſtāti, quod potuit in eius corpore ſucceſſiuè calor natiuus, ſcilicet panem in carnem ſuam tranſmutare. Ergo verè panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti mutatur & tranſubſtantiatur. Vnde & D. Bernardus *ſerm. de cœna Domini*, Chriſtum ſic loquentem inducit: *Hoſtiam quam vides, jam non eſt panis, ſed caro mea; ſimiliter liquor iſte quem vides, jam non eſt vinum, ſed ſanguis meus.* Quemadmodum illic ſpecies cernuntur, quarum res vel ſubſtantiæ hîc non eſſe creduntur; ſic res veraciter & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non cernitur.

D. Thom.

Calor natiuus Chriſti panē in eius corpus mutabat.

D. Bernard.

463. Conſtat igitur ex tribus rationibus D. Thomæ, verè & propriè dari mutationem, ſeu tranſubſtantiationem panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Hæc autem tranſubſtantiatio non eſt actio adductiua corporis Chriſti, ad ſolam præſentiam localem formaliter terminata. Primò quia actio adductiua eſt motus localis rei quæ adducitur: ſed per tranſubſtantiationem Euchariſticam corpus & ſanguis Chriſti non mouentur localiter; non enim corpus Chriſti relinquit cœlos, vbi ad dexteram Patris aſſidet, vt in terram ſub ſpeciebus Euchariſtiæ deſcendat. Ergo. Secundò ad conuerſionem requiritur, vt terminus ad quem habeat incompoſſibilitatem cum termino à quo: alias poſſet terminus à quo in ſe remanere, quod repugnat ipſius conuerſioni in terminum ad quem: ſed terminus ad quem actionis adductiuæ corporis Chriſti non habet talem incompoſſibilitatem cum termino à quo; nam præſentia ſacramentalis, quæ eſt terminus ad quem actionis adductiuæ corporis Chriſti, non eſt incompoſſibilis cum ſubſtantia panis, quæ eſt terminus à quo Euchariſticæ conuerſionis; quia præſentia illa non eſt quantitatiua & diuiſibilis, ſed ſacramentalis & indiuiſibilis, ac ſimilis illi quâ Angelus ſit præſens loco; & ideo ſicut Angelus ex eo quod eſt præſens alicui ſpatio, ſubſtantiam corpoream ab eo non expellit: itaneque in Euchariſtia, ex eo præcisè quod corpus Chriſti ſit præſens ſpeciebus, expellitur neceſſariò ſubſtantia panis ſub eis præexiſtens.

Tranſubſtātiatio non eſt actio adductiua corporis Chriſti.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Profam D. Thom.

Nec tranſubſtantiatio in hoc conſiſtit, quod per illam corpus, & ſanguis Chriſti vniantur formaliter ſpeciebus panis & vini, loco ſubſtantiæ ipſorum, vt ſuſtentent accidentia Euchariſtica, conſeruando illa ſine ſubiecto. Etenim impoſſibile eſt, quod corpus Chriſti intelligatur vniri ſpeciebus, & conſequenter ſubſtare accidentibus Euchariſtiæ, niſi priùs ibi ſit; & conſequenter, niſi priùs intelligatur actio conuerſiua panis in corpus Chriſti: & ideo actio conuerſiua eſt diſtincta ab actione vnitiua, & hæc illam præſupponit. Deinde terminus formalis & primarius conuerſionis Euchariſticæ debet eſſe ſubſtantialis, cùm talis conuerſio ſit ſubſtantialis: ſed vnio corporis Chriſti cum accidentibus Euchariſticis non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis tantùm; nam ex ſubſtantia & accidentibus fit tantùm compoſitum per accidens. Adde quod modus ſubſtandi accidentibus, quamvis ſit in ſubſtantia, eſt accidentalis, vtpote ab illa, nullâ in ea factâ mutatione, acquiſitus. 464.

Neque per illam corpus & ſanguis Chriſti formaliter vniūtur ſpeciebus panis & vini, loco ſubſtātiæ ipſorum vt ſuſtentant accidentia.

Similiter conuerſio panis in corpus Chriſti non eſt actio conſeruatiua illius: nam vel hæc eſſet antiqua conſeruatio, quâ conſeruatur in cœlo; vel alia noua & ſupernaturalis, quâ ſpecialiter inciperet conſeruari ſub ſpeciebus Sacramenti. Non prima, quia illa eſt actio merè naturalis, per ſe primò terminata ad totam humanitatem Chriſti, non ponens Chriſtum vt formaliter incompoſſibilem cum ſubſtantia panis modo inextenſo & indiuiſibili, ſed modo extenſo & diuiſibili. Conuerſio autem panis in corpus Chriſti eſt ſupernaturalis, procedens ab agente ſupernaturali, & formaliter terminatur ad corpus Chriſti, vt repugnans cum ſubſtantia panis, & ſub modo indiuiſibili & inextenſo. Non ſecunda, quia conſeruatio nihil eſt quàm continuata productio, quæ neceſſariò ſupponit actionem productiuam corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus. Et ideo, 465.

Neque eſt actio conſeruatiua illius corporis & ſanguinis.

Dicendum eſt, actionem conuerſiuam, ſeu tranſubſtantiationē, quâ ſub ſpeciebus ponitur corpus Chriſti, eſſe verè productiuam illius corporis, non ſimpliciter & abſolutè, ſed tali modo, ſcilicet ex alia ſubſtantia quæ in ipſum conuertitur, & in cuius locum ſuccedit. 466.

Sed eſt vera productio eiuſdem corporis, non abſolutè, ſed ſpecialiter, nempe ex ſubſtantia panis.

Huius propoſitionis veritas, quantùm ad primam partem, liquet ex variis loquutionibus SS. Patrum, à nobis ſuprà adductis, quibus expreſsè docent, ex pane fieri corpus Chriſti: & ex Canone *Vtrum ſub figura*, relato à Gratiano *de Conſecr. diſt. 2.* vbi S. Auguſt. ait: *Corpus Chriſti & veritas, & figura eſt: veritas, dum in virtute Spiritus ſancti ex panis & vini ſubſtātia efficitur: figura verò eſt id quod exteriùs ſentitur.* Ac ex Hieron. *ep. ad Heliodorum*, vbi inquit: 467.

D. Auguſt.

D. Hieron.

Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt. Vnde ratione ſuadetur.

468. Omnis conuerſio ſubſtantialis eſt vera productio ſubſtantiæ, quæ transmutatæ ſuccedit; etenim communicatio, ſeu influxus alicuius eſſe ſubſtantialis eſt vera productio; conuerſio autem ſubſtantialis eſt communicatio, ſeu influxus ſuſtantialis, vt conſtat de vino ex aqua conuerſo, *Ioan.* 2. quod dicitur factum, & eſſe ſubſtantiale accepit: ergo & tranſubſtantiatio, ſeu conuerſio eucharistica, eſt vera productio corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Cùm enim corpus incipiat eſſe per tranſubſtantiationem in Sacramento, & repugnet illud aliunde adduci, quia non poteſt relinquere locum vbi eſt extenſiuè & diuiſibiliter, vt veniat ad Sacramentum; & etiam nequeat ibi eſſe per conſeruationem, quia prius eſt rem eſſe, quàm ibi conſeruari; neceſſariò ſequitur quod ibi producatur & fiat ex ſubſtantia panis in ipſum conuerſa.

469. Corpus Chriſti eſt viuum ad dexteram Patris viſibiliter, & ideo non ſimpliciter, ſed ſpecialiter in Euchariſtia producitur.

Secunda pars eiuſdem propoſitionis ex ſe euidens eſt. Cùm enim corpus Chriſti ſimpliciter & abſolutè ſupponatur productum, & in rerum natura exiſtens ante verborum conſecrationis prolationem & tranſubſtantiationem panis in ipſum; liquet quod talis conuerſio non poteſt dici corporis Chriſti productio ſimpliciter, & ſine addito; ſed tantùm ſecundùm quid, & cum addito, nimirum ex ſubſtantia panis, & ſub ſpeciebus eius.

Inſtatur.

470. Attamen contra euidentem hanc propoſitionem inſurgunt aduerſarij primò. Quod producitur, tranſit de non eſſe ad eſſe: atqui corpus Chriſti non tranſit per tranſubſtantiationem de non eſſe ad eſſe: aliàs cùm illi conuerſioni præexiſtat ſimul, eſſet, & non eſſet: ergo minime producitur, ſed tantùm conſeruatur.

471. Reſp. Reſpondetur diſtinguendo Maiorem: quod producitur, &c. tranſit de non eſſe eo modo quo producitur, ita vt ſi producatur ſimpliciter, tranſeat à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter; vel ſi producatur ſolùm cum addito, tranſeat à non eſſe cum addito, concedo Maiorem: tranſit alio modo, quàm eo quo producitur, nego Maiorem. Cùm ergo per tranſubſtantiationem corpus Chriſti non producatur productione abſolutâ & ſimpliciter dictâ, ſed productione cum addito, ſcilicet ex pane, & ſub ſpeciebus panis, non tranſit à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, ſed tantùm à non eſſe ſub ſpeciebus, ad eſſe ſub illis: quod eſſè ſecundùm quid non habebebat dum præexiſtebat tranſubſtantiationi.

472. Opp. Opponunt ſecundò: Actio quæ efficienter ab aliquo agente procedit, nequit eſſe productiua illius; aliàs idem eſſet ſimul prius & poſterius ſeipſo, ſecundùm idem: ſed tranſubſtantiatio eſt efficienter à corpore Chriſti, vt ab inſtrumento diuinitati cõiuncto: ergo nequit ipſum producere.

473. Reſp. Reſp. diſtinguendo Maiorem: Non poteſt eſſe prima productio ipſius, concedo Maiorem: non poteſt eſſe iterata eius productio, & ſub nouo modo eſſendi, nego Maiorem; hoc enim diuinitus (non naturaliter) eſt poſſibile. Quamvis autem idem vt primò productum, non poſſit eſſe prius ad ſeipſum vt primò productum; bene tamen ad ſeipſum vt reproductum: productio autem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non eſt prima eius productio, ſed reproductio; ac proinde poteſt corpus Chriſti vt primò productum præſupponi ad idem corpus vt reproductum?

474. Inſt. Vrgent aduerſarij: Idem eſt eſſe quod corpus Chriſti accipit per reproductionem, cum eo quod recepit per primam productionem: aliàs malè diceretur reproduci; reproductio quippe nihil aliud eſt quàm iterata eiuſdem productio. Ergo quocumque modo corpus Chriſti ſumatur, idem ſecundùm idem erit priùs ſeipſo: quod implicat.

Reſp. diſtinguendo Antec. idem eſt eſſe, &c. cum diuerſo modo eſſendi, concedo Antec. cum eodem modo eſſendi, neg. Antec. Cùm ergo corpus Chriſti per tranſubſtantiationem productum, diuerſum modum eſſendi habeat ab illo quem habet per primam ſuam productionem, per quam exiſtit in loco circumſcriptiuè & diuiſibiliter; non implicat quod præſupponatur ad ſeipſum vt exiſtens in alio loco indiuiſibiliter, inextenſè & ſacramentaliter. 475. Reſp.

SECTIO III.

Vtrum panis & vinum annihilentur in Euchariſtia.

QVi tranſubſtantiationem, quam in Euchariſtia docet Catholica Eccleſia, totis viribus impugnant hæretici, poſt multa contra illam virulenta emiſſa tela, quæ tamen, vtpote obtuſa, nec illam attingunt, nec lædunt, panem per eam annihilari inclamant, ex eo quod non inueniatur ſecundùm fidem noſtram cum corpore Chriſti. Sic exiſtimauit Petrus Martyr *lib. cont. Gardinerum, obiecto* 14. Idem docebat Ioannes Vuicleph, vt teſtatur Vualdenſis *tom.* 2. *cap.* 68. Imò & dicebat, quod ſi vera ſit tranſubſtantiatio, quia annihilat res bonas creatas à Deo, Chriſtus eſt Deus malus Manichæorum. Caluinus etiam *lib. 4. inſtit. cap.* 17. §. 14. contendit Catholicos non ponere veram conuerſionem, ſed annihilationem panis. Ex Catholicis autem Scotus cum ſuis, & Nominalibus ſentit, panem in Euchariſtia annihilari. 476. Mendacium Caluini.

477. Subſtantia panis non annihilatur in Euchar. Dicendum tamen eſt, ſubſtantiam panis & vini non annihilari in Euchariſtia. Ita expreſsè docet S. Thomas 3. *p. q.* 75. *art.* 3. & 1. *p. q.* 104. *art.* 4.

478. D. Auguſt. Hæc propoſitio probatur primò ab eodem S. D. *loc. cit. ex* 3. *p. in arg. Sed contra.* Deus non eſt cauſa tendendi in non eſſe, vt inquit D. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſt. q.* 21. Sed tranſubſtantiatio in Euchariſtia diuinâ virtute perficitur: ergo in tranſubſtantiatione panis non tendit ad non eſſe, nec annihilatur.

479. Deus non eſt cauſa tendendi in non eſſe. Confirmatur hæc ratio. Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſt ad manifeſtandam bonitatem & gratiam diuinam: ſed annihilatio panis non manifeſtat bonitatem & gratiam diuinam, quæ res in eſſe conſeruant, & non deſtruunt: ergo panis in Euchariſtia non annihilatur, cùm hæc annihilatio contraria ſit fini inſtitutionis huius Sacramenti.

480. Terminus annihilationis eſt ipſum nihil. Secundò probatur ab eodem D. Thoma. Id quod annihilatur, non tranſit in aliud, quia terminus annihilationis debet eſſe ipſum nihil, non verò entitas aliqua poſitiua. Sed ſubſtantia panis tranſit in aliud, nempe in corpus Chriſti, in quod veraciter & totaliter conuertitur, vt Fides Catholica docet. Ergo, &c. Vnde ſi ſubſtantia panis annihilaretur, corpus Chriſti deberet per aliam actionem diſtinctam produci; & poſita hac duplici actione, non eſſet ibi vera conuerſio, quæ neceſſariò exigit duos terminos poſitiuos. In hoc enim à creatione, quæ ex nihilo facit aliquid; & ab annihilatione, quæ aliquid reducit in nihilum, diſtinguitur: poſita autem hac duplici actione, neutra

haberet

haberet vtrumque terminum poſitivum; nam annihilatio haberet tantùm terminum à quo poſitivum; productio autem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, dumtaxat terminum ad quem. Cùm ergo actiones vnam conuerſionem ſtatuentes debeant eſſe talis naturæ, vt vna ex natura rei ſequatur ad aliam; & ad annihilationem panis, non ſequatur neceſſariò poſitio corporis Chriſti, abſolutè enim poteſt eſſe annihilatio ſine vlla productione alterius rei, manifeſtè ſequitur, vt loquitur D. Thomas, quod conuerſio tollitur, poſitâ annihilatione ſubſtantiæ panis.

481. Probatur tertiò: Sicut creatio eſt actio quæ habet nihilum pro termino à quo, & eſſe pro termino ad quem: ita annihilatio quæ ipſi opponi-

Res quæ annihilatur, debet deſinere in non eſſe. tur, ab ente tanquam à termino à quo, deſinit ad non ens tanquam ad terminum ad quem; vnde res quæ annihilatur non debet deſinere eſſe, ſed debet deſinere in non eſſe. Sed in Euchariſtia ſubſtantia panis non deſinit in non eſſe, ſed in aliquid poſitivum, nempe in corpus Chriſti. Ergo non annihilatur.

482. Attamen contra hanc veritatem opponunt primò

Inſtant aduerſarij. aduerſarij: Quod ita deſinit, vt nihil proſſus eius remaneat, annihilatur: ſed ſubſtantia panis ita deſinit in Euchariſtia, quia non remanet eius materia, neque forma, neque ſubſtantia: ergo verè annihilatur.

483. Reſp. diſt. Maiorem; ſi res quæ ita deſinit, ex

Refelluntur. modo deſinendi tendat in nihilum, concedo Maiorem; ſi tendat ad aliquid poſitivum, quod illi ſuccedit, & in quod conuertitur, nego Maiorem. Sicuti enim forma ſubſtantialis non dicitur annihilari, licèt ex ea nihil remaneat poſt eius corruptionem, quia ex vi actionis quâ corrumpitur, producitur alia forma in eius locum eandem materiam informans; ſimiliter ſubſtantia panis non annihilatur in Euchariſtia, licèt non remaneat peractâ conuerſione, quia ſic deſiit eſſe, vt in aliquid poſitivum, nempe in corpus Chriſti conuerſa fuerit. Nec poteſt dici, quod illa ſubſtantia panis facta ſit nihil, niſi ſecundùm quid, in quantum nihil eius remanſit; non tamen ſimpliciter, quia tranſiuit in corpus Chriſti: quia vt aliquid dicatur annihilari, debet tranſire in nihil ſimpliciter. Vnde vt loquitur D. Thom. *in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2. ad 3.* quamvis panis non ſit aliquid, tamen illud in quod conuerſus eſt panis, eſt aliquid, conuerſione factâ, & ideo non ſequitur quod panis ſit annihilatus.

Nec dicas, quòd deſitio panis, & productio 484.
corporis Chriſti in Euchariſtia, ſint duæ mutationes, quia deſitio panis habet pro termino à quo eſſe panis, & pro termino ad quem non eſſe illius: & productio corporis Chriſti habet pro termino à quo non eſſe eius, & pro termino ad quem ipſum proprium eſſe: quia cùm de fide ſit, totam ſubſtantiam panis tranſire in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, deſitio panis, & productio corporis Chriſti vnicam conſtituunt mutationem, quia habent vnicum terminum formalem à quo, ſcilicet non eſſe ſubſtantiæ panis, quæ conuertitur; & vnicum terminum formalem ad quem, nempe corpus Chriſti, in quod fit hæc conuerſio: quamvis cùm eſſe ſubſtantiæ panis conuertendæ concomitanter ſe habeat non eſſe ſubſtantiæ corporis Chriſti, in quam fit conuerſio; & ſimiliter cum ſubſtantia corporis Chriſti, ad quam terminari debet conuerſio panis, concomitanter ſe habeat non eſſe eiuſdẽ ſubſtantiæ panis, quæ deſinit.

Secundò opponunt: Ex duobus contradictoriis 485.
Obiectio. vnum eſt neceſſariò verum: ſed hæc propoſitio eſt falſa, *Factâ conſecratione ſubſtantia panis eſt aliquid*: ergo hæc eſt vera, *Subſtantia panis eſt nihil*. Ergo panis annihilatur.

Reſp. ad Min. quod licèt poſt conſecrationem 486.
Reſp. hæc ſit falſa, *Subſtantia panis eſt aliquid*; eſt tamen veriſſimum, quod illud in quod ſubſtantia panis eſt conuerſa, eſt aliquid; vnde ſubſtantia panis non annihilatur: nam per nullam aliam actionem hæc ſubſtantia panis deſiuit, quàm per veram & realem conuerſionem in corpus Chriſti. Poſſet autem Deus ſubſtantiam panis in corpus Chriſti conuerſam reſtituere, vel per modum reconuerſionis, conuertendo corpus Chriſti in ipſum, ſicut ipſe primò fuit conuerſus in corpus Chriſti; & tunc eſſet mutatio oppoſita illi quâ panis in corpus Chriſti mutatus fuit: vel per creationem; & hæc nullo modo eſſet oppoſita conuerſioni, quâ panis in Chriſti corpus fuit conuerſus.

LIBER TERTIVS

SOLIS AQVINATIS SPLENDORVM, Chriſtianos ad fidem & ſacrã Euchariſtiæ venerationem exhortantium.

ABSOLVTIS expoſitionibus duarum huius Cantici priorum partium, quæ lætitiam, gaudiumque Chriſtianorum Euchariſticum propter conuiuium ; & Saluatoris victoriam, regalemque in eodem conuiuio magnificentiam continent : tertia nobis occurrit exponenda, in qua Sanctus Thomas Fideles hortatur, vt ad Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedentes animoſâ armentur fide, vt diuitias amoris Dei hoc in myſterio veluti effuſas deguſtare, recipere ac poſſidere valeant. Qui ergo in prima parte huius Proſæ Eccleſiæ jubilum ac lætitiam cecinit ; ac in ſecunda magnificentiſſimi Regis victoriam, maieſtatem ac liberalitatem declarauit Doctor Angelicus, totus hac in tertia parte parænetícus eſt, perpetuâ paræneſi, ſeu exhortatione Fidelibus præſcribens quâ viâ, quove modo ſacris myſteriis appropinquent ; & quæ in illis credere, adorare, & ſumere debent, mirabili ſtylo ac perſpicuitate deſcribens. Sic autem pergit :

Tertius huius cantici pars eſt exhortatoria.

TEXTVS DVODECIMVS.

Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmat fides
Præter rerum ordinem.

EXPOSITIO TEXTVS.

1\. QVIA in ſuperioribus textibus, ac præſertim in præcedenti, Angelicus Præceptor ineffabile Euchariſtæ myſteriũ Eccleſiæ proponens, immenſa miracula in hoc concludi Sacramento dixerat, Chriſtum regum omnium Regem veraciter contineri, non ſolùm tanquam Chriſtianorum omnium cibũ ſuauiſſimum, ſed etiam vt Eccleſiæ hoſtiam, ſeu ſacrificium propitiatorium, ac nobiliſſimum ; ac tandem panem in eius corpus, & vinum in eius ſanguinem ſecretâ & inuiſibili virtute conuerti docuerat, quæ omnia ſenſuum noſtrorum ac ingeniorum aciem ſuperant ; ideo in hoc, quem modò exponimus, textu Fideles innitat, vt ad fidem recurrant, quatenus tanta myſteria omnem rerum naturalium ſeriem excedentia valeant attingere. Vnde ait :

Fides neceſſaria ad Euchariſtiam.

2\. *Quod non capis, quod non vides* ; hoc eſt, quod neque intellectu ſeu naturali ratione potes aſſequi, ô Chriſtiane, & multò minùs ſenſibus corporeis, tactu, vel viſu, & aliis huiuſmodi vales attingere ; nam Euchariſtiæ Sacramentum & mirabilis illa panis in corpus Domini, & vini in eius ſanguinem conuerſio, ſeu tranſubſtantiatio, omnem naturalem, tum ſenſitiuam, tum etiam intellectiuam hominum ſuperant cognitionem. Cùm enim nihil ſit in intellectu (modo naturali) quod prius non fuerit in ſenſu ; ſiquidem omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, vt ex Ariſtotele 1. *poſter. cap.* 1. tritum eſt apud Philoſophos ; nihil autem ſit in rerum natura à ſenſibus noſtris attingibile, quod ſacroſanctum Euchariſtiæ myſterium vel exprimat, vel adæquet : impoſſibile omninò eſt, vlla vel ſenſuum, vel intellectus actione, etiam perfectiſſimâ & acutiſſimâ, ad illius inſcrutabilis arcani cognitionem venire. Rectè ergo inquit Author, *quod non capis*, vt intellectualem ; *quod non vides*, vt ſenſitiuam aciem humanam tanto myſterio imparem oſtendat. Deinde ſtatim ſubnectit, *Animoſa firmat fides* ; hoc eſt, germana, vera, & generoſa fides, quâ relictis omnibus naturæ luminibus, vni Deo loquenti aſſentimus, docet firma, vera, & realia eſſe, quæ tanto in Sacramento nec ſenſus attingere, nec intellectus valet penetrare. Notanter autem fides hîc vocatur à D. Thoma *animoſa*, quia ſicuti animoſus vir intrepidus eſt, nulla meruit diſcrimina, nullaque fugit pericula, ſed magno animo, vt finem intentum aſſequatur, hoſtes, tela, ferrum, flammamque, ipſamque toti naturæ diſſonam ſuperat mortem : ita illa, quâ myſterium Euchariſticum attingimus, fides, ſenſus viſus, tactus, guſtus actiones, rationem naturalem, omniaque quæ menti humanæ renuntiant, panem & vinum in ſacra remanere ſynaxi, animoſè vincit, ſuperat, immò & profligat, vt ſolis Chriſti verbis, quibus proprium corpus & ſanguinem hoc in myſterio tradere declarat, firmiter & immobiliter adhæreat. Tunc enim *animoſa* fides eſt, quia naturam vincit, mundum ſubigit, & dum hominem Deo loquenti ſubmittit, illum ſuper omnia exaltat creata. Vnde de hac loquebatur Ioan. *ep.* 1. 5. 4. dum inquit : *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Rectè ergo fides animoſa dicitur, quia non ſolùm ad vincendũ ſenſus & intellectum vires præbet, ſed ipſamet victoria, ipſemet triumphus ab Apoſtolo vocitatur.

Naturalē, ſiue ſenſitiuā, ſiue intellectiuā cognitionem ſuperat Euchariſtia.

Fides animoſa quid ſit.

Fides victrix & victoria.

Poteſt

3. Fides animoſa, quaſi animata.

Poteſt etiam dici, quod fides à D. Thoma vocatur *animoſa*, ac ſi diceret animata. Sicuti enim corpus humanum animâ priuatum, animoſum non dicitur, nec animatum; non enim habet ad agendum animum, qui caret vitâ, quæ eſt fundamentum omnis bonæ operationis, & omnis motus validi, fortis, ac ſtrenui: ita quæ caret formâ, ſeu actu fides, non ſolùm non dicitur animoſa, ſed nec etiam animata, immò & mortua dicitur: nam cùm forma fidei ſit charitas, quæ omnium bonarum origo eſt actionum; dum charitate priuatur fides, priuatur formâ, priuatur vitâ, & mortua appellatur. Iacob. 2. 21. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Ac conſequenter nequit dici animoſa, quia nequit agere, cùm non habeat id per quod operatur, ſcilicet Dei amorem, per quem fides militat, vincit ac triumphat, ſicut dixit Apoſtolus, dum de fide ait, Gal. 5. 6. *Quæ per charitatem operatur.* Indiget igitur Chriſtianus fide perfectâ, viuâ, animatâ, immò & animoſâ, vt myſteria quæ in ſacroſancta latitant Eucbariſtia valeat attingere. Cùm enim, vt Melliſluus loquitur Bernardus, *fruſtra ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedat, quoniam omninò non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus*: Encharistiam immenſi erga homines Dei amoris officinam, theſaurum, immò & abyſſum percipiet nemo; nec diuini ignis flammam, quæ in ea eſt, & corda debet humana ſuccendere, recipiet, niſi jam in corde ſuo ardorem habeat charitatis, fidemque formâ ſuâ nobilitatam, ac ideo viuam & animoſam poſſideat. Subdit autem D. Thomas.

Sine charitate & operibus mortua eſt fides. — *D. Bernard.* — *Euchariſtia Dei amoris officina, fide viua & ardenti debet attingi.*

4. *Præter rerum ordinem*; ac ſi dicat, ſupra omnem rerum diſpoſitionem, modum, immò ac ſpeciem ſenſibilem: hoc eſt, homo fide perfectâ roboratus, etſi ſenſibus & naturali ingenij ſui acumine panem dumtaxat & vinum hoc in myſterio attingat; attamen præter, ideſt vltra id quod videt ac intelligit, per fidem firmiter tenet, ibi nullatenus panem aut vinum reperiri, ſed vtrumque mirabili tranſubſtantiatione mutatum ac conuerſum fuiſſe in verum corpus & ſanguinem Domini. *Fides* enim, vt ait Apoſtolus Hebr. 11. 1. *eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Vnde & S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Credamus*, inquit, *vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum videatur quod dicit: ſuperat & ſenſum, & fidem noſtram ſermo eius; nam verbis illius defraudari non poſſumus: ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, nullâ dubitatione teneamur, ſed credamus.*

Naturæ ordinem ſuperat Euchariſtia. — *S. Chryſoſt.*

5. Vel poſſumus dicere, quod ideo poſuit D. Thomas, *præter rerum ordinem*, vt hoc Sacramentum omnem naturæ rerum curſum ſolitum ſuperare demonſtret: eſt enim omninò mirabile, immò & omnium, quæ à Deo facta ſunt, mirabilium ſumma & epitome. Quod prædixit Pſaltes, dum inquit pſalm. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Cùm enim omnia quæ à Deo mirabilia patrantur opera, ſint vel præter naturam, vel contra naturam, vel ſupra naturam, vt ex eodem D. Thoma 1. *p. q.* 105. *art.* 6. 7. *&* 8. colligunt Theologi; hæc tria in Euchariſtia abbreuiata continentur. Nam præter naturam in hoc myſterio panis & vinum in corpus & ſanguinem Domini ſubitaneâ & inſtantaneâ mutatione ſubſtantialiter conuertuntur; cùm tamen panis & vinum, quæ per modum alimenti à Chriſto ſumebantur, non niſi ſucceſſivè, virtute caloris natiui, in eius corpus & ſanguinem conuerterentur. Secundò contra naturam, hoc eſt contra communem & ſolitum corporum ordinem & ſitum, corpus Chriſti quantum & extenſum in ordine ad ſe, verè eſt ſub ſpeciebus panis, ſine vlla extenſione in ordine ad locum, quem non occupat, nec ab illo occupatur aut circumſcribitur. Et tandem ſupra omnem virtutem naturæ idem numero corpus, quod in cœlis ad dexteram patris aſſidet, abſque eo quod mutet locum, ſub ſpeciebus panis in infinitis, vt ita dicam, hoſtiis, & altaribus realiter præſens inuenitur. Deinde addit author:

Præter, contra & ſupra naturam eſt Euchariſtia.

TEXTVS DECIMVS-TERTIVS.

Sub diuerſis ſpeciebus
Signis tantùm, & non rebus
Latent res eximiæ.

EXPOSITIO TEXTVS.

6. SVum proſequitur ſanctus Doctor inſtitutum. Cùm enim in præcedenti textu fidelem monuerit, vt generoſâ fide armaretur ad hoc, vt in Euchariſtia, eius adiuuante ſubſidio, attingeret quod neque ſenſibus, nec intellectu valet penetrare: explicat in iſto id quod fide in hoc myſterio Chriſtiano detegitur: ait ergo *Sub diuerſis ſpeciebus*, hoc eſt ſub variis apparentiis, panis ſcilicet, & vini, quæ non niſi in ſuis remanent accidentibus, quæ non paruo miraculo, tranſmutatâ ſubſtantiâ non tranſmutantur, ſed integra manent, & diuinitus ſine ſubiecto exiſtunt. Statimque addit, *ſignis tantùm, & non rebus*: vbi ſpecies ſeu accidentia panis & vini non res, ſed ſigna dumtaxat appellat. Etenim cùm ſecundùm Philoſophos accidens non ſit ens, ſed entis ens; hoc eſt ens diminutum, & cum addito aduenieos ſubſtantiæ completæ, vt potiùs ab illa recipiat, quàm vt ei eſſe concedat; ideo rigoroſè loquendo non poteſt dici res, ſed modus rei, ſeu diſpoſitio. Res quippe completa per ſe habet eſſe & ſubſiſtere: accidens autem cùm in alio, nempe in compoſito ſubſtantiali, tanquam in ſubiecto ſubſiſtat, ab illo habet eſſe; nam vt inquiunt Philoſophi, totum accidentis eſſe, eſt ineſſe ſubiecto. Attamen cùm hoc myſterium vincat omnem naturæ modum, vt in expoſitione textus præcedentis diximus, mutato ſeu conuerſo ſubiecto horum accidentium, hoc eſt conuerſâ ſubſtantiâ panis in ſubſtantiam corporis; & ſubſtantiâ vini in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, ac conſequenter deſtructo, ſeu ablato ſubiecto illorum, non deſtruuntur accidentia, ſed à Deo ſine ſubiecto conſeruantur: tum *vt fides locum habeat, dum inuiſibile viſibiliter ſumitur alienâ ſpecie occultatum*: tum *vt ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant ſibi notis*, vt loquitur D. Thomas *opuſc.* 57. Sicque accidentia quæ poſſunt adeſſe vel abeſſe abſque ſubiecti corruptione; & quæ ſemper naturaliter ad corruptionem ſubiecti corrumpuntur, ad totius ſtuporem naturæ, proprio

Accidens non eſt verè ens, ſed entis ens; vnde & ſignum rei dicitur. — *Accidentia immutata manent in Euchariſtia.*

per tranſubſtantiationem corrupto ſubiecto, integra remanent & incorrupta. Hæc autem, quæ non res dixit S. D. ſigna nominat: quod quidem duplici modo poteſt intelligi. Primò quidem ſigna dicit D. Thomas, illa accidentia quæ non ſunt res, ideſt ſubſtantiæ. Cùm ergo non ſint hoc modo res, ſunt tamen rerum ſigna, ideſt ſubſtantiarum indicia, non quidem præſentium, ſed præteritarum, & in corpus & ſanguinem Chriſti, virtute verborum quæ conſecrationis formam conſtant, conuerſarum: nihil enim obſtat, quin accidentia quæ aliquando fuerunt in ſubſtantia, & ad quam adhuc dicunt aptitudinem, licèt de facto hæc non ſit in ſe, ſed in aliud conuerſa, eam ſignificent.

Et ſunt ſigna vel ſubſtantiæ præteritæ.

7. Vel corporis & ſanguinis Chriſti.

Secundò accidentia hæc, ſigna ſunt corporis & ſanguinis Domini, quæ ſub illis verè & realiter continentur. Cùm enim juxta Dialecticos poſt Diuum Auguſtinum, ſignum *præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, in alterius cognitionem faciat deueniri*: auditis verbis Chriſti, qui ſumpto pane dixit, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*; & accepto calice loquit, *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, &c.* Matth. 26. dum ſupra ſacroſanctum nobis proponuntur altare accidentia panis & vini, ſtatim in corpus & ſanguinem Domini, in quæ ſubſtantia tranſiuit panis & vini, mens noſtra fide duce mouetur. Nam vt inquit D. Auguſtinus apud Proſperum in ſententiis (& refertur de conſecr. diſt. 2. can. *Nos autem*:) *Nos in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, ideſt carnem & ſanguinem Domini honoramus.* Vnde eadem diſt. can. *Corpus Chriſti*, deſumpto ex Hilario Papa Leonis I. ſucceſſore, dicitur: *Corpus Chriſti quod ſumitur de altari, figura eſt* (hoc eſt ſignum) *dum panis & vinum* (hoc eſt panis & vini accidentia) *videtur extra. Veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate creditur.* Addit autem D. Thomas, *latent res eximiæ*; hoc eſt, nobiliſſimæ & excellentiſſimæ ſubſtantiæ reconduntur, nempe corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quæ, vtpote partes humanitatis aſſumptæ à Verbo Diuino, præſtantiſſimum inter omnia creata obtinent locum. Quamuis autem ex vi verborum conſecrationis, quæ tantùm ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti, ipſum corpus, & ipſe ſanguis duntaxat ponantur in hoc Sacramento; tamen ex naturali concomitantia, anima ſanctiſſima Chriſti, quæ puriſſimum eius corpus informat; ipſaque Diuinitas Verbi nuſquam ab humanitate quam ſemel aſſumpſit, ſeparata, etiam realiter ibidem exiſtunt: & ſic conſtat, nihil in orbe terrarum pretioſius, aut præſtantius reperiri rebus illis, ſeu ſubſtantiis eximiis, quæ ſub illis ſpeciebus latent. Sed de his fuſiùs infrà in elucidationibus.

D. Auguſt.

Res eximiæ ſunt corpus & ſanguis Chriſti.

ELVCIDATIO I.

Circa textus præcedentes. De neceſſitate, dignitate, & vtilitate Fidei.

8. QVia in præcedentibus textibus Angelicus Magiſter animoſam Fidem fidelibus neceſſariam dixit, vt mirabilem panis & vini in corpus & ſanguinem Domini conuerſionem valeant attingere, ſimulque idem corpus ac ſanguinem in hoc Sacramento ſub accidentibus panis & vini latitantia penetrare; ideo quam hactenus in hoc opere ſequuti ſumus, methodus exigit, vt Chriſtianæ fidei præſtantiam paucis illuſtremus, eiuſque neceſſitatem, dignitatem, ac vtilitatem ſigillatim expendamus.

SECTIO PRIMA.

De neceſſitate Fidei.

ILla de qua nunc agimus, Fides habitus eſt, vel actus ſupernaturalis intellectûs, quo veritatibus à Deo reuelatis, & ab Eccleſia propoſitis, propter reuelantis authoritatem certò quidem, ſed ineuidenter aſſentitur. Hæc vocatur Fides Theologica, & ab Apoſtolo Hebr. 11. 1. definitur, *Sperandarum ſubſtantia* (græcè hypoſtaſis, hoc eſt baſis & fundamentum) *rerum, argumentum non apparentium*; ſeu vt textus Græcus fert: *Conuictio & certiſſima perſuaſio earum rerum quæ non videntur*; quæ tamen, vtpotè à Deo reuelante, creduntur. Qua in definitione certitudo, & infallibilitas fidei, eiuſque ineuidentia deſignantur. 9. Quid ſit fides.

De hac igitur fide, quæ hominem Deo loquenti ac reuelanti ſubjicit, ita vt ipſi lumen obſcurum, quo myſteria ſupernaturalia, tamen cùm maxima firmitate & certitudine attingit, concedat, nunc ſermo eſt, & præſertim quomodo hæc hominibus ſit neceſſaria.

Ad cuius euidentiam præmittendum eſt ex Theologia, aliquid hominibus poſſe eſſe neceſſarium dupliciter; ſcilicet neceſſitate præcepti, vel neceſſitate medij. Illud eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, ad quod homines obligantur ex præcepto, vt obſeruatio jeiunij quadrageſimalis, ad quod tenentur homines ex præcepto Eccleſiæ: illud autem eſt neceſſarium neceſſitate medij, quod tanquam medium indiſpenſabiliter requiſitum exigitur ad aliquem finem, ſiue hoc proueniat ex natura rerum inter ſe connexarum, quo pacto alimentum eſt medium neceſſarium ad conſeruationem vitæ animalis; ſiue ex inſtitutione alicuius cauſæ dominantis; quæ voluit & ordinauit, vt vnum ſine altero nequeat obtineri. Differunt autem iſta in hoc, quod neceſſaria neceſſitate medij in ordine ad aliud debent ſaltem (ſecundùm viam ordinariam) indiſpenſabiliter poni in re, ad hoc vt aliud acquiratur: at neceſſaria neceſſitate præcepti non debent ſemper poni in re, ad hoc vt aliud acquiratur, ſed ſufficit quod ſint in præparatione animi, & quod ponantur in re, datâ occaſione, in qua præceptum obligat. Similiter neceſſitas præcepti non viget, niſi præceptum cognoſcatur ab eo qui debet obedire; medium verò, vel ſcitum, vel ignoratum, neceſſarium eſt ad hoc vt finis habeatur. 10. Quid ſint neceſſitas præcepti, & neceſſitas medij.

Hæc autem medij neceſſitas duplex eſt: alia abſoluta & ſimpliciter, quando medium eſt tale, vt ſine ipſo in re habito, finis nequeat haberi; ſicut gratia ſanctificans ad ſalutem eſt neceſſaria, quia ſine illa in re habita nequit ſalus obtineri: alia tantùm ſecundùm quid, quando illud medium ſufficit in re, vel in voto; quo pacto Baptiſmus aut Sacramentum Pœnitentiæ, ſine quibus contritio cum voto Sacramenti poteſt ad ſalutem ſufficere, & Sacramentum ſupplere, dicuntur neceſſaria. 11. Neceſſitas medij duplex.

Inſuper præmittendum eſt, hominis ſalutem à Theologis in primam & ſecundam diſtribui. Prima eſt hominis juſtificatio, quæ ſalus appellatur, 12. Salus duplex, alia in via, alia in gratia: prima juſtificat, ſecunda glorificat.

Digitized by Google

latur, *Eph.*2.8.dum Apoſtolus ait, *gratiâ eſtis ſaluati per fidem.* Et ad Titum 3.5.*Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Secunda, quæ etiam vltima, eſt beatitudo ſupernaturalis, quæ etiam ſalus dicitur, Marc.vlt. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Quibus præmiſſis,

13\. Fides eſt neceſſaria neceſſitate medij.

Dicendum eſt, fidem, ſeu actum internum fidei ſupernaturalis eſſe ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem omnibus adultis, ita vt ſecundùm legem ordinariam, ſine illo in re habito, juſtificari & ſaluari nequeant. Dogma fidei eſt hæc propoſitio.

14\. Probatur primò. Hebr.11. 6. dicitur, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere* enim *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et *Gal.* 3. *& Epheſ.* 2. juſtificatio attribuitur fidei, quaſi fundamento & radici: vnd *Habacuch* 2.4 dicitur, quod *juſtus ex fide viuit.* Similiter in Concil. Trident. *ſeſſ.6. cap.7.* dicitur, quod *nulli vnquam ſine fide contigit juſtificatio.* Et *cap.* 8. dicitur, quod *fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis.* Quod etiam docetur à D. Auguſtino, qui *ſerm.*38. *de temp.* inquit: *Fides eſt humanæ ſalutis initium; ſine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt peruenire.* Quia ſine ipſa, nec in hoc ſeculo quiſquam juſtificationis conſequitur gratiam, neque in futuro vitam poſſidebit æternam.

D. Auguſt. Sine fide nemo juſtificatur, vel glorificatur.

15\. *D. Thom.*

Secundò à D. Thoma 2.2.*q.*2.*art.*3. hac ratione ſtabilitur. Salus quæ eſt perfectio rationalis creaturæ, conſiſtit in eo, quod ei tribuitur ex quadam ſupernaturali participatione diuinæ bonitatis. Ergo vt eam conſequatur, debet ad Deum tendere & venire motu ſupernaturali, quo ſe in Deum conuertat, & ad talem ſe diſponat ſalutem. Sed nequit homo ad Deum venire tanquam ad authorem ſupernaturalem, niſi per modum addiſcentis à Deo Doctore & reuelante, juxta illud Ioan. 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Huius autem diſciplinæ, ſeu doctrinæ diuinæ non fit homo particeps ſtatim, ſed ſucceſſiuè, ſecundùm modum ſuæ naturæ, & per modum addiſcentis, cuius eſt credere magiſtro loquenti. Ergo neceſſariò debet homo habere actum fidei, quo veritatibus reuelatis credat, ac ex hoc actu credendi ad Deum dirigatur tanquam ad finem vltimum ſupernaturalem, vt tandem ad ipſum veniat, & eo in æterna beatitudine fruatur.

Vt homo ſalutem conſequatur, debet ad Deum venire motu ſupernaturali per fidem.

16\. Tertiò, ad conſequendum finem ſupernaturalem indiget homo medio ſupernaturali: ſed prima ſalus hominis, nempe juſtificatio; & vltima ſalus, nempe æterna beatitudo, ſunt ſupernaturales: illa enim eſt participatio diuini eſſe in via; hæc autem in ſupernaturali & intuitiua viſione Dei conſiſtit. Ergo ad illas aſſequendas indiget homo mediis ſupernaturalibus, quæ ſunt cognitio & amor, ſeu fides & charitas.

Ad finem ſupernaturalē media ſupernaturalia requiruntur.

17\. Nec contra iſta valet, quod ad obtinendam ſalutem ſufficit præcepta naturalia obſeruare, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Hæc autem ſine actu fidei ſupernaturalis poſſunt ſeruari, vt ex Apoſtolo *Rom.*2. liquet, vbi ait: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt.*

18\. *D. Auguſt.* Nullus per vires naturales ſaluatur.

Primò, quia ex D. Auguſtino *lib.* 1. *de ſpir. & littera, cap.* 27. & D. Thom. 1.2.*q.*109. *art.*4.*ad* 1. & *in cap.*2. *Ep. ad Rom. lect.* 3. quando Apoſtolus ait, quod gentes naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, non excludit cognitionem ſupernaturalem, & gratiam, quæ data fuit nonnullis gentibus, vt Melchiſedech, Iethro, Iob & aliis. Vnde de Iob *cap.* 1. dicitur, quod erat *juſtus, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*: & ideo ly *naturaliter*, debet intelligi, vt loquitur D. Thomas, *per naturam gratiâ reformatam*; hoc eſt fide ſupernaturali illuminatam, licèt illis gentibus Lex Moſaica, aut Euangelium adhuc non fuerint annuntiata. Adde quod ſicut peccatum dicitur contra naturam; ita etiam gratia & cognitio poteſt dici naturalis, hoc eſt naturæ valde conſentanea.

D. Thom.

Gratia dicitur naturalis, id eſt naturæ congrua, & conſentanea.

19\. Secundò, quia ſi particula illa, *naturaliter*, in ſua natiua ſignificatione ſumatur, gentes poſſunt tantùm quædam præcepta moralia & faciliora obſeruare, vt ſunt parentes honorare, non furari, & huiuſmodi: non autem omnia, nec difficiliora, vt non concupiſces, diliges Deum tuum pluſquam teipſum: ad hæc enim auxilium exigitur ſupernaturale, & fides, ac conſequenter ad ſalutem. Nec vllus vnquam etiam in lege naturæ abſque actu fidei ſupernaturalis ſaluatus eſt; quia licèt tunc non fuiſſet præceptum ſupernaturale ſcriptis exaratum & determinatum; fuerunt tamen præcepta diuina fidei, ſpei & charitatis inſpirata Adamo, & per poſteros, vt per Seth, Enoch, Noë, &c. ad alios viuâ voce deriuata, vt ex D. Thoma 3. *p.q.*70.*art.*2. *ad* 2. colligit Soto *in* 4. *diſt.*1. *q.* 2. *art.*3.

D. Thom. *Soto.*

20\. Quamvis autem Baptiſmus ſuppleri valeat voto ipſius, quia in illo virtualiter continetur, & ſic poſſit homo ſalutem conſequi ſine reali ſuſceptione, ſed cum voto Baptiſmi; tamen quia actus Fidei ſupernaturalis non continetur virtualiter in cognitione naturali, vtpote imperfectiori & inferiori, non poteſt ſuppleri, ſed debet eſſe in re, vt homo ſaluetur. Vnde ſicut notauit D. Thomas *q.*14. *de verit. art.* 11. *ad* 1. homo educatus in ſyluis, vel apud barbaras nationes, ſequens ductum rationis in proſecutione boni & fuga mali, & nihil audiuit de rebus fidei, à Deo vel interna inſpiratione, vel alicuius hominis miniſterio illuminabitur de myſteriis fidei, quæ ad juſtificationem & ſalutem neceſſariò credenda ſunt, & cum actu fidei juſtificabitur & ſaluabitur, & non aliter. Sicut accidit Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, *Act.* 8. ad quem miſſus eſt Philippus: & Cornelio, ad quem S. Petrus miſſus eſt, *Act.* 10. ſicut & Paulus ad quoſdam in Macedonia, vt legitur *Actor.* 16. Et ideo D. Dionyſius *cap.*9. *Cæl. Hierarch.* refert multos gentilium Angelorum miniſterio, qui eis fidei myſteria reuelarunt, ſalutem fuiſſe aſſequutos. Certum igitur ac indubitatum apud omnes recipitur, neminem ſine fide, vel in via juſtificari, vel in patria glorificari: quod ita intelligendum eſt, vt fides in via mereatur homini gloriam in patria. Sed ad inſtitutum noſtrum redeamus, & fidem omninò ad ſacroſanctæ myſterium Euchariſtiæ percipiendum, tanquam ad præcipuum Chriſtianæ Religionis arcanum, neceſſariam videamus.

Votum baptiſmi ipſum ſupplet, ſed cognitio naturalis nequit ſupplere actum fidei.

D. Thom.

Obſeruans legem naturalem à Deo, vel per Angelum illuminabitur, vt credat & ſaluetur.

D. Dionyſ.

§. VNICVS.

Summa ad diuinam Euchariſtiam fides neceſſaria eſt.

21\. QVid lucidius Sole? inquit Sapiens *Eccleſ.* 17. 30. Luminum omnium quæ vel per ſydera, vel per aëra, vel etiam per omnes orbis partes diffun

Sol corporei luminis fons.

diffunduntur, origo eſt, omniſque corporei ſplendoris fons inexhauſtus. Eo fulgente, colorata omnia aciei exponuntur oculorum, quæ eius orbata luce, nec corporeos patiuntur obtutus. Attamen qui cætera viſibilia præſtat, in ſe minimè videtur: immenſo quo ſplender fulgore perſtringit oculos, ac ex nimia colluſtratione intuentium pupillis tenebras offundit. In ſuis radiis aſpicitur, qui in ſe non patitur intueri. Verùm quid eſt Sol? Inanimatum quid, ſenſu ac intellectu carens, ſuoque indefectibili lumine viui, immutabilis, diuinique jubaris ſimulacrum. *Vas admirabile, opus excelſi*, à Sapiente nominatur, *Eccl.* 43. 2. In illo poſuit Deus tabernaculum ſuum, vt ſcilicet à rationali creatura eius in illo ſplendida ceruatur imago. At typum vincit prototypus, & omnem viſibilis ſolis ſplendorem ſuperat inuiſibilis Dei inuiſibilis fulgidaque maieſtas. Sanè Sole lucidior eſt, qui Solem, eiuſque condidit lucem: ſplendidiori fulgore coruſcat, qui etiam ſpiritualibus claritatibus fulget, omnium etiam *ſpiritualium luminum pater*, vt à Iacobo Apoſtolo *cap.* 1. 17. appellatur. Illo lucente mentes noſtræ fulgore replentur; eiuſque illuſtratæ ſplendoribus, etiam ſupernaturales attingunt veritates.

Deus ſole fulgentior.

22. Etenim niſi ſuper nos eius lux affulgeat, nullum ſpirituale valet cernere intellectus noſter obiectum. In duplici ordine conſtituuntur quæ noſtris obiiciuntur ingeniis. Alia in ordine naturali, quæ lumine naturali mens noſtra, non ſine ſtudio ac labore aſſequitur; alia in ordine ſupernaturali, quæ à Deo vt gratiæ authore, mundique reparatore, Eccleſiâ proponente, reuelata nullo conatu naturali poſſunt attingi. Sed cùm omnes naturæ humanæ facultates excedant, lumine tantùm ſupernaturali fidei diuinæ mentibus noſtris infuſæ creduntur. Multa ſunt quæ hoc in ordine intellectui creato objiciuntur, omnia ſcilicet Chriſtianæ Religionis dogmata, inter quæ non infimum obtinet locum Sacratiſſima Euchariſtia, mirabiliſque, quam verbo Dei in illa operatur, panis in Chriſti corpus, & vini in eius ſanguinem conuerſio, ſeu tranſubſtantiatio. Cùm enim hæc Verbi Dinini Incarnationis, quæ à D. Damaſceno *miraculum miraculorum, & nouitas nouitatum* dicitur, ſit extenſio, vt ait D. Ioannes Chryſoſtomos, non poteſt magnum non eſſe miraculum, ac conſequenter vt poſſit ab hominibus attingi & agnoſci, ſpeciali lumine fidei eorum intellectus debent colluſtrari.

Obiectum cognitionis humanæ, vel naturale, vel ſupernaturale.

Supernaturale ſine fide non attingitur.

D. Damaſ.

D. Chryſoſt.

23. Hinc S. D. in textu quem modò illuſtramus, non ſolùm fidem ad hoc attingendum myſterium, ſed illam animoſam, hoc eſt generoſam, fortem, audacem poſtulauit. Quamuis enim eadem ſit fides diuina, quæ in intellectu fidelium ex diuina infuſione reſidet, tum ex vnitate ſubiecti, tum ex vnitate obiecti formalis, nempe reuelationis diuinæ cum propoſitione Eccleſiæ: tamen ſpecialis quodammodò videtur actus fidei neceſſarius circa ſacroſanctam Euchariſtiam, propter ſpecialem huius myſterij altitudinem, nouitatem, difficultatem, ac raritatem. Vnde inſolitum quod in hoc Sacramento munus Deus conceſſit Eccleſiæ, eius ſimul fuit charitatis finis, & fidei Chriſtianæ complementum.

Magna fides requiritur ad Euchariſtiã percipiendã.

24. Sicuti enim in primo totius orbis opificio per cæli, terræque, lucis, ſtellarum, ſolis, lunæ, aliorumque ſyderum, necnon plantarum, piſcium, volatilium, animalium, immò & Angelorum creationem, tandem ad hominem, Angelorum & animalium, cœli, terræque, ac totius vniuerſi compendium formandum acceſſit rerum omnium Conditor: ita in orbis reparatione, qui omnia creauerat Dei Filius, per ſexcenta portentoſa opera, per ineffabilium prædicationem Sacramentorum, quæ à ſolo Dei Vnigenito poterant enarrari, ad immenſæ, quâ proſequebatur homines, charitatis perfectionem, & Chriſtianæ Fidei complementum, jamjam moriturus inæſtimabile corporis & ſanguinis ſui beneficium in inſcrutabili Euchariſtiæ Sacramento manducandum & bibendum hominibus contulit, conceſſit, donauit. Tunc enim nouum, ac planè naturæ incredibile accidit, vt ſeipſum propriis ferret manibus, & proprio ore corpus ſuum manducaret, ac ſanguinem ſuum biberet. Quod vtique adeò nouum ac inuſitatum naturæ viſum eſt, vt illius tantùm lumine vtentibus prorſus incredibile apparuerit: nam dum Chriſtus quod facere decreuerat exprimebat, ſe carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum daturum, Ioan. 6. 53. *Litigabant Iudæi ad inuicem dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.* Immò & quibuſdam Chriſtus in hoc inſanire viſus eſt, ſicut notauit D. Auguſtinus *conc.* 1. *in pſalm.* 33. vbi ait: *Ille dicebat, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, quia mutauerat vultum ſuum, quaſi furor iſte & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem. Ideo quaſi inſanus putatus eſt Dauid, quando dixit ipſe Achis, Arreptitium hunc mihi adduxiſtis. Nonne videtur inſania, Manducate carnem meam, & bibite ſanguinem meum; & quicumque non manducauerit carnem meam, & non biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam? Quaſi inſanire videbatur. Sed Regi Achis inſanire videbatur, ideſt ſtultis & ignorantibus; ideo dimiſit eos, & abiit.* Hæc Auguſtinus: quibus oſtendit quàm difficilis ad credendum hominibus ratione tantùm vtentibus appareat Sacratiſſima Euchariſtia, cùm & in ipſa (qui tanto ſuam ditauit Eccleſiam Sacramento) ipſis inſanire viſus ſit.

Ab omnium rerum creatione ad hominis productionem tranſiuit Creator.

Euchariſtia miraculorũ Chriſti complementum.

Chriſtus in Euchariſtia quibuſdam inſanire viſus eſt.

Alia quæ credenda proponit Eccleſia, omnibus ad fidem venientibus ſemper expoſuit: illa catechumenis enarrauit, nec vllus olim adultus ſacro lauacro tinctus eſt, niſi poſtquam Deum vnum in eſſentia, trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum confeſſus, Filium ex Maria Virgine natum, paſſum, ſepultum è mortuis ſurrexiſſe, & ad cœlos aſcendiſſe, ſe credere proprio ore declarauit: at nemini ante ſuſceptum Baptiſmum reconditum Euchariſtiæ myſterium pandebatur. Cauebant ſibi Maiores & Eccleſiarum Paſtores, dum baptizatis & catechumenis indiſcriminatim Chriſtianam Fidem pro concione exponebant, ne tremenda corporis & ſanguinis Domini myſteria propalarent, vt apud ſanctos Patres paſſim videre eſt, adeo occultum, ac ſuper omnem humanum captum ſemper reputatum fuit hoc Sacramentum. Vnde D. Auguſt. *tr.* 11. *in Ioan.* explicans illud Ioan. 2. 24. *Ieſus non credebat ſemetipſum eis*, dicit iſtud conuenire catechumenis, quibus non ſe præbebat Dominus per Euchariſtiam. *Si dixerimus* (inquit) *catechumeno, credis in Chriſtum? Reſpondet, credo: & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum, Manducas carnem Filij hominis, & bibis ſanguinem Filij hominis?*

25\.

Alia fidei myſteria catechumenis exponebantur.

Non autem Euchariſtia.

D. Auguſt.

Catechumeni tempore D. Aug. ſigno crucis frontem terebant.

Neſcit

Neſcit quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei. Et infrà docens baptizatis ſacram Euchariſtiam & exponi, & concedi, ait: *Quò perducit credentes & baptizatos? Ad manna: ecce dico manna. Notum eſt quid acceperint Iudæi, populus Iſraël: notum eſt quid illis pluiſſet Dominus de cœlo; & neſciunt catechumeni quid accipiant Chriſtiani? Erubeſcant ergo, quia neſciunt: tranſeant per Mare Rubrum, manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Ieſu, ſic ſeipſis credat Ieſus.* Hæc Auguſtinus, vbi per metaphoram tranſitûs Maris Rubri catechumenos ad ſuſcipiendum Baptiſmum hortatur, vt ſacris vndis renouati Sacramentum corporis Domini & agnoſcere valeant, & manducare. Vnde idem Auguſtinus *ſerm. 2. de verb. Apoſtoli*, expreſsè docet, Euchariſtiam tantùm à baptizatis cognoſci. *Loquutus eſt Redemptor*, inquit, *de corpore & ſanguine ſuo: quod corpus dixit eſcam, & ſanguinem potum, Sacramentum fidelium agnoſcunt fideles.* Et in plurimis aliis locis, vt *lib. 10. de ciuit. cap. 6. in pſal. 39. in pſalm. 109.* & *lib. 50. hom. hom. 42.* vtitur hoc modo loquendi: *Norunt fideles quæ dicimus; intelligunt de quibus loquimur*, vt oſtendat non à catechumenis, ſed à baptizatis tantùm Euchariſtiæ arcanum percipi. Vnde & Cyrillus Alexand. *in Ioan.* idem docet, dum ait: *Sciant igitur baptizati homines, & diuina gratiæ* (hoc eſt Euchariſtiæ) *participes facti*, &c. Non ergo incipientem fidem, qualis eſt catechumenorum; ſed perfectam & jam adultam, immò & animoſam, qualis eſt baptizatorum, ſacroſancta corporis & ſanguinis Domini myſteria vt credantur & recipiantur, exigunt.

Baptizatis dumtaxat myſterium Euchariſtiæ exponebatur.

Perfecta fides ad Euchariſtiam neceſſaria.

26\. Hinc planè veteres Eccleſiæ Doctores de Euchariſtia tectè & arcanè loquuti ſunt & ſcripſerunt, ne Gentiles tantam rem audientes, & non intelligentes irriderent & ſubſannarent. Immò & Apoſtolus de ea loquens, juxta plures Interpretes relatos à Cornelio à Lapide, 1. Tim. 3. 9. *Myſterium fidei* appellauit, dicens: *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Quo vocabulo non ſolùm dogma fidei, ſicut alia credibilia, ſed etiam myſterium, quaſi ſpecialem habens difficultatem, vocitatur. Vnde in forma conſecrationis vini in ſanguinem Chriſti, duæ illæ voces poſitæ ſunt, ſcilicet, *myſterium fidei*, ex traditione Domini, quæ ad Eccleſiam per Apoſtolos peruenit, ſecundùm illud 1. Cor. 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; vt notauit D. Thomas 3. *p. q. 78. art. 3. ad nonum*, & Innoc. III. *cap. Cùm Marthæ, de celebr. miſſ.* Quare Sancti Patres, Dionyſius, Chryſoſtomus, Cyrillus & Baſilius Euchariſtiam antonomaſticè *myſterium*, vel tremenda myſteria vocant, vt tanti Sacramenti inſuperabilem altitudinem ac profunditatem inſinuent, ac innuant non niſi à ſumma & animoſa fide attingi.

Obſcurè de Euchar. loquebantur Antiqui, & quare à Paulo Euchariſtia vocatur myſterium fidei.

D. Thom.

Dionyſ. Chryſoſt. Cyrillus. Baſil.

27\. Licèt autem altiſſimum ſit hoc myſterium, quia tamen non credendum proponitur niſi illis qui jam ineffabilia Incarnationis Verbi Dei, Trinitatis, & ſimilium ſacramenta confeſſi ſunt, non incredibile cenſetur, ſed ab omnibus qui ſe Chriſti fidem habere gloriantur, debet admitti. Etenim ingenti prouidentiâ factum eſt, vt hoc miraculum non niſi poſt alia jam credita proponeretur credendum; vt qui jam omnipotentiæ Dei pro hominum ſalute incarnati crediderunt, eidem corpus & ſanguinem ſuum ſub panis & vini ſpeciebus largienti credere non recuſent. Sicut enim, vt Virginis partus poſſibilis putaretur, quædam ſteriles genuerunt, vt Sara Abrahæ coniux, Anna Elcanæ vxor, & tandem Eliſabeth Zachariæ Ioannem Baptiſtam peperit, quod notauit D. Chryſoſt. *hom. 49. in Gen.* vbi ex illo Luc. 1. 36. *Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis*, inquit: *Vt ſcias quod propter hoc ſteriles priùs fuerunt* (ſcilicet illæ quæ fœcundatæ ſunt,) *vt credatur virginitatis partus*: ita vt Chriſtum corpus ſuum & ſanguinem in Euchariſtia hominibus dediſſe Chriſtiani non dubitent, priùs jubentur credere ipſum Dei Filium ſemetipſum hominibus donaſſe, dum *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus*, in puriſſimo immaculatæ Virginis vtero, ex quo, nouem poſt Incarnationem decurſis menſibus, matris integritatem conſecrans & non minuens, in Bethlehem natus eſt. Vnde quemadmodum, vt loquitur Chryſoſtomus loco cit. *quando tibi dicit Iudæus: Quomodo peperit Virgo? Dicendum illi eſt: Quomodo peperit ſterilis?* quia ſterilitas viam parat virginitatis: ita quando hæreticus, qui Chriſtiani nomine gloriatur, poſtulabit: *Quomodo poteſt ſub ſpeciebus panis & vini verum corpus & ſanguis Chriſti dari hominibus? Quomodo in corpus tranſit panis, & quomodo vinum in eius ſanguinem vertitur?* illi ſtatim dicendum eſt: *Quomodo potuit Verbum Diuinum increatum fieri, ita vt de illo dicatur*, Ioan. 1. 14. *Verbum caro factum eſt*: immenſum anguſti vteri ſpatio concludi; & tamen de illo dicitur, Luc. 1. 31. *Ecce concipies in vtero*, &c. æternum tempori ſubdi, & annis menſurari, vt dicitur Luc. 2. 42. *Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim*: & tandem ante ſecula ex Patre natum, in tempore naſci ex Virgine: quod fides docet Chriſtiana. Cùm ergo Incarnationis *ſacramentum à ſeculis abſconditum*, vt loquitur Apoſtolus *Eph.* 3. 9. ac humani captum ingenij longè ſuperans, licèt ineffabile ac incomprehenſibile, ab iſtis credatur; cur mirabile ſacroſanctæ myſterium Euchariſtiæ ab iſtis non creditur, cùm vtrumque miraculum ab eodem authore procedat, eundem Filium Dei contineat, eodem primæ veritatis ore ſit annuntiatum, eiſdem ſignis ac ſacrorum teſtimoniis eloquiorum confirmetur.

Cur Euchariſtiæ myſterium non niſi poſt alia credendum proponatur.

D. Chryſoſt.

Miracula miraculis, & myſteria myſteriis comprobanda.

Hoc argumento vſus eſt D. Ambroſ. *de his qui initiantur myſt. cap. 9.* vbi ait: *Suis* (hoc eſt Chriſti) *vtamur exemplis, Incarnationiſque aſtruamus myſterij veritatem. Nunquid naturæ vſus præceſſit, cùm Ieſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſueuit. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine.* Hæc Ambroſius. 28.

Maximam etenim non ſolùm conformitatem, ſed etiam affinitatem cum Verbi Dei Incarnatione ſacroſancta habet Euchariſtia, & non diſſimilia in vtroque myſterio continentur miracula. Nam ſicuti dum Verbum homò factum eſt, puriſſimus intemeratæ Virginis ſanguis, agente Spiritu Sancto, in Saluatoris carnem mutatus eſt, quod docuit D. Damaſcenus *lib. 3. fid. cap. 2.* dum inquit: *Filius Dei conſtruxit ſibiipſi ex caſtiſſimis, & puriſſimis ſanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali*: ita in ſanctiſſimæ myſterio Euchariſtiæ ex pane & vino, diuinâ operante virtute, corpus & ſanguis Chriſti producuntur per realem 29.

29\. Conformitas maxima inter myſterium Incarnationis & Euchariſtiæ.

Ex ſanguine B. Virginis formatum eſt corpus Chriſti, ex pane fit idem corpus.

R.P.Cat. Bouquin Comm. in Profam D.Thom.

mutationem ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini.

30. Latet in Incarnatione Verbi Diuinitas humanitate veluti obumbrata: at in Sacramento Euchariſtiæ, vtraque Chriſti natura, humana ſcilicet & diuina, panis & vini accidentibus tegitur. Et ſicuti ille qui aliquando de Chriſti reſurrectione dubitauit, hominem tantùm tangens, Deum confeſſus eſt, exclamans Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*: ita qui tantùm huius Sacramenti accidentia tangit & videt, firmiter credere debet, Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ibidem realiter contineri. Quod cecinit D. Thomas in rythmo ad ſanctiſſimam Euchariſtiam, his verbis:

Diuinitas latebat in humanitate, vtrumque latet in Euchariſtia.

Viſus, guſtus, tactus in te fallitur;
Sed auditu ſolo tutò creditur.

Et infrà:

In cruce latebat ſola Deitas:
At hic latet ſimul & humanitas.
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petiuit Latro pœnitens.
Plagas ſicut Thomas non intueor:
Deum tamen meum te confiteor.

31. Licèt verum ſit, quod per Incarnationem Verbum Dei vtero B. Mariæ Virginis fuerit clauſum, quod ex illo exierit per natiuitatem, ac cum hominibus realiter fuerit conuerſatum; nuſquam tamen extra ſinum fuit Patris: ſemper in cœlis extitit, & ſolium infinitæ occupauit maieſtatis, quamuis in terris humilis Chriſtus ac ſubditus verſaretur. Simile in altaris apparet Sacramento. In ipſo enim realiter Chriſti corpus continetur; quod tamen in cœlis Patris dexteræ aſſidet glorioſum: & licèt viſibiliter Beatos omnes in Empyreo lætificet, ſimul tamen ſeſe inuiſibiliter in terris, fidelibus exhibet manducandum.

In ſinu patris, & in vtero matris erat filius Dei.

Ad dexterã Dei ſedet: & in Euchariſtia exiſtit corpus Chriſti.

32. A ſua quodammodò receſſit magnitudine, dum humanam aſſumpſit naturam Verbum Dei: à ſinu Patris, vbi ſupra Angelos regnabat, ad ſinum matris, infra Angelos deſcendit, vt ipſis Angelis minor cum hominibus, ac pro hominibus homo Patri ſubderetur; vt ſicuti loquitur Auguſtinus in pſalm. 18. 7. *humilis miſericordiâ eſſet infra omnes, qui fortis maieſtate eſt ſupra omnes.* Eandem, immò & maiorem Chriſtus in Euchariſtia tenet humilitatem: à viſibili & externa, quæ maximè ſpecioſa, etiam cum venuſtate emittit maieſtatem, formâ recedit: nullatenus aut videtur, aut ſentitur: & factus juſtorum alimentum, nec peſſimis aut ſceleratis hominibus ſe denegat comedendum, ita vt non ſolùm poſſit hic dicere: *Ego ſum vermis, & non homo*, pſal. 21. 7. ſed etiam vermium aliquando nutrimentum; adeo vt cum D. Bernardo liceat admirando exclamare! *O nouiſſimum, & altiſſimum! O humilem, & ſublimem! Opprobrium hominum, & gloriam Angelorum.*

Infra Angelos deſcendit per Incarnationem: infra homines deſcendit in Euchariſtia.

33. Humanitati per Incarnationem adeo Filius Dei conglutinatus eſt, vt verus homo Deus ſit; nam vt loquitur D. Leo ſerm. 17. de paſſione Domini: *In tantam vnitatem Dei, & hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte diſiungi.* Vnde & homines, Deum ſecum habere, poterant gloriari, quod nomine Emanuël, Chriſto ab Iſaia 9. attributo, quod *nobiſcum Deus* ſonat, ſignificatum eſt. Idem in Euchariſtia cernitur; tremendo hoc quippe myſterio nouo modo Deus hominibus coniunctus eſt, non ſolùm tanquam redemptor, & paſtor; ſed etiam tanquam redemptio, & pabulum: vtriuſque enim munus præſtat, vel oblatione, vel huius participatione Sacramenti. Itaque ad hoc ineffabile donum verba Chriſti, quæ Matth. vlt. pronuntiauit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, referuntur.

Hominibus per Incarnationem conglutinatus eſt: eiſdem intimè vnitur per Euchariſtiam.

Proprio orbatur ſuppoſito humana aſſumpta à Verbo natura, vt diuino & increato Filij Dei donetur, & nobiliſſimâ ſubſiſtentiâ freta theandricas, hoc eſt diuinas ſimul & humanas eliciat actiones. A proprio pariter in Euchariſtia panis & vini accidentia avelluntur ſubiecto, vt tranſmutatâ in corpus & ſanguinem Chriſti eorum ſubſtantiâ, ſine vllo ſubiecto, nobiliori modo, à diuina omnipotentia miraculosè ſuſtententur. 34.

Humano ſuppoſito caruit in Incarnatione: & proprio ſubiecto carent accidentia in Euchariſtia.

Stupendum eſt Incarnationis myſterium, eorumque omnium, quæ in conceptione ac Chriſti natiuitate notantur, prodigiorum nulla poteſt aſſignari ratio, niſi diuina omnipotentia: ibi enim tota ratio facti eſt potentia facientis. Vnde & Chriſtus Dominus antonomaſticè à Propheta Habacoch 3. 2. *opus Dei* appellatur. Et Angelus Mariæ Virgini ſeriem huius exponens myſterij, ad diuinam virtutem recurrit, *Luc.* 1. dum inquit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ita omnium, quæ in ſacra Euchariſtia continentur, miraculorum nulla alia ratio datur, niſi diuina cum omnipotentia coniuncta voluntas; ideoque vtrique, & Incarnationis, & Euchariſtiæ myſterio verba conueniunt Apoſtoli, 1. *Cor.* 1. quibus inquit, quod *loquimur ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt.* Nam vt ibidem inquit D. Ambroſius: *Abſcondita eſt Dei ſapientia, dum non in verbis, ſed in virtute eſt, non humanâ ratione poſſibilis, ſed ſpiritus efficaciâ credibilis.* 35.

In Incarnatione tota ratio facti eſt potentia facientis: idem reperitur in Euchariſtia.

Denique omnem vincit intellectum Diuini Verbi Incarnatio, nullaque humani, etiam acutiſſima acies ingenij, naturæ viribus tantum poteſt aſſequi myſterium, quod ab Apoſtolo Eph. 3. 9. *inueſtigabiles diuitiæ Chriſti, & ſacramentum abſconditum a ſeculis in Deo*, vocitatur. Ipſi etiam Angeli ſuorum copiâ luminum tanto impares adhuc ſunt inſcrutabili arcano, nullamque, niſi Deo reuelante, de eo poſſunt habere notitiam. Vnde & D. Ambroſius de Verbi Dei generatione non ſolùm æterna, quâ à Patre procedit, ſed temporaneâ, quâ à Virgine generatur & naſcitur: *Mihi* (inquit) *cui impoſſibile eſt generationis ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantùm, ſed & Angelorum.* Omnem etiam cognitionem naturalem, ſiue Angelicam, ſiue humanam, ſanctiſſimum Euchariſtiæ tranſcendit Sacramentum: cùm enim modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, ſit penitus ſupernaturalis, vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 76. *art.* 7. intellectus hominis viatoris, vel etiam Angelicus, ſecundùm ſua naturalia non ſufficit ad illud cognoſcendum; ſed vterque diuinâ reuelatione, & fide ſupernaturali indiget, vt tantum valeat attingere myſterium. 36.

Angelica & humana ratio deficiunt in Incarnatione: eadẽ non attingit Euchariſtiã.

Ex quibos omnibus manifeſtè conuincitur, ſummam inter Incarnationem & Euchariſtiam ſimilitudinem ac affinitatem reperiri: quæ ſanè duo ad tanti reuerentiam Sacramenti etiam hæreticorum pudorem inferunt. Primum quidem, quòd nuſquam naturali ratione Euchariſtiæ veritas rimãda eſt; quia hæc Dei Incarnationi ſimillima, omnem naturalis rationis conatum ſuperat, vtpote vnus 37.

Non ergo humana ratione inueſtiganda eſt Euchariſtia.

ex

ex præcipuis Fidei Chriſtianæ articulis, immò & antonomaſticè dicitur *Myſterium fidei*; ac conſequenter malè à nouantibus realis Chriſti in hoc Sacramento præſentia rationibus naturalibus impugnatur. Abſcedant ergo ab ineffabili myſterio ſenſuum ac naturalis cognitionis infirma ac nebuloſa lumina: ſola accedat auris, vt abdicatis omnibus externis rerum ſpeciebus, fidelem verbis Chriſti loquentis præſtet auditum, qui fidem producens, mentem ſupernaturali, licèt obſcuro, ſplendore colluſtret, vt abditiſſimum hoc Chriſtianæ Religionis arcanum ſuſcipiat, credat, profiteatur.

38. Secundò infertur, quod cùm Nouatores incomprehenſibilem Diuioi Verbi ex B. Maria Virgine incarnationem credant, ac licèt humani captum ingenij ſuperantem, totis viribus amplectantur; neceſſariò ineffabile ſacroſanctæ myſterium Euchariſtiæ, & realem in ea corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam, per realem mutationem, ſeu tranſubſtantiationem panis & vini, credere tenentur; cùm iſtud ex illo ſequatur, maiorque non ſit difficultas panem ſubſtantialiter diuinâ virtute mutari in corpus Chriſti, quàm hominem Deum fieri, & Deum hominem factum hominibus ſubdi, & ab eis non ſolùm mira, ſed etiam indigna pro illis tolerare. Maximè cùm omnia quæ hac tempeſtate contra realem corporis Chriſti præſentiam opponunt hæretici, ſint veterum Gentilium ac Philoſophorum contra Filij Dei incarnationem argumenta, ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus reſoluta, enodata & diſſipata. Qui igitur in Chriſtum credere gloriantur, eiuſque ex Virgine natiuitatem miram, aliaque eius miracula ab Euangeliſtis enarrata ſuſcipiunt; cur ſolennia eius verba, quibus Euchariſtiam inſtituit, in eaque ſe corpus proprium in cibum, & ſanguinem in potum, vt homines ad vitam nutriret æternam, tradere declarauit, non recipient? Cur impugnabunt? Ipſis loquatur Euſebius Emiſſenus ſerm. 5. de Paſcha: *Nec dubitet* (inquit) *quiſpiam creaturas nutu potentia, præſentia maieſtatis, in Dominici corporis tranſire poſſe naturam; cùm ipſum hominem videat artificio cæleſtis miſericordia Chriſti corpus effectum.* Hæc ille, quibus nouantes omninò confodit: cùm enim hominem Deum factum per incarnationem credant; cur panem & vinum virtute diuina in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutari credere recuſant? Vtrumque fide diuinâ, omni excluſâ dubitatione, ac penitus amandatâ ratiocinatione, credant ac confiteantur. *Fides* enim, vt inquit Greg. hom. 26. in Euangel. *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Verbi incarnationem confitentes veritatem nequeunt negare Euchariſtiæ.

Eadem contra Euchariſtiam, quæ contra incarnationem gentiles, opponunt hæretici.

Euſeb. Emiſſ.

Rationem non patitur fides.

39. Tanta autem fuit inter myſterium Incarnationis & Euchariſtiæ Sacramentum omni Eccleſiæ ætate connexio, vt S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, Antiochiæ Epiſcopus, quem D. Dionyſius *lib. de diuin. nom.* Diuinum appellat, ſcriptis mandarit, primos qui Euchariſtiæ veritatem negauerunt, fuiſſe illos hæreticos qui Verbum Dei carnem ſumpſiſſe in ſacratiſſimo Virginis vtero negabant, & carnem Chriſti in Altaris Sacramento non ponebant, quia nullam Chriſto fuiſſe veram carnem mentiebantur. Sic enim habet Ignatius *ep. ad Smyrnenſes*, vt refert Theodoretus dial. 3. *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Saluatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitauit.* Vnde Catholici ex veritate Incarnationis veritatem carnis Chriſti in Euchariſtia probauerunt: immò eadem virtute quâ corpus Chriſti in vtero B. Mariæ Virginis formatum eſt, panem in carnem Chriſti in Euchariſtia tranſmutari docuerunt. Quo pacto Heſychius *lib. 6. in Leuit. cap. 22.* ait: *Sancta ſanctorum ſunt propriè Chriſti myſteria, quia ipſius eſt corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* Vnde & D. Ambroſius myſterium Euchariſtiæ Incarnatione confirmat *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* dum ait: *Accipe quemadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare conſueuit, & mutat quando vult inſtituta naturæ. Primum omnium de generatione eius ſumamus exemplum. Conſuetudo eſt, vt non generetur homo, niſi ex viro & muliere, & conſuetudine coniugali: ſed quia voluit Dominus, qui ex hoc elegit Sacramentum, & de Spiritu ſancto, & de Virgine natus eſt.* Hæc ille. Itaque ob maximam, quâ nectuntur, affinitatem Incarnationis, & Euchariſtiæ myſteria, neutrum cognitioni naturali patere conſtat: ſed vtrumque fide ſupernaturali ac diuina, immò & animoſa, vt loquitur D. Thomas, maximâ reuerentiâ ac pietate credendum eſt.

D. Ignatius.

Qui primi Euchariſtiā impugnarūt fuerunt illi, qui Verbi incarnationē negauerunt.

Theodoret.

Heſychius.

D. Ambroſ.

Ex Incarnatione veritas probatur Euchariſtiæ.

SECTIO II.

Chriſtianæ Fidei dignitas expenditur.

PRetioſum quoddam, ac cæleſte monile fides eſt. Deſurſum eſt, quæ mentem humanam ſurſum eleuat, & ſupra omnia ordinis naturalis extollit. Diuina eſt, quæ à Deo vt authore ſupernaturali, humano infunditur intellectui, ipſumque ad increatum Diuinæ Maieſtatis ſolium euehit. Parum dixi, ad ipſam immenſam, nullique naturali facultati peruiam Deitatis abyſſum velut manuducit, vt inacceſſa attingat, inuiſibilia luſtret, incomprehenſibilia percipiat, infinita metiatur, ac inſcrutabilia Religionis Chriſtianæ myſteria capiat & contempletur. Æternæ Triados arcanum, Patris, Filij, ac Spiritus ſancti vnitatem indiuiduam, ac diſcretionem ſingularem; Patrem ingenitum, & tamen generantem; Filium genitum, & non generantem, vtrumque indiuiſibiliter ſpirantem, nec tamen ſpiratum; Spiritum ſanctum ab vtroque ſpiratum, ſed minimè ſpirantem, aliaque adorandæ ac indiuiduæ Trinitatis miracula detegit: Verbi Dei, Patris vnigeniti ſplendoris, imaginis, in omnibus & per omnia Parenti coæqualis, humani expiandi piaculi, & perditorum ſalutis aſſerendæ gratiâ deſcenſum in Virginis vterum, eius in virginali pudoris aula incarnationem, natiuitatem mirabilem, vitàm ſanctiſſimam, miracula innumera, mortem portentoſam, glorioſam reſurrectionem, admirabilem in cœlo aſcenſionem, felicem ſpiritualis eius ſobolis, hoc eſt gentis Chriſtianorum, per ſeptem Eccleſiæ Sacramenta propagationem; Baptiſmum ſalutis, Religionis, & Eccleſiæ januam; Euchariſtiam cœleſte pabulum, quo amantiſſimus Redemptor proprij corporis ſui pabulo, ſanguiniſque poculo ſuos reficit; 40.

Pretioſa & diuina res eſt fides.

Inacceſſa attingit.

aliaque ſexcenta, quæ longum eſſet recenſere, Chriſtianæ pietatis Sacramenta, quæ in Symbolis paſſim occurrunt, explanat, propalat, manifeſtat. Hæc ſunt quæ amantiſſima Chriſti Sponſa Sponſi fulgoribus illuſtrata, filiis ſuis credenda proponit, ſed poſtquam fide ſupra ſe eleuata altiſſima nouit arcana; quæ enim credit Eccleſia, fidelibus tanquam Chriſti vox annuntiat: & illi diuino afflante Numine, intellectu fidei lumine illuſtrato, & piâ motione voluntate excitatâ, à Deo reuelatis, & ab Eccleſia propoſitis myſteriorum ſecretis abditiſſimis firmiter aſſentiuntur.

Eccleſia credenda, vt Chriſti vox, fidelibus proponit.

41. Sanè fidem cœleſtem, immò diuinum dicentes oculum, humanæ menti à Deo mirabili bonitate conceſſum, quo in tenebris videt, intuetur in caligine, & ſupra omnes cœlos, omneſque Angelorum choros, Deum qui ex inacceſſibili, quam habitat luce, inuiſibilis eſt, contemplatur. Vt enim loquitur Theodoretus orat. de fide, *quod eſt oculus in corpore, hoc eſt fides in mente.* Vnde & D. Bernardus fidem perſpicacem & oculatam pronuntiauit *ſerm. 2. de Epiphania*, vbi ait: *Videte quàm oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs conſiderate. Cognoſcit Dei Filium lactantem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt. Ille clauis infixum, iſti pannis inuolutum. Centurio verò vitam agnouit in morte.* Hæc ille. Sed quanta ſit fidei oculi acies, quis attinget? Ad diuerſa, immò & diſſona, ac in infinitum diſtantia ſimul fertur obiecta, ſimulque cœlum & terram, immò & cœlorum Creatorem aſpicit. In ſtabulo cœlum empyreum reperit, & in vndecim dierum paruulo æternum, magnumque Dei Verbum adorat. Vlteriùs tendit, nec ſolùm magna in minimis, & increata in creaturis detegit: ſed etiam diſtantia iungit, & repugnantia repugnantibus connectit. Solium in patibulo, regnantem in crucifixo, & vitam immortalem in moriente videt, agnoſcit, confitetur. Eo igitur modo fideles fidei oculo *illuminatos habent oculos cordis*, vt loquitur Paulus *Eph.* 1. 18. & dum in via militantes ad diuina cæcutire videntur, cœlos penetrant, & ea quæ in ſinu Dei latent arcana verba, non ſolùm audiunt, ſed loquuntur.

Diuinus oculus eſt fides.

Theodoret.

D. Bernard.

Lynceos habet oculos fides.

Oppoſita fides coniungit.

42. Id teſtatur Apoſtolus, dum 1. Cor. 2. 6. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque Principum huius ſeculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Vbi gentium Doctor nomine ſapientiæ abſconditæ profundam fidei dogmatum doctrinam, & ſupernaturalium Trinitatis, Incarnationis, & huiuſmodi myſteriorum reuelationem intelligit. Hæc enim ſapientia vires omnes ſuperat naturales, omnemque humani ingenij aciem etiam acutiſſimam tranſcendit. Illi namque qui Principes in hoc ſeculo vocitantur, vel authoritate & potentiâ, vt Reges, Imperatores, Duces, cæterique Dynaſtæ: vel ſcientiâ & ſubtilitate doctrinæ, vt Philoſophi & Oratores: vel impietate & vſurpatione, vt Dæmones, qui omnes à Chriſto in hoc verbo inuoluti ſunt, Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eficietur foras*, nullatenus illam intelligunt: vnde de ea dicitur Iob 28. 21. quod *abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium.* Attamen quæ à malis Angelis ignorantur arcana, quæ Reges ac Imperatores non valuerunt cognoſcere, & tandem Philoſophi & Oratores ingeniorum acuminibus penetrare neſcierunt; hæc vir intelligit Chriſtianus, hæc capit fidelis, hæc attingit, ac pronuntiat. Immò quæ in cœlo ignorauerunt Angeli (naturali cognitione) cognoſcunt in terra, qui fidei illuſtrationibus inſtruuntur. Vnde & Paulus Angelos à fidelium vel prædicatione, vel confeſſione myſteria fidei addiſcere inſinuat, *Epheſ.* 3. 10. dum ait: *Vt innoteſcat Principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus multiformis ſapientia Dei.* Nullatenus autem exiſtimes, claram eſſe fidelis rerum diuinarum in hac peregrinatione notitiam; ſed illam omninò eſſe obſcuram, conſtanter tenendum eſt. Quamuis enim fides mentem illuminet, non tamen claritatibus replet: firmitatem tribuit, ac infallibilem certitudinem; non tamen euidentiam quæ ſtatui viatoris repugnat. Vnde & D. Thomas fidei paſſim lumen attribuit, ſed obſcurum: at non obſcurat, ſed illuſtrat; viſum quippe tribuit, non euidentem, ſed certum; non clarum, ſed ænigmaticum. *Videmus*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 13. 12. *nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Siquidem ex merito fidei viſio intuitiua Dei, & eorum quæ firmiter credimus, myſteriorum plena perfectaque notitia dabitur. Sicut enim in prima rerum creatione dixit Deus è tenebris lucem ſplendeſcere; ita in hominis reparatione in cordibus hominum perobſcurum fidei lumen illuxit, vt ex tenebris fidei ſplendida viſio gloriæ in eorum mentibus effulgeat.

Sapientia abſcondita ſunt fidei Chriſtianæ myſteria.

Principes ſeculi, authoritate Reges, ſcientiâ Philoſophi, impietate dæmones.

Quæ Angelus neſcit, hæc fidelis intelligit.

Fides firma eſt, ſed obſcura.

D. Thom.

Obſcurum fidei lumen illuſtrat.

Hinc eſt quod D. Bernardus exponens illud Cant. 1. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, ſerm. 41. in Cant. ait: *O Sponſa, intuendi dilecti inhias claritati! Sed hoc alterius temporis eſt: damus autem inpræſentiarum ornamenta auribus tuis, & erit præparatio ad hoc ipſum quod poſtulas.* Vbi Bernardus alludit ad illud Apoſtoli, Rom. 10. 17. *Fides ex auditu.* Hæc autem viatori omninò neceſſaria eſt, vt per illam cor mundum habeat, & ad Dei claram ac intuitiuam viſionem perueniat. Quare idem Bernardus concludit: *Gradus eſt auditus ad viſum; proinde audi, & inclina aurem tuam ornamentis, quæ tibi fecimus, vt per auditus obedientiam ad gloriam peruenias viſionis.* Cui poſſumus addere, fideli animæ à Pſalmiſta intimatum eſſe, vt priùs audiret, quàm videret; hoc eſt, vt priùs verbis quæ per auditum ſuſcepit, firmiter, ſeclusâ omni euidentiâ, crederet, vt deinde quæ credidit, intuitiuè videret. *Audi filia, & vide*, inquit Pſalmiſta *pſal.* 44. 11. Quod exponens S. Fulgentius *lib.* 5. *ad Monimum*, inquit: *Eccleſia dicitur, audi filia, & vide; quia iſte in homine ordo diuinæ eſt redemptionis ac remunerationis, vt nunc iuſtificatus credat, quod tunc glorificatus accipiat.* 43.

D. Bernard.

Fides diſpoſitio ad gloriam.

Priùs audiendum, poſtea videndum; quia fides gloriam præcedit.

S. Fulgent.

§. I.

Præſtantiſſimum Dei donum fides eſt.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, Iacobus inquit Apoſtolus *cap.* 1. 17. Optima eſt, perfecta eſt, quâ in Ieſum Chriſtum credimus, fides: cùm & optimos, & perfectos præſter credentes, eoſque à cæteris & imperfectis, & peſſimis incredulis diſcernat hominibus. A quo ergo procedet? A quo emanabit? A quo orietur, niſi ab inexhauſto 44.

Fides Dei donum pretioſum.

exhauſto bonorum omnium fonte, immenſo omnium perfectionum oceano, ſupernaturalium luminum principio ac parente? Solius Dei eſt perditum hominem reparare, eius curare vulnera, mederi languoribus, ac tenebras illuminare. Hæc fide operatur, quam infinitâ miſericordiâ mentibus humanis infundens, generalem omnibus hominum infirmitatibus medelam elargitur. Fide enim corda hominum ab omni inquinamento purgantur, ab omni errore ſegregantur, prauis mundi huius tenebris liberantur, & ipſi Deo loquenti ac ineffabiles veritates pronuncianti copulantur. Vnde cùm nullum agens creatum errantem & auerſum à Deo hominem, ipſum vel in viam rectam dirigere, vel ad Deum reducere valeat; certumque ſit ac indubitatum, hæc duo à fide hominem recipere beneficia, illam ſpeciale donum Dei eſſe neceſſariò dicendum eſt.

Errantem reuocat hominem, & illum ad Deũ dirigit fides.

45. Hoc ſacra vtriuſque Teſtamenti proteſtantur eloquia. Ideo enim à Deo Dauid ſuarum illuſtrationem petebat tenebrarum, dum *pſal.* 17. 29. dicebat, *Deus meus illumina tenebras meas*; quia non ſolùm gratiæ diuinæ exundatione peccata lauantur, ſed etiam fidei fulgore tenebrarum huius ſeculi caligines à Deo deſtruuntur. Alia & plurima veteris Scripturæ in tantæ confirmationem veritatis teſtimonia producere eſſet facile, ſed ab illis conſultò abſtinemus, vt luculenta ex nouo Teſtamento producamus. Nam ipſa, quæ nec fallit, nec fallitur Veritas, inquit Ioan. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Quod exponens Auguſtinus tract. 26. in Ioan. *Magna* (inquit) *gratiæ commendatio. Nemo venit, niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat; quare iſtum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora vt traharis. Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Chriſtum, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Noli cogitare te inuitum trahi; trahitur animus & amore. Nec dices, quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico, parum eſt voluntate ire, etiam traheris voluptate.* Hæc Auguſtinus, quibus manifeſtè docet, Chriſtum præfatis verbis de tractu ad fidem, quâ homines in ipſum credunt, loquutum fuiſſe, & conſequenter Dei Patris trahentis ad Filium ſuum, pretioſum munus fidem eſſe. Quod etiam docuit idem Auguſtinus *epiſt.* 107. *ad Vitalem Carthaginenſem*, quem arguit, quòd doceret, non orandum pro incredulis: & fidem quâ in Deum credimus & Euangelio conſentimus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, & ex propria noſtra voluntate. Vbi poſt multa contra præfata Vitalis dogmata concludit, fidem eſſe donum Dei, hoc modo: *Hoc opus eſt gratiæ, non naturæ: opus eſt, inquam, gratiæ, quam nobis attulit ſecundus Adam; non naturæ, quam totam perdidit in ſemetipſo primus Adam. Opus eſt gratiæ tollentis peccatum, & viuificantis mortuum peccatorem; non opus legis oſtendentis peccatum, nec à peccato viuificantis.* Et poſt pauca ſubdit: *Quapropter vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; non quia velle non debemus, & currere; ſed quia ipſe in nobis & velle operatur, & currere. Vnde & ipſe Dominus Ieſus credentes à non credentibus, id eſt ab iræ vaſis vaſa miſericordiæ diſcernens: Nemo,* inquit, *venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Ioan. 6. 66. Idem etiam ex profeſſo docet idem Sanctus Doctor *lib. de bono perſeuer. cap.* 2. vbi exponens illud Philip. 1. 20. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo* (vt ipſe legit) ait: *Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterum ad finem: vtrumque tamen eſt Dei donum, quia vtrumque dictum eſt, eſſe donatum, ſicut & ſuperiùs jam diximus. Quod enim eſt initium verius Chriſtiano, quàm credere in Chriſtum? Quis finis melior eſt, quàm pati pro Chriſto?* Quod inſuper docuerat *lib. de prædeſt. Sanctorum, cap.* 2. vbi per totum caput legendus eſt; in ipſo enim ex plurimis Scripturæ locis inſtitutum noſtrum eleganter proſequitur, ſicut & alibi ſæpe.

Tenebras ſpirituales diſſipat.

D. Auguſt.

A Chriſto ad fidem trahimur non inuiti.

D. Auguſt.

Orandum pro incredulis.

Opus fidei eſt à Deo, & à nobis.

Initium & finis fidei ſunt à Deo.

Nec deſunt Conciliorum ad hanc confirmandam veritatem definitiones; nam Concilium Arauſicanum II. temporibus Leonis Papæ primi anno 463. celebratum, *can.* 5. ſic habet: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui juſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, Beato Paulo dicente, Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et illud, Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. Et, Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, non ex vobis; Dei enim donum eſt.* Eph. 2. *Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.* Hæc Arauſicanum Concilium, quod etiam proſequitur *can.* 7. & 8. 46.

Concil. Arauſic.

Suffragatur etiam Concilij Tridentini definitio, quâ *ſeſſ.* 6. *can.* 3. dicitur: *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Sicuti enim ſolem aſpicere ſine radiorum eius ſplendore carnalium aciem oculorum confortante, ac medium illuſtrante, non valet corporeus viſus: ita Solem juſtitiæ veritates ſupernaturales ac diuina myſteria verbi ſui fulgore reuelantem, nec audire, nec aſſequi, nec cognoſcere valet intellectus humanus, niſi ſupernaturali eius lumine roboretur, & fidei munere augeatur ac nobilitetur. Illo enim Dei pietate donatus, in ordine ſupernaturali quodammodo conſtituitur, & ad attingendas ſupernaturales veritates diſponitur ac præparatur. Vnde Pſalmiſta inquit *pſ.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen*; hoc eſt in ſplendore ſubobſcuro fidei, cuius lumen ſummâ tuâ bonitate nobis inditum eſt, te qui lumen es, ac lux vera illuminans omnes homines, cognoſcemus, colemus, adorabimus. Vnde ab Apoſtolo 2. *Pet.* 1. 19. fides, *lucerna lucens in caliginoſo loco*, appellatur; quia licèt eius lumine mens noſtra perfuſa recondita attingat arcana; tamen non videt quæ credit, nec quod adorat, intuetur. Quod expendens D. Gregorius Magnus *hom.* 25. *in Euangelia*, peregrinationis ſeu vitæ fidelium in hoc mundo ſpatium, noctem appellauit, ipſique rectè attribuit illud Cant. 3. *Per noctem quæſiui quem diligit anima mea. Per noctem* (inquit Gregor.) *quærimus, quia etſi jam in Redemptore mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat.* 47.

Conc. Trid.

Solem videre ſine ſole non poſſumus, ita nec in Deum credere ſine eius auxilio.

D. Greg.

Vita præſens hominis fidelis nox dicitur.

48. Hoic Pontifici Mellifluus accinit Abbas Bernardus, qui fidem vmbram appellat, ſub qua in via viuimus, dum ea quæ de Chriſto Domino firmiter credimus, minimè intuemur. Sic enim habet ſerm. 31. in Cantica: *Quomodo non eſt diſtinctio eius qui per fidem ambulat, & illius qui per ſpeciem? Ergo Iuſtus ex fide viuit: Beatus exultat in ſpecie. Et ideo ſanctus homo viuit interim in vmbra Chriſti, ſanctus Angelus in ſplendore vultus gloriæ gloriatur. Et bona fidei vmbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum eſt enim: Fide mundans corda eorum. Act. 15. Fides itaque lucem non extinguit, ſed cuſtodit. Quidquid ſanè eſt illud quod videt Angelus, hoc mihi vmbra fidei ſeruat fideli ſinu repoſitum in tempore reuelandum. An non expedit tenere vel inuolutum, quod nudum non capis? Denique & mater Domini viuebat in vmbra fidei, cui dictum eſt, Et beata quæ credidiſti.* Hæc Bernardus. Cùm ergo vmbra fidei mentis noſtræ oculom ad ſupernum, viuificum, ac beatificum lumen intuendum præparet ac diſponat, ipſamque æternam, quamvis in ænigmate, beatitudinem in via fidelibus prægustare concedat, haud dubium, ſupernaturale ac magnificum Dei munus omninò dicenda eſt.

D. Bernard.

Fides vmbra Chriſti, quæ lucem temperat oculo, & oculum præparat luci.

49. Taodem ratio ſuadeat qood hactenus Prophetarum, & Chriſti, neenon Apoſtolorum teſtimoniis, Conciliorum definitionibus, ac Sanctorum Patrum expoſitionibus firmatum eſt. Ille habitus eſt ſopernaturalis, & conſequenter à Deo infuſus, cuius actus eſt ſupernaturalis, & ſpeciali Dei auxilio indiget, vt eliciatur: ſiquidem juxta Philoſophos, babitus ſpecificatur per actus, & actus per obiecta: atqui actus fidei eſt ſupernaturalis. Cùm enim *credere*, vt ioquit D. Auguſtinus lib. de præd. Saoct. cap. 2. *nihil aliud ſit, quàm cum aſſenſione cogitare*; & vt inquit Apoſtolus 2. Cor. 3, 5. *non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit*: profectò non ſumus idonei credere aliquid ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt: ergo & habitus fidei non eſt nobis à natura, ſed à Deo, tanquam munus intellectum noſtrum eleuans coocesſus.

Ratione ſuadetur, fidem eſſe donum Dei.
D. Auguſt.

50. Sed magis explicatur & illuſtratur hæc ratio. Tria ad boc vt homo credat & aſſentiatur articulis fidei requiruntur. Primò reuelatio diuinâ ſupernaturalis veritatis, & propoſitio illius per Eccleſiam. Secundò aſſenſus, ſeu conſenſus intellectus, qui tertium exigit, nempe piam motionem in voluntate, quâ mouetur intellectus, vt veritati ſupernaturali, quam non capit, & ex cuius euidentia non conuincitur, cùm non ſit ratione naturali demonſtrabilis, aſſentiatur: nam vt inquit Apoſtolus Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam*, hoc eſt voluntate mouente & applicante ad credendum, vt *ibid. lect.* 2. exponit D. Thomas. Quod etiam docuit D. Auguſt. *tract. 36. in Ioan.* vbi ait: *Intrare quiſquis in Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, ſed credere non poteſt niſi volens.* Sed hæc tria ſunt ſupernaturalia. Primò enim reuelatio diuina veritatis ſupernaturalis per propoſitionem Eccleſiæ eſt omninò ſupra debitum naturæ, & ex pura Dei miſericordia, qui miſit Filium ſuum, vt illuminaret ſedentes in tenebris, & vmbra mortis. Deinde illa pia motio, quæ in voluntate humana requiritur ad credendum, eſt per auxilium gratiæ, vnde Actuum 16. de Lydia Purpuraria dicitur: *Dominus aperuit ei cor, vt intenderet, & crederet his quæ dicebantur à Paulo.* Et Concil. Arauſicanum II. *Can.* 5. aſſerit, *initium fidei, ſiue credulitatis affectum* (qui eſt ipſa pia motio voluntatis) *dari nobis per Spiritum ſanctum.* Ex quo liquet, quod aſſenſus intellectus, quem cogitando tribuit articulis fidei, cùm procedat ex illa pia motione ſupernaturali voluntatis, eſt etiam ſupernaturalis, hoc eſt, non elicitus viribus naturæ, ſed gratiæ. Ergo fides eſt omninò ſupernaturalis, & donum Dei.

Tria ad actū fidei requiſita.

Primò reuelatio diuina & propoſitio credendorū.
Secundò aſſenſus intellectus.
Qui ex tertio, nempe ex pia motione voluntatis oritur.
D. Thom.
D. Auguſt.

Conc. Arauſ.

Quàm ergo præſtans & pretioſa fides, quam tota cum omni facultate ſua non poteſt parturire natura. Quàm pretioſa eſt, quæ nec ab hominibus, nec ab Angelis, ſed à Deo, non ſolùm vt hominum & Angelorum creatore, ſed vt gratiæ & omnis ſupernaturalis ordinis authore, ad homines & Angelos, omnes illuminatura procedit. At maiora præſtat, etenim fides non ſolùm lucem præbet Angelis & hominibus, profundiſſima eis aperiens myſteria; ſed etiam ſalutem parat, & ſanctitatem. Illa enim, vt loquitur Euſebius Emiſſenus hom. 2. de Symbolo, *lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ.* Hanc non dat Deus omnibus; *non enim omnium eſt fides*, vt inquit Apoſtolus 2. *Theſſalon.* 3. 2. quia non omnibus æternam confert beatitudinem: plurimis largitur, *quia miſericors eſt*; quibuſdam non concedit, *quoniam iudex iuſtus eſt*, ſicut loquitur Auguſtinus *lib. de bono perſeuer. cap.* 8. 51.

Fides ſalutē hominibus parat.
Ex miſericordia datur: ex juſtitia nō datur.

Verùm quæ à Deo nobis perfecta & viua fides conceditur, aliquando noſtrorum peruerſitate morum, dum à charitate ſeparatur, vt ita dicam, occiditur: & licet diuini amiſſione amoris fides omninò non pereat, non ſolùm tamen læſa & imperfecta remanet, ſed mortua. 52.

§. II.

Quomodo fides viua poſſit eſſe, & mortua, oſtenditur.

QVia juxta Philoſophum, viuere in viuentibus eſt eſſe; illis dumtaxat rebus propriè viuere competit, quibus eſt proprium eſſe, propriaque exiſtentia; hoc eſt, quæ habent eſſe completum, ac per ſe ſubſiſtunt, & quæ inſuper in ſe habent intrinſecum principium motus & operationis. In boc enim, vt docet idem Ariſtoteles, differunt non viuentia à viuentibus, quòd hæc à ſeipſis, & ab intrinſeco; illa verò ab aliis & ab extrinſeco mouentur. Ex quibus liquet, quod non ſolùm plurima entia completa, vt ſunt lapides, elementa & cœli, carent vitâ; ſed etiam omnibus accidentibus, quæ entia ſunt incompleta, & quæ non in ſe, ſed in alio ſubſiſtunt, omninò vita repugnat. 53.

Viuentia à ſeipſis mouentur, non viuentia ab aliis.

Cùm ergo fides ſit accidens ſupernaturale nobis à Deo ingenti bonitate ſuperadditum, ipſi in rigore loquendo nec vita, nec mors conuenit: attamen per quandam ſimilitudinem impropriè, & metaphoricè fides viua, vel mortua etiam in ſacris Paginis appellatur. 54.

Fides viua poteſt eſſe, & mortua.

Fides igitur viua illa eſt, quæ eſt formata, & à charitate, tanquam à forma propriâ animata: mortua verò dicitur, quæ orbatur charitate, quâ formâ, tanquam animâ priuata, mortua nuncupatur. Quæ vt faciliùs percipiantur, aduerte, charitatem à Theologis cum D. Thoma 2. 2. *q.* 4. *art.* 3. 55.

Viua eſt quæ charitate informatur.

Mortua quæ charitate priuatur.

*art.*3. dici formam fidei, non propriam & eſſentialem, ſicut anima dicitur forma hominis; vel accidentalem & extrinſecam, ſicut albedo eſt forma corporis; ſiquidem charitas, & fides, duæ ſunt virtutes ſpecie diſtinctæ, quæ duas diuerſas potentias perficiunt: ſed in quantum per charitatem actus fidei perficitur & formatur, vt ſcilicet actus fidei, qui ordinatur ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum, ſicut ad finem, illud conſequi valeat; quod nequaquam poteſt, niſi charitate roboretur, perficiatur, & formetur. Vnde rigoroſè loquendo, charitas non poteſt dici forma fidei, ſed metaphoricè tantùm, & ſecundùm analogiam ad formam propriè dictam, quæ ſuo modo ſubiectum proprium perficit. Quo ſenſu D. Auguſt. *lib.*6. *contra Iulianum*, *cap.*117. dixit: *Qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & ſperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera quæ credit.*

Quomodo charitas poſſit eſſe forma fidei.

D. Auguſt.

56. Vnde quando à Theologis ex verbis Iacobi 2. 16. fides ſine charitate, eiuſque operibus mortua dicitur, hoc non debet intelligi eo modo, quo homo dicitur mortuus, qui poſt mortem non eſt; ſed quomodo corpus dicitur mortuum, quod poſt mortem eſt, ſaltem ſecundùm externam & ſenſibilem ſpeciem, ſed non viuit. Etenim vita non eſt de eſſentia fidei, ſicuti eſt de eſſentia hominis; ſed per metaphoram dicitur fides viua cùm operatur, mortua cùm non operatur: quo pacto corpus dicitur viuum cùm mouetur, & mortuum cùm non mouetur: & ſimiliter aqua dicitur viua, quæ continuò fluit, vt in fonte & fluuiis; mortua verò vocatur, quæ non mouetur, vt in ſtagnis & paludibus. Cùm tamen vtraque verè & propriè ſit aqua. Et in hoc ſenſu loquutus eſt Auguſtinus, dum *lib. de ſpir. & littera*, *cap.*32. ait: *Charitas quæ eſt vita fidei, ipſam non præcedit, ſed ſequitur fidem.* Et D. Bernard. epiſt. 42. *Mortua*, inquit, *fides eſt, quæ non operatur ex dilectione, quaſi non habeat animam ipſam dilectionem, quâ vegetetur & moueatur ad opera.* Et ſerm. 24. in Cant. ait: *Qui diuidis actum à fide, iniquè diuidis, fidem perimis tuam; nam fides ſine operibus mortua eſt: munus mortuum offers Deo. Si enim quædam anima fidei ipſa deuotio eſt, quid fides quæ non operatur ex dilectione, niſi cadauer exanime?* Et infrà ſubdit: *Mors fidei eſt ſeparatio charitatis. Credis in Chriſtum? Fac Chriſti opera, vt viuat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.* Hæc ille.

Vita non eſt de eſſentia, ſed de perfectione fidei.

D. Auguſt.

D. Bernard. Qui actum à fide diuidit, fidem ſuam perimit.

Mors fidei ſeparatio charitatis.

57. Quamvis autem abſentia charitatis mortem inferat fidei, non tamen illam penitus deſtruit. Cùm enim vita, quam recipit fides à dilectione, ſit tantùm metaphorica, ciuſque perfectionem producat; mors ab illa, ſeu eius priuatione cauſata, perfectionem auferet, ſed non fidem. Vnde mirum quid in hoc euentu accidit, vt ſcilicet fides mortua adhuc veraciter ſubſiſtat. Etenim licèt vera & propria mors ſit priuatio vitæ ac deſtructio integra viuentis; tamen mors iſta metaphorica, non rem viuentem perimit, ſed meritum.

Fides mortua adhuc eſt vera.

58. Manet igitur in homine fides ſine charitate; & licèt tunc informis ſit & mortua, eſt tamen vera virtus fidei, hoc eſt, habet eſſentiam fidei, in quantum per illam fidelis verè & firmiter aſſentitur veritatibus reuelatis. Quod patet primò ex Apoſtolo, qui 1. *Cor.* 13. enumerando ſigillatim virtutes Theologicas, quibus immediatè Deum attingimus, inquit: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Vbi ſeorſim fides ponitur à charitate.

Et per illam verè aſſentimur credendis.

Secundò, quia ex D. Thoma 1.2. *q.* 55. *art.* 1. virtus eſt habitus determinans, & inclinans potentiam ad bonum: atqui fides, etiam à charitate ſeparata, determinat & inclinat intellectum fidelis peccatoris ad aſſentiendum veritatibus reuelatis, vt experientiâ comprobatur. Ergo fides informis eſt vera virtus. 59.

D. Thom.

Deinde, ad rationem veræ virtutis tria ſufficiunt. Primò vt perficiat potentiam ad aliquem actum bonum & honeſtum. Secundò, vt actus ille ſit quodammodo difficilis. Tertiò, vt dicat ex ſe ordinem ad vltimum finem. Sed in fide & actu illius abſque charitate, hæc reperiuntur; nam credere Deo reuelanti, bonum eſt & honeſtum, magiſque perficit intellectum quàm quælibet ſcientia naturalis. Eſt etiam difficile & arduum, cùm reuelatio ſit obſcura: & tandem ex ſua natura ad vltimum finem eſt ordinabile: ergo hæc fides informis eſt vera virtus. 60.

Habet tria requiſita ad virtutem.

Attamen fides informis non poteſt dici virtus perfecta; tum quia ex D. Auguſtino lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. *nulla vera & perfecta virtus, niſi in iuſto reperitur.* Tum quia hæc fides non ordinat infallibiliter aſſenſum intellectus credentis ad vltimum finem; licèt enim hic actus habeat debitam perfectionem ex parte intellectus; tamen ob defectum charitatis caret eâ quæ ipſi debetur ex parte voluntatis. Quo ſenſu D. Thom. 2. 2. *q.* 4. *art.* 5. *ad* 3. ait, quod fides formata, & informis non differunt ſpecie, ſicut in diuerſis ſpeciebus exiſtentes; ſed ſicut perfectum & imperfectum in eadem ſpecie: vnde fides informis, cùm ſit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis. 61.

Non eſt virtus perfecta.

Sicuti ergo arbor ſterilis & infructuoſa differt ab illa quæ fructum producit: ita fides informis, quæ & mortua, differt à fide formata, quæ & viua nuncupatur. Vnde & à Iuda Apoſtolo *cap.* 1. hæretici, *Arbores autumnales, bis mortuæ, infructuoſæ, eradicatæ* appellantur; quia omninò fidem amiſerunt: qui enim vni articulo fidei diſcredit pertinaciter, & circa illum amittit fidem, illam circa omnes alios perdit, quia à ratione formali fidei, nempe prima veritate reuelante cum propoſitione Eccleſiæ, recedit. At fideles peccatores, non eradicatæ arbores ſunt; habent enim fidem tanquam radicem: ſed ſteriles ſunt, quia carent fructu charitatis & operationis; poſſunt tamen dici autumnales: ſicut enim in autumno, & maximè in fine, appropinquante hyeme, arbores videntur & dicuntur mortuæ, quia foliis & fructu carent, quæ præcipua arboris vita dicitur; tamen intra ſe & ex radice habent motum vitæ, quâ aluntur & ſuſtentantur: ita fides peccatoris, dum non fert fructum charitatis, dicitur mortua, carens vitâ charitatis; licèt aliunde viuat, nempe ex aſſenſu firmo quem præbet myſteriis Chriſtianæ Religionis: Immò & ad iuſtitiam Dei gratia perueniens vitam recipiet & charitatem. Quare D. Thom. 3. *p.* *q.* 8. *art.* 3. *ad* 2. docet quod fides informis vnit Chriſto ſecundùm quid, & non ſimpliciter, vt ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ. Percipiunt tamen tales (fideles peccatores) à Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere, ſicut ſi membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine. 62.

Differt à formata ſicut arbor infructuoſa ab illa quæ fructum producit.

Qui diſcredit vni articulo pertinaciter, amittit fidem circa alios.

Fides informis vnit Chriſto ſecundùm quid.

III.

§. III.

Quem locum obtineat fides inter alias virtutes Theologicas.

63. TAnquam certum, ac prorſus indubitatum ſupponimus, fidem inter virtutes theologicas annumerari. Cùm enim illæ quæ immediatè Deum reſpiciunt virtutes, Theologicæ ab omnibus cenſeantur ac nominentur, fides, ſpes & charitas debent hoc nomine inſigniri. Fide enim ſummum bonum, tanquam finem vltimum ſupernaturalem agnoſcimus, charitate deſideramus & amamus, ac tandem ſpe fiduciam obtinendi habemus. Quod communiter docetur à Scholaſticis poſt D. Thomam 1.2. *q.*62. *art.*3.

Tres virtutes Theologicæ, fides, ſpes, & charitas.

64. Quantùm ergo ad trium harum virtutum ordinem certum eſt, fidem ordine generationis priorem eſſe ſpe, & charitate: illas etenim ſic Apoſtolus 1. *Cor.* 13. collocauit, dum inquit: *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas.* Quod etiam ratio ſuadet. Cognitio finis eſt prior ordine generationis eius intentione, & electione mediorum, quia nihil eſt volitum, quin ſit præcognitum; voluntas enim quæ cæca eſt potentia, in omnibus actibus ſuis à cognitione intellectus dirigitur; cognitio autem finis ſupernaturalis, ad quem homo eſt eleuatus, habetur per fidem: illius verò intentio à ſpe, & charitate procedit, quæ Deum vt ſummum bonum, & finem noſtrum ſupernaturalem deſiderant: electio autem mediorum, quibus finis ille adipiſcitur, fit per virtutes morales infuſas: vnde neceſſariò ſequitur viâ originis & generationis, fidem præcedere ſpem & charitatem.

Fides ordine generationis eſt prior ſpe & charitate.

65. Hinc fides ſalutis humanæ initium, ac cæterarum virtutum fundamentum appellatur. Nam Apoſtolus *Hebr.* 11. 1. ait, *accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*, *&c.* D. Chryſoſtomus de ea loquens ait: *Fides eſt ſanctiſſima Religionis fundamentum.* Vbi alludit ad illud Apoſtoli *Heb.* 11. 1. vbi illam vocat *ſubſtantiam*, ſeu *hypoſtaſim ſperandarum rerum*; quia ſicuti ſubſtantia ſic dicitur, quia ſubſtat accidentibus, eaque ſuſtentat; ita fides ſubſtantia, ſeu hypoſtaſis eſt rerum omnium ſperandarum, quia cæteras virtutes, quibus res ſperatas, ſeu æternam aſſequimur beatitudinem, fulcit & ſuſtentat. Vnde D. Thomas 2.2.*q.*4. *art.*1. explicans præfata Apoſtoli verba, ait quod fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, quia ſcilicet prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas. In hoc enim ſperamus beatificari, quod videbimus apertâ viſione veritatem, cui per fidem adhæremus. Et infrà idem S. D. aduertit definitionem fidei in præfatis verbis ab Apoſtolo traditam, in hanc formam poſſe reduci: *Fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.* Ideoque Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. inquit, quod *fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire.*

Eſt ſalutis initium, & aliarum virtutum fundamentum.

D. Thom.

Fides habitus mentis, quo incohatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.

66. Si verò de ordine dignitatis & perfectionis ſermo ſit, fides charitate poſterior, ipſique inferior eſt. Quod patet primò ex verbis Apoſtoli ſuprà allatis ex 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* Ex quibus liquet, omnium virtutum reginam eſſe charitatem, & omnium donorum ſupernaturalium præſtantiſſimum. Secundò, quia charitas eſt forma fidei, quæ ſine illa dicitur informis, & ſuâ caret perfectione, nec vltimum finem valet aſſequi. Adde quod aliquam in ſe habet fides imperfectionem, nempe ineuidentiam ſui obiecti, & conſequenter diſtantiam ab ipſo, quia eſt de non viſis: amor autem charitatis importat vnionem cum ſuo obiecto; amatum enim eſt quodammodo in amante, & amans per affectum trahitur ad vnionem amati: vnde & dicitur 1. *Ioan.*4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Licèt autem in rebus naturalibus cognitio ſit nobilior amore, quia à nobiliori potentia, nempe ab intellectu procedit: tamen in his quæ ſunt ſupra hominem, nobilior eſt dilectio, quàm cognitio: perficitur enim cognitio ſecundùm quod cognita ſunt in cognoſcente; dilectio verò ſecundum quod diligens trahitur ad rem dilectam. Id autem quod eſt ſupra hominem, nobilius eſt in ſeipſo, quàm ſit in homine; quia vnumquodque eſt in altero per modum eius in quo eſt. Cùm ergo fides cognoſcat Deum vt authorem ſupernaturalem; & charitas diligat, nobiliorem fide eſſe charitatem liquet. Quod docetur à D. Thoma 1. 2. *q.* 66. *art.* 6. *in corp. & ad* 1.

Ordine dignitatis charitas eſt prior fide.

Fides importat ineuidentiam ſui obiecti, & charitas vnionē cum ſuo obiecto.

Attamen ipſa ſpe nobilior ac perfectior fides eſt; hæc enim illi tribuit certitudinem, ac in actum ſuum facit prorumpere; quia vt ait Paulus Heb. 11. 1. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum.* Immò actus ſpei eſt aliquo modo imperfectus, cùm ſit amor concupiſcentiæ, non verò amicitiæ, vt docet D. Thomas *loc. cit. ad* 2. Omnibus inſuper virtutibus moralibus præſtantior fides eſt, & perfectior; illæ etenim feruntur tantùm circa media, ſcilicet circa actiones, quibus ad beatitudinem peruenimus: fides autem ad finem ipſum tendit, & Deum ipſum remuneratorem attingit. Vnde manifeſtum eſt, vnâ exceptâ charitate, cæteras omnes virtutes dignitate ac nobilitate à fide diuina ſuperari. 67.

Fides eſt nobilior ſpe.

Et omnibus virtutibus moralibus.

SECTIO III.

De fidei vtilitate.

MAgna profectò res fides eſt, magnumque à Deo conceſſum hominibus donum; cùm illâ omnia bona illis donaſſe videatur. Omnia enim quæ à Philoſophis enumerantur bona, honeſtum ſcilicet, delectabile, & vtile, in fide adunantur diuina. Honeſta eſt, quæ innumerabilem fidelibus parit honeſtatem; cæteras omnes, quarum initium eſt ac fundamentum, virtutes in eorum mentibus concipiens. Delectabilis eſt, quæ non modicum homini viatori præſtat delectamentum, dum illi aperit *delectationes in dextera Dei vſque in finem.* Pſal. 15. 11. Etenim ſi, teſte Eccleſiaſte cap. 11. 7. *dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem*, vtique corporeum; nonne dulce ac delectabile eſt lumen fidei interiori mentis humanæ oculo, quo illi conceditur Solem Iuſtitiæ in hac vita (quamvis in ænigmate) intueri? Denique fides vtilis eſt, quæ inueſtigabiles diuitias Chriſti in hac peregrinatione oſtendit hominibus, vt in earum realem poſt hanc vitam, in patria inducat poſſeſſionem. Cùm ergo in præcedentibus fidei dignitatem, ac neceſſitatem exponentes, 68.

Tria bona, ſcil. honeſtū, delectabile, & vtile in fide reperiuntur.

Digitized by Google

Inueſtigabiles diuitias Chriſti fides oſtendit in via.

nentes, illam honeſtam, ac delectabilem oſtenderimus, reſtat vt inpræſentiarum de eius vtilitate diſſeramus. Non iniucundus, aut ingratus erit (vti ſperare fas eſt) hic de fidei vtilitate ſermo: adeo enim ſemetipſum vnuſquiſque diligit, vt nemini diſplicear quod ſibi vtile judicatur. Vnde & Horatius meritò cecinit.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

70. Vt igitur fidem hominibus maximè vtilem eſſe liqueat, maius quod poſſint habere bonum, ab illa recipere dicimus. Quod vt clariùs pateat ex comparatione temporalium bonorum, ſtatuendum eſt, ſicuti inter omnia, quæ in hoc ſeculo homo poſſidet bona, nullum præſtantius eſt vitâ ſuâ, quæ cæterorum omnium baſis eſt & fundamentum, ideoque ſapiens, vt inquit Philoſophus, illam eunctis aliis præfert; ipsâ enim amiſſâ, cætera deperduntur, ipſeque homo penitus deſtruitur: ita in ordine ſupernaturali, in quo fideles à Deo conſtituti ſunt ad æternam beatitudinem aſſequendam, nihil præſtantius aut excellentius poteſt poſſideri ipsâ vitâ ſpirituali, quæ ipſam in via inchoat vitam æternam, & omnium aliorum, quæ in hoc ſtatu conferuntur à Deo, bonorum radix eſt, & fundamentum. Hanc autem fides dat vitam; ita vt ſine illa nemo in ſtatu ſupernaturali viuere poſſit. Bona igitur omnia ſpiritualia à fide homini Chriſtiano præbentur, dum vita ſpiritualis illorum omnium radix ac fundamentum, ab illa confertur, & conſequenter maximè homini vtilis eſt fides.

Nullum bonum præſtantius vitâ.

Vitam ſpiritualem dat fides.

71. Veritas hæc, quæ Catholica eſt, & à nullo, niſi hæretico, impugnatur, in ſacris eſt expreſſa eloquiis, vbi *juſtus* ex fide viuere dicitur. Nam Apoſtolus *Rom.* 1. 17. *ad Gal.* 3. 11. *& Heb.* 10. 38. *ex Habacuch* 2. 4. ait: *Iuſtus autem meus ex fide viuit; quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.* Vbi Deus introducitur loquens, & hominem fidelem juſtum ſuum appellans, ac ex fide viuere declarans. Cùm enim fidelis ſit in ſtatu ſupernaturali, & ad finem ſupernaturalem ordinatus; dum Deo per fidem ſubjicitur, & ad eum tanquam finem ſupernaturalem ordinatur, habet juſtitiam veram & ſupernaturalem, quæ *juſtitia Dei* appellatur, *Rom.* 3. & à qua juſtus Dei dicitur: quo tamen nomine non inſignitur, niſi quia viuit vitâ ſupernaturali per fidem juſtificatus. Illud enim per quod homo juſtus primò ordinatur in Deum, eſt fides, & conſequenter ab illa primò viuit vitâ ſupernaturali. Vnde D. Thom. *in caput* 10. *ep. ad Hebr. lect.* 4. ait: *Sicut per animam viuit corpus, ita anima per Deum. Vnde ſicut per illud, per quod primò vnitur anima corpori, viuit corpus: ita per id, per quod primò vnitur Deus animæ, viuit anima. Hoc autem eſt fides, quia fides eſt primum in vita ſpirituali.* Iſai. 7. *Niſi credideritis, non permanebitis, ſicut domus non permanet deſtructo fundamento.* Gal. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei.* Hæc S. D.

Per fidem homo primò ordinatur in Deum, & viuit vitâ ſupernaturali.

72. Secundò eandem veritatem inſinuat idem Apoſtolus *Hebr.* 11. 6. dum inquit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cùm enim jam vitam juſtitiæ, quam in prima mundi ætate habuit Enoch, qui juſtus à Scriptura nominatur, fidei attribuiſſet, eiuſque à morte liberationem, dicens ibidem 4. *Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Dominus;* ante tranſlationem enim teſtimonium habuit, placuiſſe Deo, inde aſſerit, omnem juſtitiam ſupernaturalem, quâ homo in mandatis Dei ambulat, ipſique Deo placens viuit in hac mortali vita, & tandem ad æternam pertingit beatitudinem, à fide diuina procedere, dum inquit: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Etenim nullus poteſt placere Deo, niſi accedat ad Deum: vnde Iacobi 4. dicitur: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Et pſalm. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Sed nullus accedit ad Deum, niſi per fidem, quia fides eſt lumen intellectus. Ergo nullus poteſt placere Deo, niſi per fidem. Sic ratiocinatur Doctor Angelicus in præfata Apoſtoli verba *lect.* 2. Omnis autem qui ad Deum, vt authorem, & finem ſupernaturalem accedit, viuit; illâ enim cognitio, quamvis obſcura, quâ Deus per fidem attingitur, eſt actio vitalis vitalitate ſupernaturali, & conſequenter dum placet Deo per fidem, per eandem habet vitam ſpiritualem. Quamobrem poſtquam Apoſtolus *Heb.* 10. 38. Deum loquentem introduxit in hæc verba, *juſtus autem meus ex fide viuit*, ſtatim ſic proſequitur: *Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*; hoc eſt, ſi non crediderit, & à fide receſſerit. Cùm enim animam ſuam Deo per fidem ſubjiciat, dum captiuat intellectum in obſequium Chriſti, & veritatibus à Deo reuelatis mentis ſuæ captum excedentibus aſſentitur; à tali ſubiectione ſe ſubtrahit, dum à fide deficit: & ideo ſubdit Apoſtolus ibidem, *nos autem non ſumus ſubtractionis filij* (hoc eſt incredulitatis) *ſed fidei.* Vnde liquet, quod qui ſe à fide ſubtrahunt, à ſpirituali vita recedunt, ac conſequenter non placent Deo. Illi autem qui Deo placent, in fide manent, fidei obediunt, & ſubduntur, & ab hac fidei ſubiectione Deo loquenti, ac reuelanti coniunguntur, à quo vitam recipiunt ſupernaturalem. Hinc eſt quod Chriſtus *Ioan.* 3. 35. inquit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam* (inchoatam ſcilicet per fidem, & conſummatam in patria per viſionem claram & intuitiuam:) *qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et Ioan. 6. 47. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam.* Et verba à Chriſto prolata, quæ reconditum Euchariſtiæ Sacramentum, myſterium fidei ab Eccleſia antonomaſticè appellatum, diſcipulis ac Iudæis promittebant, à Petro Apoſtolo Ioan. 6. 69. *verba vitæ æternæ* vocata ſunt.

Omnis juſtitia ſupernaturalis hominis à fide procedit.

D. Thom.

Qui à fide ſe ſubtrahunt, à vita ſpirituali recedunt.

A fide vita æterna inchoata in via, & conſummata in patria.

Tertiò denique ſuadetur ratione, vitam ſpiritualem & ſupernaturalem à fide diuina procedere. Omne etenim quod eſt tale per participationem, habet illud ab eo, quod eſt tale per eſſentiam; vnde id quod eſt ens per participationem & dependenter, habet hoc eſſe ab illo, quod eſt ens per eſſentiam à ſeipſo, & independenter ab alio; & ideo omnes creaturæ, quarum eſſe eſt participatum, dependens, & creatum, habent illud à Deo, qui eſt ens per eſſentiam, independens, increatum, & à ſeipſo, æternum, & immutabile. Vnde Moyſi dixit Deus Exod. 3. 14. *Ego ſum qui ſum.* Et D. Ioannes Damaſcenus Deum vocat entium, ſeu eſſentiarum oceanum: quia ſicut omnis fluminum aqua ab oceano procedit; ita omnes quæ ſunt creaturæ, deriuantur à Deo. Atqui Deus eſt viuens vitâ ſupernaturali, per ſe, à ſeipſo, & independenter ab alio; imò eſt ipſa vita 73.

ſupernaturalis, infinita, immenſa, & æterna. Cùm enim ſit ſuum intelligere, & hoc ſit eius vita, eſt ipſamet vita: vnde & Chriſtus ſeipſum vitam appellauit, dum dixit Ioan. 14. 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* Et in prima hominis productione, dum Adamo cum vita naturali communicata eſt vita ſupernaturalis (nam in gratia & ſanctitate creatus eſt, vt eſt communis Sanctorum Patrum & Theologorum ſententia, & docet D. Thomas 1. *p. q.* 95. *art.* 1.) *inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ*, vt dicitur *Gen.* 2. 7. vbi plures ex Hebræo legunt, *ſpiraculum vitarum*, vt innuant ambas vitas, naturæ ſcilicet & gratiæ, à Deo Adamo fuiſſe conceſſas: homo autem habet vitam ſupernaturalem participatam, & ab alio dependentem. Nam vt ait Apoſtolus 2. *Cor.* 4. 7. *Quid habes quod non accepiſti?* Et vt inquit Chriſtus *Ioan.* 10. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*, quod de vita ſupernaturali ac ſpirituali communiter à Sanctis Patribus exponitur. Ergo non poteſt homo à ſeipſo habere illam vitam ſupernaturalem, ſed debet illam à Deo recipere: atqui nequit à Deo hanc vitam ſupernaturalem recipere, niſi per fidem ſupernaturalem; quia ad hoc vt illam habeat, debet ad Deum accedere, immò & Deo vniri, ac coniungi, vt influxum vitæ ſupernaturalis à Deo procedentem recipiat: non poteſt autem ad Deum accedere, ipſique coniungi, niſi per fidem; nam vt ait Apoſtolus Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Tunc enim credens Deo, à ſe recedit, vt ad Deum accedat; à ſe exit, vt ad Deum intret; ſibi moritur, vt Deo viuat; in ſe cæcus eſt, vt fiat in Deo perſpicax; quæ non intelligit, iis firmiter aſſentitur, vt intuitiuè & clarè videat in patria, quæ in via non valuit euidenter intelligere: propriam ac ratiocinantem amittit cognitionem, vt diuinam & infallibilem accipiat intelligentiam.

Omnis vita à Deo procedit.

D. Thom.

Per fidem Deo vnimur, vt vitam ſupernaturalē recipiamus.

A nobis recedimus, vt Deo tradamus, & ab illo viuamus.

74. Ea ſunt quæ ex vnione mentis humanæ ad Deum per fidem vir recipit Chriſtianus. Illa enim, quâ Deo credens præſentiâ ipſi adhæret Deo, cum ſupernaturali, quam illi tribuit, vitâ multa alia affert bona. Ad hanc ſiue vnionem, ſiue præſentiam Deus fidelem aduocat illis *Cant.* 4. 8. verbis: *Veni de Libano, veni*: ſeu, vt legit Ambroſius lib. de Iſaac & anima, cap. 5. *Ades de libano, ades.* Vbi idem ſanctus Doctor inquit: *Benè repetiuit; quia ſiue præſens, ſiue abſens, adeſſe, & placere Domino tuo debes.* Et ſtatim Deum Chriſtianum ſic alloquentem inducit: *Adeſto præſens, adeſto abſens, etſi adhuc in corpore es: mihi enim omnes præſentes ſunt, quorum fides mecum eſt. Adeſt mihi, qui exit de ſeculo. Adeſt mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me ſperat, cui ego portio ſum. Adeſt mihi, qui abfuerit ſibi. Adeſt mihi, qui ſe negauerit. Ille mecum eſt, qui intra ſe non eſt; quoniam qui in carne eſt, non eſt in ſpiritu. Ille mecum eſt, qui ex ſeipſo egreditur; ille eſt juxta me, qui extra ſe fuerit; ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam ſuam.* Hactenus Ambroſius.

D. Ambroſ.

Adeſt Deo qui ſibi abeſt, & qui tota mente Deum cogitat.

75. Verùm ne cùm vitam ſupernaturalem & ſpiritualem in nobis à fide procedere dicimus, ab illa excludi à nobis charitatem aliquis exiſtimet, atque hinc errandi anſam arripiat, oſtendendum eſt, fidem de qua loquimur, eſſe formatam, ac charitati coniunctam. Etenim dum de vita ſupernaturali hac in ſectione loquuti ſumus, de vera juſtitia, quâ fidelis ornatur, intelleximus. Et quia huius temporis Nouatores fidei, cui juſtificationem attribuunt, diuerſa nomina tradiderunt, vt nouis nominibus noua in hac materia dogmata fabricarent; illorum placita examinare ac refellere nunc nobis incumbit.

§. I.

Quanam fides juſtificet, & an hæc ſit formata, vel informis.

VT clariùs veritas, quam nunc inueſtigamus, pateat, quædam à nobis neceſſariò præmittenda ſunt. Primò quidem aduertendum eſt, fidem ad juſtificationem requiſitam, ad illam dumtaxat per modum diſpoſitionis poſſe concurrere; nequit enim concurrere vt cauſa efficiens, quia hæc eſt ſolus Deus: nec vt finalis; nam hæc eſt gloria: nec vt formalis; hæc enim eſt gratia, ex determinatione Concilij Tridentini; nec tandem vt cauſa meritoria, quia juſtificatio non cadit ſub merito: vnde difficultas eſt, an fides ſola ſufficiat, & ſit adæquata diſpoſitio; an verò opera requirantur, & charitas ex parte voluntatis ad talem juſtificationem. 76.

Fides eſt tantùm diſpoſitio ad juſtificationem.

Secundò aduertendum eſt, ab Apoſtolorum temporibus exortum fuiſſe errorem docentem, 77.
ſolam fidem ſufficere ad juſtificationem: ex multis enim locis Pauli Apoſtoli fidem extollentis ſumpſerunt quidam occaſionem errandi: contra quos cæteri Apoſtoli, Petrus, Ioannes, Iacobus & Iudas ſuas ſcripſerunt epiſtolas, vt refert D. Auguſtinus *lib. de fide & operibus, cap.* 14. quem errorem poſteà tenuit quidam nomine Tractius, vt teſtatur D. Damaſcenus *lib. de hæreſibus*; ac deinde leproſus mente & corpore Eunomius, vt refert D. Auguſtinus *lib. de hæreſibus, cap.* 54. aliique hæretici, quorum meminit D. Hieronymus *in cap.* 4. *Oſeæ*, dicens: *Per dulces ſermones decipiunt infelices. Cùm enim viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quærit Deus, niſi fidei veritatem, quam ſi cuſtodieritis, non curat quid agatis.* Et tandem hunc extinctum errorem ſuſcitauerunt Lutherus *art.* 1. eorum quos ad Leonem X. direxit, & *lib. de captiuit. Babylonica*, vbi ſic blaterat: *Non aliâ via poteſt homo cum Deo conuenire, aut agere, niſi per fidem; opera ille nihil curat. Tam diues eſt Chriſtianus, vt non poſſit perire, etiamſi velit, quantumcunque malè viuat, niſi nolit credere.* Caluinus, Brentius, & alij eiuſdem farinæ, qui præterito ſeculo veram fidem Chriſtianam vaſtare conati ſunt hæretici.

Error aſſerentium, ſolam fidem juſtificare. Contra quem Ioannes, Iacobus, & Iudas ſcripſerunt Epiſtolas.

D. Auguſt.
D. Damaſc.
D. Hieron.
Eunomius leproſus mẽte & corpore.

Tertiò aduertendum, modernos iſtos hæreticos Lutheranos & Caluiniſtas triplicem fidem diſtinguere. 78.
Prima dicitur hiſtorica, quâ creduntur quæ narrantur in ſacris paginis, de qua Hebr. 11. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei.* Secunda eſt miraculorum, quâ quis credit miracula facta à Deo, vel à ſeipſo patrandum eſſe miraculum: de qua 1. Cor. 13. 2. *Si habuero fidem, ita vt montes transferam*; & Matth. 17. 19. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Tertia eſt promiſſionum, quæ reſpicit promiſſiones nobis factas à Deo de peccatorum remiſſione: hæc autem fides promiſſionum duplex eſt, alia generalis, quâ creditur omnibus hominibus promiſſam eſſe ſalutem; alia ſpecialis, quâ quilibet ſibi applicans promiſſiones diuinas, credit & confidit ſibi peccata eſſe dimiſſa: & hæc fides vocatur

Triplex ab hæreticis fides excogitata, hiſtorica, miraculorum, & promiſſionum.

fiducia

fiducia ſpecialis miſericordiæ, illamque exiſtimant hæretici eſſe fidem juſtificantem.

79. Hæc autem triplex fidei diſtinctio vana eſt, ac omninò inutilis, ac meritò à Catholicis reprobatur. Siquidem directè repugnat verbis Pauli Apoſtoli, qui tria illa munera vni fidei attribuit. Nam *Hebr. 11. à num. 2.* ait, quod per eam creditur hiſtoriis, *aptata eſſe ſecula verbo Dei.* Secundò quod per eam facta ſunt miracula: *Sancti per fidem vicerunt regna, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c.* Tertiò fides promiſſionum, dum inquit: *Fide adepti ſunt repromiſſiones.* Quare ſecundùm ſacras literas communemque Sanctorum Patrum, & totius Eccleſiæ conſenſum admittendus eſt vnicus fidei habitus, qui nec eſt notitia, ſeu certa cognitio diuinæ erga nos beneuolentiæ, vt vult Caluinus *lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 7.* neque diuinæ bonitatis & gratiæ per verbum Dei cognitæ atque manifeſtatæ certa fiducia, vt vult Lutherus *in ſerm. Dom. 2. Quadrageſimæ*; hæc enim effectus, ſeu fructus illius eſt, vt loquitur Apoſtolus *Eph. 3. 12.* dum ait; *In quo* (Chriſto) *habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius*; ſed eſt, vt inquit idem Apoſtulus Heb. 11. 1. *ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium*; hoc eſt, aſſenſus formalis, & firmus circa ea, quæ Deus per ſeipſum, vel per alios nobis reuelauit, & fundamentum rerum quæ ſperantur: nam obiectum ſpei ſupponit fidem, eſtque vnicus habitus, vt habetur Epheſ. 4. 5. *Vna fides*, quæ quidem neceſſaria eſt ad juſtificationem; ſed non ſola, neque eodem modo, quo exiſtimant Nouatores: quod vt clariùs pateat,

Reprobata à Catholicis, quia vnica fides, tria illa præſtat.

80. Dicimus primò, fidem juſtificantem non eſſe fiduciam de diuina miſericordia, ſed eſt aſſenſus firmus & certus circa ea omnia quæ Deus credenda proponit.

Fides juſtificans eſt aſſenſus firmus circa omnia credenda, nō verò fiducia de Dei miſericordia.

81. Probatur primò ex illo Iob 8. 13. *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia eius.* Vbi oſtenditur euidenter, quod fiducia poteſt ſtare cum peccato mortali, & per conſequens non ipſa ſufficit ad juſtificationem. Et ex 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* Vbi Apoſtolus contra nouantes diſtinguit ſpem à fide; immò Chriſtus *Matth. 9. 22.* eandem facit diſtinctionem, dicens: *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Etenim cùm fides ſit aſſenſus, ſubiectatur in intellectu, qui *captiuatur in obſequium Chriſti*, vt loquitur Apoſtolus *2. Cor. 10. 5.* Fiducia autem, etiam ab aduerſariis, in voluntate conſtituitur, confunditurque cum ſpe: nam fiducia nibil eſt aliud quàm *ſpes roborata*, vt docet S. Thomas *2. 2. q. 129. art. 6.* Ergo fides juſtificans non eſt fiducia certa & firma diuinæ miſericordiæ vel bonitatis, ſed illam præcedit.

Fides differt à ſpe & à fiducia.

D. Thom.

82. Secundò probatur ex eo quod refertur *Act. 8.* vbi cùm Philippus ab Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum Baptiſmum poſtulante quæſiuiſſet, an ille crederet ex toto corde? Reſpondit ille: *Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Quo audito, ſtatim Philippus ipſum baptizauit. Ergo fides verè juſtificans non eſt illa quâ credimus & fiduciam habemus Deum nobis eſſe propitium, aliàs male egiſſet Philippus, qui ſine tali fide Eunuchum baptizauit; ſed eſt illa quâ ex toto corde, & ſine vlla hæſitatione credimus Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei, Deum, Patri coæqualem, ſecundam Trinitatis perſonam, Redemptorem ac Saluatorem noſtrum, cæteraque reuelata.

Eunuchus Reginæ Æthiopū credēs in Chriſtum juſtificatur.

Quod etiam liquet ex illo *Luc. 18.* vbi Phariſæus dicens Deo: *Gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, &c.* Publicanus autem non audebat oculos ad cœlum leuare, ſed à longè ſtans & pectus ſuum percutiens orabat: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et tamen *deſcendit hic juſtificatus*, non verò Phariſæus. Cùm ergo Phariſæus habens fiduciam beneuolentiæ Dei, cui gratias agebat, non ſit juſtificatus, ſed publicanus, qui tali fiduciâ carebat, & cum timore ac tremore Dei propitiationem poſtulabat, euidens eſt, talem fiduciam minime juſtificare. Nec dicant Phariſæum repulſam paſſum fuiſſe, quia juſtitiam ſuam ex ſe habere ſe crederet: contrarium enim patet ex hoc, quod de ſua juſtitia gratias Deo agebat, & conſequenter eam à Deo ſe habere credebat.

Publicanus ſine fiducia juſtificatur.

Probatur tertiò ex Sanctis Patribus, qui nuſquam dixerunt, obiectum fidei juſtificantis eſſe miſericordiam Dei, eiuſque beneuolentiam, quæ fiduciam maximam pareret fidelibus de ſuorum remiſſione peccatorum; ſed ſemper huius fidei obiectum eſſe dixerunt reuelata à Deo, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, & huiuſmodi myſteria ſupernaturalia Trinitatis, Incarnationis, mortis ac reſurrectionis Chriſti. D. Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 5. *Noſtra*, inquit, *fides, hoc eſt catholica fides, juſtos ab injuſtis non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, quia juſtus ex fide viuit.* Vbi fidem juſtificantem dicit eſſe fidem catholicam, hoc eſt fidem dogmaticam, communem toti Eccleſiæ; non ſpecialem illam, quæ eius tantùm eſt, qui credit, vel confidit ſibi remiſſa eſſe peccata. Et S. Leo *ſerm. 4. de Epiphan.* inquit: *Hoc eſt, quod juſtificat impios; hoc eſt, quod ex peccatoribus facit ſanctos, ſi in vno, eodemque Domino noſtro Ieſu Chriſto, & vera Deitas, & vera credatur humanitas.* S. Fulgentius libro de fide ad Petrum, in prologo, loquens de fide catholica ac dogmatica, quam toto libro exponit, ait: *Sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerum poteſt peruenire; quia ſine ipſa, nec in hoc ſeculo quiſquam juſtificationis gratiam conſequitur, nec in futuro vitam poſſidebit æternam.* Idem docet D. Bernard. *ſerm. 6. in vigil. Natiuit.* vbi inquit: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Hæc eſt veluti quoddam æternitatis exemplar: præterita ſimul, & præſentia, ac futura ſinu quodam vaſtiſſimo comprehendit.* Vbi fidem juſtificantem dicit complecti præterita, præſentia & futura; quia ex articulis reuelatis, quos credimus, alij præterierunt, vt Chriſtum natum, & paſſum fuiſſe; alij præſentes ſunt, vt Chriſtum ſedere ad dexteram Patris; & alij futuri ſunt, vt Chriſtum in fine ſeculi venturum ad judicandum orbem terræ in æquitate. Ex quibus omnibus liquet, fiduciam hæreticorum, ſeu fidem promiſſionis omninò diſcrepare à fide quam Sancti Patres neceſſariam ad juſtificationem exiſtimarunt. 83.

Sententiam noſtram docent SS. Patres.

D. Auguſt.

S. Leo.

Fulgent.

D. Bernard. Fides, æternitatis exemplar.

Sed ſcripturarum oraculis, ac Sanctorum Patrum teſtimoniis accedunt rationes, quibus Nouatorum ſententia profligatur. Prima ſic procedit. Fides juſtificans, de qua nunc eſt ſermo, cùm ſit diſpoſitio ad juſtificationem, debet illam præcedere: ſed fiducia ſpecialis miſericordiæ, quâ aliquis certò credit & confidit, peccata ſibi eſſe remiſſa, ſequitur juſtificationem; hæc enim eſt cauſa remiſſionis peccati, cauſa autem ſemper eſt prior ſuo effectu: ergo hæc fiducia ſpecialis non eſt fides juſtificans. 84.

Rationibus firmatur noſtra ſententia.

Fiducia de peccatis dimiſſis ſequitur juſtificationem.

85. Neque dicas, fide ſpeciali non credi, peccata eſſe remiſſa, ſed remitti in præſens: cùm enim hæc remiſſio ſit obiectum illius fidei, debet neceſſariò illam præcedere, quia obiectum dat eſſentiam actui, non autem actus obiecto, & conſequenter non poteſt non intelligi obiectum fidei ſpecialis ante illam.

86. Secundò, fides iuſtificans, etiam ex ſententia aduerſariorum, debet ſacræ Scripturæ teſtimonio inniti: ſed illa fiducia ſpecialis miſericordiæ, quâ aliquis, v. g. Lutherus, certò confidit peccata ſua ſibi eſſe dimiſſa, in nullo Scripturæ loco reperitur, nec vſquam à Chriſto, quoque exceptis, nempe paralytico, *Matth.* 9. peccatrici, *Luc.* 7. adulteræ, *Ioan.* 8. Zachæo, 19. *Luc.* latroni, *Luc.* 23. reuelata, vel ab Apoſtolis annuntiata fuit. Ergo hæc fides ſpecialis, ſeu fiducia, nequit eſſe illa quæ iuſtificat.

Fiducia de peccatis dimiſſis ſine fundamento Scripturæ.

87. Inſtant. Neque audiendi ſunt hæretici, ſi dicant hanc fiduciam in Apoſtolorum Symbolo, in atticulis remiſſionis peccatorum, & communionis Sanctorum contineri: Scripturam verò promittere generaliter hominibus remiſſionem peccatorum, & in hac generali, ſpeciales remiſſiones peccatorum contineri.

88. Refelluntur. Etenim ex hoc poſſet inferri, omnes qui fidem chriſtianam confitentur, & Apoſtolorum Symbolum recipiunt, iuſtos eſſe & ſanctos. Ex quo duo ſequerentur abſurda. Primum, quod in Eccleſia omnes homines ſint ſancti, & nullus ſit peccator, licèt actualiter legem Dei transgrediatur. Secundum, quod fideles actualiter peccantes, non eſſent fideles: & cùm Nouatores dicant hominem in omnibus operibus multùm peccare, nullus erit in mundo fidelis, & conſequenter nulla Eccleſia.

89. Adde quod in Scriptura ſacra non legitur, Qui credit remiſſa ſibi peccata, habet vitam æternam: ſed *Ioan.* 3. 35. dicitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Hoc eſt, qui credit in Ieſum, & eum credit eſſe Filium Dei, habet vitam æternam. Cùm autem illa propoſitio, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, ſit conditionata, & æquiualeat iſti Rom. 10. 9. *Si credideris in corde tuo, &c.* & iſti, Act. 8. 37. *Si credis ex toto corde*, non poteſt Caluinus inferre, Ego habeo vitam æternam, niſi ponat hanc minorem: Sed ego Caluinus credo: hæc autem minor, quod Caluinus credat, non eſt in Scriptura: ergo concluſio illata, quæ ſequitur deteriorem partem, erit tantùm probabilis, cùm minor illa tantùm ſit certa ex opinione, & non ex fide: multi enim putant habere fidem, qui tamen ea carent, vt docet ipſe Caluinus *lib.* 3. *inſtit. cap.* 2. §. 10. & 11.

Qui credit in Filio Dei habet vitam æternã, ideſt gratiam iuſtificantem. Non verò qui credit peccata ſibi dimiſſa.

90. Denique ſententia Nouatorum, quam modò impugnamus, è medio tollit orationem, Sacramenta, & omnia bona opera. Si enim ex fide credere debeo peccata mihi eſſe remiſſa, cur pro hac remiſſione, quæ jam facta eſt, Deum rogabo? Cur cum publicano dicam, Luc. 18. 13. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Cur jubente Chriſto, dum oramus, dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Si per fidem, quæ Baptiſmum debet præcedere, certus ſum mihi jam eſſe remiſſa peccata, cur Baptiſmum ſuſcipiam? Hinc Lutherus *lib. de captiuit. Babylon. cap. de Baptiſmo*, non erubuit dicere, iuſtificari hominem, qui credit, etſi fortè is qui baptizat, neque intendat baptizare, neque baptizet in nomine Domini. Tandem ſi per illam

Nouatorum ſententia Sacramenta, orationem, & omnia bona opera tollit.

Lutheri deliramentum.

fiduciam peccata remiſſa ſunt, cur Chriſtus *Ioan.* 20. Apoſtolis poteſtatem remittendi & retinendi peccata conceſſit? Non ergo illa fiducia eſt fides iuſtificans; huic enim non poteſt ſubeſſe falſum. Illi autem fiduciæ, quæ neceſſariò debet præcedere iuſtificationem, in ſententia aduerſariorum, ſubeſt falſum; quia non remittuntur peccata ante, ſed per iuſtificationem: vnde conſtans, & certum relinquitur, fidem iuſtificantem eſſe dogmaticam, ſiue reuelationem, & illum aſſenſum quo firmiter, & tamen ineuidenter aſſentimur myſteriis Chriſti, & aliis veritatibus reuelatis; quia hæc verè præcedit iuſtificationem, & hominem ad illam diſponit: & ideo Apoſtolus *Rom.* 5. 1. ait: *Iuſtificati ex fide pacem habeamus, &c.* vt illa particula, *ex fide*, oſtendat iuſtificationem ab illa procedere. Quod etiam docuit D. Auguſt. *lib. de agone Chriſtiano, cap.* 13. dum ait: *Fides eſt prima, quæ ſubiugat animam Deo, deinde præcepta viuendi, quibus cuſtoditis, ſpes noſtra firmatur.* Quod vt clarius pateat,

Sola fides dogmatica iuſtificat.

D. Auguſt.

Secunda noſtræ propoſitionis pars, quâ diximus fidem iuſtificantem eſſe illam quâ aſſentimur omnibus veritatibus fidei, & myſteriis reuelatis, ex profeſſo explicanda & probanda eſt. 91.

Secunda pars ſententiæ noſtræ explicatur.

Dum enim diximus, fidem iuſtificantem eſſe illam, quâ omnibus reuelatis aſſentimur, non intelleximus, omnia myſteria & obiecta fidei eodem modo eſſe credenda, vt aliquis iuſtificetur; ad hoc enim quædam dumtaxat credenda ſunt neceſſitate præcepti, quia licèt abſque eorum fide poſſit homo iuſtificari, abſolutè loquendo: tamen poſtquam à Deo reuelata ſunt, tenetur homo ea diſcere, & credere, vt ſunt deſcenſus Chriſti ad inferos, perpetua virginitas B. Mariæ Dei genitricis, &c. Alia neceſſariò credenda non ſunt, ſed ſufficit eis non diſſentire; qualia ſunt Abrahami hiſtoria, & Moyſis geſta, quæ in ſacris libris continentur, &c. Alia tandem neceſſariò ſunt credenda neceſſitate medij, quia eorum fides eſt medium neceſſarium ad iuſtificationem, quæ à D. Thoma 2. 2. *q.* 2. *art.* 5. ad duo reducuntur capita, nempe ad finem quo Beati ſumus, qui eſt Deus, prout eſt in ſe, qui dicitur finis ſupernaturalis: & ad media per quæ finem illum conſequimur, quæ ſunt gratia iuſtificans, & cauſa eius. In primo continetur myſterium Trinitatis, cuius viſione beamur: & in ſecundo Chriſti, ſeu Incarnationis eius myſterium, à quo omnis gratia in homines, & conſequenter iuſtificatio deriuatur. Et hæc ſunt quæ D. Paulus intelligit, dum inquit Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Expoſitâ igitur ſecundâ propoſitionis noſtræ parte, 92.

Non omnia eodem modo credenda, vt quis iuſtificetur.

Statuitur primò ſic: Fides requiſita ad iuſtificationem habet obiectum omninò diuerſum ab illa fiducia, quam ſuprà impugnauimus, vt patet ex Apoſtolo *Rom.* 10. 8. 9. vbi inquit: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus; quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo quod Deus ſuſcitauit illum, ſaluus eris.* Vbi, vt patet, Chriſtus, & eius reſurrectio ponuntur inter obiecta fidei iuſtificantis. Et *Marc. vlt.* Chriſtus dixit Apoſtolis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et 1. *Cor.* 15. Apoſtolus inquit: *Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui vobis, quod accepiſtis, per quod & ſaluamini.* Ergo fides 93.

Ex Apoſtolo ſuadetur, ſolâ fide dogmaticâ iuſtificari.

fides

fides juſtificans non eſt fiducia certa de remiſſione peccatorum, ſed aſſenſus firmus myſteriis Chriſti, & veritatibus reuelatis.

94. Secundò fides juſtificans à morte æterna liberat: ſed hæc non eſt fiducia, ſed aſſenſus, quo firmiter Chriſtum credimus filium Dei, vt patet *ex Ioan.* 11. vbi Chriſtus dixit Marthæ: *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* Cui illa reſpondit: *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* Ergo, &c.

Etiam ex verbis Chriſti.

95. Illud autem quod Caluinus in fide juſtificante ponit de clara notitia, quam fidelis habet de remiſſione ſuorum peccatorum, euidentiam illam ſtatuens in illa fide ſpeciali, ex ſe deſtruitur; pugnat enim cum verbis Apoſtoli *Hebr.* 11. 1. vbi fidem vocat argumentum, ſeu conuictionem non apparentium: & cum verbis Chriſti, Ioan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Repugnatque Sanctorum Patrum doctrinæ, qui ſemper obſcuritatem, & ineuidentiam in fide docuerunt. Vnde D. Auguſt. *tract.* 40. *in Ioan.* ait: *Non quia cognouerunt, crediderunt; ſed vt cognoſcerent, crediderunt. Quid enim eſt fides, niſi credere quod non vides?* Et *ſerm.* 189. *de temp.* ait: *Conſidera quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto Baptiſmo hoc dicimus, Fidelis factus ſum, credo quod neſcio.*

Caluini mendacium.

Ineuidentia eſt de ratione fidei.

§. II.

Fides formata, & bonis motibus voluntatis aucta requiritur ad juſtificationem.

96. EA tamen quæ hactenus de fide juſtificante, ſecundùm veram ſententiam Catholicæ Eccleſiæ diximus, non de fide informi, ſeu mortua, charitate ac bonis motibus deſtituta; ſed de fide viua, formata, charitate aliiſque bonis motibus voluntatis exornata, intelligenda volumus: hæc enim ſola perfectam juſtitiam à Deo animæ obtinet Chriſtianæ; per hanc verè & perfectè Chriſto, & in Chriſto viuitur, illaque in via ambulantes, ac viam mandatorum Dei currentes, feliciter ad patriam peruenimus æternam. Quæ veritas contra heterodoxos breuiter à nobis nunc ſtatuenda eſt, & illuſtranda.

Fides juſtificans, non informis, ſed formata.

97. Primò igitur ex ſacris paginis expreſsè liquet, fidem ſolam, ſeu informem, excluſâ charitate, aliiſque bonis motibus voluntatis, nec juſtificare poſſe hominem, nec ſaluare. Etenim Paulus Apoſtolus, ex cuius verbis malè intellectis occaſionem errandi ſumpſerunt hæretici, manifeſtè docet, fidem ſine charitate nihil prodeſſe, 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et ad Gal. 5. 6. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Quod exponens D. Thomas *lect.* 2. ait: *In his qui ſunt in Fide Chriſti, neque circumciſio, neque præputium aliquid valent; ideſt, indifferentia ſunt: ſed fides, non informis, ſed ea quæ per dilectionem operatur. Iacob. 2. Fides ſine operibus mortua eſt; nam fides eſt cognitio verbi Dei. Eph. 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Et hoc verbum nec perfectè habetur, nec cognoſcitur, niſi etiam habeatur amor, quem ſpirat.* In quibus verbis continetur ratio quæ ad hanc formam reduci poteſt. Fides quâ juſtificatur homo, tribuit ei cognitionem, & poſſeſſionem filij Dei; anima enim juſti ſedes eſt ſapientiæ, vt ex Salomone ait D. Gregor. *hom.* 38. *in Euang.* Sed non poteſt cognoſci, ac perfectè haberi Filius Dei ſine charitate; quia non habetur niſi cum Spiritu ſancto, quem producit; & cum Patre, cum quo per modum vnici Spiratoris illum producit. Vnde *Ioan.* 14. 23. loquens Chriſtus de juſto, ait: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Non poteſt autem haberi Spiritus ſanctus, niſi per charitatem; vnde *Rom.* 5. 5. dicitur: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et 1. Ioan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo fides juſtificans non poteſt eſſe ſine charitate.

Fides ſine charitate nihil prodeſt ex Apoſtolo.

D. Thom.

Fides juſtificans dat juſtificato Filium Dei per cognitionem & amorem, immò & totam Trinitatem.

Secundò eadem veritas patet ex D. Iacobo *cap.* 2. 14. vbi ait: *Quid prodeſt, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid fides poterit ſaluare illum?* Et *verſ.* 24. ſubdit: *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et tandem *verſ.* 26. concludit: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Vbi ſententia catholica ita expreſsè ſtabilitur, vt illam Iacobi epiſtolam negare coacti ſint hæretici; ſed fruſtra illam rejiciunt, cùm in canone librorum noui Teſtamenti inſerta reperiatur ab Innocentio primo *ep.* 3. *cap.* 7. à Gelaſio Papa in Concilio 70. Epiſcoporum, Concil. Laodic. *cap.* 59. Concil. Cartag. IIIº. *cap.* 47. *cap. Sancta Romana*, *diſt.* 15. & à Concil. Florent. *in fine epiſt. Eugenij ad Armenos*, & denique in Concil. Trident. *ſeſſ.* 4. decreto de Canonicis Scripturis. 98.

Iacobi epiſtolam negant hæretici, quia illorum ſententiam confodit: eſt tamen canonica.

Inſuper idem Iacobus *loc. cit.* 20. inquit: *Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Quæ verba licèt pugnare videantur cum illis quæ Apoſtolus *Rom.* 4. 2. ſcribit: *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; quid enim dicit Scriptura?* Gen. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Tamen optimè cohærent; cùm enim, vt notat D. Auguſtinus præfat. in enarr. in pſalm. 31. *hæretici verba Pauli libenter malè intellexiſſent, ne bona opera ſequerentur*, laborauit Iacobus Apoſtolus vt eos ab errore liberaret, docens non ſolam fidem, ſed charitatem & bona opera fidei adiuncta ad ſalutem eſſe neceſſaria. *Volebat*, inquit Auguſtinus, *corrigere homines, qui malè intellexerunt iſtum Apoſtolum, Iacobus in epiſtola ſua, & contra eos qui nolebant benè operari, de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: & non ſunt ſibi aduerſi Apoſtoli.* Hæc Auguſtinus. 99.

Fides ſine operibus mortua.

Abraham ex operibus juſtificatus eſt, & quomodo Iacobus Apoſtolus Paulo non contradicit.

D. Auguſt.

Etenim multi illa tempeſtate Iudæi ex operibus legis Moyſis; multique Gentiles ex operibus moralibus gloriabantur, exiſtimantes ex illis operibus poſſe ſaluari ac juſtificari ſine fide Chriſtiana: iſtos arguit Paulus, inducens exemplum Abrahæ, qui non ex ſolis operibus naturalibus, ſed ex fide quâ credidit Deo, filium in vxoris & propria ſenectute ſe ſuſcepturum, ac ex illius poſteris gentem numeroſam naſcituram, in qua & ipſe Chriſtus à Domino ſpecialiter benedictus, tanquam verus Filius eius, juſtificatus eſt. Verùm hæc fides Abrahæ non excluſit, ſed incluſit bona opera, vnde idem Apoſtolus Hebr. 11. 17. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Vbi fides, & opus 100.

Nec fides ſine operibus, nec opera ſine fide juſtificant.

Abrahæ elucent: fides quidem, quia credit ſemper ſemen ſuum multiplicari ſicut ſtellas cœli, etiamſi filium ad mandatum Dei offerat & jugulet. Opus etiam apparet, quia diuino præcepto obtemperans, arrepto gladio, eleuatâ manu, vnigenitum voluntate immolauit. Vbi bonum opus Abrahæ in maxima fide fundatum refulget. Vnde D. Auguſtinus *ſerm. de immolat. Iſaac*, ait: *Quod credidit Abraham, intus in corde in ſola fide, quod immolandum filium duxit, quod intrepidus dexteram armauit, quod jam feriret, niſi voce Angeli teneretur, magna fides eſt vtique, ſed & magnum opus.*

D. Auguſt. Obedientia Abrahæ eſt magna fides, & magnum opus.

101. Quare ſi Abraham credendo Deo, eius voluntatem non impleuiſſet, ac Filium immolare recuſaſſet, vana omninò & inutilis fuiſſet eius fides, Deo diſplicuiſſet, & minimè juſtificatus fuiſſet. Vnde Auguſt. *præfat. citata*, inquit: *Ergo fratres, ex fide juſtificatus eſt Abraham; ſed ſi fidem opera non præceſſerunt, tamen ſequuta ſunt. Nunquid enim fides tua ſterilis erit? Si ſterilis es, ſterilis non eſt ipſa. Tene ergo fidem operaturus.* Quæ omnia perpendens Iacobus, & hæreticos qui ſolam fidem, ſeclusâ charitate ac bonis operibus, inaniter extollebant, confutans, concludit *cap. 2. 24. Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Fidem formatam, ac charitate animatam ad juſtificationem requireos.

D. Auguſt. Fides non eſt ſterilis.

102. Tertiò liquet ex pluribus tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum teſtimoniis, præter fidem, amorem, & alios motus voluntatis requiri ad juſtificationem. *Ioan. 1. 12.* dicitur, *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Vbi apertè docetur, eos qui per fidem Chriſtum recipiunt, nondum eſſe, ſed poſſe fieri filios Dei, putà ſi diligant, timeant, &c. vnde *Eccl. 1.* dicitur: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Et pſalm. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini.* Et Eccl. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Et c. 2. 8. ſubditur: *Qui Timetis Dominum, ſperate in illo.* Et ſubiungit 10. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Et 1. *Ioan.* 3. 14. dicitur: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Vnde Concil. Arauſicanum, *can. vlt.* inquit: *Deus fidem & amorem ſui priùs inſpirat, vt Sacramenta Baptiſmi fideliter requiramus.* Quod à Sanctis Patribus expreſsè etiam docetur; nam Clemens Alexand. *lib. 2. ſtromat.* ait: *Fides eſt prima ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor, & ſpes, & pænitentia.* Et D. Auguſt lib. de ſpir. & litera, cap. 30. *Per legem*, inquit, *cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ; per gratiam ſanitas animæ.* Et *ſerm. 22. de verb. Apoſtoli*, ait: *Domus Dei fide fundatur, ſpe erigitur, charitate perficitur.* Sed anima quæ juſtificatur, fit domus Dei, quam gratia ſua inhabitat: Ergo licèt fundetur fide, ſpe debet erigi, ac perfici charitate. Ergo charitas & alij motus voluntatis debent concomitari fidem juſtificantem.

Fides bonis motibus aucta juſtificat.

Conc. Arauſ.

Clem. Alex.

D. Auguſt.

Domus Dei fide fundatur, ſpe erigitur, charitate perficitur.

103. Hinc Concilium Trident. *ſeſſ. 6. can. 9.* Nouatorum ſententiam anathemate percuſſit his verbis: *Si quis dixerit ſolâ fide impium juſtificari, ita vt intelligat, nihil aliud requiri quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.* Et *cap. 6.* idem Concilium præter fidem alios actus enumerat ad voluntatem pertinentes, quos ad juſtificationem diſponere aſſerit, ſcilicet timorem, ſpem, dilectionem & pœnitentiam.

Conc. Trid.

Quibus omnibus ſuffragatur, quod juſtificatio eſt curatio animæ languentis per peccatum: cùm autem contraria contrariis curentur, ſicut per voluntatem ſuam homo auerſus eſt à Deo, cùm peccauit, ita vt ei remittatur peccatum, debet per actum propriæ voluntatis motæ à Deo, & excitatæ conuerti ad Deum: Ergo non ſufficit actus fidei, ſed vt loquitur S. Thomas 1. 2. *q.* 113. *art.* 4. *ad* 1. ſimul in juſtificatione impij cum motu fidei eſt etiam motus charitatis. Mouetur etiam liberum arbitrium in Deum ad hoc, quod ei ſe ſubjiciat: vnde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis. 104.

D. Thom. In juſtificatione cum motu fidei debet eſſe motus charitatis.

Opponunt tamen hæretici contra prædicta illud Apoſtoli Rom. 3. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c. ex fide Ieſu Chriſti.* Et 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Et *Act.* 13. 39. ſoli fidei juſtificatio tribuitur, dum dicitur: *In hoc omnis qui credit juſtificatur.* Ergo ex ſola fide homines juſtificantur. 105.

Inſtant hæretici.

Verùm nullo negotio hæc hæreticorum refellitur inſtantia. Primò, quia in illis & ſimilibus Scripturæ locis, juſtificatio attribuitur ex parte hominis fidei, non adæquatè, ſed inadæquatè, hoc eſt tanquam initio, radici & fundamento juſtificationis; fides enim eſt primus motus animæ in Deum: ſed etſi hæc ex parte hominis incipiat, & ſit primus eius actus, vt juſtificetur, alios tamen requirit, vt hæc juſtificatio impleatur, & integretur, vt ſunt actus amoris, ſpei, timoris, & pœnitentiæ. Vnde D. Thomas *in cap. 3. ep. ad Rom. lect.* 3. ait: *Fides ex qua eſt juſtitia, non eſt fides informis, de qua dicit* Iacob. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt: ſed eſt fides formata, de qua dicit* ad Gal. 5. *In Chriſto Ieſu, &c.* per quam in nobis habitat Chriſtus: quod non fit ſine charitate. 106.

Refelluntur.

D. Thom.

Secundò, dum Scriptura fidei, & non operibus attribuit juſtificationem, excludit opera legis, cæremonialia, moralia, & naturalia, immò & quæcunque omnia quæ à ſolo homine naturaliter eliciuntur ante juſtificationem; quia certum eſt hominem ex gratia & pura miſericordia Dei juſtificari, ipſumque nullatenus poſſe primam gratiam promereri. Etenim *principium meriti non cadit ſub merito.* Sed non excluduntur opera & motus ſupernaturales ab anima mota & excitata à Deo, vt credat, diligat, timeat, ac ſperet; ſic enim his motibus gratiæ excitanti cooperatur homo per intellectum & voluntatem: quod maximè rationi conſentaneum eſt; *nemo enim ſaluatur inuitus*, vt loquitur Auguſtinus, & quia vt idem S. D. ait: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.* Quæ quàm vera ſint, oſtendat Concilij Tridentini oraculum, quo *ſeſſ. 6. decreto de juſtif. cap.* 8. ſic dicitur: *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit; vt ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire. Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur: ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus; alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.* Hæc luculenter ſanè Tridentina Synodus, quibus hæreticorum monſtruoſæ ſententiæ penitus jugulantur. 107.

Opera legis, moralia, & naturalia, non conferunt ad juſtificationem, ſed opera ex fide & charitate.

D. Auguſt.

Concil. Trid.

Gratis juſtificamur, quia nihil præcedens juſtificationem illam promeretur.

§. III.

§. III.

Chriſtianus non eſt, cuius fides bonis operibus non exornatur.

108. COnfutatis hæreticorum erroribus, Catholicorum ſaluti ſtudendum eſt, ac inuigilandum. Cùm ergo iſti non ſolam fidem, ſed etiam alios motus voluntatis ad juſtificationem neceſſarios, vt omnis Catholica docet Eccleſia, exiſtiment, illos ad bona opera exercenda debemus hortari; nam cùm ad juſtificationem fides illis roboretur, vt compleatne juſtificatio, adeptâ juſtitiâ, eiſdem conſeruatur fides, ne pereat, aut moriatur. Vnde qui ſpretis Dei mandatis, diuinis extinctis inſpirationibus, propriæ ſalutis immemores bona non agunt, ſed carni indulgentes, & ſanguini, voluptatibus incumbunt, crimina perpetrantes, à Chriſto recedunt, eiuſque nomine, quo Chriſtiani vocantur, prorſus indigni ſunt. Hoc, præſtante Deo, nunc oſtendere laboramus.

Iuſtificatus bonis operibus in juſtitia conſeruatur.

109. Chriſtiani nomen ſummi titulus eſt honoris: fidem Chriſti profitentibus, qui primùm diſcipuli vocabantur, Antiochiæ agentibus Paulo & Barnabâ anno Chriſti 43. vt exiſtimat Cardinalis Baronius, inditum fuit, & ſanè æquiſſimè; ſicut enim à Platone magiſtro, Platonici eius diſcipuli; & ab Ariſtotele Ariſtotelici dicti ſunt: ita à Chriſto duce ac præceptore, eius doctrinæ adhærentes, veſtigiaque ſequentes Chriſtiani cognominati ſunt. At quàm dignum ſit ac nobile cognomen hoc, videamus.

Chriſtiani nomen eſt titulus honoris.

110. A chriſmate, quod vnctionem ſignificat, Patris Vnigenitus, qui in virginali matris vtero, præ omnibus conſortibus ſuis, tanquam omnium prædeſtinatorum primus, Eccleſiæque Caput, ac Pontifex Summus, oleo exultationis vnctus eſt, vocatus fuit Chriſtus, glorioſumque ad filios ſuos, quos ſibi ſacrâ Baptiſmatis vndâ peperit, nomen extendit: Chriſtianos illos dici voluit, vt quam ſuper illos ſpiritalem effudit vnctionem, ſanctum nomen exprimeret. *Vnxiſti me*, inquit Auguſtinus Chriſtum alloquens in ſoliloq. c. 13. *oleo tuo, quo tu vnctus fuiſti, vt a te Chriſto dicerer Chriſtianus.* Huc reſpexiſſe videtur Deus, dum Euangelici Vatis oraculo inquit Iſai. 43. 1. *Vocaui te nomine meo: meus es tu.* Sicut enim eiuſdem parentis filij, dum eodem genitoris cognomine gloriantur, illius ſe habere ſubſtantiam profitentur, & aliquando bonorum illius hæreditate potiuntur: ita qui Chriſtiani nomine decorantur, ſpiritualem Chriſti ſubſtantiam poſſidentes, illius nedum membra connumerantur, ſed etiam filij & hæredes. Immò cùm ingens Chriſti hæreditas inter immenſa Dei bona ſtatuta ſit, *hæredes Dei, & Chriſti cohæredes*, vt loquitur Apoſtolus *Rom.* 8. 17. Chriſtiani cenſentur.

Chriſtus ab vnctione ſic dictus.

D. Auguſt. Chriſtiani vncti ſunt.

Nomine & bonis Chriſti gaudent.

111. Verùm cùm juxta Philoſophos, nomina rerum eſſentias explicent, nouum quod à Chriſto fidelibus eſt inditum nomen, nouam in illis naturam, eamque ſpiritualem, quâ diuinæ conſortes naturæ efficiuntur, declarat. Chriſtianus enim idem eſt ac in Chriſto *noua Creatura*, vt dicitur 2. *Cor.* 1. 17. Cùm autem ab eſſentia rerum proportionatæ dimanent operationes; res enim ad hoc ſunt, vt operentur, & in actum reducantur: nam vt inquit Ariſtoteles, *vnumquodque eſt propter ſuam operationem*; nouæ ac eximiæ debent à Chriſtiano actiones procedere, vt ſe Chriſtianos non tantùm nomine, ſed etiam re eſſe declarent: nam vt docent Philoſophi, *operari ſequitur eſſe.* Hinc liquet Chriſtianos inertes, pigros, ac ſceleſtos, qui Chriſtum vocibus confitentur, & operibus negant, licèt fidem adhuc retineant; quia tamen illam charitate, timore, pœnitentiâ ac bonis operibus exſpoliant, impropriè, apparenter & nomine tenus Chriſtianos eſſe, & non ſecundùm rei veritatem. Sicuti enim ex defectu motus in re quæ nata eſt habere vitam, optimè colligunt Philoſophi illam non ampliùs viuere: ita ex defectu charitatis, ac bonorum operum, optimè colligitur, fidem in Chriſtianis eſſe mortuam, illoſque falſos, & non veros; mortuos, & non viuos exiſtere. Debet enim fidelis fidem ſuam bonis operibus oſtendere, & ex nouis, piis, ſanctiſque actionibus ſe à Chriſto, & in Chriſto renouatum probare. Vnde Apoſtolus *loc. cit.* inquit: *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.* Hoc eſt, cùm Chriſtianus per Chriſtum noua ſit creatura, relictis veteris hominis actibus; ita in vitæ nouitate debet ambulare, vt nouas, hoc eſt excellentes ac ſupernaturales amoris, pietatis, timoris, miſericordiæ, cæterarumque virtutum debet exercere operationes. Nam vt optimè notat D. Thomas *in cap.* 5. 2. *ep. ad Cor. lect.* 4. alludit Apoſtolus ad illud Leuit. 26. *Nouis ſuperuenientibus, vetera projicietis.* Et ideo, quia nouitas vitæ à Chriſto fideli collata, omnes debet projicere, ſeu rejicere vetuſtates, quæ tres ab eodem Angelico Doctore notantur, ſcilicet veteres legis Moyſis cæremoniæ, de quibus Rom. 7. 6. *Seruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ*; errores Gentilium, Iſai. 26. 3. *Vetus error abiit*; & corruptiones peccati, Rom. 6. 6. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, &c.* contrarias illis vitiis virtutum nouitates in actibus Chriſtiani eluceſcant oportet, vt ſedentis in Throno vox, quâ *Apocal.* 21. 6. pronuntiauit, *Ecce noua facio omnia*, in illo adimpleatur. Facit enim Chriſtus in nobis omnia noua, dum gratiâ ſuâ non ſolùm nos ad benè agendum præueniendo excitat, ſed etiam concomitando roborat, ac ſubſequendo perficit & coronat. *Omnia enim opera noſtra operatur in nobis Dominus*, vt dicitur *Iſai.* 26. 12. non quidem vt nihil nos faciamus, ſed vt ab eo moti agamus, & excitati: nam licèt *voluntas à Domino præparetur*, vt dicitur *Prouerb.* 8. & ipſe operetur in nobis *velle & perficere*, vt ait Apoſtolus *Philip.* 2. 18. tamen & nos verè volumus, & verè operamur: nam vt ait D. Auguſt. lib. de gratia & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt, nos velle cùm volumus, ſed ille* (ſcilicet Deus) *facit vt velimus. Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſeruetis, & faciatis.* Ezech. 36. 27.

Chriſtiani nomen, nouam in Chriſto creaturam ſignificat.

Debent Chriſtiani bonis operibus inſudare.

Inertes & pigri Chriſtiani non ſunt.

D. Thom.

Debet Chriſtianus vt noua creatura, tres vetuſtates projicere. Legis Moyſis cæremonias, gentilium errores, & corruptiones peccati.

Chriſtus in nobis facit omnia noua.

D. Auguſt.

Cùm ergo in Chriſtiano per fidem & charitatem, tanquam in throno maneat Chriſtus, in illo debet manere Chriſtianus: huius autem manſionis in Domino euidens ſignum eſt, & infallibile bona Chriſtiani operatio, eiuſque accurata actionum Chriſti imitatio. Etenim vt dilectus Chriſti diſcipulus loquutus eſt, 1. Ioan. 2. 6. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Hoc eſt, nuſquam in via virtutis quieſcere, ſed ſemper vlteriùs procedere, ac de virtute in virtutem, vt ſicuti ſemper ætate creſcit homo, ac nuſquam in eodem ſtatu permanet: 112.

112. Chriſtus in Chriſtiano, & Chriſtianus in Chriſto.

manet : ita ſemper virtutibus, ac piis ſanctiſque operationibus progrediatur Chriſtianus, in hoc Dominum ſuum imitatus, qui vt dicitur Luc. 2. 51. *Proficiebat ætate & gratia apud Deum & homines.* Vt enim ait Sapiens Prouerb. 4. 18. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Hinc Gregorius Nyſſenus *ep. ad Harmanium*, Chriſtianiſmum definit eſſe *Imitationem diuinæ naturæ.* Cùm autem Deus, vt docet D. Thomas plnribus in locis, ſit actus puriſſimus, & nuſquam ab actione ceſſet ; ſemper enim agit tum actionibus immanentibus, quibus ad intra Verbum producit, ac diuinum ſpirat amorem ; tum illis quibus creaturas admirabili prouidentiâ, ſapientiâ, potentiâ ac bonitate conſeruat, regit ac gubernat : vnde & Chriſtus *Ioan.* 5. 17. inquit : *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor* ; vt illum Chriſtianus imitetur, nouos ſemper debet exantlare labores, ac perpetuò bonis operibus inſudare. Vnde & Apoſtolus Eph. 5. 1. *Eſtote*, inquit, *imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.* Vbi gentium Doctor fideles Dei filios chariſſimos appellat, eoſque optimi parentis imitatores dicit, ſi in dilectione ambulauerint, hoc eſt, ſi in charitate fundati & radicati, ad gloriam, & propriam, aliorumque ſalutem opera bona diuerſarum virtutum exercuerint. Nam cùm charitas filiorum Dei character ſit, illo orbati cenſebuntur, qui ſanctas non produxerint actiones ; ſiquidem vt inquit D. Greg. hom. 30. in Euang. *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis.* Cùm enim amor ignis quidam ſit, non poteſt non agere. Vnde vt idem inquit Gregorius : *Amor Dei nunquam eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt ; ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Notanter autem juxta Pauli conſilium, vt Deum tanquam parentem Chriſtiani tanquam filij chariſſimi imitentur, debent Chriſti veſtigiis inhærere, & poſt ipſum in dilectione ambulare, quia cæteræ omnes, ſiue Theologicæ, ſiue morales, quibus exornantur, virtutes à charitate vel formam recipiunt, vel perfectionem, & complementum. Quod idem Apoſtolus inſinuat 1. *Cor.* 13. vbi omnium virtutum moralium actus, & Theologicarum perfectiones vni attribuit charitati, vt prædictum capitulum legenti patebit. Vnde D. Auguſt. ſerm. 39. de temp. *Sicut radix*, inquit, *omnium malorum eſt cupiditas, ita & radix omnium bonorum eſt charitas. Totam magnitudinem, & latitudinem diuinorum eloquiorum poſſidet charitas, quâ Deum proximumque diligimus.* Et infrà eiuſdem charitatis in diuerſis virtutibus actus deſcribens, ſubdit Auguſtinus : *Hæc in Abel per ſacrificium grata, in Noe per diluuium ſecura, in Abraha peregrinationibus fideliſſima, in Moyſe inter iniurias leniſſima, in Dauid tribulationibus manſuetiſſima, in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis ſæuos ignes fortiter tolerat. Caſta in Suſanna erga virum, in Anna poſt virum, in Maria præter virum.*

Greg. Nyſſ.
Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ.

Ergo ſemper benè operari debent Chriſtiani.

In dilectione ambulandû, ideſt operandum.

Greg. Mag.

D. Auguſt.

Radix omnium bonorum charitas.

113. Itaque dum in charitate Chriſtianus jubetur ambulare, in cæteris virtutibus jubetur exerceri. Sicut enim *qui diligit proximum, legem impleuit*, vt dicitur *Rom.* 13. 8. quod intelligitur implicitè, & virtualiter, in quantum præcepta moralia, quibus homo ad proximum rectè ordinatur, in hoc verbo inſtaurantur, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, vt notat Apoſtolus *ibid.* 10. ita vt ſigillatim, & diſtinctè præcepta quibus ad Deum, & ad proximum regulamur, adimpleat, omnium virtutum, tum theologicarum, tum etiam moralium actus tenetur elicere, vt ſimul dum in charitate ambulat, in aliis virtutibus progrediatur, & tandem ad chriſtianæ perfectionis apicem perueniat. Quod optimè dixit Sapiens *Sap.* 6. 19. dum ait, *dilectio cuſtodia legum illius eſt.* Amore enim Dei leges illius ſeruantur, & legum obſeruationes Dei, ſeu ſapientiæ dilectione nobilitantur. Vnde ſubditur ibidem : *Cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt ; incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.* Quæ omnia conſonant cum verbis Apoſtoli, quibus *ibid.* 11. concludit dicens : *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Quod à D. Thoma *ibid. lect.* 3. hac ratione confirmatur. Vnumquodque perficitur in aſſequutione ſui finis, ſicut homo tunc verè perfectus eſt, dum finem vltimum, nempe Deum, æternâ beatitudine poſſidet. Sed legis à Deo hominibus datæ finis eſt charitas, vt expreſsè docet Apoſtolus 1. Tim. 1. 5. *Finis præcepti eſt charitas.* Ergo tota legis perfectio in charitate conſiſtit. Quamvis autem in loco quem exponimus, Apoſtolus de dilectione proximi dumtaxat loquutus ſit, non excluſit dilectionem Dei, quæ in proximi dilectione ſemper & inuoluitur, & intelligitur : proximus enim dum ex charitate diligitur, propter Deum diligitur, & ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, ſicut cauſa in effectu : vnde 1. *Ioan.* 4. 21. dicitur : *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Et ſimiliter dilectio proximi includitur in dilectione Dei, ſicut effectus in cauſa. Vnde *ibid.* 20. habetur : *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Hinc eſt quod in ſacra Scriptura aliquando fit tantùm mentio de dilectione Dei, quaſi ſufficiat ad ſalutem, vt Deuter. 10. 12. *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum, & ambules in viis eius, & diligas eum.* Aliquando autem fit tantùm mentio de dilectione proximi, 1. Ioan. 15. 17. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.*

In charitate cæteræ coadunantur virtutes.

Res perficitur in aſſecutione ſui finis.

In dilectione proximi, dilectio Dei : & in dilectione Dei, dilectio proximi includitur.

Chriſtianns igitur qui fidem ſuam probare debet ex operibus, ac in dilectione ambulare, ſicut Chriſtus dilexit eum, Deum & proximum diligendo, erga vtrumque opera debet exercere virtutum, vt glorioſi nominis, cuius titulo decoratur, merito ac dignitate exornetur. Tunc enim Chriſti Domini, qui vt Deum glorificaret, hominesque diuinæ gloriæ conſortes efficeret, continuò cum hominibus viuens laborauit, pias ac ſanctas imitabitur actiones. Si autem non ſatagat per bona opera vocationem ſuam ac electionem certam facere ac conſummare, ſe tanto nomine prorſus agnoſcat indignum : vt enim ait D. Maximus Serm. de natiuit. Domini : *Chriſtianus nemo dicitur rectè, niſi qui Chriſto moribus, prout valet, coæquetur.* Quod etiam eleganter proſequutus eſt D. Auguſtinus lib. de Vita Chriſtiana : *Ille*, inquit, *verè Chriſtianus eſt, qui miſericordiam facit, qui nullâ omninò mouetur iniuriâ, qui alienum dolorem tanquam proprium ſentit, cuius menſam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur ; qui terrena contemnit, vt poſſit habere cœleſtia ; qui opprimi pauperem ſe præſente non patitur, qui miſeriis ſubuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis : quod benè faciebat Paulus* 2. *Cor.* 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* Et infrà concludit : *Chriſtiani nomen ille fruſtra ſortitur, qui Chriſtum minimè imitatur. Quid enim tibi prodeſt vocari quod non es, & nomen vſurpare alienum ?* Hæc ille. 114.

Chriſtus ſemper laborauit.

D. Maximus.

D. Auguſt.

Dotes Chriſtiano requiſitæ.

Chriſtianus Chriſtum debet imitari.

Iudæis

115. Iudæis olim ſe ex Abraha ſatos gloriantibus amantiſſimus dixit Redemptor, *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Ioan. 8. 39. Filij Dei non tantùm nominantur, ſed etiam mirâ circa illos Dei charitatis dignatione verè ſunt Chriſtiani, vt atteſtatur dilectus Domini diſcipulus 1. Ioan. 3. 1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus?* Debent ergo operibus bonis Dei filiationem manifeſtare, exornare, immò & coronare. Sed cùm ipſum pretioſum Chriſtiani nomen pretioſa corona ſit, quâ filij Dei hac in peregrinatione decoramur, vt inquit Procopius *in Iſaiam cap. 66.* dum ait, *A Chriſto Chriſtiani nominis appellatione, veluti coronâ redimimur*; illi ſanctas operationes, veluti fulgentiſſimas margaritas, lucentes gemmas, pulchras vniones, ac ſplendidos adamantes ſuperaddere tenemur, vt omni ex capite pretioſa corona refulgeat. Cúmque illa, quâ in hac vita nominis Chriſtiani redimimur corona, ad immortalem ac immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam, propter quam militamus, præparet ac diſponat, ad ſanctas nos excitat & mouet actiones, vt hanc è manu Dei in virtuoſarum operationum præmium recipiamus: nam vt inquit Apoſtolus 2. Tim. 2. 5. *Qui certat in agone, non coronabitur, niſi legitimè certauerit.* Milites etenim ſumus Chriſti; & ſicuti militum huius ſeculi finis victoria eſt, quæ nuſquam, niſi profligatis hoſtibus, comparatur; ita & Chriſtianæ militiæ ſcopus victoria eſt, ſed illa quâ debellatis cunctis aduerſariis, in Regni cœleſtis admittimur poſſeſſionem. Debet ergo quilibet Chriſtianus audacter in arenam deſcendere, ac ſtrenuò in ſtadio huius vitæ cum hoſtibus dimicare. *Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti*, inquit Apoſtolus 2. *Tim.* 2. 3. Tria ſunt autem contra quæ militare tenetur Chriſti miles, vt notat Doctor Angelicus *ibid. lect.* 1. Primò enim debet pugnare contra peccata, quæ gratiam Dei ab eius anima expellunt, & illum Dei inimicum conſtituunt; ſimulque contra tria peccati incitamenta, nempe contra carnem, mundum, & diabolum arma capeſſere. Secundò contra errores, quibus fidei vnitas, ac puritas labefactantur, & ſchiſma in Eccleſia inducitur. Vnde Apoſtolus 2. *Cor.* 10. 4. ait: *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, &c.* Tertiò denique contra tyrannos, qui blanditiis, minis, ac ſuppliciis, tum a fide, tum à pietate Chriſtianum conantur auertere. Debet enim fidelis reſiſtere, & fortis in fide ac dilectione ſanguinem potiùs fundere, quàm huiuſmodi hoſtibus acquieſcere; vnde hæc pugna cæteris laborioſior eſt, vt aduertit D. Thomas, ac perfectior: nam vt dicitur Ioan. 15. 13. *Maiorem charitatem nemo habet, niſi vt animam ſuam ponat quis pro amicis.* Cùm ergo contra huiuſmodi teneatur Chriſti miles bellare hoſtes, ita vt ſemper contra peccata, & dum opus eſt, contra errores ab hæreticis diſſeminatos, & tandem contra infideles ac tyrannos Eccleſiam vexantes ac vaſtantes prælietur; nonne hominis Chriſtiani vita actione commendatur, ac bono opere coronatur? Nullus ergo de fide inerti ac otioſa glorietur: nullus in hac vita otium quærat; ſi enim opus à fide abſtulerit, etiam ab illa vitam auferet: dum fidei Chriſtianæ nomen dedit, militiæ Chriſti adſcriptus eſt, ac conſequenter ei per totam vitam laborare ac militare competit.

Bonis operibus Dei filiationem comprobet.

Chriſtiani nomen corona eſt.

Ad gloriæ coronam diſponens.

Finis militũ victoria.

Contra tria debet militare Chriſtianus. cõtra peccata errores, & tyrannos à fide retrahentes

Nuſquam Chriſtianus ſine actione.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

116. Hinc intelligetur modus loquendi dilecti Domini diſcipuli, dum fidem non ſolùm victricem, ſed etiam victoriam appellat. *Hæc eſt*, inquit, *victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* 1. Ioan. 5. 4. vbi in ſenſu cauſali fides victoria dicitur, quia illa eſt quæ fidelem mouet ad obtinendum ſupra mundum ac concupiſcentiam eius inſignem ac glorioſam victoriam. Cùm autem mundus, aliique qui hoc nomine Animæ Chriſtianæ comprehenduntur hoſtes, ſine labore, pugna ac præliis vinci nequeant; fidem Chriſtianam hominem ad agendum ac operandum incitare conſtat. Vnde *Hebr.* 11. 33. inquit Apoſtolus: *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, &c.* Niſi enim vera, germanaque fides ad militandum, ac vincendum impelleret, per eam nec ſancti Reges ſuperaſſent, nec iuſta opera exercuiſſent, nec tandem per illam gloriam vincentibus promiſſam obtinuiſſent. Hac victrice fide acti ſunt Chriſtiani illi Aſiatici, qui vt refert Tertullianus ad Scapulam, Arrio Antonino Eccleſiam perſequente, omnes illius ciuitatis ante tribunalia ſe manu factâ obtulerunt: illique qui numero viginti millia igni conflagrare maluerunt, quàm ad Diocletiani præceptum in die natali Chriſti tantillum à Chriſtianæ Fidei ſtabilitate deflectere, vt refert Rom. Martyrolog. ad diem 25. Decembris.

Fides dicitur victoria in ſenſu cauſali, quia facit vincere.

Fortes Chriſtiani ſub Arrio Antonino, ac deinde ſub Diocletiano.

117. Non ergo à fide vacua, inani, otioſa, aut informi; ſed ab illa quæ formata, viua, operatrix ac victrix nuncupatur, dignitatem ſuam ſortitur Chriſtianus, ac per illam debet inceſſanter operari, vt mercedem vitæ æternæ, quæ adultis ſemper per modum præmij ac coronæ conceditur, recipere mereatur. Vnde & Chriſtus Dominus fidem otioſam ac mortuam reprobauit; viuam verò & agentem laudauit, dum ait Matth. 7. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Non enim fides præciſè, ſecluſâ charitate, & Dei mandatorum obſeruatione, Deo placet, aut æternam gloriam conſequi valet: immò ſine operibus non poteſt vera & perfecta fides reperiri; operatio enim, juxta D. Auguſtinum, in illius nominis etymologia includitur. *Attende*, inquit Auguſt. ſerm. 237. *ad ipſum fidei nomen; fides enim appellata eſt, quia fit quod dicitur: duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides: prima ſyllaba a facto, ſecunda eſt à dicto. Interrogo te, verum credas; dicis, Credo: fac quod dicis, & fides eſt.* Hæc Auguſt.

Fidem mortuam reprobat Chriſtus, viuam & agentem laudat.

D. Auguſt.

Fides à facto & dicto deriuatur.

118. Hac fide quæ per charitatem operatur, ſaluatur omnis qui adultus ad vitam recipitur æternam, & ſine illa nullus iſtam ſalutem aſſequitur. Hac fide peccatrix illa in Euangelio celebris, ſalutem ac veniam peccatorum accepit. Etenim non ſolùm in Chriſtum peccatorum Redemptorem credidit, ſed ipſum ardentiſſimè dilexit, ac dilectionem ſuam operibus manifeſtauit. Nam *vt cognouit quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*, vt legitur *Luc.* 7. 38. quibus actibus à Domino remiſſionem ſuorum conſequuta eſt delictorum, quam Saluator optimus feruentiſſimæ eius

Nullus adultus ſaluatur ſine fide formata charitate.

Fides Magdalenæ amore & operibus animata.

attribuit charitati, dum *ibid.* 47. Simoni inquit: *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et tamen peccatrici loquens Dominus, ſalutem eius fidei fuiſſe conceſſam aſſeruit, ibid. 50. *Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.* Qui modus loqoendi præcedenti non derogat: nam & fides peccatricem ſaluauit, & ipſi multa dimiſſa ſunt peccata, ob maximam dilectionem; quia & fides charitati, & charitas fidei, in illa coniuncta erat, & per vtramque præſtantiſſima miræ deuotionis ac pietatis Saluatori exhibuit opera. Quod notauit D. Hieronymus, dum inquit: *Apertè hoc in loco demonſtratum eſt, mulierem iſtam habuiſſe fidem per charitatem operantem, quæ multùm valuerit in Chriſto.*

D. Hieron.

119. Dilectiſſimæ ſponſæ dixit amantiſſimus Saluator: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Cant. 8. 6. Vbi ſanè notandum eſt, ſponſum à corde, vbi primò ſe ponendum cupit, ad brachium facillimè & citiſſimè tranſilire, quia dum Chriſtus per fidem & charitatem Chriſtiani cor occupat, ſtatim ad Illius brachium tranſvolat, vt illud ad agendum applicans, in ſanctas ac pias fidelem moueat operationes. Quod eleganter proſequitur Ambroſius *lib. de Iſaac & anima, cap.* 8. vbi ait: *Signaculum Chriſtus in fronte eſt, ſignaculum in corde. In fronte, vt ſemper confiteamur; in corde, vt ſemper diligamus. Signaculum in brachio, vt ſemper operemur. Luceat ergo imago eius in confeſſione noſtra; luceat in dilectione; luceat in operibus & factis, vt ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis. Ipſe ſit caput noſtrum, quia caput viri Chriſtus. Ipſe oculus noſter, vt per ipſum videamus patrem. Ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad patrem. Ipſe dextera, per quam Deo Patri ſacrificium noſtrum offeramus. Ipſe quoque eſt ſignaculum noſtrum, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne.* Hæc Ambroſius, quibus luculenter Chriſtiani hominis mores & actiones deſcribit, eiuſque cum Chriſto non ſolùm vnionem intimam, ſed etiam accuratam eius imitationem inculcat.

Chriſtus ſignaculum eſt in fronte, in brachio, & in corde Chriſtiani.

D. Ambroſ.

120. Quæ omnia manifeſtè indicant, Chriſtianum neminem dici poſſe, niſi qui fide ornatus, ſpe erectus, ac charitate ſuccenſus, Chriſti actiones per bona opera imitatur: ita vt diuinum illud ſignaculum, eius fronti, cordi, ac brachio impreſſum, per confeſſionem fidei, per dilectionem, ac tandem per operationem omnibus appareât.

121. Hoc ſignaculum habuit mulier in ciuitate peccatrix, de qua modò loquuti ſumus, & ſimul ac in corde ſuo illud poſuit, atque hinc ad frontem, & ad brachium proſiliuit, omne ab ea delictum expulit, gratiamque attraxit. Cor eius vulnerauit, dum intrauit, & inde profanum ejiciens, caſtiſſimum ſanctiſſimumque introduxit amorem. Frontem armauit, vt ſimul Chriſtum Redemptorem, & ſeipſam nefandiſſimam peccatricem confiteri non erubeſceret. Immò *faciem eius totam ferream reddidit*, vt ait S. Ephrem Syrus ſerm. de Peccatr. *vt non inuitata irrueret conuiuio, vbi ſuus medicus recumbebat, & quæreret piâ impudentiâ ſanitatem,* ſicut loquitur Auguſt. *lib.* 50. *homil. hom.* 23. *tom.* 10. ac tandem brachium ad agendum admouit, vt ſcilicet capillis tergeret pedes, quos lachrymis irrigarat; & vngoento vngeret, quos laſciuiæ ac turpis vitæ actibus ſauciarat. At ex quo Chriſtum tanquam ſigillum recepit, nuſquam amiſit: eo in corde ſignata fuit jugi ferventique dilectione: in fronte tulit per crucis eius non ſolùm impreſſionem, ſed etiam publicam profeſſionem; ac in brachio ſeruauit per continuam ac indefeſſam pietatis actionem, quam reliquo vitæ tempore inceſſanter exercuit. Parum dixi, etiam poſt mortem ſigilli huius impreſſionem cuſtodiuit fideliſſima Magdalena; ſanctis in eius adhuc fulget exuuiis, & pars illa carnea frontis, quæ rediuiui Saluatoris contactu nobilitata fuit, dum illi ipſum tangere prohiberet, vt legitur *Ioan.* 20. 17. cæteris incineratis, per ſexdecim & amplius ſecula nullam ſciuit corruptionem. Extat hactenus viuida, firma, ſana, immò & aliquantulum rubea in capite ſanctiſſimæ Pœnitentis, quod auro gemmiſque à Carolo II. Siciliæ & Ieruſalem Rege, Prouinciæ Comite, fulgente in icone collocatũ, detractâ laruâ aureâ videtur. Vidi & ego qui hæc ſcribo, & ſæpius veneratus ſum, ac rem ſtupendam demiratus, dum anno Domini 1668. per Aduentum, & 1669. per ſacræ Quadrageſimæ dies in magnificentiſſima à præfato Carolo conſtructa, ac Fratribus Prædicatoribus conceſſa, ad honorem Dei & Mariæ Magdalenæ Baſilica apud Sanctum Maximinum conciones haberem. Indeque intellexi, omnem hominem diuinâ gratiâ ad Chriſtum conuerſum, illum tanquam ſigillum in corde, fronte, ac brachio per fidem ac charitatem recipere: ad quod ſignaculum per totam vitam cuſtodiendum, nulli labori debet parcere, ſed jugiter fidem per dilectionem operantem exhibere.

S. Ephrem.

D. Auguſt.

Magdalena Chriſtum ſe ſignaculum habuit in corde, fronte, & brachio.

Etiam poſt mortem ſigillum hoc in fronte ſeruat Magdalena.

Caput Magdalenæ auro gemmiſque refulgens, in fronte exhibet tactum manus Saluatoris rediuiui.

§. IV.

Malè agentes Chriſtiani hoc nomine exſpoliantur, ac pœnis æternis addicuntur.

122. QVi in Chriſtum credit, eiuſque mandata non cuſtodit, in ſe diuiſus eſt, idque negat opere, quod voce confitetur, ſeque reuera à Chriſto alienum, & Chriſtiano indignum titulo probat. Nam vt Melliſluus Doctor Bernardus ait in ſent. *Chriſtiani à Chriſto nomina acceperunt: operæpretium ergò eſt, vt ſicut ſunt hæredes nominis, ita ſint imitatores ſanctitatis.* Quare licèt omnia quæ à perditis hominibus perpetrantur crimina, ſemper crimina cenſeantur, impoſſibile enim eſt malum ex ſe bonum fieri; illudque quod contra rectam rationem ex natura ſua militat, ab ipſa ratione approbari: peſſima tamen ſunt, cæteris paribus, quæ à Chriſtianis committuntur facinora; legem enim quam approbant, ſuâ impietate condemnant: Deum quem colunt, contemnunt; & ipſam quam ſectantur juſtitiam ac ſanctitatem, totis viribus impugnant, deſtruunt, conculcant. Vnde inſanos ac ſtultos Chriſtianos contra id quod credunt ac colunt operantes, appellauit ſapientiſſimus Ioannes Picus Mirandulæ Comes *ep.* 10. dum ait: *Magna inſania Euangelio non credere, cuius veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Dæmones confitentur: ſed longè maior inſania, ſi de veritate Euangelij non dubites; viuere tamen, quaſi de eius falſitate non dubitares.*

Improbus Chriſtianus negat opere quod voce confitetur.

D. Bernard.

Chriſtianorum delicta maiora.

Inſaniunt mali Chriſtiani.

Verè

123. Verè etenim inſipientes ac ſtulti ſunt, vel malè operantes, vel nihil prorſus agentes Chriſtiani: tum quia æternæ ac incarnatæ Sapientiæ, eiuſque ſanctiſſimis legibus opponuntur. Tum quia immergunt ſenſum ſuum rebus terrenis, atque ex hebetudine cordis, & obtuſione ſenſuum inepti redduntur ad percipienda diuina, juxta illud 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*; in quo conſiſtit ſtultitia, quæ importat quendam ſtuporem ſenſus in judicando, & præcipuè circa altiſſimam cauſam, quæ eſt finis vltimus, & ſummum bonum. Hæc autem ſtultitia peccatum eſt, & pœna peccati, & præcipuè luxuriæ, cuius filia à D. Greg. *lib.* 31. *mor. cap.* 31. appellatur, vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 46. *art.* 2. & 3. Quàm ergo malorum, ac inertium Chriſtianorum miſeranda conditio eſt, cùm verâ ſapientiâ careant, ac de illis dicere liceat, quod aliàs Paulus Apoſtolus de Gentilium ſapientibus pronuntiauit Rom. 1. 22. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Etenim fides iſtorum orbata charitate, juſtitiâ, ac bonis operibus deſtituta, immò & ſceleribus obnubilata, obſcuratum eorum cor non inflammauit, nec illuminauit; & dum ſe Chriſtianos eſſe, ideſt Dei ſapientes, profitentur, morum prauitate inſipientes, ac ſtulti apparuerunt. Quid ergo illis prodeſt nomen ſanctum, quod impietatis operibus inhonorant? Quid fidei lumina, quæ peccatorum tenebris obnubilantur? Quid Chriſti confeſſio, quæ malis actibus reuocatur? Quid denique Sacramentorum ſuſceptio, quæ tot, tantiſque reatibus polluitur? Vnde meritò Sapiens, mouente Spiritu ſancto, ſcripſit Prou. 17. 16. *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cùm ſapientiam emere non poſſit.* At non loquitur hic de corporalibus, ſeu temporalibus diuitiis, quibus nequicquam ſapientia etiam ſecularis poteſt emi; ſed de ſpiritualibus fidei diuitiis, quibus charitate ac piis actionibus ſpiritalem ſapientiam, immò & ſalutem æternam poſſumus comparare. Si autem Chriſtianus diuitias fidei abſque charitate & gratia poſſideat, ſapientiâ orbatur, ac ſtultus efficitur, atque in flebili ſtatu conſtitutus, nec ſapientiam, nec gratiam, nec ſalutem conſequi valet æternam. Vnde D. Hieronymus præfata Sapientis verba ſic exponit: *Quid malo Catholico expedit diuitias habere veræ fidei, cùm ſapientiam piæ actionis habere neglexerit?*

Stultitia peccatorum.

Filia luxuriæ.

Spirituales fidei diuitiæ quibus ſalus æterna emitur.

D. Hieron.

124. Non ſolùm flagella duriſſima ſuſtinuit Dominus ab impiis Pilati militibus, à quibus etiam ſpineo diademate coronatus fuit, ſed inſuper ſimulatis irriſus venerationibus, veriſque opprobriis, ac iniuriis fuit laceſſitus: nam vt legitur Matth. 27. 29. *Genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Hos imitantur, immò & ſuperant peſſimi Chriſtiani, illi etenim, quem hominem reum exiſtimabant, contemnebant, & venerabantur: adorabant, & percutiebant: Regem vocabant, & tanquam vile mancipium aſpernabantur. Hi autem quem Deum credunt, Regem colunt, & Redemptorem confitentur, & irrident: labiis extollunt, & manibus deprimunt: ante ipſum flectunt genua, ſed non corda: eius maieſtatem adorant, & in illam exſpuunt: protectorem inuocant, & percutiunt; & vt omnia vno verbo dicam, quem Baptiſmate, & Religione Saluatorem confitentur, vitâ & moribus negant, reprobant, condemnant. Quod notauit D. Thomas præfata Matthæi verba exponens, dum ait: *Significantur per iſtos* (Pilati milites) *illi qui voce confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, ad Tit. 1. 16. Quis ergo ſanæ mentis iſtos vocabit Chriſtianos? Sanè nullus eſt, qui Chriſti hoſtes infenſiſſimos eius diſcipulos dicat: qui Saluatoris deriſores, eius cultores appellet. Vnde neceſſariò ſequitur, ſic in Eccleſia viuentes, vt eius caput prauis actibus percutiant, Chriſtiano nomine eſſe prorſus indignos.

Chriſti irriſores à malis Chriſtianis imitati.

D. Thom.

125. Morti addixit olim Metium Pompoſianum Imperator Domitianus, vt refert Suetonius in eius vita, *cap.* 10. eo quòd ille Magonis & Annibalis illuſtrium Ducum nomina ſeruis impoſuiſſet. Alexandrum, ignauum militem, vocari vetuit Magnus Alexander, teſte Curtio, niſi ille ſe Alexandri animos & decora promitteret imitaturum. Ergo Chriſtiani nominis honore priuentur, qui ſeruiliter, gentiliter, & ignauè viuunt: ſed maiori pœnâ puniuntur, quia non ſolùm ſanctiſſimum nomen inhonorant, ſed Dominum, à quo illud habent, ſcienter lædunt, ac violenter percutiunt. Peccarunt quidem Pilati milites Chriſtum irridentes ac vexantes, ſed eius neſciebant dignitatem. Peccarunt & qui cruci eum fixerunt, ſed illius maieſtatem ignorabant; *ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, vt ait Apoſtolus 1. Cor. 2. 8. Sed magis peccant, qui fide illuminati, Chriſtum Dei Filium, ac Dominum gloriæ cognoſcunt; & tamen prauis motibus, & impiis actibus irrident, lædunt, vexant, & iterum in ſemetipſis crucifigunt.

Illuſtrium virorum nomen, vel ignauis, vel ſeruis imponere non licet hominibus.

Improbi ergo nomine Chriſtianorum indigni.

126. Dionyſio Syracuſano Regi alapam impegit olim quidam, ex vultus cum alio, quem volebat percutere, deceptus ſimilitudine: ſed percuſſor iſte ſtatim captus, ac in carcerem, vt illatæ Regi iniuriæ pœnas lueret, detruſus eſt. At noluit Dionyſius deceptum hominem puniri. *Non ille* (inquit) *me iniuriâ affecit, quia me alium eſſe exiſtimauit; ſed illum, quem me eſſe credebat: illi ſatisfacere debet, non mihi.* Si autem Regem iſte percuſſor cognouiſſet, haud dubium maieſtatis reus capitali ſententiâ plexus fuiſſet. Ex quo patet, Iudæos, Pilati milites, Gentiles, alioſque infideles, qui in Chriſtum, quem tantùm hominem exiſtimabant, ex errore quo decipiuntur, multò minùs peccare, quàm Chriſtianos, qui Chriſtum Dei Filium agnoſcunt, Regem regum adorant, & omnium Redemptorem ac Saluatorem confitentur: & tamen in illum audent inſurgere, ipſi iniurias irrogare, & negare actionibus quem verbis profitentur. Vnde Saluianus Maſſilienſis Eccleſiæ decus, *lib.* 3. *de gubernatione Dei*, inquit: *Omnis Chriſtianorum culpa diuinitatis iniuria eſt. Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus: ipſa enim errores noſtros religio, quam profitemur, accuſat.*

Dionyſius Rex alapâ percuſſus.

Neſcientes perſonæ dignitatem, minùs in illam, quàm ſcientes peccant.

Peccatum Chriſtianorum grauius peccato crucifigentium.

Saluian.

127. Non ergo Chriſtianus cenſendus eſt qui Chriſtum inhonorat: tunc enim non amplius Chriſti eſt, ſed contra Chriſtum morum prauitate militat, ac conſequenter quod non implet, nomen amittit. Vt enim docet Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 124. *art.* 3. *ad* 1. Chriſtianus dicitur qui Chriſti eſt. Dicitur autem aliquis eſſe Chriſti, non ſolùm ex eo, quod habet fidem Chriſti; ſed etiam ex eo, quod ſpiritu Chriſti ad opera virtuoſa procedit, ſecundùm illud ad Rom. 8. 9. *Si quis ſpiritum Chriſti*

D. Thom.

Chriſtianus dicitur qui Chriſti eſt.

Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et etiam ex hoc, quod ad imitationem Chriſti peccatis moritur, ſecundùm illud ad Gal. 5. 24. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Vbi S. D. paucis comprehendit ea quæ ad verum Chriſtianum requiruntur, nempe fidem ex charitate operantem, & perfectam Chriſti imitationem: nam vt ait Saluianus lib. 4. de prouidentia: *Qui Chriſtiani nominis opus non agit, Chriſtianus non eſſe videtur; nomen enim ſine actu atque officio ſuo nihil eſt. Quid eſt aliud Principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? Aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua, Prou. 11. In nobis itaque Chriſtianum vocabulum quaſi aureum decus eſt, quo ſi indignè vtimur, ſit vt ſues cum ornamento eſſe videamur.* Hæc Saluianus, quibus nihil à nobis addendum putamus, cùm optime concludant ad noſtrum hoc in diſcurſu intentum.

Saluian. Nomen, ſine actu Chriſtiani, nihil eſt.

ELVCIDATIO II.

De ſpeciebus & rebus Euchariſtiæ.

QVia in duobus, quos nouiſſimè expoſuimus, textibus D. Thomas de fide generoſa, ſeu animoſa, ad miracula, quæ in Euchariſtiæ myſterio continentur, capienda, neceſſaria eſt, loquutus ſtatim de ſpeciebus diuerſis in hoc Sacramento manentibus, ſub quibus res eximiæ latent, ſermonem habuit: ideo vt eius mens omninò pateat, poſtquam in præcedenti elucidatione de fide fusè tractauimus, placet modò de ſpeciebus, ſeu de accidentibus remanentibus in hoc myſterio, & de rebus eximiis quæ ſub illis latitant, pertractare.

SECTIO PRIMA.

Species, ſeu accidentia panis & vini remanent in Euchariſtia ſine ſubiecto.

128. TRanſmutatâ, diuinâ verbi virtute, panis ſubſtantiâ in ſacratiſſimum Domini corpus, & conuerſâ in eius ſanguinem ſubſtantiâ vini, in tremendo Euchariſtiæ myſterio adhuc externa panis & vini effigies videtur, tangitur, deguſtatur. Sed vtriuſque ſimulachrum eſt, non veritas; ſpecies exteriores, non res; accidentia denique, quæ in pane & vino antea extiterunt, & quæ modò ab illis ſeparata diuinitus & miraculosè ſubſiſtunt.

Accidentia dumtaxat panis & vini ſunt in Euchariſtia.

129. Ab hoc dicendi modo, qui veriſſimus ac catholicus eſt, à Sanctis Patribus & antiquioribus Theologis propugnatus, & à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & nouiſſimè à Tridentino *ſeſſ.* 13. *Can.* 2. definitus, mirum in modum offenduntur hæretici, & torquentur Nouatores; vnde duo à nobis modò præſtanda ſunt, vt hanc veritatem ſtatuamus, ac contra hæreticos propugnemus. Primò oſtendemus, rationabiliter & congruè panis & vini remanere accidentia, eorum ſubſtantiâ conuerſâ in corpus, & ſanguinem Chriſti; & deinde ſine aliquo ſubiecto ſubſtantiali hæc accidentia diuinâ virtute ſubſiſtere oſtendemus.

Negant nouatores.

§. I.

Congruum fuit panis & vini ſpecies, ſeu accidentia remanere in Euchariſtiæ Sacramento.

DIuini Verbi Incarnationem ad redimendum hominem, eiuſque miracula tam in conceptione de Spiritu ſancto ex intemerata Maria Virgine, natiuitate, inter homines conuerſatione, quàm in eius morte, reſurrectione, aſcenſione, & Eccleſiæ ſuæ per vniuerſum orbem propagatione demiratus olim Vates Euangelicus Iſaias, illum Deum abſconditum appellauit, dum inquit: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.* Iſai. 45. 15. Etenim humani intellectus aciem adeo ſuperat Deus homo, vt illi omninò abſconditus videatur: verùm ſpeciali titulo in ſacroſancto altaris Sacramento abſconditus nobis eſt optimus, amantiſſimuſque Saluator. Hic *poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius*, vt dicitur *pſal.* 17. 12. Omnem creatam ſuperat hoc in myſterio cogitationem, omneſque qui eius ibi ſcrutantur maieſtatem, non à gloria, quæ ibi omninò inuiſibilis, ac inſenſibilis eſt, opprimuntur, ſed immenſâ tenebrarum caligine offunduntur. Verè & realiter, vt ipſe promiſit, jurauit, aſſeruit, hoc in Sacramento reperitur; ſed adeo latet, vt à nemine, niſi per fidem, & in caligine poſſit attingi. *In circuitu eius tabernaculum eius*; quod non immeritò panis & vini ſpecies dixerim: illis tegitur, inuoluitur, operitur, ac vmbroſo veluti tabernaculo circumdatur. Se tanquam diuinum Chriſtianis animabus præbet alimentum; at nuſquam per modum Sacramenti, ac realiter alit animas, niſi à corpore recipiatur; non recipitur, niſi manducetur; nec manducatur, niſi ſub ſpeciebus panis & vini, quas mirabili potentiâ hoc in corporis ſui Sacramento conſeruat. 130.

Chriſtus in Euchariſtia Deus abſconditus.

Chriſtus ſacramentaliter non manducatur, niſi ſub ſpeciebus panis & vini.

Primò, quia vt notat D. Thomas 3. *p.* *q.* 75. *art.* 5. non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile carnem hominis comedere, & ſanguinem bibere; & ideo carnem & ſanguinem ſuum nobis ſumenda exhibet Chriſtus ſub ſpeciebus illorum, quæ frequentiùs in vſum hominis veniunt, ſcilicet panis & vini. Quod eleganti ſtylo proſequutus eſt, qui à Græcis ſecundus Chryſoſtomus appellatur, Theophilactus *in cap.* 26. *Matth.* & 14. *Marc.* vbi ait: *Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis; ideo quidem panis apparet, ſed caro eſt.* 131.

D. Thom.

Theophilact. Ob noſtram infirmitatem Chriſtus his ſpeciebus obuoluitur.

Phthiſicos morbo laborantibus, vt priſtinæ reſtituantur valetudini, aptiſſima eſt teſtudinis caro; ſed quia horret homo turpis animalis, ſeu reptilis carnem, conſulunt rei medicæ periti, vt gallinarum pulli hac carne teſtudinis enutriti, in cibum iis offerantur ægrotis. Non diſſimili modo ſummus animarum Medicus, carnem ſuam omnium noſtrorum medelam vulnerum, ac ipſius ſpiritualis mortis antidotum, quam in propria ſpecie horremus (nefas enim eſſet corpus Domini dentibus dilaniare,) ſub aliena panis ſpecie nobis in cibum donat. 132.

Phthiſicos morbo laborantes miro modo curantur.

Secundò: Panis ſpecie corpus ſuum, & vini accidentibus ſanguinem tegit Chriſtus in Euchariſtia, ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, ſi ſub ſpecie propria Redemptor noſter à nobis manducaretur. Cùm enim Gentiles inter 133.

alia

Ne Chriſtus ab infidelibus irrideatur, carnem ſuam panis ſpecie tegit. *Tertull. Minut. Felix. Iuſtin. Mart.*

alia crimina quæ Chriſtianis exprobrabrabant, carnium humanarum manducationem poſuerint, vt patet ex Tertulliano *in Apolog. cap.* 7. ex Minutio Felice *in Octauio*, ex Iuſtino Martyre *in Apol.* 2. *ad Antoninum Imperatorem*, & ex Athenagora *in Apologia ad eundem*; quid non dixiſſent ſi abſque accidentium velamine corpus & ſanguis Chriſti nuda, & in propria ſpecie à Chriſtianis ſumerentur? Sanè adeo reconditum eſt humanæ menti hoc ſacramentum, vt antiquus quidam Philoſophus, qui in omnibus aliis Chriſtianam Religionem approbabat, in hoc vno corporis Domini myſterio improbauerit, quia ſcilicet exiſtimabat Deum Chriſtianorum ab illis more carnis pecudum manducari, diſcerpi, & dilaniari; aiebat enim: *Lex Iudæorum lex puerorum, lex Chriſtianorum mihi placet; ſed quia Deum ſuum deuorant, pereat anima mea cum animabus Philoſophorum.*

134. Vt fulgens corporis immortalis Chriſti gloria temperetur, ſpecie panis operitur.

Tertiò: Accidentia panis & vini in Euchariſtia remanent, vt ſplendidiſſimam corporis glorioſi & immortalis temperent maieſtatem. Cùm enim corporis Chriſti gloria cæterorum corporum gloriam ſuperet, immenſus eius erit fulgor, ita vt nec ab aliquo ſenſo mortali poſſit attingi: nam ſi filij Iraël non poterant intendere *in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur*, vt dicitur 2. *Cor.* 3. 7. quomodo poſſent homines corporis Domini immortalis & glorioſi fulgorem, qui nuſquam minuitur, ſuſtinere? Quomodo poſſent hoc corpus aſpicere, tangere, manducare, deglotire ac in ſthomacum inferre? Oportuit ergo vt accidentium velamine coopertum, & quodammodo obnubilatum glorioſum illud corpus in ſacramenti ſpeciebus per per modum alimenti nobis concederetur.

135. Ob fidei noſtræ meritū.

Quartò corpus & ſanguis Domini panis & vini accidentibus inuoluta in hoc Sacramento exhibentur, ad meritum noſtræ fidei; quæ cùm ſit *argumentum*, ſeu conuictio *non apparentium*, vt loquitur Apoſtolus *Heb.* 11. 1. optimè exercetur erga corpus Chriſti ſpeciebus panis velatum & abſconditum, magnamque apud Deum mercedem meretur, dum contra id quod ſenſus viſûs, tactûs, guſtûs & odoratûs enuntiant, ſoli morem gerit auditui, & verbis Domini aſſerentibus, hoc non panem & vinum, ſed corpus ſuum & ſanguinem eſſe, firmiter adhæret & credit: ſic enim quod non valet vel ſenſus, vel intellectus viribus naturalibus corpus immortale, ac ex fulgore gloriæ ſplendidiſſimum vel agnoſcere, vel intueri, panis adumbratum velamine, ſuffragante Diuini Verbi auditu, & fide lumen obſcurum diſpenſante, intellectus humanus attingit. Eo planè modo, quo Sol in ſeipſo, à noſtrorum acie oculorum, ob ſplendorem maximum non videtur, qui tamen in ſpeculo in ſui reflexione luminis intuetur.

136. Ob veram rationem ſacramenti.

Denique ingenti prouidentiâ factum eſt, vt panis & vini in Euchariſtia accidentia remanerent, ad hoc ſcilicet, vt in illa vera Sacramenti ratio inueniretur. Cùm enim iuxta Theologos, Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum, ipſumque venerandum Chriſti Domini corpus, quod in Euchariſtia inextenſum eſt in ordine ad locum, ac indiuiſibile, cùm ſit ibi per modum ſubſtantiæ, & loco ſubſtantiæ panis, quæ in ipſum conuerſa eſt, ac ſit omninò inuiſibile; debuerunt ibidem reperiri panis & vini accidentia, quæ viſibilia, extenſa, tangibilia, & guſtabilia ſunt; quæque non ampliùs indicant ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatam, ſed corpus ipſum, & ſanguinem Chriſti, pronuntiatis à Domino & auditis à fideli verbis ipſius, quibus aſſerit, hoc eſſe verè proprium corpus & ſanguinem, hominibus conceſſa vt ad vitam nutriantur æternam.

Corpus Chriſti per modum ſubſtantiæ eſt in Euchar. & omninò inuiſibile.

137. Analogia inter has ſpecies & corpus Chriſti.

Maximam autem viſibilia hæc accidentia, cum re inuiſibili quam ſignificant, nempe ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, habent analogiam ac conuenientiam. Cùm enim corpus & ſanguis Chriſti per modum cibi ſpiritualis Chriſtianam animam reficientis hoc in Sacramento præbeantur; optimè repræſentantur & ſignificantur per hæc accidentia, quæ habent eandem vim ad nutriendum & reficiendum corpus, quam habebant ante miraculoſam ſubſtantiarum ſuarum conuerſionem, per quam ab illis ſeparata reperiuntur: immò & de facto nutriunt corpus, ac conſequenter optimè ſignificant corpus & ſanguinem Chriſti, ex quibus *Chriſtiana anima nutritur, ac de Deo ſaginatur*, vt loquitur Tertullianus *lib. de reſur. carnis*, c. 8.

Placet hîc ad vbertatem doctrinæ quædam congerere, quibus etſi non efficaciter, tamen congruenter oſtenditur, cum mutatione interna ſubſtantiæ panis in corpus Domini eadem accidentia ſine vlla mutatione, niſi ex parte ſubiecti, remanere, quæ ad materiam de ſanctiſſima Euchariſtia in Concionibus exornandam non parum conferent. Non ergo impoſſibilis homini fideli mutatio ſubſtantiæ panis, immutatis manentibus accidentibus, videatur; cùm quibuſdam ex ſacra Pagina deſumptis ſimilitudinibus à D. Thoma *opuſc.* 68. *c.* 2. ſtabiliatur. 138.

D. Thom.

Prima quæ ab Angelico Doctore ſimilitudo adducitur, deprompta eſt *ex cap.* 2. *lib.* 4. *Regum*, vbi *num.* 21. dicitur, quod *Eliſæus egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus, Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ vſque in diem hanc, &c.* Vbi ex verbo Eliſæi, ſeu ex gratia prophetali, vt loquitur ſanctus Doctor, aquæ amaræ in dulces conuerſæ ſunt. In qua conuerſione quatuor ſunt conſideranda, ſcilicet continens & contentum, operans & operatum. Continens eſt illa ſpecies, ſeu claritas exterior aquæ, quæ remanet; contentum eſt amaritudo interior, quæ mutatur, & tranſit in quartum, ſcilicet operatum, ideſt in dulcedinem; & hoc per tertium, ſcilicet operans, ideſt per gratiam prophetalem, quæ eſt virtus quam Deus Prophetæ Eliſæo donauit. Huic ſimile quodammodo reperitur in mutatione panis in corpus Chriſti. Primum enim, ſcilicet continens, ideſt ſpecies exterior panis, manet: ſecundum, nempe contentum, ideſt ſubſtantia panis, mutatur in quartum, ſcilicet in corpus Chriſti; & hoc per tertium, ſcilicet operans, ideſt per verbum Dei. 139.

D. Thom.

Aquæ amaræ in dulces cōuerſæ abſque vlla mutatione exteriori.

140. Quo miraculo diſponitur intellectus ad credendam cōuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti ſine mutatione exteriori accidētium panis.

Nec dicat aliquis, conuerſionem aquæ amaræ in dulcem ab Eliſæo virtute diuina patratam, eſſe tantùm mutationem accidentalem, & conſequenter non probare mutationem ſubſtantialem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, quam Catholica docet Eccleſia: quia exemplum non adduximus ad conuincendum & probandum efficaciter tranſubſtantiationem panis, & immutationem accidentium in Euchariſtia; ſed tantùm ad præparandum intellectum fidelis, vt ex miraculo quo aqua amara in dulcem verè & realiter con-

uerſa, abſque vlla viſibili ſui mutatione inducatur ad faciliùs aſſentiendum veritati Catholicæ, quâ jubetur credere panem ſubſtantialiter conuerſum in ſanctiſſimum Chriſti corpus, nullâ ſenſibili factâ in accidentibus mutatione. Certum enim eſt, miraculum vnum in Scriptura exaratum non parum iuuare ad credendum aliud, quod eadem Scriptura, vel perpetua, conſtanſque Eccleſiæ traditio docet.

141. Secundam accepit D. Thomas ſimilitudinem ex lib. 1. *Reg. c.* 10. 6. vbi ſpiritualis conuerſio hominis peccatoris in juſtum, in conuerſione Saul ſic exprimitur à Samuele, *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* Dum enim peccator à Saüle deſignatus, à miſerabili peccati ſeruitute trâſiit in libertatem gloriæ filiorum Dei, vt ſit hæres Dei, & cohæres Chriſti, quatuor in illa conuerſione ſimilia jam præfatis inueniuntur, ſcilicet continens & contentum, operans & operatum. Continens eſt homo exterior, qui etiam in ſtatu peccati pulcher eſt, & ſanus: ſed contentum, nempe homo interior, amaritudine, & veneno plenus eſt, & ægrotus. Hic dum per Spiritum ſanctum conuertitur, eadem manente exteriùs ſpecie corporis, amaritudo & languor peccati interior mutatur, & tranſit in quartum, ſcilicet in dulcedinem & ſanitatem gratiæ, per tertium, ſcilicet per Spiritum Dei. Quæ omnia cum proportione in conſecratione corporis Chriſti eueniunt. Vnde, vt D. Thomas ibidem refert, Eugenius ad quendam conuerſum ait: *Quanta, & quàm celebranda beneficia vis diuinæ bonitatis operatur! Et quod non tibi nouum & impoſſibile eſſe debeat, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena conuertantur, teipſum interroga, qui præteritâ vilitate depoſitâ, ſubitò nouam indutus es bonitatem: in exteriori nihil additum, totum eſt in interiori mutatum.*

Saül in virũ alterum eſt mutatus ſine vlla formæ exterioris mutatione.

Ex conuerſione peccatoris ſuadetur conuerſio Euchariſtiæ.

142. Tertia ſimilitudo, quam affert D. Thomas, deſumitur ex mutatione naturali: videmus enim quod oua ponuntur ſub aue v. g. & per naturam mutantur in carnem, immò in auiculam viuam. Ibi enim eſt continens, ſcilicet teſta, quaſi ſpecies oui exterior; & contentum, nempe vitellum & germen, quaſi ſubſtantia oui interior; & operans, ſcilicet natura, ſeu calor naturalis; & operatum, ſcilicet caro pulli. Primum ergo, ſcilicet teſta, ſeu ſpecies exterior, manet; ſecundum, nempe vitellum, ſeu ſubſtantia interior, tranſit, & mutatur in quartum, ſcilicet in corpus pulli viui, & hoc per tertium, ſcilicet operantem naturam. Mira autem hæc eſt ſimilitudo, quia diebus aliquibus integra teſta exteriùs adhuc videtur, quaſi adhuc ſit ouum; quod tamen non eſt ouum, ſed pulli viui integrum corpus adhuc teſtâ velatum. Sicut ergo in hac re gallina per naturam mutat ſubſtantiam internam oui in pullum, teſtâ & externâ oui ſpecie immutatâ: ita in Euchariſtia diuina Spiritus ſancti, qui aliàs in columbæ ſpecie apparuit, virtus ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutat, ipſis panis & vini accidentibus immutatis. Quod enim poteſt natura, magis poteſt præſtare naturæ Author, & gratiæ.

Ouum in auem tranſmutatur naturaliter abſque vlla mutatione exterioris teſtæ.

143. Sanè mirandæ ſunt quæ à diuino ſpiritu hominum operantur mutationes: illos non ſolùm ab aliis, ſed etiam à ſeipſis, mirabili morum conuerſione diſtinguit. Sic planè à ſeipſo mutatus eſt adoleſcens, cuius D. Ambroſius meminit lib. 2. de pœnit. cap. 10. *Quemdam*, inquit, *adoleſcentem fabulæ ferunt poſt amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ, quæ vbi non interpellatam mirata, putauerit non recognitam, rurſus occurrens dixerit: Ego ſum. Reſponderit ille: Sed ego non ſum ego.* Hæc Ambroſius. Sed illuſtriorem à ſancto Spiritu mutationem in Saulo liceat nunc demirari: hic enim ex perſequutore ouium Chriſti factus vas electionis, non ſolùm Euangelij Prædicator, ſed etiam Eccleſiæ propugnator factus eſt, & propagator. Nam vt loquitur idem Ambroſ. ſerm. 6. in pſal. 118. *Beneficio Chriſti & lupus ipſe mutatus eſt: Benjamin lupus rapax Apoſtolus Paulus factus eſt; non jam inſidiator ouilium Chriſti, ſed defenſor, & cuſtos.* Ita vt non ſolùm de Saüle, ſed etiam de Saulo in Paulum conuerſo dici valeat, quod mutatus ſit in virum alium, non quidem externâ vultus metamorphoſi, ſed internâ fidei, & morum tranſmutatione. Eodem agente Spiritu, vt innuit D. Thomas 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. *ad* 2. coram Rege Achis, vt ab illius manibus liberaretur, *David immutauit os ſuum*, vt dicitur 1. *Reg.* 21. 13. ſeu vt habetur in titulo pſalmi 33. *immutauit vultum ſuum*, vbi Aquila vertit, *guſtum ſuum*: Symmachus, *mores ſuos*: Chaldæus, *cogitationem ſuam*; & ex Hebræo poteſt legi, *conſilium & rationem ſuam.* Quæ omnia indicant, à diuino Spiritu omnia immutari, os, vultum, guſtum, mores, conſilium & rationem in homine, quem diuina gratiâ perflat, & cuius mentem ſuâ illuſtratione emundat.

D. Ambroſ.

Adoleſcens pœnitentiâ tranſmutatus.

D. Thom.

David corã Rege Achis immutatus.

Quæ cùm ita ſint, nulli mirum videatur, ſi eodem afflante Spiritu, eademque diuinâ & omnipotenti agente virtute, in ſacroſanctæ Myſterio Euchariſtiæ panis & vini ſubſtantiæ in corpus & ſanguinem Domini, nullâ exteriùs factâ conuerſione accidentium tranſmutentur. An non poterit omnipotens rerum naturalium Cõditor quod infirmi hominis valet natura? Vt infantes alantur, tranſmutat calor natiuus in lac ſanguinem, vt illud abſque difficultate abſumatur à puero, qui ab ipſo, ſi in propria ſanguinis ſpecie remaneret, abhorreret. Cùm ergo *lac noſtrum ſit Chriſtus*, vt loquitur D. Auguſt. *tract.* 3. *in* 1. *ep. Ioannis*, ſapientiſſimè infinitâ, quâ pollet, virtute panis ſubſtantiam in corpus ſuum tranſmutat, nullâ in accidentibus factâ mutatione, vt ſub candida lactis ſpecie corpus ſuum panis accidentibus obuelatum abſque vllo prorſus horrore fidelis accipiat, ac manducet. 144.

Sanguis in lac tranſmutatur, ne infantes abhorreant.

D. Auguſt.

Poteſt quotidie vox Domini, quâ de cœlo intonat, fulmen tanta cum ſapientia dirigere, vt oſſa corporis frangat, pelle carnem tegente prorſus intactâ: pecuniam in crumena, & enſem in vagina liquefacere, integris manentibus vaginâ & crumenâ; ita vt exclamet Propheta pſal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis, &c.* & non poterit panis & vini ſubſtantiam in corpus & ſanguinem ſuum, ipſis immutatis accidentibus, tranſmutare? Potuit terrenus homo, vt mulierem ſuam grauidam terrefaceret, in eius frontem vibrare gladium, non autem attingere: & tamen matre intactâ manente, quam edidit proles grauiter in fronte percuſſa apparuit, tantumque ex illo vulnere emiſit ſanguinis, vt ſimul animam emiſerit, vt narrant Martinus Delrio, Fienus, Gemma, aliique grauiſſimi Authores, vt refert Petrus Seruius de Vngu. armam. 15. Poteſt inſuper, vt ipsâ experientiâ comprobatur, mulier grauida vel fructum, vel cibum appetens, rei 145.

Fulmine oſſa franguntur, pelle intactâ.

Gladius in frontem matris vibratos, & non attingens, frõtem prolis in ventro ſauciaute.

appetitæ

appetitæ proli quam geſtat, effigiem imprimere in illa parte corporis, quam caſu appetens in ſuo corpore tangit, nullo in ſuo corpore remanente veſtigio; & non poterit Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, in mirabili Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum, abſque mutatiuna accidentium transformare? Sileat lingua humana ante Dominum ſuum mirabilia operantem, & cùm interiorum mutationum, quæ à natura quotidie ſine vlla exteriori mutatione accidentium, de quibus jam loquuti ſumus, efficiuntur, neſciat aliquam humanum ingenium rationem aſſignare, quomodo miraculorum omnium miraculum maximum, atque ideo *myſterium fidei* appellatum, penetrabit, & internam ſubſtantiæ panis & vini abſque externorum mutatione accidentium transmutationem explanabit?

Mulier grauida fructum appetés, corpori prolis eius imprimit imaginé in parte, quá in ſuo corpore tangit.

Myſterium impenetrabile Euchariſtia.

§. II.

Accidentia panis & vini in Euchariſtia abſque vllo ſubiecto exiſtunt.

146. CONnaturale accidentium panis & vini ſubiectum eſt ipſa ſubſtantia panis & vini. Cùm autem, vt ſuprà fusè probauimus, nullo modo in tremendo Euchariſtiæ myſterio, factâ conſecratione remaneant ſubſtantiæ panis & vini, ſed per ipſam conſecrationem conuertantur, & tranſubſtantientur in corpus & ſanguinem Domini, vt de fide definitum eſt in Conciliis Lateranenſi ſub Innoc. III. & nouiſſimè in Tridentino: ideo liquet, accidentia panis & vini non ampliùs exiſtere in ſubſtantiis panis & vini, quæ non ſunt in ſe, ſed conuerſæ & mutatæ in corpus & ſanguinem Chriſti.

147. Dicendum ergo eſt, accidentia panis & vini in Euchariſtia exiſtere ſine ſubiecto ſubſtantiali. Ita de fide definitum fuit in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 8. contra Ioan. Hus, qui dicere auſus eſt, quod fingere accidens ſine ſubiecto, erat blaſphemare in Deum, ſcandalizare Sanctos, & illudere Eccleſiæ per verba accidentis. Idem ſentiunt Caluinus, & cæteri Nouatores, contra quos propoſitio noſtra ſtabilienda eſt.

Sine ſubiecto ſubſtantiali accidentia ſubſiſtunt in Euchariſtia.

148. Primò: Nulla eſt contradictio, quod accidentia ſint ſeparata ab omni ſubiecto. Primò, quia inhærere, & eſſe in ſubiectó actu, non eſt de eſſentia accidentis, ſed tantùm aptitudine, & poſſe inhærere: verba enim in definitionibus poſita non dicunt actum, ſed aptitudinem, vt tritum eſt apud Philoſophos. Secundò, quia lux quæ eſt accidens, in ſententia Sancti Baſilij *hom.* 6. *in Hexaëmeron*, & Gregorij Nazianz. *orat. de nouo die Dominico*, & Theodoreti *quæſt.* 14. & 16. *ſuper Geneſim*, creata fuit per ſe ſubſiſtens, & ab omni ſubiecto ſeparata. Vnde Baſilius *loc. cit.* ait: *Primo die ipſa natura lucis producta eſt, quarto autem die Solis corpus, vt eſſet illi primogenitæ luci vehiculum, eſt conditum.* Et infrà ſubdit: *Itaque ne mihi dixeris, fieri hac non poſſe, vt lux à corpore Solis ſeparetur: neque enim ego lucis à Solis corpore ſeparationem mihi ac tibi poſſibilem eſſe dico, ſed aſſerendum eſſe cenſeo, qua mentis ſolâ agitatione, cogitationeque diſparari à ſe poſſunt, ea reipsâ ſeiungi facultate Creatoris vtriuſque natura poſſe.* Ergo poteſt Deus accidentia panis & vini in Euchariſtia ab omni ſubiecto ſubſtantiali ſeparate, & ſeparata conſeruare.

Hoc non implicat.

S. Baſil. Greg. Naz. *Lux accidens ab omni ſubiecto ſeparata fuit creata.*

149. Secundò: Inhærentia actualis ſe habet ad accidens, ſicut ſubſiſtentia ad ſubſtantiam: ſicut enim ſubſiſtentia complet ſubſtantiam, ita ab inhærentia actuali completur accidens. Vnde non minùs eſt de ratione ſubſtantiæ & naturæ completæ per ſe ſubſiſtere, & propriâ ſubſiſtentiâ terminari, quàm de ratione accidentis alicui ſubiecto inhærere. Sed nihilominus poteſt natura completa diuinitus priuari propriâ & naturali ſubſiſtentiâ, & ſubſiſtere in alieno ſuppoſito, vt contigit in Chriſti humanitate, quæ propriâ ſubſiſtentiâ ſpoliata, in ſuppoſito Verbi Diuini ſubſiſtit. Ergo poteſt accidens diuinitus, & de potentia extraordinaria carere in Euchariſtia inhærentiâ actuali, & ab omni ſubiecto ſubſtantiali ſeparatum exiſtere.

Chriſti humanitas ſubſiſtentiâ propriâ priuata fuit.

150. Tertiò, ex D. Thoma 3. *p. q.* 77. *art.* 1. Accidentia in Euchariſtia non inhærent ſubſtantiæ panis & vini, quia hæc deſinit per conſecrationem, & tranſmutatur: neque corpori Chriſti, aliàs corpus Chriſti in Euchariſtia eſſet alterabile, corruptibile, & extenſum localiter: neque aëri circumſtanti; tum quia hæ ſpecies non ſunt vbi eſt aër circunſtans, & ad motum aëris ipſæ non mouentur, immò ipſæ dum mouentur, expellunt aërem; tum quia nequit idem accidens de vno in aliud ſubiectum tranſire, quia à ſubiecto indiuiduatur. Ergo cùm nullum ſit ſubiectum ſubſtantiale, cui Euchariſtiæ accidentia inhæreant, neceſſariò colligitur, illa ſine ſubiecto diuinâ virtute ſubſiſtere. Cùm enim, vt inquit D. Thomas, effectus magis dependeat à cauſa prima quàm à cauſa ſecunda, Deus qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſeruare poteſt in eſſe accidens, ſubtractâ ſubſtantiâ, per quam conſeruabatur in eſſe, ſicut per propriam cauſam: ſicut etiam alios effectus naturalium cauſarum poteſt producere ſine naturalibus cauſis, ſicut humanum corpus formauit in vtero Virginis ſine virili ſemine.

D. Thom.

Deus ſua virtute infinita accidentia ſine ſubiecto conſeruat.

151. Attamen contra veritatem quam propugnamus inſurgunt Nouatores. Magis dependet accidens à ſubiecto, à quo indiuiduatur, & quia eſt entis ens, quàm materia prima à forma, à qua non indiuiduatur, & quia materia prima eſt ens per ſe: atqui de potentia Dei abſoluta nequit materia exiſtere ſine forma: ergo neque accidens ſine ſubiecto.

Inſtant nouantes.

152. Reſpondetur diſtinguendo Mai. in aliquibus, concedo Mai. in ordine ad exiſtendum, nego Mai. Quamvis enim in aliquibus magis dependeat accidens à ſubiectu, quàm materia prima à forma; tamen in ordine ad exiſtendum magis dependet materia prima à forma, quàm accidens à ſubiecto; quia materia prima, ſeclusâ formâ ſubſtantiali, non eſt in determinata ſpecie, perfecta & completa, caretque propriâ exiſtentiâ, quam accipit à forma; & ideo implicat quod ſine illa exiſtat. Accidens autem ſecundùm ſe eſt in determinata ſpecie, habetque propriam exiſtentiam, atque ita independenter ab actuali inhærentia poteſt exiſtere.

Refelluntur.

153. Quamvis autem Deus accidentia ſic à ſubiecto ſeparata ſuſtentet, non tamen materialiter & ſubiectiuè, ſeu per modum cauſæ materialis; ſed efficienter hoc præſtat, quatenus per efficientiam ſupplet id quod de concurſu materiali deſideratur.

154. Cùm autem in qualibet re creata duplex ſit inclinatio naturalis, alia ad bonum ſibi proprium

&

Duplex inclinatio in re creata, alia ad bonum proprium, alia ad obediendum Creatori.

& connaturale, alia ad obediendum Creatori, quæ naturalior ac vehementior priorem vincit, ſicut inclinatio rei ad bonum commune vniuerſi vincit inclinationem ad bonum particulare & proprium; nullo modo exiſtimandum eſt accidentia ſic à ſubiecto ſubſtantiali ſeparata eſſe in ſtatu violento, quia tunc inclinationem ad obediendum Creatori vehementiorem naturali ſequuntur: magis enim quælibet res creata Dei eſt, quàm ſui ipſius; quia creaturæ omnes ſeruiunt Creatori: ſeruus autem totum quod eſt, domini ſui eſt.

Quantitas eſt ſubiectū accidentale aliorum accidentium Euchariſtiæ.

155. Cæterùm non carent ſubiecto accidentali accidentia in Euchariſtia: nam color, ſapor & odor panis & vini conſecrati ſubiectantur in quantitate, ex vi miraculi, quo quantitas ſeparata à ſubſtantia panis & vini conſeruatur, vt docet expreſsè D. Thomas *3.p.q.77. art.* 2. Cùm enim qualitas ex ſe præcisè partibus careat, eaſque à quantitate recipiat, ab ea etiam accipit diuiſibilitatem, & ad hoc in ea debet exiſtere: vnde cùm color, ſapor, & odor panis & vini conſecrati ſint diuiſibilia ad diuiſionem quantitatis hoſtiæ in Euchariſtia, euidens eſt, hæc accidentia in quantitate ſubiectari.

Experientiâ cōprobatur.

156. Præterea experientiâ comprobatur, colorem, ſaporem, & odorem panis & vini conſecrati vniri inter ſe; ſed non immediatè per modum actus & potentiæ, quia non eſt maior ratio, cur vnum ex his accidentibus habeat potiùs rationem actus, quàm potentiæ: ergo vniuntur in aliquo tertio, quod non poteſt eſſe aliud quàm quantitas, quæ vtpote primum accidens corporeum, & prima diſpoſitio materiæ, maximè accedit ad genus cauſæ materialis, & comparatur ad alia accidentia corporea tanquam ſubiectum. Cùm ergo de fide certum ſit, quantitatem ſpecierum in Euchariſtia in nullo eſſe ſubiecto, ſed per ſe ſubſiſtere, debet dici ſubiectum *quod* huiuſmodi accidentium; non enim tunc recipiuntur in vlteriori ſubiecto. Cùm enim ad ſubſiſtere per ſe, ſequatur ſubſtare aliis, vt patet in ſubſtantia, quæ ex eo quod per ſe ſubſiſtit, aliis ſubſtat: ideo optimè poteſt aliis ſubſtare accidentibus in Euchariſtia quantitas, quæ miraculosè per ſe ſubſiſtit. Vnde manifeſtè ſequitur, in hoc admirabili Sacramento nullam fieri mutationem in accidentibus panis & vini, niſi in ſola quantitate, quæ ſola manet ſeparata à proprio ſubiecto, nempe ſubſtantia: cætera, vt anteà, remanent totaliter ac ſufficienter à quantitate ſuſtentata.

Quantitas in Euchar. miraculosè per ſe ſubſiſtit.

Quod docet D. Thom.

157. Huic autem quantitati à ſubſtantia panis & vini ſeparatæ communicatur à Deo modus exiſtendi per ſe, ratione cuius ſubſiſtit independenter à ſubiecto. Sic enim docuit D. Thomas 4. *cont. gentes, cap.* 66. dum ait: *Miraculosè accidentibus confertur quod ſubſtant, quod eſt proprium ſubſtantiæ, & per conſequens, quod omnia poſſint facere & pati, quæ ſubſtantia poſſet facere & pati, ſi ſubſtantia adeſſet.* Et *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. in corp.* docet, quod *virtute diuinâ confertur dimenſionibus quæ fuerunt panis, vt ſine ſubiecto ſubſiſtant in hoc Sacramento, quod eſt prima proprietas ſubſtantiæ.* Ex quibus D. Thomæ verbis liquet, modum exiſtendi per ſe communicari à Deo quantitati ſeparatæ: non enim poſſet exiſtere per ſe, & primâ proprietate ſubſtantiæ gaudere, niſi haberet modum exiſtendi per ſe; quia nequit effectus formalis competere alicui ſine cauſa formali: exiſtata autem per ſe eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ, ſeu modi exiſtendi per ſe; vnde cùm Deus tribuat quantitati, vt ſubſiſtat per ſe ſeparata à ſubſtantia panis & vini, debet etiam ipſi tribuere modum exiſtendi. Sed hæc difficultas longiori ſtylo à Scholaſticis agitatur *in quæſt. 77. art. 2. 3. p. D. Thomæ*, quos conſulat lector; nos enim non tam ſcholaſtico, quàm concionatorio modo toto hoc Opere ſacram de venerabili Euchariſtia materiam elucidamus.

§. III.

Accidentia Euchariſtiæ iiſdem ſubiacent ſeparata à ſubſtantia, ac ſi illi inhærerent.

158. VErè ſunt, veréque exiſtunt, diuinâ agente virtute, accidentia panis & vini à ſubſtantia, in Euchariſtia, ſeparata. Cùm ergo vnumquodque agat in quantum eſt actu; operari enim ſequitur eſſe; ideo ſpecies ſacramentales, quæ habent poſt conſecrationem idem eſſe, quod habebant anteà ſubſtantiâ panis & vini exiſtente, habent eandem actionem, poſſuntque ſubſtantiâ in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatâ, agere quod poterant ſubſtantiâ panis & vini exiſtente. Vnde verè immutant exteriora corpora, videntur, tanguntur, diuiduntur, franguntur, manducantur, nutriunt, inebriant, aliaque præſtant, quæ præſtarent ſubſtantiæ vnitæ & inhærentes. Eodem enim modo actio formæ accidentalis pendet ab actione formæ ſubſtantialis, quo eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ. Vnde ſicut diuinâ virtute ſpeciebus ſacramentalibus conceditur, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia; ita datur eis vt poſſint agere ſine forma ſubſtantiali, virtute Dei, à quo ſicut à primo agente dependet omnis actio formæ, & ſubſtantialis, & accidentalis. Quod docet D. Thomas *3. p. q. 77. art.* 3.

Ea poſſunt accidentia poſt conſecrationem, quæ antea poterant.

Quod diuinitus eis confertur.

159. Neque ex hoc, quod accidentia illa, eodem modo videantur, ac immutent ſenſum poſt conſecrationem, ac antea, falſum aliquod ponunt in Sacramento veritatis; quia tunc licèt accidentia panis & vini videantur, tamen non ſignificant ſubſtantiam panis & vini, quæ non eſt: illam enim naturaliter ſignificarent, niſi Deus ex aliquo ſupernaturali ore proprio declaraſſet, ibi adeſſe corpus Chriſti. Vnde nulla falſitas in illis ſpeciebus reperitur, cùm id ſolùm ſignificent, naturaliter ſub illis latêre ſubſtantiam panis & vini. Si enim imaginatio fallitur in hac re, ex hominum vitio oritur, qui infideles ſunt; vel ex eo quod nolunt credere Deo & Eccleſiæ atteſtantibus, ibi eſſe accidentia ſine ſubſtantia; vel ex eo quod nihil audierunt de hoc myſterio, & tunc falluntur ſimpliciter ex myſterij ignorantia, & non ex falſitate quæ ſit in re. Fideles autem non falluntur, quia ex teſtimonio Dei & Eccleſiæ ſciunt, ibi eſſe accidentia ſine ſubſtantia, & ſub illis latêre corpus & ſanguinem Chriſti. Non inconuenit autem ex ignorantia myſterij homines in aſpectu harum ſpecierum falli, hoc modo enim fallebantur Sancti viri Abraham, Loth, Iacob, Tobias, Manve, Gedeon & alij, qui Angelos in humana ſpecie ſibi apparentes, veros homines eſſe credebant, & vt homines tractabant: & duo diſcipuli, qui Dominum rediuiuum peregrinum putabant: & Magdalena, quæ eundem hortulanum exiſtimabat.

Poſt conſecrationem non ſignificant ſubſtantiam panis & vini, ſed corpus & ſanguinē Chriſti.

Quod fideles intelligunt.

Sicut

160. Sicut ergo, manente ſubſtantiâ panis, ita illa conuersâ in corpus Chriſti, poſſunt accidentia ſeu ſpecies ſacramentales alterari, immò & corrumpi. Dum autem ſic alterantur, ſiue ex parte qualitatis, cùm modicùm immutatur color aut ſapor panis & vini; ſiue ex parte quantitatis, vt cùm diuiditur panis, aut vinum in tales partes, vt adhuc in eis ſaluari poſſit ſpecies panis & vini, non deſinit corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento, quia vt notat D. Thom. *loc. cit. art.* 4. corpus & ſanguis Chriſti ſuccedunt in hoc Sacramento ſubſtantiæ panis & vini, & tandiu ſub accidentibus exiſtunt, quamdiu ſub illis exiſteret ſubſtantia panis & vini.

Poſſunt hæc accidentia alterari.

161. Vnde ſi tanta fiat immutatio, quod fuiſſet corrupta ſubſtantia panis & vini, hoc eſt ſi corrumpantur accidentia, ſiue ex parte qualitatum, ſicut cùm ita immutatur color, ſapor, & aliæ qualitates panis & vini, vt nullo modo poſſent compati naturam panis & vini; ſiue ex parte quantitatis, putà ſi puluerifetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt jam non remanear ſpecies vini, tunc non remanent corpus & ſanguis Chriſti ſub hoc Sacramento.

Dum ſic immutantur, vt non ſub eis remaneret ſubſtantia panis, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti.

162. Quia autem *corruptio vnius eſt generatio alterius*, vt docet Philoſophus *lib.* 1. *de gener. text.* 17. dum ſpecies ſacramentales corrumpuntur, aliquid ex eis generatur: quod ad ſenſum patet, ex eis enim generantur cineres, ſi comburantur; vel vermes, ſi putrefiant; vel pulueres, ſi conterantur. Dum autem ex ſpeciebus ſacramentalibus aliquid generatur, producitur à Deo materia prima, ex cuius potentia educitur forma ſubſtantialis geniti, & in qua recipitur, & non in quantitate; & hoc accidit ſine nouo miraculo. Sicut enim diſpoſitâ ſufficienter materiâ corporis humani, Deus animam creat & infundit, & hoc non dicitur miraculum, quia hoc exigit ordo rerum à Deo inſtitutus: ita quando per alterationem ſpecierum panis eò venitur, vt adſint diſpoſitiones requiſitæ ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum Deus materiam ſubſtituit, vel per creationem, vt aliqui probabiliter; vel per conuerſionem quantitatis in ipſam, vt probabiliùs & conuenientiùs alij exiſtimant: quia magis connaturale videtur, vt illud ſubiectum in quod agens naturale introduxit accidentia ad formam ſubſtantialem, conuertatur à Deo in materiam in qua debet recipi talis forma: & quia ex vi prioris miraculi magis connaturaliter ſequitur, vt ſicut ſubſtantia panis in corpus Chriſti fuit conuerſa, ita quod remanet de ſubſtantia panis, nempe quantitas, conuertatur in materiam ex qua educenda eſt forma ſubſtantialis. Vnde D. Thom. 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 5. *in corp. ſub finem, & ad* 3. & *art.* 6. *in corp. & ad* 2. docet quod ſpecies ſacramentales conuertuntur in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur: & quod quantitas dimenſiua habens miraculosè vim & proprietatem ſubſtantiæ, tranſit in vtrumque, ideſt in ſubſtantiam, ſeu materiam, & dimenſionem. Sic ergo per conuerſionem quantitatis materia à Deo ſubſtituta in illo ipſo inſtanti ab agente naturali, mediantibus diſpoſitionibus præmiſſis, introducitur forma ſubſtantialis.

Dum ex eis aliquid generatur, producitur à Deo materia prima ex vi præcedentis miraculi.

Ex conuerſione quantitatis in materiam primam.

D. Thom.

163. Cùm autem diſpoſitiones ſint ad recipiendam formam, non verò materiam, vt liquet ex Philoſophia; ideo inchoantur illæ in ſpeciebus, manente Chriſti corpore: vltima autem diſpoſitio, cum qua & materia ſimul ſubſtituitur à Deo, & forma ab agente naturali introducitur, fit in illo inſtanti, quod eſt primum non eſſe corporis Domini in Euchariſtia, & primum eſſe rei genitæ.

Ex quibus planè conſtat, huiuſmodi ſpecies ſeu accidentia optimè poſſe nutrire ſumentes. Cùm enim ex hoc cibus nutriat, quòd *conuertitur in ſubſtantiam nutriti*, vt docet Ariſtoteles *lib.* 2. *de anima, text.* 45. & 46. verè nutriunt ſpecies ſacramentales, cùm verè conuertantur in corpus humanum, ſicut verè conuertuntur in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur, verbi gratiâ in vermes, vel in cineres. Licèt autem alimentum nutriat, prout eſt *ſubſtantia quædam, & augeat prout eſt aliquid quantum*, vt ait Philoſophus *loc. cit. text.* 47. ſpecies Sacramentales poſſunt id præſtare, quia habent virtutem ſubſtantiæ, & verè ſunt aliquid quantum. Dum autem D. Ambroſius *lib.* 5. *de ſacr. c.* 4. ait, *non iſte panis eſt, qui vadit in corpus; ſed panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit*, non loquitur de ſpeciebus panis quæ in hoc Sacramento retinent nomen prioris ſubſtantiæ, & verè vadunt in corpus quod nutriunt; ſed loquitur de corpore Chriſti, quod eſt panis myſticus de cœlo deſcendens, & non conuertitur in corpus hominis, ſed reficit mentem eius, ipſumque myſticè in Chriſtum conuertit, ſicut dixit Dominus Auguſtino: *Creſce, & manducabis me; nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* 164.

Poſſunt hæc accidentia nutrire.

Corpus Chriſti non conuertitur in corpus humanum, bene autem ſpecies panis & vini.

Sectio II.

Quænam res eximiæ, & quomodo ſub ſpeciebus panis & vini lateant in Euchariſtia?

EXimiæ illæ res, quæ ſub diuerſis ſignis ac ſpeciebus in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento latitant, nobiliſſimæ procul dubio ſunt corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiæ, quæ rectè appellantur res, vtpote vera entia, completa, ac per ſe exiſtentia. Huiuſmodi autem corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiæ, non præciſæ aut ſeparatæ, ſed vnitæ animæ, Diuinitati, & ſubſiſtentiæ Verbi Diuini, ob intimam ac inſeparabilem quam inter ſe habent coniunctionem, ſecundùm Fidem Catholicam ſub præfatis accidentibus continentur. Cùm autem, vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 76. *art.* 3. dupliciter aliqua poſſint in hoc Sacramento reperiri, ſcilicet vel ex vi Sacramenti, ſeu ex verborum ſignificatione; vel ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, quam habent cum iis, quæ ibi ſunt ex vi verborum; ideo ſigillatim hac in ſectione exponemus, quænam ſint illæ res, quæ ex vi verborum; & quænam ſint illæ, quæ duntaxat per concomitantiam ſub ſpeciebus ſacramentalibus continentur. 165.

Subſtantiæ corporis, & ſanguinis Chriſti ſunt res eximiæ, latentes in Euchar.

D. Thom.

Primò igitur ex vi verborum ſub ſpecie panis continetur realiter corpus Chriſti, non verò anima, vt tribuit gradum vitæ, ſed vt tribuit eſſe corporeum. Prima huius propoſitionis pars de fide eſt, definita in Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 3. & liquet ex eo, quod id dicitur eſſe ex vi verborum in Sacramento Euchariſtiæ, quod verè & propriè ſignificatur verbis conſecrationis: ſed per verba conſecrationis panis, quæ ſunt ea quæ Chriſtus protulit in inſtitutione huius Sacramenti, 166.

Ex vi verborum corpus Chriſti duntaxat eſt ſub ſpecie panis.

cramenti, dum accepto pane dixit, *hoc eſt corpus meum*; ſignificatur verè, propriè & naturali ſignificatione corpus Chriſti: ergo ex vi verborum corpus Chriſti verè continetur ſub ſpecie panis.

167. Secunda eiuſdem propoſitionis pars patet hac ratione. Corpus quod ex vi verborum ſub ſpecie panis in Euchariſtia ponitur, non poteſt eſſe materia prima ſine forma ſubſtantiali, affecta ſolùm quantitate & qualitatibus ſenſibilibus; quia nequit materia exiſtere ſine forma ſubſtantiali, nec conſequenter aliquam actionem terminare, nec verè dici corpus: neque eſt materia prima affecta formâ corporeitatis, vel aliâ partiali conſtituente corpus organicum; quia in homine nec datur hæc forma corporeitatis, nec aliæ formæ partiales; ſed ſola anima rationalis, quæ virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipſa ſola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt, vt ait Doctor Angelicus 1.*p*.*q*.76.*art*.3. Ergo eſt materia informata animâ Chriſti, vt dat illi eſſe corporeum, & non vt dat eſſe viuens. Corpus enim Chriſti, vt ex vi verborum eſt ſub ſpecie panis, abſtrahit à viuo & mortuo; cùm idem ſit formale ſignificatum corporis nunc, ac fuiſſet in triduo mortis Chriſti.

Vt habet eſſe corporeum.

168. Neque obſtat, quod eſt eadem anima quæ dat eſſe corporeum, & eſſe viuens; quia cùm illa ſecundùm quod dat eſſe corporeum, diſtinguatur ratione virtualiter à ſeipſa, ſecundùm quod dat eſſe animatum & viuens, hoc ſufficit ad hoc vt ſub ſpeciebus panis ex vi verborum ponatur, prout dat eſſe corporeum, & non ſecundùm quod dat eſſe viuens & animatum. Similis enim diſtinctio, quæ eſt inter Filium & diuinam eſſentiam; & inter ſubſiſtentiam Verbi, & naturam diuinam, ſufficit ad hoc vt Filius generetur à Patre, non verò diuina eſſentia; & vt ſubſiſtentia Verbi primariò terminet humanitatem aſſumptam, non verò eius natura. Corpus autem Chriſti præcisè vt habet eſſe corporeum, eſt idem identitate ſuppoſiti, quia ſemper terminatur ſubſiſtentia diuina cum eodem Chriſti corpore, quo protulit verba inſtitutionis huius Sacramenti, dicens: *Hoc eſt corpus meum.*

Corpus Chriſti vt habet eſſe corporeū eſt idem identitate ſuppoſiti, cum eo quod protulit verba cōſecrationis.

169. Nomine autem corporis, quod ex vi verborum ponitur ſub ſpecie panis in Euchariſtia, non comprehenduntur quantitas, figura, & alia accidentia quæ dimanant à gradu corporeitatis; hæc enim ibi ſunt tantùm concomitanter: ſed ſola ſubſtantia corporis Chriſti, quæ ſola poteſt eſſe formalis & primarius terminus tranſubſtantiationis. Vnde hoc corpus eſt organicum, organizatione radicali & ſubſtantiali, quæ eſt à forma ſubſtantiali diuerſas diſpoſitiones accidentales exigente; non verò organizatione formali & accidentali, quæ eſt à quantitate, figura, & aliis accidentibus; hæc enim ſolùm concomitanter, & vi naturalis connexionis, ſicuti quantitas & alia accidentia, in illo corpore reperitur.

170. Inſuper, ſub ſpecie vini ex vi verborum continetur totus ſanguis, qui nunc eſt in corpore Chriſti glorioſo, licèt non fuerit in paſſione effuſus. Sicuti enim hæc verba conſecrationis panis, *hoc eſt corpus meum*, expreſsè ſignificant corpus Chriſti, in quod ſubſtantia panis eſt conuerſa; ita hæc, *hic eſt calix ſanguinis mei*, expreſsè ſignificant totum ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini contineri. Nec hæc verba, *qui pro vobis effundetur*, limitant præcedentia ad ſolum ſanguinem in paſſione effuſum, ſed ad exprimendum huius Sacramenti primarium finem, qui eſt repræſentatio paſſionis Chriſti: nam in cœna Domini aliquis ſanguis fuit præſens ſacramentaliter ſub ſpecie vini, qui non fuit in paſſione effuſus, ille ſcilicet qui ante paſſionem fuit in carnem conuerſus: vnde liquet ad verificanda verba conſecrationis calicis non neceſſe eſſe totum ſanguinem Chriſti in paſſione fuiſſe effuſum.

Sub ſpecie vini ex vi verborum continetur totus ſanguis qui nunc eſt in corpore glorioſo Chriſti.

Anima autem rationalis Chriſti Domini, vt tribuit gradum viuentis, eſt realiter ſub ſub ſpeciebus panis cum eius corpore, non ex vi verborum, ſed per naturalem concomitantiam. Quod expreſsè definitum fuit à Concilio Trident. *ſeſſ*.13. *cap*.3. vbi dicitur, *animam Chriſti ſub vtraque ſpecie exiſtere vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini inter ſe copulantur.* Etenim illud eſt in hoc Sacramento ex naturali concomitantia, quod eſt realiter coniunctum ei in quod conuerſio, ſeu tranſubſtantiatio terminatur: ſed anima Chriſti vt dat gradum viuentis, eſt realiter coniuncta eius corpori, in quod conuerſio panis terminatur, idem eſt enim corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia ſub ſpecie panis, & exiſtens in propria ſpecie ad dexteram Patris: nam ſi Apoſtoli in triduo mortis conſecraſſent ſub ſpecie panis, fuiſſet corpus Chriſti mortuum, ſeu forma cadaueris: & poſt reſurrectionem illa forma cadaueris ceſſaſſet, & fuiſſet anima rationalis; in eadem enim forma corpus Chriſti eſt in Sacramento, ac in propria ſpecie: ergo nunc corpus Chriſti eſt viuum, & coniunctum animæ rationali in Euchariſtia. 171.

Chriſti anima vt tribuit gradum viuentis, eſt ſub ſpecie panis per naturalē concomitantiam.

Præterea in eodem Sacramento, non ex vi verborum, ſed per concomitantiam corpus Chriſti eſt ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis, & Diuinitas ſub vtraque. Cùm enim corpus non ſignificetur per verba conſecrationis vini, nec ſanguis per verba conſecrationis panis, nec diuinitas per verba conſecrationis vtriuſque; & corpus ſit realiter coniunctum cum ſanguine, ſanguis cum corpore, & diuinitas cum vtroque; euidens eſt hæc ſub prædictis ſpeciebus contineri, non ex vi verborum, ſed per concomitantiam. 172.

Per concomitantiam ſub ſpecie vini eſt corpus, & ſub ſpecie panis eſt ſanguis Chriſti.

Idem iudicium ferendum eſt de Verbo Diuino, quod non vi verborum, ſed concomitanter eſt in hoc Sacramento. Quod docuit Concil. Trid. *loc. cit.* dum ait, *Diuinitatem eſſe in hoc Sacramento concomitanter, propter admirabilem eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem.* Vbi ſine dubio de perſona Verbi loquitur; hæc enim ſola hypoſtaticè animæ & corpori Chriſti vnita fuit. 173.

Ex eadē cōcomitantia Verbum Diuinum eſt in Euchariſtia.

Quamvis autem Pater & Spiritus ſanctus ſint quodam ſpeciali modo in Euchariſtia, & excellentiùs quam in aliis rebus creatis; tum quia ſpeciali modo exiſtunt in Filio, propter diuinarum inſeparabilitatem perſonarum, & mutuam vnius in altera exiſtentiam, ſeu circumînceſſionem; tum quia ſimul ibi cum Filio ad mirabiles effectus gratiæ operandos aſſiſtunt: tamen propriè & rigoroſè loquendo non poteſt dici quod illæ duæ perſonæ ſint per concomitantiam in hoc Sacramento, ad hoc enim vt aliquid ſit per concomitantiam in Euchariſtia, debet vniri in vnitate ſuppoſiti, cum termino primario & formali conuerſionis, & cum illo vel conſtituere, vel pertinere ad idem ſuppoſitum: vnde veſtimenta Chriſti quibus tegebatur, dum conſecrauit, non continebantur in hoc Sacramento, benè tamen eius diuinitas, & 174.

Pater & Spiritus ſanctus non poſſunt ex eadem cōcomitantia eſſe in Euchariſtia.

& anima, & accidentia. Cùm ergo Pater & Spiritus ſanctus non vniantur hoc modo cum corpore Chriſti, non continentur in Euchariſtia per Concil. Trid. concomitantiam ſacramentalem. Vnde Concil. Trid. *loc. cit.* enumerans ea quæ in hoc Sacramento per concomitantiam continentur, nullam de Patre & Spiritu ſancto fecit mentionem; & ideo ſicuti connexio quam habent Pater & Spiritus ſanctus in eadem natura diuina cum perſona Verbi, non ſufficit, vt dicantur mediatè terminare vnionem hypoſtaticam, incarnari, concipi, naſci, mori, &c. ita nec ſufficiens eſt, vt dicantur eſſe per concomitantiam ſacramentalem ſub ſpeciebus panis & vini. Adde quod cùm Euchariſtia ſit idem ſacrificium cum ſacrificio crucis, ſolâ offerendi ratione diuersâ, vt ſuprà oſtendimus; cùm ſolus Filius qui in cruce ſemetipſum obtulit, etiam in altari ſeipſum offerat, vt principalis Sacerdos, non verò Pater, aut Spiritus ſanctus, ideo ſolus Filius in Euchariſtia ſacramentaliter contineri dicitur, non verò Pater, aut Spiritus ſanctus.

SECTIO III.

Corpus & ſanguis Chriſti verè & realiter exſiſtunt ſub ſpeciebus panis & vini, non ſolum in vſu & ſumptione Euchariſtiæ, ſed quamdiu verè & realiter incorrupta permanent illæ ſpecies.

175. Error Lutheranorum, & Caluiniſtarum. QVia Nouatores huius temporis, Lutherani & Caluiniſtæ, in ea ſunt ſententia, vt Sacramentum Euchariſtiæ, non rem permanentem, ſed actionem tranſeuntem exiſtiment, ita vt juxta Lutheranos corpus Chriſti non ſit realiter cum ſubſtantia panis, & ſecundùm Caluiniſtas, panis non ſit figura corporis Chriſti, niſi dum actu Sacramentum ſumitur: hunc errorem à nobis nunc confutari operæpretium eſt, & catholicam veritatem tum ex verbis Chriſti, tum ex Sanctorum Patrum teſtimoniis ſtabiliri.

176. Primus autem qui errorem hunc excogitauit, & corpus Domini tantùm in Euchariſtia reperiri dum actu manducatur, fuit Martinus Bucerus, qui, vt refert Cochlæus *lib. 3. miſcellan. tract.* 8. anno 1536. die 23. Maij Luthero perſuaſit, corpus Domini in Euchariſtia non eſſe, niſi dum ſumitur, ac proinde ipſam dumtaxat ſumptionem hoc Sacramentum conſtituere. Quæ ſententia licèt falſiſſima, à Zuinglianis libenter recepta eſt, vtpote aptiſſima ad deſtruendam Euchariſtiæ adorationem, quam Catholica profitetur Eccleſia. Vnde Caluinus Zuinglij aſſecla eam tuetur *lib. 4. inſt. cap.* 18. §. 37. & 39.

177. Contra hos tamen dicendum eſt, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe rem permanentem, & in eo Euchariſtia eſt res permanens, & corpus Chriſti in ea, etiã extra vſum reperitur. ſub ſpecie panis ritè conſecrati corpus Chriſti realiter, ſubſtantialiter & verè reperiri, ſiue ſumatur, ſiue in pyxide cuſtodiatur: & tandiu ibi permanere, quamdiu incorrupta durat præfata ſpecies panis. Quod idem cum proportione dicimus de Chriſti ſanguine ſub ſpecie vini. Poſitio hæc orthodoxa eſt, & ei contraria eſt error in fide Concil. Trid. damnatus à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. & 6. & *can.* 4. vbi dicitur: *Si quis dixerit, peractâ conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantum in vſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini, anathema ſit.*

Probatur primò. Illud ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini eſt realiter in Euchariſtia, quod verbis, 178. quibus Chriſtus vſus eſt in inſtitutione huius Sacramenti, ſignificatur, etiam ante actionem manducandi & bibendi: ſed verbis inſtitutionis huius Sacramenti, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, etiam ante actionem manducandi & bibendi ſignificatur corpus Chriſti eſſe realiter ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini; quia hæc verba vera ſunt & efficaciſſima, & realiter operantur & efficiunt quod ſignificant, aliàs Chriſtus mentitus fuiſſet, & infirmus; quod implicat, eſt enim *veritas, & Dei virtus ac ſapientia.* Ergo ante ſumptionem Euchariſtia eſt verè Sacramentum, & corpus Chriſti verè ſub ſpecie panis exiſtit, ſicut & ſanguis ſub ſpecie vini. Verbis Chriſti etiam ante manducationem, corpus Chriſti in Euchariſtia ſignificatur.

Præterea ex contextu Euangeliorum liquet, 179. Dominum diſcipulos hortatum fuiſſe, vt oblatum panem, ſeu ſpeciem panis manducarent, quia erat corpus eius: & oblatum calicem biberent, quia ſanguinem eius continebat; ait enim Dominus Matth. 26. 26. *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Et ibidem 27. *Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti.* Vbi cauſalis, *enim*, Idem ſuadet contextus Euangeliorum. apertè indicat, ideò fuiſſe ad bibendum inuitatos, quia ibi erat verè ſanguis Chriſti. Ergo priùs fuit corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis in calice ſub ſpecie vini, quàm in ore ſumentium. Si enim hoc Sacramentum corpus & ſanguinem Chriſti in vſu dumtaxat contineret, Chriſtus dicere debuiſſet, *hoc erit corpus meum: hic erit ſanguis meus.* Sed cùm verba temporis præſentis, & non futuri protulerit, prolatis illis, ſtatim corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini ante quemcunque vſum extiterunt. Vnde & Paulus 1. *Cor.* 10. 16. ait: *Panis* Quod patet etiam ex Apoſtolo. *quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt? & calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt?* Vbi apertè Apoſtolus indicat, panem conſecrari, & in corpus Chriſti conuerti priuſquam frangatur & diſtribuatur.

Secundò probatur corpus Domini permanenter eſſe ſub ſpecie panis ante & poſt quemcunque 180. Patet ex Concil. Nic. vſum, & quamdiu durat præfata ſpecies, ex Conciliis & SS. Patribus. Concilium Nicænum ſub S. Syluestro, tempore Conſtantini Magni, anno 324. celebratum, atque adeo à Caluino receptum & approbatum cum tribus aliis generalibus *lib. 4. inſtit. c.* 9. §. 8. expreſsè noſtram tuetur poſitionem. Nam *cap. de ſacra menſa, lib.* 3. ait: *Intelligamus ſitum in illa ſacra menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum.* Optatus Mileuit *lib. 6. contra Parmenianum*, ait: Opt. Milen. Altare eſt ſedes corporis & ſanguinis Chriſti. *Quid eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti.* Et poſtea vocat calices, *Chriſti ſanguinis portatores.* D. Auguſt. *conc.* 1. & 2. *in pſalm.* 33. dicit Chri- D. Auguſt. ſtum portaſſe in manibus ſuis corpus ſuum, quando de eo quod in manibus habebat, dixit, *hoc eſt corpus meum.* D. Chryſoſt. *orat. de S. Philogonio*, præ- D. Chryſoſt. ſentia quam Chriſtus habet in altari, æquat ei quam habuit in præſepio; ait enim: *Si cum fide acceſſerimus, procul dubio videmus eum in præſepi iacentem; nam hæc menſa vicem explet præſepis, ſiquidem & hîc ponitur corpus Dominicum, non quidem faſciis inuolutum, ſicut tunc; ſed vndequaque Spiritu ſancto conueſtitum. Ac Magi quidem nihil aliud, quàm id adorarunt: tibi verè ſi cum pura acceſſeris conſcientia, permittemus vt ſumas, & ſumpto domum abeas.* Vbi S. Euchariſtia ſicut præſepe corpus Chriſti continet.

Doctor corpus Chriſti realiter in altari in ſacroſancta Euchariſtia exiſtere ſicut in præſepio, docet, aote quemcumque vſum, ſiue ſumptionem eius. Et *hom.* 24. *in* 1. *ad Cor.* idem Chryſoſtomus eleganter admodum oſtendit, terram fieri cœlum per Euchariſtiam; quia idem corpus Regis cœlorum, quod in cœlis eſt ad dexteram Patris, in terra in hoc Sacramento verè exiſtit; ait enim: *Quod eſt omnium præſtantiſſimum, & maximè honorandum, vides in terra: neque ſolum vides, ſed etiam tangis, ſed etiam comedis, & eo accepto domum reuerteris.*

Chryſoſt.

Per Euchariſtiam terra fit cœlum.

181\. Tertiò, ſi corpus Domini non remaneret io Euchariſtia, niſi in actoali vſu & ſumptione ipſius, non conſeruaretur in Eccleſia, vt ad infirmos, dum opus eſt, deferatur, quod ſemper in Eccleſia catholica ſeruatum eſt ab initio: nam Iuſtinus Martyr *apol.* 2. ſcribit, actione, ſeu ſacrificio peracto in Eccleſia, conſuetum fuiſſe dari Euchariſtiam Diaconis, abſentibus fratribus deferendam: vnde liquet, peractâ communione fidelium, adhuc corpus Domini in Euchariſtia remanere, alias inutile fuiſſet illā ſeruare, ac ad Chriſtianos abſentes mittere. S. Irenæus Epiſcopus Lugduoenſis, qui eodem ſeculo ſecundo, quo Iuſtinus, vixit, *epiſt. ad Victorem Papam*, quæ refertur ab Euſebio *lib.* 5. *hiſtor. c.* 24. teſtatur Romanum Pontificem ſolitum fuiſſe ad alios Epiſcopos Euchariſtiam in ſignum communionis & pacis mittere. Quod vtique non fuiſſet, niſi ſemper corpus Domini contineret. Immò & Tertullianus, qui ſecundo Chriſti ſeculo floruit, *lib.* 2. *ad vxorem*, refert ſuo tempore conſueuiſſe fideles ad proprias domos Euchariſtiam deferre, vt eam ibi poſteà ſumerent. *Non ſciet*, inquit, *maritus quid in occulto ante omnem cibum ſumas.* Huiuſque diſcipulus Cyprianus Martyr egregius, *ſerm. de lapſis*, ait: *Mulier quadam, cùm arcam ſuam, in qua ſanctum Domini* (hoc eſt Euchariſtia) *fuerat, indignis manibus tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt.* Hiſque duobus ferè ſynchronos Dionyſius Alexandrinus *ep. ad Fabium*, quæ ab Euſebio *lib.* 6. *hiſt. c.* 36. refertur, ſcribit Serapionem in extremis conſtitutum, Preſbyterum per puerum vocaſſe, vt ab illo Euchariſtiam ſumeret: ſed cùm Presbyter ægrotaret, nec per ſeipſum ad Serapionem venire potuiſſet, eidem per puerum Euchariſtiæ particulam miſit. Tandemqoe eodem ſeculo, vt legitur io vita S. Stephani Papæ I. & in Romano Martyrologio, Tharſicius Acolythus, cùm ſacram deferret Euchariſtiam, à paganis necatus eſt; & tamen Deo agente nuſquam à prophanis manibus diuinum Sacramentum louentum eſt: quod nequaquam factum fuiſſet, niſi ſemper in Euchariſtia ſacrum Domini corpus durantibus ſpeciebus permanere vniuerſa crediſiſſet Eccleſia.

Ex antiquiſſima praxi Eccleſiæ ſuadetur, corpus Chriſti extra vſum eſſe in Euchariſtia.

Iuſt. Mart.

S. Irenæus.

Euchariſtia à Rom. Pontifice ad alios mittebatur Epiſcopos io ſignum communionis.

Tertull.

Cyprian.

Dion. Alex.

Serapioni io extremis cōſtituto delata eſt Euchariſtia.

182\. Hinc in Concilio Nicæno I. præcipitur *can.* 18. vt in abſentia Presbyterorum Diaconi Euchariſtiam porrigant. Vnde patet Euchariſtiam ſeruari ſolitam in Eccleſia, vt in promptu haberetur, vrgente neceſſitate, infirmis adminiſtranda. Et *in can.* 13. iubetur, vt ſecundùm antiquam regulam, in mortis articulo ſacra communio nemini denegetur. Quod apertè indicat, domibus fidelium inferri ſolitam, eamque extra Miſſarum celebrationem corpus Chriſti veraciter includere. Quod etiam liquet ex eo, quod fideles ſecum in itinere contra omnia pericula tutamen Euchariſtiam deferebant. Nam vt refert D. Ambroſius *in orat. de obitu Satyri fratris ſui, cap.* 7. cùm hic adhuc catechumenus io periculo naufragij non auſus fuiſſet videre Euchariſtiam, & multò minùs percipere, à Baptizatis qui in eadem naui erant, & ſecum Euchariſtiam habebant, particulam orario inuolutam ſibi tradi poſtulauit, ne omni præſidio careret; ſtatimque hanc Euchariſtiæ particulam ſic inuolutam ſuſpendit ad collum, tantoque auxilio fretus, ſe in mare deiecit ſecurus, atque iocolumis euaſit ad litus. Vnde Ioan. *lib.* 2. *vita Sancti Gregorij*, *c.* 33. refert quoſdam Monachos eiuſdem Pontificis Conſtantinopoli Romam nauigantes, ſecum Euchariſtiam in naui detuliſſe, ne in naufragij periculo ſine communione diſcederent. Quæ omnia ſuadent ſemper in Eccleſia creditum fuiſſe, Chriſti Domini corpus etiam extra vſum in Euchariſtia veraciter reperiri.

Concil. Nic.

In abſentia Sacerdotum Diaconi Euchariſtiam porrigebant.

In Eccleſia ſeruari ſolita vt infirmis daretur.

D. Ambroſ.

Satyrus adhuc catechumenus Euchariſtiā munitus mare traiecit, & ad litus appulit.

Monachi Romam petētes Euchariſtiam in naui deferunt.

183\. Conſtat denique veritas catholica, quam modò propugnamus, ex diſcrimine quod inter Euchariſtiam, aliaque Eccleſiæ Sacramenta intercedit. Nam vt docet D. Thomas 3. *p. q.* 78. *art.* 1. Euchariſtia perficitur in conſecratione materiæ, quæ conſiſtit in miraculoſa conuerſione ſubſtantiæ, v. g. panis in corpus Chriſti; cætera verò Sacramenta perficiuntur in vſu materiæ coofecratæ: hæc autem conſecratio conſiſtit dumtaxat in quadam benedictione, ex qua hæc materia quandam virtutem ſpiritalem accipit à miniſtro. Vnde formæ aliorum Sacramentorum important vſum materiæ, putà baptizationem, vel conſignationem: forma autem Euchariſtiæ importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtaotiatione conſiſtit, vt cùm dicitur, *hoc eſt corpus meum*; vel, *hic eſt calix ſanguinis mei*. Et ideo formæ aliorum Sacramentorum ex perſona miniſtri proferuntur, ſiue per modum exercentis actum, vt cùm dicitur, *Ego te baptizo*; vel, *Ego te confirmo:* ſiue per modum imperantis, vt in Sacramento Ordinis dicitur, *Accipe poteſtatem, &c.* ſiue per modum deprecantis, vt cùm in Sacrameoto Extremæ-Vnctionis dicitur, *Per iſtam vnctionem.* Forma autem Euchariſtiæ profertur ex perſona Chriſti loquentis; tum quia hæc conſecratio, ſeu conuerſio, à ſolo Deo fieri poteſt; tum quia miniſter in propria perſona nihil agit, ſed tantùm vt Chriſti inſtrumentum aoimatum operatur. Cùm autem conſecratio alicuius rei tamdiu duret, quamdiu in eſſe permanet res conſecrata, tandiu ſub ſpeciebus panis perſeuerat corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini ſanguis eius permanet, quamdiu incorruptæ durant prædictæ ſpecies: & conſequenter Euchariſtiæ Sacramentum eſt res permanens, nec in ſolo vſu cooſiſtit. Vnde qui hoc Sacramentum manducat, non dicitur illud facere, ſed conſumere. Si autem in vſu conſiſteret, reuera faceret qui manducaret, ſicut reuera baptizat qui abluit. Hinc verba v. g. formæ Baptiſmi, ad hominem qui baptizatur, referuntur, non ad aquam, quâ baptizatur, dum dicitur: *Ego te baptizo, &c.* At forma Euchariſtiæ non ad hominem qui manducat, ſed ad panem qui manducatur, dirigitur, dum dicitur, *Hoc eſt corpus meum.*

Patet ex diſcrimine inter Euchariſtiā & cætera Sacramenta.

Formæ aliorum Sacramentorum ex perſona miniſtri agētis proferuntur.

Forma autē Euchariſtiæ ex perſona Chriſti.

Qui Euchariſtiam manducat, nō dicitur illam facere, ſed conſumere.

184\. Nec propterea vſum huius Sacramenti contemnit Eccleſia, ſed commendat. Semper enim à Sacerdotibus io ordine ad manducationem, ſeu ſumptionem conſecratur Euchariſtia. Dum autem illa io pyxide cooſeruatur, hoc non eſt, vt non manducetur, ſed vt opportuno tempore manducetur, ſcilicet vt vrgente neceſſitate ad ægrotos deferatur. Nam varij, & repentini caſus exigunt, vt ſemper paratum ſeruetur hoc

Vſum Euchariſtiæ cōmendat Eccleſia.

Sacramen

Ideo ſeruatur, vt parata ſit omnibus indigentibus.

Sacramentum, & tanquam viaticum morientibus præbeatur. Dum autem aſſeruatur, non inconuenit, illud vel ſolenniter in publica populi ſupplicatione circumgeſtari, ad Chriſti triumphum per paſſionem ſuam recolendum; vel in Eccleſia ad fidelium deuotionem excitandam exhiberi.

TEXTVS XIV.

Caro cibus, ſanguis potus;
Manet tamen Chriſtus totus
Sub vtraque ſpecie.

EXPOSITIO TEXTVS.

185. *CARO cibus.* Poſtquam Doctor Angelicus in textu præcedenti res eximias ſub diuerſis ſpeciebus, panis & vini ſcilicet, latère in Euchariſtia aſſeruit, in hoc ſigillatim res illas exponit, earumque finem declarat. Ait ergo, *Caro cibus*; hoc eſt, ſub ſpecie panis, ſuppoſitâ eius ſubſtantiæ conuerſione in carnem Chriſti, quam docuit textu 11. dicens, *Dogma datur Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis, &c.* caro Chriſti Domini veraciter & realiter continetur. Nomine autem carnis, non ſola caro, ſed totum corpus Chriſti, ſcilicet oſſa, nerui, & alia huiuſmodi ſignificantur. Quod patet ex eo quod in forma huius Sacramenti, vt notauit idem S. D. *3.p.q.76.art.1.ad* 2. non dicitur, *hæc eſt caro mea*; ſed, *hoc eſt corpus meum.* Vnde cùm Dominus Ioan. 6. dixit, *Caro mea verè eſt cibus*; caro ponitur ibi pro toto corpore; quia ſecundùm conſuetudinem humanam videtur eſſe magis manducationi accommodata, prout ſcilicet homines carnibus animalium veſcuntur communiter, non autem oſſibus, vel aliis huiuſmodi.

Caro Chriſti in Euchariſtia oſſa, neruos, & alia huiuſmodi ad corpus neceſſaria continet.

186. Vt autem oſtendat ad quid caro Chriſti ſub ſpecie panis realiter lateat, inquit, *caro cibus*: vbi copula, ſeu verbum ſubſtantiuum *eſt*, debet ſuppleri, & idem prorſus eſt ac ſi dicat, caro eſt cibus; ideſt, ingenti amore Chriſti Domini, diuinâ ſui verbi virtute tranſmutatâ in eius carnem panis ſubſtantiâ, ſub illius accidentibus latet caro, vt ſit verus cibus Spiritualis Chriſtianorum; ad hoc enim mirabile hoc inſtitutum eſt Sacramentum, vt nouâ vitâ per Baptiſmum donatus Chriſtianus, in illa conſeruetur, creſcat, roboretur ſanctiſſimo Chriſti corpore, tanquam diuino, ſpiritali ac vitali alimento, eoque eius anima impinguata ad vitam nutriatur æternam. Ille etenim ſpiritalis cibus ea præſtat animæ, quæ corpori à cibo corporali conferuntur. Vnde licèt tremendum hoc myſterium ore corporis à fideli recipiatur, ſuos in anima producit effectus: quod Tertullianus *lib. de reſurr. carnis*, *c.* 8. eleganter expreſſit, dum inquit: *Caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.* Sequitur:

Euchariſtia præſtat animæ quæ cibus corpori.

187. *Sanguis potus*; ideſt, ſanguis Chriſti Domini, qui realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie vini continetur, ad idem munus ibi reperitur cum proportione, ad quod corpus ſub ſpecie panis realiter exiſtit, ſcilicet ad hoc vt à fideli per modum potus ſumatur: vnde etiam in his verbis ſubintelligitur copula verbi ſubſtantiui *eſt*, ac ſi dixerit, Sanguis eſt potus, ſicuti caro eſt cibus. Vnde liquet, in Euchariſtiæ Sacramento duas res, ſeu ſubſtantias, nempe corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini realiter ex vi verborum reſpectiuè contineri.

Sanguis Chriſti eſt in Euchariſtia, vt bibatur.

188. Nec tamen ſequitur, hoc Sacramentum multiplex eſſe, ac in duo, quorum vnum ſit corporis, alterum verò ſanguinis, diuiſum: nam vnicum Sacramentum eſt formaliter & perfectiuè, vt docet D. Thomas *3. p. q. 73. art.* 2. ex eo quod ordinatum ſit ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Cùm autem ad refectionem corporalem duo requirantur, nempe cibus qui eſt alimentum ſiccum, & potus qui eſt alimentum humidum; ideo caro Chriſti ſub ſpecie panis, tanquam ſpiritualis cibus; & ſanguis eius ſub ſpecie vini, tanquam ſpiritualis potus vnicam in Euchariſtia conſtituunt integram refectionem, & conſequenter vnicum ſacramentum vnitate ſpecificâ Sacramenti, aliàs vt loquitur D. Thom. *in 4. ſent. diſt.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. ſi eſſent duo Sacramenta in Euchariſtia, Sacramenta nouæ Legis non eſſent tantùm ſeptem, vt definitum fuit in Concil. Lateran. *cap. firmiter, de ſum. Trinitate*, & in Trident. *ſeſſ.* 7. Vnde in Catechiſmo B. Pij V. *parte 2. cap.* 4. dicitur: *Non plura, ſed vnum tantum Euchariſtia Sacramentum, Eccleſia authoritate ducti confitemur.*

D. Thom.

Euchariſtia vnicum eſt Sacramentũ, ad vnicam refectionem ordinatum.

D. Thom.

Conc. Later. Catech. Trid.

189. Hæc autem vnitas ſpecifica Sacramenti Euchariſtiæ deſumitur ex vnitate finis ad quem ex inſtitutione Chriſti hoc Sacramentum ordinatur: etenim Euchariſtia eſſentialiter eſt ſignum: ſignum autem & ſpecificationem, & vnitatem ſpecificam deſumit à termino ſignificato, qui in Euchariſtia eſt perfecta animi ſanctitas per modum ſpiritualis refectionis; ideoque ſicut cibus & potus vnum conuiuium materiale integrant, per ordinem ad vnam refectionem corporis; ita corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, vnam ſacramentalem comeſtionem, per ordinem ad vnam refectionem animæ. Sicut enim ad perfectam corporis refectionem indiget homo cibo vt roboretur, & potu vt à nimio refrigeretur calore: ita ad plenam refectionem ſpiritualem eget anima Chriſti corpore, vt in vita gratiæ roboretur; & eius ſanguine, vt ab ardore concupiſcentiæ liberetur. Vnde gratia habitualis cum ordine ad auxilia conſeruantia & roborantia in vita ſpirituali reſpondet Sacramento corporis exiſtentis ſub ſpeciebus panis: eadem verò gratia cum ordine ad auxilia extinguentia vel mitigantia concupiſcentiam, reſpondet Sacramento ſanguinis exiſtentis ſub ſpeciebus vini; ideoque Zachar. 9. *vinum germinans virgines* appellatur. Sed de hoc jam ſuprà loquuti ſumus, & infrà redibit ſermo.

Corpus & ſanguis Chriſti per ordinem ad vnicam refectionem animæ vnicũ ſpecie ſunt Sacramentũ.

Euchariſtia eſt vinum germinans virgines.

190. Quamvis autem vnicum ſpecie ſit Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia; tamen plura ſunt numero Euchariſtiæ Sacramenta, quæ variis in Eccleſiis vel altaribus conficiuntur & conſeruantur. Tum quia hoc Sacramentum ſupponit pro ſpeciebus conſecratis, quæ cùm non ſint eædem numero, Romæ v.g. exiſtentes, cum exiſtentibus Pariſiis, vt ex ſe patet, aliàs eædem ſpecies ſimul eſſent in duobus locis adæquatis, quod eſt omninò impoſſibile, non eſt idem numero Sacramentum. Tum quia vnitas numerica Sacramenti petitur ex vnitate materiæ & formæ; vnde quando multiplicantur ablutiones & formæ Sacramenti Baptiſmi, plura ſunt numero Baptiſmata; quando autem Sacerdotes variis in Altaribus & Eccleſiis celebrant, plures ſunt numero materiæ & formæ

Eſt multiplex numero.

Euchariſtiæ: & conſequenter numericè multiplicantur Sacramenta, maximè cùm illæ diuerſæ ſpecies conſecratæ ad diverſas refectiones ſpirituales ordinentur; nuſquam enim panis in corpus Domini, & vinum in eius ſanguinem conſecratur, niſi vt ſumantur vel à miniſtris conſecrantibus, vel à fidelibus poſtulantibus & indigentibus. Nam vt ait Chriſtus Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.*

Sanguis eſt in corpore, & corpus in ſanguine Chriſti in Euchariſtia.

191. Deinde ſubiungit D. Thomas: *Manet tamen Chriſtus totus ſub vtraque ſpecie.* Vbi S. D. ſuum proſequitur inſtitutum, & totum Chriſtum ſub vtraque panis & vini ſpecie realiter contineri docet. Ac ſi diceret, non ſolùm caro Chriſti, quæ cibus ſpiritualis eſt, ſub ſpecie panis verè & realiter continetur, ſed etiam eius ſanguis, anima, & omnia quæ ad ipſum Chriſtum conſtituendum deſiderantur: & ſimiliter ſub ſpecie vini non ſolùm ſanguis Chriſti, tanquam potus ſpiritualis realiter exiſtit, ſed etiam eius caro, totumque eius venerabile corpus: ita vt totus Chriſtus inueniatur ſub ſpecie panis, & totus etiam lateat ſub ſpecie vini.

Non eodem, ſed diuerſo modo.

192. Attamen non eodem modo ſanguis Chriſti per modum potus ſpiritualis reperitur ſub ſpecie panis, quo corpus: nec hoc corpus per modum cibi reperitur ſub ſpecie vini, quo ſanguis: nam primò & per ſe, ſeu ex vi Sacramenti, vel ex vi verborum corpus ſub ſpecie panis dumtaxat reperitur, ſanguis autem etiam ſub eadem ſpecie exiſtit, ſed concomitanter, ex reali & naturali connexione quam cum corpore Chriſti habet: ſimiliter ſub ſpecie vini, ex vi Sacramenti, ſeu ex vi verborum ſanguis dumtaxat continetur; corpus autem non niſi concomitanter, & ex naturali connexione, quâ cum eius ſanguine nectitur. Vnde in primis verbis huius textus, dum D. Thomas dixit, *Caro cibus, ſanguis potus*, explicuit ea quæ ex vi verborum formaliter continentur ſub ſpecie panis & vini; docuitque ſolum corpus nomine carnis ſignificatum, ſub ſpecie panis formaliter & ex vi Sacramenti contentum, cibum eſſe Chriſtianorum: & ſimiliter ſolum ſanguinem formaliter & ex vi verborum ſub ſpecie vini latitantem, potum exiſtere fidelium: dum autem addidit, *manet tamen Chriſtus totus, &c.* expoſuit ea quæ veluti ſecundariò, concomitanter, & ex neceſſaria ac naturali connexione, quæ reperitur inter partes corporis Chriſti, cum ipſo corpore ſub ſpecie panis, & cum ſanguine ſub ſpecie vini continentur. Hoc autem plenè præſtitit, dum dixit: *Manet tamen Chriſtus totus ſub vtraque ſpecie.* Totus enim Chriſtus, hoc eſt eius corpus, ſanguis, anima, immò & perſona Verbi Diuini, verè & realiter, vel ex vi Sacramenti, ſeu verborum, vel concomitanter exiſtunt ſub ſpecie panis, & etiam ſub ſpecie vini in Euchariſtia. Verùm quia de his jam diſſeruimus in Elucidatione textus præcedentis, ideo ab his modò abſtinemus, ad exponendum ſequentem textum properantes.

TEXTVS DECIMVSQVINTVS.

A ſumente non conciſus,
Non confractus, non diuiſus,
Integer accipitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

EXPLANATIS rebus eximiis, quæ in Sacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini latent, vel ex vi verborum quæ in forma conſecrationis panis & vini proferuntur, ſeu ex vi Sacramenti; vel ex naturali ac neceſſaria connexione, & concomitanter, in præcedenti textu à Doctore Angelico: explicat S. D. in iſto, quem modò elucidamus, ſtatum earum rerum, ſeu modum quo in Sacramento Euchariſtiæ ſub præfatis ſpeciebus exiſtunt. Cùm autem res eximiæ in Euchariſtia latentes, ſint corpus & ſanguis Chriſti ex vi verborum, eiuſque anima ac Diuini Verbi perſona ex naturali ac neceſſaria connexione, ſeu concomitanter, atque ideo totus Chriſtus ſub vtraque ſpecie realiter reperiatur; præfatarum rerum ſtatum & modum exiſtendi exponit D. Th. dum modum quo Chriſtus ibi exiſtit, explanat. 193.

Totus Chriſtus ſub vtraque ſpecie.

Sed quia, vt ex dictis ſuprà ſatis liquet, Chriſtus non eſt realiter in hoc myſterio, niſi ex reali conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus eius, & ex reali tranſmutatione ſubſtantiæ vini in eius ſanguinem; corpus & ſanguis Chriſti ſubſtantiis panis & vini in hoc ſacramento, diuina verbi virtute ſuccedentia, ſubſtantialiter tantùm reperiuntur, hoc eſt per modum ſubſtantiæ ibi ſunt ſine extenſione in ordine ad locum, ſine diuiſibilitate proxima; & conſequenter in hoc Sacramento Chriſtus exiſtens ſubſtantialiter & inextenſus in ordine ad locum, eſt omninò incorruptibilis, inalterabilis, indiuiſibilis, ac nullo modo alterationibus quæ in reali manducatione, ſeu ſumptione accidunt, obnoxius: quod vt explicet Angelicus Doctor, inquit: 194.

Ad modum ſubſtantiæ & indiuiſibiliter.

A ſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus. Hoc eſt, Chriſtus Dominus, qui verè & realiter eſt in Euchariſtia, dum ſub ſpecie panis in ſuo corpore manducatur; & ſub ſpecie vini in ſuo ſanguine realiter bibitur, quia totus eſt realiter ſub vtraque ſpecie, à ſumente, hoc eſt à manducante, non ſcinditur, non frangitur, non diuiditur: neque enim dum à Sacerdote ſacra myſteria celebrante, antequam comedatur, in tres partes diuiditur & frangitur Sacramentum, ſeu conſecrati ſpecies panis, diuiditur, ſcinditur, aut frangitur ipſe Chriſtus: neque dum manducatur eadem ſpecies, dentibus atteritur aut comminuitur ipſe Chriſtus ſub hac ſpecie realiter exiſtens; ſed ipſa quantitas dimenſiua panis, & alia accidentia, conuerſâ ſubſtantiâ panis in corpus Chriſti, remanentia verè franguntur, ſcinduntur, diuiduntur, dentibus atteruntur, & maſticantur. Vnde, vt ait D. Thomas 3. *p. q.* 77. *art.* 7. ſicut ſpecies ſacramentales ſunt Sacramentum corporis Chriſti veri, quia ſcilicet illud repræſentant & continent; ita fractio, ſeu diuiſio ſpecierum eſt Sacramentum Dominicæ paſſionis, quæ fuit in corpore Chriſti vero. 195.

Et ideo dum manducatur, non ſcinditur, non frangitur, non diuiditur, licèt ſpecies frangantur, & diuidantur.

Nequie

196. Nequit autem corpus Chriſti hoc in Sacramento exiſtens ſcindi, frangi, aut diuidi; tum quia eſt incorruptibile, & impaſſibile; tum quia eſt totum ſub qualibet parte ſpecierum: eſt enim ad modum ſubſtantiæ, de cuius natura eſt, quod ſit ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur: quod tamen eſt contra rationem eius quod frangitur. Quamvis autem ſubſtantia corporis Chriſti ſuccedat ſubſtantiæ panis, quæ in corpus Chriſti conuertitur; attamen non eſt ſubiectum illarum dimenſionum, ſeu quantitatis, ſicuti erat ſubſtantia panis. Et ideo ſubſtantia panis ratione ſuarum dimenſionum erat ibi localiter, quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimenſionibus: quia autem ſubſtantia corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis, nempe panis, ita vt è conuerſo propriæ dimenſiones corporis Chriſti compatentur ad locum illum mediante ſubſtantiâ; ideo nullo modo corpus Chriſti eſt localiter in hoc Sacramento, nec per ſe ibi poteſt localiter moueri, nec conſequenter frangi, aut diuidi.

Nequit frangi, aut diuidi corpus Chriſti in Eucharistia, & quare.

Non eſt localiter in Sacramento.

197. Sed huic catholicæ non repugnat doctrinæ illud quod à Berengario ſancti Mauritij Andegauenſis Archidiacono in confeſſione ſua, quæ à Concilio Romano approbata fuit, & refertur in decreto de Conſ. diſt. 2. *Ego Berengarius*, dicitur, ſcilicet: *Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & corde & ore profiteor, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem verum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, & in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Hoc enim modo loquendi vſus eſt Berengarius, vt luculentiùs, errore ſuo à ſe reuocato & damnato, Fidem Catholicam de reali præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia profiteretur, & nullus in verbis ſuis de fide eius ambigendi locus relinqueretur.

Confeſſio Berengarij corporis Chriſti indiuiſibilitati non obſtat.

198. Illa autem pertractatio, fractio, & dentibus fidelium attritio, quam in corpore Chriſti confitetur, non in illo corpore, ſed in ſpeciebus, ſub quibus latet, intelligenda eſt. Hæ enim verè tegentes corpus Chriſti, verè manibus Sacerdotum tractantur, franguntur, & fidelium dentibus atteruntur. Vnde ex maxima vnione, quæ inter has ſpecies, & corpus Domini intercedit, ea quæ ſolùm in ſpeciebus poſſunt fieri, corpori attribuuntur, vt fractio & diuiſio, quæ omninò eidem corpori repugnant. Vnde D. Th. 3. *p. q.* 77. *art.* 7. *ad* 3. ait: *Illud quod manducatur in propria ſpecie, ipſum & frangitur, & maſticatur in ſua ſpecie. Corpus autem Chriſti non manducatur in ſua ſpecie, ſed in ſpecie Sacramenti; & ideo ipſum corpus Chriſti non frangitur, niſi ſecundùm ſpeciem ſacramentalem.*

Fractio fit in ſpeciebus, non in Chriſti corpore.

D. Thom.

199. Quo ſenſu intelligendi ſunt ſancti Patres, dum vt corporis Chriſti veritatem in Euchariſtia magis inſinuent, dicunt illud tangi, frangi, & dentibus atteri. Sic enim Chryſoſt. *hom.* 83. *in Matth.* ait: *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis.* Et hom. 45. in Ioan. *Non ſe tantùm videri permittit deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi.* Et hom. 24. in 1. ep. ad Cor. *quod in cruce paſſum non eſt, id in oblatione patitur, & propter te frangi ſuſtinet, vt omnes ſatiet.* Quo etiam ſimili modo Chriſtus *Luc.* 8. 46. dixit: *Quis me tetigit:* Et 47. *Tetigit me aliquis.* Et tamen nemo ipſum, ſiue eius corpus immediatè tetigerat, ſed ſolùm mediante fimbriâ veſtis. Et apud homines frequenter dicitur, totum me madefecit pluuia, licèt ſolum pallium, & non corpus, aquâ fuerit aſperſum. Non ergo mirum, ſi fractis, & attritis panis ſpeciebus immediatè, ſub quibus realiter latet corpus Chriſti, ipſum corpus frangi dicatur, licèt minimè in ſe frangatur: nam in Scriptura Angeli ſæpiſſimè dicuntur videri, recipi, & tangi, cùm in corporibus aſſumptis videntur, recipiuntur & tanguntur; non autem in ſeipſis. Cùm enim ſint ſpirituales creaturæ, nec videri poſſunt oculis corporis, nec tangi. Vnde illis hominibus qui exiſtimabant corpus Chriſti, dum manducaretur, frangi, dilaniari, & dentibus in propria ſpecie atteri, dixit Saluator Ioan. 6. *Caro non prodeſt quidquam.* Quod exponens Auguſt. *tract.* 27. *in Ioan.* ait: *Hoc eſt intelligendum ſecundùm illos, qui carnaliter intelligebant: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in Cadauere dilaniatur, aut in macello venditur.* Quod nullo modo contingit in hoc Sacramento; nam confeſſio Berengarij à Romano Concilio approbata, tantùm voluit, corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini exiſtere, & ideò in illa dicitur, quod tangitur, &c. Quod debèt intelligi mediantibus ſpeciebus, ſub quibus veraciter latet, ſicuti Chriſtum tetigiſſe mulier illa dicta eſt, quæ fimbriam eius veſtimenti, quo tegebatur, tetigit, & Angelos mediantibus corporibus ab eis aſſumptis tetigerunt plures, quibus in Scriptura Angelos apparuiſſe legitur.

D. Chryſoſt.

Impropria eſt locutio, dum corpus Chriſti dicitur tangi & diuidi.

Tacta veſte, Chriſtus dicebatur tangi.

Angeli dicuntur videri, recipi, & tangi impropriè.

D. Auguſt.

200. Poſtquam autem S. D. quod non accidit Chriſto in Euchariſtia latenti, dum vel à Sacerdotibus, vel à Fidelibus ſumitur, explicuit dicens, *à ſumente non conciſus, &c.* ſtatim ſubdit ſtatum eius, in quo ſumitur, & manducatur, dicens, *integer accipitur;* Vbi Angelicus Magiſter Chriſti Domini integritatem optimè ſtatuit ex præcedentibus. Cùm enim nullo modo diuidatur, nec ſcindatur, nec frangatur, dum comeditur & ſumitur; quia ad modum ſubſtantiæ, & vt cibus ſpiritualis, inextenſus in ordine ad locum, & ad proximam diuiſibilitatem, in hoc Sacramento exiſtit, & ſumitur; ideo manifeſtè ſequitur, quod integer accipitur.

Chriſtus integer in Euchariſtia ſumitur.

201. Hoc autem accidit, ſiue tota hoſtia conſecrata, v. g. & maioris quantitatis; ſiue tantum illius particula, vel alia minima hoſtia accipiatur; nam cùm corpus Chriſti totum, & integrum, ac omninò indiuiſibile reperiatur in omnibus partibus ſpeciei panis conſecrati, ſiue hoſtiæ, etiam ante quamcunque fractionem panis ſiue hoſtiæ, & conſequenter idem corpus totum & integrum in minima hoſtia, & in qualibet illius parte, ſicut & in maxima, & in omnibus eius partibus exiſtat; non poteſt ſumi particula hoſtiæ, vel minimæ, vel maximæ, niſi totus & integer Chriſtus, cum omnibus ad eius formalem conſtitutionem requiſitis accipiatur.

In minima particula hoſtiæ totus & integer Chriſtus.

202. Cuius rei, licèt altiſſimæ & omninò ſupernaturalis, quædam in natura aſſignantur exempla ad faciliorem tanti myſterij intelligentiam. Nam eadem vox ab eodem Concionatore prolata, ſimul & ſemel in mille v. g. auribus hominum recipitur; quamvis ſic in variis auribus exiſtens non ſit vna numero, ſed tantùm ſpecie: ergo idem numero corpus Chriſti diuinâ virtute poterit ſupernaturaliter ſimul & ſemel integrum ac indiuiſibile in pluribus hoſtiis conſecratis exiſtere. Sicut autem in pluribus partibus eiuſdem

Quod ſuadet exempla.

ſpeculi

ſpeculi fracti, eadem imago vnius hominis integra apparet; ita cum proportione in pluribus particulis ſpeciei panis fractæ vnum & idem numero corpus Chriſti integrum reperitur. Quod quidem, vt loquitur D. Thomas 3. *p. q.* 76. *art.* 3. non eſt omninò ſimile, quia multiplicatio huiuſmodi imaginum accidit in ſpeculo fracto propter diuerſas reflexiones ad diuerſas partes ſpeculi; hîc autem non eſt niſi vna conſecratio, propter quam corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento, & in omnibus partibus ſpeciei panis conſecrati. Ex quibus liquet, quod dum Chriſtiani ad ſacram accedunt Synaxim, ſiue magnam, ſiue paruam, ſiue integram, ſiue fractam, ſiue totam hoſtiam, ſiue illius particulam accipiant, ſemper totum Chriſtum integrum, ac in ſeipſo indiuiſum recipiunt.

In parua vel magna, vel etiam in minima particula hoſtiæ totus eſt Chriſtus.

TEXTVS XVI.

Sumit vnus, ſumunt mille;
Quantum iſti, tantum ille:
Nec ſumptus conſumitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

203. PERGIT Sanctus Doctor in hoc textu exponere, quod in præcedenti inceperat: & cùm jam dixerit Chriſtum in Euchariſtia nec ſcindi, nec frangi, nec diuidi, ſed integrum, & indiuiſum à fidelibus in ſacra Communione ſumi; optimè nunc ſubiungit, quod dum ab vno, vel à multis ſumitur, eodem modo ab omnibus, hoc eſt integer & indiuiſus recipitur, & conſequenter cùm multi communicant, vnum tantùm Chriſtum recipiunt, qui cùm etiam ab vno ſolo totus & integer recipiatur, non magis habent multi, quàm habeat vnus; & tantùm habet vnus, quantùm à mille recipitur. Dicit ergo, *Sumit vnus, ſumunt mille; quantum iſti, tantum ille*; hoc eſt, licèt vnus ad ſacram accedat menſam, tremenda accepturus myſteria, omninò tantum recipit, quantum accipiunt mille homines, qui huius menſæ cœleſtis participes efficiuntur. Nam vt ait D. Auguſtinus relatus à D. Thoma 3. *p. q.* 76. *art.* 3. *in arg. Sed contra*, & habetur *de conſecr. diſt.* 2. *cap.* Singuli: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.*

In ſingulis partibus hoſtiæ totus eſt Chriſtus, nec per ſingulas minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.

204. Quamvis autem corpus Chriſti ſuam habeat in hoc Sacramento quantitatem, cum qua realem habet connexionem, & à qua nullo modo ſeparatur: tamen exiſtit totum & actu ſub ſingulis partibus ſenſibilibus hoſtiæ inter ſe diuiſis, ſicut de fide definitum fuit in Concil. Florent. *in decreto vnionis*, & in Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 3. & conſtat ex facto Chriſti, qui *Luc.* 22. 17. conſecrato calice, diſcipulis præbuit, dicens: *Accipite, & diuidite inter vos.* Quod neceſſariò ſupponit in ſingulis ſpeciebus ſeparatis fuiſſe totum Chriſtum, aliàs ſinguli partem calicis ſumentes non ſumpſiſſent totum Chriſtum.

Conc. Flor.

205. Similiter totus Chriſtus actu exiſtit ſub ſingulis partibus hoſtiæ coniunctis ante quamlibet diuiſionem, quia tunc eodem modo corpus Chriſti eſt ſub ſingulis partibus ſenſibilibus hoſtiæ conſecratæ, quo ſubſtantia panis erat ſub illis ante conſecrationem: ſuccedit enim corpus Chriſti per conuerſionem illam mirabilem ſubſtantiæ panis, quæ in ipſum conuerſa eſt: ſed ante conſecrationem, ſubſtantia panis erat tota, & actu in ſingulis partibus hoſtiæ: ergo ſimiliter corpus Chriſti factâ conſecratione ſub eis exiſtit totum & integrum, immò & indiuiſibile.

Nec quantitas extenſiua, quæ in corpore Chriſti hoc in Sacramento remanet, facit illud extenſum ac diuiſibile proximè, & in ordine ad locum. Duplex enim extenſio oritur à quantitate: alia in ordine ad ſe, quæ extenſionem & continuationem partium in ſe præſtat, vt vna immediatè continuetur vni, & mediatè cæteris: caput enim immediatè continuatur collo, eoque mediante, pectori, cæteriſque corporis partibus: & hæc extenſio eſt eſſentialis & inſeparabilis à quantitate. Alia eſt extenſio in ordine ad locum, quâ partes ſituantur & extenduntur in ordine ad ſpatium, vt vna pars corporis reſpondeat vni, & alia alteri parti ſpatij: hæc autem extenſio eſt accidentalis, ſeparabilis à quantitate, & in prædicamento ſitus; dimanatque à prima extenſione, ſicut effectus & paſſio, vt à principio & radice: vnde prima extenſio poteſt eſſe ſine ſecunda; non autem ſecunda ſine prima. In Sacramento autem Euchariſtiæ, quantitas quæ remanet in corpore Chriſti tribuit tantùm primam extenſionem, nempe in ordine ad ſe; non autem ſecundam, ſeu in ordine ad locum: & ideo corpus Chriſti, licèt quantum, in hoc Sacramento eſt inextenſum, indiuiſibile, & nullo modo in loco conſtitutum, & optimè poteſt eſſe totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ; maximè cùm eius dimenſiones quantitatis non ſint in hoc Sacramento, niſi ratione ſubſtantiæ, in quam immediatè ſubſtantia panis conuertitur. Quamvis idem corpus ſit radicaliter diuiſibile, & extenſum, quod nullo modo repugnat. 206.

Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt extenſum in ordine ad ſe, non verò in ordine ad locum.

Ex quibus omnibus apertè liquet, vnum hominem ſacram Synaxim recipientem, tantum in ea recipere, quantum recipiunt plures: quod intelligendum eſt de ipſo corpore Chriſti, prout continetur in hoc Sacramento, cùm ſit idem in maioribus & in minoribus hoſtiis, & in omnibus partibus hoſtiarum: non autem de effectibus huius Sacramenti, vt ſunt augmentum gratiæ, refectio ſpiritualis, dulcedo quædam, ſeu conſolatio, ac lætitia interna, &c. huiuſmodi enim effectus maiores vel minores ſunt juxta maiorem vel minorem diſpoſitionem, ſeu deuotionem recipientium; quamvis enim omnes qui ore corporali hoc recipiunt Sacramentum, corpus Chriſti in eo veraciter exiſtens accipiant; tamen non omnes effectus huius recipiunt Sacramenti, ſed hoc tantùm illis conceditur, qui in ſeipſis probati, cum deuotionis feruore, aliiſque requiſitis diſpoſitionibus panem hunc cœleſtem & myſticum comedunt. Sed de his infrà erit ſermo. Interim ſequentes Authorem ſequentia eius verba exponamus. Ait ergo: 207.

Tantum recipit vnus, quantum recipiunt plures homines in Euchariſtia.

Nec ſumptus conſumitur; hoc eſt, licèt Chriſtus Dominus integer & totus, ſiue ab vno, ſiue à pluribus communicantibus ſumatur, adhuc ſumptus & manducatus integer perſeuerat, non quidem in illis numero hoſtiis quæ ſumptæ ac receptæ ſunt; quamdiu enim harum ſpecies durant, tamdiu ſub illis exiſtit corpus Chriſti; ſed destructis illis ſpeciebus, ſiue per naturalem 208.

Chriſtus manducatus, non conſumitur.

calorem

calorem ſeu concoctionem recipientium, ſiue aliter, ibi deſinit eſſe corpus Chriſti ad deſitionem illarum: manet tamen integrum in ſimilibus ſpeciebus, quæ ſemper ad vrgentes neceſſitates in Eccleſia aſſeruantur, & vſque ad ſeculi conſummationem conſeruabuntur.

209. Vnde mirum quid ac ſtupendum in ſacra accidit Euchariſtia, nempe quod hoſtia quæ hoc in ſacrificio Deo offertur & immolatur, licèt verè ab omnibus, qui tanti ſacrificij cupiunt eſſe participes, comedatur; attamen eadem ſemper remanet integra, vt ſeſe aliis & aliis vſque ad finem ſeculi præbeat manducandam. Quod Andreas Apoſtolus intrepidè coram Ægea Proconſule confeſſus eſt: cùm enim ab illo vt Diis immolaret, hortaretur: Reſpondit, vt ex eius actis à Presbyteris & Diaconis Achaiæ conſcriptis, & Breuiario Rom. liquet: *Ego omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie immolo in altari, cuius carnem poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, ac viuus.*

Sed integer perſeuerat ac viuus. *Andr. Apoſt.*

TEXTVS XVII.

Sumunt boni, ſumunt mali;
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.

EXPOSITIO TEXTVS.

210. POSTQVAM ſanctus Doctor in duobus præcedentibus textibus ſtatum, hoc eſt impaſſibilitatem corporis Chriſti, quod nec à ſumente frangitur, nec laceratur, nec diuiditur, ſed integrum à quolibet communicante ſumitur, explicuit; nunc idem corpus conſiderat in ordine ad ſumentes, ſeu manducantes; variosque juxta diuerſam illorum diſpoſitionem, in eis effectus à tanto Sacramento produci demonſtrat. Ait ergo:

211. *Sumunt boni, ſumunt mali*; hoc eſt, omnes ad ſacram menſam accedentes, ſiue juſti ſint, ornati fide, ſpe roborati, & charitate accenſi, aliiſque virtutibus præditi; ſiue iniuſti ac peccatores, omniumque criminum rei, Sacramentum Euchariſtiæ recipientes ac manducantes, verè recipiunt ore corporis pretioſum Domini corpus ſub ſpeciebus panis veraciter exiſtens; ita vt non opus ſit actuali deuotione, vel fide recipientis, vt Chriſtus verè ſumatur. Cùm enim non ſit in hoc Sacramento fide vel tradentis, vel ſuſcipientis, ſed ipſa conſecratione materiæ, quæ conuerſione, ſeu tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti perficitur, non poteſt non ſumi à manducante ſeu ſuſcipiente hoſtiam conſecratam, ſiue ſuſcipiens bonus, ſiue malus ſit. Sed quia idem corpus ſacramentaliter ac veraciter receptum à bono, & à malo; à bono cum magna recipitur vtilitate; & à malo ad maximam eius perniciem ac ruinam ſumitur; ideo ſubdit Doctor Angelicus:

Recipientes Euchariſtiã, ſiue juſti, ſiue iniuſti, verè recipiunt corpus Chriſti.

212. *Sorte tamen inæquali, vita vel interitus*; hoc eſt, diuerſo ac inæquali judicio, quo boni ex hoc Sacramento vitam, ſeu vitæ augmentum, conſeruationem, ac conſummationem, ſeu perfectionem, hoc eſt gloriam; mali verò mortem, vel temporalem, vel æternam incurrunt. Etenim vt notat idem D. Th. lect. 3. in cap. 1. ep. ad Coloſſ. *Sors nihil aliud eſt, quàm committere aliquid diuino judicio.* Sicuti Apoſtoli *Act.* 1. 26. ſtatutis Ioſeph, & Mathia, vt vnus eorum Iudæ proditoris locum acciperet, *dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam.* Vnde cùm in hoc textu dicitur, *ſorte tamen inæquali*, idem eſt, ac ſi diceretur, judicio oppoſito, boni vitam, mali mortem à corporis Domini Sacramento hauriunt.

Sed ex hac receptione boni vitam, mali mortẽ hauriunt.

D. Thom.

Quid ſit ſors.

213. Licèt enim omnes corpus ſuſcipiant Chriſti, non tamen omnes mirabiles illius effectus recipiunt; quod prouenit ex vario & oppoſito recipientium ſtatu. Quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur, vt loquuntur Philoſophi: & vt inquit Auguſtinus, *Palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis; & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.* Nam vt docent Philoſophi, actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito. Vnde ſicut optimè notant Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. rectè ac ſapienter Sancti Patres tres Euchariſtiam ſuſcipiendi modos diſtinxerunt: alij enim tantùm ſacramentaliter illam ſuſcipiunt, & corpus Domini, quod realiter eſt ſub ſpecie ſacramenti, recipiunt, vt peccatores: alij illam duntaxat ſpiritaliter accipiunt, illi nimirum, qui voto propoſitum illum panem cœleſtem edentes, fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt: alij denique ſacramentaliter ſimul & ſpiritaliter hoc ſuſcipiunt Sacramentum, illi ſcilicet qui in ſe probati, ac perfecta contritione, vel Sacramento pœnitentiæ purgati, veſte nuptiali induti, ad hanc diuinam menſam accedunt. Ex quibus qui tantùm ſacramentaliter corpus Domini ſuſcipiunt, mortem hauriunt: illi verò qui vel ſpiritualiter duntaxat, vel qui ſimul ſpiritualiter & ſacramentaliter Euchariſtiam recipiunt, ab illa vitam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro feliciter adipiſcuntur. Quod D. Thomas ſubiungit in textu ſequenti.

D. Auguſt.

Actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito. *Concil. Trid.*

Tres modi ſuſcipiendi Euchariſtiã.

Sacramentaliter, ſpiritualiter, & ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter.

TEXTVS XVIII.

Mors eſt malis, vita bonis:
Vide paris ſumptionis,
Quàm ſit diſpar exitus.

EXPOSITIO TEXTVS.

214. HOc in textu explicat Doctor Angelicus inæqualitatem ſortis eorum qui venerabile Euchariſtiæ Sacramentum inæquali diſpoſitione, ſeu præparatione ſuſcipiunt. Cùm enim in præcedenti dixerit, bonorum & malorum corpus Domini manducantium inæqualem eſſe ſortem, ſiue ad vitam, ſiue ad interitum, hîc ſigillatim illorum ſortem declarat, & aſſerit malos diuino ex hoc alimento necem, bonos verò vitam capeſſere. Ait ergo:

215. *Mors eſt malis*; hoc eſt, cibus iſte qui à Domino *panis viuus*, & *panis vitæ* appellatur, dum ab iniquis abſque pœnitentia, & deuotione feruore charitatis accenſa manducatur, eis non vitam confert, ſed interitum. Itaque ex hominum malitia & praua recipientium diſpoſitione Sacramentum, quod *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis* à S. Ignatio Epiſcopo *ep.* 14. *ad Epheſios* appellatur, mortem effundit. Vt enim juxta bonam vel malam edentium diſpoſitionem cibus corporeus vel ad longiorem prodeſt

S. Ignat. Ex praua diſpoſitione ſuſcipientiũ panis vitæ mortem præbet.

vitam, vel ad promptiorem obeſt interitum; quod Tertullianus ad Senatorem transfugam expreſſit, dicens:

Eſcâ alitur corpus, corpus corrumpitur eſcâ.

Ita ſpirituale corporis Domini alimentum ex varia ſuſcipientium habitudine, vitæ, vel necis exordium eſt, & conſummatio. Vnde D. Auguſt. *ſerm.* 1. de tempore: *Mutet*, inquit, *vitam, qui vult accipere vitam* (ideſt Euchariſtiam.) *Nam, ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur: magis occiditur, quàm viuificatur.*

D. Auguſt.

Mutet vitā qui vult Euchariſtiam ſumere.

216\. His accedit, quod ab omnibus Theologis Euchariſtiæ Sacramentum inter viuorum Sacramenta connumeratur, atque ideo à viuentibus vitâ ſpirituali deuotè ac reuerenter debet ſuſcipi, vt proſit, ac longiorem & æternam conferat vitam: ſi autem ab hominibus peccato obnoxiis, vitaque ſpirituali carentibus accipiatur, nec illos reficit, nec delectat, nec viuificat, ſed occidit. Nam vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 11. 27. ſic indignè manducans Euchariſtiam *reus erit corporis & ſanguinis Domini: qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit*, quo vtique mortem incurrit; & ideò ſubdit Apoſtolus: *Inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Vbi mortem non ſolùm temporalem, ſed etiam æternam indignè ſumentibus in tanti ſacrilegij pœnam dari Apoſtolus commemorat. Sed de hoc fuſiùs infrà in elucidatione. Deinde addit D. Thomas.

Euch. Sacramentum viuorum, à viuentibus vita ſpirituali debet ſuſcipi.

217\. *Vita bonis*; hoc eſt, diuiniſſimum hoc Sacramentum à Chriſtianis juſtis ac debitè probatis ac purgatis receptum vitam illis conſeruat, auget, prolongat, & perficit. Quod de vita gratiæ ac ſpirituali, quæ potiori jure quàm corporea, vita appellatur, intelligendum eſt. Vnde & hoc admirabile Sacramentum à priſcis Chriſtianæ Religionis cultoribus, vt refert Baron. *tom.* 1. *Annal. edit. Rom. pag.* 160. antonomaſticè vita vocabatur; atque ideo apud illos perinde erat ire ad vitam, adorare vitam, ſuſcipere vitam; atque ire ad Euchariſtiam, adorare Euchariſtiam, ſuſcipere Euchariſtiam. Vnde D. Auguſt. *lib.* 1. *de pecc. mer. & remiſſ. cap.* 24. ait: *Optimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud, quàm ſalutem; & Sacramentum corporis Chriſti, nihil aliud, quàm vitam vocant.* Verùm de hac materia ſuprà jam loquuti ſumus, & infrà redibit ſermo. Pergit autem S. Thomas.

Baron

Euchariſtia vita appellabatur.

D. Auguſt.

218\. *Vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus*; hoc eſt, varios & inæquales effectus ab eadem veloti cauſa prouenientes demirare, attende, & conſidera: nam cùm idem Sacramentum corporis & ſanguinis à bonis & à malis ſuſceptum oppoſitos effectus habeat in bonis, iis quos in malis producit; illos enim reficit, delectat, roborat, & conſeruat: iſtos autem torquet, & necat; nonne einſdem ſumptionis *diſpar exitus* eſt admirandus?

Diuerſi ab ead. Euchar. effectus.

219\. Sed diuerſitas horum effectuum ex varia ſuſcipientium diſpoſitione omninò oritur. Idem enim Sacramentum, vt vitam omnibus præſtaret, vel conſeruaret, vel augeret ſumentibus, à Chriſto Domino inſtitutum eſt: non ergo ex defectu Sacramenti, ſed ex malitia ſuſcipientium mors à vitali cibo procedit. Vt enim eadem roſa odoris ſuauitate homines, apeſque recreat, & obſcœnum interficit ſcarabæum; vnde hoc lemmate, *turpibus exitium*, donata fuit: ita idem corpus Domini Ieſu, qui *Flos campi*, ſeu vt alij legunt, *Roſa campi*, Cant. 2. 1. appellatur, puris ac juſtis hominibus vitam; impuris & obſcœnis confert mortem. Si enim de odore; quem mira Chriſti doctrina, diuinaque exempla toto terrarum ſpargebant orbe, loquutus Paulus dixit 2. *Cor.* 2. 16. aliis quidem *mortis in mortem*, *aliis* autem eſt *odor vitæ in vitam:* mirum nemini videatur illius corporis & ſanguinis odore Sacramenti & malos occidi, & bonos confortari.

Ex diuerſa ſuſcipientiū diſpoſitione.

Roſa odore Apes recreat, & ſcarabæū interficit.

220\. Eiſdem radiis lutum indurat, & ceram liquefacit Sol, totius corporei ſcaturigo luminis: nec diſſimili modo juſtitiæ Sol, omniſque ſpiritualis principium ſplendoris Chriſtus Dominus in Euchariſtia concluſus, juſtorum corda igne liquefacit charitatis, & improborum animas indurat, ac caligine mortis inuoluit.

Sol eodem radio ceram liquefacit, & lutum indurat.

221\. Pergratus eſt hominibus florentium odor vinearum, vnde Sponſam vt ad ſe veniret inuitans Sponſus dicebat Cant. 2. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum, ſurge amica mea, &c.* qui tamen non ſolùm *ſerpentes fugat, ſed enecat*, vt notat D. Thom. *lect.* 3. *in c.* 2. *ep.* 2. *ad Cor.* Sic ergo qui vitis veræ titulo gloriatur Chriſtus Dominus *Ioan.* 15. 1. juſtis ad ſacram menſam accedentibus vites, vitamque: injuſtis autem diro antiqui ſerpentis veneno turgidis mortis ſpargit odorem.

Odor vinearum recreat hominem, necat ſerpentem.

222\. Ipſa ſanctiſſimæ Euchariſtiæ figura præſtantiſſima fœderis Arca, in qua ſedens ſuper Cherubim Dominus morabatur, Bethſamitas occidit, & Cariathiarim incolas ſeruauit: Ozam interfecit, domui Obededon benedixit: Palæſtinos ingentibus afflixit cladibus, Hebræos non tantùm firmauit præſidiis, ſed bonis cumulauit. Ergo bonos fouere, malos lædere; illis vitam, iſtis necem meritò per corpus ſuum præſtare debet optimus amantiſſimuſque Redemptor.

Arca fœderis diuerſos in diuerſis produxit effectus, ita & Euchariſtia.

223\. Ceruis, qui præferuidi ſunt temperamenti, frigida pellucidaque aqua ſaluberrima eſt, eius potu non ſolùm eorum ſitis ſedatur, vires augentur, ſed & vita ad quinquaginta annos protrahitur, vt refert D. Epiphan. *lib. ad Phyſiol.* Sed eadem vndâ potati ſerpentes franguntur, crepant & moriuntur. Cùm enim eorum frigidum ſit venenum, cum interno ſic externum concreſcit frigus, vt obturatis ac conſtrictis cunctis meatibus, ex retentione ſpirituum vitam amittant. Vbi ſanè quod in Euchariſtia accidit, mirabiliter deſignatur. Chriſtus enim qui aquam ſpiritualem cunctis offert accedentibus, & qui in magno feſtiuitatis die clamabat, *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aqua viua*, vt legitur *Ioan.* 7. 38. illis qui ardore charitatis ſuccenſi ad ſacram feruidi adueniunt menſam, vires, vitamque longiorem, immò æternam donat: eis verò qui frigidi, ac ſerpentis veneno inflati, diuinum cibū ſumere præſumunt, mortem & temporalem, & perennem infert.

D. Epiphan.

Aquâ frigidâ cerui recreantur, ſerpentes occiduntur.

Chriſtus in Euchariſtia bonos fouet, malos lædit, ac interficit.

224\. Ad omnium ſalutem hominum Chriſti Domini ſanguis in cruce fuſus eſt: hunc tamen in ſuam perniciem ac exitium conclamarunt Iudæi, Matth. 27. 25. *Sanguis eius*, inquiunt, *ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Quæ verba expendens D. Chryſoſt. *hom. de cruce & latrone*, aduertit, eundem ſanguinem, quem ad ſalutem credentium Chriſtus effudit, in Iudæorum detrimentum verſum eſſe; ait enim: *Illis ad condemnationem, nobis autem ad juſtificationem: illis ad mortem, nobis verò ad vitam.* Quod Babylonicæ fornacis exemplo confirmat, ex Dan. 3. à num. 47. *Non eſt enim*, inquit, *ſanguis Chriſti deterior Babylonio igne. Ille ſcit Sanctorum in camino honorare corpora, & Chaldæos comburere: quanto magis ſanguis ille pretioſiſſimus, ſcit perdere incredulos, & ſaluare fideles?*

D. Chryſoſt.

Sanguis Chriſti ad credentium ſalutem, & ad Iudæorū perniciem effuſus.

Hæc

Digitized by Google

Sic Eucharistia.

Hæc autem non ſolùm Chriſto Domino & eius ſanguini in propria ſpecie conueniunt; ſed eiuſdem corpori & ſanguini ſub ſpeciebus panis & vini in Eucbariſtia: ſaluat enim hoc mirabili Sacramento juſtos, & perdit improbos: primis ſalutem confert, vltimis condemnationem affert: illis vitam in præmium, iſtis mortem in ſupplicium tribuit, ita vt cum D. Thoma attente expendendum ſit eiuſdem ſumptionis & communionis, quàm ſit diſpar exitus. Sed de hoc infrà fuſiùs.

TEXTVS XIX.

Fracto demùm Sacramento,
Ne vacilles, ſed memento,
Tantum eſſe ſub fragmento,
Quantum toto tegitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

225. TERTIAM huius proſæ, ſeu Cantici partem in boc textu & ſequenti abſoluens D. Thomas, reſumit veluti in epilogo ea quæ ſuperiùs dixerat de integritate ac indiuiſibilitate corporis Domini in Euchariſtia, eiuſque realem præſentiam in tota hoſtia, ſeu ſub toto pane conſecrato, eiuſque partibus, ſiue coniunctis, ſeu continuis, ſiue diſtinctis, vel diſcretis, rurſus inſinuat. Ait ergo:

226. *Fracto demùm Sacramento, ne vacilles.* Vbi fidelem alloquitur; quaſi dicat, firmiter crede, & nullo modo dubites, aut titubes circa realem præſentiam corporis Domini in Sacramento Euchariſtiæ: nam ſolâ fide hoc poteſt attingi myſterium; firma autem, & non fluctuans debet eſſe fides, quia minimâ dubitatione vulneratur, & perditur: nam vt ait D. Gregorius, *dubius in fide infidelis eſt.* Siquidem, vt ex dictis patet, Chriſti corpus eſt totum, & integrum ſub tota hoſtia, ſeu toto pane conſecrato, & ſub omnibus eius partibus, non ſolùm quamdiu integra manet illa hoſtia, ſed etiam quando frangitur, & poſt fractionem in illis omnibus particulis, in quibus remanet ſpecies panis, & remaneret ſubſtantia panis, niſi conuerſa eſſe in corpus Saluatoris, idem corpus verè & realiter reperitur.

Fractis ſpeciebus, corpus Chriſti adhuc integrum eſt in omnibus partibus illarum.

227. Signanter autem D. Thomas ait, *fracto demùm Sacramento*, quia in huius celebratione myſterij ex traditione Apoſtolica, & ex continuo vſu Eccleſiæ, ad imitationem Chriſti Domini, qui quando panem in corpus ſuum conſecrauit, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, Sacerdos qui ſacram peragit oblationem, boſtiam, ſeu panem conſecratum, hoc eſt ſpeciem panis in tres frangit partes, antequam hoc ſumat Sacramentum, illudque fidelibus diſtribuat.

Frangitur ſpecies panis ad Chriſti imitationē.

228. Rectè autem hæc ſpecierum panis fractio in tremendi fit celebratione myſterij, vt Chriſti Domini paſſio, cuius Euchariſtia ſpeciale memoriale exiſtit, hac fractione repræſentetur, quod D. Proſper, vt habetur *de conſecr. diſt.* 2. notauit. Nam vt ille loquitur, *dum frangitur hoſtia, & ſanguis in ora fidelium infunditur, immolatio corporis Chriſti in cruce, & effuſio ſanguinis eius de latere deſignatur.* Quod etiam docuit Angelicus Præceptor 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad* 7. vbi ait, quod hæc fractio hoſtiæ tria ſignificat. Primò quidem ipſam diuiſionem corporis Chriſti (ab anima ſcilicet) quæ facta eſt in paſſione. Secundò diſtinctionem corporis myſtici ſecundùm diuerſos ſtatus. Vnde tres partes in quas diuiditur hoſtia, triforme corpus Domini, ſeu tres portiones corporis myſtici Domini, nempe Eccleſiæ, deſignant. Eccleſia enim in Sanctis, qui Deum in cœlis intuitiuè vident, ac plenè perfectéque illum poſſident, triumphat: in illis qui in purgatorio igne examinantur, purgatur: & tandem in fidelibus adhuc viuentibus, ſecundùm ſpiritum militat. Pars ergo in calicem miſſa Beatos qui virtute ſanguinis Chriſti cœlorum januam cum corporibus ingreſſi ſunt; pars altera quæ ſicca comeditur, viuentes in terra, & paſſionibus Chriſti communicantes; & tandem tertia quæ extra calicem olim vſque ad finem Miſſæ ſeruabatur, & nunc cum ſecunda parte hoſtiæ ſumitur, animas in purgatorio exiſtentes, & alias in cœlis lætantes, quarum corpora vſque ad finem ſeculi in ſepulchris erunt, ſignificat: quod metricè à quodam expreſſum eſt, vt notat D. Thomas *loc. cit. ad* 8. boc modo.

Et paſſionē eius repræſentat.

D. Proſper.

D. Thom.

Fractio hoſtiæ tria ſignificat.

Pars miſſa in calicem, & aliæ duæ fideles viuentes, & qui ſunt in purgatorio, deſignant.

Hoſtia diuiditur in partes, tincta Beatos
Plenè, ſicca notat viuos, ſeruata ſepultos.

Denique fractio hoſtiæ ſignificat diſtributionem gratiarum procedentium ex paſſione Chriſti, vt dicit D. Dionyſius *cap.* 3. *Eccleſ. Hierarchia.*

D. Dionyſ.

Nihil autem illa fractio in Chriſti corpore 229.
vero, quod ſub ſpecie panis latet, efficit; ſed tantùm in ipſa ſpecie, quæ verè & propriè frangitur; quamvis ex reali præſentia & maxima vnione eiuſdem corporis ad ſpecies, dicatur frangi ad fractionem ſpecierum; ſed hoc tantùm impropriè & metaphoricè intelligendum eſt: corpus enim Domini integrum ac indiuiſibile manet in ſpeciebus fractis, & in minima particula illarum, dummodo illa ſit ſenſibilis, & ſub illa poſſet ſeruari ſubſtantia panis, niſi ex tranſubſtantiatione eſſet conuerſa in ipſum corpus Chriſti: & ideo S. D. poſtquam dixit, *Fracto demùm Sacramento, ne vacilles*; ſtatim ſubdit:

Corpus Chriſti non frãgitur, niſi impropriè & metaphoricè.

Sed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum 230.
toto tegitur; hoc eſt, recordare eorum quæ ſuprà à nobis dicta ſunt, ac firmiter crede glorioſum ac immortale Chriſti Domini corpus, hoc in Sacramento nec paſſioni, nec corruptioni, nec diuiſioni eſſe obnoxium: nulli harum ſubditur, ſed cùm ad modum ſubſtantiæ in hoc myſterio reperiatur, ipſique ſubſtantiæ panis, quæ in ipſo fuit, ſuccedat, ad fractionem accidentium non frangitur, ad diuiſionem non diuiditur: ſed fracto Sacramento, ſeu ſpecie panis huius Sacramenti, ſub qualibet boſtiæ particula idem corpus integrum ac indiuiſibile remanet, nec ad diminutionem quantitatis minoratur; tantùm enim eſt in minimo fragmento, ſeu in minima particula, quantum in tota hoſtia integra ante quamcunque diuiſionem. Cuius rei ratio nulla alia poteſt aſſignari, niſi quia cùm corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, quæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur, ſicut ſub qualibet parte aëris eſt tota natura aëris, & ſub qualibet parte panis eſt tota natura panis; manifeſtum eſt quod totum corpus Chriſti eſt ſub tota hoſtia, & ſub qualibet parte hoſtię poſt fractionem; & conſequenter, vt loquitur D. Th. in hoc Sacramento tantum eſt corpus Domini ſub fragmento, quantum toto tegitur. Sed de hoc jam ſuprà actum eſt.

Vnde idem eſt ſub fragmento, hoc eſt, ſub parte ſpeciei fracta, ac ſub tota ſpecie.

. R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

TEXTVS VIGESIMVS.

Nulla rei fit ſciſſura,
Signi tantùm fit fractura,
Quâ nec ſtatus, nec ſtatura
Signati minuitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

PROSEQVITVR epilogum tertiæ partis huius cantici in hoc textu D. Thomas: & cùm jam dixerit in præcedenti, corpus Chriſti non diuidi ad
231. fractionem Sacramenti, ſen ſpeciei panis, ſed integrum reperiri in tota hoſtia, ſeu ſub tota ſpecie panis, & in qualibet parte ipſius, licèt minima, hîc indiuiſibiliuatem eiuſdem corporis repetit, & magis exprimit & inculcat.

232. Dicit ergo: *Nulla rei fit ſciſſura*, hoc eſt, nullatenus corpus Chriſti, quod eſt res ſignificata, & exiſtens realiter ad modum ſubſtantiæ ſub ſpecie panis, ſcinditur, frangitur, aut diuiditur; quia *ſigni tantùm fit fractura*, hoc eſt, ſpeciei panis, quæ ſignum eſt eiuſdem corporis ſub illa contenti, dumtaxat fit diuiſio, ſeu fractio in illas tres partes, de quibus in expoſitione textus præcedentis loquuti ſumus. Sed hac diuiſione, ſeu fractione nulla in eodem Chriſti corpore mutatio accidit; & ideo ſubdit Author:

Fractio eſt tantùm ſigni ſeu ſpeciei, & non ſignati, nempe corporis Chriſti.

233. *Quâ nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur*; hoc eſt, illa diuiſiooe nec ſtatus glorioſus corporis Chriſti, quo iucorruptibile, inalterabile, impaſſibile, ac immortale eſt idem corpus in ſeipſo, ſub ſpeciebus Sacramenti, vbi realiter exiſtit, vllo modo mutatur ad mutationes & alterationes, ſeu diuiſiones quaſcumque illarum ſpecierum: nam nec illius ſtatura, hoc eſt illius forma, figura, ſeu magnitudo, ac corporalis diſpoſitio, propria ipſi vllo modo vel minoratur, vel mutatur, vel alteratur. Cuius quidem ratio eſt, vt jam ſæpe diximus, goia corpus Chriſti ſubſtantiæ panis ſuccedens ſub eius ſpecie, eſt ibi per modum ſubſtantiæ indiuiſibilis, quod maximè conuenit, cùm ſit cibus ſpiritualis animæ, quâ in vita ſupernaturali conſeruatur, roboratur, & tandem perficitur.

Nec gloria corporis Chriſti, nec eius ſtatura, ideſt magnitudo in Euchariſtia minuitur.

ELVCIDATIO III.

Circa textus præcedentes.

SECTIO PRIMA.

De præſtantia cibi & potûs Euchariſtici.

234. NOuum, ac omnibus retro ſeculis Chriſtum præcedentibus inauditum loquor miraculum, planéqoe iocredibile portentum. Subditis rex miniſtrat, hoſtibus infenſiſſimis cibum parat victor, filiis ſceleratis ponit menſam optimus pater, & captinis libertate donatis Redemptor amantiſſimus ſuauiſſimum præbet alimentum. Hoc planè inuſitatum eſt, ſed ſingularius quid ſubjicio. Ferculum quod offertur, quodnam putares? quodnam crederes? Nec panem triticeum ex adipe frumenti coofectum, nec vinum generoſiſſimum, nec carnes vel quadrupedum, vel volatilium pinguiſſimas aut delicatiſſimas, alioſve cibos lautiſſimos exiſtimes. Sed ipſo Rege aſſerente, & infinito eius amore agente, ipſummet ferculum, ipſummet potum in menſa Euchariſtica Chriſtianis appoſitum firmiter crede, & nullatenus dubites. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, inquit Chriſtus *Ioan.* 6. 56. vbi Sacramentum Euchariſtiæ promittit, ac deinde in vltima cœna promiſſis ſtans, accepto pane dixit diſcipulis, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*: & ſimiliter accepto Calice, *hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, vt legitur *Matth.* 26. 26. & 28.

Eucharistia inauditum miraculum.

Chriſtus Rex Regum, cibus & potus hominum in Euchariſtia.

Cùm enim ab eodem, à qno res habet eſſe, in 235.
illo conſeruetur, juxta illud Philoſophorum, Quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe: nouum eſſe per Baptiſmi Sacramentum, quod ſpiritualis natiuitas ac regeneratio vocitatur, Chriſto tribuente Chriſtianis, ita vt filij Dei oominentur & ſint, ac conſequenter *heredes Dei, coheredes autem ipſius Chriſti*, vt loquitur Apoſtolus *Rom.* 8. 17. conuenientiſſimum eius ſapientiæ ac prouidentiæ fuit, vt juxta nobilitatem eſſe gratiæ, quod fidelibus in Baptiſmate confertur, alimentum præſtantiſſimum, quo in eſſe conſeruarentur, immò & creſcereot, eis tribueretur: & ideò ſicut ad nouum eſſe tribuendum hominibus nouam natiuitatem, ſeu regenerationem in Sacramento inſtituit Baptiſmatis: ita ad tale eſſe gratiæ conſeruandum, augendum, & perficiendum in illis, Sacramentum corporis & ſanguinis ſui in Euchariſtia per modum cibi & potûs inſtituit, vt illo paſti & potati Chriſtiani, ad vitam nutrirentur æternam.

Nouum eſſe ſpirituale Chriſtianis in Baptiſmo collatum, Euchariſtiâ conſeruatur & augetur.

Nulli vnquam pretioſum adeo edulium con- 236.
ceſſum fuit nationi: nec fabulæ quod de cibo, potuque Deorum narrant, tanto debet alimento comparari. Vincit omnem cogitatum, omnemque ſuperat mortalium expectationem cibus, potuſque Euchariſticus: & niſi qui nec fallitur, nec fallit Deus ipſe, ſe carnem ſuam & ſanguinem Chriſtianis miniſtrare aſſeueraret, à nemine hoc crederetur. Voluit ergo Redemptor amantiſſimus, quod falsò ab antiquis de ambroſia & nectare dicebatur, io rei veritate per corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum Fidelibus exhibere, ipſiſque diuinum ſimul & cibum, & potum in refectionem ſanctarum præbere animarum.

Niſi Deus affirmaret carnem ſuam cibum eſſe hominum, nemo crederet.

Mirum eſt quod de B. Ambroſio Sanſedonio 237.
Senenſi, Ordinis FF. Prædicatorum, à geſtorum eios Scriptoribus refertur. Hic in ſtudio Pariſienſi S. Thomæ Aquinatis ſub B. Alberto magno vtriuſque magiſtro condiſcipulus in eximium verbi Dei Concionatorem, ac virum planè Apoſtolicum cùm euaſiſſet, tanto feruore prædicabat, vt Senis diebus quadrageſimalibus dum coocionaretur, ac in fœneratores ardentiſſimo zeli æſtu percitus vehementiſſimè inueheretur, rupta ſemel & iterum pectoris vena, magnâ copiâ ſanguinem euomuerit, & non multò poſt animam multis coroois redimitam, ac immenſis oouſtam meritis efflarit. Sancti huius viri, qui verè animam ſuam poſuit pro fratribus ſuis, & dum verbo Dei fideles prædicando paſceret, proprio ſanguine ex fracta vena potauit, zelum deſcripſit vir acuti ingenij carminibus

B. Ambroſius Sanſedonius S. Thomæ condiſcipulus.

Senis prædicans, diſrupta vena auditores veluti potans, moritur.

carminibus quæ ſub Ambroſij effigie in Conuentu Maſſilienſi FF. Prædicatorum non longè à janua leguntur, quæ & nos hîc ſubjiciemus.

Ambroſij effigies Maſſiliæ carminibus exornata.

Prædicat ardenter, de cœlo lapſa columba
Adſtat, & eloquium ſuggerit ore ſacrum.
Ambroſià paſcit populum, & ne fortè ſitiret,
Diſruptâ venâ nectare potat eum.

238. Eximia ſanè fuit Ambroſij erga peccatores charitas, eximius zelus, eoſque pleuè nutriuiſſe videtur, dum verbi Dei pabulo proprium ſanguinem in poculum adiunxit. Sed nulla Ambroſij ad Chriſtum poteſt eſſe comparatio. Ille non proprio corpore, ſed verbo Dei; non omnes, ſed quoſdam pauit Chriſtianos: eumque quem ruptâ venâ effudit ſanguinem, myſticè tantùm, impropriè, ac metaphoricè in poculum præbuit auditoribus. At Saluator amantiſſimus non quoſdam, ſed omnes fideles; non ſemel, bis aut ter, ſed ſemper & omni tempore; non ſolùm verbo Dei, & exemplo, ſed proprio corpore, quod verè & realiter in Sacramento exiſtit Euchariſtiæ, verè & propriè paſcit: nec venarum fractionem aut conſciſſionem expectat, vt ſitienti populo proprium ſanguinem in poculum exhibeat; amore ſuo, antequam à tortoribus fundatur, effunditur: & antequam propriè & realiter in cruce moreretur, myſticè in Euchariſtia moritur: & non impropriè, ſeo metaphoricè, ſed verè, propriè & realiter cunctis fidelibus corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum præbet in potum. Itaque Solus Chriſtus eſt, qui verè & propriè omnem Chriſtianum Ambroſià paſcit populum: & ne diuinum manducando cibum ſitiat, etiam non fractâ venâ, proprio ſanguine, tanquam nectare potat eum.

Ambroſium longè vicit Saluator, qui proprio corpore & ſanguine homines nutrit.

Eximius Chriſti amor.

239. Suauiſſimum autem, dulciſſimumque Chriſti edulium ac poculum omnibus, quos in Baptiſmate verbo veritatis gignit Chriſtus, tanquam neceſſarium ad vitam ſpiritualem alimentum offertur. Vnde olim baptizatis etiam infantibus ex Apoſtolica traditione ſacroſancta dabatur Euchariſtia; quod etiam in praxi adhuc eſt apud Græcos: æquum enim eſt, vt qui nouâ ſpiritualique vitâ viuunt in Chriſto renati, nouo, ſpiritali, immò & diuino veſcantur alimento, eoque in illa vita ſubſiſtant, roborentur, & creſcant: nam vt loquitur S. Dionyſius c. 5. Eccl. Hierarch. *Tribuit Sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur & creſcat ſacris augmentis.*

Chriſtianis Euchariſtia vt neceſſaria offertur.

S. Dionyſ. Etiam infantibus poſt Baptiſmum olim dabatur.

240. Vt autem ſuauis, mitis, ac ſincera Chriſtianorum vita, quam tum à Baptiſmate, tum etiam à manſuetiſſimo agno Chriſto Domino in Euchariſtia realiter ſumpto hauriunt, euidentiùs oſtenderetur, etiam dulcedinis ſymbolis ſtatim ſuſcepto Baptiſmo donabantur. Siquidem olim recens baptizatis dabatur lac & mel, immò & adhuc apud Ethiopes datur, vt ex eorum rituali *tom. 4. Biblioth. SS. PP.* conſtat; quod teſtatur Tertullianus *lib. 1. contr. Marc. cap.* 14. dum inquit: *Melle, & lactis ſocietate ſuos infantat Deus.* Et lib. de cor. mil. cap. 3. *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.* Ipſaque inuicta, ſemperque victrix puella inclyta Agnes in glorioſo, quem pro Chriſto ſuſtinuit, agone dixit: *Mel & lac ex ore eius ſuſcepi.* Quod non ſolùm puto factum, vt Euangelicæ doctrinæ, cui tanquam ſpirituali pabulo adhærent baptizati, dulcedo, ſuauitas, ac benignitas indicentur, ſed vt mirabilis Euchariſtiæ Sacramenti, in quo Chriſtus *lac noſtrum eſt*, vt loquitur Auguſt. *tract. 3. in 1. ep. Ioan.* & nobis melle dulcior, ſupra omnem mellis & lactis dulcedinem ac ſuauitatem præſtantia deſignetur. Itaque cibo potuque Euchariſtico, hoc eſt Domini corpore paſti, & ſanguine potati, non fallacem, ſed ſinceram; non litigioſam, ſed pacificam; non aſperam, ſed ſuauem, mitem, piam, benignam, omnique patientiâ exornatam vitam ducere debent. Cùm enim vita humores, iſtique alimenta conſequantur, juxta phyſicos; non mediocre probrum eſſet viris Chriſtianis diuerſam ab humoribus & alimentis habere conuerſationem, vel diſſimiles ab alimento pacifico contrahere mores. Hinc eſt quod charitas, manſuetudo, & patientia, euidentes à Domino in Euangelio Chriſtianorum notæ traduntur. Et D. Chryſoſtomus diſſimilem in Chriſtianis ab hoc diuino alimento & cibo vitam condemnat, dum *hom. 60. ad popul.* inquit: *Quænam igitur erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti talia peccemus? Cùm lupi fiamus agnum comedentes?*

Tertull. Recens baptizatis dabatur lac & mel; quod modo fit apud Æthiopes.

S. Agnes fatetur ſe poſt Baptiſmum mel & lac ſuſcepiſſe.

Cur mel & lac dabantur baptizatis.

Pacifico ac miti Chriſto nutriti, pacifici ac mites debent eſſe Chriſtiani.

D. Chryſoſt.

241. Tanto etenim ab hoc alimento præ cæteris pacificos, eique ſimiles debemus trahere mores, quanto differentiores, immò & excellentiores ab illo ſortimur effectus. Nam cæteros vincit cibos diuinum hoc edulium: illi enim ideo ſuſcipientem nutriunt, quia conuertuntur in ſubſtantiam nutriti, vt docet Ariſtoteles *lib. 2. de anima, text.* 45. At ſanctiſſimum Domini corpus in Euchariſtia verè & realiter ſuſceptum, tanquam alimentum ſpirituale conuertit hominem in ſeipſum diuinoſque ei, niſi ex parte ſuſcipientis ponatur obex, præſtat mores. Vnde & D. Auguſt. *lib. 7. conf. cap.* 10. ait, quod quaſi audiuit vocem Chriſti dicentis ſibi: *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Quapropter Chriſtum Dominum in Euchariſtia latitantem, ac tanquam panem myſticum & vinum de cœlo deſcendentem, animam rationalem impinguantem conſiderans Ambroſius *lib. 5. de ſacr. cap.* 4. inquit: *Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus,* (ideſt in corpus tranſmutatur vt panis materialis;) *ſed panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.*

Cæteros cibos ſuperat Euchariſtia.

Ariſtot.

D. Auguſt.

Corpus Chriſti non mutatur in corpus noſtrum, ſed nos in Chriſtum tranſmutat.

D. Ambroſ.

242. Verùm non ſolùm noſtrarum ſubſtantiam fulcit animarum Redemptoris noſtri venerabile corpus: ad noſtras etiam carnes virtutem ſuam extendit, ita vt ſuam hoc in myſterio Incarnationem extendens, omnibus carnem ſuam manducantibus verè & realiter (non tamen hypoſtaticè) vniatur. Quod expendens Chryſoſtomus, Euchariſtiam *extenſionem Incarnationis* appellauit. Illa enim, quâ Chriſtus nobis per hoc Sacramentum coniungitur, vnio aliam, quâ fide nos illi vnimur, vincit; per fidem enim mente ac ſpiritu, at per Euchariſtiam etiam corpore Chriſto copulamur. Vnde D. Chryſoſt. *hom. 60. ad pop.* ait: *Non fuit ſatis* (Chriſto) *hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi: verùm & ſemetipſum nobis commiſcet, & non fide tantùm, verùm & ipſâ re, nos ſuum efficit corpus.* Vbi S. D. diuini amoris in Euchariſtia, quod in Incarnatione non accidit, notauit miraculum, dum dixit: *Semetipſum nobis commiſcet.* Etenim in Incarnatione Deus homo factus eſt: *id quod fuit, permanſit; & quod non erat, aſſumpſit, non commixtionem paſſus,* vt canit Eccleſia in officio diei Octauæ Natiuitatis & Circumciſionis Chriſti. At metas omnes diuinus amor in Euchariſtia tranſgreditur; ſe Chriſtus noſtrum ſtatuit cibum, & ſemetipſum *nobis*

Corporibus noſtris Chriſtus per Euchariſtiam vnitur.

D. Chryſoſt.

Amor Dei in Euchariſtia metas omnes tranſgreditur.

 commiſcet;

commiſcet. Ineffabile dictu, & impoſſibile cogitatu, vili homuncioni æternæ gloriæ Rex, obſcuro luto ſplendidiſſimus Sol Iuſtitiæ, & infirmæ creaturæ potentiſſimus Creator carnem ſuam, immò & ſemetipſum non ſolùm donat, ſed commiſcet. Ad quid talis commixtio? Vt creator verè & realiter in creatura moretur, & creatura ad gloriam aſcendat Creatoris. Cùm enim mixtio ſecundùm Philoſophos nihil aliud ſit quàm miſcibilium alteratorum vnio, dum infirmum ac paruum miſcibile magno ac forti miſcibili coniungitur, non ſolòm illud iſti miſcetur, ſed ab iſto vincitur, ac in illud conuertitur: quod patet in aqua, quæ vino conſecrando infunditur; nam cùm in parua quantitate ponatur, non ſolùm miſcetur, ſed in vinum conuertitur. Itaque dùm admirabile Sacramentum à nobis recipitur, & Chriſtus qui non ſolùm panis viuus dicitur, ſed etiam panis Angelorum, ſeu panis fortium, vt legit D. Hyeronymus *pſal.* 77. 25. nominatur, infirmo ac paruo homini commiſcetur, non ſolùm ſibi coniungit hominem, ſed illum in ſeipſum, ſuumque corpus conuertit: quod eleganter expreſſit Chryſoſtomus, dum dixit: *Semetipſum nobis commiſcet, & non fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus.*

Cur Chriſtus per Euchariſtiam nobis commiſceri dicitur.

Commiſcetur et hominem in ſeipſum Chriſtus conuertit.

243. Quod etiam deſignatur illâ aquâ, quæ in calice, in tremendi celebratione myſterij vino conſecrando infunditur. Illa enim Chriſtianum populum deſignat, ſicuti vinum cui infunditur, Chriſtum ſignificat; vnde abſque benedictione vinum in calice funditur, quia Criſtus ex ſe benedictus eſt, & omnium origo benedictionum; aqua autem priuſquam infundatur, benedicitur, quia pupulum deſignat (*aqua enim multa populi multi*, vt dicitur *Apoc.* 17.) qui non niſi diuinæ benedictionis gratiâ Chriſto valet incorporari; & ideò ſicuti aqua vino infuſa in vinum conuertitur, vt docet Innoc. III. *in cap. Cùm Marthæ*, & D. Thom. 3. *p. queſt.* 74. *art.* 8. ita Chriſtianus, cui Chriſtus per Euchariſtiam commiſcetur, in Chriſtum eiuſque corpus tranſmutatur. Quod etiam proſequitur Chryſoſtomus *loc. cit.* dum inquit: *Vnicuique fidelium Chriſtus ſemetipſum per myſterium commiſcet; & quos genuit, per ſemetipſum enutrit, nec alteri tradit; hoc ſibi rurſum perſuadens, quod carnem tuam aſſumpſit: hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro.*

Cur aqua calici infundenda benedicitur, & nõ vinum.

Innoc. III. D. Thom.

D. Chryſoſt.

244. Quàm ergo mirabile eſt Euchariſticum alimentum, quod Chriſtiani non ſolùm nutrit animam, ſed etiam eius reficit corpus, totumque in eo hominem ſanat, & corroborat, & in hominum redemptorem potenti virtute commutat. Hinc Dominus *Ioan.* 6. 57. inquit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Alterius in alterum etenim fit quædam veluti effuſio, ita vt Chriſtus in hominem ipſum ſuſcipientem, & homo in Chriſtum totus effundatur, & ex illis duobus vnicus reſultat; nam vt notauit D. Cyrillus in illum locum: *Sicuti ex duobus globulis cera igne liquefactis, vnica cera maſſa conſurgit; ita ex Chriſto Domino igne amoris in Euchariſtia accenſo, & ex homine qui charitate flagrans illum manducat, vna res, vnumque corpus efficitur.* Adeo vera ſunt quæ ſuprà ex Chryſoſtomo adduximus: *Hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro.*

Chriſti in hominem, & hominis in Chriſtũ per Euchariſtiã effuſio.

D. Cyrillus.

245. Primæ mulieri ex Adami coſta efformatæ, ipſique ab omnipotenti Conditore in adiutorium ſimile ſibi, hoc eſt in ſponſam traditæ, exultans dixit primus hominum, *Caro de carne mea.* Gen. 2. 23. Sed huius rei, vociſque myſterium ad ſecundum Adamum, eiuſque ſponſam, hoc eſt ad Chriſtum, & Eccleſiam traducens Apoſtolus *Eph.* 5. 32. inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quod vtique, quamvis in pluribus, quas fide, charitate, & gratiâ cum Chriſtianis Dominus Ieſus contrahit, vnionibus verum ſit; attamen ſpeciali modo in illa, quâ per illius corporis realem manducationem ipſi coniungimur, adimpletur. Tunc enim cuilibet deuotè hoc Sacramentum ſuſcipienti poteſt Dominus dicere: *Caro es de carne mea.* Tunc enim verè, vt idem Apoſtolus loquitur ibidem 30. *membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius.* Cúmque ex myſterio Incarnationis, quâ Filius Dei carnem noſtram in intemeratæ Virginis aſſumpſit vtero, ſibique cum anima rationali hypoſtaticè copulauit, poſſimus Chriſto dicere, *Caro noſtra, & frater noſter es*; ex Diuino Euchariſtiæ Sacramento, in quo Dominus, *quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*, ſicut proſequitur D. Thomas *opuſc.* 57. vnicuique fidelium à Chriſto dici poteſt, *Caro es de carne mea, & os ex oſſibus meis.* Vnus enim in altero veraciter continetur. Vnde & D. Cyrillus *lib.* 10. *in Ioan. cap.* 13. inquit: *Si quis carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur.*

Manducanti Euchariſtiã poteſt dicere Chriſtus, Caro es de carne mea.

Ob Incarnationẽ Chriſto poſſumus dicere, Caro noſtra & frater noſter es.

D. Thom.

D. Cyrill.

Inæſtimabilis eſt erga prolem corui amor; hic enim, vt narrat Ælianus *lib.* 3. *cap.* 43. dum ſenio confectus eſt, ſe pullis præbet in pabulum: itaque cùm parentem filij deuorent, mali cenſentur; vnde & prouerbium ortum eſt: *Mali corui malum ouum: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν.* At maior eſt, protſuſque inenarrabilis Phœnicis noſtri Chriſti Domini erga nos dilectio; hic ſiquidem non ſenio contabeſcens, ſed æternæ virtutis vigore decorus, ſe nobis in cœleſtem alimoniam præbet: nullo tamen manducantibus probro eſt parentis optimi, amantiſſimique Redemptoris corpore veſci ac ſaginari; ſed gloriæ: ab hac etenim eſcâ diuina hauritur vita, quam illi à quo recipiunt, debent ſic refecti conſecrare. Nam vt inquit Chriſtus Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Quibus verbis inſinuat, quod ſicuti pro ſalute hominum ad terras deſcendens, vitam ſuam ad Patris gloriam ille ordinauit: ita qui eius carne reficitur, vitam ſuam ad ipſum debet referre, hoc eſt, in omnibus operibus ſuis ipſum tanquam finem ſpectare. Quod notauit Auguſtinus *tract.* 26. *in Ioan.* vbi Chriſtum ſic loquentem inducit: *Vt ego viuam propter Patrem; ideſt, vt ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit: vt autem quiſque viuat propter me, participatio facit, quia manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter patrem: ille erectus viuit propter me.*

246\. Mirus corui in pullos amor, quibus ſe præbet in pabulum.

Maior eſt Chriſti in homines per Euchariſtiã affectus.

D. Auguſt.

Vitam ſuam Chriſto offerat Chriſtianus.

Apud omnes notum eſt, & ipſe teſtatur Auguſtinus *in pſal.* 101. pelicanum proprium pectus vellicare, vt excuſſo ſanguine pullis ſuis vitam reddat, viuoſque paſcat. In hoc ſanè typus eſt Chriſti, qui nos peccatis mortuos ſuo ſanguine abluit, & ad melioris vitæ immortalitatem excitauit. Hoc, Baptiſmate mortem ſuam, eiuſque fuſum ſanguinem nobis applicante, peragit. Sed

247\. D. Auguſt. Pelicanus pullos proprio ſanguine viuificat & paſcit.

ſemel

Digitized by Google

Sed à Chriſto vineitur in Euchariſtia.

ſemel ad vitam Baptiſmo reuocatos, & ſæpe pœnitentiæ Sacramento (quod ſecunda poſt naufragium tabula à Sanctis Patribus appellatur,) redimiuos pretioſo non ſolùm ſanguine, ſed & toto corpore in Euchariſtia veraciter exiſtente nos paſcit, roborat, & confortat.

148. Quantus ergo amantiſſimi Saluatoris in Chriſtianos amor fuit, tantus illorum in amantiſſimum Saluatorem eſſe debet affectus. Seipſum vt nos paſceret, hoc nobis in Sacramento donauit: ergo totos nos illi tradere debemus in perennis gratitudinis monumentum. Dum enim ipſo Chriſto veſcimur, ſuper omnia eleuamur terrena, & in tantam ſublimitatem erigimur, vt abdicatis inferioribus, ſpretiſque vanis rerum caducarum delectationibus, ſoli Chriſto inhærere debeamus: tunc enim, vt ait Dominus Euangelici Vatis oraculo, Iſai.58.14. *delectaberis ſuper Domine, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob.*

Chriſti in nos amorem amore noſtro remuneremur.

Sectio II.

Quomodo, & quo tempore teneantur fideles cibari cibo, & potu Euchariſtico.

249. INſtimaretur, & omni euacuato vigore malâ fame periret, qui omninò à cibo potuque corporeo vellet abſtinere: quæ enim à calore naturali humidum, vt vocant, radicale depaſcente, accipit corpus humanum detrimenta, alimentorum ſubminiſtratione reſarciuntur. Sed à corporea ad ſpiritualem vitam aſcendentes, in iſta etiam planè neceſſariam ſpiritualem alimoniam ad illius conſeruationem & augmentum experiemur. Itaque qui oblatum à Chriſto Domino cibum, potumque Euchariſticum, hoc eſt corporis & ſanguinis Sacramentum vel reſpueret, vel non manducando contemneret, non ſolùm vitam ſpiritualem amitteret, ſed etiam mortem incurreret æternam.

Neceſſaria alimonia corporea.

Immo & ſpiritualis, ſcilicet Euchariſtia.

250. Ergo vt nullus ſacram Domini menſam faſtidiat, & vt omnis qui in Chriſto renatus eſt, ſanctiſſimam Euchariſtiam verè cœleſtem alimoniam recipiat ac manducet, ore proprio Redemptor noſter imperauit, acceſſitque eius amantiſſimæ Sponſæ Eccleſiæ Catholicæ præceptum.

251. Vnde duplici Imperio, Diuino ſcilicet, & Eccleſiaſtico tenentur Fideles corpus Domini in Sacramento Euchariſtiæ realiter exiſtens mandocare. Primum ore Domini prolatum fuit *Ioan.*6.54. vbi inquit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ibi enim de ſumenda Euchariſtia præceptum datum fuiſſe rectè aſſerunt Theologi: ſicuti *Ioan.*3. in illis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, præceptum Baptiſmi: & ex illo Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis*, Pœnitentiæ etiam præceptum datum fuiſſe colligunt.

Præcepto diuino & Eccleſiaſtico tenentur fideles Euchariſtiam ſumere.

252. Rationabile autem juſtumque fuit Euchariſtiæ Sacramentum ſumendi præceptum. Sicut enim naturali præcepto, ſeu jure cibum naturalem ſumere tenetur homo, qui nequit diu ſine illo vitam conſeruare naturalem: ita quia moraliter impoſſibile eſt, diu in vita ſpirituali ſubſiſtere abſque cibi Euchariſtici præſidio, aptiſſimè Chriſtus præcepto homines ad diuinum hoc accipiendum alimentum aſtrinxit, maximè quia minorem ad vitam animæ, quàm ad vitam corporis conſeruandam homo adhibet curam. Accedit quod cùm ad Baptiſmum ſuſcipiendum in remedium peccati originalis, & ad Pœnitentiam in peccatorum actualium poſt Baptiſmum commiſſorum remiſſionem præcepta tulerit Dominus; non eſt credibile, præceptum nullum tuliſſe ad ſuſcipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, quod maximè ad gratiam conſeruandam neceſſarium eſt, omniumque aliorum Sacramentorum finis, perfectio, ac conſummatio.

Quod rationabiliter, & congruè præceptum eſt.

Præceptum eſt de ſuſcipiendis Baptiſmate & Pœnitentia ergo & de ſuſcipienda Euchariſtia.

Attamen ſoli Fideles baptizati hoc præcepto diuino tenentur inſtante morte, & aliquando in vita hoc venerabile ſuſcipere Sacramentum. Cùm enim per modum viatici ſit inſtitutum, & viaticum appelletur, quia præbet nobis viam ad gloriam, & in illa nos contra hoſtes inſurgentes munit & roborat; ideo præſertim ſumendum eſt quando tempus exeundi de hac vita imminet, & iter quo ad Deum pergimus, aggrediendum eſt. Quod etiam ſtatuto Concilij Nicæni firmatum fuit; nam *can. De his*, 26.*quæſt.*6. ex eodem Concilio deſumpto, dicitur: *De his qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obſeruabitur nunc etiam; ita vt ſi fortè quis recedat, neceſſario vita ſua non defraudetur viatico.* Quod quidem in cibo illo, quo Elias Propheta roboratus, vſque ad montem Dei Oreb ambulauit, vt dicitur 3. *Reg.* 19. 8. præſignatum eſt. Hinc ab initio naſcentis Eccleſiæ inoleuit mos ſanctiſſimum hoc Sacramentum ad infirmos deferendi, vt illo roborati, in fortitudine cibi illius vſque ad ipſum Deum beatitudinis noſtræ authorem, & obiectum morientes ambulent. Quare in Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 6. ſic legitur: *Porrò deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc vſum diligenter in Eccleſiis conſeruari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſeruatum.* Vnde in Concilio Turonenſi II. vt refert Iuo Carnuti Epiſcopus 2.*p.cap.* 19. Parochis præcipitur, *vt hoc ſacratiſſimum corporis Domini Sacramentum in aliquo vaſe digno ſuper altari ſeruent ad viaticum recedentibus de ſeculo.* 253.

Inſtãte morte omnes tenentur ſumere Euchariſtiam.

Concil. Nic.

Ab initio Eccleſiæ Euchariſtia ad infirmos delata.

Conc. Turon.

Iuo Carn.

Hinc eſt, quod omnes Chriſti fide inſigniti, de ſacra ante mortem communione recipienda admodum fuere ſoliciti, vt fidem faciunt vnà cum traditione Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores. Sic enim egit mulier illa in ciuitate peccatrix Maria Magdalena, quæ ſummo in Chriſtum amore à multis peccatis ab ipſo Chriſto abſoluta, cùm in vaſta altiſſimi montis ſpelunca in Prouincia poſt aſcenſum Domini triginta annos vixiſſet, imminente felici eius ad Superos tranſitu, à Sancto Maximino Aquenſium Epiſcopo, diuino Euchariſtiæ pabulo refecta eſt. 254.

Magdalena inſtãte morte Euchariſtiam ſumpſit, miniſtrãte Maximino Chriſti diſcipulo.

Sed inſigne ac egregium eſt Luciani Preſbyteri Antiocheni & Martyris factum. Hic vt refert Niceph. *lib.* 8. *cap.* 31. & Euſeb. *lib.*8. *hiſt. cap.*25.& *lib.*9. *cap.* 5. pro fide Chriſti detentus à perſequutoribus, & Nicomediam adductus, vbi Galerius Maximianus, ſub quo paſſus eſt, vt notat Baron. *an. Chriſti* 311. agebat, cùm tam in itinere, quàm in ea vrbe plures milites lapſos ad martyrium reſtituiſſet, alioſque per pœnitentiam Eccleſiæ reconciliaſſet, ac coram vrbis Præfecto, ipſo audiente Imperatore, pro Chriſtiana Religione apologiam dixiſſet, in carcerem coniectus, crudeliſſimæ deſtinatus morti, pridie quàm pateretur, 255.

Lucianus præsb. in carcere conſecrauit.

Baron.

patererur, nempe ſolenni Epiphaniæ die, vt ſe, ſocioſque contra mortis impetus præmuniret, mirando prorſus modo incruentum Euchariſtiæ ſacrificium, ex defectu ſacræ menſæ, ſtratus atque ſupinus, ſupra pectus ſuum, tanquam ſupra altare viuum obtulit, & factus ipſe Sacramenti corporis Domini ad modum viatici particeps, ſocios abſentes, ad quos miſit Sacramentum, eodem viatico roborauit.

256. *Lucia virgo.* Inclyta etiam Martyr & Virgo Lucia pro fide Chriſti diu vexata, ac in gutture gladio transfixa, morti vicina, ſacra de manibus Sacerdotum myſteria prælibauit. *Maria Ægyptiaca.* Similiter Maria Ægyptiaca pœnitentiâ inſignis, ſe ad mortem corporis Dnmini viatico, quod à Zozimo Preſbytero recepit, vt teſtatur Niceph. *lib.* 17. *hiſt. Eccl. cap.* 3. præparauit. Quod etiam ab egregiis Catholicæ Eccleſiæ luminaribus, *D. Ambroſ.* Ambroſio, ac Hieronymo fuit obſeruatum. Ille enim, vt refert Paulinus in eius vita, inſtante morte, è manibus Aurati Vercellenſis Epiſcopi, ſumpto Domini corpore, conformatis in crucis ſimilitudinem manibus animam efflauit anno Chriſti 397. *D. Hieron.* Hieronymus autem, vt ſcribit Euſebius in eius vita, ante mortem ſacram Synaxim poſtulauit, *Ante mortē Euchariſtiā receperunt.* & cùm à longe Sacerdotem ſacta myſteria deferentem aſpexiſſet, licèt debiliſſimus, humi ſe deiecit, flexiſque genibus adorato Domini corpore, ſacrum viaticum recepit; ipſeque Hieronymus *ep. ad Ruſtic.* S. Exuperium Toloſanum Epiſcopum Euchariſtiam infirmis deferre ſolitum, vt contra mortis conflictum illis eſſet in præſidium, atteſtatur. *S. Baſilius ante mortem viaticum ſumpſit.* Quibus accedit Amphilochius, qui in vita S. Baſilij Magni ſcribit, ſanctiſſimum illum Antiſtitem duas hoſtias ante mortem conſecraſſe, quarum vnâ per modum viatici refectus, ac vt ad Deum tranſiret, munitus eſt: altera, ipſo jubente, in columba ante altare ſuſpenſa repoſita fuit. Vnde *D. Auguſt. ægrotum hortatur, vt ante mortem Euchariſtiā ſumat.* & D. Auguſtinus *lib. de viſit. infirm. cap.* 4. ægrotantem Chriſtianum hortatur, vt ſacrum Dnmini corpus in viaticum ante mortem accipiat; ait enim: *Illud etiam viuifici corporis ſupplementum ſuſcipere fili mi non timeas, quin potiùs illud auidiſſimè quæras, fideliter comedas: cibus enim ille incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit ſaluberrimum, redemptionis tuæ pretium, Redemptoris monimentum, & redempti munimentum.* Ex quibus omnibus liquet, ex præcepto Domini & continuo Eccleſiæ vſu teneri fideles instante morte ſacram Euchariſtiam ſumere.

257. *Etiam in vita tenentur fideles aliquando Euchariſtiam ſumere.* Inſuper ex eodem diuino præcepto tenentur fideles etiam aliquoties in vita corpus Domini in Euchariſtia recipere. Cùm enim hoc Sacramentum ad nutriendam & roborandam animam in vita ſpirituali ordinetur, debet fidelis vt in illa vita conſeruetur, aliquoties ſpirituale hoc alimentum ſumere. Sicuti enim ad vitam corporalem non ſufficit ſemel aut iterum in vita cibum corporeum ſumere: ita nec ad vitam ſpiritualem ſufficit ſemel vel bis in vita Euchariſticum cibum manducare; quia ſicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis continuò humidum radicale depaſcentis, ex cuius defectu mors corporea ſequitur: ita hæc actione concupiſcentiæ continuò diu num amorem, animæ veluti humidum radicale, abſumentis destruitur.

258. Infideles autem, & non baptizati hoc diuino præcepto non tenentur ad communionem; ſed tantùm jure diuino vniuerſus tenetur orbis ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam: obligatio enim ad alia præcepta ſingularia Sacramentorum procedit ex ipſa profeſſione fidei, quæ fit in Baptiſmo, vt docet Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 3. *concl.* 1. *Non baptizati non tenentur ad communionem.* Vnde nunquam fuit mos in Eccleſia catechumenos nondum baptizatos Euchariſtiæ Sacramento reficere; immò ea quæ ad hoc myſterium attinent, nuſquam coram catechumenis exponebantur, niſi implicitè & ſermone ſubobſcuro.

Secundum præceptum de ſacra percipienda Euchariſtia Chriſtianis impoſitum poſitiuum eſt, & Eccleſiaſticum; omnes enim, dum ad diſcretionis annos peruenerint, ſemel in anno, in Paſchali ſolennitate communicare, hoc eſt corpus Domini in Euchariſtia tenentur recipere. 259. *Præcepto Eccleſiaſtico tenētur omnes adulti in paſchate ſingulis annis ſumere Euchariſtiam.* Ita juſſit Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. anno 1215. vt patet ex capite *Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* & inſinuat Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. Paſcahalia autem ſolennitas ex Eccleſiaſtica conſuetudine, & Eugenij IV. diplomate, quod incipit, *Fide digna*, intelligitur totum tempus à Dominica Palmarum incluſiuè vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè; & in quibuſdam regionibus, vt in Germania, extenditur à principio quadrageſimæ vſque ad quintamdecimam diem poſt Paſcha.

260. Cæterùm antiquiori præcepto Eccleſiaſtico, à Fabiano Papa ad Sedem Apoſtolicam ſublimato anno Chriſti 238. tenebantur Fideles ter ſaltem in anno, ſcilicet in die Natiuitatis Domini, Paſchatis & Pentecoſtes Sacramentum Euchariſtiæ ſumere, vt habetur *can. Etſi, de conſecr. diſt.* 2. *Ex præcepto antiquiori ter in anno communicare tenebātur fideles.* Cui Sother Romanus Pontifex ob memoriam paſſionis Domini, & huius Sacramenti inſtitutionem, diem Cœnæ addiderat, vt habetur in eadem diſtinctione, *can. In cœna.* Quæ omnia in Lateranenſi Concilio abrogata ſunt, & mandatum fuit, vt ſaltem ſemel in anno in Paſchate cuncti fideles diſcretionis capaces ſacris myſteriis communicarent.

261. Debet ergo quilibet fidelis ex præcepto Eccleſiaſtico ſemel in anno, & in feſto Paſchatis communicare. Vnde ſi aliquis longam vel peregrinationem, vel nauigationem aggrediatur, præuideatque ſe tantum Sacramentum infra annum non poſſe ſumere, tenetur ante diſceſſum illud ſumere.

262. Ille autem qui huic præcepto non ſatisfecit, nec communicauit in die, ſeu tempore Paſchatis, modo ſuprà expoſito, tenetur quamcitiùs huiuſmodi Sacramentum ſuſcipere, vt præcepto communicandi ſemel in anoo obtemperet. Duplex etenim in vno præceptum continetur; alterum communicandi ſemel in anno; & alterum hoc faciendi in feſto Paſchatis, tantæ ob reuerentiam feſtiuitatis. Quare licèt qui Paſchali tempore communionem omiſit, ab iſto præcepto, quo tempus communionis determinatur, liber ſit, cùm elapſo tempore præfato impleri noo poſſit, & ad impoſſibile nemo teneatur: *Qui non potuit in paſchate communicare, debet quantocius communicare.* alterum tamen, quo ſemel in anno tenetur communicare, debet adimplere; hoc enim mandatum non eſt addictum tempori, nec eſt purè affirmatiuum, ſed etiam virtualiter negatiuum, prout includit prohibitionem de non differenda vltra annum huius Sacramenti ſuſceptione.

Sì

263. Si quis autem non probatus, nec purgatus ad hoc Sacramentum acceſſerit, & ſacrilega communione nouâ labe pollutam animam contaminauerit, nullo modo huic præcepto Eccleſiaſtico ſatisfecit. Cùm enim eo modo communionem præcipiat Eccleſia, quo Christus præcepit; eius enim virtute Fidelibus imperat, & ad eundem finem: ſicuti Chriſtus hunc cibum ſumere jubet viuentibus vitâ ſpirituali, vt in illa conſeruentur, & proficiant: ita Eccleſia jubet fidelibus, vt in nutritionem ſpiritualem, & vitæ ſupernaturalis conſeruationem hoc Sacramentum, quod inter viuorum Sacramenta recenſetur, ſuſcipiant: & ideo qui mortui peccato, vitaque orbati ſpirituali, diuinâ hac veſci eſcâ non verentur, nullo modo illâ nutriuntur, ac conſequenter nullatenus Eccleſiaſtico obtemperant præcepto. Nam ſicut ille qui Prælato præcipiente, vt cibum ſumeret ad corpoream nutritionem, præcepto non obediret, ſi veneno infectum cibum, quo mortem incurreret, acciperet: ita nec Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacit, qui cum conſcientia lethalis offenſæ ſacram ſumit Euchariſtiam, quæ tanquam venenum quoddam, ex mala eius indiſpoſitione interitum cauſat ſpiritualem. *Buccella enim Dominica venenum fuit Iudæ, & cùm accepit, in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit*, vt loquitur D. Auguſtinus *tract.* 26. *in Ioan.*

Indiſpoſitus & imparatus communicãs huic præcepto non ſatisfacit.

Euchariſtia indignè ſumentibus venenum eſt.

264. Accedit quod cùm, vt declarauit Alexander VII. die 24. Septembris 1665. in Congregatione Generali Inquiſitionis, qui confeſſionem ſacrilegam & voluntariè nullam facit, præcepto annuæ confeſſionis non ſatisfaciat: ideo à pari qui ſacrilegè peccato lethali pollutus communicat, annuæ communionis præcepto non cenſetur obtemperare. Præcipit enim Eccleſia non ſolùm rem, ſed modum rei conuenientem: hoc eſt non ſolùm jubet ſacram Euchariſtiam ſumere, ſed debito modo, ac cum debito examine, ac probatione interiori conſcientiæ; ita vt ſi fidelis ſeipſum mortalis culpæ reum inueniat, pœnitentiæ medicamine purgetur, antequam ad Synaxim accedat. Quod rectè poteſt jubere Eccleſia, quæ licèt primò, per ſe & directè tantùm actus externos præcipiat; poteſt tamen ſecundariò, & indirectè actus interiores connexos cum exterioribus, & illorum formas imperare. Quo pacto hæreticæ prauitatis Quæſitoribus ſub excommunicationis pœna ab Eccleſia jubetur, ne contra aliquem ex odio procedant; & *in cap. Dolentes, de celebr. Miſſarum*, confeſſio annua jubetur fieri fideliter; immò & clericis præcipitur officium diuinum ſtudioſè & deuotè recitare. Vnde & ſimiliter jubentur fideles piè, & cum debita conſcientiæ, ac animæ, immò & corporis puritate, ſemel in anno corpus Domini recipere, ne nutritioni ſpirituali à tanto Sacramento procedenti aliquod ponatur impedimentum.

Qui ſacrilegam facit confeſſionẽ, præcepto cõfitendi non ſatisfacit.

Poteſt Eccleſia indirectè præcipere actus interiores cum exterioribus connexos.

SECTIO III.

Vtrum omnes fideles debeant ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, Euchariſtiam ſumere.

CElebris eſt inter Catholicos, & huius temporis Nouatores hæc difficultas; hi enim contendunt, cunctos Chriſtianæ Religionis profeſſores veſci debere vtraque Sacramenti Euchariſtiæ ſpecie, nec Eccleſiam poſſe alicui etiam laïco calicis vſum denegare. Vnde Caluinus *lib.* 4. *inſt. cap.* 17. §. 47. *Edictum* inquit, *æterni Dei eſt, vt omnes bibant.* 265.

Sed ad maiorem huius quæſtionis euidentiam recolendum eſt id quod jam ſuperiùs à nobis oſtenſum eſt, nempe ſub qualibet ſpecie huius Sacramenti totum Chriſtum realiter contineri: quamvis enim ex vi verborum ſolum corpus Chriſti reperiatur ſub ſpeciebus panis in illud conuerſi; tamen ſanguis, anima, & diuinitas ex naturali connexione, quâ eidem corpori coniunguntur, ibidem ſunt: & licèt ſub ſpeciebus vini ex vi verborum ſolus ſanguis exiſtat; attamen ex reali concomitantia corpus & anima ibidem reperiuntur. Hæc autem naturalis concomitantia partium Chriſti, licèt ab hæreticis reprobetur, habet tamen ſolida fundamenta in ſacris literis. 1. Ioan. 4. 3. *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, hic eſt Antichriſtus.* Qui autem negant naturalem connexionem corporis & ſanguinis, necnon animæ & diuinitatis Chriſti, ſoluunt Ieſum, quia quodammodo ſoluũt hypoſtaticam vnionem Dei & hominis, ex qua oritur concomitantia ſeu connexio diuinitatis & corporis Chriſti. Soluunt etiam vnionem naturalem animæ & carnis, & ſimiliter ſanguinis & corporis; ex qua oritur concomitantia harum partium. Ipſis etiam Chriſti Domini verbis inſinuatur hæc concomitantia, Ioan. 6. *Qui manducat me*, inquit, *viuet propter me.* Sed non manducatur niſi in ſpecie panis: ergo in ſpecie panis non eſt ſolum corpus, ſed totus Chriſtus. 266.

Sub qualibet ſpecie totus Chriſtus cõtinetur.

Naturalis connexio partium corporis Chriſti vini ſuadetur ex Scriptura.

Vnde ſequitur, vt jam ſuprà docuimus, tantum ſumi ab illo qui ſolam ſpeciem panis, in qua eſt totus Chriſtus; quantum ſumitur ab illo qui ſub duabus ſpeciebus panis & vini communicat. Immò nec maior fructus ſpiritualis ex duabus ſpeciebus recipitur, quàm ex vna; nam vt docet Concil. Trid. ſeſſ. 21. Can. 3. *Totus & integer Chriſtus, omnium gratiarum fons & author, ſub vna ſpecie panis continetur*; & conſequenter eandem gratiam producit ſub vna ſpecie ſumptus, ac ſi ſub duabus ſpeciebus ſumeretur: illæ enim duæ ſpecies vnicum conſtant conuiuium ſpirituale & alimentum, in quo debet eſſe cibus & potus. Quibus ſuppoſitis, ſenſus quæſtionis eſt, an ex præcepto diuino teneantur fideles corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue ſint Laïci, ſumere; ita vt Eccleſia ab illo non poſſit aliquem diſpenſare. 267.

Conc. Trid.

Non maior fructus recipitur ex duabus ſpeciebus manducatis, quàm ex vna.

Dico primò, Sacerdotem celebrantem ſacrificium corporis & ſanguinis Domini ſub ſpecie panis & vini, teneri illud perficere & conſummare. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 12. & communiter omnes Catholici. 268.

Sacerdos celebrãs debet Euchariſtiã ſub vtraque ſpecie ſumere.

Probatur: Sacerdos ſacrificans tenetur ſacrificiũ inceptum perficere & conſummare. Cùm enim ſacrificium ſit oblatio religioſa ſoli Deo facta in 269.

ptotrſtationem eius ſummæ excellentiæ & dependentiæ hominum; niſi ex omni parte abſolueretur, inpetfectum eſſet, & Deo gratum non exiſteret. Sed ſumptio tei oblatæ ad perfectionem ſacrificij pertinet. Cùm ergo ſemper in Eccleſia in ſacrificio Euchariſtiæ, conſecrato pane vinum ſit etiam conſecratum, vt Chriſtum mortuum einſque ſanguinem effuſum, vtriuſque ſpeciei ſeparatim conſecratio exprimat, ita vt ſi Sacerdos poſt inchoatum ſacrificium, hoc eſt poſt conſecratam vnam ſpeciem adeò ægrotare incipiat, vt proſequi nequeat, alius Sacerdos ſuccedat & perficiat ſacrificium, vt ſtatuitur in Concil. Tolet. 8. *can.* 2. & vt inquit D. Thom. 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 6. ſi Sacerdos poſt conſecratam vnam ſpeciem, recordetur ſe non eſſe jeiunum, aut eſſe in peccato mortali, aut excommunicatum, aut alio vinculo impeditum, debet pœnitere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, & nullo modo ſacrificium imperfectum relinquere: ideo debet Sacerdos hoc ſacrificium celrbtans, illud ſub vtraque ſpecie ſumere & conſummare.

Quia tenetur ſacrificium perficere.

Conc. Tolet. D. Thom.

Quid agendum quando celebrans nō poteſt vel vtramque ſpeciem cōſecrare, vel conſummare.

270. Quod tamen intelligendum eſt de Sacerdote principaliter celebrante: Sacerdotes enim nouiter ordinati, dum ſimul cum Epiſcopo ordinatore celebrant, non communicant ſub vtraque ſpecie, ſed ſolus Epiſcopus qui hoc ſacrificium principaliter obtulit.

271. Dico ſecundò, nullum eſſe præceptum diuinum, quo Sacerdotes & Clerici non celebrantes actu, aliique fideles laici teneantur Euchariſtiam ſumere ſub vtraque ſpecie panis & vini. Ita ſentiunt omnes Doctores Catholici cōtra Nouatores.

Sacerdotes nō celebrātes non tenentur vtramque ſpeciem ſumere.

Probatur primò. Præceptum diuinum, quo fideles ad aliquid obligantur, debet colligi vel ex

272. Scriptura, vel ex facto Chriſti, vel ex antiquo & continuo vſu Eccleſiæ, vel ex illius rei quæ præcipitur, natura. Sed ex his omnibus nullum colligitur præceptum, quo Sacerdotes non actu celebrantes, & laici teneantur ſub vtraque ſpecie panis & vini ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipere.

Nullum de hac re extat præceptum in Scriptura.

273. Primò quidem non colligitur ex Scriptura; quia vt rectè notauit Concilium Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. idem Chriſtus qui dixit Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* dixit quoque ibidem, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Immò in eodem capite 6. Ioan. Chriſtus vndecies mentionem facit huius Sacramenti ſub ſpecie panis, & quater tantùm ſub nomine carnis & ſanguinis: & vt oſtenderet ſub ſpecie panis ad ſalutem ſufficere, concludit de ſola manducatione ſub ſpecie panis, dicens: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vnde communio fidelium ſub ſola ſpecie panis deſcribitur, Act. 2. 42. *Erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis.* Et *cap.* 20. 7. dicitur, *Fideles vna Sabbathi conueniſſe ad frangendum panem.* Vbi nulla mentio fit calicis, nec Sacramenti ſub ſpecie vini, ſed tantùm ſub ſpecie panis.

Concil. Trid.

Chriſtus vndecies Sacramenti ſub ſpecie panis, & quater tātùm ſub nomine carnis & ſanguinis meminit, vt oſtenderet ſolam ſpeciē panis ad ſalutem ſufficere.

274. Secundò non colligitur ex facto Chriſti; quia licèt ille tanquam primus & ſummus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, Sacramentum hoc ſub vtraque ſpecie ſumpſerit, & duodecim diſcipulis quos Sacerdotes tunc ordinauit, etiam ſub vtraque ſpecie dederit; tamen non ex hoc ſequitur, quod omnes non actu celebrantes & laïci teneantur ſub vtraque ſpecie hoc Sacramentum ſumere; nullum enim de hac re extat præceptum ab eo prolatum, nec debent Fideles præſtare quidquid fecit Chriſtus, aliàs tenerentur Sacerdotes veſpere & poſt cœnam ſacra myſteria celebrare, & conſummare: quod tamen praxi Eccleſiæ contrarium eſt. Adde quod Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam in Caſtello Emmaus duobus diſcipulis in ſola ſpecie panis Euchariſtiam miniſtrauit, vt dicitur Luc. 24. 30. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Et ibidem 36. *Quomodo cognouerunt eum in fractione panis.* Quod à SS. Patribus de Euchariſtia exponitur, & patet ex illo 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?*

Chriſtus rediuiuus, in caſtello Emmaus Euchariſtiam in ſola ſpecie panis conſecrauit.

275. Tertiò, non colligitur ex antiquo & continuo vſu Eccleſiæ. Siquidem qui primis Eccleſiæ ſeculis Apoſtolorum temporibus vicinis vixerunt Doctores, vſum contrarium Fidelibus communem, nempe communionem ſub ſola ſpecie panis atteſtantur. Nam ritus erat antiquæ Eccleſiæ, vt Euchariſtiam domum deferrent fideles, opportuno tempore communicaturi, vt patet ex Tertulliano *lib.* 2. *ad vxorem, cap.* 5. Clemente Alexand. *lib.* 1. *ſtrom.* Baſilio *in ep. ad Cæſariam Patritiam*, D. Cypriano *ſerm. de lapſis*, Auguſtino *ſerm.* 222. & aliis. Domi autem tantùm ſub ſpecie panis communicabant, quod liquet ex eo quod ſola ſpecies panis dabatur in manus fidelium, ſanguis verò ex calice offerebatur bibendus, vt docet D. Cyrillus *catech.* 5. *myſtagog.* In domibus autem laicorum nulli erant calices, ſeu vaſa ſacra, quibus contineri poſſet ſanguis Domini, vt ex apologia 2. Athanaſij contra Arrianos euidenter patet. Vnde Euſebius *lib.* 6. *hiſtor. cap.* 36. ex Epiſtola Dionyſij Alexandrini refert Presbyterum puero dediſſe particulam Euchariſtiæ deferendam Serapioni ſeni ægroto, ac juſſiſſe, vt eam madefaceret priùs quàm ſeni porrigeret. Cùm enim ex longo tempore quo pro ægrotis ſeruabatur, ſpecies panis dureſceret, non ita facilè poterat deglutiri. Monachi etiam qui eremum incolebant, vt teſtatur Baſilius *loc. cit.* ſacram in ſolitudinem deferebant Euchariſtiam, eamque in cellis ſeruabant, vt imminente neceſſitate ac opportuno tempore, tanto munirentur Sacramento. Nuſquam tamen ſub ſpecie vini, quod facilè aceſcit & corrumpitur, & diu ſeruari nequit; ſed tantùm ſub ſpecie panis eremi cultoribus dabatur Euchariſtia, ſicut & mulieribus, quæ Euchariſtiam in mundo linteolo accipiebant, & domi ſeruabant, quod de ſpecie vini nequit intelligi. Immò & itinerantibus in præſidium, & in caſu mortis in viaticum dabatur ante diſceſſum Euchariſtia, vt notat Baronius anno Chriſti 57. *num.* 47. ſed tantùm ſub ſpecie panis, non verò ſub ſpecie vini. Ergo vetuſtiſſimus, immò continens & frequentior Eccleſiæ vſus fuit, vt tantùm ſub ſpecie panis Euchariſtia laïcis porrigeretur.

Apoſtolorū temporibus ſub ſola panis ſpecie cō municabant fideles.

Tertull. Clem. Alex. Baſil. D. Cyprian.

D. Cyrill.

Athan.

Dion. Alex.

Monachi Euchariſtiā in ſolitudinē deferebant ſub ſola ſpecie panis, ſuo tempore cōmunicaturi.

Baron.

276. Quod quidem confirmari poteſt ex antiquiſſimo Eccleſiæ more, qui adhuc ſeruatur ab Eccleſia feriâ ſextâ in Paraſceue, in qua memoria paſſionis Dominicæ ſolenniter recolitur. Illo etenim die nec ſacrificium celebratur, nec ſub ſpecie vini communicatur: ſed Sacerdos in publica actione ſub ſpecie tantùm panis corpus Domini ſumit. Quod à Græcis obſeruatum fuit, vt liquet ex Laodiceæ Concilio *can.* 49. & ex Synodo apud Trullum *can.* 52. & à Latinis religiosè cuſtoditum, vt conſtat ex Innocentio I. *ep.* 1. *cap.* 4. & ex S. Gregorio in

Fer. 6. in paraſceue Sacerdos in publica actione ſub ſola ſpecie panis cōmunicat.

S. Gregor.

D. Thom.

in ſuo Sacramentali. Vt enim docet D. Thomas 3. *p. quæſt.* 83. *art.* 2. *ad* 2. feriâ ſextâ Hebdomadæ ſanctæ non celebratur ſacrificium Euchariſtiæ, quia cùm hoc ſacrificium ſit figura & repræſentatio Dominicæ paſſionis, conueniens eſt, vt ea die quâ paſſio Chriſti recolitur, non offeratur à Sacerdote hoc ſacrificium; veniente enim veritate ceſſat figura. Sed tunc corpus Domini ſub ſpecie panis ex feria quinta præcedenti aſſeruatum, à Sacerdote in ſolenni fidelium cœtu abſque ſpecie vini ſumitur.

277. Præterea Manichæi, qui ſuperſtitioſè à vino tanquam à felle draconis ſeu dæmonis abhorrebant, eiuſque potum ſacrilegum exiſtimabant, neque ſub illius ſpeciebus Chriſtum eſſe in Euchariſtia credebant, vt ſe Catholicos ſimularent, ſimul cum Catholicis ſumebant Euchariſtiam, vt teſtatur S. Leo Papa I. *ſerm.* 4. *de Quadrageſima*: ergo tunc Catholici ſub vna ſpecie tantùm, nempe panis, ſacram ſumebant Euchariſtiam, aliàs non potuiſſent Manichæi cum Catholicis latêre. Vnde idem Leo Papa, vt liquet ex epiſtola ad Thuribium, Catholicis præcepit vt ſub vtraque ſpecie communicarent, vt Manichæi à ſpecie vini abſtinentes in hoc detegerentur.

Manichæi qui à vino abhorrebant ſub ſola ſpecie panis cum Catholicis communicabant.

S. Leo.

278. Denique nullum præceptum diuinum communicandi ſub vtraque ſpecie colligitur ex natura Sacramenti Euchariſtiæ. Cùm enim in quailbet ſpecie ſit totus Chriſtus, & conſequenter caro eius manducetur, & ſanguis eius bibatur, dum ſumitur ſpecies panis, ſub qua vtrumque realiter exiſtit, fidelis recipit omne quod Chriſtus mandauit recipere, dum ſpeciem panis ſumit, eiuſque anima integrâ tunc refectione nutritur.

Ex natura ſacramenti nō eſt præceptū communicādi ſub duplici ſpecie.

279. Ex quibus omnibus euidenter conſtat, nullum diuinum extare præceptum, quo Sacerdotes non celebrantes, & laici teneantur Sacramentum Euchariſtiæ recipere. Sed pro varia temporum differentia licuiſſe & ſub vna ſpecie tantùm, & deinde ſub duabus, & iterum ſub vna tantùm Sacramentum hoc deguſtare, hocque apud Eccleſiam jus ſemper extitiſſe, vt ex diuerſis rationibus, ac vrgentibus cauſis, aliquando communionem ſub vtraque ſpecie permiſerit, & hanc licentiam juſtis etiam de cauſis reuocare potuerit. Etenim à Chriſto Sponſo poteſtatem accepit modum diſpenſandi ſeu adminiſtrandi Sacramenta, ſaluâ ac immutatâ manente eorum ſubſtantiâ, ſtatuendi & mutandi, prout magis expedit ſuſcipientium vtilitati ac Sacramentorum venerationi, & variæ ac vrgentes rerum, locorum ac temporum neceſſitates poſtulant, vt rectè colligitur à Concilio Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. ex illo Apoſtoli 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et *ex cap.* 11. *eiuſdem epiſt.* vbi poſtquam Apoſtolus huius Sacramenti ſubſtantiam expoſuit, ex profeſſo addit: *Cætera verò cùm venero, diſponam.* Quibus verbis innuit, ſe ritum & modum celebrandi, ac ſumendi hoc myſterium, diſpoſiturum, dum apud Chorinthios fuerit. Quod vt clariùs pateat, ſit;

Licuit omnibus aliquādo ſub vna ſpecie dūtaxat, deinde ſub duabus, ac tandem ſub vna communicare.

Modus diſpenſandi ſeu adminiſtrādi Sacramenta eſt in poteſtate Eccleſiæ, nequit tamen illorum ſubſtantiam mutare.

§. I.

An Eccleſia potuerit aliquando fidelibus laïcis & Sacerdotibus actu non celebrantibus vſum calicis, ſeu ſpeciem vini in Euchariſtia concedere, & aliquando denegare.

AD propoſitæ difficultatis euidentiam præmittendum eſt, Euchariſtiam duplicem in ſe rationem includere, Sacrificij ſcilicet, & Sacramenti. Si vt Sacrificium conſideretur, nequit ſaluari in vnica ſpecie perfectè & integrè, ſed vtraque neceſſaria eſt. Tum quia ſub hac ratione eſt ſignificatio & imitatio ſacrificij in cruce peracti, quod nequit repræſentari niſi ſpecies panis diſtincta ſit à ſpecie vini, vt ab illa corpus Chriſti mortuum, & ab iſta ſanguis eius effuſus exprimatur: nequit autem vna ſola ſufficere, ſed vtraque requiritur, quia corpus præciſè non eſt victima immolata, neque ſanguis ſolus, ſed vtrumque illam conſtituit. Tum quia in hoc ſacrificio debet eſſe, quod fuit in figura in ſacrificio Melchiſedech, quia Chriſtus, qui eſt principalis offerens, eſt Sacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedech, qui obtulit panem & vinum,* vt dicitur *Gen.* 14. tum denique, quia ſacrificium ordinatur propriè ad remiſſionem peccatorum; & ideo dicitur propitiatorium: ſine ſanguinis autem effuſione non fit remiſſio, vt dicitur *Hebr.* 9. & ideo oportet, vt ſanguinis effuſio repræſentetur in Euchariſtia per ſpeciem vini, ſub qua eſt eius ſanguis in calice. 280.

Euchariſtia eſt ſacrificiū, & Sacramentum.

Vt ſacrificiū vtrāque ſpeciem requirit.

Si autem vt Sacramentum conſideretur, tota eius eſſentia in vnica ſpecie, v. g. panis, verè & propriè reperitur, ita vt ſpecies panis, vt à laïcis ſumitur, verum & integrum ſit ſacramentum, quia ſub illo totus Chriſtus reperitur; eius enim corpus ibi eſt ex vi verborum, & eius ſanguis ex naturali concomitantia & connexione. Inſuper verè reficit & nutrit animam, quia in ſpirituali refectione non diſtinguuntur cibus & potus: ſed vna & eadem res nutrit, quod præſtat cibus; & refrigerat, ſeu irrigat vel inebriat mentem, quod facit potus, vt patet ex illo Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Et ideo Chriſtus *Ioan.* 6. inquit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Vbi vita ſpiritualis & æterna, quæ eſt effectus nutritionis ſpiritualis, promittitur manducantibus hoc Sacramentum ſub ſpecie panis tantùm, quia verè manducant corpus Chriſti, & bibunt eius ſanguinem, dum illum totum & integrum ac viuum recipiunt. Vnde liquet, eundem effectum ſpiritualem, nempe gratiam ſpiritualem, produci ab vna ſpecie Sacramenti Euchariſtiæ, v. g. à ſpecie panis, ac à duabus ſpeciebus produceretur. Quare dum Sacerdos celebrans ſub vtraque ſpecie communicat, hoc facit ad complendum & conſummandum ſacrificium, quod duas ſpecies exigit: non autem ad ſumendum maius, vel duo Sacramenta; quia licèt in vna ſpecie tota ratio Sacramenti ſaluetur, non multiplicatur in duabus ſpeciebus, quæ vnicum etiam dumtaxat conſtituunt Sacramentum. Cum hoc tamen diſcrimine, quod in duabus ſpeciebus eſt vnicum Sacramentum per modum alimenti cum cibo & potu realiter & explicitè diſtinctis. In vnica verò, vt in ſpecie panis, eſt vnicum Sacramentum per modum alimenti, continens implicitè cibum 281.

Vt Sacramētum optimè in vnica ſpecie ſaluatur.

In duplici ſpecie eſt vnicum Sacramentum per modum cibi & potus realiter diſtinctorum, & ſub vna ſpecie eſt vnicū Sacramentū continens implicitè cibum & potū.

& potum ſpiritualem, nempe corpus Chriſti, ex vi verborum, & eius ſanguinem in corpore incluſum, ex reali connexione & naturali concomitantia vtriuſque.

282. Dico igitur primò, rectè pro temporum differentia, & ex variis rationibus Eccleſiam potuiſſe concedere vſum calicis fidelibus laïcis; & hanc conceſſionem reuocare.

Potuit Eccleſia vſum calicis fidelibus interdũ concedere, & poſtea denegare.

Probatur: Ideo potuit Eccleſia Baptiſmi, qui primò per trinam immerſionem, & poſtea per vnicam immerſionem dabatur, ritum mutare,

283. & per ſolam irrigationem ſeu aſperſionem illum, vt nunc fit, adminiſtrare; quia licèt Chriſtus dixerit, *Docete omnes gentes, baptizantes*, id eſt mergentes, *eos in nomine Patris*, &c. vt legitur *Matth. vlt.* 19. & Apoſtoli can. 50. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*; in illis trinis immerſionibus modum diſpenſandi Baptiſmum, & non ſubſtantiam eiuſdem Sacramenti, quæ conſiſtit in hoc quod ex aqua & Spiritu ſancto renaſcatur homo, vt dicitur *Ioan.* 3. cum inuocatione Trinitatis, quæ in forma Baptiſmi continetur, vt patet ex Matthæi vlt. declarauerint: tamen Eccleſia quæ diſpenſationis & modorum adminiſtrandi Sacramenta magiſtra eſt, dummodò eorum ſubſtantia intacta maneat, & immutata, trinam illam immerſionem, cum qua ipſi Apoſtoli baptizati ſunt, & alios baptizauerunt, eorumque ſucceſſores idem Baptiſmi Sacramentum adminiſtrarunt, juſta de cauſa ad vnicam reduxit immerſionem, in Concilio Toletano IV. *can.* 5. vt hæreticos, qui ex trina merſione trinam in Trinitate ſubſtantiam aſſerebant, confunderet; & vnica immerſione vnicam Trinitatis ſubſtantiam, & Deitatem docens, Baptiſmi ritu confutaret. Deinde proceſſu temporis extensâ ac dilatatâ Chriſtianâ Religione ad regiones Boreales, vbi maximum viget frigus, ne pueris ex immerſione in aquam frigidiſſimam interitum, vel periculoſas cauſaret ægritudines, & vt puellarum ac mulierum ethnicarum ad fidem Chriſtianam vocatarum pudori conſuleretur; erubeſcebant enim nudas mergi, vt teſtatur D. Ioan. Chryſoſt. *epiſt.* 1. *ad Innocentium*, ab Eccleſia ſtatutum fuit, vt in poſterum nec per trinam, nec per vnicam immerſionem, ſed per irrigationem, ſeu aſperſionem, vel ablutionem capitis, ſeu præcipuæ alterius partis corporis, cum debita prolatione formæ & inuocatione Trinitatis Baptiſmus conferretur: qui ritus baptizandi ab omnibus Catholicis, immò & ab heterodoxis Nouatoribus hodie obſeruatur.

Ritus miniſtrandi Baptiſmum pro diuerſis temporibus diuerſus.

Baptiſmus per vnicam immerſionẽ quo tempore cœperit, & cur.

Conc. Tolet. IV.

Et deinde per aſperſionem, ſeu per irrigationẽ, ſublatis omnibus immerſionibus.

D. Chryſoſt.

284. Sed communicare vel ſub vna ſpecie, vel ſub vtraque ſpecie ſimul, non eſt quid attinens ad ſubſtantiam Sacramenti Euchariſtiæ, ſeu ad ſubſtantiam communionis, quâ ex verbo Domini tenemur ſuſcipere corporis & ſanguinis Domini Sacramentum per modum alimenti ſpiritualis, quo anima in Chriſto renata in eſſe ſpirituali gratiæ conſeruatur, augetur & perficitur, dum dixit Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ſed tantùm ad modum. Siue etenim hoc Sacramentum ſub ſpecie v. g. panis recipiatur, corpus & ſanguis Chriſti in ea, cum toto Chriſto realiter exiſtentia ſumuntur; ſiue ſub vtraque ſpecie accipiatur, ſemper caro eius manducatur, & ſanguis eius bibitur: cum hoc ſolo diſcrimine, quod ſub vtraque ſpecie communicantes recipiunt corpus & ſanguinem veluti diſtincta; corpus enim ex vi verborum ſub ſpecie panis, & ſanguis ex vi verborum conſecrationis ſub ſpecie vini reperitur. Illi autem qui tantùm ſpeciem panis recipiunt, idem corpus & eundem ſanguinem quaſi coniuncta & vnita, cùm corpus ibi ſit ex vi verborum, & ſanguis ex reali connexione & reali concomitantia, ſumunt. Ergo potuit Eccleſia ex variis rationibus pro temporum diuerſitate, & ad vtilitatem fidelium hunc modum aliquando mutare, & aliquando concedere laïcis communionem ſub vtraque ſpecie, & aliquando hanc conceſſionem juſtis de cauſis reuocare.

Communicatio ſub vna vel duplici ſpecie, nõ eſt de eſſentia Sacramenti.

Potuit ergo Eccleſia ex rationabili cauſa aliquãdo ſub vna, & aliquando ſub duplici ſpecie communionem præbere.

285. Etenim ab initio naſcentis Chriſtianæ Religionis licitum fuit Fidelibus extra ſacrorum celebrationem myſteriorum, ſub vna tantùm ſpecie, nempe ſub ſpecie panis, diuinum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere. Vnde & Nazaræi ad Chriſtianam Fidem conuerſi, ſeruantes adhuc ex Eccleſiæ indulgentia legem Moyſis, & vinum non bibentes, ſub vna tantùm ſpecie panis ſacram recipiebant Euchariſtiam. Tempore etiam Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Archiepiſcopi, ſub vna tantùm ſpecie panis laïcis dabatur Euchariſtia; quod patet ex eo, quod vt Sozomenus *lib.* 8. *hiſt. cap.* 5. & Nicephorus *lib.* 13. *c.* 7. tradunt, quod mulier quædam Macedoniana, vt ſe Catholicam ſimularet, ſuamque hæreſim fictâ tegeret Communione, acceptum à S. Ioanne Chryſoſtomo Euchariſticum panem ancillæ tradidit, à qua prophanum recipiens, & eo tanquam Euchariſtico vti volens, in eius ore ſtatim in lapidem verſus eſt. Etenim ſi ſpecies vini tunc è calice omnibus ad communionem accedentibus data fuiſſet, Macedoniana hæc ſtatim prodita fuiſſet, nec ſuum potuiſſet errorem obtegere. Non enim pro calice Domini aliquid aliud ſumere potuiſſet; nam calix à Diacono communicantium ori admouebatur. Sanctus etiam Agapitus ſub ſola ſpecie panis tradidit Euchariſtiam muto, qui ſtatim loquelam recepit, vt refert D. Gregor. Magnus *lib.* 3. *dial. c.* 3.

Ab initio Eccleſiæ ſub vna ſpecie ſumebatur Euchariſtia.

Nazaræi ad fidem cõuerſi vino abſtinẽtes ſub ſpecie panis tantũ communicabant.

Niceph. Chryſoſtomi tempore ſub vna tantum ſpecie dabatur Euchariſtia.

Miraculum de muliere hæretica.

S. Agapitus in ſola ſpecie panis communicauit mutum, qui ſtatim loquelam recepit.

286. Quia tamen Manichæi ſe Catholicos ſimulabant, cum illis ſub ſola ſpecie panis Romæ communicantes, vt eos à vino tanquam à cacodæmonis felle abhorrentes, detegeret Leo Papa I. & detectos debitis pœnis coërceret, notari juſſit eos qui ſemper à vini ſpecie in ſacra communione abſtinebant, vt teſtatur ipſemet S. Leo *ſerm.* 4. *de Quadrag.* ac deinde ob eandem rationem à Gelaſio I. circa annum Domini 495. præceptum fuit, vt omnes ſub vtraque, panis ac vini ſpecie communicarent.

Ob Manichæos juſſit S. Leo I. vt ſub vtraque ſpecie communio daretur.

S. Leo.

287. Verùm ceſſantibus illis rationibus, & planè diuerſis emergentibus, in pluribus Eccleſiis ſtatutum fuit, vt Communio laïcorum ac clericorum non celebrantium ſub vna dumtaxat panis ſpecie fieret. Vnde D. Bernardus Abbas Clareuallenſis, qui obiit anno 1153. cuidam Monacho, quem juſtis de cauſis à ſacra communione prohibuerat, ad ſacra myſteria cum aliis accedenti, ne illum proderet, cùm panis ſpeciem porrexiſſet, Sacramentum in eius hæſit ore, nec ipſum, niſi à ſancto Abbate acceptâ abſolutione & veniâ, deglutiuit, vt refert Guillielmus Abbas *lib.* 1. *cap.* 11. *vita ipſius.* Ex quo conſtat, etiam clericis & monachis tempore D. Bernardi ſacram ſub vnica ſpecie panis communionem miniſtrari ſolitam.

Communio laïcorum & ſacerdotum non celebrãtium abſque vrgenti ratione in vnica ſpecie fuit.

Guill. Abb.

Gelaſ.
Species panis intincta aliquando porrigebatur, quod ſuſtulit Gelaſius II.

ſolitam. Inter autem alias rationes, quibus mota eſt Eccleſia, vt Communionem ſub vna ſpecie reſtitueret, ea fuit, quia cùm irrepſiſſet mos porrigendi Fidelibus ſpeciem panis intinctam, & Gelaſius II. circa annum Domini 1118. vt patet ex eius epiſtola ad Pontium Cluniacenſem Abbatem, morem hunc reprobaſſet, ac juſſiſſet Communionem ſeorſum in ſpecie panis, & in ſpecie vini ſeorſum adminiſtrari, nec hic vſus etiam ſic reprehenſus ceſſaret, Communionem ſub vna tantùm ſpecie panis ſancta frequentare poſtea conſueuit Eccleſia, vt loquitur Henricus Spondanus in Epitome Baronij, *an.* 1118. *num.* 1.

Spondan.
Deinde ſub vna tantum ſpecie ferè vbique Euchariſtia data eſt.
D. Thom.

quod in multis Eccleſiis obſeruatum fuit tempore S. Thomæ Aquinatis, qui juſſu Gregorij X. pergens ad II. Concil. Lugdunenſe obiit 1274. nam 3. *p. qu.* 80. *art.* 12. ait: *Prouidè in quibuſdam Eccleſiis obſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à Sacerdote ſumatur.*

288. Dico ſecundò: Sapienter, & ex rationabilibus cauſis Eccleſiam prohibuiſſe laicis Communionem ſub vtraque ſpecie. Propoſitio hæc eſt contra Nouatores Lutheranos, & Caluiniſtas, qui Eccleſiam Romanam tyrannicè hanc edidiſſe prohibitionem inclamant: qui tamen anathemate propter iniuſtam hanc querelam à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *can.* 2. feriuntur his verbis: *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, vt Laïcos atque etiam Catholicos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.*

Sapienter Eccleſia Laicis prohibuit ſub vtraque ſpecie communicare.
Concil. Trid.

289. Probatur adducendo cauſas quibus Eccleſia ad Communionem ſub vtraque ſpecie prohibendam mota eſt. Prima igitur illarum fuit ad confutandum errorem illorum qui exiſtimant, ſpeciem vtramque eſſe neceſſariam ad ſalutem, & diuinum extare præceptum de Communione ſub vtraque ſpecie: qui error circa annum Domini 1412. authoribus Petro Dreſdenſi, & Iacobello Miſnenſi, vt ſcribit Æneas Syluius *in hiſt. Bohemorum*, Pragæ in Bohemia exortus eſt. Vt ergo nullum diuinum extare præceptum de ſumenda ſub vtraque ſpecie Euchariſtia, oſtenderet Eccleſia, prohibuit vſum Calicis, & totum Chriſtum, nempe corpus & ſanguinem eius ſub ſpecie panis à Fidelibus ſumi, juxta verbum Domini ſapienter declarauit.

Quia quidã credebant vtramque ſpeciem ad ſalutem neceſſariam.

190. Secunda eſt maxima reuerentia tanto Sacramento, vbi Chriſtus realiter exiſtit, à. fidelibus exhibenda. Cum enim quaſi in immenſum creuerit populi Chriſtiani multitudo, in qua continentur ſenes, tremuli, & juuenes ac paruuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, vt cautelam debitam circa vſum huius Sacramenti adhibeant, frequenter accideret ſanguinis effuſio, ſi calix omnibus bibendus offerretur; & ideo Eccleſia ad talem effuſionem vitandam ſapienter vſum calicis ſoli Sacerdoti conficienti reſeruauit.

Ob maximã reuerentiam debitam Euchariſtiæ.

291. Tertia eſt impoſſibilitas ſumendi ſpeciem vini ab omnibus Chriſti Fidelibus. Cùm enim plures ſint abſtemij, & adeo à vino abhorreant, vt nec eius odorem ferre poſſint, ne iſtis aliquis eſſet ſcrupulus minùs ſumendi in ſacra Communione ſub vna ſpecie panis, quàm alij ſumerent ſub vtraque ſpecie panis & vini; omnibus interdixit Eccleſia vſum calicis, & totum Chriſtum ſub vna tantùm ſpecie reperiri ac recipi à communicantibus docuit.

Quia multi à vino abhorrent.

292. Adde quod plures ſunt regiones, in quibus cum maxima Chriſtianorum multitudine tanta eſt penuria vini, quod ibidem non creſcit, ſed aliunde aſportatur, vt ſi ſub vtraque ſpecie laïcis Euchariſtia præberetur, vel nuſquam, vel rariſſimè communicarent. Quare Volaterranus *lib.* 7. *Geographiæ*, ſcribit ab Innocentio VIII. conceſſum fuiſſe Noruegiis, vt ſine vino ſacrificarent, quia in Noruegia vinum non creſcit, & aliunde aſportatum continuò aceſcit; cuius rei fides apud hunc ſit auctorem. Sapienter ergo fecit Eccleſia vſum Calicis ſolis Sacerdotibus vbique reſeruando, vt vniformis vbique fuiſſet non celebrantium Clericorum, & Laïcorum Communio. Quod nequeunt improbare Aduerſarij, cùm Philippus Melancton *lib. de vſu integri Sacramenti*, ſcripſerit Ruthenos ob vini inopiam poſſe aquâ mellitâ, ſeu medone pro vino vti; quod tamen omninò falſum eſt, cùm nulli hominum liceat materiam Sacramenti à Chriſto deſignatam mutare. Vnde ſapientiùs Eccleſia ſentit Catholica, quæ materiam non mutat Sacramentorum, ſed illi ſubuenit neceſſitati, vnam ſpeciem tantùm, in qua totum eſt Sacramentum, Fidelibus miniſtrando.

Ob penuriam vini in multis regionibus.

Error Philippi Melanctonis.

Materia Sacramenti à nemine mutari poteſt.

Præterea vinum in vno tantùm Calice conſecratum, vt perpetuus fuit Eccleſiæ mos in vnico, & non in pluribus calicibus Euchariſtiam celebrare, non ſufficiebat, vt multa millia hominum poſſent communicare; & ideo, vt refert Concilium Baſileenſe, ad ſupplendum ſanguinem pro communicantium multitudine, Sacerdotes ſæpe conſecrarunt ſolum calicem, idque extra actionem ſacrificij: ſæpe etiam ex defectu vini conſecrati miniſtrabatur purum vinum non conſecratum: & poſtquam laici ſanguinem ex calice receperant, cùm ex illis etiam malè affecti, infirmi, ac fœtidi bibiſſent, durum erat Sacerdoti, quod reſiduum erat in Calice ſumere, & ſæpe nauſeam ipſi pariebat. Vt ergo omnibus huiuſmodi rectè conſuleret Eccleſia, ſapienter ordinauit, vt à nullo, niſi à Sacerdote ſacra myſteria celebrante calix Domini biberetur. 293.

In vno tantùm calice vinum conſecrabatur, & non ſufficiebat ad multitudinẽ.

Attamen contra præfata opponunt primò Nouatores verba Chriſti Domini Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi copula, *&*, deſignat præceptum Chriſti ad manducandum eius carnem, & ad ſanguinem eius bibendum. Ergo non potuit Eccleſia vſum calicis prohibere. 294.

Inſtant Nouatores.

Reſpondeo primò, in illis verbis Chriſti dari tantùm præceptum de re, nempe de corpore & ſanguine Chriſti ſumendo in Euchariſtia; non autem de modo ſumendi ſub vna vel duplici ſpecie. Etenim hæc verba Chriſtus protulit reſpondendo Iudæis *litigantibus, & dicentibus, Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Illi autem non de modo ſumendi ſub vna vel duplici ſpecie, ſed de re ipſa, an ſcilicet eius caro & eius ſanguis poſſent ſumi, litigabant. Cùm ergo & caro, & ſanguis ſub vna ſpecie panis, ſub qua eſt totus Chriſtus, ſumantur, huic præcepto ſatisfacit, qui Euchariſtiam ſub vna ſpecie panis ſumit. 295.

Refelluntur primò.

Reſpondeo ſecundò ſenſum illorum verborum, *niſi manducaueritis, & biberitis*, eſſe diſiunctiuum, vt patet ex modo loquendi Hebræorum, qui particulâ copulatiuâ pro diſiunctiua vtuntur, vt Act. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*; ideſt, argentum vel aurum non eſt mihi, ſicuti gallicè dicitur, *Ie n'ay ny or, ny argent.* Et Ioan. 15. *Si non* 296.

Refelluntur ſecundò.

veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; ſenſus eſt, ſi non veniſſem, neque loquutus fuiſſem. Similiter 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit*; hoc eſt, qui manducat, vel bibit indignè: nam ad hoc vt aliquis judicium ſeu damnationem incurrat, non requiritur quod Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie ſumat, ſed ſufficit quod illam vel ſub ſpecie panis, vel ſub ſpecie vini indignè ſumat. Ita à pari, vt hoc præceptum Chriſti impleatur, ſufficit quod Euchariſtia ſub ſpecie panis ſumatur, quia tunc verè caro eius, & ſanguis eius ſumuntur.

297. Reſp. tertiò; quod licèt in illis verbis ſit præceptum ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ſumendi; tamen non datur vt adimplendum per ſingulos, ſed tantùm per aliquos, nempe per Sacerdotes ſacra myſteria celebrantes, ad eum planè modum, quo præceptum de generatione, Gen. 1. *Creſcite & multiplicamini*, non omnes, ſed quoſdam tantùm homines, vt humanæ dent operam propagationi, obligat.

Tertiò refelluntur.

298. Vrgent aduerſarij: Chriſtus offerens calicem in vltima cœna, dixit Math. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes*. Ergo omnes fideles ex eius præcepto tenentur calicem bibere.

Vrgent.

299. Reſp. nego conſequentiam: verba enim illa Chriſti ſolis Apoſtolis Chriſto in vltima cœna aſſidentibus dicta ſunt. Vnde illis omnibus dixit, *bibite*, qui omnes biberunt. Cùm ergo dum *Marc.* 14. dicitur, *Biberunt ex illo omnes*, per ly *omnes*, ſoli Apoſti ibidem præſentes intelligantur; dum Dominus dixit, *bibite ex eo omnes*, non omnibus Fidelibus id dixiſſe intelligendus eſt, ſed ſolis, & omnibus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, nempe Sacerdotibus, qui vt loquitur D. Hieronymus, *Chriſti corpus ſacro ore conficiunt*, & dum diuina hæc myſteria celebrant, vtramque ſpeciem Euchariſtiæ debent ſumere. Quæ ſolutio ſolida & inconcuſſa magis firmatur ex verbis ſeqoentibus ibidem 30. & 31. *Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me, &c.* Omnes ergo qui dixerunt hymnum cum Chriſto, qui in montem oliueti exierunt, & ſcandalum illa nocte paſſi ſunt, ſoli Apoſtoli fuerunt, & conſequenter ſoli ſunt Apoſtoli, quibus dictum eſt: *Bibite ex hoc omnes*.

Rejiciuntur.

Dum dixit Chriſtus, Bibite ex illo omnes, ſolis Apoſtolis ibidem præſentibus, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus loquebatur.

300. Nec quando dixit Dominus Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit eis vt facerent quod ipſe faciebat, & vtramque ſpeciem darent Fidelibus, ſicut vtramque ſpeciem dabat illis: ſed tantùm illis verbis ordinauit, vt Apoſtoli eorumque ſucceſſores, corpus & ſanguinem ſuum in ſacrificio Miſſæ offerrent, vt docet Trid. *ſeſſ.* 22. *can.* 2. Nam ſi eis præcepiſſet vt facerent quidquid ipſe faciebat, juſſiſſet vt omnes alios facerent Sacerdotes, ſicut ipſi tunc à Chriſto Sacerdotes ordinati ſunt; & quod veſpere, & poſt cœnam Euchariſtiam offerrent & ſumerent; quod tamen falſum eſt.

Et dum dixit, Hoc facite in meam cõmemorationem, nõ præcepit vt facerent omnia quæ ipſe tũc faciebat, ſed juſſit, vt illi ordinati tunc in Sacerdotes ſacrificium offerrent in memoriam paſſionis ſuæ.

Similiter Apoſtolus 1. Cor. 11. dicens, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, nullo modo docuit modum communicandi, ſed ſubſtantiam Communionis, in qua ſub ſpecie panis corpus & ſanguis Chriſti ſumuntur: quod patet ex præcedentibus verbis, in quibus particulam disjunctiuam poſuit Apoſtolus, dicens: *Itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, &c.*

301. Nec ex Apoſtolo colligi valet, vtramque ſpeciem eſſe ſumendam.

Secundò opponunt aduerſarij: In Sacramento Euchariſtiæ, tanquam in teſtamento legauit Chriſtus Fidelibus corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini. Ergo nequit Eccleſia eos ſpecie vini, ſub qua eſt ſanguis, priuare. 302.

Secundò inſtant.

Reſp. negando conſeq. dum enim Eccleſia priuat Laicos vſu calicis, non priuat eos hæreditate à Chriſto legatâ, quia ſub vna ſpecie panis totus Chriſtus reperitur, vt ſæpe à nobis dictum eſt: nec fideles habent jus ad petendum calicem abſolutè, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiam, quæ eſt optima legum Chriſti interpres, & Sacramentorum ſapientiſſima diſpenſatrix. Et ideò dum opus fuit, vſum calicis conceſſit, immò & juſſit, vt temporibus Leonis I. & Gelaſij I. vt Manichæi hæretici inter Catholicos Romæ latentes, & à vino abhorrentes, per ſub vtraque ſpecie panis & vini communionem detegerentur. In quo ſenſu Leo Papa *ſerm.* 4. *de Quadr.* eos qui corpus Chriſti accipientes ſanguinem haurire declinabant, & Gelaſius *de conſecr. diſt.* 2. *cap. comperimus*, jubet vel abſtinere à Communione, vel vtramque ſpeciem ſumere: quia, inquit, *diuiſio vnius eiuſdemque myſterij ſine graui ſacrilegio non poteſt prouenire*. Quia Manichæi abſtinentes à vino tanquam à dæmone facto, & dæmonis felle, non credebant Chriſtum ſub ſpecie vini in Euchariſtia exiſtere, ipſamque oblationem ſacrificij ſub ſpecie panis & vini reprobabant. Quod nunquam factum fuit ab Eccleſia Catholica, quæ vſum calicis ob maximas rationes Laïcis denegans, credit ſub ſpecie vini ſanguinem Chriſti, immò & totum Chriſtum reperiri, & verè ſub vtraque ſpecie panis & vini ſacrificium offert Euchariſtiæ, quod etiam à Sacerdote celebrante ſub vtraque ſpecie ſumitur. 303.

Refelluntur.

S. Leo.

Totus Chriſtus datur fidelibus ſub vna ſpecie.

Dum autem Sancti Patres vſum Calicis & communionem ſub vtraque ſpecie vel neceſſariam, vel maximè vtilem Fidelibus extollunt, loquuntur vel de ſolis Sacerdotibus celebrantibus, vel ſecundùm vſum eius temporis, in quo viuebant. Tunc enim licitum erat, vel ſub vna ſpecie, vel ſub vtraque communicare. Immò temporibus Cypriani & Auguſtini Confeſſoribus Chriſti ad martyrium euntibus ſacra ſub vtraque ſpecie dabatur Euchariſtia. Vnde Cyprianus *lib.* 1. *ep.* 2. de Martyribus loquens, ait: *Quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſſione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegemus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum priùs in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et D. Auguſtinus *in pſalm.* 22. inquit: *Hoc calice inebriati erant martyres, quando ad paſſionem euntes ſuos non agnoſcebant, non vxorem flentem, non filios, non parentes: & gratias agendo dicebant, Calicem ſalutaris accipiam.* Quare dum Auguſtinus *lib. qq. in Leuiticum, qu.* 57. ait: *Ad bibendum ſanguinem omnes exhortamur, qui volunt habere vitam*; hortatur tantùm fideles, vt ſecundùm vſum illius temporis in Africana Eccleſia ſub vtraque ſpecie ſacram ſumant Euchariſtiam: vel loquitur de re & ſubſtantia Communionis, quæ integra habetur in vna ſpecie; & non de modo ſumendi ſanguinem ſub ſpecie vini. 304.

Temporibus Cypriani & Auguſtini, euntibus ad martyrium Euchariſtia ſub ſpecie vini dabatur, vt illos in paſſione roboraret.

D. Auguſt.

Concedimus etenim communionem ſub vtraque ſpecie per longum tempus fuiſſe omnibus licitam in Eccleſia; tamen ſemper multi ſub vna tantùm ſpecie panis communicabant, cùm 305.

nullum

Etſi permiſſa fuerit communio ſub vtraque ſpecie, tamen ſemper multi ſub vna ſpecie communicauerunt. Poteſt modò Eccleſia concedere communionem ſub vtraque ſpecie.

nullum ſit præceptum diuinum communicādi ſub vtraque ſpecie: ſed ob vrgentiſſimas cauſas licentiam illam ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ſumendi ſapienter reuocauit Eccleſia; quam tamen in multis caſibus poteſt concedere, vt ſi ſit periculum effuſionis ſpeciei vini conſecrati ab incurſu infidelium, vel ſi poſt ſumptionem ſpeciei panis Sacerdos celebrans moriatur, & nullus ſit alius Sacerdos qui conſumat ſpeciem vini, & illius corruptionis periculum immineat, tunc poterit Laïcus ſpeciem vini ſumere: inſuper ex priuilegio & diſpenſatione Eccleſiæ poteſt aliquis ſub vtraque ſpecie communicare, ſicuti Regi Chriſtianiſſimo licet ex diſpenſatione Clementis VI. data anno 1341. Immò Paulus III. cum Bohemis diſpenſauit, vt ſub vtraque ſpecie communicent, modò non adhæreant hæreſi Petri Dreſdenſis, cuius ſuprà meminimus. Itemque Romano Pontifice ſolenniter ſacra myſteria celebrante, Diaconus & Subdiaconus ipſi miniſtrantes ſub vtraque ſpecie communicant.

Regi Chriſtianiſſimo licet ſub vtraque ſpecie communicare: licet etiā Bohemis.

Diaconus & ſubdiaconus ſummo Pontifici miniſtrantes ſub vtraque ſpecie communicant.

§. II.

Vtrum Sacerdotes celebrantes, ac ſub duplici ſpecie communicantes, maiorem gratiam recipiant, quàm laïci ſub vna tantùm ſpecie Euchariſtiam recipientes.

306. CErtum ſupponitur ex dictis ſuprà, eandem ad ſalutem neceſſariam gratiam cauſari ab Euchariſtia, ſiue recipiatur ſub vna ſpecie, ſiue ſub vtraque; nam communio corporis & ſanguinis Chriſti ſub vna, vel ſub duplici ſpecie facta, habet promiſſionem vitæ æternæ, & totum Chriſtum, totamque ſpiritualem refectionem continet. Quare difficultas eſt, vtrum communio ſub vtraque ſpecie maiorem gratiam ad ſalutem non neceſſariam, ſed ad maiorem gloriam diſponentem, & ad maius meritum operantem producat, quàm communio ſub vna tantùm ſpecie.

Euchariſtia cauſat gratiam.

307. Dico igitur, ſuppoſitâ æquali diſpoſitione ac deuotione in recipientibus Euchariſtiam, Sacerdotem ſub duplici ſpecie communicantē non recipere plus gratiæ quàm alium non celebrantem, vel laïcum qui ſub vna tantùm ſpecie communicat. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 12. *ad* 3. *&* *opuſc.* 58. *cap.* 29. & Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. declarat fatendum eſſe, etiam ſub altera ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi: ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ neceſſariâ ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.

Maiorem gratiam non recipit, qui ſub vtraque, quàm qui ſub vna ſpecie communicat.

308. Probatur primò ex illo quod habetur *Exod.* 16. vbi de manna, mirabili cibo, huius Sacramenti mirabilis figurâ, dicitur num. 18. *Non amplius habuit, qui plus collegerat, nec qui minùs parauerat, reperit minùs.* Cùm ergo veritas reſpondeat figuræ in quantum poſſibile eſt, qui maiorem hoſtiam, vel qui duas hoſtias recepit, vel qui ſub vtraque ſpecie communicauit, non maiorem recepit gratiam, quam qui minorem, vel vnicam tantùm hoſtiam recepit, vel qui ſub vna tantùm ſpecie, cæteris paribus, communicauit.

Eodē modo ab omnibus habebatur manna, ſiue à multum, ſiue à parum colligentibus.

309. Probatur ſecundò. Ex Euchariſtia ſub duplici ſpecie recepta non poteſt oriri maior gratia, quàm ex eadem ſub vna ſpecie ſumpta; nam illa exuberantia gratiæ nequit procedere à duabus ſpeciebus, potiùs quàm ab vna; quia illæ ſpecies præciſè ſumptæ, vt abſtrahunt à re contenta, nullam habent vim productiuam gratiæ; neque à re contenta, quia idem Chriſtus totus & integer æquè ſumitur ſub vna, ac ſub duplici ſpecie; neque à ſpecierum ſignificatione: idem enim quod ſignificatur ab vtraque ſpecie explicitè, ſignificatur ab vna implicitè; & tantùm diſcrimen eſt in modo ſignificandi, quod non ſufficit ad cauſandum diuerſum effectum. Licèt enim Baptiſmus per immerſionem collatus expreſſiùs ſignificet conſepulturam baptizati cum Chriſto, quàm per ſolam aſperſionem; attamen vtrouis modo collatus, eandem ſemper gratiam, quâ baptizatus Chriſto conſepelitur, producit. Similiter Matrimonium per verba contractum, licèt perfectius vinculum coniugale ſignificet, quàm per nutus, vel per ſola ſigna contractum; non maius aut perfectius vinculum, ſed idem prorſus efficit. Ergo qui ſub vtraque ſpecie Euchariſtiæ communicat, non recipit maiorem gratiam, quàm qui communicat tantùm ſub vna.

Idem eſt Sacramentū, idem eſt Chriſtus, idem eſt alimentum, vel ſub duplici, vel ſub vna ſpecie: & ideo eadem cauſatur gratia.

Probatur tertiò. Gratia à Sacramento Euchariſtiæ cauſata non ſolùm oritur ab eo quod ex vi verborum illius continetur, ſed etiam ab eo quod per concomitantiam ibidem reperitur, aliàs à diuinitate hæc gratia non cauſaretur. Ergo cùm ſub ſpecie panis corpus ex vi verborum; & ſanguis, immò anima Chriſti, & eius diuina perſona, per concomitantiam neceſſariam realiter exiſtant, qui Euchariſtiam ſub ſpecie panis recipit, gratiam omnem, quæ à corpore, ſanguine, anima, immò & diuina perſona Chriſti cauſatur, recipiet, & à nulla defraudabitur. Ergo maiorem gratiam non recipit ſub duplici ſpecie communicans, quàm qui tantùm ſub vna Euchariſtiam ſumit. Quare D. Thomas *opuſc.* 58. *cap.* 29. ait, *tam vtilem ac dulcem eſſe ſanguinis ſumptionem ſub ſpecie panis ipſis laïcis, quam Sacerdotibus ſub ſpecie vini.* Chriſtumque vt ſumitur ſub ſpecie panis, confert cum botro, in quo ſumuntur duo, ſcilicet & vua in cibum, & potus qui ex vua ſumitur. 310.

Gratia cauſatur ab eo quod eſt ex vi verborū, & ab eo quod eſt per concomitantiam, æqualiter.

D. Thom.

Sanguis ſumptus ſub ſpecie panis eſt idem, ac ſumptus ſub ſpecie vini.

Sed contra præfata opponunt primò aduerſarij: Si vna tantùm gratia cauſaretur à duplici ſpecie Euchariſtiæ, ita vt non eſſet maior in recipiente vtramque ſpeciem, quàm in recipiente tantùm vnam; hæc gratia conferretur ſumenti, vel in ſumptione ſolius ſpeciei panis, & tunc ſpecies vini, cùm non conferret gratiam quam ſignificat, obicem non ponenti, non eſſet Sacramentum: vel in ſumptione calicis, & tunc ſpecies panis ob eandem rationem non eſſet verum Sacramentum: vel partim in ſumptione hoſtiæ, & partim in hauſtu calicis; quod nequit dici, cùm ſpecies, quæ ſumpta à laïco ſtatim ei confert gratiam, debeat etiam illam conferre Sacerdoti, ſtatim ac ab illo ſumpta eſt. Ergo. 311.

Inſtant.

Reſpondeo Sacerdotem ſub vtraque ſpecie communicantem totam gratiam recipere in ſumptione ſpeciei panis. Nec ex hoc ſequitur, ſpeciem vini non eſſe verum Sacramentum, quia ad hoc ſufficit, vt poſſit gratiam conferre, ſi ſubiectum ſit diſpoſitum: hìc autem non eſt diſpoſitum, quia totus effectus Sacramenti receptus eſt in receptione ſpeciei panis. Adde quod Euchariſtia eſt Sacramentum in conſecratione materiæ conſiſtens potiùs quàm in vſu: vnde & dum ſeruatur in pyxide, etſi actu gratiam non cauſet, eſt verum Sacramentum. Quare ſicut laïcus, ſi ſumptâ vnâ hoſtiâ immediatè recipiat aliam, nullam gratiam recipit 312.

Refelluntur.

Gratia confertur in ſumptione ſpeciei panis.

ab

ab hoc vltima, quia illam jam recepit à prima: ita communicans ſub vtraque ſpecie, gratiam accipit à prima ſpecie, panis ſcilicet, & non à ſecunda.

313. Opponunt. Secundò opponunt: Receptio Euchariſtiæ ſub ſola ſpecie panis non eſt modò maioris efficaciæ quàm fuiſſet in triduo mortis Chriſti: ſed tunc non tribuiſſet tantam gratiam, quantam contuliſſet communio ſub vtraque ſpecie, quia tunc corpus Chriſti fuiſſet ſine ſanguine, & gratiam tantùm per modum cibi præcisè ſub ſpecie panis contuliſſet. Ergo & modò hoc Sacramentum ſub vtraque ſpecie maiorem confert gratiam, quàm ſub vna.

314. Refelluntur. Reſpondeo primò negando Mai. paritas enim nulla eſt: nam ideo nunc communio ſub vna ſpecie eſt adeò efficax ac ſub vtraque, quia totus Chriſtus continetur ſub illa: at cùm in triduo mortis ſanguis Chriſti eſſet ſeparatus à corpore, non fuiſſet totus Chriſtus ſub ſpecie panis; ſanguis enim non fuiſſet per concomitantiam ſub ſpecie panis, ſicut nunc.

315. Gratia quæ tribuitur per modum potus, eſt eadem cum illa quæ per modum cibi datur, eſt enim refectio ſpiritualis. Secundò nego Min. Cùm enim gratia quæ per modum potus tribuitur, non ſit entitatiuè diſtincta ab ea quæ confertur per modum cibi, ſed vna, eademque; nam eadem gratia nutrit & refrigerat, ſedat famen ſimul & extinguit ſitim ſpiritualem; ideo etiam in triduo mortis tanta gratia collata fuiſſet ſub vna ſpecie, quanta ſub duabus communicanti. Præſertim cùm ſuppoſitum diuinum, à quo quælibet ſpecies totam ſuam habet virtutem, fuerit tunc vnitum cum corpore. Cum hoc tamen ſtat, quod tunc communio ſub vna ſpecie non fuiſſet ſignum gratiæ, vt habet rationem potus ſpiritualis; benè tamen communio ſub vtraque. Nullus ergo fructus, ſeu effectus Euchariſtiæ confertur à duplici ſpecie, qui non confeñatur ab vna, niſi fortè qui ſub vtraque communicat, maiorem adhibeat præparationem, & feruentiori charitate ſuccenſus ad ſacram Menſam accedat: quo ſenſu Clemens VI. in bulla ad Regem Galliæ, quâ illi communicandi ſub vtraque ſpecie concedit facultatem, ait ſe illum hoc ſpeciali fauore proſequi, *ad maius gratiæ augmentum*; quia ſcilicet in Rege Chriſtianiſſimo maiorem diſpoſitionem ac deuotionem ſupponebat, dum ad ſacram ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ex ſingulari priuilegio accederet.

Quomodo maior gratia ex vtraque ſpecie habeatur.

SECTIO IV.

Vtrum liceat quotidie ſacram Euchariſtiam ſumere.

316. Sacramenta mortuorum & viuorum, qualia & quæ ſint. CElebertima eſt Sacramentorum nouæ Legis à Theologis facta diſtributio; alia enim mortuorum, alia viuorum Sacramenta appellantur. Prima mortuis ſpiritualiter, hoc eſt peccatoribus conferuntur, & vitam illis ſpiritualem largiuntur: ſunt autem duo, nempe Baptiſmus & Pœnitentia. Secunda quæ viuorum dicuntur, ſic appellantur, quia viuentibus vitâ gratiæ, hoc eſt juſtis, conferri debent, vt in illis gratiam conſeruent, augeant, & perficiant. Sunt autem quinque, ſcilicet Confirmatio, Euchariſtia, Ordo Matrimonium, & Extrema-Vnctio; ex quibus præcipuum, ac omnium præſtantiſſimum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, diuinum animarum noſtrarum alimentum, Chriſtum omnium gratiarum fontem & authorem realiter continens. Vnde liquet, neminem poſſe ad ſacram Euchariſtiam accedere, niſi viuat: ſicuti enim mortuis non datur cibus corporeus, ita peccatoribus vitâ ſpirituali carentibus, fructuosè Euchariſtia cibus ſpiritualis non confertur. Quod fuſiùs infrà proſequemur, dum de diſpoſitione ad hoc recipiendum Sacramentum agemus. Quæſtioni igitur in titulo propoſitæ reſpondens,

Dico primò, quod ſi Euchariſtia ſecundùm ſe conſideretur, prout eſt ſacrificium propitiatorium, & ſalutare hominibus, cibuſque ſpiritualis Fidelium, vtile eſt quotidie illam recipere. Ita Doctor Angelicus 3. *p.* q. 80. *art.* 10. 317. Ex parte Euchariſtiæ vtile eſt quotidie illam ſumere.

Probatur primò. Vtile eſt viuenti quotidie ſumere cibum, quo in vita ſeruatur, augetur ac roboratur; magnum enim illi detrimentum imminet, ſi cibo priuetur. Vnde Pſalmiſta dixit pſal. 101. 5. *Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Sed Euchariſtia eſt cibus & panis ſpiritualis, quo viuens vitâ gratiæ in vita conſeruatur, augetur & roboratur, adeo vt niſi mâducetur & ſumatur, hæc vita deficiat, vt patet Ioan. 6. 54. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis.* Ergo vtile eſt quotidie Euchariſtiam ſumere. 318.

Euchariſtiâ vita ſpiritualis ſeruatur, augetur, & roboratur.

Probatur ſecundò. Cibus quotidianus quotidie vtiliter ſumi poteſt, ad eius fructus quotidie percipiendos: ſed Euchariſtia eſt cibus quotidianus Chriſtianorum, vt à pluribus Interpretibus intelligitur in illis verbis orationis Dominicæ, Luc. 11. 3. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vt videre eſt apud D. Auguſt. *lib. de bono perſeuerantiæ, cap.* 4. & ipſe Auguſtinus *ep.* 131. *ad Probam*, Euchariſtiam noſtrum vocat *panem quotidianum.* Ergo vtiliter ſumi poteſt quotidie Euchariſtia; & ideo idem Auguſt. *ſerm.* 28. *de verbis Domini*, ait: *Iſte panis quotidianus eſt; accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit.* 319.

D. Auguſt. Cibus eſt quotidianus. D. Auguſt.

Hinc Chriſtiani omnes initio naſcentis Eccleſiæ, poſt acceptam ſub linguis igneis gratiam Spiritus ſancti quotidie communicabant, vt colligitur ex illo Act. 2. 42. *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Eaque præcipua cauſa fuit tantæ ſanctitatis & perfectionis eorum. Idem facere dicuntur etiam hodie Abyſſini ſub Præſide Ioanne, Gallicè *le Petrojan*, viuentes. Hac de cauſa olim fideles Euchariſtiam domum deferebant, præcipuè tempore perſequutionis, ac eam quotidie ſumebant, vt diuino hoc alimento nutriti ac roborati ſæuientem mundum, torquentes tyrannos, inſidiantem diabolum, omniaque immania tormenta faciliùs ſuperarent, vt liquet ex D. Cypriano *lib. de ſpect. & exhort. ad Martyres.* Immò ſpeciali S. R. E. ſtatuto olim fideles quotidie communicabant: vnde ſicut refert D. Thom. *loc. cit.* Anacletus Papa, vt habetur in ſua prima epiſtola, & *de conſecr. diſt.* 1. *cap. Epiſcop.* ait: *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Qui mos adhuc vigebat in eadem Romana Eccleſia tempore S. Hieronymi, vt ipſe teſtatur *ep. ad Luc.* quemque approbat Baſilius *ep. ad Cæſariam Patritiam.* Nec aliquo præcepto ceſſauit, ſed ceſſante fidei feruore, & diminuto charitatis ardore, adeo vt ipſa charitas refrigeſceret, Fabianus Papa, vt habetur *de conſecr. diſt.* 2. *cap. Etſi*, indulſit, vt ſi non frequentiùs, ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & natali Domini. Cui decreto Soter Papa adiunxit, 320.

Primi Chriſtiani quotidie communicabant. D. Cyprian. D. Thom. Ex ſtatuto Eccleſiæ olim quotidie fideles communicabant. D. Hieron. Baſil. Fabian. Pap. Diminuto ardore charitatis, ter in anno jubebãtur Chriſtiani communicare. Soter.

in

in Cœna Domini etiam eſſe communicandum, vt habetur *ead. diſt. c. In Cœna.* Poſtmodùm propter iniquitatis abundantiam refrigeſcente multorum charitate Innocentius III. in Concilio Lateran. an. 1215. ſtatuit, vt ſaltem ſemel in anno Fideles communicarent: quod quidem *ad duritiam cordis* videtur factum, ne aliquis tepidus aut indeuotus annum integrum abſque Dominici corporis communione tranſigeret. Attamen nulla pluries communicandi infra annum prohibitio facta eſt; & ideò vt notat D. Thomas vbi ſuprà, *libro de Eccleſ. dogmatibus*, qui inter opera Auguſtini circumfertur, conſulitur, omnibus diebus Dominicis eſſe communicandum. Et Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 6.* ait: *Optaret ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.*

Innoc. III.

Tandem ad duritiam cordis annua Communio in paſchate præcepta fuit.

D. Thom.

321. Dico ſecundò: Ex parte ſumentis Euchariſtiam aliquando laudabile eſt hoc Sacramentum quotidie recipere, & aliquando laudabile eſt ab illo abſtinere. Ita docet S. Thomas *loc. cit.*

Ex parte ſumentis laudabile eſt aliquando abſtinere à communione.

Probatur ſimul & explicatur hæc propoſitio. Communio quotidiana ex ſe nec mala eſt, nec

322. prohibita, cùm in vſu fuerit tempore naſcentis Eccleſiæ apud Chriſtianos omnes, qui ex illa quotidiana refectione non vulgarem ſortiebantur ſanctitatem, vt ex ſupradictis liquet: ergo ſi aliquis ſit ita virtutibus exornatus, ac feruore charitatis accenſus, vt cum magna deuotione ac reuerentia poſſit ad tantum Sacramentum accedere, ſeque quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile eſt quod quotidie ſumat: & ideo Auguſtinus, vt ſuprà jam dictum eſt, cùm dixiſſet ſerm. 28. de verb. Domini, *Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit*; *ſubiungit, Sic viue, vt quotidie merearis accipere.*

Non paratus, nec diſpoſitus debet abſtinere.

D. Auguſt.

323. Cùm autem plures ſint apud Chriſtianos ſeculi negotiis à feruore deuotionis diſtracti, mentemque terrenis rebus obrutam habeant, ita vt nec cœleſtibus valeant attendere, aliique propriarum motibus vexati paſſionum non omnem tam animæ quàm corporis ad ſacram Menſam requiſitam habeant diſpoſitionem: ideo iſti laudabiliter, quamdiu huiuſmodi deuotionis impedimentis tenentur, ab Euchariſtiæ ſumptione abſtinent. Etenim vt ait D. Thomas loco citato, *non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo inuenerit preparatum.* Quare *in lib. de Eccleſiaſt. dogm.* inter Auguſtini opera, dicitur: *Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

D. Thom.

D. Auguſt.

324. Attamen loquendo generaliter, vtilius eſt ac laudabilius ſacram Euchariſtiæ communionem frequentare, & ad illam quolibet die Dominico, & aliis Chriſto Domino, vel ſanctiſſimæ eius Genitrici, aut ſanctis Apoſtolis, ſeu Martyribus, ac aliis Eccleſiæ Dei illuſtrioribus Confeſſoribus ſacris, juxta prudentis ſapientiſque Confeſſarij ſeu Directoris conſilium accedere, quàm ab illa abſtinere. Multa enim ex ſpiritualis defectu alimenti anima chriſtiana patitur detrimenta. Sicuti enim ad vitam corpoream adeo corporeus cibus neceſſarius eſt, vt abſque illo minimè conſeruetur: ita ad ſpiritualem Chriſtianorum vitam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, tanquam ſpirituale alimentum omninò requiritur; ad hoc enim à Chriſto inſtitutum eſt, vt notauit D. Th. *3. p. q. 73. art. 1.* Vnde ſicut qui omninò à cibo corporeo abſtineret, non ſolùm debilis ac infirmus efficeretur, ſed etiam omninò corpoream vitam amitteret: ita qui omninò à ſacra Euchariſtiæ menſa abſtinet, non ſolùm ſpiritualia animæ deliquia patitur, ſed etiam omninò vitâ ſpirituali priuatur. Qui autem raro, & tantùm ſemel in anno communicat, in varias per annum incidit infirmitates, à quibus defectu alimenti non ſurgit.

Vtilius eſt Euchariſtiã frequentare, & ad illam ſæpè accedere, quàm ab illa abſtinere.

D. Thom.

Sanè ciborum defectus corporeorum non paruum malum in omni putatur Republica; hinc tanta ad frumenta colligenda, aliaque ad victum neceſſaria congreganda, apud omnes homines adhibetur cura; cibus enim ad vitam hominum abſolutè neceſſarius eſt. Vnde & alimentorum penuria ac communis egeſtas inter flagella, quibus iram ſuam Deus oſtendit, annumerantur, ita vt atteſtante Ieremia *Thren. 4. 9.* acerbior ſit quæ ex ciborum defectu, quàm quæ gladio infertur mors. *Melius fuit*, inquit, *occiſis gladio, quam interfectis fame; quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ.* Quod etiam eleganti ſtylo proſequutus eſt Quintilianus declam. 12. Felix, inquit, *peſtilentia, felix bellorum ſtrages, denique omnis mors facilis, fames aſpera, duriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum.* Quæ cùm ita ſint, qualia erunt quæ apud Chriſtianos in vita ſupernaturali, ex ſpiritualium defectu ciborum, ac præcipuè ex ſacra ab Euchariſtia abſtinentia detrimenta conſurgent? Præualebunt vtique inſenſiſſimi hoſtes illorum, & nullo negotio vacuos & inanes ac pane fortium minimè vegetatos ſuperabunt. *Paraſti*, inquit Propheta *pſal. 22. 6. in conſpectu meo menſam, aduerſus omnes qui tribulant me.* Vbi Euchariſticam, quâ Fideles cibantur, menſam Pſalmiſtam exprimere omnes conſentiunt Interpretes. Quare ſi Chriſtianorum contra omnes tribulantes robur à ſacra oritur menſa, quæ ſimul arma præbet, & alimenta; his penitus deſtituentur ſacra myſteria non frequentantes, ac tanquam vacui & inermes, facilè ab hoſtibus in primo congreſſu vincentur. Sed parum eſſet non vincere, ſi & victis adhuc viuere concederetur. Vita cum victoria ſimul amittitur, dum omninò à menſa cœleſti corporis Domini abſtinetur: ſicut enim juxta verbum Domini, *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, Ioan. 6. ita qui illum reſpuit, omni ſpirituali vitâ priuatur. Etenim hoc in ſacramento, vt loquitur D. Auguſtinus tr. 26. in Ioan. *Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat: accedat, credat, incorporetur* (hoc eſt, corpus Domini ſuſcipiat) *vt viuificetur.* Qui ergo ad tantum non accedit Sacramentum, nec corpori Saluatoris ſacrâ communione incorporatur, nec viuere deſiderat, nec vitæ adminicula quærit.

325.

Ciborum penuria flagellum Dei.

Quintil.

Fames morte aſperior.

Vires ab Euchariſtia contra omnes tribulantes.

Qui Euchariſtiam reſpuit, omni vitâ priuatur.

Nec ex hactenus dictis laudabilem etiam vitæ ſecularis hominum conſuetudinem, quâ feruore deuotionis ſæpiùs quàm diximus, & aliquando ter in hebdomada ad ſacram Synaxim accedunt, reprobare intendimus: immò eam nos approbare declaramus, dummodo debita præparatio ex parte ſumentis accedat, & ſapientis Confeſſarij, ſeu directoris conſenſus. Etenim tantæ rei nequit certa & determinata præſcribi lex, ſed vnuſquiſque juxta internum tanti cibi deſiderium, & ſpiritualem corporis Domini famem, accedente ſemper directoris conſilio, quod ſibi melius ac conuenientius judicauerit, exequatur. Aliquando enim & accedendo, aliquando verò à ſacra menſa recedendo meretur, quando & 326.

De conſilio directoris ad ſacram menſam accedendum.

fetuore deuotionis acceditur, & magno timore ac teuerentiâ, vt maiori cordis puritate ac humilitate poſteà accedatur, abſtinetur. Quod eleganter docuit D. Auguſtinus *ep.* 118. *ad Ianuar. cap.* 3. dum ait: *Faciat vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum: neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt*; dum ſcilicet vnus amore accedit, & alius timore recedit. Statimque rem exemplo illuſtrat Auguſtinus, dum ſubdit: *Neque enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri prepoſuit, Zachæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum; alter dixerit, Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ambo Saluatorem honorificantes diuerſo & quaſi contrario modo; ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſequuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo vnicuique Manna ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat: ſic in ore cuiuſque Chriſtiani Sacramentum illud quomodo ſumatur æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille amando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium.* Hæc Auguſtinus, vbi mito modo & quotidianam communionem ex diuini amoris feruore; & interdum ab illa, ex reuerentia, ac timore, abſtinentiam ſimul approbat & commendat.

D. Auguſt.

Laudabile eſt amore ad Euchariſtiam accedere, & timore aliquando recedere.

D. Auguſt.

Zachæus Chriſtum in domū ſuam gaudens ſuſcepit: & Centurio ſe tantæ gratiæ indignum dixit, ambo Saluatorem honorantes.

327. Vtrimque experta eſt inclyta ac Seraphica Ieſu Chriſti ſponſa ſancta Virgo Senenſis Catharina: vt gente enim charitatis, quâ pro Chriſto deflagrabat, ardore ſæpiùs per multos ac continuos dies ſacrâ reficiebatur Euchariſtiâ: vnde ſicuti in eius vita ſcribitur, inuenta eſt aliquando à die cinerum vſque ad Aſcenſionem Domini ieiunium perduxiſſe ſolâ Euchariſtiæ communione contenta. At Dei famulo B. Raymundo Capuano eius confeſſario ſic diſponente, aliquando à ſacra abſtinebat menſa; quod in Sequentia, quam in eius honorem canit Eccleſia in Miſſa diei feſti eidem Virgini ſacri, à Fratribus Prædicatoribus, in quorum tertio Ordine cum habitu, quem Sorores de Pœnitentia geſtant, vixerat, expreſſum habetur his verbis:

S. Catharina Senenſis, & amore accedebat ad Euchariſtiā, & timore recedebat.

Chriſti corpus venerandum,
Sic ducebat frequentandum
Magno deſiderio:
Quod ſi ſibi licuiſſet,
Omni die id ſumpſiſſet
Pro ſui remedio.

328. Vbi diuinam erga Catharinam Senenſem demirari licet prouidentiam, quæ occultâ diſpenſatione illam aliquando ad ſacram accedere Synaxim quotidie, & aliquando ab illa temperare permiſit, vt quotidiano tanti Sacramenti vſu, ardentiſſimi amoris; & aliquali abſtinentiâ, filialis timoris ac reuerentiæ meritum in illa coadunaret. Accedant ergo ad diuina myſteria, etiam quotidie, diuino amore feruentes: ab illis recedant ob reuerentiam timentes: vtriſque ita agere licet; ſed vnum maneat omninò certum, ac apud omnes indubitatum, ſcilicet fructuoſius eſſe Chriſtianis ad ſacram diuino amore vrgeri Euchariſtiam, quàm ab illa timore ac reuerentiâ omninò abſtinere.

Accedendum & interdum recedendum à ſacramēto.

ELVCIDATIO IV.

De diſpoſitionibus ad ſumendam Euchariſtiam, ac de eius effectibus.

VT omnia, quæ breui ac veluti conglobato ſtylo, in textibus præmiſſis attigit D. Thomas, pleniùs aſſequamur, poſtquam in præcedenti elucidatione de ipſa ſumptione Euchariſtiæ à nobis actum eſt, in iſta ſumentium, ſeu communicantium requiſitam diſpoſitionem, ac ſacræ Communionis effectus debemus exponere.

SECTIO PRIMA.

Nullus, niſi à lethali culpa purgatus, ad ſacram accedat Euchariſtiæ communionem.

PRobet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 11. 28. Hoc eſt, ſeipſum, ſeu conſcientiam ſuam rigoroſo ſcrutetur examine; & niſi ab omni mortali peccato ſe immunem reperiat, ad cœleſtem Euchariſtiæ menſam non accedat. Quod vtique illâ particulâ, *& ſic de pane illo edat, &c.* expreſsè innuit Apoſtolus, & ſequentibus eius verbis, quibus ait, *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, euidenter declaratur. Vnde & S. Ioan. Chryſoſt. *hom. de prod. Iudæ*, de illis qui ad terribilem tanti Sacramenti menſam accedunt, inquit: *Nullus ibi Iudas reperiatur, nullus malignus accedat, nec inſidia mente condantur: nullus fictus accedat, nullus fucato animo. Pura igitur ſit mens, pura cogitatio, quia & ſacrificium purum eſt.* 329.

Probatus & à peccato purgatus ſit qui ad Euchariſtiam accedit.

Quæ cùm ita ſint, ſtupendum eſt, Lutherum in tantam abiiſſe inſaniam, vt dicere auſus fuerit, nullum meliùs diſpoſitum ad hoc Sacramentum accedere, niſi qui multis mortalibus oneratur culpis. Nam in concione de digna ad Euchariſtiam præparatione, quam habuit 1518. *Optima*, inquit, *diſpoſitio eſt, non niſi ea, quâ peſſimè es diſpoſitus: & è contrario, tunc peſſimè es diſpoſitus, quando optimè es diſpoſitus.* Et *lib. de captiu. Babylon. cap. de Euchariſtia*, inquit: *Securè accedit quicumque peccatorum ſuorum vexatur ſine morſu, ſine titillatione.* In quem Lutheri errorem incidit etiam Caluinus *lib.* 4. *inſtit.* §. 42. vbi ait: *Meminerimus has ſacras epulas ægrotis eſſe pharmacum, peccatoribus ſolatium, pauperibus largitionem: quæ ſanis, iuſtis, & diuitibus, ſi qui reperiri poſſent, nullum afferrent operæpretium.* 330.

Lutheri impietas.

A Caluino approbata.

Quare firmiter tenendum eſt contra hanc hæreticorum impietatem, Chriſtianum ab omni culpa lethali immunem eſſe debere, vt fructuosè ſacram recipiat Euchariſtiam. 331.

Patet hæc propoſitio ex D. Thoma 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 4. *in arg. Sed contra*, ex illo Apoſtoli 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*; ideſt, condemnationem. Sed ex gloſſa ibidem, *Qui in crimine eſt, vel irreuerenter tractat, indignè manducat & bibit.* Ergo qui hoc Sacramentum accipit in peccato mortali, mortaliter peccat, & ſibi damnationem acquirit. 332.

Qui peccato mortali pollutus eſt, irreuerenter tractat, & indignè Euchariſtiam ſumit.

Probatur

333. Probatur ſecundò deſtruendo fundamentum hæreticorum. Licèt infirmis ad ſalutem detur medicina, juxta illud Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus*; attamen quælibet medicina non competit ſecundùm quemlibet ſtatum infirmitatis. Illa enim quæ jam à febre liberatis datur ad conſortationem, noceret, ſi adhuc febricitantibus daretur: ſed Euchariſtia eſt quædam medicina conſortatiua; eſt enim cibus ſpiritualis ad nutriendam & roborandam animam: vnde *pſal.* 103. 15. dicitur: *Panis cor hominis confirmet*. Quod licèt ad literam de pane materiali dictum ſit, tamen in ſenſu allegorico de ſacramento Euchariſtiæ, in quo panem viuum, nempe Chriſtum ſumimus, à grauioribus Expoſitoribus intelligitur. Ergo non debet dari niſi liberatis à ſpirituali febre peccati, aliàs ſi ab infirmis actuali peccato ſubditis recipiatur, non parum eis nocebit.

Alimentum ægrotis nocet, eorumque auget infirmitatẽ.

334. Neque obſtat quod Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ dantur ad tollendam febrem peccati; quia hæc duo Sacramenta, quæ *mortuorum*, hoc eſt peccatorum appellantur, ſunt veluti quædam medicinæ purgatiuæ, ad animam à peccato originali & actuali mandandam inſtitutæ: ſacra autem Euchariſtia, quæ inter *viuorum*, ſeu juſtorum Sacramenta recenſetur, ad ſpiritualem nutritionem, robur & augmentum animæ inſtituta eſt.

Baptiſmus & pœnitentia ſunt peccatorum remedia.

335. Deinde ſuaderi poteſt propoſitionis noſtræ veritas ratione D. Thomæ *loc. cit.* hoc modo. Quicumque ſacram ſuſcipiens Euchariſtiam, falſitatem in illo Sacramento committit, incurrit ſacrilegium tanquam ſacramenti violator, ac mortaliter peccat. In omni enim Sacramento res Sacramenti ab ipſo Sacramento ſignificata debet reperiri: ſed qui in peccato mortali exiſtens ſacram ſuſcipit Communionem, committit falſitatem in Euchariſtia, quia ex hoc quod hoc ſumit Sacramentum, ſignificat ſe eſſe Chriſto, & membris eius vnitum; quod tamen eſt falſum, hæc enim vnio nequit fieri niſi per fidem formatam charitate, quam nullus habet cum peccato mortali. Ergo communicans in mortali peccato exiſtens ſacrilegus eſt, & peccat mortaliter; maximè cùm effectui huius Sacramenti obicem ponat.

Qui in peccato mortali cõmunicat, falſitatem committit.

336. Hinc apud Sanctos Patres commendatur interna ac ſpiritualis animæ ſanitas, & ſaltem à lethalibus culpis mundiria, vt poſſit quis corpus Domini cum fructu in hoc Sacramento manducare. Vnde D. Ambroſ. *lib. 6. in Luc. cap. 9.* inquit: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit antè ſanatus, &c.* vbique ergo in hoc myſterio hic ordo ſeruatur, vt priùs per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſteà alimonia menſæ cœleſtis exuberet. Et D. Auguſt. tract. 26. in Ioan. *Innocentiam*, inquit, *ad altare apportate: peccata, etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera, deponite.* Et D. Baſilius *lib. 2. de Baptiſmo*, idem docet, dum ait: *Mundemus nos ab omni inquinamento, atque ita ad Sancta accedamus, vt judicium eorum qui Dominum occiderunt, effugiamus; propterea quod quiſquis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.*

D. Ambroſ.

Id docent ſancti Patres.

D. Auguſt.

D. Baſil.

337. Quapropter apud priſcos Chriſtianæ Religionis profeſſores, inſtante ſacræ Communionis tempore, à menſa Domini arcebantur peccatores adhuc culparum ſuarum vinculis irretiti, ſolenni & altâ Diaconi voce apud Græcos inclamantis, ἅγια ἁγίοις; hoc eſt, *ſancta ſanctis*, vt refert D. Ioan. Chryſoſt. *hom. 5. in 1. ep. ad Timoth.* vbi de illis verbis loquens ait: *Sancta ſanctis. Nam vox illa in noſtras aures incurrens, tanquam manus alios quidem expellit & ejicit, alios autem introducit & ſiſtit.* Et infrà ſubdit: *Stat ergo nunc qui eſt apud nos præco, non vnumquemque capite tenens & adducens, ſed omnes ſimul interno capite detinens; non alios ipſis adhibeas accuſatores, ſed ipſos ſibi ipſis. Non enim dicit: Num quis enim accuſat? Sed quid? Num quis ſeipſum accuſat? Nam quando dicit: Sancta ſanctis, hoc dicit: Si quis non eſt ſanctus, non accedat. Non ſolùm inquit, à peccatis purus, ſed etiam ſanctus: ſanctum enim non facit ſolùm liberatio à peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum copia. Non ſolùm inquit, volo vos à cœno eſſe liberatos, ſed albos eſſe, & ſpecioſos. Nam ſi Rex Babylonicus juuenes eligens ex captiuitate, elegit pulchros ſpecie & vultu decoros, multò magis eos qui aſtant menſæ regiæ, pulchros eſſe oportet ſpecie animæ, mundum habentes aureum, mundum veſtimentum, regales calceos, &c.* Hactenus Chryſoſtomus ſtylo aureo puritatem conſcientiæ, immò & ornatum aureum in Chriſtianis ad ſacram Synaxim accedentibus omninò requiſitum proſequutus eſt. Ex quibus liquet, nuſquam apud cordatos, pioſque viros, Lutheranam & Caluinianam impietatem, quâ peccatores ſordidos, & culparum maculis pollutos ad menſam Domini impellunt, locum habuiſſe.

Communionis tempore clamabat Diaconus ſãcta ſãctis. D. Chryſoſt.

Sanctus non ſolùm à peccatis ſit immunis, ſed etiam bonis operibus exornatus.

Quamuis autem peccatores corpus Domini ſub propria ſpecie tangentes, nec repulſam paſſi ſint, nec peccauerint, ſed potiùs ſint ſuorum delictorum veniam conſequuti, vt de muliere peccatrice legitur *Luc. 7.* & *Matth.* 14. dicitur, *Quicumque tetigerunt fimbriam veſtimenti eius, ſalui facti ſunt*: tamen non patitur Saluator in Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpecie panis, & per modum cibi à peccatoribus vel tangi, vel manducari; quia dum in propria ac viſibili ſpecie cum hominibus conuerſabatur, non exhibebat ſe tangendum hominibus in ſignum ſpiritualis vnionis ad ipſum, ſicut exhibetur ſumendus in hoc Sacramento; & ideo peccatores tunc non incurrebant crimen falſitatis circa diuina, ſicut peccatores ſumentes hoc Sacramentum. Adde quod tunc Chriſtus gerebat adhuc ſimilitudinem carnis peccati, & ideo ſe peccatoribus tangendum exhibebat: ſed remotâ ſimilitudine carnis peccati per gloriam reſurrectionis, ſe tangi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipſum patiebatur, ſecundùm illud Ioan. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ſcilicet *in corde tuo*, vt S. Auguſtinus exponit *tract. 121. in Ioan.* Et ideo qui criminibus obuoluti fidei formatæ defectum patiuntur circa Chriſtum, à contactu, ſeu communione huius Sacramenti repelluntur. 338.

Peccatores cum fructu corpus Chriſti in propria ſpecie tetigerunt; at non poſſunt ſine crimine Euchariſtiam ſumere quãdiu peccato ſubiacent, & quare.

D. Auguſt.

Conſtat ergo, ſolam fidem informem abſque charitate ſufficientem non eſſe diſpoſitionem ad tantum recipiendum Sacramentum. Quod etiam definitum fuit in Concilio Trid. *ſeſſ. 13. can. 11.* his verbis: *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit.* Vnde falſum eſt, vt volunt Nouatores, Apoſtolum 1. *Cor.* 11. 339.

Fides informis non ſufficit ad communionem. Conc. Trid.

dum inquit, *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, loqui tantùm de probatione fidei, quâ homo ſeipſum examinet, an credat: ſed loquebatur de probatione conſcientiæ peccatorum, de quibus ibi Apoſtolus reprehendit Corinthios à verſu 20. vſque ad 33. Nonnulli enim diuites Eccleſiam prophanabant, ſumptuoſam cœnam, quam poſt ſacrorum communionem myſteriorum ſumerent, inducentes: Chriſti corpus iniuriâ afficiebant, dum cum illo miſcerent alios cibos: alios fideles offendebant, & ſpretis pauperibus, quos eſurientes relinquebant, ipſi crapulæ vacabant & ebrietati.

Probanda conſcientia ante communionem.

340. Neque obſtat quod Chriſtus, dum ſanguinem ſuum hoc in Sacramento hominibus contulit, expreſſit, illum eſſe fundendum *in remiſſionem peccatorum.* Nam licèt verbum hoc adimpletum ſit, & ſanguis Domini in remiſſionem peccatorum effuſus, quod per Euchariſtiam mortis Chriſti memoriale repræſentatur; tamen non dixit Dominus eundem ſanguinem eſſe bibendum *in remiſſionem peccatorum.* Idem enim Saluatoris ſanguis ſecundùm diuerſa Sacramenta, quæ tanquam vaſa quædam gratiam nobis effundunt, varios in hominibus producit effectus juxta variam cuiuſcumque Sacramenti rationem. Nam in Baptiſmo, qui eſt Sacramentum regenerationis, remiſſionem peccatorum hic ſanguis operatur per modum lauacri, non ſolùm abluentis maculas hominis, ſed hominem renouantis. In Pœnitentia, tanquam in Sacramento reconciliationis idem ſanguis per modum medicinæ, ſeu pharmaci applicatur ad peccatorum actualium vulnera curanda: at in Euchariſtia, quæ per modum cibi à Chriſto inſtituta eſt, idem ſanguis applicatur per modum alimenti, ad reficiendum, nutriendum, immò & præſeruandum à morbis; non autem ad ſanandum: non quòd hoc Sacramentum non habeat virtutem ad delenda peccata mortalia; ex hoc enim quod gratiam conferat, eo ipſo omnia quæ cum gratia pugnant, poteſt expellere, & aliquando id facit, dum ſcilicet aliquis ſe exiſtimat ſine peccato, adhibitâ omni diligentiâ ad ſuam ſcrutandam conſcientiam, & ſic ad hoc Sacramentum accedit: ſed quia ex propria ratione Sacramenti non ordinatur ad tollenda lethalia, ſed tantùm ad vitam ſpiritualem conſeruandam: cibus enim eſt, non lauacrum, ſicut Baptiſmus; nec pharmacum, ſicut Pœnitentia.

Fuſus eſt ſanguis Chriſti in remiſſionem peccatorum, ſed non bibitur in remiſſionem peccatorum, ſed in refectionem animarum juſtarū.

Euchariſtia per ſe non ordinatur ad lethalium remiſſionem

341. Poteſt autem optimè cibus iſte venialia peccata remittere; hæc enim tantùm minuunt, & non extingunt ardorem charitatis; debilitant animam, non occidunt. Cùm ergo cibus vires reſtituat, vigorem & lætitiam afferat; hæc omnia ſuſcipienti præſtabit Euchariſtia, ac conſequenter venialibus infirmatus, ad ſacram Synaxim poteſt accedere, non autem mortalibus fœdatus: debilibus etenim hominibus alimenta ſubminiſtrantur, non mortuis. Vnde & D. Ambroſius *lib. 5. de Sacram. cap. 4.* Sacramentum hoc *panem quotidianum* appellat, *quia contra peccata venialia eſt medicina.*

Venialia delet.

Sectio II.

Lethali culpâ pollutus nonniſi præmiſſâ Sacramentali confeſſione ad ſacram communionem accedat.

NVlli, niſi viuenti vitâ ſupernaturali, ac ſpirituali per fidem formatam charitate, ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedere licet, vt ex dictis ſectione præcedenti ſatis liquet: at ſupereſt difficultas, an qui ſe cum conſcientiâ lethalis culpæ cognoſcit, & ſacram cupit recipere Euchariſtiam, teneatur priùs peccata ſua ſacramentaliter confiteri, & de eis abſolutionem obtinere; an verò illi ſufficiat contritionis actus, quo de peccato commiſſo doleat; & ſic contritus abſque Sacramento Pœnitentiæ valeat licitè, & fructuosè ſacrum Domini corpus manducare. Pro cuius reſolutione 342.

Dicendum eſt primò, quod ille qui lethali culpâ pollutus eſt, & ſacrum Domini corpus recipere cupit, ſi habeat copiam Confeſſarij, ſacramentalem tenetur præmittere peccatorum ſuorum confeſſionem, ac de eis abſolutionem obtinere: nec ſufficit illi habere contritionem, ſeu conari ad illam. 343.

Mortali labe pollutus, priùs confiteatur, quàm communicet.

Ita ſancitum fuit, ſeu potiùs ſanctionis diuinæ de hac re declaratio facta fuit in Concilio Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7.* vbi dicitur: *Communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius* (Apoſtoli) *præceptum, Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare,* hæc ſancta Synodus perpetuò obſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur. Et *can. 11.* ei qui contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, pœna excommunicationis imponitur. 344.

Concil. Trid.

Peccator, etſi ſibi videatur contritus, ſi ſit copia Confeſſoris, tenetur confiteri ante Communionem.

Dixi autem, ſanctionis ſeu ordinationis diuinæ de confeſſione præmittenda ante communionem ei qui lethalis culpæ reus eſt, declarationem factam fuiſſe à Concilio Tridentino, quia præceptum iſtud non tantùm eſt eccleſiaſticum, ſed diuinum Pauli Apoſtoli ore & calamo promulgatum. Etenim ea quæ Apoſtolus Corinthios docuit 1. *Cor.* 11. à Domino accepit, vel per ſpecialem reuelationem, vel per raptum in tertium cœlum. Vnde ait: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Sed in illo capite 11. multa tradit de ſacra Communione, & inter alia præceptum de probatione vniuſcuiuſque, antequam panem Euchariſticum manducet. His verbis, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Hæc autem probatio juxta Concilij Trid. locum citatum eſt confeſſio ſacramentalis neceſſariò ſacræ communioni præmittenda ab homine culpæ mortalis reo. Ergo tale præceptum diuinum eſt. Quamobrem Concilium ait, ſe Eccleſiæ conſuetudinem declarare, non verò illam legem condere. 345.

Et hoc ex præcepto diuino Apoſtoli ore promulgato.

Accedit quod ſecundùm D. Auguſtinum *lib. 5. de Baptiſmo, cap. 24.* indicium juris diuini eſt, 346.

D. Auguſt.

quando

Perpetua rei ab Eccleſia obſeruantia, illam eſſe de jure diuino indicat

Concil. Nic. Ancyr. D. Auguſt.

quando in Eccleſia perpetuò aliquid ſeruatum eſt, cuius neſcitur initium; ſed confeſſio ſacramentalis ſemper in vſu fuit in Eccleſia à peccatoribus ante acceſſum ad ſacram Synaxim, vt patet ex Concil. Nicæno, *cap.* 11. & 12. Ancyrano *can.* 4. & Trid. *loc. cit.* necnon ex SS.PP. nam Author de ſalutar. documentis apud Auguſt. *c.* 33. ait: *Quando illud* (corpus Domini) *accipere debemus, antea ad confeſſionem & pœnitentiam accedere debemus, & omnes actus noſtros curioſius diſcutere, & peccata obnoxia, ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per confeſſionem & veram pœnitentiam abluere.* Sed expreſſiùs totam rem confirmat Richardus à S. Victore *de poteſt. legandi cap.* 21. vbi ait: *Audacter dico, ſi ante Sacerdotis abſolutionem ad communionem corporis & ſanguinis Domini acceſſerit, judicium ſibi pro certo manducat, & bibit, etſi eum peccaſſe jam multùm pœniteat, & vehementer doleat & ingemiſcat.*

Rich. Victor.

347. Aptiſſimè autem præceptum illud mortalia ſacramentaliter confitendi ante acceſſum ad ſacram Synaxim Chriſtianis omnibus impoſitum eſt, vt ſcilicet puriſſimum Chriſti Domini corpus corde puro, & conſcientiâ mundâ recipiatur, & viuenti jam animæ vberiorem vitam & gratiam largiatur. Quomodo enim corpus illud, quod à Virgine intemerata traxit Dominus, quod Dei verbo hypoſtaticè cum anima ſociatum eſt nexu prorſus indiſſolubili, quod carnis integritate ſemper effloruit, & totius Eccleſiæ ſanctitudinis pretioſum extat vas, & organum admirandum, à peccatorum ſordibus polluto, morum obſcœnitate ſordido, & flagitiorum ſpurcitiâ contaminato ſuſciperetur? Nonne horrendum committeretur ſacrilegium? Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? *Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ* autem *conuentio Chriſti ad Belial?* inquit Apoſtolus, 2. *Cor.* 6. 14. *&* 15. Sicut enim contraria mutuò ſe expellunt, nec poſſunt ſimul cohærere; quomodo Chriſtus qui noſtra juſtitia eſt, lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt dicitur Ioan. 1. & dæmonum generaliſſimus debellator, ſocietatem iniet, immò in corde & corpore habitabit ſcelesti hominis, iniuſtitiâ, impietate, aliiſque peccatorum tenebris obuoluti, ac propriæ iniquitatis vinculis colligati, ac ad dæmonis voluntatem captiui? Omninò ſanè diſſonantium adeo rerum vnio eſt impoſſibilis. Qui ergo in miſerando criminis ſtatu per Euchariſtiæ Sacramentum corpus ſuſcipit Chriſti, eum Chriſto propterea non vnitur, nec admirabiles tanti Sacramenti capit effectus; ſed noui criminis reus, æternas temeritatis, immò & crudelitatis ſuæ dabit pœnas.

Rationabile eſt hoc præceptum.

Puriſſimum corpus Chriſti à puro homine recipiendum.

348. Crudelem voco qui corpus Domini manducat indignè; audet enim Chriſtum viuentem, & omnis immortalitatis authorem, mortuæ animæ quodammodò copulare. Sæuiſſimi illius olim tyranni, qui putrida hominum mortuorum jungebat corpora viuis, immane facinus totus adhuc deteſtatur orbis. Sed illum vincunt propriâ ferocitate tyrannum, qui cum lethalis criminis conſcientia ad ſacram Synaxim accedunt: jungunt enim Dei hominis viuum ac ſanctiſſimum corpus, mortuæ & ſordidæ animæ, polluti ac fœtidi corporis habitatrici & incolæ, ſed planè diſſimili ſucceſſu; Mezentius etenim viuos cadaueribus vniens, longâ necabat morte, vt cecinit Virgilius 8. *Æneidos*:

Crudelitas in peccato mortali cõmunicantiũ

Mezentij crudelitas.

Mortua quin etiam jungebat corpora viuis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora.
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluenteis
Complexu in miſero longâ ſic morte necabat.

Qui autem temerario ac ſacrilego auſu mortuæ animæ viuum ſacra communione Chriſti Domini jungit corpus, nullum viuenti Chriſto infert nocumentum, ſed ſibi nouam ac longam parat occiſionem, & in æternas mortuam animam condemnat ærumnas. Etenim judicium ſibi, hoc eſt condemnationem, manducat & bibit.

Vt ergo menſæ cœleſtis vberes fructus percipiat, omnem culpam Sacramentali euomat confeſſione, & ſacerdotali abſolutione ſanatus, noua accedat creatura, quicumque cibum accipit Chriſti. Hoc modo Saluatoris oraculum, quo *Matt.* 10. 16. inquit, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, ipſe adimplebit. Serpentis quippe in hoc potiſſimùm elucet prudentia, quod è pellucido minimè bibat fonte, niſi priùs totum quo turget, in latibulo effundat venenum, ne ſcilicet frigidum potum frigido infundens veneno, extemplò crepet ipſe, ac moriatur, mortemque potiùs quàm aquam è fonte hauriat. Quod referunt Sancti Patres Ambroſius, & Epiphanius, illudque optimè rei præſenti attribuunt. Nam Ambroſius *ſerm. in fer. poſt* 1. *Dom. Quadrageſimæ*, ait: *Serpens cum venerit ad bibendum aquam, priuſquàm bibat, extra fontem euomit venenum ſuum, & poſtea bibit.* Ita & nos, quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum; hoc eſt, iracundiam, odium, inuidiam, falſitatem, &c. & ſic ad altare Domini corpore & ſanguine eius ſatiemur. Epiphanius autem hæreſi 37. *Habet*, inquit, *hanc prudentiam ſerpens, velut natura rerum docti tradunt. Quando enim ſiti preſſus à latibulo procedit ad aquam, vt bibat, non ſimul accipit ſecum venenum, ſed in latibulo relinquit, & ſic progreſſus potum aquarum ſumit.* Proinde & ipſi hoc imitemur, vt quando ad ſanctam Dei Eccleſiam, aut ad preces, aut ad myſteria (id eſt ad ſacram Euchariſtiam) venerimus, malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam in cogitationibus noſtris nobiſcum non feramus. 349.

Ad fructuosè communicandum prudentia ſerpentis imitanda.

D. Epiphan. D. Ambroſ.

Adductum ex Matth. 10. 16. Chriſti verbum ſpreuerat infelix ille diſcipulus, qui vt ſimul propriæ auaritiæ, & Iudæorum ſeruiret inuidiæ, magiſtrum optimum prodidit. Hic tantæ perfidiæ reus, & maiori quàm ſerpens veneno turgidus, ad omnium ſpiritualium chariſmatum fontem imprudens accedere non eſt veritus, & malignum in ſe retinens virus, è manu Domini ſacratiſſimum eius in Euchariſtia corpus accepit, & manducauit. Sed quid funeſtum ex tanto ſcelere ſacrilego diſcipulo non debebatur? Serpentis ſors ei obtigit; & quia belluâ illâ ſtupidior ac imprudentior, veneno plenus ad limpidiſſimum fontem acceſſit, mortem hauſit, non ſolùm animæ, ſed etiam carnis: nam ſpirituali agente gratiarum fonte in perfidi hominis virus, *ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius*, vt legitur *Act.* 1. 18. Vnde S. Cardinalis Petrus Damiani libello grauiſſimo, *cap.* 6. de hoc loquens proditore, ait: *Quod erat cauſa ſalutis, illi* (Iudæ) *factum eſt materia condemnationis, quia inſtrumentum pacis non pacatus accepit.* Et infrà: *Indigno eadem res facta eſt occaſio mortis, quæ bonis procurata eſt ad remedium ſalutis.* Hæc ille. Sumant igitur ab infelice Iuda peccatores exemplum: ex eius dementia ſapiant, & illius fiant imprudentiâ prudentiores. 350.

Iudas in proprium perniciem indignè ſuſcepit Euchariſtiam.

Et ideo crepuit medius

dentiores. Omne internum animæ virus integrâ ac perfectâ culparum euomant confeſſione, priuſquam ad puriſſimum diuinorum myſteriorum fontem accedant, vt à quo proditor æterni occaſionem ſumpſit interitus, interminabilem ac glorioſam ſuſcipiant vitam.

Sectio III.

De diſpoſitionibus corporis ad ſacram Euchariſtiæ communionem.

351. QVamvis adorandum optimi Saluatoris corpus, quod in Euchariſtia recipimus, alimentum ſpirituale, & noſtrarum refectio ſit animarum; attamen corporeis panis ſpeciebus inuoluitur, & cum hac re ſenſibili admirabile conſtituens Sacramentum, ore corporis verè recipitur & manducatur, binos ſimul effectus producens, alium quidem in carne, quæ ſpeciebus panis alitur & ſuſtentatur; alterum in anima, quæ Domini corpore reficitur, & impinguatur.

Corpus Chriſti in Euchariſtia à fideli ore corporis recipitur.

352. Cùm enim non ſolâ animâ, nec ſolo corpore, ſed vtroque coniuncto & vnito conſtet homo, & pro ſtatu mortalis ac præſentis vitæ, quidquid in anima recipitur, priùs vel in corpore recipiatur, vel per corpus ad illam tranſeat, vnde Ariſtoteles omnem noſtram cognitionem ortum habere à ſenſibus aſſeuerauit, docuitque nihil eſſe in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu: ideò qui Sacramentis totum hominem ſanat, ea in corpore recipere voluit ad illius animam ſanctificandam. Quod notauit Tertullianus *lib. de reſur. carnis, cap.* 8. vbi: *Caro*, inquit, *abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.* Non ergo ſola hominis anima ornari debet, ſed etiam eius corpus diſponendum eſt ante ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti perceptionem: illa quidem omni lethalis culpæ labe, ſacramentali confeſſione purgari debet vt vita ſpirituali viuens, panem vitæ fructuosè valeat recipere: iſtud autem duplici diſpoſitione præparari.

Omnia Sacramenta in corpore noſtro recipiũtur, vt in animabus noſtris producant effectus.

353. Corpus igitur Chriſtiani hominis ad ſacram Synaxim accedentis debet eſſe jeiunum jeiunio naturali, ita vt nullum omninò cibum, vel potum ſumat ante ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus: quod quidem ſemper in Eccleſia ab Apoſtolorum tempore obſeruatum fuit; hæcque adeo laudabilis Eccleſiæ conſuetudo confirmata eſt in Concilio Carthaginenſi III. *can.*29. Tolet. VII. *can.*2. & in VI. Synodo Trullana, *can.*27. & tandem in Concil. Conſtantienſi *ſeſſ.*13. illamque Sancti Patres laudant paſſim, & approbant.

Ieiunus debet eſſe homo, vt communicet.

Conc. Carth. Tolet. Trullan. Conſtant.

354. Conueniens autem, & maximè congruum eſt, quod homo omninò jeiunus ad tantum accedat Sacramentum, triplici ratione, ex D. Thoma 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 8. Primò quidem ad reuerentiam corporis Domini, vt ſcilicet intret in os & ſtomachum hominis nondum cibo vel potu infectum: quod docet Auguſtinus *ep.*118. & refertur *de conſecr. diſt.* 2. *can. Liquidò*, his verbis: *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Chriſtiani Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur; ideo enim ſpeciali prouidentiâ corpus Domini è cruce depoſitum ſepultum fuit *in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus erat*, vt habetur *Ioan.* 19. 41. vt oſtenderetur, carnem puriſſimam puriſſimi Redemptoris, non niſi in puriſſimo loco quieſcere, ac conſequenter, vt Chriſtiani corpora ſua puritate ac jeiunio ad Sacramentum corporis Chriſti recipiendum diſponerent, & tanquam primus & excellentiſſimus cibus, ante omnem alium cibum illorum ora ſacra Euchariſtia occuparet.

D. Thom.

D. Auguſt.

Corpus Chriſti in monumento nouo ſepultum, & quare.

355. Secundò propter ſignificationem, vt ſcilicet ſignificetur, quod Chriſtus (qui eſt res huius Sacramenti,) & eius charitas debent primùm fundari in cordibus noſtris, ſecundùm illud Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei.* Et tandem propter periculum vomitus & ebrietatis, quæ potuiſſent contingere, ſi homines ſumpto materiali cibo & potu ad ſacram menſam acceſſiſſent. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 11. modeſtiam docens quâ Corinthij ad ſacram Synaxim venire debebant, aliquos ex ebrietate arguit, dicens: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Chriſtus primum locum teneat in cordibus noſtris.

356. Dum autem dicimus Sacramentum hoc ante omnem alium cibum intrare debere, hoc non intelligimus reſpectu totius temporis, ſed tantùm reſpectu eiuſdem diei, qui incipit à media nocte ſecundùm vſum Romanæ Eccleſiæ; ita vt ſi quis poſt mediam noctem per modum cibi vel potus aliquid ſumpſerit, non poſſit eadem die hoc ſumere ſacramentum: poteſt autem, ſi ante mediam noctem. Nec refert vtrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, vel etiam digeſtus ſit, quantùm ad rationem præcepti: refert autem quantùm ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem. Ex quibus ſi mens multùm perturbetur, ad ſumptionem tanti Sacramenti homo ineptus redditur.

A media nocte diei in qua communicamus, incipiat jeiunium.

357. Licet tamen aliquando non jeiunis Euchariſtiam ſumere, vt infirmis in periculo mortis conſtitutis ſacra Euchariſtia per modum viatici etiam poſt cibum miniſtratur. Similiter ſi Sacerdos conſecratâ alterâ ſpecie Euchariſtiæ, recordetur ſe non eſſe jeiunum, tenetur aliam ſpeciem conſecrare, & ſumere, ad ſacramentum perficiendum & ſacrificium complendum. Inſuper ſi Sacerdos ſumpto calice videat non eſſe vinum id quod ſumpſit, tenetur vinum conſecrare & ſumere. Item ſi poſt inchoatum ſacrificium moriatur Sacerdos, vel infirmetur, & nullus Sacerdos jeiunus inueniatur, debet Sacerdos etiam non jeiunus perficere ſacrificium. Quod etiam poteſt in aliis caſibus in rubrica Miſſalis Romani expreſſis.

Infirmis in periculo mortis, etſi non jeiunis datur Euchariſtia.

358. Cùm autem præceptum ſumendi Euchariſtiam in ieiunio naturali ſit poſitiuum & Eccleſiaſticum, optimè poteſt Summus Pontifex cum aliquo diſpenſare, vt non ieiunus celebret, vel communicet: ſicut de facto ſingulis annis diſpenſat cum S. R. E. Cardinali celebrante in Vigilia Natalis Domini circa horam decimam pomeridianam. Diſpenſauit etiam, vt teſtatur Famianus Strada *lib.* 1. *de bello Belgico*, cum Carolo Quinto Auguſto, vt non jeiunus ad ſacram poſſet accedere Communionem.

Rom. Pontifex diſpenſat vt quis non jeiunus cõmunicet, vel celebret.

Carolus V. Imper. ex diſpenſatione non jeiunus communicabat.

359. Secunda corporis diſpoſitio ad fructuosè communicandum, ex decentia & congruitate eſt, quod homo non ſit pollutus intra illum diem. Quod intelligendum eſt de pollutione nocturna abſque peccato mortali; illa enim quæ à turpibus cogitationibus & conſenſu prouenit, abſtinentiam à Communione indicit: vnde D. Gregorius in epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, dicit,

Puritas corporis ad cõmunionem requiſita.

D. Gregor.

ceſſandum

ceſſandum eſſe à communione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit. Pollutio autem nocturna non ex neceſſitate, ſed ex quadam congruitate impedit ſacræ Euchariſtiæ receptionem, ſcilicet propter fœditatem & immunditiam corporalem, & propter mentis diſtractionem, vt docet S. Thomas *loc. cit. art. 7.*

360. Similiter eadem congruitate & decentiâ propter eaſdem duas rationes actus coniugalis impedit eadem die Sacramenti corporis Domini receptionem. Vnde D. Hieronymus ſuper Matth. & refertur 33. *quæſt.* 4. cap. Sciatis; *Si panes* (inquit) *propoſitionis ab his qui vxores tetigerant, comedi non poterant; quantò magis ille panis, qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his qui coniugalibus paulò antè hæſere complexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus, ſed quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi ſumus, vacare à carnalibus operibus debemus.* Sed in his omnibus, quæ non ex neceſſitate, ſed ex decentia communionem impediunt, ſapientis confeſſarij arbitrio ſtandum eſt, an expediat illo die ad ſacrum menſam accedere, vel ab illa abſtinere: niſi neceſſitas magna vrgeat, vel ſit dies feſtus, vel conſuetudo Collegij, ſeu Conuentus, vt omnes quotidie celebrent; vel niſi Sacerdos ad victum ſtipendio Miſſæ indigeat, melius eſt abſtinere, quàm communicare vel celebrare illâ die. At ſi omninò vel celebrare, vel communicare oportet, priùs confiteatur ille, quàm Euchariſtiam recipiat, ac oratione, contritione, & aliis bonis operibus animam ad tantum conuiuium præparet.

D. Hieron. docet abſtinere ab actu coniugali die communionis.

Sectio IV.

Vtrum ille qui cum peccato mortali, & abſque debita diſpoſitione ſacram Euchariſtiam recipit, recipiat ibi verum corpus Chriſti ſacramentaliter.

361. AD euidentiam huius difficultatis præmittendum eſt primò, in Euchariſtia tria neceſſariò eſſe conſideranda. Vnum quod Sacramentum, ſeu ſignum eſt, & non res: alterum, quod ſimul res eſt, & Sacramentum, ſeu ſignum: & tandem tertium, quod res eſt, & non Sacramentum, ſeu ſignum. Sacramentum & non res, eſt panis ac vini ſpecies, formaque viſibilis; quæ duo ſignificant, nempe corpus & ſanguinem Chriſti, verum animæ cibum ac potum latentem in Euchariſtia: & vnitatem corporis Eccleſiaſtici, quod ex pluribus Fidelibus coaleſcit, ſicut panis ex multis granis vnus, & ex multis racemis idem confluit vinum.

Tria in Euchariſtia cõſideranda.

Sacramentũ & non res, eſt panis ac vini ſpecies.

362. Sacramentum autem & res, eſt caro propria, & ſanguis Chriſti. Res eſt, quia eſt idemmet corpus, quod natum, mortuum, ac rediuiuum dextris Dei aſſidet. Signum eſt, ſeu Sacramentum, quia corpus Chriſti myſticum, nempe Eccleſiam in cœlis triumphantem ſignificat: ſicut enim ipſum corpus Chriſti verum ex multis mẽbris puriſſimis & immaculatis conſtat, ita myſticum Eccleſiæ glorioſæ corpus ex multis fidelibus à criminum ſorde liberis conſiſtit. Denique res (tamen ſub ſpeciebus non contenta,) & non Sacramentum, ſeu ſignum eſt corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas Sanctorum, & complectitur omnes prædeſtinatos, vocatos, iuſtificatos, & glorificatos.

Sacramentũ & res, eſt corpus & ſanguis Chriſti.

Res, & non Sacramentũ, eſt corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas Sanctorum.

363. Secundò præmittendum eſt, corpus Chriſti in Euchariſtia duobus modis poſſe manducari, ſcilicet ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Tunc ſacramentaliter comeditur, quando ſuſcipitur Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ſub ſpeciebus panis corpus Domini realiter, ſed tamen indiuiſibiliter ac impaſſibiliter continetur. Spiritualiter autem tunc manducatur, quando à iuſtis & piis mirabiles huius Sacramenti effectus ſuſcipiuntur, dum ſcilicet cum debita diſpoſitione Sacramentum hoc ſuſcipiunt. Ex hoc autem duplici modo manducandi corpus Chriſti, tertius alius oritur, nempe quo tantùm ſpiritualiter manducatur. Vnde & Concilium Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. docet triplici modo ſanctum hoc Sacramentum accipi. Alij enim id ſumunt tantùm ſacramentaliter, vt peccatores; alij ſpiritualiter duntaxat, illi ſcilicet, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt; & alij ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter, illi nimirum qui in ſe priùs probati, ac purgati, cum feruore charitatis & deuotionis panem manducant Angelorum. Quibus prælibatis,

Duobus modis in Euchariſtia corpus Chriſti mãducatur, ſacramẽtaliter, & ſpiritualiter.

Tertius modus additur, quo ſpiritualiter, & non Sacramentaliter manducatur.

Dicendum eſt, fidelem peccatorem imparatum & indiſpoſitum, miniméque probatum, ad ſacram Synaxim accedentem verè & realiter manducare corpus Chriſti ſacramentaliter; quamvis illud non manducet ſpiritualiter, hoc eſt fructus & effectus ſpirituales ſacræ Communionis non recipiat. 364.

Peccator recipit corpus Chriſti ſacramentaliter, non verò ſpiritualiter.

Huius autem veritas propoſitionis ſatis conſtat ex dictis ſuprà *lib.* 2. *eluc. de ſpec. & rebus Euch. ſect.* 3. vbi probauimus, Euchariſtiæ Sacramentum tam eſſe permanentem, & in conſecratione potiùs quàm in vſu materiæ conſiſtere; ac tandiu manere corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis conſecratis, quamdiu maneret ſubſtantia panis, ſi adeſſet, hoc eſt quamdiu incorruptæ manent prædictæ ſpecies. Cùm ergo ſemel prolatis cum debita intentione à Sacerdote verbis conſecrationis, v. g. panis, verè & realiter ſub ſpeciebus panis ſit corpus Chriſti ex vera conuerſione, ſeu tranſubſtantiatione ſubſtantiæ panis in ipſum independenter à fide ſuſcipientis hoc Sacramentum; euidens eſt, quod licèt ille qui hoc Sacramentum recipit, non ſit probatus, nec purgatus, nec benè diſpoſitus, verè tamẽ recipit corpus Domini ſacramentaliter, quod tandiu in ore vel ſtomacho illius peccatoris reperitur, quamdiu hoſtia recepta incorrupta, & indigeſta remanet. 365.

Corpus Chriſti eſt permanenter in Euchariſtia, quamdiu ſpecies manent.

Quod equidem tum ex ſacris Paginis, tum etiam ex dictis Sanctorum Patrum apertè conſtat. Primò autem ex Scriptura patet, ex Apoſtolo 1. *Cor.* 11. vbi poſtquam dixit 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*; ſtatim ait 29. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*; hoc eſt, vt exponit S. Thomas ibidem, non diſcernens corpus Domini ab aliis cibis, ideſt cum tanta negligentia ad corpus Domini, ſine fide formata, ac feruore deuotionis accedens, ac ſi ad communem; ac ordinarium cibum manducandum accederet: & ideò ad ſuum judicium, hoc eſt ad ſuam condemnationem illud manducat: quæ Apoſtoli verba nequaquam vera eſſent, niſi qui manducat hoc Sacramentum indignè, hoc eſt lethali culpâ pollutus, verè manducaret corpus Chriſti Sacramentaliter. 366.

Corpus Chriſti non manducaretur indignè, niſi reuerà à peccatoribus reciperetur. S. *Thom.*

Deinde liquet ex SS. PP. ac præcipuè ex S. Auguſtino, 367.

D. Auguſt.
Augustino, qui *tract. 26. in Ioan.* de hoc Sacramento loquens, ait: *Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apoſtolus, iudicium ſibi manducat & bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit. Et cùm accepit, in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit.* Vnde & *tract. 62. in Ioan.* & *in pſal.* 10. idem Auguſtinus docet, Iudam verè corpus Domini in Euchariſtia accepiſſe ſacramentaliter cum aliis diſcipulis, quamvis non ſumpſerit ſpiritualiter. Et ideo D. Chryſoſt. *hom. 46. in Ioan.* inquit: *Iudas particeps exiſtens myſteriorum, conuerſus non eſt; vnde fit ſcelus eius vtrimque immanius.* Tum quia tali propoſito imbutus adiit myſteria: tum quia ad ea melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore. Et *hom. de prodit. Iudæ*, idem Chryſoſtom. de Iuda loquens, ait: *Sacrificij communicationem meruit, & pedes eius lauit Chriſtus, vt excuſationem ſuæ malitiæ non haberet.* Inſuper Theodoretus in cap. 11. 1. ad Cor. *Non ſolum*, inquit, *vndecim Apoſtolis, ſed etiam Iudæ proditori pretioſum corpus & ſanguinem impertiit.*

id docent SS. Patres.
Iudas verè corpus Domini recepit.
D. Chryſoſt.
Theodoret.

368\. Neque obſtat, quod Auguſtinus *tract. 59. in Ioan.* ait, *cæteros Apoſtolos manducaſſe panem Dominum: Iudam verò manducaſſe panem Domini.* Nam ibi intendit tantùm S. D. cæteros Apoſtolos corpus Domini manducaſſe & ſacramentaliter, & ſpiritualiter, in quantum Chriſtus, quem in Sacramento receperunt, per gratiam quam illis tanquam huius Sacramenti effectum impertiit, apud illos, & cum illis manſit, & ſic panem Dominum cæteri præter Iudam Apoſtoli manducauerunt: Iudas autem ſuſcepit quidem Sacramentum & panem Domini, corpuſque Chriſti verè ſub ſpeciebus panis exiſtens ſacramentaliter, non tamen ſpiritualiter, hoc eſt, non eius effectus: & ideo dicitur non manducaſſe panem Dominum, quia Dominus, ſeu corpus Domini verè & realiter ſub ſpeciebus panis exiſtens, non nutriuit, nec refecit animam eius, augendo gratiam in illa, & illam corroborando, tanquam panis ſpiritualis, & alimentum animæ. Quod autem hic ſit verus ſenſus Auguſtini, patet ex eo quod idem S. D. *ſerm. 2. de verbis Apoſtoli*, loquens de corpore Chriſti prout eſt in Euchariſtia, ait: *Illud manducare, refici eſt: illud bibere, quid eſt, niſi viuere?* Vbi loquitur de manducatione ſpirituali, quæ Iudæ in peccato exiſtenti non conceſſa fuit, ſed tantùm ſacramentalis: cæteri autem Apoſtoli, quia mundati erant, corpus Domini & ſacramentaliter, & ſpiritualiter manducauerunt. Vnde ſemper docuit Auguſtinus, & Iudam, & cæteros qui pollutâ conſcientiâ ad ſacram Menſam accedunt, dum venerabile Euchariſtiæ recipiunt Sacramentum, corpus Domini ſacramentaliter manducare. Quod patet ex libro 5. de Baptiſmo, vbi Auguſtinus ait: *Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accepit, nihil acceperit; corpus enim Domini, & ſanguis Domini nihilominus erat, etiam illis quibus Apoſtolus dicebat: Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.*

D. Auguſt.
Cæteri Apoſtoli panem Dominum, Iudas verò panem Domini manducauit: quia illi corpus Domini, & gratiam receperunt, hic autē corpus tantùm, & nō gratiam.
D. Auguſt.

369\. Ex quibus manifeſtè liquet, manducationem Sacramentalem, quâ corpus Domini à peccatoribus indignè; & tamen verè, ac ſacramentaliter ſumitur, ſeparari à manducatione ſpirituali, quâ idem corpus ſpiritualiter manducatur, dum ſcilicet eius effectus in ſuſcipientis anima producuntur per augmentum gratiæ, & maiorem per charitatem cum Chriſto vnionem. Quæ neceſſariò notanda ſunt, ne in errorem labamur, & vt Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ innuunt, peccatores corpus Domini non manducare, intelligantur, & explicentur; nam tunc loquuntur de manducatione ſpirituali, non verò de ſacramentali, vt videre eſt apud D. Auguſt. *lib. 21. de ciuit. Dei, c. 25.* vbi ait: *Nec hæretici, nec indigni dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti; vt enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis.* Vbi, vt patet conſideranti, loquitur Auguſtinus de modo quo corpus Chriſti manducatur ſpiritualiter, non verò de modo quo manducatur Sacramentaliter. Vno verbo oſtendit, hæreticos & indignos non ſuſcipere in Euchariſtia rem Sacramenti; benè quidem Sacramentum, & corpus Chriſti in ea ſacramentaliter, ad eum planè modum, quo dicimus Solem non nobis fulgere, quia eius radios micantes & lucidos ex denſitate nubium oppoſitarum non videmus, licèt verè ex luce Solis in hemiſphærio noſtro fulgentis ſupra nubes colluſtremur.

Manducatio Sacramentalis corporis Chriſti ſeparatur à manducatione ſpirituali eiuſdem corporis.
D. Auguſt.
Sol dicitur non fulgere, dum radij eius ex nubiū denſitate ad nos non perueniunt.

370\. Sed placet ad rem præſentem illuſtrandam luculentum illuſtriſſimi Martyris Cypriani teſtimonium hîc tranſcribere, in quo indignos ſacra myſteria & corpus Domini manducantes, idem corpus ſpiritualiter non manducare, nec eius effectus percipere eleganter oſtendit. Ait ergo in ſermone de cœna Domini: *Qui verbo tenus, corde ſicci, & mente aridi, ſacris interſunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetantur, nec ſe iudicant, nec Sacramenta diiudicant; ſed ſicut cibis communibus irreuerenter ſacris vtuntur muneribus, & Dominica menſa in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter, quibus meliùs erat mola aſinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illotâ conſcientiâ de manu Domini buccellam accipere, &c.* Hoc vnum itaque apud omnes veteres Eccleſiæ Doctores indubitatum ſemper fuit, corpus Domini Sacramentaliter verè manducari à fidelibus peccatoribus, quamvis iſti ob malam diſpoſitionem eiuſdem ſacratiſſimi corporis nullos fructus accipiant, nec ab eo dimanante gratiæ vbertate irrorentur.

Cyprianus.
Oſtēdis peccatores corpus Domini manducantes ſacramentaliter, nō illud manducare ſpiritualiter.

371\. Si autem aliquis Chriſtianorum myſteriis nondum initiatus, nec ſacro tinctus Baptiſmate, & omninò adhuc infidelis, ſacram accipiat Euchariſtiam, licèt ſub ſpeciebus panis Chriſti corpus ibidem exiſtens ſumat; attamen propriè loquendo, ex parte ſui non illud manducat ſacramentaliter, quia non vtitur eo quod accipit, vt Sacramento, ſed vt ſimplici & communi cibo, niſi fortè infidelis intenderet recipere illud, quod Eccleſia confert, licèt non haberet fidem circa alios articulos, vel etiam circa hoc Sacramentum; tametſi ex parte rei manducatæ poteſt dici, quod ſumpſit corpus Chriſti ſacramentaliter, quia verè manducauit ſpecies ſacramentales, ſub quibus corpus Domini veraciter & ſacramentaliter continetur.

Infidelis manducans Euchariſtiam non dicitur manducare corpus Chriſti ſacramentaliter, & quare.

372\. Cùm enim, vt ſuprà oſtendimus, ſemel conſecratâ Euchariſtiâ, & factâ vi verborum conſecrationis reali conuerſione ſubſtantiæ panis

in

Corpus Chriſti ab omnibus mãducantibus ſpeciem ſub qua realiter eſt, manducatur.

in ſubſtantiam corporis Chriſti, nullâ factâ mutatione accidentium panis, tandiu remaneat corpus Chriſti, quamdiu incorrupta remanet ſpecies panis; ideo ſiue hæc ſpecies ſacramentalis ſumatur à juſto, ſiue à peccatore, ſiue à fideli, ſiue ab infideli; immò ſiue ab homine, ſiue à bruto, quamdiu incorrupta durat, tandiu in illa corpus Chriſti realiter inuenitur.

373. Neque exiſtimes hoc vergere in detrimentum dignitatis corporis Chriſti, qui voluit à peccatoribus crucifigi, immò & à diabolo aſſumi in ſanctam ciuitatem, & ſtatui ſupra pinnaculum templi, & iterum ab eodem in montem excelſum transferri, vt legitur *Matth.* 4. 5. & 8. abſque diminutione ſuæ dignitatis; præſertim cùm brutum, v. g. mus, aut canis, non tangat ipſum corpus Chriſti ſecundùm propriam ſpeciem, ſed ſecundùm ſpecies ſacramentales dumtaxat. Nec propterea dicendum eſt, brutum ſacramentaliter corpus Chriſti manducare, quia natum non eſt vti eo vt Sacramento. Vnde non ſacramentaliter, ſed per accidens corpus Chriſti manducat, ſicut manducaret ille, qui ſumeret hoſtiam conſecratam, neſciens eam eſſe conſecratam.

Ex quo nulla iniuria illi infertur corpori.

Brutum, & non credentes corpus Chriſti in Euchariſtia, manducant illud corpus per accidens.

374. Quanta igitur hoc in Sacramento bonitas elucet Domini, cùm ſeipſum non ſolùm dilectis & amicis, ſed etiam hoſtibus & inimicis ſacramentaliter præbeat; nec ex ſe vberes gratiæ diuinæ indignè recipientibus recuſat fructus: omnibus hoc Sacramentum manducantibus illos paratus eſt elargiri, ſed reſpuunt qui negligentes, inertes, & abſque nuptiali charitatis veſte diuinum cibum accipere non verentur. Admirabilem in hoc Chriſti Domini patientiam, tanquam bonitatis ſuæ complementum & exuberantiam S. Auguſtinus notauit, dum *epiſt.* 167. ſic loquitur: *Tolerat ipſe Dominus Iudam, diabolum, furem, & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerunt, pretium noſtrum*, ſcilicet corpus & ſanguinem ſuum, quæ à nobis vtique vſurpari poſſunt ad infinitam Chriſti clementiam, manſuetudinem & patientiam exprimendam, quà peccatores, proditores, & apoſtatas, infeliciſſimi Iudæ ſequaces, ad ſacram recipit menſam, & proprio corpore & ſanguine paſcit ſacramentaliter.

Bonitas, humilitas & patientia Chriſti in Euchariſtia.

Sectio V.

Vtrum ad dignè & fructuosè communicandum requiratur actualis deuotio excludens mentis diſtractionem, & peccata venialia actu exercita.

375. NOn vnicus, ſed multiplex, in Chriſtiani hominis, qui probatus ac purgatus ad diuina venit myſteria, anima ab illis effectus producitur; ſicut enim multa à cibo corporeo corpus humanum recipit bona, nam ſuſtentat, auget, reparat & delectat: ita ab Euchariſtia ſpirituali alimento quamplurima anima recipit emolumenta. Ab illo etenim nutritur, ſuſtentatur, augetur, delectatur, ac corroboratur; ſicque varios in anima diuinum illud germen producit fructus, de quibus infrà agemus. Attamen quia *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, vt apud Philoſophos tritum eſt, juxta inæqualem accedentium diſpoſitionem, inæquales ab Euchariſtia in eis producuntur effectus, ita vt qui feruorem charitatis in cordibus gerunt, &
R.P.Car.Bonquin Comm.in Proſam D.Thom.

Cibus corporeus ſuſtẽtat, auget, reparat, & delectat.

Idem præſtat Euchariſtia in anima.

actualem mentis deuotionem ac applicationem exercent dum hoc ſuſcipiunt Sacramentum, pleniores effectus recipiant, quàm qui minori diſpoſitione, quamvis omnis culpæ lethalis expertes, accedunt.

Magis diſpoſitus maiores effectus ab Euchariſtia recipit.

Vt ergo omnis effectus ſacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti, nempe & augmentum gratiæ habitualis, & actualis refectio ſpiritualis dulcedinis à communicante ſuſcipiatur, debet qui communicat habere actualem deuotionem, quâ excludantur mentis diſtractio, & peccata venialia actu exercita. Quod expreſsè docuit Angelicus Præceptor *in* 4. *diſt.* 12. *quaſt.* 2. *art.* 1. *quaſtiuncula* 3. vbi ait: *Cùm hoc Sacramentum perficiat coniungendo fini, ad hoc quod effectum ſuum plenè habeat in ſumente, oportet quod ſit actualis deuotio.* Plenè autem Euchariſtiam habere ſuum effectum, eſt conferre non ſolùm habitualem gratiam, ſed etiam actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis. Vnde idem S. D. 3. p. quæſt. 79. art. 8. *Effectus* (inquit) *huius Sacramenti non ſolùm eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis.* Quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis. 376.

Augmentum gratiæ, & refectio actualis ſpiritualis dulcedinis effectus ſunt Euchariſtiæ, & vt recipiantur, debet mens hominis diſtractionem & venialia actu exercita excludere.
D. Thom.

Etenim cùm illa actualis refectio ſpiritualis dulcedinis conſiſtat in quadam pia cogitatione & affectione, quibus cor hominis Chriſto tanquam cibo ſpirituali vnitur, eiuſque admirabilem bonitatem ac ſuauitatem experitur, ac ex immenſa dulcedine, quam ſic guſtando recipit, dilatatur ac delectatur; quomodo mente diſtractus per peccata venialia illam ſuſcipiet ſpiritualis dulcedinis refectionem? Vnde Pſalmiſta ait pſal. 33. 9. *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*; hoc eſt, vt guſtetis quàm ſuauis eſt Dominus, videte; hoc eſt, cogitate, & intelligite, mentes veſtras actuali cogitatione illi applicando. Non enim poteſt quis creaturis actu inhærere, etiam per peccatum veniale, & ſimul mentem diuinis myſteriis & eius fructibus applicare. Non enim pias motiones & affectiones in volumtate, nec illuſtrationes in intellectu à refectione ſpiritualis dulcedinis ex Euchariſtia recipiet, qui intellectum & voluntatem peccatis venialibus habebit obuoluta. Quamvis enim hæc gratiam non tollant, feruorem tamen charitatis diminuunt, & perfectè internis ſatiari nos dulcedinibus non permittunt. Immò & D. Auguſtinus *lib.* 50. *homil. hom.* 50. *cap.* 3. ait, quod *peccata venialia velut ſcabies, noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum, caſtiſſimis amplexibus ſeparent.* 377.

Refectio illa ſita eſt in pia cogitatione, & affectione, quibus cor hominis Chriſto vnitur.

D. Auguſt.
Venialia ab amplexibus Chriſti animam noſtrã ſeparant.

Ad hoc autem, vt augmentum gratiæ habitualis ſimul cum ſacra recipiatur Euchariſtia, non requiritur deuotio actualis, excludens peccata venialia actu exercita; ſed ſufficit in recipiente ſtatus gratiæ habitualis, expellentis omnem culpam lethalem. Quod quidem euidenter colligitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. vbi ad fructuosè communicandum, nulla alia neceſſaria diſpoſitio exigitur, quàm immunitas, ſeu purgatio à peccato mortali. Dicitur enim: *Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debet.* Nec maiorem ad communionem D. Auguſtinus puritatem poſtulauit, dum *tract.* 26. *in Ioan.* inquit: 378.

Vt augmentũ gratiæ habitualis præciſè recipiatur, ſufficit ſtatus gratiæ excludentis lethalẽ.
Concil. Trid.

D. Auguſt.

Peccata etſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera, deponite antequam ad altare accedatis. Etenim ſi ſemper actualis deuotio omne veniale exercitum excludens, ad gratiam habitualem ex communione recipiendam requireretur, admodum pauci inter Chriſtianos, etiam Sacerdotes celebrantes fructuosè & dignè communicarent; maximéque durum eſſet ſemper actualem in communione deuotionem à celebrantibus ad fructum Sacramenti exigere. Quamvis optanda ſit in omnibus illa perfectio, quâ omninò à terrenis ſegregati, Deo, & huic myſterio integrè, & totaliter & cogitatione, & affectionis feruore inhæreant, ſicut de ſanctiſſimo Turonenſium Epiſcopo B. Martino legitur apud Seuerum Sulpitium in eius vita, quod *artus febre fatiſcentes ſpiritui ſeruire cogebat, ſtratoque ſuo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre jam dignatus, cælo totus inhiabat.* Quod vtique feruentiſſimæ charitatis, & chriſtianæ perfectionis indicium eſt, & effectus.

B. Martinus cælo totus inhiabat.

379. Quare ab omni lethalis culpæ labe purgatos cum fructu Euchariſtiam manducare, etſi leui negligentiâ, vel veniali culpâ premantur, & actuali feruore careant, ſemper credidit Eccleſia. Vnde & olim poſt Baptiſmum ſacram infantibus Euchariſtiam dare conſueuerat, & modò phreneticis in articulo mortis illam ſolet adminiſtrare, quamvis in illis ob defectum vſus rationis actualis deuotio nequeat inueniri. Quod tamen non eſſet licitum, niſi Euchariſtia ipſis ſuum primarium conferret effectum, ſcilicet augmentum gratiæ: illicita enim eſt Sacramenti adminiſtratio, quæ ſcitur non habitura primarium ſuum effectum.

Infantibus olim, & nunc phreneticis vſu rationis carentibus datur Euchariſtia.

380. Quamvis autem primarius Euchariſtiæ effectus, nempe gratiæ habitualis augmentum, peccatis venialibus ac diſtractionibus mentis non impediatur, impeditur tamen intenſio illius, quandoquidem nouæ legis Sacramenta eo intenſiorem gratiam producunt in ſubiecto ex opere operato, quo illud ampliùs & meliùs diſpoſitum inueniunt; agunt enim ad inſtar naturalium cauſarum, quarum effectus retardantur, vel impediuntur ex praua ſubiecti diſpoſitione: quippe *actus actiuorum ſiunt in patiente diſpoſito*, vt communiter docent Philoſophi.

Intenſio gratiæ peccatis venialibus & diſtractionibus mentis impeditur.

381. Nec mirum videri debet, diuinam Euchariſtiam in ſanctis animabus, licèt leuibus venialibus tepidis, gratiam augere habitualem: nam cùm ſit cibus ſpiritualis, peculiari virtute quem nutrit hominem, in ſe conuertit, non per actionem ipſius hominis, qui tunc vel minimum, vel nihil agit; ſed per propriam quâ agit in hominem, virtutem, quatenus in illo gratiæ ſanctificantis augmentum producit, juxta illud Chriſti ad Auguſt. lib. 7. conf. cap. 10. *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Quod tamen reſpectu viuentis naturalis cibus communis nequit præſtare, quia ex virtute caloris naturalis viuentis, & conſequenter ex actione viuentis in illum, in viuentis ſubſtantiam conuertitur.

Euchariſtia ex ſeipſa producit augmentum gratiæ.

382. Cæterùm quæ à nobis hactenus dicta ſunt, intelligenda ſunt de hominibus ſubditis leuibus quibuſdam venialibus, quæ nullo modo vſui huius Sacramenti, vel eius reuerentiæ aduerſantur, vt ſunt affectus inordinatus ad talem cibum (intellige de leui inordinatione) potum, ludum, mendacia jocoſa, & ſimilia: nam illa venialia, quæ repugnant vſui ac reuerentiæ huius Sacramenti, vt voluntaria animi euagatio, tepor, indeuotio, irreuerentia, &c. diminuunt quodammodo primarium effectum huius Sacramenti. Immò cum illis celebrans, aut communicans, nouum peccatum veniale committit. Vnde ſi quis ex formali intentione vellet cum tepore, & diſtractione ad hoc Sacramentum accedere, peccaret mortaliter, propter nimium contemptum tanti Sacramenti, vt notauit Nuño *in tract. de Euchariſtia.* Ipſa ſiquidem ſacroſanctæ Euchariſtiæ receptio præcisè, & ex ſe conſiderata à recipiente attentionem aliquam ac reuerentiam exigit, vt colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. nam illa diſtractio, de qua ſuprà diximus, illam non impedire augmentum gratiæ habitualis à ſacra Communione, eſt illa quæ nec intenta, nec voluntaria eſt, & de qua dixit aliquando Propheta pſal. 39. 14. *Cor meum dereliquit me.*

Venialia debent eſſe leuia, vt non impediant augmentum gratiæ.

Qui ex formali intentione vellet cum tepore & diſtractione ad Euchariſtiam accedere, peccaret mortaliter. Concil. Trid.

SECTIO VI.

Quinam ſint proprij ſacræ Euchariſtiæ effectus, & quo tempore producantur.

VArij ſunt, qui à Deo per varia Sacramenta, tanquam varia per inſtrumenta, in hominibus producuntur effectus: at ex illis proprij ac peculiares ſingulorum Sacramentorum inueniuntur. Cùm enim ad vitam ſpiritualem perfectam homini conferendam ſint à Deo inſtituta, hæcque vita hominem cùm in ſe, tum in ordine ad alios perficiat in his quæ pertinent ad cultum Dei, & etiam in remedium contra defectum peccati, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 65. *art.* 1. ideo diuerſos in illis effectus producere eſt neceſſe: vnde Baptiſmus ordinatur ad ſpiritualem regenerationem, & contra carentiam vitæ ſpiritualis: Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur, & ad fidem publicè confitendam, eamque ſtrenuè ac conſtanter propugnandam; Pœnitentia contra peccatum actuale poſt Baptiſmum commiſſum: Extrema Vnctio contra reliquias peccatorum, quæ ſcilicet non ſunt ſufficienter ſublatæ, vel ex negligentia, vel ex ignorantia, & ad roborandum hominem, vt tanquam fortis atleta contra dæmones in exitu huius mundi illum impugnantes, ſtrenuè dimicet, ſuperet, ac deuincat: Ordo ad conferendam poteſtatem offerendi hoſtias pro populo, & validè conficiendi ac miniſtrandi Sacramenta, & contra diſſolutionem multitudinis: & Matrimonium ad coniuges ſanctificandos, ſpiritualibuſque ſubſidiis muniendos in ſtatu coniugali, & in remedium contra concupiſcentiam perſonalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. 383.

Sacramenta ad vitã ſpiritualem homini conferendam ſunt inſtituta.

S. Thom.

Peculiares ſingulorum Sacramentorum effectus.

Euchariſtia autem, quæ veluti Sol inter errantia ſydera, inter alia coruſcat Sacramenta, tanquam eorum finis, perfectio ac conſummatio, per modum cibi à Chriſto Domino inſtituta, Chriſtiano collata homini vitam ſpiritualem ac virtutem conſeruat, & tuetur, & contra labilitatem animi ad peccandum nouas vires ſubminiſtrat. 384.

Euchariſtia Sacramentorum Sol, finis & perfectio.

Proprius ergo, ac principalis Euchariſtiæ Sacramenti effectus eſt gratia per modum nutritionis, & augmenti in vita ſpirituali. Cùm enim per modum cibi & potus hoc Sacramentum tradatur, 385.

Effectus Euchariſtiæ eſt gratia per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali.
Conc. Flor.
Trident.
D. Ambroſ.

tradatur, juxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; omnem effectum quem cibus & potus corporalis facit quantùm ad vitam corporalem, totum facit Euchariſtia quantùm ad vitam ſpiritualem, vt expreſsè habetur in Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, vbi dicitur, *hoc Sacramentum præſtare omnem effectum cibi & potus materialis, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando.* Vnde in Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. dicitur, quod *hoc Sacramento tanquam ſpirituali animarum cibo, alantur & confortantur viuentes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Ex quibus omnibus liquer gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali eſſe effectum proprium & principalem Euchariſtiæ: vnde D. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. *Iſte panis* (inquit) *eſt vita æterna, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.*

386.
Dulcedo ſeu ſpiritualis lætitia ex actuali refectione proueniens, eſt ſecundarius effectus Euchariſtiæ.
D. Thom.

Alius inſuper ab Euchariſtia procedit effectus, qui ſecundarius poteſt appellari, nempe gratia actualis excitans charitatem, & quædam dulcedo, ſeu ſpiritualis lætitia ex actuali refectione proueniens. Quod optimè notauit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 79. *art.* 1. *ad* 2. vbi ait: *Per hoc Sacramentum, quantùm eſt ex ſui virtute, non ſolùm habitus gratiæ & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, ſecundùm illud* 2. *Cor.* 5. *Charitas Chriſti vrget nos. Et inde eſt, quod ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundùm illud Cant.* 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

387.
Amor amoris ſcintilla incendium producit.
Magnes amoris amor.
Bernard.
Euchariſtia amor amorum.
Concil. Trid.
D. Auguſt.
Amoris ſui ſagittas in nos jaculatur Chriſtus in Euchariſtia.

Nec deeſt ratio, quâ ſecundarius iſte ab Euchariſtia dimanans effectus ſtabiliatur. Etenim cùm nulla maior ad amorem excitandum vis inueniatur, quàm ipſemet amor, qui vt diuina quædam ſcintilla flammas & incendia producit; vnde tritum illud apud omnes manauit proloquium, *Si vis amari, ama*; quod non ſolùm ex prophanis authoribus Seneca & Martiali, ſed etiam ex ſacris litteris videtur depromptum, in quibus *Prou.* 8. 17. legitur: *Ego diligentes me diligo.* Et Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cùmque in actuali Euchariſtiæ receptione immenſum diuini amoris beneficium recipiat Chriſtianus; nam Sacramentum hoc, vt Mellifluus fatur Bernardus, non ſolùm eſt *Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum*, ſed etiam *amor amorum*; & in illo Chriſtus, vt loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit*; excitabitur à gratia Euchariſtiæ charitas, & ab illa nouo robore confortata, in feruentiores dilectionis actus prorumpet, & maiores ardentioreſque flammas emittet. Quamvis enim omnia, quibus nos Redemptor amantiſſimus cumulauit, bona ſuum erga nos teſtentur, noſtrumque erga illum excitent amorem; nullum tamen aut vberius, aut fortius, aut magnificentius diuinam prodidit charitatem, humanamque vehementiùs accendit, quàm ſacra Euchariſtia, ſicut notauit S. Auguſtinus ſerm. 127. de temp. *Nobis*, inquit, *mirificas amoris ſagittas clariùs jaculatur, dum ipſum inuenimus ſub veſtimentis cibi, & potus, ſine quibus in vita conſiſtere non valemus.* Quod vtique ab Apoſtolo eleganter expreſſum eſt 2. *Cor.* 5. 4.* dum inquit: *Charitas Chriſti vrget nos.* Vbi de immenſa ardentique Chriſti Domini in Euchariſtia erga homines charitate, quæ nos ad illum redamandum mouet, & excitat, Paulum loqui conſtat, ex eo quod Græca illius phraſis reddit, *conuiuium Chriſti detinet, poſſidet, inhibet & ligat nos.* Quæ omnia vulgata editio comprehendit his verbis, *charitas Chriſti vrget nos.* Etenim ſummus Chriſti in Euchariſtia amor, dum homines reficit, illos vrget, & ad ipſum Saluatorem proprio corpore ex infinita dilectione paſcentem impellit; dum impellit, detinet; dum detinet, poſſidet; quia *nec ſuos eſſe patitur diuinus amor*, vt Dionyſius loquitur libro 1. dum poſſidet, inhibet, hoc eſt, prohibet, ne creaturis vano adhæreant amore; & tandem dum inhibet, ligat; quia hominem cum Deo connectit, vt puriſſimi amoris fonti puriſſimo copulatus, in feruentiorem inardeſcat amorem, & ſummo bono firmiter adhæreat: *Qui* enim *manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*, vt dicitur 1. Ioan. 4. 16.

Conuiuium Euchariſtiæ eſt charitas Chriſti, quæ vrget nos.

388.
Euchariſtia dulcedo dulcedinum.
S. Bernard.
D. Auguſt.
Soror amoris dulcedo eſt.
Mendoza.
Cur oleum vino & frumento ſuperaddatur in Scriptura.
D. Ambroſ.
Gaudium eſt delectatio de præſentia rei amatæ.
Chriſtus puriſſimum amoris noſtri obiectū.
S. Thom.
Dulcedo in ſuo fonte guſtatur in Euchariſtia.

Liquet inſuper, ſpiritualem ducedinem & internam animi lætitiam à ſanctiſſima Euchariſtia in corda dignè recipientium, tanquam eius effectum diffundi. Etenim myſterium hoc non ſolùm *amor amorum*, ſed etiam *dulcedo dulcedinum* à S. Bernardo appellatur. Si enim *ſoror amoris dulcedo eſt*, vt loquitur Auguſtinus apud Balthaſarem Paës *ſerm.* 3. *in cœna Domini*; amorem vtique comitatur, eius naturam participat, eius veſtigia terit, ſimulque cum eo Euchariſtiam recipientium cordibus effunditur. *Dediſti lætitiam in corde meo à fructu frumenti & vini*, inquit Pſalmiſta *pſal.* 4. 7. & 8. Sic in textu Hebræo legitur, nullâ factâ olei mentione, vt notauit Franc. Mendoza *in lib.* 1. *Reg. cap.* 6. *num.* 21. *annot.* 22. *ſect.* 2. Sed in Latina & Græca editione additum eſt, *& olei.* Et ſimiliter *Ierem.* 31. 12. dicitur, *Confluent ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo.* Et *Oſeæ* 2. 8. & *Ioel.* 2. 19. Deus dicitur dare hominibus *frumentum, vinum & oleum.* Vbi oleum quod dulcedinis ac lætitiæ ſymbolum eſt, additur frumento & vino, ſub quorum ſpeciebus corpus & ſanguis Domini in Euchariſtia recipiuntur, vt oſtendatur eos qui hoc pane & vino ritè perfruuntur, dulcedine & lætitiâ ſpirituali recreari. Vnde D. Ambroſius in pſal. 4. *Data eſt*, inquit, *lætitia in corde noſtro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine, oleum in chriſmate.* Cùm enim gaudium ſit delectatio de præſentia rei amatæ conſequens dilectionem, & in tremendo Euchariſtiæ myſterio Chriſtus caſtiſſimæ Fidelium dilectionis obiectum, immò amor puriſſimus, ſuſcipientibus adeò fiat præſens, vt verè ac realiter in eorum ora per hoc diuiniſſimum Sacramentum ingrediatur, quomodo non ſpirituali dulcedine ac interna animi ſuauitate, ac lætitiâ eorum corda replebuntur. Nam ſi ad ſolam Dei memoriam delectationes ſpirituales expertus eſt Regius Vates, dum dixit, *Memor fui Dei, & delectatus ſum*, pſal. 76. 4. quomodo ad eius realem præſentiam, immò & amplexum, ac veram corporis eius ſuſceptionem ac manducationem Chriſtianorum corda non delectabuntur? Sanè, vt Doctor Angelicus aduertit opuſc. 58. *in hoc Sacramento dulcedo in proprio fonte deguſtatur*; & ab illâ lætitia animæ non poteſt non procedere: eius etenim deſideria mirabili hoc Sacramento ſatiantur, & interna

requies de bono poſſeſſo, in quo gaudium conſiſtere videtur, ei conceditur.

389. *Lac ſuaue.* *Lac optimū Euchariſtia.* *D. Auguſt.* *Chriſtus cibus Angelorum, factus eſt lac, vt cibus eſſet hominum in Euchariſtia. Eſt mammilla Patris. Clem. Alex.*

Quid dulcius, quid ſuauius lacte? quod ſimul & infantem reficit, & delectat. Optimum, immò & regium lac eſt Euchariſtia: dum ad illam accedimus, ad Chriſti vbera feſtinamus, eiuſque lac ſugimus, & ſtatim eius gratiâ reficimur, & delectationibus recreamur. Sic enim Vates Euangelicus prædixerat, Iſai. 60. 16. *Suges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis.* Verbum enim Dei, *cibus ſempiternus, quem manducant Angeli, ac ſupernæ virtutes*, vt loquitur Auguſtinus *conc.1.in pſalm.33.* vt ab hominibus manducaretur, cibuſque gentium efficeretur, non ſolùm hominis formam, ſed lactis hominum figuram in Euchariſtia aſſumpſit. Vnde idem Auguſtinus *loc.cit.* ait: *Oportebat vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret.* Ipſeque Chriſtus non ſolùm *lac noſtrum*, vt eum appellat Auguſtinus *tract. 3. in 1. ep. Ioan.* ſed *mammilla Patris* eſt, vt ait Clemens Alexandr. *lib. 1. pædag. cap. 6.* quæ curarum obliuionem inducit, omnemque mœſtitiam expellit, ac ſpiritualem animi lætitiam adducit. Vnde & idem Clemens ſubdit: *Verè beati, qui hanc lactant mammillam.* Quod adeo verum eſt, vt huc reſpiciens Iſaias dixerit cap. 66. 11. *Gaudete vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius.*

390. *Dulcedo & lætitia cordis, effectus Euchariſtiæ aliquando à gratia ſanctificante ſeparantur.* *D. Hieron.* *D. Thom.* *Vt patet in Chriſto, qui ex receptione Euchariſtiæ habuit lætitiam, ſed non gratiam.*

Quamvis autem ſpirituales hæ dulcedines, & internæ cordium lætitiæ à ſacra dimanent Euchariſtia ſimul cum gratiæ ſanctificantis augmento; attamen neceſſariam inter ſe non habent connexionem, ſed aliquando ab inuicem ſeparantur. Etenim in Chriſto Domino, qui primus omnium ſacram ſumpſit Euchariſtiam, & ingenti miraculo *conuiua fuit & conuiuium, comedens & qui comeditur*, vt ait D. Hieronymus ad Leſbiam, ex reali ſuſceptione huius Sacramenti gratia non fuit aucta, ſed habuit quamdam ſpiritualem delectationem, vt docet S.D. 3.*p.q.*81. *art.1. ad 3.*

391. *Interdū gratia augetur, & dulcedo non ſentitur, vt in B. Thereſia.*

In multis autem Chriſti Fidelibus ex ſacræ frequentatione Euchariſtiæ augetur gratia, & tamen ſpiritualis dulcedinis delectatio non ſentitur: quod etiam perfectis, ac pietate prædiris accidit, ſicut de B. Thereſia legitur, quod per duodeviginti annos, licèt ſæpiſſimè ad ſacra myſteria accederet, nullo refecta eſt pabulo cœleſtium conſolationum, quibus etiam in terris ſolet ſanctitas abundare. Vnde & D. Thomas opuſc. 58. cap. 22. *Sicut*, inquit, *medicus peritus quandoque quibuſdam dat medicinam dulcem palato corporis, & quandoque non ſic, ſed dulcem palato mentis, quæ quamvis non gutturi, benè ſapit rationi, pro eo quod ſanam mentem delectat: ſic Dominus dat ſuis fidelibus dulce ſemper corpus; ſed dulcedinem ſuam alio modo iſtis, prout cuilibet expedire nouit. Hinc eſt quod quidam dulcedinem iſtam ſapiunt per affectum, & ardentiore delectantur deuotione; & alij eandem dulcedinem ſapiunt per pium intellectum, & ſufficienti reficiuntur vtilitate, in eo quod credunt & intelligunt, per hunc cibum ſanctum veram vitam obtinere. Igitur quamvis non ſapias dulcedinem Domini primo modo, ideſt per affectum firmæ deuotionis; ſapi tamen ſecundo modo, ſcilicet per intellectum multæ vtilitatis.* Hactenus D. Thomas.

Dulcedo hæc quibuſdam per affectū, aliis per piū intellectum conceditur. *D. Thom.*

392. *Diuerſi alij Euchariſtiæ effectus.*

Sed alij non pauci ſacræ Euchariſtiæ recenſentur effectus, vt ſunt venialium peccatorum remiſſio, & ad mortalia euitanda cautela, de quibus jam egimus in hoc Opere, *lib. 1. elucid. 2. ſect. 2. §. 1. 2. & 3.* Ipſa etiam ad cœleſtem patriam introductio, tanti Sacramenti virtuti attribuitur, quod etiam & nos ſuprà paſſim docuimus, & colligitur ex verbis Domini dicentis Ioan. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vita autem æterna eſt vita gloriæ. Cùmque Chriſti paſſio regni cœleſtis januam nobis aperuerit, vt habetur Hebr. 10. 19. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti*; eundem effectum præſtabit Euchariſtia, quæ mortis Domini memoriale dicitur, eandemque nobis per modum Sacramenti, ac ſacrificij applicat paſſionem. Vnde à Trident. *ſeſſ. 13. cap. 2.* vocatur *pignus futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.* Quod antea S. Thomas tetigerat *opuſc. 58. cap. 23.* dicens: *Si ergo corpus Chriſti ſumptum pignus eſt vitæ æternæ, & pignus non dimittitur, donec id pro quo impignoratur accipiatur, profectò per hoc ad vitam æternam perducimur.*

Concil. Trid. *S. Thom.* *Euchariſtia eſt pignus vitæ æternæ.*

Cæterùm non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore mirabiles Euchariſtia producit effectus: nam in hac vita ſenſitiui appetitus fomitem mitigat, & concupiſcentiæ ardorem extinguit. Cum enim gratiam augendo, etiam charitatem augeat, ex conſequenti concupiſcentiæ motus reprimit, quia vt ait Auguſtinus libro 83. qq. *augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* Vnde corporis caſtitas huius Sacramenti fructus exiſtimatur, juxta illud Zachar. 9. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Quare Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Domini, cap. 21. *Felix*, inquit, *fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur: nam hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur; ab iſto verò virgines procreantur.* Quod etiam docuit S. Thomas *opuſc. 58. cap. 21.* vbi inquit: *Dum ergo fidelis corpus Chriſti ſumit, ſpirituale refrigerium percipit, quaſi de vmbra gratiæ, quæ de ipſo fluit.* Oſeæ 14. *Ego quaſi ros, & Iſraël germinabit quaſi lilium.* Quæ etiam jam ſuprà tetigimus in hoc opere.

393. *Etiam in corpore habet effectus Euchariſtia.* *Concupiſcentiæ ardorem extinguit.* *D. Auguſt.* *Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* *S. Thom.* *Virgines facit Euchariſtia.*

Verùm poſt mortalem quam ducimus vitam, alium in corpore noſtro producit effectum, ipſum animæ ſeparatæ reuniendo; cauſat enim noſtram à mortuis reſurrectionem. Quod ex verbis colligitur Chriſti, qui *Ioan. 6. 55.* inquit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et ratio ſuadet; nam in mortuorum reſurrectione, verbum Dei reſuſcitat animas, vt loquitur Auguſtinus apud D. Thomam *in cap. 6. Ioan. lect. 7.* ideſt eas conſeruat ſeparatas à corpore, & denuò corpori coniungit: Verbum autem caro factum viuificat corpora. Cùm ergo hoc in Sacramento ſit verbum Dei, non ſolùm ſecundùm diuinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem & veritatem carnis, non ſolùm erit cauſa reſurrectionis animarum, ſed corporum. Vnde & 1. *Cor. 15. 21.* dicitur, *per hominem reſurrectio mortuorum.* Quamobrem omnes Sancti Patres corporum noſtrorum reſurrectionem ſacræ attribuunt Euchariſtiæ, vt videre eſt apud Irenæum *lib. 4. aduerſus hæreſes, cap. 34.* Cyrillum Alexand. *in cap. 6. Ioan.* Tertullianum *lib. de reſur. carnis*, Chryſoſtomum *hom. 24. in 1. ad Cor.* Hilarium *lib 8. de Trinit.* & alios. Vnde D. Ignatius Antiochenus Epiſcopus, in epiſtola quam ad Epheſios ſcripſit, Euchariſtiam vocat *mortis Antidotum, & pharmacum immortalitatis.*

394. *Reſurrectionem cauſabit Euchariſtia.* *D. Auguſt.* *D. Thom.* *Euchariſtia mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis.*

395. Cùm autem vitam æternam promittat Saluator corpus ſuum manducanti, & ſanguinem bibenti,

Ioan. 6.

Ioan. 6. 52. dicens: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; valde probabile eſt, Euchariſtiam cauſare gratiam peractâ manducatione, hoc eſt receptâ hoſtiâ in ſtomacho, in inſtanti extrinſeco terminatiuo manducationis, in quo verum eſt dicere, Nunc non eſt manducatio, ſed immediatè antea fuit. Cùm enim hoc Sacramentum cibi à Chriſto Domino inſtitutum ſit, ac per modum cibi ſpiritualis operetur gratiam, ad modum refectionis & nutritionis ſpiritualis debet manducari, vt ſuum in nobis ſortiatur effectum; cibus etenim non nutrit niſi ſufficienter applicatus & manducatus.

Receptâ hoſtiâ in ſtomacho. Euchariſtia gratiam producit.

396. Nec improbabile eſt, quamdiu manent huius Sacramenti ſpecies in Stomacho, maiorem gratiam ex opere operato homini conferri, dummodo nouos ac feruentiores charitatis, ac aliarum virtutum actus eliciat, quibus magis ac magis ſe diſponat: quod docuit Cardinalis Caiet. *in 3. p. D. Thomæ, q. 79. art.* 1. & approbare videtur ſpectatiſſimæ pietatis ac doctrinæ vir Ludouicus Granatenſis *in memoriali vitæ Chriſtianæ, tract. 3. cap.* 7. multique amplectuntur recentiores Theologi. Vnde Cardinalis Delugo *diſp.* 12. *ſect.* 2. *num.* 46. teſtatur, quod licèt olim malè audierit hæc opinio, jam hodie communiter recipitur. Quæ ſententia quamvis non pateat euidenti ratione, duplici tamen congruentiâ ſuaderi poteſt.

Ex feruentioribus actibus charitatis, quàdiu manent ſpecies in ſtomacho, maior gratia confertur.

397. Primò, quia cùm per modum cibi myſterium hoc inſtitutum ſit, illos in anima, quos in corpore cibus materialis, producit effectus. Cùm autem cibus, quamdiu in ventriculo manet, & in ipſum agit calor natiuus, corpus nutriat & roboret; quamdiu corpus Chriſti ſub Euchariſtiæ ſpeciebus in ſumente permanet, eius animam ſpiritualiter reficit & confortat gratiam augendo, ſi charitatis feruore tanquam ſupernaturali calore, aliiſque virtutum actibus ſe ad tale augmentum aptiorem reddat.

Tamdiu nutrit, quamdiu ſub ſpeciebus manet in ſtomacho.

398. Secundò, quia hoc maximè conuenit dignitati, & officio quod Chriſtus Dominus in hoc Sacramento exercet: cùm enim ſit Sol Iuſtitiæ, Lux mundi, Saluator, Dux, & Paſtor Fidelium, conſentaneum eſt, vt quamdiu in ſtomacho hominis ſacramentaliter perſeuerat, Solis, Lucis, Paſtoris ac Saluatoris munia exerceat, ac conſequenter illuminet, foueat, paſcat, protegat, ſaluet, atque gratiæ ſuæ ſplendoribus animam ſumentis repleat, & illuſtret. Sol etenim quamdiu ſupra noſtrum mouetur hemiſphærium, lucis ſuæ radios vibrat. Chriſtus autem mundi jubar, & Sol Iuſtitiæ extat; & quamdiu in aliquo remanet loco, illum claritatis ſuæ colluſtrat fulgoribus; ait enim Ioan. 9. 6. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.*

Sol ſemper illuminat, & Chriſtus gratiæ ſuæ radios ſemper emittit.

Sectio VII.

A ſacra Euchariſtia vita in bonos, & mors in malos dimanat.

399. Admirabile ſanè eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, non ſolùm quia mirabili ac ſubſtantiali panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſione, optimum ſub ſpecie panis & vini nobis realiter exhibet Saluatorem; verùm etiam propter mirabiles, immò & oppoſitos, quos in ſuſcipientibus operatur effectus. Idem enim quod per modum alimenti Chriſtus inſtituit myſterium, vt viatores homines cibo diuino reficeret, & ſpiritalem in nobis conſeruaret vigorem, augeretque; juſtis collatum vitam, iniuſtis verò præbet interitum. Illis itaque pabulum, & cibus eſt; iſtis non alimentum eſt, ſed venenum. Quod eleganter expreſſit Angelicus Doctor, dum ait: *Mors eſt malis, vita bonis.*

Mirabilis Euchariſtia ob mirabiles & oppoſitos effectus.

400. In mundum deſcendit mundi Creator, vt mundum reſtauraret, & deperditum propriâ culpâ hominem recuperaret. Sed quomodo id præſtitit? Errantem quæſiuit, auerſum reuocauit, fugientem apprehendit, & mortuum viuificauit, vitâ vtique ſupernaturali, & vnum ſanans hominem, in illo tanquam in orbis Epitome vniuerſum reparauit. Cunctis hominibus hanc ſalutem attulit, nulli illam denegauit, immò omnibus ſe redemptorem oſtendit. *Ego veni*, inquit Ioan. 10. 10. *vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Verùm enim verò multi ſunt qui Chriſti vocem audire recuſant, vocationem reſpuunt, bonitatem ſpernunt, ipſamque abundantem, quam attulit, vitam contemnunt. Quid iſtis accidit? Dum vitam negligunt, mortem inueniunt; & dum à Chriſto ſalutem accipere non laborant, ab illo necem haurire contendunt. Etenim qui Chriſto tanquam palmites viti veræ adhærent, ſpiritualem ſortiuntur reſurrectionem; qui autem iniquitati ſeruientes, Chriſto ſubjici ac ſeruire recuſant, ab eo æternam capiunt ruinam.

Omnibus ſegulit vitam Chriſtus, ſed plures illam recuſant.

401. Hoc expreſſit ſenex ille juſtus ac timoratus Simeon, dum ſanctiſſimæ Dei Genitrici de filio amantiſſimo, optimo Saluatore Chriſto, dixit Luc. 2. 34. *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* Quod certè veriſſimum fuit, non ſolùm de ipſa Chriſti perſona inter homines conuerſante, quam aliqui venerantes, vitam; alij perſequentes, contemnentes, torquentes ac crucifigentes, mortem ſeu ruinam hauſerunt: non ſolùm inſuper de eius doctrina, quæ recipientes ac obedientes ſaluauit, reſpuentes ac contemnentes damnauit; ſed etiam de venerabili corporis & ſanguinis ſui Sacramento, in quo ſanctiſſima & immaculata Chriſti caro bonis gratiâ & charitate præditis vitam ac gratiæ ſpiritualis augmentum, ac conſequenter ſpiritualis gloriam reſurrectionis effundit, & lethalis culpæ labe pollutis & impiis mortem confert & ruinam. Cùm enim quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur, vt apud Philoſophos tritum eſt, cœleſtis illa Dominici corporis eſca juxta variam manducantium diſpoſitionem varios habet effectus, ita vt in viuente vitâ ſpirituali & feruore charitatis accenſo, vitam producat & gratiam; & in illo qui virtutum omnium ſplendore deſtitutus, vitiis ſcatet & ſordibus, animam mortiferi criminis vulnere ſauciam habet, ruinam præbet & mortem.

Chriſtus in ruinam, & in reſurrectionē multorum poſitus, etiā in Euchariſtia.

402. Sol etenim eodem radio & ceram liquefacit, & lutum indurat. Eodem ignis calore aurum rutilat, & palea fumat: illud pulchrius redditur, iſta conſumitur. Idem viro incolumi vitam ſeruat & ſanitatem tuetur alimentum, quod debili & infirmo morbum adducit & mortem; nam vt inquit Tertullianus in carmine ad Senatorem tranſfugam:

Eodem igne aurum rutilat, & palea fumat.

Eſcâ alitur corpus, corpus corrumpitur eſcâ.

403. Eadem oculis ægris nociua & odioſa eſt lux, quæ puris grata eſt & amabilis: & palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Vnde non

Lux ægris oculis odioſa, & puris amabilis.

mirum, Chriſtum Dominum, qui in Euchariſtia ſplender vt ſol, vt ignis calefacit, vt alimentum nutrit, vt lux illuminat, & vt panis viuus & verus ſatiat, bonos illuſtret, accendat, foueat, delectet & reficiat; malos verò lædat, induret, abſumat, & occidat.

404. Eadem Arca fœderis, quæ Chriſti corporis & Euchariſtiæ typum geſſit, Iſraëlitas protegebat, forteſque ac ſtrenuos ad pugnam animabat: Philiſtinos verò Domini hoſtes proſtrabat & occidebat, vt videre eſt 1. *Reg. cap. 5. per totum.* Non ergo mitiores à veritate, quàm à typo homines expectent effectus; & ſibi timeant impij ad myſticam arcam, & ſacram Euchariſtiam accedentes: hæc enim Chriſtianæ Religionis arca venerabilis, dum juſtos reficit, & bonos fouet; iniuſtos percutit, & malos necat.

Arca Iudæos honorabat, & proſtrabat Philiſthæos.

405. Eadem inſuper quæ Hebræos illuſtrabat & illuminabat columna nubis, Ægyptios obumbrabat & excæcabat, vt legitur *Exod.* 14. 20. & idem tremendum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo glorioſum Chriſti Domini corpus ſole lucidius ac fulgentius, ſpeciebus panis quaſi nube inuolutum realiter exiſtit, juſtos gratiæ ſplendoribus recreat, & impios quos tenebris mentis excæcat, æternæ caligini reſeruat.

Nubes Hebræos illuminabat, & Ægyptios excæcabat.

406. Sicuti enim portentoſa illa Iudæorum eſca manna propterea appellata, à malis ſeruata, multis vermibus ſcatebat, & à bonis ſuſcepta, ambroſiæ & nectaris ſuauitatem ſuperabat, vt legitur *Exod.* 16. 20. & ſicuti Aaronis virga, quæ aquas abſumebat, eas in ſanguinem conuertendo, vt Ægyptios torqueret, *Exod.* 7. 20. & ipſas Hebræis miniſtrabat, illas ex ſilice eliciendo: ita mirabilis Euchariſtia, cui nomen manna meliùs, quàm priſco ac cœleſti illi debetur pabulo; & in qua non Moyſis, vel Aaronis, ſed virtutis Dei virga, *quam emiſit Dominus ex Sion, vt in medio inimicorum ſuorum dominetur*, reperitur, malos ærumnis & flagellis caſtigat, bonos gratiæ ſuauitate & ſpiritualis dulcedinis effuſione conſolatur; ab illis miſericordiæ latices eripit, iſtis autem bonitatis ſuæ fluenta concedit: erga impios aquæ conuertuntur in ſanguinem, & ſola juſtitia terrorem incutit, & tormenta decernit: at erga bonos & ſanguis, & aqua funduntur in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, in vitæ æternæ præmium. Sic igitur Chriſtus in hoc myſterio bonis eſt *odor vitæ ad vitam*, malis eſt *odor mortis ad mortem*, vt dicitur 2. *Cor.* 2. 16.

Manna apud malos vermibus ſcatebat, & apud bonos ſuauitatem ſeruabat.

407. Mirabiles planè erant panes illi, quos jubente Domino ſuper menſam in tabernaculo priſcæ Legis ante conſpectum Dei Moyſes poſuit: hi enim non ſolùm ſacri & diuino cultui conſecrati, à prophanis rebus diſcreti, ſanctum ſuper altare collocabantur; ſed duobus characteribus obſignari videbantur: vnde non ſolùm *panes propoſitionis*, vt vulgata habet Latina editio, ſed vt in Hebræo legitur, *panes facierum*, ſunt appellati. *Exod.* 25. 30. Quod vtique myſterium complectitur, vt ſcilicet Chriſtus Dominus in pane Euchariſtico in illis panibus adumbrato duplicem erga ſumentes faciem habere ſignificetur. Habet quippe benignam & amabilem, quâ ſe paſtorem optimum, ac Saluatorem miſericordem erga bonos exhibeat, eoſque immenſis beneficiis cumulatos lætificet. Vnde & *pſalm.* 20. 7. dicitur: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Et illam faciem poſtulans Dauid pſal. 66. 2. *Illuminet* (inquit) *vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

Panes propoſitionis, panes facierum.

Duas in Euchariſtia habet facies Chriſtus: eſt amabilis vna, terribilis altera.

Alteram tenet terribilem, quâ ſe juſtum ac fortem judicem, ac ſeueriſſimum criminum vltorem contra impios demonſtret, illoſque damnet ac puniat. Quod etiam à Pſalmiſta notatum eſt *Pſal.* 33. 17. dum ait: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Itaque vno Chriſtus in Euchariſtia vultu bonos ſanat, alio malos lædit. Illos vnâ facie viuificat, iſtos alterâ facie necat.

Vtramque faciem oſtendit Dominus, cùm primùm mirabile hoc Apoſtolis ſuis diſtribuit Sacramentum. Petro enim cæteriſque qui purâ mente, affectu feruido, ac corde ſincero illud receperunt, amabilem optimi Paſtoris, ac Saluatoris vultum exhibuit, illoſque gratiarum, ac diuinorum chariſmatum donis cumulauit: at Iudæ nefandiſſimo ac ſceleſtiſſimo proditori, qui addens impudentiam ſceleri, & abſcondi ſe ſuâ putans audaciâ, nec manum à paropſide, nec animum retrahebat à crimine, & inſtrumentum pacis non pacatus accepit, vt loquitur Petrus Damiani libello grauiſſimo, *cap.* 6. terribilem judicis vultum aperuit, & ſeueriſſimam ingratitudinis ac illius infidelitatis vltoris faciem oſtendit, eumque diris deuouens morti addixit turpiſſimæ. Vnde Auguſt. *tr.* 26. *in Ioan.* ait: *Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit. Et cùm accepit, in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit.* 408.

Vtramque faciem oſtendit in prima inſtitutione, & ſumptione Euchariſtiæ.

Similis ſanè tremendo huic Sacramento aqua illa extitit zelotypiæ, de qua ſcriptum eſt *Numer.* 5.17. Hæc enim aqua ſancta vocabatur, & ſi pollutæ ac adulteræ mulieri in potum data fuiſſet, inflato ventre computreſcebat femur eius, eratque in maledictionem, & in exemplum omni populo. Si autem polluta non fuiſſet, erat innoxia, ac à vitio ſterilitatis purgata liberos procreabat. Vbi certè quod in Euchariſtia accidit, deſcriptum videtur. Hoc etenim myſterium non ſolùm aqua ſancta nominari poteſt, ſed fons aquæ vitæ appellatur, *Apoc.* 21. *num.* 6. Sed hanc vitam hominibus puris, & nullius adulterij ſpiritualis, ſeu lethalis culpæ reis dumtaxat effundit, eoſque antea ſteriles, fœcundos ac bonorum operum efficaces præſtat factores: illis autem qui pollutâ conſcientiâ, & animâ adulterij reâ ad Chriſtum amantiſſimum ſponſum non verentur accedere, ac fontem aquæ vitæ in Euchariſtia deguſtare, mutatur in virtute, ita vt mortem animæ, æternam maledictionem, immò & aliquando corporeum interitum producat. Quod in primo omnium illorum, qui pollutâ conſcientiâ & infidelitatis rei ad hoc Sacramentum acceſſerunt, Iuda proditore contigit. Hic enim, quia dum authorem vitæ ingenti malitiâ, & execrandâ ingratitudine prodebat, eius ſacrum corpus manducare auſus eſt, & aquam vitæ in ſuo fonte deguſtare, venenum exinde mortis accepit: & vt juſtiſſima, quâ plexus eſt pœnâ, cum illa, quâ mulieres adulteræ aquam ſanctam bibentes plectebantur, aliquam haberet ſimilitudinem, intumuit venter eius, & computruit femur. Nam vt legitur Act. 1. 18. *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* 409.

Aqua zelotypiæ mirabilis.

Euchariſtia ſimiles habet effectus, vt patet in Iuda.

Liquet igitur, ad vitam ſpiritualem hominum Sacramentum corporis & ſanguinis Domini inſtitutum, non omnibus præſtare vitam, ſed tantùm illis, qui cum debita reuerentia, fide, ac charitate ad ſacram Synaxim accedunt: illis autem qui temerario auſu, ac pollutâ conſcientiâ 410.

ad

Iuxta variã diſpoſitionẽ recipientium vitam, vel mortem dat Euchariſtia.

ad ſacram menſam non verentur accedere, in tanti criminis pœnam mors ſpiritualis infligitur. Sic enim ſanguis Domini, qui in remiſſionem peccatorum & pœnarum pro illis debitarum ſolutionẽ fuſus eſt, Chriſtianis crucis Chriſti participibus ſalus fuit, & Iudæis crucem eius execrantibus, pœna ac ſupplicium. Dixerunt enim, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Matth. 27.25. Vnde & Chryſoſt. *hom. de cruce & Latrone*, ait: *Illis* (ſanguis Chriſti fuſus eſt) *ad condemnationem, nobis autem ad juſtificationem: illis ad mortem, nobis verò ad vitam.* Sed ab hoc corporis & ſanguinis Domini Sacramento juſtos vitam haurire, & malos mortem ſumere, ſigillatim videamus.

Sectio VIII.

Vita bonis à ſacra Euchariſtia communicatur.

411. *Lib. 1. huius oper. eluc. 2. §. 3.*

QVæ modò à nobis explananda ſuſcipitur veritas, jam ſuperiùs variis in locis à nobis inſinuata eſt: hanc tamen vberiori doctrinâ hîc tanquam in proprio loco, eo quòd Angelicus Doctor in textibus, quos nunc illuſtramus, tradidit ex profeſſo, ſtabiliemus.

412. Quotquot igitur in ſe probati, ac à vitiis purgati, virtutúmque tum Theologicarum, Fidei, Spei ac Charitatis; tum moralium, Prudentiæ ſcilicet, Iuſtitiæ, Fortitudinis & Temperantiæ, aliarumque vel ab his dependentium, vel cum his connexarum actibus ornati, gratiaque ſanctificante locupletes ad ſacram accedunt Euchariſtiam, dum ſacramentaliter manducant corpus Domini, illud etiam ſpiritualiter edunt, eius fructus deguſtant, & ab eo in ſe vitam ſuſcipiunt. Sic enim æterna docuit Veritas *Ioan.* 6. vbi ſemper effectum & fructum corporis ſui, quod ſub ſpeciebus panis in alimentum promittit hominibus, vitam pronuntiauit. Sed attentè Chriſti verba conſideranti patebit, non vnicam, ſed triplicem ab hoc Sacramento homini illud recipienti cauſari vitam, aliam ſcilicet naturæ, aliam gratiæ, & tandem tertiam gloriæ. Quod nos ſigillatim proſequemur, abſtinentes ab his quæ jam ſuprà circa eandem triplicem vitam libro 1. huius Operis, *elucid.* 2. §. 3. ſcripſimus.

Triplex dignè ſuſcipientibus ab Euchariſtia confertur vita.

§. I.

Vita naturalis ab Euchariſtia procedit.

413. Euchariſtia cibus mẽtis.

PRimò igitur vitam naturalem, & eam quam in hac vita mortali ducunt boni, eiuſque conſeruationem ac longitudinem ab adorando corporis Domini Sacramento ſuſcipiunt. Quamvis enim Euchariſtia non ventris, ſed mentis cibus ſit, vt loquuntur Sancti Patres; attamen quia ore corporis ſuſcipitur & manducatur, ac in ſtomachum, ſeu ventriculum trajicitur, vt quamdiu ibi ſpecies huius Sacramenti permanent, anima nutriatur, ſi homo actus charitatis eliciat, vt in ſectione præcedenti oſtendimus: ideo non ſolùm vitam ſpiritualem, ſeu gratiam refectionis tribuit menti, ſed etiam naturalem vitam corpori largitur. Quod euidenter colligitur ex verbis Chriſti, Ioan. 6. 52. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Vbi carnem ſuam vitam mundo dare, hoc eſt vitam naturalem præbere aſſeuerat. Et ſtatim litigantibus Iudæis circa ſermonem eius, & non valentibus capere modum quo eius corpus ab hominibus manducaretur, & eius ſanguis biberetur, inquit ibidem 53. *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi etiam de vita naturali loquitur, quam vtique conſeruat & protrahit venerabile corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum.

Etiam naturalem vitam corpori largitur.

Id docuit Chriſtus.

414. Ratione firmatur hæc veritas.

Nec deeſt ratio, quâ hæc veritas roboretur. Etenim vita naturalis, quâ cuncti gaudent homines, illis à protoparente cum eius natura per generationem tranſmiſſa eſt. Sed hic illam minimè tranſmiſiſſet, niſi habuiſſet: vt enim apud omnes tritum eſt, nemo dat quod non habet. A corpore autem Chriſti vitam habuit Adamus naturalem; quod nemo ſanæ mentis inficiabitur, ſi iis quæ mox ſubjiciemus, attendat. Nam vitâ & naturali, & ſpirituali ſimul cum Dei imagine donatus primus homo: vtramque debuit amittere, dum Conditoris ſui mandatum contempſit, & pomum vetitum manducauit. Sic etenim ab æquiſſimo & ſummo judice decretum fuerat, & primo parenti ipſius Dei ore ſignificatum, Gen. 2. 17. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quid ergo? Præceptum Dei tranſgreſſus eſt, & tamen comminatam mortem non ſenſit: vixit etiam poſt peccatum Adamus. At vnde hæc in homine mortis reo vita? Quis decreti contra legis tranſgreſſorem lati effectum ſuſpendit? Nullus alius, niſi vnigenitus Dei Filius, qui Deo Patri ſe vt incarnaretur obtulit, in culpæ hominis remedium, & vitam ſuam mortalem in cruce daturum, mortemque pro primo illo peccatore, cæteriſque Dei mandatorum tranſgreſſoribus ſubiturum ſpopondit. Filium aſpexit Pater, & futurum eius in carne ſupra crucis lignum interitum pro illa, quam Adamus ligni vetiti reus pati debebat, morte tunc acceptans, primo homini, omnibuſque eius poſteris naturalem vitam reliquit. Itaque homo qui in ſtatu innocentiæ vitam à Verbo Dei, per quod omnia facta ſunt, acceperat; poſt peccatum ab eodem incarnando, vt omnia reſtauraret, & mortem reſtaurando pateretur, naturalem vitam habuit. Quod vtique dilectus Domini diſcipulus agnouit, dum *Apoc.* 13. 8. de Chriſto ſub nomine Agni loquens, inquit: *Qui occiſus eſt ab origine mundi.* Non quidem quod mors, quam Chriſtus in cruce pertulit ſexta mundi ætate, ſub Tiberio Cæſare Romanorum Imperatore acciderit realiter & in propria ſpecie à principio mundi; ſed quia hæc mors Chriſti, quam ipſi crucifixores intulerunt, ab ipſo Filio Dei incarnando Patri in remedium culpæ primi hominis, & redemptionem eorum omnium, qui cum hoc communi parente morti addicti erant, oblata eſt, & ab ipſo acceptata. Cùm ergo effectum ſuum mors Chriſti in Adamo habuerit ab initio mundi, Agnus qui Chriſtus eſt, occiſus dicitur ab origine mundi.

Vitam naturalem à Chriſto habuit Adamus.

Chriſtus vitam ſuam & mortem pro Adamo eiuſque poſteris obtulit.

Chriſtus occiſus eſt ab origine mundi, & quomodo.

415. Oblatio mortis Chriſti mundum præceſſit.

Verùm quid immoror, vt Chriſti mortem Deo oblatam ab origine mundi in peccati remedium, & naturalis vitæ Adami conſeruationem ſuadeam? Mundi fabricam præceſſit mortis Saluatoris oblatio. Cùm enim Verbi incarnationis decrêtum, quo de facto carnem Filius Dei aſſumpſit, fuerit in remedium peccati præuiſi, vt docent S. Auguſtinus *ſerm. 36. de verbis Domini, & ſerm. 8. de verbis Apoſtoli*, Doctor Angelicus 3. *p. q.* 1. *art.* 3. & cum ipſis grauiores Theologi, eius actiones, paſſiones, ipſaque mors in illo inuolutæ ſunt. Cumque hoc decretum æternum fuerit,

D. Auguſt.

D. Thom.

ante

ante tempora vita & mors Chriſti, eiuſque humiliationes, ac ſatisfactiones à Deo præuiſæ ſunt, & à Filio incarnando Patri in liberationem Adami ac cæterorum hominum oblatæ ſunt, ac ab eo acceptatæ, & ex acceptatione iſta Adamo poſt peccatum vitam corporalem eſſe conſeruandam (lege quâ, ſtatim peracta tranſgreſſione, morti addicebatur, non obſtante) eſt definitum. Quod Principis Apoſtolorum teſtimonio comprobatur; ait enim 1. Petr. 1. 18. 19. & 20. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus.* Si enim ſanguis Chriſti, qui nomine Agni Immaculati exprimitur, vt pretium redemptionis humanæ mortem eius indicat, in qua copioſâ ſanguinis ſui effuſione lauit nos à peccatis noſtris; eiuſque immolationem, tanquam Agni Immaculati in ara crucis, ita vt præcognitus ſit tanquam agnus & victima pro redemptione generis humani oblata; manifeſtum eſt, eius mortem fuiſſe præcognitam, ac præuiſam ante mundi conſtitutionem, ac conſequenter agnum, non ſolùm ab origine mundi, ſed ante mundi creationem fuiſſe idealiter occiſum, vt ab eius morte vita in hominem peccatorem deriuaretur. Vnde Mellifluus Doctor

D. Bernard. Bernardus ait, quod *mors Chriſti prius profuit, quàm fuit.*

416. Cùm igitur Chriſti mors præuiſa, Deo oblata, & ab eo acceptata Adamo vitam naturalem ſeruauerit, & non potuerit hæc Filij Dei mors nec præuideri, nec offerri, nec acceptari niſi in natura humana, quæ mortalis eſt, & non in diuina, quæ omninò inalterabilis & impaſſibilis eſt; & in natura humana mors ſit potiùs in corpore, quod paſſibile & mortale eſt, quàm in anima, quæ in ſe impaſſibilis & immortalis exiſtit; mors enim nihil aliud eſt, quàm ſeparatio animæ à corpore: dum mors Chriſti præuiſa fuit, in eius corpore fuit præcognita. Tota igitur naturalis vita Adami ac cæterorum hominum, à Chriſti corpore, quod mortem pati debebat, dimanauit.

Mors Chriſti in eius corpore præuiſa: vnde à corpore Chriſti vita naturalis hominum oritur.

417. Quæ cùm ita ſint, naturalem iuſtis in hominibus conſeruari, ac in longiores annos protrahi vitam, ſacroſanctæ Euchariſtiæ beneficio, quis non videt? Cùm etenim Chriſti mors ventura ac præuiſa naturalem hominibus tribuerit vitam; nonne eadem mors adimpleta, præterita, & tamen in venerabili altaris myſterio, quod illius memoriale à D. Thoma appellatur, moraliter præſens exiſtit, quia illius manducatione ac ſumptione *mors Domini annuntiatur donec veniat*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 11. ac reali eiuſdem Sacramenti perceptione applicata, vitam naturalem in ſumentibus cuſtodiet, ac longiorem, feliciorem que præſtabit?

O memoriale mortis Domini, panis verus vitam præſtans homini, ait S. Th. in rythmo.

418. Quamobrem ſub ſpeciebus panis & vini Sacramentum hoc à Chriſto Domino inſtitutum eſt, quia hæc præcipua ſunt corporibus noſtris vitæ conſeruandæ alimenta ac ſubſidia. Etenim triticeus panis, qualis ad Euchariſtiam deſideratur, *cor hominis confirmat*, vt dicitur *Pſal.* 103. 17. & vinum, præſertim aquâ dilutum, vt ad hoc myſterium requiritur, *lætificat cor hominis*, vt in pſalmo citato legitur. Sub ſpeciebus ergo corporalis alimenti corpus & ſanguis Domini ſumuntur, vt etiam vita corporalis huius Sacramenti communione fulciatur & conſeruetur. Quod notauit B.

Sub ſpeciebus panis & vini Euchariſtia inſtituta, quia his alimentis vita naturalis conſeruatur.

D. Thom. Thomas *opuſc.* 58. *cap.* 9.

Verùm pluribus, quibus vita temporalis à ſacroſancta Euchariſtia vel ſeruata, vel producta eſt, euentibus doctrina hactenus à nobis tradita confirmatur. Nam vt videre eſt apud Henricum Spondanum in Epitome Annalium Baronij, anno Chriſti 423. num. 3. Beda Venerabilis ex libello de miraculis Bonifacij Papæ, ſcribit *in Collect. in fine*, puerum Iudæum, quòd ſuſceptâ cum Chriſtianis Euchariſtiâ, ſe optare fieri Chriſtianum inclamauerit, à patre in ignem cùm matre filio opem ferente iniectum, in quo vterque manſit illæſus, ſacroſancto Domini corpore ardorem compeſcente flammarum, & vitam corporalem in ambobus conſeruante. Similiter apud eundem Spondanum *an.* 552. *num.* 5. ex Euagrio *lib.* 4. *cap.* 35. legitur, Conſtantinopoli ſub Mena Epiſcopo, puerum Hebræum, quòd cum aliis pueris Chriſtianis particulam corporis Chriſti deguſtaſſet, ab impio patre arte vitriario, in ardentem clibanum, in quo vitrum formare conſueuerat, iniectum, ac poſt triduum ibidem inuentum fuiſſe illæſum, ac deinde ſalutaris Baptiſmi vndâ perfuſum. Vbi ſanè ſacroſanctæ emicuit virtus Euchariſtiæ, quæ à flamma clibani præſeruans puerum, vitam illi contulit temporalem, & illum ad Baptiſma perducens, etiam ſpiritualem donauit. 419.

Spondan.

Miraculis patet, vitam naturalem Euchariſtiâ conſeruari.

Pueri Hebræi per ſacroſanctam Euchariſtiam à morte liberati.

Omnibus etiam notum eſt, quod in Seraphicæ Virginis ſanctæ Catharinæ Senenſis vita notatur, ſcilicet amantiſſimam hanc Chriſti ſponſam, aliquando inuentam eſſe à die Cinerum vſque ad Aſcenſionem Dominî ieiunium produxiſſe, ſolâ Euchariſtiæ communione contentam: vnde manifeſtè colligitur, vitam naturalem, quæ ſine alimento non tranſigitur, per octuaginta & ſex dies Senenſi Virgini omninò à tanto Sacramento fuiſſe conceſſam. Quod in poſtcommunione Miſſæ, quæ in honorem eiuſdem S. Catharinæ die 30. Aprilis legitur, in Miſſali Romano editionis Pariſienſis apud Societatem Typographicam librorum Officij Eccleſiaſtici, 1651. expreſſum eſt his verbis: *Æternitatem nobis Domine conferat, quâ paſti ſumus menſa cæleſtis, quæ B. Catharinæ Virginis vitam etiam aluit temporalem.* Multi alij hîc à nobis poſſent recenſeri, quibus vitam corporalem ſacroſancta vel ſeruauit, vel conceſſit Euchariſtia. Sed omiſſis Sancto Liberali Abbate, qui vt refert Petrus de Natalibus *lib.* 4. *cap.* 93. tribus annis; & F. Nicolao, qui vt refert Fabr. *in conc. de Sanctiſſimo Sacramento*, apud Heluetios annis quindecim ſolâ Euchariſtiâ vixit, ac aliis pluribus, duos Galliarum Reges Chriſtianiſſimos temporali vitâ hoc Sacramento donatos referam. 420.

S. Catharina Senenſis ab Euchariſtia vitam hauſit temporalem.

Petrus de Natalibus.

Primus fuit Ludouicus Pius Imperator Occidentis, ac Galliarum Rex, Caroli magni filius, qui per continuos quadraginta dies, ſolâ Euchariſtiâ & nullo alio cibo paſtus, omnem vitam ſuam etiam temporalem ab hoc ſuſcepit myſterio. 421.

Ludouicus Pius Imp. ab Euchariſtia per 40. dies naturalem vitam habuit.

Alter eodem nomine inſignitus, eiuſdemque Regni Monarcha, Ludouicus XIII. cognomento Iuſtus, verè Rex Chriſtianiſſimus, plurimis tum de hæreticis perduellibus, tum de Galliarum hoſtibus victoriis glorioſus. Hic cùm anno Domini 1630. die 22. Septembris Lugduni in morbum incidiſſet, qui adeo inualuit, vt 27. eiuſdem menſis, quæ natali eiuſdem Principis erat celebris, de Regis ſalute Medici deſperarent, obitâ noxarum generali confeſſione, ac ſacroſanctâ Euchariſtiâ paſtus, diuinâ ope repentè conualuit, ac vitam quam relinquere paratus erat, à viuifico 422.

Ludou. XIII. ſacrâ Euchariſtiâ ab imminenti mortis periculo liberatus, & vitâ ac incolumitate donatus.

pane

pane denuò recipiens, in priſtinam ſanitatem eſt reuocatus. Itaque Ludouicus in vitæ recuperatæ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ auxilio perpetuum monumentum, ſe Sanctimonialium monaſterium ad honorem tanti Sacramenti Pariſiis ædificaturum vouit, ac poſtea votum ſoluens, Lutetiæ à fundamentis propriis ſumptibus erexit, vt qui à ſacra Euchariſtia vitam corporalem in periculo mortis hauſerat, virginibus Deo in tanti myſterij reuerentiam ſacris ad vitæ temporalis ſubſidium quotidiana alimenta ſubminiſtraret; & ſic acceptum ab Euchariſtia beneficium, collato in Euchariſtiæ reuerentiam virginibus beneficio compenſaret.

Eius gratitudo ob ſoſpitatem recuperatam.

421. Patet igitur etiam vitam naturalem hominibus juſtis ab adorando in Euchariſtia Domini corpore communicari. Cùm enim ſit *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis*, vt loquitur D. Ignatius *ep.14. ad Epheſios*, mortem fugat, vitam cuſtodit, & immortalitatem acquirit. Vnde piiſſimus ille Regularis Canonicus Thomas à Kempis *lib. 4. de Imit. Chriſti, cap.* 2. de mirabili effectu huius Sacramenti loquens, ait: *Tanta eſt aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collata deuotionis, non tantùm mens, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores.* Quæ ad vitã vtique corporalem conſeruandã & feliciùs tranſigendã maximè conducunt.

D. Ignat.

Thomas à Kempis.

Corpus noſtrum ab Euchariſtia vires recipit ampliores.

§. II.

Vita gratiæ, ſeu ſpiritualis ab Euchariſtia confertur.

422. SEcunda, quæ à ſacroſancta Euchariſtia confertur vita, ſupernaturalis eſt, ac ſpiritualis, & vita gratiæ nominatur. Hæc proprius effectus eſt huius Sacramenti, & infallibiliter conceditur omnibus qui veſte nuptiali charitatis induti, & zonã juſtitiæ cincti, aliiſque virtutibus exornati ad cœleſtem menſam accedunt. Sacramenta etenim nouæ legis infallibiliter ſuum ſortiuntur effectum, dum ſubiecto apto & diſpoſito, in quo nullus obex aut nullum impedimentum reperitur, conferuntur. Ille autem qui probatus & purgatus ad ſacram venit Synaxim, aptus eſt ad recipiendos effectus huius Sacramenti, quod docuit Paulus 1.Cor.11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Vnde & neceſſariò inferendum eſt, quod ille ſacramentaliter & ſpiritualiter manducat hoc Sacramentum, qui aſſumit Sacramentum & rem Sacramenti, & conſequenter quod gratiam per modum refectionis ſpiritualis recipit, & vitam ſupernaturalem ab hoc Sacramento haurit. Sicuti enim id quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe; & agens producens formam, illam in ſuo eſſe conſeruat: ita qui rem productam ſeruat, tuetur, fouet & cuſtodit, illam rem cenſetur quodammodo producere. Vnde conſeruatio rerum in eſſe, quam res omnes à continuo Dei influxu generaliter recipiunt, vocatur à Theologis continuata rerum productio: & apud Iuriſperitos, tutores qui ſunt pupillorum conſeruatores, parentibus æquiparantur, & vt fert communis regula juris: *Tutor qui benefecerit, habetur pro domino.* In hoc parentes imitatus, qui filiorum ſuorum ex jure cenſentur domini: vnde & filij mancipia, ſeu ſerui parentum dicuntur; & dum extra paternam ponuntur poteſtatem, emancipari, hoc eſt extra mancipium poni aſſeruntur.

Vita ſpiritualis, ſeu gratiæ ab Euchariſtia conſeruatur & augetur.

Poteſt dici quod Euchariſtia vitam dat ſpiritualem.

Tutor qui benefecerit, habetur pro domino. Parentes filiorum domini.

423. Cùm ergo admirabile corporis Domini Sacramentum, tanquam cibus animæ, & alimentum mentis à juſtis manducatur, etiamſi vitam ſpiritualem, ſeu gratiam in ſumente ſupponat (aliàs imparatus, & indiſpoſitus manducaret;) attamen quia per gratiam refectionis ſpiritualis eandem vitam ſeruat, fouet, auget & corroborat, vitam dare dicitur; illa enim ne pereat, præſtat hic cibus. Vnde ſi egenum, aut famelicum non paſcere cibo corporali, nec præbere ſubſidia vitæ languenti pauperis, eſt pauperem necare, juxta verbum Ambroſij dicentis, *Paſce fame morientem; quem non pauiſti, occidiſti:* è contra, paſcere famelicum, & ei alimenta præbere, eſt illum non ſolùm nutrire, ſed viuificare, & non ſolùm ei vitam ſeruare, ſed concedere. Vnde qui cum debita diſpoſitione ac deuotionis feruore ſeipſum hoc diuino paſcit Sacramento, dum ab eo vitæ ſpiritualis ſubſidia ſumit, vitam accipere dicitur: & dum à ſacra menſa abſtinet, & ſalutis ferculum negligit, ſpirituales vires perdit, & vitam gratiæ paulatim debilitatus ex defectu alimenti ſpiritualis amittit.

Pauperi ſubſidium denegare, eſt illũ necare.

Ergo ei præbere ſubſidiũ, eſt illum viuificare.

Euchariſtia ſubſidium vitæ ſpirituali tribuens, ipſã vitam tribuere dicitur.

Huc reſpexiſſe videtur Regius Propheta, dum loquit pſal. 101. 5. *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Spirituale etenim cor hominis areſcit: & ſanctitudinis pinguedo ſiccatur, niſi anima cœleſtis panis alimento reficiatur. Sicuti enim cibus corporeus ad vitam corporalem eſt ſimpliciter neceſſarius, ita vt ex alimenti defectu illa vita deficiat; quod ore proprio docuit Veritas, dum Marc. 8. 2. & 3. *Miſereor* (inquit) *ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent; & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via.* Ita ad vitam ſpiritualem alimentum ſpirituale, ſacroſancta ſcilicet Euchariſtia neceſſariò requiritur, vt vel in re, & ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter; vel in voto, & ſpiritualiter manducetur. 424.

Anima areſcit abſque Euchariſtia.

Ex alimentorum defectu moriuntur homines.

Porrò cùm non viuentia à viuentibus diſtinguantur, ſecundùm Philoſophum, in hoc quod iſta mouent ſeipſa, illa verò ab aliis mouentur: qui nullo modo ſeipſum mouere poteſt, nec ipſum viuere conſtat. Vt ergo vita ſpiritualis hominis Chriſtiani in eo eſſe dignoſcatur, tribus inter alios motibus debet manifeſtari, nempe trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis actibus, quibus ad Deum tendimus. Cùm autem tres huiuſmodi virtutum actus ſacroſancta in juſtis ac deuotè ſuſcipientibus excitet Euchariſtia, illam vitam ſpiritualem & conferre, & conſeruare nemo ambiget. Etenim ab hoc cœleſti pabulo ita cœleſtem agendi modum vir accipit Chriſtianus, vt virtutum Theologicarum actibus, alis veluti ſubnixus, terram deſerat, cœlum teneat, ipſique Deo cœlorum conditori adhærcat. 425.

Motus fidei, ſpei, & charitatis præbet Euchariſtia.

Nam ab hoc Sacramento eius fides roboratur, ſpes firmatur, & charitas accenditur; ac conſequenter firmiùs credit, fortiùs ſperat, & ardentiùs diligit. Cùm enim hoc Sacramentum antonomaſtice *myſterium fidei* appelletur, non ſolùm quia lumine naturali nullo modo, ſed ſola fide valet attingi; ſed etiam quia vt attingatur, firmam, validã, ac puriſſimam fidem exigit; ideo fidem perficit ex eo quod nobilem ac præclarum fidei actum requirit. Cùm autem habitus ſpecificentur per actus, & actus per obiecta, vt docent Philoſophi, ſimulque perficiantur; ſacrum Euchariſtiæ myſterium, tanquam præſtantiſſimum fidei obiectum, Chriſtiani cum deuotionis feruore communicantis fidem & quantùm ad actum, & quantùm ad habitum perficit. Hinc D. Thomas in mirabili illo, quem de hoc Sacramento pro Veſperis ſolennitatis eiuſdem edidit hymno, poſtquam hoc myſterium, mirabilemque panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſionem expoſuit, ac ad illius 426.

Fides Euchariſtiã roboratur.

Et perficitur.

D. Thom.

R.P.Car.Bouquin Comm.in Proſam D.Thom.

adorationem fideles eſt exhortatus, magnum fidei actum exigit, vt quod nec ſenſibus, nec intellectu lumine naturali illoſtrato attingere valemus, fidei auxilio attingamus, dicens:

Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.

427. Verùm hanc actualem fidem præſtat author, & conſummator fidei, quem in hoc recipit Iuſtus Sacramento; & à carne ſua in cor hominis fidei lumina fundit. Cùm enim qui ſacram accipit hoſtiam, in ea latentem Dominum debeat adorare, ſicut docet Auguſtinus *in pſal.* 98. dum inquit, *Nemo carnem illam manducat, niſi prius adorauerit*, & à nobis infrà fusè exponetur; fidei actu indiget Chriſtianus, vt corpus Chriſti latens ſub ſpeciebus panis, & in ipſo Deum abſconditum veneretur. Vnde & Chryſoſtomus *hom. de prodit. Iuda*, inquit: *Cum ad reuerendum altare aſcendis, ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem fide reſpice, honore mirare, &c.* Itaque ipſum quod ſuſcipiunt & adoratur corpus Domini, dum refectione ſpirituali animam nutrit, & gratiam ſanctificantem in ea auget, & corroborat, eius mentem fidei ſplendoribus illuſtrat, & ſupernaturalis cognitionis diuitiis cumulat.

D. *Auguſt.* Fidei actum debet elicere Chriſtianus, vt Chriſtum in Euchariſtia latentem adoret. D. *Chryſoſt.*

428. Mirum eſt, quod de Ioſeph ab Arimathæa, nobili Decurione in ſacris narratur Euangeliis. Hic viuente inter homines Chriſto, diſcipulus eius extitit, ſed *occultus propter metum Iudæorum*, vt legitur *Ioan.* 19. 38. ita vt nec Chriſtum confiteri, nec fidem ſuam publicè prodere auderet. At mortuo in cruce Redemptore, ſimul ac ſacrum eius corpus è cruce deponere, & in monumento optauit ſepelire, ita creuit eius fides, vt nec Iudæos timens, nec Præſidem, ſe non ſolùm verbis, ſed factis Chriſti diſcipulum magnâ audaciâ profiteretur. Nam vt habetur Marci 15. 43. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Proh qualem mutationem! Ieſum adhuc viuentem, mirabilia patrantem, mortuos ſuſcitantem, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, & mutis donantem eloquium non audet Ioſeph confiteri, nec colere, propter metum Iudæorum; & ipſummet damnatum, crucifixum, ac mortuum confitetur ac colit, omnique metu depoſito, & aſſumptâ audaciâ, eius corpus audacter à Iudice poſtulat. Quorſum hæc? A quo tantus proceſſit animi vigor? Non ab alio, niſi à ſanctiſſimo Chriſti corpore, quod vitam ſpiritualem Ioſeph per gratiam excitans, eius fidem excitauit, eumque ad Præſidem audacter adeundum, & ab eo ipſummet corpus poſtulandum impulit. Sic notauit S. Ambroſius ſuper illa verba Matth. 27. 47. vbi Ioſeph dicitur, *homo diues, qui acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Nam S. D. *lib.* 10. *in Luc. c.* 23. aduertit, Ioſeph diuitem fuiſſe dictum ob myſticas diuitias fidei, quas recepit ſtatim ac illud corpus ad ſepeliendum poſtulauit; ſic enim habet: *Meritò diues hoc loco* (Ioſeph) *dicitur, vbi corpus ſuſcepit Chriſti; ſuſcipiendo enim diuitem, neſciuit fidei paupertatem.* Si ergo corpus Domini mortuum à Ioſeph ſuſceptum, vt in ſuo collocaretur ſepulchro, inæſtimabiles fidei diuitias in ipſum Ioſeph effudit; quos non concedet eiuſdem fidei theſauros ſacrum ac viuum Chriſti Domini corpus in Euchariſtiæ Sacramento, collocandum non in ſepulchro, non in domo, ſed in corpore ſeu ſtomacho, & in ipſo corde Chriſtiani cum debita diſpoſitione ad ſacram Synaxim accedentis? Suſcipiendo igitur Chriſtum diuitem nullam ſciet fidei paupertatem.

Ioſeph ab Arimathæa audaciam, & diuitias fidei ſuſcepit à corpore Chriſti, quod ipſi ad ſepeliendum donatum fuit.

S. *Ambroſ.*

429. Nec ſolùm fidei actum ſacroſancta excitat Euchariſtia; etiam ſpem ritè ſuſcipientis firmabit, ſubleuabitque. Cùm etenim ingens, quâ erga homines, etiam peſſimos, Deus vſus eſt miſericordia, hominis corroboret ſpem, quâ ſe aliquando diuino fretus auxilio, æternam beatitudinem, ac ipſummet Deum, ex infinita eius clementia poſſidere ſperat, vt Regius inſinuauit Propheta pſal. 129. 6. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino; quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Cúmque immenſa hæc miſericordia ac copioſa Dei redemptio, quæ in paſſione Saluatoris mirum in modum effulſit, in Euchariſtia, quæ paſſionis Dominicæ memoria eſt ac repræſentatio, veluti colligatur, & ſuſcipienti hoc Sacramentum applicetur; nonne ex ſacra communione ſpem ſuam augebit, confidentiam excitabit, animumque ad futuram ſummi boni poſſeſſionem ſubleuabit?

Spes ab Euchariſtia firmatur.

Copioſa Dei redemptio in Euchariſtia colligitur & adunatur.

430. Placet hîc Doctoris gentium validum ad ſubleuandam ſpem argumentum ſubjicere. Illud ſcripſit ad Rom. 8. 32. *Qui*, inquit, *etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quod perinde eſt, ac ſi dicat, Æternus Pater æternum Filium ſibi conſubſtantialem ac coæqualem pro omnibus hominibus, etiam ingratis, etiam rebellibus, etiam ſceleſtiſſimis, morti expoſuit, tradidit, donauit, vt illis miſeris peccatoribus vitam, redemptionem, ac beatitudinem offerret: ergo omnia ſua facilè donabit, qui naturæ ſuæ filium, ac *viſcerum ſuorum ingentem partum*, vt illum appellat Syneſius, liberaliſſimè donauit. Ergo æternam beatitudinem debet quilibet à Deo ſperare, cùm ipſum Dei Filium, qui etiam beatitudinis obiectum ingreditur, jam omnibus tradidit hominibus. Cùm ergo Filium, quem Deus ſemel pro omnibus tradidit, iterum in tremendo Euchariſtiæ myſterio cuilibet dignè ſuſcipienti tradat, quomodo cum illo non etiam omnia communicanti donabit? Quomodo non ſperabit ſe ipſum Deum in æterna beatitudine reuelatum poſſidere, qui jam ipſum ſpeciebus panis velatum in hoc ſanctiſſimo recepit Sacramento. Si autem ipſum jam tenet Dominum, quomodo cætera quæ ad æternam conferunt felicitatem, non obtinebit. Vnde Ioan. Chryſoſtomus textum Apoſtoli à nobis allatum exponens, ait: *Quid amplius de aliis dubitas, cùm Dominum ipſum receperis.*

Ex immenſo Chriſti corporis beneficio nobis in Euchariſtia collato, excitatur ſpes ad ipſam obtinendam beatitudinē.

D. *Chryſoſt.*

431. Hinc eſt, quod *pſal.* 4. 9. canit Propheta: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Spes etenim noſtra à juſtitiæ ſacrificio procedit. Hoc autem ſacrificium primùm in cruce viſibiliter, & modo cruento oblatum eſt, quia vt notauit B. Albertus Magnus in Enchiridio: *Sacrificium juſtum eſt vnigenitus Dei Filius, qui ſe pro peccatis totius mundi obtulit Deo Patri in ara crucis, ampliorem emendam efferens, quàm totus mundus debebat, iterumque incruentâ oblatione quotidianâ ſacrorum myſteriorum celebratione immolatur.* Tanti autem ſacrificij fit particeps, qui ſacram probatus edit Euchariſtiã, & diuino hoc cibo vegetatus, non modicam de ſua ſalute haurit fiduciam, magnamque à ſe obtinendæ beatitudinis ſpem in corde ſuo reponit. Spem amiſerant duo illi diſcipuli, qui caſtellum petentes Emmaus, triſti ſermone confabulabantur: ipſumque Saluatorem quem Redemptorem ſperauerant, à morte victum ſuſpicabantur. *Nos autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus Iſraël*, dicebant bini illi diſcipuli *Luc.* 24. 21. At Thomas Didimus ſimul cum fide ſpem perdiderat

Ab Euchariſtiæ ſacrificio ſpes oritur, & augetur.

B. *Alb. Mag.*

Duobus diſcipulis euntibus in Emmaus ſpes; & Thomæ fides à corpore Domini reſtituitur.

reſurre

Digitized by Google

reſurrectionis Domini; clamabat enim Ioan. 20. 25. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Verùm hic, & illi ſanati ſont, & omnes in fide ac ſpe reſutrectionis Chriſti redintegrati. Sed à quo tanto donati ſunt beneficio? Quis ſpem reſtituit? Ipſum ſacrum Domini corpus; duo enim priores *cognouerunt Dominum in fractione panis*, vt dicitur *Luc.* 24. 36. hoc eſt, in diſtributione Euchariſtiæ: Chriſtum enim tunc in caſtello Emmaus panem in corporis ſui Sacramentum conſecraſſe, illiſque porrexiſſe docent Sancti Patres non pauci. Itaque ſpem quam amiſerant, à ſacra Euchariſtia recuperarunt; ſiquidem in fide firmi, & ſpe, animoque pleni, *ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis*, vt dicitur *Luc.* 24. 34. & 36.

432. Immo & ſpes. *D. Auguſt.*

Similiter & Thomas fidem ſuam, & ſpem à ſacro Chriſti corpore, eiuſque vulnerum tactu recepit, vt obſeruauit S. Auguſtinus *in pſalm.* 68. dum ait de Chriſto: *Hanc ſpem reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit; quas cum tetigiſſet Thomas, rediit ad ſpem, quam perdiderat, & exclamauit: Dominus meus, & Deus meus.* Ex quibus euidenter conſtat, accedentes ad ſacram Synaxim, ab eodem Chriſti corpore ſpei ſuæ perfectionem accipere, & ad æterna præmia firmiùs ac feruentiùs deſideranda, immò & aliquando poſſidenda ſubleuari.

433. Flores, & præſertim lilium, ſpei ſymbola.

Spei typus, apud omnes, flores ſemper extiterunt, ac præcipuè lilium. Sicut enim futurorum fructuum flores imagines ſunt ac pignora; ita & quam expectamus beatitudinem nobis exhibet ſpes, eiuſque pignora præbet. In ſacra autem Euchariſtia pulcherrimos, eoſque gratiſſimos colligimus flores; vernantes roſas & albentia lilia ſumimus, immò & manducamus, ſimulque æternæ felicitatis præludia in his floribus deguſtamus, ac conſequenter ingentem de ea re expectationem concipimus. Sic S. Ambroſius annotauit ſerm. 14. in pſal. 118. *Bona paſcua*, inquit, *diuina Sacramenta ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis. Carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis. Carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem.* Vbi S. D. in his floribus diuiniſſimi Sacramenti odorem reſurrectionis, & ſplendorem æternitatis, ſpei noſtræ obiecta aduertit & commendat. Si ergo cuidam Romanorum Imperatori nummos cudere licuit, in quibus fulgebat lilium, cum hoc lemmate, SPES AVGVSTA; mihi nunc liceat dicere ſacram Euchariſtiæ hoſtiam, quæ ob ſphæricam figuram ab Auguſtino vocatur *nummus triticeus*, puriſſimo ac albenti lilio Chriſto Domino coruſcare, cui lemma à quolibet Fideli inſcribatur hac gemina voce, SPES DIVINA. Non enim humanam, aut chriſtianam tantùm, ſed etiam diuinam ſpem quilibet purgatus communicans ab hoc haurit Sacramento.

Euchariſtia flores continet: corpus Chriſti eſt lilium, & ſanguis eſt roſa. *D. Ambroſ.*

Lilium cum lemmate. *Spes Auguſta.*

434. Marcellus ſpes Romanorum.

Denique vt grandem quam Populus Romanus de Marcello iuniore, alterius Marcelli & Octauiæ filio, ſpem conceperat, exprimeret Mantuanus, lilia plenis manibus proiicienda dixit 6. *Æneidos*, ſub finem.

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

At vberior in hominibus iuſtis ad ſacram Euchariſtiam accedentibus, de æterna felicitate ac Dei in cœlis poſſeſſione ſpes aſſurgit. Plenis ergo

R. P. Car. Bouquiu Comm. in Proſam D. Thom.

non manibus, ſed calathis lilia ſpargant, vt ſuam omnibus eructent expectationem, dum ipſorum corpus lilio paſcitur, & anima lilio ſaginatur. Iuſtus ergo candidiſſimo flore paſtus, *germinet ſicut lilium*; & non ſolùm floreat, ſed fructificet in æternum ante Dominum: immò poſtquam & germinauerit, ac ſicut lilium floruerit, lilio refectus, in æternum regnet & triumphet cum Domino ante Dominum.

Chriſtus lilium in Euchariſtia ſpes Chriſtianorum.

435. Charitas ab Euchariſtia.

Æternam tamen, vt Chriſtianus, quam ſperat ac optat, vitam faciliùs aſſequatur, altero ab Euchariſtia roboratur ſubſidio, feruore ſcilicet charitatis, vt hoc Sacramento trium virtutum theologicarum actibus exornatus perfectâ ſpirituali potiatur vitâ. Minimum eſſet iuſto firmiter credere, & fortiter ſperare, niſi quod credit ac ſperat, ardenter adamaret. Sicuti ergo ſacra ſuſcepta myſteria fidem muniunt, ſubleuant ſpem, ita & charitatem accendunt. Quod ex pluribus paſſim à nobis in hoc opere ſparſis quia liquet, ideo paucis in præſentiarum perſtringemus. Quamvis enim qui in corde Iuſti diuinus ardet amor, nullas aliunde ſui quærat ardoris cauſas; nam in ſe ſufficientibus à ſeipſo fulcitur, ac fouetur; quod aduertit Bernardus *ſerm.* 88. *in Cant.* dum inquit: *Amor præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Amo, quia amo; amo, vt amem:* attamen in ſacra Euchariſtia valida ſuſcipit ſui incentiua feruoris. Cùm enim immenſo amore finitus, cui adiungitur, creſcat amor, non poteſt non augeri finita Chriſtiani charitas, cui Sanctorum participatione myſteriorum infinita Chriſti dilectio copulatur.

Dei amor à ſeipſo accenditur. *D. Bernard.*

436. Infinitus Chriſti amor in Euchariſtia.

Sanè infinitum mirabili in hoc Sacramento Chriſtus collocauit amorem, dum non ſolùm vberrimis gratiæ diuinæ fluentis ſuſcipientium irrigat animas; ſed quod nullâ mente concipi, & nullo poteſt effari ſermone, ſemetipſum omninò præbet in cibum & potum; ita vt omnium cœleſtium fontem chariſmatum in ſe ſuſcipiat homo, dum Chriſti corporis, & ſanguinis edit Sacramentum. Cùm ergo donis pateat amor, qui & primum donum eſt, vt ex Philoſopho loquitur S. Thomas 1. *p. q.* 38. *art.* 2. ex immenſo ac infinito carnis ſuæ, immò & totius humanitatis Diuino Verbo hypoſtaticè coniunctæ munere diuinum hominibus hoc myſterio exhibuit amorem; vnde & Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. docet, quod *Saluator in hoc Sacramento diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* Ideoque nouis amoris huius flammis augetur charitas communicantis; & dum ille, qui in finem dilexit homines, ſeſe eis in pabulum præbens, in hoc recipitur Sacramento, non tantùm amoris ardorem excitat, ſed incendia mouet.

S. Thom.

Amor primum donum donis patet. *Concil. Trid.*

437. Paſſio Chriſti immenſū Dei amorem docuit homines. *D. Thom.*

Inter alias quas Doctor Angelicus affert rationes ad oſtendendum, paſſionem Chriſti Domini conuenientiorem fuiſſe modum ad liberationem generis humani, prima ac præcipua mihi videtur illa, quâ docet, paſſionem Domini docuiſſe hominem diuini amoris erga illum immenſitatem, & illum ad Deum redamandum prouocaſſe; ſic enim loquitur 3. p. q. 46. art. 3. in corp. *Per hoc homo cognoſcit, quantum Deus hominem diligat, & per hoc prouocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ ſalutis conſiſtit.* Etenim cùm ſit magnus amoris amor, nimia charitas quâ Chriſtus pro nobis moriens dilexit nos, humanam ad ſe incitat dilectionem. Sed non minor in hoc Sacramento, quàm in cruce refulſit amor: cùm & paſſionem Domini non ſolùm exhibeat, ſed etiam eius virtutem contineat, & crucifixum cuilibet ad ſacra myſteria ac-

Non minor amor Dei in Euchariſtia, quàm in paſſione Chriſti.

Peccata etſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera, deponite antequam ad altare accedatis. Etenim ſi ſemper actualis deuotio omne veniale exercitum excludens, ad gratiam habitualem ex communione recipiendam requireretur, admodum pauci inter Chriſtianos, etiam Sacerdotes celebrantes fructuosè & dignè communicarent; maximéque durum eſſet ſemper actualem in communione deuotionem à celebrantibus ad fructum Sacramenti exigere. Quamvis optanda ſit in omnibus illa perfectio, quâ omninò à terrenis ſegregati, Deo, & huic myſterio integrè, & totaliter & cogitatione, & affectionis feruore inhæreant, ſicut de ſanctiſſimo Turonenſium Epiſcopo B. Martino legitur apud Seuerum Sulpitium in eius vita, quod *artus febre fatiſcentes ſpiritui ſeruire cogebat, ſtratoque ſuo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre jam dignatus, cœlo totus inhiabat.* Quod vtique feruentiſſimæ charitatis, & chriſtianæ perfectionis indicium eſt, & effectus.

B. Martinus cœlo totus inhiabat.

379. Quare ab omni lethalis culpæ labe purgatos cum fructu Euchariſtiam manducare, etſi leui negligentiâ, vel veniali culpâ premantur, & actuali feruore careant, ſemper credidit Eccleſia. Vnde & olim poſt Baptiſmum ſacram infantibus Euchariſtiam dare conſueuerat, & modò phreneticis in articulo mortis illam ſolet adminiſtrare, quamvis in illis ob defectum vſus rationis actualis deuotio nequeat inueniri. Quod tamen non eſſet licitum, niſi Euchariſtia ipſis ſuum primarium conferret effectum, ſcilicet augmentum gratiæ: illicita enim eſt Sacramenti adminiſtratio, quæ ſcitur non habitura primarium ſuum effectum.

Infantibus olim, & nunc phreneticis vſu rationis carentibus datur Euchariſtia.

380. Quamvis autem primarius Euchariſtiæ effectus, nempe gratiæ habitualis augmentum, peccatis venialibus ac diſtractionibus mentis non impediatur, impeditur tamen intenſio illius, quandoquidem nouæ legis Sacramenta eo intenſiorem gratiam producunt in ſubiecto ex opere operato, quo illud ampliùs & meliùs diſpoſitum inueniunt; agunt enim ad inſtar naturalium cauſarum, quarum effectus retardantur, vel impediuntur ex praua ſubiecti diſpoſitione: quippe *actus actiuorum ſiunt in patiente diſpoſito*, vt communiter docent Philoſophi.

Intenſio gratiæ peccatis venialibus & diſtractionibus mentis impeditur.

381. Nec mirum videri debet, diuinam Euchariſtiam in ſanctis animabus, licèt leuibus venialibus tepidis, gratiam augere habitualem: nam cùm ſit cibus ſpiritualis, peculiari virtute quem nutrit hominem, in ſe conuertit, non per actionem ipſius hominis, qui tunc vel minimum, vel nihil agit; ſed per propriam quâ agit in hominem, virtutem, quatenus in illo gratiæ ſanctificantis augmentum producit, juxta illud Chriſti ad Auguſt. lib. 7. conf. cap. 10. *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Quod tamen reſpectu viuentis naturalis cibus communis nequit præſtare, quia ex virtute caloris naturalis viuentis, & conſequenter ex actione viuentis in illum, in viuentis ſubſtantiam conuertitur.

Euchariſtia ex ſeipſa producit augmentum gratiæ.

382. Cæterùm quæ à nobis hactenus dicta ſunt, intelligenda ſunt de hominibus ſubditis leuibus quibuſdam venialibus, quæ nullo modo vſui huius Sacramenti, vel eius reuerentiæ aduerſantur, vt ſunt affectus inordinatus ad talem cibum (intellige de leui inordinatione) potum, ludum, mendacia jocoſa, & ſimilia: nam illa venialia, quæ repugnant vſui ac reuerentiæ huius Sacramenti, vt voluntaria animi euagatio, tepor, indeuotio, irreuerentia, &c. diminuunt quodammodo primarium effectum huius Sacramenti. Immò cum illis celebrans, aut communicans, nouum peccatum veniale committit. Vnde ſi quis ex formali intentione vellet cum tepore, & diſtractione ad hoc Sacramentum accedere, peccaret mortaliter, propter nimium contemptum tanti Sacramenti, vt notauit Nunño *in tract. de Euchariſtia.* Ipſa ſiquidem ſacroſanctæ Euchariſtiæ receptio præciſè, & ex ſe conſiderata à recipiente attentionem aliquam ac reuerentiam exigit, vt colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. nam illa diſtractio, de qua ſuprà diximus, illam non impedire augmentum gratiæ habitualis à ſacra Communione, eſt illa quæ nec intenta, nec voluntaria eſt, & de qua dixit aliquando Propheta pſal. 39. 14. *Cor meum dereliquit me.*

Venialia debent eſſe leuia, vt non impediant augmentum gratiæ.

Qui ex formali intentione vellet cum tepore & diſtractione ad Euchariſtiam accedere, peccaret mortaliter. Concil. Trid.

Sectio VI.

Quinam ſint proprij ſacræ Euchariſtiæ effectus, & quo tempore producantur.

VArij ſunt, qui à Deo per varia Sacramenta, tanquam varia per inſtrumenta, in hominibus producuntur effectus: at ex illis proprij ac peculiares ſingulorum Sacramentorum inueniuntur. Cùm enim ad vitam ſpiritualem perfectam homini conferendam ſint à Deo inſtituta, hæcque vita hominem cùm in ſe, tum in ordine ad alios perficiat in his quæ pertinent ad cultum Dei, & etiam in remedium contra defectum peccati, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 65. *art.* 1. ideo diuerſos in illis effectus producere eſt neceſſe: vnde Baptiſmus ordinatur ad ſpiritualem regenerationem, & contra carentiam vitæ ſpiritualis: Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur, & ad fidem publicè confitendam, eamque ſtrenuè ac conſtanter propugnandam; Pœnitentia contra peccatum actuale poſt Baptiſmum commiſſum: Extrema-Vnctio contra reliquias peccatorum, quæ ſcilicet non ſunt ſufficienter ſublatæ, vel ex negligentia, vel ex ignorantia, & ad roborandum hominem, vt tanquam fortis atleta contra dæmones in exitu huius mundi illum impugnantes, ſtrenuè dimicet, ſuperet, ac deuincat: Ordo ad conferendam poteſtatem offerendi hoſtias pro populo, & validè conficiendi ac miniſtrandi Sacramenta, & contra diſſolutionem multitudinis: & Matrimonium ad coniuges ſanctificandos, ſpiritualibuſque ſubſidiis muniendos in ſtatu coniugali, & in remedium contra concupiſcentiam perſonalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. 383.

Sacramenta ad vitã ſpiritualem homini conferendam ſunt inſtituta.

S. Thom.

Peculiares ſingulorum Sacramentorum effectus.

Euchariſtia autem, quæ veluti Sol inter errantia ſydera, inter alia coruſcat Sacramenta, tanquam eorum finis, perfectio ac conſummatio, per modum cibi à Chriſto Domino inſtituta, Chriſtiano collata homini vitam ſpiritualem ac virtutem conſeruat, & tuetur, & contra labilitatem animi ad peccandum nouas vires ſubminiſtrat. 384.

Euchariſtia Sacramentorum Sol, finis & perfectio.

Proprius ergo, ac principalis Euchariſtiæ Sacramenti effectus eſt gratia per modum nutritionis, & augmenti in vita ſpirituali. Cùm enim per modum cibi & potus hoc Sacramentum tradatur, 385.

Digitized by Google

Effectus Euchariſtiæ eſt gratia per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali.

Conc. Flor.

Trident.

D. Ambroſ.

tradatur, juxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; omnem effectum quem cibus & potus corporalis facit quantùm ad vitam corporalem, totum facit Euchariſtia quantùm ad vitam ſpiritualem, vt expreſsè habetur in Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, vbi dicitur, *hoc Sacramentum præſtare omnem effectum cibi & potus materialis, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando.* Vnde in Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. dicitur, quod *hoc Sacramento tanquam ſpirituali animarum cibo, aluntur & confortantur viuentes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Ex quibus omnibus liquet gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali eſſe effectum proprium & principalem Euchariſtiæ: vnde D. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. *Iſte panis* (inquit) *eſt vita æterna, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.*

Dulcedo ſeu ſpiritualis lætitia ex actuali refectione proueniens, eſt ſecundarius effectus Euchariſtiæ.

D. Thom.

386. Alius inſuper ab Euchariſtia procedit effectus, qui ſecundarius poteſt appellari, nempe gratia actualis excitans charitatem, & quædam dulcedo, ſeu ſpiritualis lætitia ex actuali refectione proueniens. Quod optimè notauit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 79. *art.* 1. *ad* 2. vbi ait: *Per hoc Sacramentum, quantum eſt ex ſui virtute, non ſolùm habitus gratiæ & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, ſecundùm illud* 2. *Cor.* 5. *Charitas Chriſti vrget nos. Et inde eſt, quod ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur per hoc, quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundùm illud Cant.* 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Amor amoris ſcintilla incendium producit.

Magnes amoris amor.

Bernard.

Euchariſtia amor amorum.

Concil. Trid.

387. Nec deeſt ratio, quâ ſecundarius iſte ab Euchariſtia dimanans effectus ſtabiliatur. Etenim cùm nulla maior ad amorem excitandum vis inueniatur, quàm ipſemet amor, qui vt diuina quædam ſcintilla flammas & incendia producit; vnde tritum illud apud omnes manauit proloquium, *Si vis amari, ama*; quod non ſolùm ex prophanis authoribus Seneca & Martiali, ſed etiam ex ſacris litteris videtur depromptum, in quibus *Prou.* 8. 17. legitur: *Ego diligentes me diligo.* Et Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cùmque in actuali Euchariſtiæ receptione immenſum diuini amoris beneficium recipiat Chriſtianus; nam Sacramentum hoc, vt Mellifluus fatur Bernardus, non ſolùm eſt *Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum*, ſed etiam *amor amorum*; & in illo Chriſtus, vt loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit*; excitabitur à gratia Euchariſtiæ charitas, & ab illa nouo robore confortata, in feruentiores dilectionis actus prorumpet, & maiores ardentioreſque flammas emittet. Quamvis enim omnia, quibus nos Redemptor amantiſſimus cumulauit, bona ſuum erga nos teſtentur, noſtrumque erga illum excitent amorem; nuſquam tamen aut vberius, aut fortius, aut magnificentius diuinam prodidit charitatem, humanamque vehementiùs accendit, quàm ſacra Euchariſtia, ſicut notauit S. Auguſtinus ſerm. 127. de temp. *Nobis*, inquit, *mirificas amoris ſagittas clariùs jaculatur, dum ipſum inuenimus ſub veſtimentis cibi, & potus, ſine quibus in vita conſiſtere non valemus.* Quod vtique ab Apoſtolo eleganter expreſſum eſt 2. *Cor.* 5. 4. dum inquit: *Charitas Chriſti vrget nos.* Vbi de immenſa ardentique Chriſti Domini in Euchariſtia erga homines charitate, quæ nos ad illum redamandum mouet, & excitat, Paulum loqui conſtat, ex eo quod Græca illius phraſis reddit, *conuiuium Chriſti detinet, poſſidet, inhibet & ligat nos.* Quæ omnia vulgata editio comprehendit his verbis, *charitas Chriſti vrget nos.* Etenim ſummus Chriſti in Euchariſtia amor, dum homines reficit, illos vrget, & ad ipſum Saluatorem proprio corpore ex infinita dilectione paſcentem impellit; dum impellit, detinet; dum detinet, poſſidet; quia *nec ſuos eſſe patitur diuinus amor*, vt Dionyſius loquitur libro 1. dum poſſidet, inhibet, hoc eſt, prohibet, ne creaturis vano adhæreant amore; & tandem dum inhibet, ligat; quia hominem cum Deo connectit, vt puriſſimi amoris fonti puriſſimo copulatus, in feruentiorem inardeſcat amorem, & ſummo bono firmiter adhæreat: *Qui* enim *manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*, vt dicitur 1. Ioan. 4. 16.

D. Auguſt.

Amoris ſui ſagittas in nos jaculatur Chriſtus in Euchariſtia.

Conuiuium Euchariſtiæ eſt charitas Chriſti, quæ vrget nos.

Euchariſtia dulcedo dulcedinum.

S. Bernard.

D. Auguſt.

Soror amoris dulcedo eſt.

Mendoza.

Cur oleum vino & frumento ſuperaddatur in Scriptura.

D. Ambroſ.

Gaudium eſt delectatio de præſentia rei amatæ.

Chriſtus puriſſimum amoris noſtri obiectum.

S. Thom.

Dulcedo in ſuo fonte guſtatur in Euchariſtia.

Liquet inſuper, ſpiritualem dulcedinem & internam animi lætitiam à ſanctiſſima Euchariſtia in corda dignè recipientium, tanquam eius effectum diffundi. Etenim myſterium hoc non ſolùm *amor amorum*, ſed etiam *dulcedo dulcedinum* à S. Bernardo appellatur. Si enim *ſoror amoris dulcedo eſt*, vt loquitur Auguſtinus apud Balthaſarem Paës *ſerm.* 3. *in cœna Domini*; amorem vtique comitatur, eius naturam participat, eius veſtigia terit, ſimulque cum eo Euchariſtiam recipientium cordibus effunditur. *Dediſti lætitiam in corde meo à fructu frumenti & vini*, inquit Pſalmiſta *pſal.* 4. 7. & 8. Sic in textu Hebræo legitur, nullâ factâ olei mentione, vt notauit Franc. Mendoza *in lib.* 1. *Reg. cap.* 6. *num.* 21. *annot.* 22. *ſect.* 2. Sed in Latina & Græca editione additum eſt, *& olei.* Et ſimiliter *Ierem.* 31. 12. dicitur, *Confluunt ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo.* Et *Oſeæ* 2. 8. & *Ioel.* 2. 19. Deus dicitur dare hominibus *frumentum, vinum & oleum.* Vbi oleum quod dulcedinis ac lætitiæ ſymbolum eſt, additur frumento & vino, ſub quorum ſpeciebus corpus & ſanguis Domini in Euchariſtia recipiuntur, vt oſtendatur eos qui hoc pane & vino ritè perfruuntur, dulcedine & lætitiâ ſpirituali recreari. Vnde D. Ambroſius in pſal. 4. *Data eſt*, inquit, *lætitia in corde noſtro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine, oleum in chriſmate.* Cùm enim gaudium ſit delectatio de præſentia rei amatæ conſequens dilectionem, & in tremendo Euchariſtiæ myſterio Chriſtus caſtiſſimæ Fidelium dilectionis obiectum, immò amor puriſſimus, ſuſcipientibus adeò fiat præſens, vt verè ac realiter in eorum ora per hoc diuiniſſimum Sacramentum ingrediatur, quomodo non ſpirituali dulcedine ac interna animi ſuauitate, ac lætitiâ eorum corda replebuntur. Nam ſi ad ſolam Dei memoriam delectationes ſpirituales expertus eſt Regius Vates, dum dixit, *Memor fui Dei, & delectatus ſum*, pſal. 76. 4. quomodo ad eius realem præſentiam, immò & amplexum, ac veram corporis eius ſuſceptionem ac manducationem Chriſtianorum corda non delectabuntur? Sanè, vt Doctor Angelicus aduertit opuſc. 58. *in hoc Sacramento dulcedo in proprio fonte deguſtatur*; & ab illâ lætitia animæ non poteſt non procedere: eius etenim deſideria mirabili hoc Sacramento ſatiantur, & interna 388.

requies de bono poſſeſſo, in quo gaudium conſiſtere videtur, ei conceditur.

389. Lac ſuaue.

Quid dulcius, quid ſuauius lacte? quod ſimul & infantem reficit, & delectat. Optimum, immò & regium lac eſt Euchariſtia: dum ad illam accedimus, ad Chriſti vbera feſtinamus, eiuſque lac ſugimus, & ſtatim eius gratiâ reficimur, & delectationibus recreamur. Sic enim Vates Euangelicus prædixerat, Iſai. 60. 16. *Suges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis.* Verbum enim Dei, *cibus ſempiternus, quem manducant Angeli, ac ſupernæ virtutes*, vt loquitur Auguſtinus *conc. 1. in pſalm. 33.* vt ab hominibus manducaretur, cibuſque gentium efficeretur, non ſolùm hominis formam, ſed lactis hominum figuram in Euchariſtia aſſumpſit. Vnde idem Auguſtinus *loc. cit.* ait: *Oportebat vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret.* Ipſeque Chriſtus non ſolùm *lac noſtrum*, vt eum appellat Auguſtinus *tract. 3. in 1. ep. Ioan.* ſed *mammilla Patris* eſt, vt ait Clemens Alexandr. *lib. 1. pædag. cap. 6.* quæ curarum obliuionem inducit, omnemque mœſtitiam expellit, ac ſpiritualem animi lætitiam adducit. Vnde & idem Clemens ſubdit: *Verè beati, qui hanc lactant mammillam.* Quod adeo verum eſt, vt huc reſpiciens Iſaias dixerit cap. 66. 11. *Gaudete vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius.*

Lac optimũ Euchariſtia.

D. Auguſt.

Chriſtus cibus Angelorum, factus eſt lac, vt cibus eſſet hominum in Euchariſtia. Eſt mammilla Patris.

Clem. Alex.

390. Dulcedo & lætitia cordis, effectus Euchariſtiæ aliquando à gratia ſanctificante ſeparantur.

Quamuis autem ſpirituales hæ dulcedines, & internæ cordium lætitiæ à ſacra dimanent Euchariſtia ſimul cum gratiæ ſanctificantis augmento; attamen neceſſariam inter ſe non habent connexionem, ſed aliquando ab inuicem ſeparantur. Etenim in Chriſto Domino, qui primus omnium ſacram ſumpſit Euchariſtiam, & ingenti miraculo *conuiua fuit & conuiuium, comedens & qui comeditur*, vt ait D. Hieronymus ad Heſbiam, ex reali ſuſception. huius Sacramenti gratia non fuit aucta, ſed habuit quamdam ſpiritualem delectationem, vt docet S. D. *3. p. q. 81. art. 1. ad 3.*

D. Hieron. D. Thom.

Vt patet in Chriſto, qui ex receptione Euchariſtiæ habuit lætitiam, ſed non gratiam.

In multis autem Chriſti Fidelibus ex ſacræ frequentatione Euchariſtiæ augetur gratia, & tamen ſpiritualis dulcedinis delectatio non ſentitur: quod etiam perfectis, ac pietate præditis accidit, ſicut de B. Thereſia legitur, quod per duodeuiginti annos, licèt ſæpiſſimè ad ſacra myſteria accederet, nullo refecta eſt pabulo cœleſtium conſolationum, quibus etiam in terris ſolet ſanctitas abundare. Vnde & D. Thomas opuſc. 58. cap. 22. *Sicut*, inquit, *medicus peritus quandoque quibuſdam dat medicinam dulcem palato corporis, & quandoque non ſic, ſed dulcem palato mentis, quæ quamuis non gutturi, benè ſapit rationi, pro eo quod ſanam mentem delectat: ſic Dominus dat ſuis fidelibus dulce ſemper corpus; ſed dulcedinem ſuam alio modo iſtis, prout cuilibet expedire nouit. Hinc eſt quod quidam dulcedinem iſtam ſapiunt per affectum, & ardentiore delectantur deuotione; & alij eandem dulcedinem ſapiunt per pium intellectum, & ſufficienti reficiuntur vtilitate, in eo quod credunt & intelligunt, per hunc cibum ſanctum veram vitam obtinere. Igitur quamuis non ſapias dulcedinem Domini primo modo, id eſt per affectum firmæ deuotionis; ſapi tamen ſecundo modo, ſcilicet per intellectum multæ vtilitatis.* Hactenus D. Thomas.

391. Interdũ gratia augetur, & dulcedo non ſentitur, vt in B. Thereſia.

Dulcedo hæc quibuſdam per affectũ, aliis per piũ intellectum conceditur.

D. Thom.

392. Diuerſi alij Euchariſtiæ effectus.

Sed alij non pauci ſacræ Euchariſtiæ recenſentur effectus, vt ſunt venialium peccatorum remiſſio, & ad mortalia cauenda cautela, de quibus jam egimus in hoc Opere, *lib. 1. elucid. 2. ſect. 2. §. 1. 2. & 3.* Ipſa etiam ad cœleſtem patriam introductio, tanti Sacramenti virtuti attribuitur, quod etiam & nos ſuprà paſſim docuimus, & colligitur ex verbis Domini dicentis Ioan. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vita autem æterna eſt vita gloriæ. Cùmque Chriſti paſſio regni cœleſtis januam nobis aperuerit, vt habetur Hebr. 10. 19. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti*; eundem effectum præſtabit Euchariſtia, quæ mortis Domini memoriale dicitur, eandemque nobis per modum Sacramenti, ac ſacrificij applicat paſſionem. Vnde à Trident. *ſeſſ. 13. cap. 2.* vocatur *pignus futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis.* Quod antea S. Thomas tetigerat *opuſc. 58. cap. 23.* dicens: *Si ergo corpus Chriſti ſumptum pignus eſt vitæ æternæ, & pignus non dimittitur, donec id pro quo impignoratur accipiatur, profectò per hoc ad vitam æternam perducimur.*

Concil. Trid.

S. Thom.

Euchariſtia eſt pignus vitæ æternæ.

393. Etiam in corpore habet effectus Euchariſtia.

Cæterùm non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore mirabiles Euchariſtia producit effectus: nam in hac vita ſenſitiui appetitus fomitem mitigat, & concupiſcentiæ ardorem extinguit. Cum enim gratiam augendo, etiam charitatem augeat, ex conſequenti concupiſcentiæ motus reprimit, quia vt ait Auguſtinus libro 83. qq. *augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* Vnde corporis caſtitas huius Sacramenti fructus exiſtimatur, juxta illud Zachar. 9. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Quare Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Domini, cap. 21. *Felix*, inquit, *fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur: nam hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur; ab iſto verò virgines procreantur.* Quod etiam docuit S. Thomas *opuſc. 58. cap. 21.* vbi inquit: *Dum ergo fidelis corpus Chriſti ſumit, ſpirituale refrigerium percipit, quaſi de vmbra gratiæ, quæ de ipſo fluit.* Oſeæ 14. *Ego quaſi ros, & Iſrael germinabit quaſi lilium.* Quæ etiam jam ſuprà tetigimus in hoc opere.

Concupiſcentiæ ardorem extinguit.

D. Auguſt.

Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.

S. Thom. Virgines facit Euchariſtia.

Verùm poſt mortalem quam ducimus vitam, alium in corpore noſtro producit effectum, ipſum animæ ſeparatæ reuniendo; cauſat enim noſtram à mortuis reſurrectionem. Quod ex verbis colligitur Chriſti, qui *Ioan. 6. 55.* inquit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et ratio ſuadet; nam in mortuorum reſurrectione, verbum Dei reſuſcitat animas, vt loquitur Auguſtinus apud D. Thomam *in cap. 6. Ioan. lect. 7.* id eſt eas conſeruat ſeparatas à corpore, & denuò corpori coniungit: Verbum autem caro factum viuificat corpora. Cùm ergo hoc in Sacramento ſit verbum Dei, non ſolùm ſecundùm diuinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem & veritatem carnis, non ſolùm erit cauſa reſurrectionis animarum, ſed corporum. Vnde & *1. Cor. 15. 21.* dicitur, *per hominem reſurrectio mortuorum.* Quamobrem omnes Sancti Patres corporum noſtrorum reſurrectionem ſacræ attribuunt Euchariſtiæ, vt videre eſt apud Irenæum *lib. 4. aduerſus hæreſes, cap. 34.* Cyrillum Alexand. *in cap. 6. Ioan.* Tertullianum *lib. de reſur. carnis*, Chryſoſtomum *hom. 24. in 1. ad Cor.* Hilarium *lib 8. de Trinit.* & alios. Vnde D. Ignatius Antiochenus Epiſcopus, in epiſtola quam ad Epheſios ſcripſit, Euchariſtiam vocat *mortis Antidotum, & pharmacum immortalitatis.* 394.

Reſurrectionem cauſabit Euchariſtia.

D. Auguſt. D. Thom.

Euchariſtia mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis.

Cùm autem vitam æternam promittat Saluator corpus ſuum manducanti, & ſanguinem bibenti, 395.

Ioan. 6.

Ioan. 6. 52. dicens : *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; valde probabile eſt, Euchariſtiam cauſare gratiam peractâ manducatione, hoc eſt receptâ hoſtiâ in ſtomacho, in inſtanti extrinſeco terminatiuo manducationis, in quo verum eſt dicere, Nunc non eſt manducatio, ſed immediatè antea fuit. Cùm enim hoc Sacramentum cibi à Chriſto Domino inſtitutum ſit, ac per modum cibi ſpiritualis operetur gratiam, ad modum refectionis & nutritionis ſpiritualis debet manducari, vt ſuum in nobis ſortiatur effectum; cibus etenim non nutrit niſi ſufficienter applicatus & manducatus.

Receptâ hoſtiâ in ſtomacho, Euchariſtia gratiam producit.

396. Nec improbabile eſt, quamdiu manent huius Sacramenti ſpecies in Stomacho, maiorem gratiam ex opere operato homini conferri, dummodo nouos ac feruentiores charitatis, ac aliarum virtutum actus eliciat, quibus magis ac magis ſe diſponat : quod docuit Cardinalis Caiet. *in 3. p. D. Thomæ, q. 79. art.* 5. & approbare videtur ſpectatiſſimæ pietatis ac doctrinæ vir Ludouicus Granatenſis *in memoriali vitæ Chriſtianæ, tract.* 3. *cap.* 7. multique amplectuntur recentiores Theologi. Vnde Cardinalis Delugo *diſp.* 12. *ſect.* 2. *num.* 46. teſtatur, quod licèt olim malè audierit hæc opinio, jam hodie communiter recipitur. Quæ ſententia quamvis non pateat euidenti ratione, duplici tamen congruentiâ ſuaderi poteſt.

Ex feruentioribus actibus charitatis, quàdiu manent ſpecies in ſtomacho, maior gratia confertur.

397. Primò, quia cùm per modum cibi myſterium hoc inſtitutum ſit, illos in anima, quos in corpore cibus materialis, producit effectus. Cùm autem cibus, quamdiu in ventriculo manet, & in ipſum agit calor natiuus, corpus nutriat & roboret; quamdiu corpus Chriſti ſub Euchariſtiæ ſpeciebus in ſumente permanet, eius animam ſpiritualiter reficit & confortat gratiam augendo, ſi charitatis feruore tanquam ſupernaturali calore, aliiſque virtutum actibus ſe ad tale augmentum aptiorem reddat.

Tamdiu nutrit, quamdiu ſub ſpeciebus manet in ſtomacho.

398. Secundò, quia hoc maximè conuenit dignitati, & officio quod Chriſtus Dominus in hoc Sacramento exercet : cùm enim ſit Sol Iuſtitiæ, Lux mundi, Saluator, Dux, & Paſtor Fidelium, conſentaneum eſt, vt quamdiu in ſtomacho hominis ſacramentaliter perſeuerat, Solis, Lucis, Paſtoris ac Saluatoris munia exerceat, ac conſequenter illuminet, foueat, paſcat, protegat, ſaluet, atque gratiæ ſuæ ſplendoribus animam ſumentis repleat, & illuſtret. Sol etenim quamdiu ſupra noſtrum mouetur hemiſphærium, lucis ſuæ radios vibrat. Chriſtus autem mundi jubar, & Sol Iuſtitiæ extat; & quamdiu in aliquo remanet loco, illum claritatis ſuæ colluſtrat fulgoribus; ait enim Ioan. 9. 6. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.*

Sol ſemper illuminat, & Chriſtus gratiæ ſuæ radios ſemper emittit.

S E C T I O V I I.

A ſacra Euchariſtia vita in bonos, & mors in malos dimanat.

399. ADmirabile ſanè eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, non ſolùm quia mirabili ac ſubſtantiali panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſione, optimum ſub ſpecie panis & vini nobis realiter exhibet Saluatorem; verùm etiam propter mirabiles, immò & oppoſitos, quos in ſuſcipientibus operatur effectus. Idem enim quod per modum alimenti Chriſtus inſtituit myſterium, vt viatores homines cibo diuino reficeret, & ſpiritalem in nobis conſeruaret vigorem, augeretque; juſtis collatum vitam, iniuſtis verò præbet interitum. Illis itaque pabulum, & cibus eſt; iſtis non alimentum eſt, ſed venenum. Quod eleganter expreſſit Angelicus Doctor, dum ait : *Mors eſt malis, vita bonis.*

Mirabilis Euchariſtia ob mirabiles & oppoſitos effectus.

In mundum deſcendit mundi Creator, vt mundum reſtauraret, & deperditum propriâ culpâ hominem recuperaret. Sed quomodo id præſtitit? Errantem quæſiuit, auerſum reuocauit, fugientem apprehendit, & mortuum viuificauit, vitâ vtique ſupernaturali, & vnum ſanans hominem, in illo tanquam in orbis Epitome vniuerſum reparauit. Cunctis hominibus hanc ſalutem attulit, nulli illam denegauit, immò omnibus ſe redemptorem oſtendit. *Ego veni*, inquit Ioan. 10. 10. *vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Verùm enim verò multi ſunt qui Chriſti vocem audire recuſant, vocationem reſpuunt, bonitatem ſpernunt, ipſamque abundantem, quam attulit, vitam contemnunt. Quid iſtis accidit? Dum vitam negligunt, mortem inueniunt; & dum à Chriſto ſalutem accipere non laborant, ab illo necem haurire contendunt. Etenim qui Chriſto tanquam palmites viti veræ adhærent, ſpiritualem ſortiuntur reſurrectionem; qui autem iniquitati ſeruientes, Chriſto ſubjici ac ſeruire recuſant, ab eo æternam capiunt ruinam. 400.

Omnibus attulit vitam Chriſtus, ſed plures illam recuſant.

Hoc expreſſit ſenex ille juſtus ac timoratus Simeon, dum ſanctiſſimæ Dei Genitrici de filio amantiſſimo, optimo Saluatore Chriſto, dixit Luc. 2. 34. *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* Quod certè veriſſimum fuit, non ſolùm de ipſa Chriſti perſona inter homines conuerſante, quam aliqui venerantes, vitam; alij perſequentes, contemnentes, torquentes ac crucifigentes, mortem ſeu ruinam hauſerunt : non ſolùm inſuper de eius doctrina, quæ recipientes ac obedientes ſaluauit, reſpuentes ac contemnentes damnauit; ſed etiam de venerabili corporis & ſanguinis ſui Sacramento, in quo ſanctiſſima & immaculata Chriſti caro bonis gratiâ & charitate præditis vitam ac gratiæ ſpiritualis augmentum, ac conſequenter ſpiritualis gloriam reſurrectionis effundit, & lethalis culpæ labe pollutis & impiis mortem confert & ruinam. Cùm enim quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur, vt apud Philoſophos tritum eſt, cœleſtis illa Dominici corporis eſca juxta variam manducantium diſpoſitionem varios habet effectus, ita vt in viuente vitâ ſpirituali & feruore charitatis accenſo, vitam producat & gratiam; & in illo qui virtutum omnium ſplendore deſtitutus, vitiis ſcatet & ſordibus, animam mortiferi criminis vulnere ſauciam habet, ruinam præbet & mortem. 401.

Chriſtus in ruinam, & in reſurrectionẽ multorum poſitus, etiã in Euchariſtia.

Sol etenim eodem radio & ceram liquefacit, & lutum indurat. Eodem ignis calore aurum rutilat, & palea fumat : illud pulchrius redditur, iſta conſumitur. Idem viro incolumi vitam ſeruat & ſanitatem tuetur alimentum, quod debili & infirmo morbum adducit & mortem; nam vt inquit Tertullianus in carmine ad Senatorem transfugam : 402.

Eodem igne aurum rutilat, & palea fumat.

Eſcâ alitur corpus, corpus corrumpitur eſcâ.

Eadem oculis ægris nociua & odioſa eſt lux, quæ puris grata eſt & amabilis : & palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Vnde non 403.

Lux ægris oculis odioſa, & puris amabilis.

mitum, Chriſtum Dominum, qui in Euchariſtia ſplendet vt ſol, vt ignis calefacit, vt alimentum nutrit, vt lux illuminat, & vt panis viuus & verus ſatiat, bonos illuſtret, accendat, foueat, delectet & reficiat; malos verò lædat, induret, abſumat, & occidat.

404. Arca Iudæos roborabat, & proſtrabat Philiſthæos.

Eadem Arca fœderis, quæ Chriſti corporis & Euchariſtiæ typum geſſit, Iſraëlitas protegebat, forteſque ac ſtrenuos ad pugnam animabat: Philiſtinos verò Domini hoſtes proſtrabat & occidebat, vt videre eſt 1. *Reg. cap. 5. per totum.* Non ergo mitiores à veritate, quàm à typo homines expectent effectus; & ſibi timeant impij ad myſticam arcam, & ſacram Euchariſtiam accedentes: hæc enim Chriſtianæ Religionis arca venerabilis, dum iuſtos reficit, & bonos fouet; iniuſtos percutit, & malos necat.

405. Nubes Hebræos illuminabat, & Ægyptios excæcabat.

Eadem inſuper quæ Hebræos illuſtrabat & illuminabat columna nubis, Ægyptios obumbrabat & excæcabat, vt legitur *Exod.* 14. 20. & idem tremendum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo glorioſum Chriſti Domini corpus ſole lucidius ac fulgentius, ſpeciebus panis quaſi nube inuolutum realiter exiſtit, iuſtos gratiæ ſplendoribus recreat, & impios quos tenebris mentis excæcat, æternæ caligini reſeruat.

406. Manna apud malos vermibus ſcatebat, & apud bonos ſuauitatem ſeruabat.

Sicuti enim portentoſa illa Iudæorum eſca manna propterea appellata, à malis ſeruata, multis vermibus ſcatebat, & à bonis ſuſcepta, ambroſiæ & nectaris ſuauitatem ſuperabat, vt legitur *Exod.* 16. 20. & ſicuti Aaronis virga, quæ aquas abſumebat, eas in ſanguinem conuertendo, vt Ægyptios torqueret, *Exod.* 7. 20. & ipſas Hebræis miniſtrabat, illas ex ſilice eliciendo: ita mirabilis Euchariſtia, cui nomen manna meliùs, quàm priſco ac cœleſti illi debetur pabulo; & in qua non Moyſis, vel Aaronis, ſed virtutis Dei virga, *quam emiſit Dominus ex Sion, vt in medio inimicorum ſuorum dominetur*, reperitur, malos ærumnis & flagellis caſtigat, bonos gratiæ ſuauitate & ſpiritualis dulcedinis effuſione conſolatur; ab illis miſericordiæ latices eripit, iſtis autem bonitatis ſuæ fluenta concedit: erga impios aquæ conuertuntur in ſanguinem, & ſola iuſtitia terrorem incutit, & tormenta decernit: at erga bonos & ſanguis, & aqua funduntur in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, in vitæ æternæ præmium. Sic igitur Chriſtus in hoc myſterio bonis eſt *odor vitæ ad vitam*, malis eſt *odor mortis ad mortem*, vt dicitur 2. *Cor.* 2. 16.

407. Panes propoſitionis, panes facierum.

Mirabiles planè erant panes illi, quos iubente Domino ſuper menſam in tabernaculo priſcæ Legis ante conſpectum Dei Moyſes poſuit: hi enim non ſolùm ſacri & diuino cultui conſecrati, à prophanis rebus diſcreti, ſanctum ſuper altare collocabantur; ſed duobus characteribus obſignati videbantur: vnde non ſolùm *panes propoſitionis*, vt vulgata habet Latina editio, ſed vt in Hebræo legitur, *panes facierum*, ſunt appellati. *Exod.* 25. 30. Quod vtrique myſterium complectitur, vt ſcilicet Chriſtus Dominus in pane Euchariſtico in illis panibus adumbrato duplicem erga ſumentes faciem habere ſignificetur. Habet quippe benignam & amabilem, quâ ſe paſtorem optimum, ac Saluatorem miſericordem erga bonos exhibeat, eoſque immenſis beneficiis cumulatos lætificet. Vnde & *pſalm.* 20. 7. dicitur: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Et illam faciem poſtulans Dauid pſal. 66. 2. *Illuminet* (inquit) *vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

Duas in Euchariſtia habet facies Chriſtus: eſt amabilis vna, terribilis altera.

Alteram tenet terribilem, quâ ſe iuſtum ac fortem iudicem, ac ſeueriſſimum criminum vltorem contra impios demonſtret, illoſque damnet ac puniat. Quod etiam à Pſalmiſta notatum eſt *Pſal.* 33. 17. dum ait: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Itaque vno Chriſtus in Euchariſtia vultu bonos ſanat, alio malos lædit. Illos vnâ facie viuificat, iſtos alterâ facie necat.

Vtramque faciem oſtendit Dominus, cùm primùm mirabile hoc Apoſtolis ſuis diſtribuit Sacramentum. Petro enim cæteriſque qui purâ 408.
mente, affectu feruido, ac corde ſincero illud receperunt, amabilem optimi Paſtoris, ac Saluatoris vultum exhibuit, illoſque gratiarum, ac diuinorum chariſmatum donis cumulauit: at Iudæ nefandiſſimo ac ſceleſtiſſimo proditori, qui addens impudentiam ſceleri, & abſcondi ſe ſuâ putans audaciâ, nec manum à paropſide, nec animum retrahebat à crimine, & inſtrumentum pacis non pacatus accepit, vt loquitur Petrus Damiani libello grauiſſimo, *cap.* 6. terribilem iudicis vultum aperuit, & ſeueriſſimam ingratitudinis ac illius infidelitatis vltoris faciem oſtendit, eumque diris deuouens morti addixit turpiſſimæ. Vnde Auguſt. *tr.* 26. *in Ioan.* ait: *Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit. Et cùm accepit, in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit.*

Vtramque faciem oſtendit in prima inſtitutione, & ſumptione Euchariſtiæ.

Similis ſanè tremendo huic Sacramento aqua 409.
illa extitit zelotypiæ, de qua ſcriptum eſt *Numer.* 5. 17. Hæc enim aqua ſancta vocabatur, & ſi pollutæ ac adulteræ mulieri in potum data fuiſſet, inflato ventre computreſcebat femur eius, eratque in maledictionem, & in exemplum omni populo. Si autem polluta non fuiſſet, erat innoxia, ac à vitio ſterilitatis purgata liberos procreabat. Vbi certè quod in Euchariſtia accidit, deſcriptum videtur. Hoc etenim myſterium non ſolùm aqua ſancta nominari poteſt, ſed fons aquæ vitæ appellatur, *Apoc.* 21. *num.* 6. Sed hanc vitam hominibus puris, & nullius adulterij ſpiritualis, ſeu lethalis culpæ reis dumtaxat effundit, eoſque antea ſteriles, fœcundos ac bonorum operum efficaces præſtat factores: illis autem qui pollutâ conſcientiâ, & animâ adulterij reâ ad Chriſtum amantiſſimum ſponſum non verentur accedere, ac fontem aquæ vitæ in Euchariſtia deguſtare, mutatur in virtute, ita vt mortem animæ, æternam maledictionem, immò & aliquando corporeum interitum producat. Quod in primo omnium illorum, qui pollutâ conſcientiâ & infidelitatis rei ad hoc Sacramentum acceſſerunt, Iuda proditore contigit. Hic enim, quia dum authorem vitæ ingenti malitiâ, & execrandâ ingratitudine prodebat, eius ſacrum corpus manducare auſus eſt, & aquam vitæ in ſuo fonte deguſtare, venenum exinde mortis accepit: & vt iuſtiſſima, quâ plexus eſt pœnâ, cum illa, quâ mulieres adulteræ aquam ſanctam bibentes plectebantur, aliquam haberet ſimilitudinem, intumuit venter eius, & computruit femur. Nam vt legitur Act. 1. 18. *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.*

Aqua zelotypiæ mirabilis.

Euchariſtia ſimiles habet effectus, vt patet in Iuda.

Liquet igitur, ad vitam ſpiritualem hominum 410.
Sacramentum corporis & ſanguinis Domini inſtitutum, non omnibus præſtare vitam, ſed tantùm illis, qui cum debita reuerentia, fide, ac charitate ad ſacram Synaxim accedunt: illis autem qui temerario auſu, ac pollutâ conſcientiâ

ad

Iuxta variã diſpoſitioné recipientium vitam, vel mortem dat Euchariſtia.

ad ſacram menſam non verentur accedere, in tanti criminis pœnam mors ſpiritualis infligitur. Sic enim ſanguis Domini, qui in remiſſionem peccatorum & pœnarum pro illis debitarum ſolutioné fuſus eſt, Chriſtianis crucis Chriſti participibus ſalus fuit, & Iudæis crucem eius execrantibus, pœna ac ſupplicium. Dixerunt enim, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Matth. 27.25. Vnde & Chryſoſt. *hom. de cruce & Latrone*, ait: *Illis* (ſanguis Chriſti fuſus eſt) *ad condemnationem, nobis autem ad juſtificationem: illis ad mortem, nobis verò ad vitam.* Sed ab hoc corporis & ſanguinis Domini Sacramento juſtos vitam haurire, & malos mortem ſumere, ſigillatim videamus.

Sectio VIII.

Vita bonis à ſacra Euchariſtia communicatur.

411. *Lib. 1. huius oper. eluc. 2. §. 3.*

QVæ modò à nobis explananda ſuſcipitur veritas, jam ſuperiùs variis in locis à nobis inſinuata eſt: hanc tamen vberiori doctrinâ hîc tanquam in proprio loco, eo quòd Angelicus Doctor in textibus, quos nunc illuſtramus, tradidit ex profeſſo, ſtabiliemus.

412. Quotquot igitur in ſe probati, ac à vitiis purgati, virtutúmque tum Theologicarum, Fidei, Spei ac Charitatis; tum moralium, Prudentiæ ſcilicet, Iuſtitiæ, Fortitudinis & Temperantiæ, aliarumque vel ab his dependentium, vel cum his connexarum actibus ornati, gratiaque ſanctificante locupletes ad ſacram accedunt Euchariſtiam, dum ſacramentaliter manducant corpus Domini, illud etiam ſpiritualiter edunt, eius fructus deguſtant, & ab eo in ſe vitam ſuſcipiunt. Sic enim æterna docuit Veritas *Ioan.* 6. vbi ſemper effectum & fructum corporis ſui, quod ſub ſpeciebus panis in alimentum promittit hominibus, vitam pronuntiauit. Sed attentè Chriſti verba conſideranti patebit, non vnicam, ſed triplicem ab hoc Sacramento homini illud recipienti cauſari vitam, aliam ſcilicet naturæ, aliam gratiæ, & tandem tertiam gloriæ. Quod nos ſigillatim proſequemur, abſtinentes ab his quæ jam ſuprà circa eandem triplicem vitam libro 1. huius Operis, *elucid.* 2. §. 3. ſcripſimus.

Triplex dignè ſuſcipientibus ab Euchariſtia confertur vita.

§. I.

Vita naturalis ab Euchariſtia procedit.

413. Euchariſtia cibus mẽtis.

PRimò igitur vitam naturalem, & eam quam in hac vita mortali ducunt boni, eiuſque conſeruationem ac longitudinem ab adorando corporis Domini Sacramento ſuſcipiunt. Quamvis enim Euchariſtia non ventris, ſed mentis cibus ſit, vt loquuntur Sancti Patres; attamen quia ore corporis ſuſcipitur & manducatur, ac in ſtomachum; ſeu ventriculum trajicitur, vt quamdiu ibi ſpecies huius Sacramenti permanent, anima nutriatur, ſi homo actus charitatis eliciat, vt in ſectione præcedenti oſtendimus: ideo non ſolùm vitam ſpiritualem, ſeu gratiam refectionis tribuit menti, ſed etiam naturalem vitam corpori largitur. Quod euidenter colligitur ex verbis Chriſti, Ioan. 6. 52. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Vbi carnem ſuam vitam mundo dare, hoc eſt vitam naturalem præbere aſſeuerat. Et ſtatim litigantibus Iudæis circa ſermonem eius, & non valentibus capere modum quo eius corpus ab hominibus manducaretur, & eius ſanguis biberetur, inquit ibidem 53. *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi etiam de vita naturali loquitur, quam vtique conſeruat & protrahit venerabile corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum.

Etiam naturalem vitam corpori largitur.

Id docuit Chriſtus.

Nec deeſt ratio, quâ hæc veritas roboretur. Etenim vita naturalis, quâ cuncti gaudent homines, illis à protoparente cum eius natura per generationem tranſmiſſa eſt. Sed hic illam minimè tranſmiſiſſet, niſi habuiſſet: vt enim apud omnes tritum eſt, nemo dat quod non habet. A corpore autem Chriſti vitam habuit Adamus naturalem; quod nemo ſanæ mentis inficiabitur, ſi iis quæ mox ſubjiciemus, attendat. Nam vitâ & naturali, & ſpirituali ſimul cum Dei imagine donatus primus homo: vtramque debuit amittere, dum Conditoris ſui mandatum contempſit, & pomum vetitum manducauit. Sic etenim ab æquiſſimo & ſummo judice decretum fuerat, & primo parenti ipſius Dei ore ſignificatum, Gen. 2. 17. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quid ergo? Præceptum Dei tranſgreſſus eſt, & tamen comminatam mortem non ſenſit: vixit etiam poſt peccatum Adamus. At vnde hæc in homine mortis reo vita? Quis decreti contra legis tranſgreſſorem lati effectum ſuſpendit? Nullus alius, niſi vnigenitus Dei Filius, qui Deo Patri ſe vt incarnaretur obtulit, in culpæ hominis remedium, & vitam ſuam mortalem in cruce daturum, mortemque pro primo illo peccatore, cæteriſque Dei mandatorum tranſgreſſoribus ſubiturum ſpopondit. Filium aſpexit Pater, & futurum eius in carne ſupra crucis lignum interitum pro illa, quam Adamus ligni vetiti reus pati debebat, morte tunc acceptans, primo homini, omnibuſque eius poſteris naturalem vitam reliquit. Itaque homo qui in ſtatu innocentiæ vitam à Verbo Dei, per quod omnia facta ſunt, acceperat; poſt peccatum ab eodem incarnando, vt omnia reſtauraret, & mortem reſtaurando pateretur, naturalem vitam habuit. Quod vtique dilectus Domini diſcipulus agnouit, dum *Apoc.* 13. 8. de Chriſto ſub nomine Agni loquens, inquit: *Qui occiſus eſt ab origine mundi.* Non quidem quod mors, quam Chriſtus in cruce pertulit ſexta mundi ætate, ſub Tiberio Cæſare Romanorum Imperatore acciderit realiter & in propria ſpecie à principio mundi; ſed quia hæc mors Chriſti, quam ipſi crucifixores intulerunt, ab ipſo Filio Dei incarnando Patri in remedium culpæ primi hominis, & redemptionem eorum omnium, qui cum hoc communi parente morti addicti erant, oblata eſt, & ab ipſo acceptata. Cùm ergo effectum ſuum mors Chriſti in Adamo habuerit ab initio mundi, Agnus qui Chriſtus eſt, occiſus dicitur ab origine mundi.

414. Ratione firmatur hæc veritas.

Vitam naturalem à Chriſto habuit Adamus.

Chriſtus vitam ſuam & mortem pro Adamo eiuſque poſteris obtulit.

Chriſtus occiſus eſt ab origine mundi, & quomodo.

415. Verùm quid immoror, vt Chriſti mortem Deo oblatam ab origine mundi in peccati remedium, & naturalis vitæ Adami conſeruationem ſuadeam? Mundi fabricam præceſſit mortis Saluatoris oblatio. Cùm enim Verbi incarnationis decretum, quo de facto carnem Filius Dei aſſumpſit, fuerit in remedium peccati præuiſi, vt docent S. Auguſtinus *ſerm. 36. de verbis Domini, & ſerm. 8. de verbis Apoſtoli*, Doctor Angelicus 3. *p. q.* 1. *art.* 3. & cum ipſis grauiores Theologi, eius actiones, paſſiones, ipſaque mors in illo inuolutæ ſunt. Cumque hoc decretum æternum fuerit,

Oblatio mortis Chriſti mundum præceſſit.

D. Auguſt.

D. Thom.

ante

Digitized by Google

ante tempora vita & mors Chriſti, eiuſque humiliationes, ac ſatisfactiones à Deo præuiſæ ſunt, & à Filio incarnando Patri in liberationem Adami ac cæterorum hominum oblatæ ſunt, ac ab eo acceptatæ, & ex acceptatione iſta Adamo poſt peccatum vitam corporalem eſſe conſeruandam (lege quâ, ſtatim peracta tranſgreſſione, morti addicebatur, non obſtante) eſt definitum. Quod Principis Apoſtolorum teſtimonio comprobatur; ait enim 1. Petr. 1. 18. 19. & 20. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus.* Si enim ſanguis Chriſti, qui nomine Agni Immaculati exprimitur, vt pretium redemptionis humanæ mortem eius indicat, in qua copioſâ ſanguinis ſui effuſione lauit nos à peccatis noſtris; eiuſque immolationem, tanquam Agni Immaculati in ara crucis, ita vt præcognitus ſit tanquam agnus & victima pro redemptione generis humani oblata; manifeſtum eſt, eius mortem fuiſſe præcognitam, ac præuiſam ante mundi conſtitutionem, ac conſequenter agnum, non ſolùm ab origine mundi, ſed ante mundi creationem fuiſſe idealiter occiſum, vt ab eius morte vita in hominem peccatorem deriuaretur. Vnde Mellifluus Doctor Bernardus ait, quod *mors Chriſti prius profuit, quàm fuit.*

D. Bernard.

416. Cùm igitur Chriſti mors præuiſa, Deo oblata, & ab eo acceptata Adamo vitam naturalem ſeruauerit, & non potuerit hæc Filij Dei mors nec præuideri, nec offerri, nec acceptari niſi in natura humana, quæ mortalis eſt, & non in diuina, quæ omninò inalterabilis & impaſſibilis eſt; & in natura humana mors ſit potiùs in corpore, quod paſſibile & mortale eſt, quàm in anima, quæ in ſe impaſſibilis & immortalis exiſtit; mors enim nihil aliud eſt, quàm ſeparatio animæ à corpore: dum mors Chriſti præuiſa fuit, in eius corpore fuit præcognita. Tota igitur naturalis vita Adami ac cæterorum hominum, à Chriſti corpore, quod mortem pati debebat, dimanauit.

Mors Chriſti in eius corpore præuiſa: vnde à corpore Chriſti vita naturalis hominum oritur.

417. Quæ cùm ita ſint, naturalem iuſtis in hominibus conſeruari, ac in longiores annos protrahi vitam, ſacroſanctæ Euchariſtiæ beneficio, quis non videt? Cùm etenim Chriſti mors ventura ac præuiſa naturalem hominibus tribuerit vitam; nonne eadem mors adimpleta, præterita, & tamen in venerabili altaris myſterio, quod illius memoriale à D. Thoma appellatur, moraliter præſens exiſtit, quia illius manducatione ac ſumptione *mors Domini annuntiatur donec veniat*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 11. ac reali eiuſdem Sacramenti perceptione applicata, vitam naturalem in ſumentibus cuſtodiet, ac longiorem, feliciorémque præſtabit?

O memoriale mortis Domini, panis verus vitam præſtans homini, ait S. Th. in rythmo.

418. Quamobrem ſub ſpeciebus panis & vini Sacramentum hoc à Chriſto Domino inſtitutum eſt, quia hæc præcipua ſunt corporibus noſtris vitæ conſeruandæ alimenta ac ſubſidia. Etenim triticeus panis, qualis ad Euchariſtiam deſideratur, *cor hominis confirmat*, vt dicitur *Pſal.* 103. 17. & vinum, præſertim aquâ dilutum, vt ad hoc myſterium requiritur, *lætificat cor hominis*, vt in pſalmo citato legitur. Sub ſpeciebus ergo corporalis alimenti corpus & ſanguis Domini ſumuntur, vt etiam vita corporalis huius Sacramenti communione fulciatur & conſeruetur. Quod notauit B. Thomas *opuſc.* 58. *cap.* 9.

Sub ſpeciebus panis & vini Euchariſtia inſtituta, quia his alimentis vita naturalis conſeruatur.

D. Thom.

Verùm pluribus, quibus vita temporalis à ſacroſancta Euchariſtia vel ſeruata, vel producta eſt, euentibus doctrina hactenus à nobis tradita confirmatur. Nam vt videre eſt apud Henricum Spondanum in Epitome Annalium Baronij, anno Chriſti 423. num. 3. Beda Venerabilis ex libello de miraculis Bonifacij Papæ, ſcribit *in Collect. in fine*, puerum Iudæum, quòd ſuſceptâ cum Chriſtianis Euchariſtiâ, ſe optare fieri Chriſtianum inclamauerit, à patre in ignem cum matre filio opem ferente iniectum, in quo vterque manſit illæſus, ſacroſancto Domini corpore ardorem compeſcente flammarum, & vitam corporalem in ambobus conſeruante. Similiter apud eundem Spondanum *an.* 552. *num.* 5. ex Euagrio *lib.* 4. *cap.* 35. legitur, Conſtantinopoli ſub Mena Epiſcopo, puerum Hebræum, quòd cum aliis pueris Chriſtianis particulam corporis Chriſti deguſtaſſet, ab impio patre arte vitriario, in ardentem clibanum, in quo vitrum formare conſueuerat, iniectum, ac poſt triduum ibidem inuentum fuiſſe illæſum, ac deinde ſalutaris Baptiſmi vndâ perfuſum. Vbi ſanè ſacroſanctæ emicuit virtus Euchariſtiæ, quæ à flamma clibani præſeruans puerum, vitam illi contulit temporalem, & illum ad Baptiſma perducens, etiam ſpiritualem donauit. 419.

Spondan.

Miraculis patet, vitam naturalem Euchariſtiâ conſeruari.

Pueri Hebræi per ſacroſanctam Euchariſtiam à morte liberati.

Omnibus etiam notum eſt, quod in Seraphicæ Virginis ſanctæ Catharinæ Senenſis vita notatur, ſcilicet amantiſſimam hanc Chriſti ſponſam, aliquando inuentam eſſe à die Cinerum vſque ad Aſcenſionem Domini ieiunium produxiſſe, ſolâ Euchariſtiæ communione contentam: vnde manifeſtè colligitur, vitam naturalem, quæ ſine alimento non tranſigitur, per octuaginta & ſex dies Senenſi Virgini omninò à tanto Sacramento fuiſſe conceſſam. Quod in poſtcommunione Miſſæ, quæ in honorem eiuſdem S. Catharinæ die 30. Aprilis legitur, in Miſſali Romano editionis Pariſienſis apud Societatem Typographicam librorum Officij Eccleſiaſtici, 1651. expreſſum eſt his verbis: *Æternitatem nobis Domine conferat, quâ paſti ſumus menſa cœleſtis, qua B. Catharinæ Virginis vitam etiam aluit temporalem.* Multi alij hîc à nobis poſſent recenſeri, quibus vitam corporalem ſacroſancta vel ſeruauit, vel conceſſit Euchariſtia. Sed omiſſis Sancto Liberali Abbate, qui vt refert Petrus de Natalibus *lib.* 4. *cap.* 93. tribus annis; & F. Nicolao, qui vt refert Fabr. *in conc. de Sanctiſſimo Sacramento*, apud Heluerios annis quindecim ſolâ Euchariſtiâ vixit, ac aliis pluribus, duos Galliarum Reges Chriſtianiſſimos temporali vitâ hoc Sacramento donatos referam. 420.

S. Catharina Senenſis ab Euchariſtia vitam hauſit temporalem.

Petrus de Natalibus.

Primus fuit Ludouicus Pius Imperator Occidentis, ac Galliarum Rex, Caroli magni filius, qui per continuos quadraginta dies, ſolâ Euchariſtiâ & nullo alio cibo paſtus, omnem vitam ſuam etiam temporalem ab hoc ſuſcepit myſterio. 421.

Ludouicus Pius Imp. ab Euchariſtia per 40. dies naturalem vitam habuit.

Alter eodem nomine inſignitus, eiuſdemque Regni Monarcha, Ludouicus XIII. cognomento Iuſtus, verè Rex Chriſtianiſſimus, plurimis tum de hæreticis perduellibus, tum de Galliarum hoſtibus victoriis glorioſus. Hic cùm anno Domini 1630. die 22. Septembris Lugduni in morbum incidiſſet, qui adeo inualuit, vt 27. eiuſdem menſis, quæ natali eiuſdem Principis erat celebris, de Regis ſalute Medici deſperarent, obitâ noxarum generali confeſſione, ac ſacroſanctâ Euchariſtiâ paſtus; diuinâ ope repentè conualuit, ac vitam quam relinquere paratus erat, à viuifico 422.

Ludou. XIII. ſacrâ Euchariſtiâ ab imminenti mortis periculo liberatus, & vitâ ac incolumitate donatus.

pane

pane denuò recipiens, in priſtinam ſanitatem eſt reuocatus. Itaque Ludouicus in vitæ recuperatæ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ auxilio perpetuum monumentum, ſe Sanctimonialium monaſterium ad honorem tanti Sacramenti Pariſiis ædificaturum vouit, ac poſtea votum ſoluens, Luteriæ à fundamentis propriis ſumptibus erexit, vt qui à ſacra Euchariſtia vitam corporalem in periculo mortis hauſerat, virginibus Deo in tanti myſterij reuerentiam ſacris ad vitæ temporalis ſubſidium quotidiana alimenta ſubminiſtraret; & ſic acceptum ab Euchariſtia beneficium, collato in Euchariſtiæ reuerentiam virginibus beneficio compenſaret.

Eius gratitudo ob ſoſpitatem recuperatam.

421. Patet igitur etiam vitam naturalem hominibus iuſtis ab adorando in Euchariſtia Domini corpore communicari. Cùm enim ſit *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis*, vt loquitur D. Ignatius *ep.14. ad Epheſios*, mortem fugat, vitam cuſtodit, & immortalitatem acquirit. Vnde piiſſimus ille Regularis Canonicus Thomas à Kempis *lib. 4. de Imit. Chriſti, cap. 1.* de mirabili effectu huius Sacramenti loquens, ait: *Tanta eſt aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collata deuotionis, non tantùm mens, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores.* Quæ ad vitã vtique corporalem conſeruandã & feliciùs transfigendã maximè conducunt.

D. Ignat.

Thomas à Kempis.

Corpus noſtrum ab Euchariſtia vires recipit ampliores.

§. II.

Vita gratiæ, ſeu ſpiritualis ab Euchariſtia confertur.

422. SEcunda, quæ à ſacroſancta Euchariſtia confertur vita, ſupernaturalis eſt, ac ſpiritualis, & vita gratiæ nominatur. Hæc proprius effectus eſt huius Sacramenti, & infallibiliter conceditur omnibus qui veſte nuptiali charitatis induti, & zonã iuſtitiæ cincti, aliiſque virtutibus exornati ad cœleſtem menſam accedunt. Sacramenta etenim nouæ legis infallibiliter ſuum ſortiuntur effectum, dum ſubiecto apto & diſpoſito, in quo nullus obex aut nullum impedimentum reperitur, conferuntur. Ille autem qui probatus & purgatus ad ſacram venit Synaxim, aptus eſt ad recipiendos effectus huius Sacramenti, quod docuit Paulus *1. Cor. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Vnde & neceſſariò inferendum eſt, quod ille ſacramentaliter & ſpiritualiter manducat hoc Sacramentum, qui aſſumit Sacramentum & rem Sacramenti, & conſequenter quod gratiam per modum refectionis ſpiritualis recipit, & vitam ſupernaturalem ab hoc Sacramento haurit. Sicuti enim id quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe; & agens producens formam, illam in ſuo eſſe conſeruat: ita qui rem producit ſeruat, tuetur, fouet & cuſtodit, illam rem cenſetur quodammodo producere. Vnde conſeruatio rerum in eſſe, quam res omnes à continuo Dei influxu generaliter recipiunt, vocatur à Theologis continuata rerum productio: & apud Iuriſperitos, tutores qui ſunt pupillorum conſeruatores, parentibus æquiparantur, & vt fert communis regula iuris: *Tutor qui benefecerit, habetur pro domino.* In hoc parentes imitatus, qui filiorum ſuorum ex iure cenſentur domini: vnde & filij mancipia, ſeu ſerui parentum dicuntur; & dum extra paternam ponuntur poteſtatem, emancipati, hoc eſt extra mancipium poni aſſeruntur.

Vita ſpiritualis, ſeu gratiæ ab Euchariſtia conſeruatur & augetur.

Poteſt dici quod Euchariſtia vitam dat ſpiritualem.

Tutor qui benefecerit, habetur pro domino. Parentes filiorum domini.

423. Cùm ergo admirabile corporis Domini Sacramentum, tanquam cibus animæ, & alimentum mentis à iuſtis manducatur, etiamſi vitam ſpiritualem, ſeu gratiam in ſumente ſupponat (aliàs imparatus, & indiſpoſitus manducaret;) attamen quia per gratiam refectionis ſpiritualis eandem vitam ſeruat, fouet, auget & corroborat, vitam dare dicitur; illa enim ne pereat, præſtat hic cibus. Vnde ſi egenum, aut famelicum non paſcere cibo corporali, eſt nec præbere ſubſidia vitæ languenti pauperis, eſt pauperem necare, iuxta verbum Amb[r]oſij dicentis, *Paſce fame morientem; quem non paviſti, occidiſti*: è contra, paſcere famelicum, & ei alimenta præbere, eſt illum non ſolùm nutrire, ſed viuificare, & non ſolùm ei vitam ſeruare, ſed concedere. Vnde qui cum debita diſpoſitione ac deuotionis feruore ſeipſum hoc diuino paſcit Sacramento, dum ab eo vitæ ſpiritualis ſubſidia ſumit, vitam accipere dicitur: & dum à ſacra menſa abſtinet, & ſalutis ferculum negligit, ſpirituales vires perdit, & vitam gratiæ paulatim debilitatus ex defectu alimenti ſpiritualis amittit.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Pauperi ſubſidium denegare, eſt illũ necare.

Ergo ei præbere ſubſidiũ, eſt illum viuificare.

Euchariſtia ſubſidium vitæ ſpiritali tribuens, ipſã vitam tribuere dicitur.

Huc reſpexiſſe videtur Regius Propheta, dum inquit *pſal. 101. 5. Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Spirituale etenim cor hominis areſcit: & ſanctitudinis pinguedo ſiccatur, niſi anima cœleſtis panis alimento reficiatur. Sicuti enim cibus corporeus ad vitam corporalem eſt ſimpliciter neceſſarius, ita vt ex alimenti defectu illa vita deficiat; quod ore proprio docuit Veritas, dum *Marc. 8. 2. & 3. Miſereor* (inquit) *ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent; & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via.* Ita ad vitam ſpiritualem alimentum ſpirituale, ſacroſancta ſcilicet Euchariſtia neceſſariò requiritur, vt vel in re, & ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter; vel in voto, & ſpiritualiter manducetur. 424.

Anima areſcit abſque Euchariſtia.

Ex alimentorum defectu morientur homines.

Porrò cùm non viuentia à viuentibus diſtinguantur, ſecundùm Philoſophum, in hoc quod iſta mouent ſeipſa, illa verò ab aliis mouentur: qui nullo modo ſeipſum mouere poteſt, nec ipſum viuere conſtat. Vt ergo vita ſpiritualis hominis Chriſtiani in eo eſſe dignoſcatur, tribus inter alios motibus debet manifeſtari, nempe trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis actibus, quibus ad Deum tendimus. Cùm autem tres huiuſmodi virtutum actus ſacroſancta in iuſtis ac deuotè ſuſcipientibus excitet Euchariſtia, illam vitam ſpiritualem & conferre, & conſeruare nemo ambiget. Etenim ab hoc cœleſti pabulo ita cœleſtem agendi modum vit accipit Chriſtianus, vt virtutum Theologicarum actibus, alis veluti ſubnixus, terram deſerat, cœlum teneat, ipſique Deo cœlorum conditori adhæreat. 425.

Motus fidei, ſpei, & charitatis præbet Euchariſtia.

Nam ab hoc Sacramento eius fides roboratur, ſpes firmatur, & charitas accenditur; ac conſequenter firmiùs credit, fortiùs ſperat, & ardentiùs diligit. Cùm enim hoc Sacramentum antonomaſtice *myſterium fidei* appelletur, non ſolùm quia lumine naturali nullo modo, ſed ſola fide valet attingi; ſed etiam quia vt attingatur, firmam, validã, ac purißimam fidem exigit; ideo fidem perficit ex eo quod nobilem ac præclarum fidei actum requirit. Cùm autem habitus ſpecificentur per actus, & actus per obiecta, vt docent Philoſophi, ſimulque perficiantur; ſacrum Euchariſtiæ myſterium, tanquam præſtantiſſimum fidei obiectum, Chriſtiani cum deuotionis feruore communicantis fidem & quantùm ad actum, & quantùm ad habitum perficiet. Hinc D. Thomas in mirabili illo, quem de hoc Sacramento pro Veſperis ſolemnitatis euſdem edidit hymno, poſtquam hoc myſterium, mirabilemque panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſionem expoſuit, ac ad illius 426.

Fides Euchariſtiã roboratur.

Et perficitur.

D. Thom.

adorationem fideles eſt exbortatus, magnum fidei actum exigit, vt quod nec ſenſibus, nec intellectu lumine naturali illuſtrato attingere valemus, fidei auxilio attingamus, dicens:

Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.

427. Verùm hanc actualem fidem præſtat author, & conſummator fidei, quem in hoc recipit Iuſtus Sacramento; & à carne ſua in cor hominis fidei lumina fundit. Cùm enim qui ſacram accipit hoſtiam, in ea latentem Dominum debeat adorare, ſicut docet Auguſtinus *in pſal.* 98. dum inquit, *Nemo carnem illam manducat, niſi priùs adorauerit*, & à nobis infrà fuſè exponetur; fidei actu indiget Chriſtianus, vt corpus Chriſti latens ſub ſpeciebus panis, & in ipſo Deum abſconditum veneretur. Vnde & Chryſoſtomus *hom. de prodit. Iudæ*, inquit: *Cum ad reuerendum altare aſcendis, ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem fide reſpice, honore mirare, &c.* Itaque ipſum quod ſuſcipitur & adoratur corpus Domini, dum refectione ſpirituali animam nutrit, & gratiam ſanctificantem in ea auget, & corroborat, eius mentem fidei ſplendoribus illuſtrat, & ſupernaturalis cognitionis diuitiis cumulat.

D. Auguſt. Fidei actum debet elicere Chriſtianus, vt Chriſtum in Euchariſtia latentem adoret.
D. Chryſoſt.

428. Mirum eſt, quod de Ioſeph ab Arimathæa, nobili Decurione in ſacris narratur Euangeliis. Hic viuente inter homines Chriſto, diſcipulus eius extitit, ſed *occultus propter metum Iudæorum*, vt legitur *Ioan.* 19. 38. ita vt nec Chriſtum confiteri, nec fidem ſuam publicè prodere auderet. At mortuo in cruce Redemptore, ſimul ac ſacrum eius corpus è cruce deponere, & in monumento optauit ſepelire, ita creuit eius fides, vt nec Iudæos timens, nec Præſidem, ſe non ſolùm verbis, ſed factis Chriſti diſcipulum magnâ audaciâ profiteretur. Nam vt habetur Marci 15. 43. *Audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Prob qualem mutationem! Ieſum adhuc viuentem, mirabilia patrantem, mortuos ſuſcitantem, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, & mutis donantem eloquium non audet Ioſeph confiteri, nec colere, propter metum Iudæorum; & ipſummet damnatum, crucifixum, ac mortuum confitetur ac colit, omnique metu depoſito, & aſſumptâ audaciâ, eius corpus audacter à Iudice poſtulat. Quorſum hæc? A quo tantus proceſſit animi vigor? Non ab alio, niſi à ſanctiſſimo Chriſti corpore, quod vitam ſpiritualem Ioſeph per gratiam excitans, eius fidem excitauit, eumque ad Præſidem audacter adeundum, & ab eo ipſummet corpus poſtulandum impulit. Sic notauit S. Ambroſius ſuper illa verba Matth. 27. 47. vbi Ioſeph dicitur, *homo diues, qui acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Nam S. D. *lib.* 10. *in Luc. c.* 23. aduertit, Ioſeph diuitem fuiſſe dictum ob myſticas diuitias fidei, quas recepit ſtatim ac illud corpus ad ſepeliendum poſtulauit; ſic enim habet: *Meritò diues hoc loco* (Ioſeph) *dicitur, vbi corpus ſuſcepit Chriſti; ſuſcipiendo enim diuitem, neſciuit fidei paupertatem.* Si ergo corpus Domini mortuum à Ioſeph ſuſceptum, vt in ſuo collocaretur ſepulchro, inæſtimabiles fidei diuitias in ipſum Ioſeph effudit; quos non concedet eiuſdem fidei theſauros ſacrum ac viuum Chriſti Domini corpus in Euchariſtiæ Sacramento, collocandum non in ſepulchro, non in domo, ſed in corpore ſeu ſtomacho, & in ipſo corde Chriſtiani cum debita diſpoſitione ad ſacram Synaxim accedentis? Suſcipiendo igitur Chriſtum diuitem nullam ſciet fidei paupertatem.

Ioſeph ab Arimathæa audaciam, & diuitias fidei ſuſcepit à corpore Chriſti, quod ipſi ad ſepeliendum donatum fuit.
S. Ambroſ.

Nec ſolùs fidei actum ſacroſancta excitat Euchariſtia; etiam ſpem ritè ſuſcipientis firmabit, ſubleuabitque. Cùm etenim ingens, quâ erga homines, etiam peſſimos, Deus vſus eſt miſericordia, hominis corroboret ſpem, quâ ſe aliquando diuino fretus auxilio, æternam beatitudinem, ac ipſummet Deum, ex infinita eius clementia poſſidere ſperat, vt Regius inſinuauit Propheta pſal. 129. 6. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſraël in Domino; quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Cúmque immenſa hæc miſericordia ac copioſa Dei redemptio, quæ in paſſione Saluatoris mirum in modum effulſit, in Euchariſtia, quæ paſſionis Dominicæ memoria eſt ac repræſentatio, veluti colligatur, & ſuſcipienti hoc Sacramentum applicetur; nonne ex ſacra communione ſpem ſuam augebit, confidentiam excitabit, animumque ad futuram ſummi boni poſſeſſionem ſubleuabit? 429.

Spes ab Euchariſtia firmatur.
Copioſa Dei redemptio in Euchariſtia colligitur & adunatur.

Placet hîc Doctoris gentium validum ad ſubleuandam ſpem argumentum ſubjicere. Illud ſcripſit ad Rom. 8. 32. *Qui*, inquit, *etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quod perinde eſt, ac ſi dicat, Æternus Pater æternum Filium ſibi conſubſtantialem ac coæqualem pro omnibus hominibus, etiam ingratis, etiam rebellibus, etiam ſceleſtiſſimis, morti expoſuit, tradidit, donauit, vt illis miſeris peccatoribus vitam, redemptionem, ac beatitudinem offerret: ergo omnia ſua facilè donabit, qui naturæ ſuæ filium, ac *viſcerum ſuorum ingentem partum*, vt illum appellat Syneſius, liberaliſſimè donauit. Ergo æternam beatitudinem debet quilibet à Deo ſperare, cùm ipſum Dei Filium, qui etiam beatitudinis obiectum ingreditur, jam omnibus tradidit hominibus. Cùm ergo Filium, quem Deus ſemel pro omnibus tradidit, iterum in tremendo Euchariſtiæ myſterio cuilibet dignè ſuſcipienti tradat, quomodo cum illo non etiam omnia communicanti donabit? Quomodo non ſperabit ſe ipſum Deum in æterna beatitudine reuelatum poſſidere, qui jam ipſum ſpeciebus panis velatum in hoc ſanctiſſimo recepit Sacramento. Si autem ipſum jam tenet Dominum, quomodo cætera quæ ad æternam conferunt felicitatem, non obtinebit. Vnde Ioan. Chryſoſtomus textum Apoſtoli à nobis allatum exponens, ait: *Quid amplius de aliis dubitas, cùm Dominum ipſum receperis.* 430.

Ex immenſo Chriſti corporis beneficio nobis in Euchariſtia collato, excitatur ſpes ad ipſam obtinendam beatitudinẽ.
D. Chryſoſt.

Hinc eſt, quod *pſal.* 4. 9. canit Propheta: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Spes enim noſtra à juſtitiæ ſacrificio procedit. Hoc autem ſacrificium primùm in cruce viſibiliter, & modo cruento oblatum eſt, quia vt notauit B. Albertus Magnus in Enchiridio: *Sacrificium juſtum eſt vnigenitus Dei Filius, qui ſe pro peccatis totius mundi obtulit Deo Patri in ara crucis, ampliorem emendam offerẽs, quàm totus mundus debebat, iterumque incruentâ oblatione quotidianâ ſacrorum myſteriorum celebratione immolatur.* Tanti autem ſacrificij fit particeps, qui ſacram probatus edit Euchariſtiã, & diuino hoc cibo vegetatus, non modicam de ſua ſalute haurit fiduciam, magnamque à ſe obtinendæ beatitudinis ſpem in corde ſuo reponit. Spem amiſerant duo illi diſcipuli, qui caſtellum petentes Emmaus, triſti ſermone confabulabantur: ipſumque Saluatorem quem Redemptorem ſperauerant, à morte victum ſuſpicabantur. *Nos autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus Iſraël*, dicebant bini illi diſcipuli *Luc.* 24. 21. At Thomas Didimus ſimul cum fide ſpem perdiderat 431.

Ab Euchariſtiæ ſacrificio ſpes oritur, & augetur.
B. Alb. Mag.
Duobus diſcipulis euntibus in Emmaus ſpes: & Thomæ fides à corpore Domini reſtituitur.

reſurre

Digitized by Google

reſurrectionis Domini; clamabat enim Ioan. 20. 25. *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Verùm hic, & illi ſanati ſunt, & omnes in fide ac ſpe reſurrectionis Chriſti redintegrati. Sed à quo tanto donati ſunt beneficio? Quis ſpem reſtituit? Ipſum ſacrum Domini corpus; duo enim priores *cognouerunt Dominum in fractione panis*, vt dicitur *Luc.* 24. 36. hoc eſt, in diſtributione Euchariſtiæ: Chriſtum enim tunc in caſtello Emmaus panem in corporis ſui Sacramentum conſecraſſe, illiſque porrexiſſe docent Sancti Patres non pauci. Itaque ſpem quam amiſerant, à ſacra Euchariſtia recuperarunt; ſiquidem in fide firmi, & ſpe, animoque pleni, *ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis*, vt dicitur *Luc.* 24. 34. & 36.

432. Immò & ſpes. *D. Auguſt.*

Similiter & Thomas fidem ſuam, & ſpem à ſacro Chriſti corpore, eiuſque vulnerum tactu recepit, vt obſeruauit S. Auguſtinus *in pſalm.* 68. dum ait de Chriſto: *Hanc ſpem reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit; quas cùm tetigiſſet Thomas, rediit ad ſpem, quam perdiderat, & exclamauit: Dominus meus, & Deus meus.* Ex quibus euidenter conſtat, accedentes ad ſacram Synaxim, ab eodem Chriſti corpore ſpei ſuæ perfectionem accipere, & ad æterna præmia firmiùs ac feruentiùs deſideranda, immò & aliquando poſſidenda ſubleuati.

433. Flores, & præſertim lilium, ſpei ſymbola.

Spei typus, apud omnes, flores ſemper extiterunt, ac præcipuè lilium. Sicut enim futurorum fructuum flores imagines ſunt ac pignora; ita & quam expectamus beatitudinem nobis exhibet ſpes, eiuſque pignora præbet. In ſacra autem Euchariſtia pulcherrimos, eoſque gratiſſimos colligimus flores; vernantes roſas & albentia lilia ſumimus, immò & manducamus, ſimulque æternæ felicitatis præludia in his floribus deguſtamus, ac conſequenter ingentem de ea re expectationem concipimus. Sic S. Ambroſius annotauit ſerm. 14. in pſal. 118. *Bona paſcua*, inquit, *diuina Sacramenta ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis. Carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis. Carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem.* Vbi S. D. in his floribus diuiniſſimi Sacramenti odorem reſurrectionis, & ſplendorem æternitatis, ſpei noſtræ obiecta aduertit & commendat. Si ergo cuidam Romanorum Imperatori numos cudere licuit, in quibus fulgebat lilium, cum hoc lemmate, SPES AVGVSTA; mihi nunc liceat dicere ſacram Euchariſtiæ hoſtiam, quæ ob ſphæricam figuram ab Auguſtino vocatur *nummus triticeus*, puriſſimo ac albenti lilio Chriſto Domino coruſcare, cui lemma à quolibet Fideli inſcribatur hac gemina voce, SPES DIVINA. Non enim humanam, aut chriſtianam tantùm, ſed etiam diuinam ſpem quilibet purgatus communicans ab hoc haurit Sacramento.

Euchariſtia flores continet: corpus Chriſti eſt lilium, & ſanguis eſt roſa. *D. Ambroſ.*

Lilium cum lemmate. *Spes Auguſta.*

434. Marcellus ſpes Romanorum.

Denique vt grandem quam Populus Romanus de Marcello iuniore, alterius Marcelli & Octauiæ filio, ſpem conceperat, exprimeret Mantuanus, lilia plenis manibus projicienda dixit 6. *Æneidos*, ſub finem.

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

At vberior in hominibus juſtis ad ſacram Euchariſtiam accedentibus, de æterna felicitate ac Dei in cœlis poſſeſſione ſpes aſſurgit. Plenis ergo non manibus, ſed calathis lilia ſpargant, vt ſuam omnibus eructent expectationem, dum ipſorum corpus lilio paſcitur, & anima lilio ſaginatur. Iuſtus ergo candidiſſimo flore paſtus, *germinet ſicut lilium*; & non ſolùm floreat, ſed fructificet in æternum ante Dominum: immò poſtquam & germinauerit, ac ſicut lilium floruerit, lilio refectus, in æternum regnet & triumphet cum Domino ante Dominum.

R. P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Chriſtus lilium in Euchariſtia ſpes Chriſtianorum.

435. Charitas ab Euchariſtia.

Æternam tamen, vt Chriſtianus, quam ſperat ac optat, vitam faciliùs aſſequatur, altero ab Euchariſtia roboratur ſubſidio, feruore ſcilicet charitatis, vt hoc Sacramento trium virtutum theologicarum actibus exornatus perfectâ ſpirituali potiatur vitâ. Minimum eſſet juſto firmiter credere, & fortiter ſperare, niſi quod credit ac ſperat, ardenter adamaret. Sicuti ergo ſacra ſuſcepta myſteria fidem muniunt, ſubleuant ſpem, ita & charitatem accendunt. Quod ex pluribus paſſim à nobis in hoc opere ſparſis quia liquet, ideo paucis in præſentiarum perſtringemus. Quamvis enim qui in corde Iuſti diuinus ardet amor, nullas aliunde ſui quærat ardoris cauſas; nam in ſe ſufficientibus à ſeipſo fulcitur, ac fouetur; quod aduertit Bernardus *ſerm.* 88. *in Cant.* dum inquit: *Amor præter ſe non requirit cauſam, non fructum. Amo, quia amo; amo, vt amem:* attamen in ſacra Euchariſtia valida ſuſcipit ſui incentiua feruoris. Cùm enim immenſo amore finitus, cui adiungitur, creſcat amor, non poteſt non augeri finita Chriſtiani charitas, cui Sanctorum participatione myſteriorum infinita Chriſti dilectio copulatur.

Dei amor à ſeipſo accenditur. *D. Bernard.*

436. Infinitus Chriſti amor in Euchariſtia.

Sanè infinitum mirabili in hoc Sacramento Chriſtus collocauit amorem, dum non ſolùm vberrimis gratiæ diuinæ fluentis ſuſcipientium irrigat animas; ſed quod nullâ mente concipi, & nullo poteſt effari ſermone, ſemetipſum omninò præbet in cibum & potum; ita vt omnium cœleſtium fontem chariſmatum in ſe ſuſcipiat homo, dum Chriſti corporis, & ſanguinis edit Sacramentum. Cùm ergo donis pateat amor, qui & primum donum eſt, vt ex Philoſopho loquitur S. Thomas 1. *p. q.* 38. *art.* 2. ex immenſo ac infinito carnis ſuæ, immò & totius humanitatis Diuino Verbo hypoſtaticè coniunctæ munere diuinum hominibus hoc myſterio exhibuit amorem; vnde & Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. docet, quod *Saluator in hoc Sacramento diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit.* Ideòque nouis amoris huius flammis augetur charitas communicantis; & dum ille, qui in finem dilexit homines, ſeſe eis in pabulum præbens, in hoc recipitur Sacramento, non tantùm amoris ardorem excitat, ſed incendia mouet.

S. Thom.

Amor primum donum donis patet. *Concil. Trid.*

437. Paſſio Chriſti immenſum Dei amorem docuit homines. *D. Thom.*

Inter alias quas Doctor Angelicus affert rationes ad oſtendendum, paſſionem Chriſti Domini conuenientiorem fuiſſe modum ad liberationem generis humani, prima ac præcipua mihi videtur illa, quâ docet, paſſionem Domini docuiſſe hominem diuini amoris erga illum immenſitatem, & illum ad Deum redamandum prouocaſſe; ſic enim loquitur 3. p. q. 46. art. 3. in corp. *Per hoc homo cognoſcit, quantum Deus hominem diligat, & per hoc prouocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ ſalutis conſiſtit.* Etenim cùm ſit magnus amoris amor, nimia charitas quâ Chriſtus pro nobis moriens dilexit nos, humanam ad ſe incitat dilectionem. Sed non minor in hoc Sacramento, quàm in cruce refulſit amor: cùm & paſſionem Domini non ſolùm exhibeat, ſed etiam eius virtutem contineat, & crucifixum cuilibet ad ſacra myſteria ac-

Non minor amor Dei in Euchariſtia, quàm in paſſione Chriſti.

cedenti iteratâ bonitate tradit: vnde non minùs Euchariſtia quàm Chriſti paſſio, humanam accendit dilectionem. Igitur in cruce pendentem amet homo Chriſtum, à quo adeò amatus eſt, vt pro illo mortem, etiam acerbiſſimam in cruce ſubire non dubitauerit. Amet illum inſuper in Euchariſtia, in qua ſeipſum hominibus præbens alimentum, amore traditus eſt antequam à proditore infenſiſſimis ſuis hoſtibus traderetur. Amet, inquam, illum in hoc myſterio, in quo amore mortuus eſt, mortemque præuenit antequam ſpinis coronaretur, clauis configeretur, & tortorum crudelitate illatis vulneribus ſanctiſſimam animam in cruce efflaret. Amet denique infinitè illum amantem, qui vt amorem proderet antequam moreretur, in hoc myſterio obiit, & mortem præuenit, ac tranſactâ eius in cruce morte, mortem ipſam in hoc Sacramento vt renouaret, reuocauit. Amet, inquam, & amando moriatur propter eum qui toties mortuus eſt, vt hoc edulio illi vitam nullâ morte finiendam conferret. Glorioſa erit hæc mors, quia vitam pariet, & mortem occidet; carnem infirmabit, vt ſpiritum viuificet. At ſi hæc abſit mors, aberit & amor; hic enim non adeſt, niſi mors adſit, quia vt loquitur Auguſtinus in pſal. 121. *Charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus.*

Amore traditus Chriſtus antequã à proditore traderetur. Prius amore mortuus, quàm paſſione.

Mors Chriſti in Euchariſtia amore renouatur.

Moriatur Chriſtianus amore. Si abſit mors, non adeſt amor.

438. Verùm, quò mea fertur oratio? Mortem ſuadeo, dum de vita ſcribo: nunquid non excedo? Ita planè: ſed de exceſſu agens, non poſſum non excedere. Amor omnis exceſſus eſt; modum neſcit, menſuram ſpernit, limites tranſit, & vltra omnes fines graditur. Ipſe enim eſt *quid nimium*, vt loquitur Philoſophus. Vnde & Apoſtolus Dei charitatem nimiam appellauit, *Rom.* 5. & ipſa Chriſti Domini paſſio ſummi eius amoris effectus, exceſſus nomine inſignitur. Luc. 9. 31. *In ea* etenim, vt ait S. Bonauentura, *fuit exceſſus doloris, fuit etiam exceſſus amoris.* Sanctiſſimum quoque Euchariſtiæ Sacramentum amoris exceſſus eſt, omnem ſuperans excogitabilem dilectionem. Quomodo autem exceſſus non eſſet ſummum doloris & amoris exceſſum in ſe complectens? Ergo ab hoc exceſſu excedant pij, flagrent corda, accendantur mentes, igniantur animæ, & vltra omnem menſuram erga Deum amoris ſcintillas emittant, & ardentes charitatis flammas eiaculentur. Siquidem vt mellifluus habet Bernardus lib. de dilig. Deum, *modus diligendi Deum eſt ſine modo.*

Amor exceſſus eſt.

Paſſio Chriſti exceſſus fuit. S. Bonauent.

Euchariſtia amoris exceſſus.

S. Bernard.

439. Rogatus olim Dauid à Rege Saul, ex qua progenie eſſet, ſtatim ſe filium Iſaï Bethlehemitæ eſt confeſſus: at ſimul ac ſe Bethlehemitem dixit, *anima Ionatha conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit quaſi animam ſuam.* 1. Reg. 18. 1. Magnum hac in re cerno myſterium, optimè quadrans ad rem præſentem. Bethlehem enim *domum panis*, Dauid *dilectum*, & Ionathas *donum Dei* ſonat, juxta Hebraïcæ linguæ peritos. Si ergo Ionathas Dauidis amore ita capitur, vt ipſius anima illius animæ conglutinetur eodem momento quo illum in Bethlehem, hoc eſt in domo panis natum agnoſcit; quanto charitatis ardore flagrare debet myſticus Ionathas, hoc eſt Chriſtianus donis Dei ditatus, erga myſticum Dauid, Chriſtum Dominum dilectiſſimum Dei Filium, dum non ſolùm audit in Bethlehem natum, ſed etiam in Bethlehem, hoc eſt in domo panis, ſeu ſub ſpeciebus panis, verè & realiter diliteſcentem; ſed ſentit, ſed guſtat, ſed manducat? Conglutinata vtique anima Chriſtiani non ſolùm corpori & animæ, ſed etiam diuinæ perſonæ Chriſti debet eſſe, ipſumque diligere quaſi animam ſuam.

Ionatas dilexit Dauid quaſi animã ſuam, quia erat ex Bethlehem.

Bethlehem, id eſt domus panis.

Chriſtum in ſpecie panis latentem diligere debemus.

Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? inquit Sapiens *Prou.* 6. 27. at ſi veſtimenta ab igne in ſinu abſcondito non poſſunt non ardere, poterit ignis in corde recipi, & cor ab illo non inflammari? Nequaquam. Euchariſtia ignis eſt, vt illam appellauit Cyrillus *lib.* 11. *de ador. in ſpiritu & verit.* illo debet ardere, qui hoc recipit Sacramentum; immò & dum in altari ſeruatur, fidelium corda amoris flammis debet accendere; ad hoc enim à Domino in Eccleſia Chriſtianorum myſterium hoc poſitum eſt, vt apud Iudæos ignis, qui in altari in conſpectu Dei ſemper debebat ardere, vt dicitur Leuit. 6. 12. Quod notauit Cyrillus *loc. cit.* dum inquit: *Hunc ignem maximum in terra nobis Dominus oſtendit, & in altari Eccleſia reliquit, vt frigida corda incaleſcerent, & calida deflagrarent amore illius Domini, qui vt amorem ſuum nobis teſtaretur, ſeſe nobis dedit in cibum.* Hæc Cyrillus. 440.

D. Cyrill.

Euchariſtia ignis eſt, amorem accendens.

D. Cyrillus.

Pulcherrima illa, & immaculata Canticorum Sponſa, amantiſſimi Sponſi ſui ardentiſſimum in ſe deſcribens amorem, regalem eius in conuiuio magnificentiſſimo magnificentiam, indicium ſuæ ſimul ac principium propriæ ſtatuit dilectionis, dum ait Cant. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; ſeu vt alij legunt, *vexillum eius ſuper me charitas.* Quorſum hæc? Quia dum anima Chriſtiana in cœleſtium cellam Sacramentorum à Chriſto Domino introducitur, ibique eius ſacro corpore paſcitur, & pretioſo ſanguine potatur, feruentiſſima amantiſſimi Saluatoris charitas in eius exæſtuat, ac effunditur voluntatem, ita vt ipſe infinitus, quo homines hoc in Sacramento proſequitur, amor ſpecioſum in illa erigat vexillum, in ſignum victoriæ, quam de eius corde, ipſum amore inflammando reportauit. Vnde & ibidem 5. ſubditur: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Seu vt habent Septuaginta, *Confirmate me in vnguentis, quia vulnerata charitate ego ſum.* Sed rem nouam ac ſtupendam, à cella vinaria charitatem in ſe ordinatam, hoc eſt amorem in ſe verſum, vt cor illius igniat, experitur, ac ſubitò ab amore læditur, & vulneratur, ita vt non ſolùm flores, fructuſque, quibus confortetur, requirat, ſed vnguenta, quibus medicetur, efflagitet. Sed quos flores, quæ mala, quæ vnguenta poſtulat, niſi diuina Sacramenta corporis & ſanguinis, quibus tanquam floribus pulcherrimis, ac fructibus ſuauiſſimis, ac vnguentis odoriferis cor diuino authore læſum confortatur? Amor enim amore ſanatur; & vulnus à flamma charitatis illatum, dum amoris ſcintillâ exuritur, aboletur. Quod demiratus Gregor. Nyſſen. *orat.* 4. ait: *O columnas admirabiles! ô noua fulcra! qui fulciri vult in vnguentis, conſtantiam in virtutibus conſequi cupit.* Nulla autem virtutum conſtantia maior inuenitur, quàm ipſamet *charitas*, quæ *nunquam excidit*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 13. 8. & ideo dum vnguenta poſtulat, noua eius incendia cupit: charitas enim, quæ ignis myſticus eſt, nunquam dicit, Sufficit. 441.

Ab Euchariſtia charitas vincens, & ardẽs in corde ſuſcipientis.

Charitas vulnerat, Euchariſtia ea vulnera ſanat.

Greg. Nyſ.

Felices igitur illi, qui ad ſacram menſam accedentes, è cella vinaria cœleſtium Sacramentorum ordinatam in ſe Chriſti charitatem ita recipiunt, vt ab ipſa vulnerentur. Felices, inquam, à 442.

Felices à charitate vulnerati per Euchariſtiã.

felici

felici vulnere, quod dum cor inflammat, aperit; & dum aperit, replet; dum replet, ſatiat, non ſolùm cœleſtium dulcedine conſolationum, ſed etiam omnium gratiarum ſcatutigine, ipſoque ſummo bono quod cum hoc Sacramento, ac te Sacramenti in vero ac proprio corpore accipit Chriſti. Ergo quilibet ad ſactum vulnerandus feſtinet conuiuium, vt glorioſo charitatis vulnere ſaucietur & exurnetur. Quod eleganter proſequutus eſt Origenes *hom. 2. in Cant.* ea quæ modò expoſuimus illuſtrans hoc modo: *Vulnerata charitate ego ſum. Quàm pulchrum eſt, quàm decorum à charitate vulnus accipere? Alius jaculum carnei amoris excipit, alius terreno Cupidine vulneratus eſt: tu nuda membra tua, & prabe te jaculo electo, jaculo formoſo: ſiquidem Deus ſagittarius eſt. Poſuit me*, loquit, *vt ſagittam electam. Quàm beatum eſt hoc jaculo vulnerari!* Hæc ille. Quibus nihil verius, nihil pulchrius, nihil elegantius dici poteſt. Etenim ſi Chriſtus *æterni Patris jaculum* exiſtit, vt ipſum appellat Chryſoſtomus; nonne glorioſum eſt ab eius in Euchariſtia charitate vulnus accipere? Non mortem præſtat hoc vulnus, ſed amorem; & dum amorem tribuit, vitam donat, non communem, ſed ſingularem; non humanam, ſed diuinam; amor enim Dei eſt, qui Deum in corde ponit amantis, & ipſum amantis cor transfert in amatum. Vnde & dilectus diſcipulus hanc expertus læſionem inquit 1. Ioan. 4. 17. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Origen.

Iaculū charitatis electū & formoſū.

D. Chryſoſt.

Vulnus charitatis amorem præbet & vitam.

443\. At quomodo non pulchrum, non glorioſum, non beatum eſſet hoc charitatis vulnus à pulchro, glorioſo ac beato jaculo illatum? Quid pulchrius Chriſto, de quo ait Sponſa, *Pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cant. 1. 15. & pſal. 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Ipſeque fatetur, dum ait: *Pulchritudo agri mecum eſt.* Pſal. 49. 11. Quid glorioſius illo, qui vt ait Apoſtolus Hebr. 1. 3. *Splendor gloriæ* Patris æterni, *& figura eſt ſubſtantiæ eius?* Quid beatius illo, qui æternam omnibus Angelis, & hominibus confert beatitudinem, eorumque eſt beatitudo? Pulchra igitur, glorioſa, ac beata vulnera, quæ mirandum hoc jaculum cordibus eius corpus manducantium infert. Vtinam omnes qui diuiniſſimum hoc ſuſcipiunt Sacramentum ſic vulnerentur, vt in illius dilectiſſimi amorem jaculi exæſtuent. Etenim cùm ſagittarius ſit etiam ſagitta, amoris vulnera mouent ad redamandum, non tantùm ſagittarium, ſed ſagittam. Vnde Chryſtomus exponens illud Iſai. 49. 2. *poſuit me ſicut ſagittam electam*, docet hanc ſagittam, quæ Chriſtus eſt, ſimul corda vulnerare, & illa ad ſui amorem inflammare. Sic enim loquitur: *Iſtâ ſagittâ vulneratus Petrus dicebat Chriſto, Domine tu ſcis, quia amo te.* Ioan. 21. 17. *Iſtâ ſagittâ vulneratus Paulus, & conuinculatus Chriſto dicebat*, Rom. 8. 35. *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Iſtâ ſagittâ vulnerata omnis caſta Eccleſia dicebat*, Cant. 2. *Vulnerata charitate ego ſum. O gemitus de medio cordis amabilis!* Hæc Chryſoſt.

Nihil pulchrius Chriſto.

Sagittarius jaculi charitatis eſt ipſa ſagitta.
D. Chryſoſt.

444\. Alia quamplurima tum ex ſacris Paginis, tum ex ſanctis Patribus poſſem hîc congerere, ad veritatem, quam hactenus proſequutus ſum, illuſtrandam; ſed cuncta reticeo conſulens breuitati, & lectoris otio parcens, ea in ſequentibus paſſim ſparſurus, quoties ſeſe offeret occaſio, vt omnes Chriſti fideles ad diuini amoris ſcintillas ex ſacra Euchariſtia hauriendas velociter accurrant.

Interim autem tempus imminet, vt ex dictis concludamus, ſacram Euchariſtiam vitam ſpiritualem dignè ſumentibus conferre. Cùm enim fidem, ſpem, & charitatem, quæ vitæ ſpiritualis, ac ſupernaturalis indicia motûs ſunt, ac veluti columnæ, conſeruet, foueat, augeat, & perficiat; nulli dubium eſſe poteſt, per hoc Sacramentum homines vitâ ſpirituali viuere: vnde & Chriſtus ait Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* 445.

Vita ſpiritualis in Euchariſtia donatur.

§. III.

Æternam vitam, ſeu gloriæ, ſacra bonis confert Euchariſtia.

Tertia denique, quæ dignè ſacram ſumentibus Euchariſtiam ab eodem mirabili Sacramento conceditur vita, æterna eſt, ſeu gloriæ, quam in cœleſti patria ad nunquam finitura ſecula poſſidebunt. Quamvis autem hæc in hoc mortalitatis ſtatu non concedatur, & tantùm emenſo huius mundi peregrinationis curriculo vſque in finem perſeuerantibus conferatur; attamen quodammodo juſti ſacræ menſæ participes illam etiam in hoc mortalis vitæ ſtadio conſequuntur. 446.

Æterna vita ab Euchariſtia.

Sicuti enim in ſemine meſſis, in flore fructus, in cauſa effectus, in merito præmium, & in victoria corona includitur: ita in vita gratiæ, quæ à ſacra producitur Euchariſtia, vita gloriæ continetur; gratia enim eſt ſemen gloriæ, vt paſſim docet S. Thomas. Nam ſicuti gloria eſt gratia conſummata; ita gloria inchoata gratia eſt. Hinc Chriſtus Dominus Ioan. 6. 54. inquit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Vbi Saluator optimus non tantùm in futuro, & tranſacto mundi tramite, vitam æternam carnem ſuam manducantibus, & ſanguinem ſuum bibentibus promittit, vt *ibid.* 58. ſubiunxit dicens, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; ſed etiam in præſenti, vt ſignificaret etiam in hoc ſeculo à ſanctiſſimo corporis ſui Sacramento vitam æternam, hoc eſt initium gloriæ, & inchoatam æternitatem in dignè ſumentes deriuari. 447.

Gloria in gratia, ſicut fructus in ſemine clauditur.

Initium gloriæ in hac vita ab Euchariſtia.

Quas pro Chriſto patimur in hoc vitæ curriculo tribulationes, adeo nobis fructuoſæ ſunt, vt non ſolùm nobis ad æternæ felicitatis gloriam comparandam conferant meritum; ſed etiam illam, dum adhuc verſamur in corpore, & peregrinamur à Domino, in noſtris cordibus effundant. Ita planè docuit Paulus Apoſtolus plagis ſupra modum pro Domino toleratis, & raptu ad tertium cœlum, vbi gloriâ Dei donatus eſt, inclytus, dum 2. *Cor.* 4. 17. inquit: *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod exponens Bernardus *ſerm.* 17. *in pſalm.* 90. inquit: *Latet gloria, fratres mei; abſcondita nobis eſt in tribulatione; in momentaneo hoc latet æternitas; in hoc leui pondus ſublime, & ſupra modum.* Verùm ſi ratio propter quam gloria in tribulatione abſconditur, inueſtigetur, ea, ac præcipua inter alias mihi videtur, quia Dominus gloriæ, qui illam juſtis, bonis, ac pro eo certantibus largitur, in medio tribulationum inuenitur. Ille enim Ioſeph venditum liberauit, *deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum*, vt habetur *Sap.* 10. 14. & Regis Prophetæ oraculo ſperantem in ſe exaudire, eripere, & illi in tribulatione adeſſe, 448.

Gloria in tribulationibus incluſa.

Bernard.

Cur gloria in tribulatione latet.

ac conſequenter gloriam tribuere promiſit, pſalm. 90. 15. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

448. Igitur ſi in momentanea & leui tribulatione noſtra æternum gloriæ pondus ab ea operatum inuenitur; quale, ac quantum non inuenietur operatum ab acerbiſſima, duriſſima, longiſſimaque tribulatione, quam pro nobis Chriſtus pertulit toto vitæ ſuæ decurſu, & tandem flagellis cæſus, ſpinis coronatus, ac clauis cruci affixus in ligno conſummauit? Nulla fidelium tribulatio gloriam pareret, niſi cruci Domini eſſet copulata, à qua omnis hominum gloria dimanauit. Crux ergo, & paſſio Chriſti, primò æternum gloriæ pondus hominibus pepererunt. Cùm ergo dolores, tribulationes, ac paſſiones Domini in morte ipſius veluti in compendio colligantur; hæc autem mors in Euchariſtia colligatur, repræſentetur, & applicetur, euidenter ſequitur, gloriam etiam in hac vita in ſpe, in ſemine, ac tanquam in pignore ab hoc Sacramento juſtis hominibus communicari. Hinc B. Thomas de hoc canit myſterio, *Recolitur memoria paſſionis eius*, ſcilicet Chriſti, *mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis pignus datur.*

Gloria primùm in cruce & paſſione Chriſti.

In Euchariſtia paſſionis memoria, gloria latet

449. Altera æternum gloriæ pondus in momentanea ac leui deliteſcere tribulatiune, ſuadet ratio; quia ſcilicet in illa gloriæ author, ac æquiſſimus diſpenſator exiſtit. Verùm eadem gloriam à ſacra oriri Euchariſtia probat. Etenim in illa Chriſtus Rex gloriæ, eiuſdem liberaliſſimus ac æquiſſimus diſpenſator veraciter continetur. Quamvis enim Sacramentum hoc corporis & ſanguinis ſui ſit myſterium, illaque ex vi Sacramenti, ſeu verborum conſecrationis primariò includat tanquam cibum & potum Eccleſiæ; tamen ex naturali ac neceſſaria connexiune eius anima, ac diuina Verbi perſona hypoſtaricè ac inſeparabiliter eius humanitati coniuncta ibidem verè & realiter inueniuntur: idem enim Chriſtus, qui modò in cœlis dexteræ Patris aſſidet, in hoc Sacramento reperitur; cum tamen diuerſo modo eſſendi: in cœlis enim viſibiliter ac extenſus, etiam in ordine ad locum exiſtit; at in Euchariſtia inextenſus, inuiſibilis, ac indiuiſibilis. Cùm ergo Chriſtus, quà Deus, æternæ gloriæ author ſit, eamque Angelis ac hominibus in cœlo regnantibus largiatur, & quà homo hanc gloriam verè poſſideat, & verè ac realiter totus Homo-Deus cum hoc Sacramento recipiatur, nonne veriſſimum eſt, Euchariſtiam æternæ gloriæ pondus in dignè ſumentibus operari? His addi poteſt, diuinitatem ac humanitatem Chriſti, quas hoc in myſterio verè recipimus, completam præſtare hominum beatorum felicitatem; illa enim animam, hæc corpus, dum in generali reſurrectione denuò animæ coniungetur, beabit; nam diuinæ eſſentiæ intuitiua & clara viſio formalem animarum ſanctarum ſtatuit felicitatem, & ſanctiſſimæ Chriſti humanitatis contemplatio corporum ſanctorum beatitudinem complebit. Quæ cùm ita ſint, manifeſtè ſequitur, dignè Euchariſtiam recipientem in illa habere quidquid ad completam Sanctorum felicitatem deſideratur. Hinc Chryſoſtomus *hom. 2. in 1. ad Corinth.* ait, *Vt terra ſit nobis cœlum, facit hoc Sacramentum.* Quia ſcilicet per illud viatores homines probati ac purgati communicantes, in via obtinent omne illud, quod in patria Sanctis ad æternã beatitudinẽ conceditur.

Obiectum & author gloriæ in Euchariſtia.

Diuinitas Chriſti animas: & humanitas Chriſti corpora beat.

D. Chryſoſt.

450. Qui in cœleſti patria debitam bonis operibus mercedem à Deo recipiunt, ipſum æquiſſimum retributorem, tanquam præmium habent; ille etenim Abrahæ dixerat, *Ero merces tua magna nimis.* Gen. 15. 1. Sed illo dum præmiantur, eum intra ſe condunt; nam juxta D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. intuitiua Dei viſio, in qua formalis ſita eſt beatitudo, ſine vlla ſpecie aut ſimilitudine creata Dei adimpletur, cùm diuina eſſentia intellectui beato lumine gloriæ colluſtrato intimè per ſeipſam ad modum ſpeciei intelligibilis vniatur, ita vt totus Deus intra Beati mentem veluti deliteſcat; ſicque dum fidelis & juſtus ſeruus Dei intrat in gaudium Domini ſui, vt dicitur *Matth.* 25. 21. hoc eſt in immenſum gloriæ pelagus ingreditur, ipſe Dominus in mentem fidelis famuli ingrediatur. Quæ demiratus ipſe S. Thomas, eadem quæſt. 12. 1. p. Beatum Deiformem appellauit, hoc eſt ad Dei naturam ac dignitatem ex Dei poſſeſſione ſublimatum. Planè eandem Beatorum mercedem recipit Iuſtus in Euchariſtia, hoc tantùm diſcrimine differentem, quòd in cœlis diuinitas ſeipſâ intellectu Beato, vt clarè videatur, poſſideatur, immò & ametur, coniungitur; at in tremendo Euchariſtiæ myſterio Verbi Diuinitas humanitate tegitur. Hæc autem humanitas ſpeciebus panis obuoluta intra os, ſtomachumque Iuſti ingreditur, vt eius anima diuino hoc cibo ſatietur. Quod expreſſit Tertullianus *lib. de reſurrect. carnis*, c. 8. dum ait: *Caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.*

Deus merces hominum.

D. Thom.

Diuina eſſẽtia vnitur intellectui beato ad modum ſpeciei intelligibilis.

Chriſtus Deus & homo ſtomachum ſuſcipientis Euchariſtiam ingreditur.

451. Sicuti autem Beatus in patria, ex reali intra ſuum intellectum diuinæ eſſentiæ, per modum ſpeciei intelligibilis, ſuſceptione Deiformis appellatur; ita & Iuſtus ex reali manducatione corporis Domini, cui anima ac eius Diuinitas inſeparabiliter copulantur, diuinus efficitur. Etenim ſi homines ex humana conuerſatione humani, & ex diuina diuini efficiuntur, vt Seraphinus ille terrenus Sanctiſſimus Franciſcus olim dixit, teſte Sanctiſſimo Bonauentura in eius vita: ex reali Chriſti Dei & hominis in hoc Sacramento frequentatione, manducatione, ac myſtica, ſpiritualique conuerſatione juſtus Deiformis efficitur. Vnde & Dionyſius Areopagita *lib. de Eccleſiaſt. Hier. cap.* 1. docet, Sacerdotem ex hoc myſterio *in Deitatis conſortium tranſire*: & *cap.* 2. ait, *Communionem eſſe deificam*, hoc eſt, ſubleuantem hominem ad diuinam dignitatem. Quòd etiam notauit Doctor Angelicus 3. *p. q.* 73. *art.* 4. vbi ait, quod hoc Sacramentum Græcè *Metalepſis* dicitur, ideſt aſſumptio; quia vt Damaſcenus *lib. 4. fid. orth. cap.* 14. dicit, *per hoc Filij Deitatem aſſumimus.*

Beatus ſit Deiformis.

S. Bonauent.

Iuſtus ex communione ſit Deiformis.

D. Dionyſ.

D. Thom.

Euchariſtia eſt metalepſis, ideſt aſſũptio.

452. Quæ omnia propriis Chriſti Domini verbis facillimè ſtabiliuntur; ait enim Ioan. 6. 57. *Sicut ego viuo propter Patrem, & qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Quorum verborum genuinus ſenſus hic eſt. Sicut ego eſſentiam meam, ac conſequenter vitam à Patre æternâ generatione recipio; & ſicuti viuus à viuo, Deus de Deo, & meo principio omninò ſimilis procedens, in humanitate propter ipſum viuo, & ad illum vitam meam refero; ita & qui carnem meam edit, corpus meum, animam ac diuinitatem recipiens, vitam meam habet, eamque ad me referens, propter me illam vitam ducit. Cùm enim Pater Chriſti in humanitate viuentis principium ſit, & finis, eius ab illo tanquam à principio procedens vita

Chriſtus ad patrem vitã quam ab illo habet, refert.

non

Chriſtianus vitam quam à Chriſto per Euchariſtiã habet, ad illũ referat.

non poteſt oon ad ipſum tanquam ad finem referri. Vnde & Chriſtus ad gloriam Patris dicitur factus, Rom. 1. 3. *Qui factus eſt ei*, ſcilicet Patri, *ex ſemine David ſecundùm carnem.* Vbi D. Thom. *lect.* 1. exponit, Apoſtolum intendiſſe Chriſtum ad gloriam Patris factom eſſe, dum inquit, *Qui factus eſt ei, &c.* Itaque qui dignè corpus recipit Chriſti, ab illo Deo & homine ſpiritualem ac ſupernaturalem vitam percipit, tanquam à principio & fine; ac conſequenter ab illo tanquam hominum Redemptore, & rerum omnium ad ſuum principium & finem, nempe Deum reductore, excellentiſſimam habens vitam, oon poteſt non illam ad ipſum, tanquam ad eius principium & finem dirigere. Et hoc eſt quod dixit Chriſtus: *Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Quod etiam eleganti ſtylo proſequutus eſt Auguſtinus *tract.* 26. *in Ioan.* vbi præfata Chriſti verba, *Miſit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem,* &c. exponens, illum ſic loquentem inducit: *Vt ego viuam propter Patrem, ideſt vt ad illum, tanquam ad maiorem, referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit: vt autem quiſque viuat propter me, participatio facit, quia manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter patrem; ille erectus viuit propter me.* Habet igitur diuinam Chriſti, ac glorioſam in ſe vitam, qui dignè illum in ſui corporis recipit Sacramento, à qua ita erectus exiſtit, vt etiam in via æternæ vitæ primordia poſſideat. Vnde ſicuti Beati, diuinæ felicitatis conſortes, Deo ita immobiliter adhærent in patria, vt ab eo nollatenus recedere velint; ita qui gratiam à ſacra receptam Euchariſtia ſeruare ſtudent, firmam Deo ſemper adhærendi ſuſcipiunt voluntatem: quod notauit Summus Pontifex Innocentius III. *lib.* 4. *de myſteriis*, dum inquit: *Myſterium crucis eripuit nos à poteſtate peccati; myſterium Euchariſtiæ eripit nos à voluntate peccandi.* Cùm aotem ſola voluntas peccandi, à qua dignè communicantes eripiuntur, homines à Deo euellat & ſeparet, Beatorum dotes juſtis à ſacra conecdi Euchariſtia, nemo noo videt.

D. Auguſt. Et in hoc erectus eſt, ac glorioſus.

In via gloriæ primordia tenet.

Innoc. III.

Euchariſtia eripit hominem à volũtate peccandi.

453\. Euchariſtiæ virtute gloria conſummabitur.

Verùm quam juſtis in hominibus in hoc ſeculo diuiniſſimum incipit Sacramentum, beata vita eius virtute in futuro conſummabitur. Quod quidem in toto homine integrè adimplebitur. Primò quidem in anima, quæ non niſi paſſione Chriſti in hoc Sacramento repræſentata, & per illud applicata, cœleſtem patriam valet intrare, & clarâ ac intuitiuâ Dei viſione præmiati; maximè cùm illa refectio ſpiritualis, quæ proprius huius Sacramenti effectus eſt, perfectè ab homine non habeatur, niſi in ſtatu gloriæ, vbi appetitus hominis perfectè ſatiatur, juxta illud *pſal.* 16. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quod docuit Auguſtinos *tract.* 26. *in Ioan.* dum inquit: *Cùm cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta.*

Perfectus Euchariſtiæ effectus eſt collatio gloriæ.

D. Auguſt.

454\. Reſurgent corpora virtute Euchariſtiæ.

Secundò id præſtabit in corpore, quod ab incinoeratione liberatum, animæ ſuæ reſtituet rediuiuum, cum ea vtique per æterna ſecula beandum. Quod ipſa nos docuit Veritas, dũ ait Ioan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Vnde & Irenæos Apoſtolorum temporibus vicinus, contra hæreticos qui mortuorum reſurrectionem negabant, agens *lib.* 4. *cap.* 34. inquit: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & ſanguine Domini alitur?* Quare Nicæna Synodus corporis & ſanguinis Domini Sacramentum, *ſymbolum reſurrectionis* appellauit.

S. Irenæus.

Conc. Nic. Euchariſtia ſymbolum reſurrectionis.

455\. In Euchariſtia ſemen immortalitatis.

Mortis etenim venenum, quod noſtris corporibus effudit primi Parentis tranſgreſſio, dum illud à vetito quod edit pomo, imprudenter exhauſit, ſuſceptum in nobis ſub ſpecie panis Chriſti Domini viuum corpus expellit, & æternæ in carne mortali immortalitatis ſemina ponit, quæ ſuo tempore fructum reſurrectionis producent. Quod ſanè eleganter attigit Gregorius Nyſſenus orat. catech. de Euchariſtia, cap. 37. *Quemadmodum* (inquit) *qui per inſidias venenum hauſerunt, alio medicamento vim illius exitialem extinguunt; oportet autem vt ad veneni ſimilitudinem medicamentum in viſcera ingrediatur, vt per illa totum in corpus auxilium diffundatur: ita nobis faciendum eſt, vt cùm venenum, quo natura noſtra diſſoluitur, deguſtauerimus, medicamentum quo illa contrahitur, ſuſcipiamus, vt virus illius ex opportuna eius vi repellatur. Quemadmodum enim parum fermenti, vt ait Apoſtolus, totam maſſam ſibi ſimilem reddit; ſic & corpus illud quod à Deo factum eſt, in noſtrum corpus ingrediens, totum in ſe transfert, atque commutat. Nam vt peſtiferum cum ſalubri commixtum illud efficit pernicioſum; ſic & corpus immortale reddit totum illud, in quo ſuſceptum eſt, ſimilis naturæ immortale; in corpus autem ingredi non poteſt, niſi per cibum & potum viſceribus immiſceatur.* Hæc ille. Vbi luculenter probat, noo ſolùm vim ad reſurgendum nobis à ſacra ioeſſe Euchariſtia, ſed etiam corpus Chriſti verè ac realiter ore corporis à nobis recipi, & in corpus oostrum admitti, quo jugulantur Nouatores contrarium impudenter mentientes.

Greg. Nyſſ.

Mortis venenum depellitur Euchariſtiâ.

Corpus Chriſti corpus noſtrum ingreditur.

Porrò multa ad hanc veritatem illuſtrandam adhuc adjicere haudquaquam nobis eſſet difficile; ſed ab illis abſtinemus, beneuolum admonentes lectorem, vberiorem de corporum noſtrorum virtute Euchariſtiæ reſurrectione doctrinam deſiderantem, vt ea recolat quæ jam de hac materia ſcripſimus lib. 1. huius Operis, *elucid.* 2. *ſect.* 3. 456.

Sectio IX.

Sacram indignè ſumentibus Euchariſtiam mors infligitur.

TErribile planè eſt, ac cunctis ſanæ mentis formidandum, quod nunc exarare incipio calamo. Panis viuus ſuſcipientem interficit, & diuinus ad animam impinguandam cibus animam necat, & corpus occidit. *Quomodo morietur, cui cibus vita eſt?* inquit Ambroſ. *ſerm.* 18. *in pſalm.* 118. At non panis viuus hoc in loco culpandus eſt, ſed indignè illum manducans. Ad vitam, & non ad mortem, Sacramentum hoc ex infinita Chriſti charitate in Eccleſia inſtitutum eſt; ſed impij jam ſuis ſceleribus ſpirituali orbati vitâ, ex vitæ fonte hauriunt interitum: *Deus mortem non fecit; impij autem manibus & verbis accerſierunt illam*, vt legitur *Sap.* c. 13. & 16. Quod optimè ſubiectæ quadrat materiæ; ſiquidem ad vitam ſeruandam corpus ſuum Dominus manducandum in Euchariſtia præbuit hominibus: ſed impij manibus & verbis, hoc eſt nequiſſimis eorum operibus, ac nefandiſſimis blaſphemiis, aliiſque ſceleribus panem 457.

Ad vitã hominum inſtituta Euch. riſtia, mortẽ præbet indignè ſumentibus.

panem vitæ in cauſam mortis tranſmutantes, mortem acceſſieruor.

Triplex mors ab Euchariſtia.

458. Sicuti autem boni ad ſactam menſam cum debita diſpoſiuiooe accedentes, triplicem ab hoc eibo ſuauiſſimo vitam recipiunt, vt fusè ſuprà oſtendere conati ſumus: ita è conuerſo improbi, qui nec probati, nec purgati ſactum Domioi corpus in hoc Sacramento manducare ooo veteotor, triplicem morrein iocurrunt, temporalem ſcilicet, ſpiritualem, & æternam, vt breuiter à nobis ſtabilietur.

§. I.

Vitam corporis amittunt Euchariſtiam indignè ſuſcipientes.

Mors corporalis pœna indignæ cômunionis.

459. PRimò igitur vita corporalis amittitur ab indignè ſumentibus Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum, in pœnam commiſſi ſacrilegij. Quod euidenter deducitur ex Sancti veibis Apoſtoli 1. *Cor.* 11. vbi poſtquam indignè ſumentes, ſibi judicium manducare & bibere ſcripſit, ſubdit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quibus verbis corporales infirmitates, ipſumque interitum ex indigna eorporis Domini maoducatione procedere declarauit, vt grauiſſimi Expoſitores poſt Chryſoſtomum, Anſelmum, Theophilactum, & Thomam interpretantur. Quod vtique noo raro io primitiua contigit Eccleſia. Tunc enim plures, quòd indignè ſacram ſumpſiſſent Euchariſtiam, Deo vindicaote, vel à cacodæmonæ arrepti, vel magnis cladibus affecti, vel morte molctati ſunt, vt videre eſt apud Baronium & Spondanum eius abbreuiatorem, anno Chriſti 57. *num.* 45. quo vtique nihil juſtius. Qui enim ſpirituali vitâ carentes ſpiritualem viuorum cibum manducare non verentur, etiam corporeâ merentur vitâ priuari.

D. Chryſoſt. D. Anſelm. Theophil. S. Thom.

Morte puniti vel à dæmone poſſeſſi indignè cômunicantes. Baron. Spondan.

Morte plectendus qui montem Synai tetigit.

460. Etenim ſi montem Synaï, io quo Dominus Moyſi legem præbuit, non quidem immediatè per ſeipſum, ſed miniſterio Angelorum, vt teſtatur S. Stephanus *Act.* 7. 38. & 53. & annuit Apoſtolus *Galat.* 3. 19. nolli Iſraëlitarum licuit tangere ſub corporeæ pœoa mortis, vt legitur Exodi 19. 12. *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur:* nonne qui non ſolùm tangere, verùm etiam indignè tractare, immò & manducare Chriſtum Dominum, myſticum in Euchariſtia montem, auſus eſt, morte corporeâ plectendus eſt? Imprudentes illi adoleſcentes Nadab & Abiud, filij Aaron, ex igne alieno, ſine perfecta deliberatione, ſed cum præcipiti quadam feſtinatione, vt grauiores exponunt interpretes, & ſacer indicat textus *Leuit.* 10. 1. Deo oblato, apud ipſum vitæ authorem Dominum mortis rei extiterunt; nam vt ibidem dicitur: *Egreſſus ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Quod quidem factum eſt, vt eodem igne, quo Deum placare, & ab eo non ſolùm vitæ corporalis conſeruatiooem, ſed æternæ poſſeſſionem recipere debebant, vtramque amitterent; & vt loquitur Chryſologus ſerm... *Sumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.* At illorum culpam ſuperat indignè communicantium crimen. Hi enim non feſtinanter, nec præcipiti quadam velocitate, ſed ex inſtituto, ac matura rei deliberatione ad ſacram accedunt Synaxim, & igne alieoo, hoc eſt affectu omnium ſcelerum turpitudine maculoſo, accenſa, inflammataque exhibent pectora, quibus puriſſima corporis Domini hoſtia reponatur. Egredietur vtique contra iſtos ignis à Domino, qui deuorabit eos, & coram illo morientur. *Sument,* vt cum Chryſologo loquar, *de ſacrificio pœnam, qui faciunt de propitiatione peccatum.*

Aaron filij igne conſumpti ob ſacrificium non ritè oblatum.

Magis peccât indignè cômunicantes.

461. At acerbior erit diuina in malos ſacra myſteria participantes animaduerſio. Si enim juxta menſuram delicti debet eſſe plagarum modus, vt dicitur *Deut.* 25. 2. in immenſum filiorum Aaron culpam excedit malorum facinus Chriſtianorum, qui polluto corde, ac impurâ coonſcientiâ ſanctiſſimam manducare noo vereotur Euchariſtiam. Siquidem, vt aduertit Saluianus *lib.* 1. *de prouid.* in illis tunc non mens impia, hoc eſt non peccandi deliberata voluntas, ſed *facilitas nimium inconſiderata punita fuit, & ſolâ mentis inconſideratione peccauerunt. In Chriſtianis autem indignè corpus Domini manducantibus non poteſt deliberata non reperiri malitia, nec niſi mentis conſideratione delinquunt.* Igitur ſi Nadab & Abiud ioconſideratio *quodammodò Deum tetigit, & ad cœleſtem iniuriam redundauit,* vt pergit idem Saluianus *loc. cit.* certa indignè communicantium malitia ipſum Deum hoc in myſterio latentem tanget, & ad cœleſtem diuinæ Verbi perſonæ iniuriam redundaos, ex eius maoibus excutiet fulmina, quibus diuini Sacramenti cootemptores feriantur & profligentur.

Maiori pœna puniendi.

Saluian.

462. Hinc ſicut notauit Anſelmus *in cap.* 11. 1. *ad Cor.* multi homines poſt Paſcha variis infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Domini indignè ſuſceperunt; & quædam mulier, quæ indignè communicauerat, ſumpto Domini corpore, ac ſi lethale hauſiſſet venenum, palpitans & trepidans concidit, & *quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem,* vt ait S. Cypriaous *ſerm.* 5. *de lapſis.* Si enim, vt legitur 2. Mach. 4. 39. *Andronicus qui per inſidias Oniam Sacerdotem, virum probum & juſtum interfecerat, ab Antiocho Rege purpurâ exutus in eodem loco in quo in Oniam impietatem commiſerat, tanquam ſacrilegus juſtus eſt vitâ priuari;* quantò magis qui in ſummum omnium Sacerdotem, & ſanctiſſimam omnium victimã Chriſtum Dominum in Euchariſtia vtrumque munus gerentem, impietatem cõmiſit, debet in eodem loco & tempore vt ſacrilegus vitâ priuari. Oniam occiderat Andronicus, & ipſe pariter occiditur. Chriſtum Dominum viuentem in Euchariſtia, in quantum poteſt, occidit qui indignè corpus eius hoc in Sacramento manducat. Nam vt notauit S. Thomas *in* 1. *Cor.* 11. *lect.* 7. dum Apoſtolus inquit de indignè communicante, *reus erit corporis, & ſanguinis Domini*; hoc eſt, vt gloſſa exponit, *mortis Domini pœnas dabit: hoc eſt, ac ſi Chriſtum occiderit, punietur,* ſecundùm illud Heb. 6. *Rurſum crucifigentes Filium Dei in ſemetipſis, & oſtentatui habentes.* Morte ergo corporeâ plectendus eſt; omnis etenim homicida ab omni lege, & antiqua, *Gen.* 9. *n.* 6. & noua, ſeu Euangelica, *Matth.* 26. 57. pro vita quam abſtulit, vitam debet quam habet amittere. Verùm maius & atrocius morte debetur ei ſupplicium, quia atrocius homicido facinus commiſit: Deicidium patrauit, dum non ſolùm hominem, ſed Dei Filium, verum, ac viuum Deum interficere tentauit. *Proh ſcelus!* inquit Tertullianus lib. de idololat. cap. 7. *Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt: iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præſcindendæ!* Sed ſi manus præſcindendæ quæ Chriſtum malè io Euchariſtia pertractantes, peccauerunt; nonne os quod pollutum ſuſcipere corpus eius auſum eſt, perpetuò eſt obſtruendum, &

D. Anſelm.

Indignæ cômuniones variis infirmitatibus poſt Paſcha, & morte puniuntur.

Andronicus occiſus, quia Oniã Sacerdotem occiderat.

D. Thom.

Chriſtum Sacerdotem & hoſtiam occidunt indignè communicantes.

Deicidium committunt.

Tertull.

Iudæis peiores ſunt.

& cor quod impurum intra ſe illud collocauit, auferendum, vi manibus, ore, ac corde priuatus indignè communicans, horrendâ corporis morte mulctetur.

463. Impij Donati partium impij ſectatores impiè Chriſtum Dominum in tremendo corporis ſui myſterio pertractarunt, ſacras hoſtias magno furore ac rabie canibus deuorandas objicientes. Sed ſtatim pari rabie, parique furore accenſi canes in ſacrilegos tanti Sacramenti contemptores irruentes, illos diſcerpſerunt, dilaniarunt, ac deuorarunt, obiectas hoſtias ſic vindicantes, ſimul ac venerantes, vt refert Optatus Mileuit. *lib.* 2. & 6. & poſt ipſum Baronius anno 362. *num.* 55. apud Spondanum *in Epitome*. Illos imitari videntur qui obſcœnâ mente, pollutâqua cõſcientia ſacrum Domini corpus ſuſcipiunt. Cùm enim canibus peiores exiſtant, & nihilominus ſancta Euchariſtiæ myſteria recipiant ac manducent: quod non egerunt canes, ſcelus iſti perpetrare cẽſentur. Æquum ergo eſt, vt in atrociſſimi pœnam facinoris, ab ipſa corporea morte lanientur ac deuorentur.

Donatiſtæ à canibus diſcerpti, quia Euchariſtiã illis edendã præbebant. *Baron.*

464. Inguinaria illa quæ innumeros Romæ homines, & ipſum Romanum Pontificem Pelagium ſuſtulit peſtis, ex eo contigit, quod cùm Romani in Quadrageſima continenter vixiſſent, accepto in Paſchatis feſto corporis Domini Sacramento, ludis, comeſſationibus, & luxuriæ frena laxauerant, vt refert Guillielmus Durandus *in Rationali diuini Offic. lib. 6. c.* 102. *de Rogationibus*. Si ergo delicta poſt ſacram Paſchatis communionem commiſſa ſæuam adducunt hominibus peſtem, ac plurimis corporalem mortem inferunt; ea quæ in ipſa ab indignè recipientibus Communione perpetrantur ſcelera, quam peſtem non excitabunt? quæ ſupplicia non adducent? quam mortem non accerſent? Extemplò mortem incurrent, & ſi juxta S. Thomam, ipſum adorandum corporis Domini Sacramentum *mors eſt malis, & vita bonis*; in illo mortem degluriunt, quà veluo piſcis hamo, ſuffocantur.

Peſtis Romæ ob peccata poſt communionem patrata.

Guil. Durand.

S. Thom.

465. Mirabilem è cœlo Iudæis præſtitum manna dum murmuratores ipſi manducabant, ſtatim corporea morte mulctabantur, vt patet *Num.* 11. 1. & notatur pſalm. 104. 31. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, &c.* Hinc poſtquam & Hebræorum murmur, & juſta illorum igne Domini caſtigatio deſcripta eſt *Num.* 11. ſtatim *ibid.* 7. ſubditur: *Erat autem manna quaſi ſemen coriandri*; vt ſcilicet oſtendatur, ab illo mirabili cibo mortis venenum in murmuratores erupiſſe. Etenim vt apud Plinium *lib.* 20. *natur. hiſt. c.* 20. videre eſt, ea vis & natura eſt coriandri, vt ſanet homines, & interficiat ſerpentes, quibus exitiale extat venenum. Manna igitur pacificos proboſque Iudæos alebat, ſuſtentabat, delectabat; improbos verò, contentioſos ac murmuratores, veluti ſerpentes coriandrum, necabat; ipſaque ſacroſancta Euchariſtia, cuius typus erat manna, juſtis hominibus ſuauem ac longæuam corporis vitam præſtat; impiis autem ac ſacrilegis, venenatis velut ſerpentibus ſemen coriandri, etiam corpoream infert necem.

Manna manducantes, & murmurãtes occiduntur.

Coriandrum ſerpentes necat.

§. II.

Mors ſpiritualis indignè communicantibus infligitur.

466. SEcundò ſpiritualis improbis à ſacroſancto corporis Domini Sacramento infertur mors; vel, vt veriùs loquamur, ſpiritualis quæ in illis, dum ad ſacram Synaxim peccatis polluti accedunt, reperitur, mors augetur & roboratur. Quod quidem non rigorosè, ſed oratoriè loquendo dictum volumus. Cùm enim juxta Philoſophos, *priuatio non ſuſcipiat magis & minus*; myſtica, ſeu ſpiritualis improborum hominum mors, quæ nihil aliud eſt quàm vitæ ſupernaturalis, ſeu gratiæ priuatio, vt formaliter talis, nequit augeri: attamen in quantum nouo ſcelere eidem morti addicitur, nouoque grauatur peccato, quo vitam amitteret ſpiritualem, ſi tunc illâ non eſſet priuatus, dicimus indigna communione mortem illam augeri & roborari, in quantum nouo, ac veluti duplicato jugo eidem ſubditur interitui, & ab illo nouo pondere prægrauatur. Cùm enim venerabile Euchariſtiæ myſterium à Chriſto Domino, tanquam ſpirituale Chriſtianorum alimentum ſit inſtitutum, ac propterea inter viuorum Sacramenta locum habeat; nuſquam fructuosè, niſi à viuentibus vitâ chriſtianâ, hoc eſt ſpirituali ac ſupernaturali, manducatur: itaque qui lethali culpâ vulneratus ad ſacram cœleſtemque accedit menſam, ſpirituali vitâ orbatus ſpiritualem cibum manducare præſumit, ac conſequenter indiſpoſitus & imparatus hoc recipit Sacramentum, in illud peccat, & ſtatim in criminis ſui vindictam nouo culpæ reatu inficitur, nouâque eidem crimini condignâ pœnâ morti ſpirituali addicitur. Quis enim corporeum cibum, qui viuorum tantùm alimentum eſt, corporaliter mortuo miniſtrare auderet? Si quis ita mentis inops defuncto alimenta vitæ ſubſidia præberet, contra naturam ageret, ipſique cibo non paruam inferret iniuriam. Qui ergo gratiâ orbatus, lethalium labe culparum pollutus, & omni vitâ ſupernaturali, ſeu gratiâ ſanctificante priuatus ſacrum Euchariſtiæ myſterium manducare non veretur, diuinum cibum præbet mortuo, ipſique viuo edulio non modicum infert dedecus, quia eius virtuti, quæ gratiam refectionis ſpiritualis producit, obicem ponit ac impedimentum. Debet ergo in tanti vindictam ſceleris ſpirituali morte mulctari.

Mors ſpiritualis augetur in ſuſcipientibus indignè Euchariſtiam, & quomodo.

Euchariſtia Sacramẽtum viuorum ſeu juſtorum, nõ mortuorum, id eſt peccatorum.

467. Clariſſimum, ſplendidiſſimumque Catholicæ Eccleſiæ lumen Auguſtinum Chriſtus olim docuit, ſe in tremendo Euchariſtiæ myſterio, non paruorũ, abiectorum, aut infirmitatis lethalis vulnere decumbentium; ſed magnorum, excelſorum, ac viuorum eſſe cibum, illoſque tantâ vi reficere, vt illos in ſeipſum tranſmutet. Sic enim refert Sanctus ille Doctor *lib. 7. confeſſ. c.* 10. Chriſtum ſibi in hæc verba eſſe loquutum: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Vnde & manna, quod huius Sacramenti typus eſt, & à Propheta *panis Angelorum* appellatur, à D. Hieronymo *panis fortium* dicitur. Nam *pſalm.* 77. 25. vbi legitur *panem Angelorum manducauit homo*, ex Hebræo D. Hieronymus legit, *panem fortium, ſeu robuſtorum*. Cùm ergo improbi, lethalis culpæ ſordibus maculoſi, omnique gratiâ ſanctificante deſtituti, nec magni, nec excelſi, nec viui, nec Angelica

Euchariſtia cibus eſt grãdium, id eſt perfectorũ.

D. Auguſt.

D. Hieron. Panis fortiũ.

puritate donati, nec fortes denique aut robuſti exiſtant, cibum iſtum grandium, viuorum, Angelorum, ac rubuſtorum manducare nequaquam debent: quod ſi temerè ac ſactilegâ mente impudenter illum ſumere præſumpſerint, æquiſſimâ mortis ſpiritualis pœnâ plectentur.

467. Lapis diaſcorides ex ſe fulgẽs, in ore mortui tenebratur.

Admirandus planè videtur lapis ille, Diaſcorides nomine, de quo rerum naturalium ſcriptores produnt, ſingulates inter virtutes quibus poller, ſplendidiſſimam lucem emittere, quâ tes ſeu loca quibus imponitur, mirificè colluſtrantur. Si autem in ore vitâ functi hominis ponatur, ſubitò omnem lapis iſte fulgurem ac ſplendotem amittit. Myſticus quidam, ac ſplendidus lapis ſacra eſt Euchariſtia; continet enim tealiter corpus Chriſti *lapidis angularis, electi, probati, ac pretioſi*, vt appellatur *Iſai.* 28. 16. & 1. *Pet.* 2. 6. gratiæ fulgoribus radiantis, ac ſanitatem in pennis ſuis habentis. Verùm ſi in ore mortui hominis morte peccati ponatur, ſi Communione in ſceleſti hominis ſtomachum trajiciatur, omnem in ſe retinet ſplendurem, nec gratiæ effuſione coruſcat, ſed juſtitiâ fulgurante emicat, fulmenque in maleuolam animam vibrat, eamque tenebris offuſam ſpirituali mucrone confodit. Illo etenim interitu dignus eſt qui non probatus, nec purgatus hoc Sacramentum edens, *reus eſt corporis & ſanguinis Domini*, vt loquitur Apoſtol. 1. *Cor.* 11. 27.

Euchariſtiæ Sacramẽtum in ore peccatoris nõ gratiam fundit, ſed mortem.

§. III.

Mors æterna indignè communicantibus infligitur.

468. Mortẽ æternam incurrit indignè communicans.

TErtia denique, quæ ab indignè communicante incurritur mors, æterna eſt. Inſanabilis vtique pœna, ſummâ æquitate ei qui mortis antidoto ac pharmaco immortalitatis abuſus eſt, retributa. Qui enim ex medicamine neſciuit recipere ſanitatem, debuit ab eodem vulnerari: & cibum mortis præſeruatiuum indignè comedens, debuit in eo non ſolùm corpoream, ac ſpiritualem, ſed etiam æternam mortem deguſtare.

469. Mors ſecũda eſt æterna damnatio.

Omnibus lethalis criminis reis hominibus æterna à ſummo & æquiſſimo Iudice ſtatuta eſt pœna, quæ quia illos ab æterna Dei fruitione, quæ ſempiterna vita dicitur, ſegregat ac disjungit, ac ardentiſſimis, acutiſſimiſque in inferis torquet flammis, mors æterna, vel *mors ſecunda*, vt legitur *Apoc.* 20. 14. & 21. 8. appellatur. Sed cui ſceleri maiori cum æquitate pœna hæc infligitur, quàm indignè ad ſacram menſam accedentibus? Hoc enim temerario auſu in ipſum Redemptorem inſurgit homo; directè enim in ſanctiſſimam innocentiſſimamque carnem, quam in ara crucis pro nobis obtulit, ac iteratâ oblatione quotidie incruento modo Patri Æterno offert, delinquit. Cúmque hæc puriſſima Chriſti Domini caro, eiuſque anima eidem hoc in Sacramento vnita, diuinæ Verbi perſonæ hypoſtaticâ vnione copulentur, contemptu, irreuerentiâ, negligentiâ, ac malitiâ, quibus in carnem Chriſti exurgit indignè communicans, in ipſum diuinam Verbi perſonam inuehitur, diuinæque Maieſtatis reus æternis nuſquam morituræ mortis mergendus eſt ſuppliciis.

Diuinæ reus eſt maieſtatis indignè communicans.

470. Hominem illum, qui nuptiali veſte non indutus, ad nuptias diſcumbere auſus fuerat, meritò obiurgauit Rex, ac obiurgatum ad ſupplicia amandauit. *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, vt legitur. *Matth.* 22. 12. 13. Quantò magis obiurgandus ac puniendus eſt, qui ad ſacram Euchariſtiæ menſam, vbi Rex ipſe conuiua eſt & conuiuium, non ſolâ nuptiali charitatis veſte nudatus, ſed omni vitiorum ſpurcitiâ ſordidus accedere non eſt veritus, ipſumque diuinum cibum ore immundo, & pollutâ conſcientiâ manducare? Tranſeat à conuiuio ad ſupplicium, & à regali menſa ad æternam gehennam detrudatur neceſſe eſt.

Veſte nuptiali charitatis nudatus ad Euchariſtiam accedens, in æternas mittendus tenebras.

471. Denique ſicut Siſara infenſiſſimus Iudæorum hoſtis, dum ex diuturna fatigatione lactis poculo reficitur, ac ſtatim poculo conſopitus, trabali clauo confixus moritur; nam *ſoporem morti ſocians, defecit, & mortuus eſt*, Iud. 4. 21. ita qui Dei hoſtis ad Chriſtum mammillam Patris accedit, ac ſuauiſſimum Euchariſtiæ lac comedere non veretur, ab illius dulcedine ad æternas amaritudines declinabit: ſiquidem non extraneorum, ſed filiorum; non hoſtium, ſed amicorum alimentum eſt corpus & ſanguis Domini: ipſe enim diuiniſſimi author Sacramenti corpus ſuum amantiſſimis ac intimis ſuis dedit Apoſtolis. Ait enim Matth. 26. 18. *Cum diſcipulis meis facio Paſcha*, & ad magnificum hoc conuiuium propinqui tantùm ac amici ſacris paginis inuitantur. *Comedite*, inquit Scriptura Cant. 5. 1. *amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Vbi à Septuaginta legitur, *proximi & fratres.* Impij ergo omninò a vita Dei alienati, ab hac menſa, diuiniſque eius dapibus arcentur: ſi autem temerario auſu acceſſerint, mortem exinde haurient æternis ſuppliciis luctuoſam. Vnde & typicè legem tulit Dominus Num. 18. 7. *Si quis externus acceſſerit, occidetur.*

Indignè ſugens Patris mammillam in Euchariſtia, morti æternæ addicitur.

472. Cùm ergo cuncti diligant homines vitam, eamque perpetuam; mortem, eamque æternam reformident oportet, & vt deſideria complcantur, & mala quæ timentur, repellantur, nullus ad ſacram Euchariſtiæ accedat menſam, niſi ſufficienti probatione purgatus. Nullus igitur malignus accedat, nullus peruerſo, aut fucato animo, nullus lethalis culpæ labe pollutus: ſed omnes purgati, mundati, nuptiali charitatis veſte induti, ac cæterarum ſplendore virtutum exornati ad cæleſtem corporis & ſanguinis Domini menſam veniant. Timore ſemper ac amore fulciantur, dum diuinum cibum edere cupiunt. Timeant, inquam, latentem judicem, & morte corporeâ, ſpirituali, ac æterna improbos ac indignè accedentes juſtiſſimè punientem. Ament optimum Saluatorem, vitâ corporeâ, ſpirituali ac æternâ juſtos ac bonos huius Sacramenti participes miſericorditer præmiantem. Solus etenim ille qui vitam ſpiritualem ac æternam à ſacra haurit Euchariſtia, dignè & fructuosè communicaſſe dicitur. *Probet* igitur *ſeipſum homo*, & omni mentis ſtudio laboret ſe ad tantum diſponere Sacramentum. Nam vt ait Auguſt. ſerm. 46. de verbis Domini, *Si tanto labore agitur, vt aliquantò plus viuatur; quanto agendum eſt, vt ſemper viuatur.* D. Auguſt.

Nullus malignus, niſi purgatus ad Euchariſtiã accedat.

LIBER

LIBER QVARTVS

SOLIS AQVINATIS SPLENDORVM,
Fideles ad mirabiles Euchariſtiæ effectus percipiendos, ipſamque gloriam aſſequendam roborantium.

AD poſtremam huius Operis partem, fauente Deo properamus, prioribus jam à nobis in ſuperioribus, eodem ſuccurrente Numine, vtcumque explanatis. Illam hoc in quarto libro exponere, ac quibuſdam illuſtrare conabimur; non obliti, in illa tanquam in epilogo, Fidelium complecti fortitudinem. Etenim à cibo Angelorum, viatorum facto pabulo, ita roborantur, vt non ſolùm filiorum Dei in via gaudeant viribus, ſed etiam eius adminiculo Beatorum in patria coronam, quâ legitimè certantes, ac feliciter vincentes præmiantur, aſſequantur. Mentem igitur Authoris noſtri, Doctoris ſcilicet Angelici, in omnibus ſequentes, in hac vltima huius Sequentiæ parte, quæ eſt fortitudinis, præcipuam Fidelium ad agendum virtutem, immò & ad Dominum redamandum, & in Euchariſtia adorandum, ac tandem ad æternam felicitatem comparandam, à tanto procedere Sacramento oſtendemus, ab illa, quam hactenus ſeruauimus, methodo nequaquam aberrantes.

Quarta & vltima pars huius cantici eſt fortitudinis.

TEXTVS XXI.

Ecce panis Angelorum
Factus cibus Viatorum,
Verè panis filiorum,
Non mittendus canibus.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. VLTIMAM huius Sequentiæ partem, tanquam illius epilogum aggrediens Sanctus Doctor, vt oſtendat, illam eſſe fortitudinis, quâ Fideles à ſacra Euchariſtia roborari, ac per illam aliquando coronari valent, ſtatim ab huius Sacramenti præſtantia exorditur; ait enim, *Ecce panis Angelorum:* vbi aduerbio demonſtrandi, *Ecce*, vtitur ad excitandum Fideles, vt attentâ Chriſtum in Euchariſtia latitantem, à quo in fide, gratia, ac virtutibus confirmantur, animi applicatione perpendant. Hoc enim aduerbio, *Ecce*, tum prophanæ, tum ſacræ vtuntur Literæ, vt illos quibus loquuntur, ad vehementem rei, ſeu obiecti attentionem inducant, ſimulque rem illam, vel inſolitam, vel admirandam, vel præſtantiſſimam demonſtrent.

Chriſtus in Euchariſtia attentè conſiderandus.

2. Quod planè in ſacris paginis conſtat; dum enim portentoſam ac omninò ſingularem Virginis conceptionem, tanquam infinitæ potentiæ ſuæ, ac bonitatis impio Regi ſignum præbere voluit Dominus, eodem aduerbio demonſtrandi, tanti miraculi narrationem inchoauit. *Propter hoc*, inquit Iſaias cap. 7. 14. *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Similiter dum mirandum illum euentum, quo fortiſſimus ille Samſon apes ſimul cum melle in leonis à ſe dilacerati inuenit ore, deſcribunt eloquia ſacra, eodem aduerbio vtuntur; nam *Iudic.* 14. 8. legitur: *Declinauit* (Samſon) *vt videret cadauer leonis; & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Tandem inæſtimabile illud beneficium, quo homines Deus proſequutus eſt, dum Chriſtum Dominum in monte transfiguratum, Filium ſuum ſibi dilectiſſimum ore proprio declarauit, illumque à nobis juſſit audiri, deſcribens Euangeliſta, eodem modo expreſſit, dicens Matth. 17. 5. *Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.*

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Scriptura aduerbio, *Ecce*, vtitur ad rem mirabilem demonſtrandam.

3. Cùm ergo S. D. Chriſtum Dominum in Euchariſtia veraciter deliteſcentem, tanquam cibum Angelorum & hominum, immenſum, ac inſolitum, immò & præſtantiſſimum donum Chriſtianis hominibus admirandum ſimul ac venerandum proponat, rectè vtitur illo demonſtratiuo aduerbio ECCE, dum inquit, *Ecce panis Angelorum.*

4. Verùm duabus illis vocibus, *panis Angelorum*, nihil aliud ſignificat quàm ipſum æternum Dei Filium in tempore incarnatum, de Virgine natum, paſſum, mortuum, ſepultum, ac glorioſè rediuiuum in cœlos eleuatum, vt ad Patris dexteram victor ſederet; & tamen amoris ſui, ſapientiæ, ac potentiæ miraculo, in corpore quod ſumpſit ex Virgine, in quo cum hominibus conuerſatus, ab hominibus pro hominibus paſſus eſt, ac tandem in Euchariſtiæ Sacramento concluſit, verè & realiter exiſtentem. Etenim nec Euchariſtiæ Sacramentum, vt ſpecies ac corpus Chriſti ſub eis latens complectitur; nec ipſummet corpus venerabile Chriſti, ſiue in Sacramento, ſiue extra Sacramentum, prout in cœlis Patris dexteræ triumphans aſſidet, propriè &

Panis Angelorum eſt Filius Dei in gloria ſua, diuinæ viſione eſſentiæ Angelos beans & reficiens.

rigoroſè loquendo cibus, ſeu panis Angelorum dici valent, ſed tantùm ipſum Verbum æternum, ſiue vnigenitus Filius Dei: ſub hac enim conſideratione illorum felicitatis author eſt, & obiectum. Vnde antequam humanitati noſtræ in ſacratiſſimæ vtero Virginis Verbum hypoſtaticè coniungeretur, jam Angelorum panis erat; illorum enim appetitum, tanquam æternæ obiectum beatitudinis replebat ac ſatiabat. Sed de his fuſiùs in elucidatione. Subdit autem Anthot:

5\. *Factus cibus viatorum.* Vbi Chriſtum, qui diuinitatis ſuæ viſione Angelos beando, illorum panis erat, hominum adhuc in via peregrinantium, ac in carne militantium cibum effectum pronuntiat. Duo autem ad hoc neceſſaria fuerunt. Primò vt Verbum Dei humanæ carni ſtrictiſſimè coniungeretur, vt quædam inter homines eſurientes, & cibum illos reficientem proportio intercederet. Quod quidem factum eſt in incarnatione, dum ex puriſſimo Virginis Immaculatæ ſanguine à Spiritu ſancto efformatum eſt corpus, quod ab vnigenito Dei Filio aſſumptum eſt. Quod inſinuat Auguſtinus *concion. 1. in pſal. 33.* dum ait: *Oportebat vt menſa illa lacteſceret, & ad parvulos deueniret.* Vt ſcilicet gloriæ fulgorem ac Deitatis maieſtatem humanitate temperaret: & carnis infirmitate infirmum ac eſurientem hominem ſimul ſatiaret, & ſanaret.

In Euchariſtia corpore ſuo reficit homines, factus cibus viatorum.

D. Auguſt.

6\. Secundò, corpus aſſumptum ab intemerata Genitrice tremendo in Euchariſtiæ myſterio, tanquam verum ac proprium animæ Chriſtianæ cibum ingenti debùit charitate Redemptor optimus collocare, omneſque ad magnificentiſſimum conuium Fideles ore proprio inuitare. Quod vtique fecit dum *Matth. 26. 26.* Cœnantibus duodecim diſcipulis acceptum panem, benedictum, ac fractum dedit eis, dicens: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Duobus igitur miraculis, Incarnatione ſcilicet, & Sacramenti Euchariſtiæ inſtitutione, *panis Angelorum* factus eſt *cibus viatorum*; hoc eſt, Filius qui paſcebat & ſatiabat in cœlis Angelos beatos, in terra ſeipſo pauit, ac ſatiauit (eo modo quo in via aliquis ſatiari dicitur) homines viatores, qui huius mirabilis cibi virtute ad æternam ſatietatem, nempe ad ſempiternam felicitatem accedunt. Deinde additur, *Verè panis filiorum.* Vbi S. D. præſtantiam huius cibi paucis complectitur. Cùm enim inquit, *verè panis filiorum*, idem eſt ac ſi diceret, ſanctos, puros, immaculatos, quales ſunt filij Dei, hoc eſt Angeli beati, & homines juſti, exigit hic cibus, vt dignè ac fructuosè manducetur: imò cùm Chriſtum Dominum, Deum & hominem, ac totius creatæ ſanctitudinis ſcaturiginem inexhauſtam realiter contineat, non debet niſi à ſancto, & conſequenter niſi à filio, hoc eſt ab homine juſtificato, à peccati ſordibus purgato, & virtutum fulgore exornato manducari.

Incarnatione & Euchariſtiâ Filius Dei factus eſt cibus hominum viatorum.

Euchariſtia eſt panis filiorum, ideſt juſtorum.

7\. Adde quod cùm hæreditas paterna filiis tantùm conueniat; diuina autem hæreditas, quæ nihil aliud eſt quàm ipſemet Deus, necnon & æterna felicitas, quæ in eius viſione, ac poſſeſſione ſita eſt, in Chriſto Domino glorioſo, ac gloriæ largitore, in hoc Sacramento concluſo veluti lateat, non debet hoc Sacramentum ab aliis quàm à filiis qui hæredes ſunt, manducari, aliàs non vitam, ſed mortem tribuet; non hæreditatem, ſed eius conferet priuationem, vt ſuprà retigimus. Vnde ſubdit Authot:

Hæreditas duntaxat filiis datur.

Non mittendus canibus; ideſt, hic cibus, qui tantùm eſt filiorum, ob ſummam eius excellentiam, nequaquam improbis ac ſceleratis præbendus eſt: *non* enim, vt dixit Saluator Matth. 15. 26. *eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* 8.

Et non debet dari canibus, ideſt peccatoribus.

Conuenienter autem impij ad ſacram menſam accedentes, ab Angelico Doctore *canum* nomine inſigniuntur; quia ſicuti bruta hæc animantia, nullâ habitâ ratione eduliorum, nec præſtito vllo ciborum delectu, in ea quæ occurrunt, alimenta irruunt præcipites, lacerantes, conculcantes ac deuorantes, ſeipſoſque cruentantes: ita ſceleſti homines ſacra indignè myſteria haurientes, quantùm in ipſis eſt, immortale Domini corpus præcipiti voracitate lacerant, conculcant, ac ſumma crudelitate diſcerpunt. Quibus ſanè optimè quadrat illud Apoſtoli Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*; hoc eſt, omnibus illudendum & irridendum proponentes. De his loquutus videtur dilectus Domini diſcipulus *Apoc. 22. 15.* dum ait: *Foris canes, & venefici, & impudici.* Hos enim omnes peccatores à ligno vitæ, hoc eſt à conuiuio Euchariſtico arcet, & expellit; de quibus inſuper Chriſtus Dominus Regij Vatis oraculo ait pſalm. 21. 17. *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me.* 9.

Cur peccatores ad ſacrã Menſam accedentes, canes vocentur.

Verùm canibus peiores ſunt, qui ſacrum Domini corpus pollutâ ſuſcipere animâ non verentur. Quot etenim diuinorum oraculorum fulminibus ab huius diuinæ participatione menſæ non repelluntur? Quantis perennium minis ſuppliciorum, ne vllius criminis labe maculoſi accedant, non terrentur? Et tamen nec diuina timent oracula, nec pœnas intentatas reformidant; cùm tamen ipſi canes heri minis perterreantur, verbera fugiant, & ſemel percuſſi à vetitis abſtineant alimentis. Sanè belluinam ſuperat feritatem humana malitia; & caninam ingluuiem ac voracitatem improborum ad ſacram Synaxim accedentium præceps ac peruerſa vincit temeritas. 10.

Canibus peiores indignè communicantes.

Spurium illum Iſraëlitarum hoſtem, carnis maſsâ prægrauatum Gigantem Goliath miro aggreſſus eſt animo pulcherrimus Dauid. Hic adoleſcens non ſuis fretus viribus, ſed Domini exercituum præſidio roboratus, inermis, abſque galea, immò & abſque gladio contra animatum montem, ſi ita loqui liceat, in arenam deſcendit. Specie ſuâ ac pulchritudine ſuâ proſperè proceſſit, animosè dimicauit, feliciter vicit, & gloriosè de fracto ac occiſo Gigante triumphauit. At quomodo proceſſit ad pugnam? Baculo fretus, & lapide ac fundâ munitus. Sed hunc bellatorem ſpreuit Goliath, & irriſit: nam vt ſcriptum eſt 1. Reg. 17. 43. *Dixit Philiſthæus ad Dauid: Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo?* Germana planè improbi hominis confeſſio: dum Dauid ſpernit, ſeipſum contemnit; & dum fortiſſimum juuenem irridet, ſe cane peiorem declarauit. Quod eleganter notauit Chryſoſtomus *hom. de Dauid & Goliath*, vbi ſic gigantem illum alloquitur: *Peior es cane, qui nec virgam metuis, nec lapidem, quo moriturus es, extimeſcis.* Goliath imitatores ſunt impij illi Sacramenti Euchariſtiæ 11.

Dauid inermis armatũ Goliath aggreditur.

Goliath canis, & cane peior.

D. Chryſoſt.

Euchariſtiæ tractatores: Sanctum conculcant, dum recipiunt; & nec minis, nec verberibus deterriti, à menſa vetita peiores canibus non recedunt. Quanta eſt improbæ mentis peruerſitas! Nec virgam metuit, nec lapidem illum angularem, probatum, pretioſum, electum, qui Chriſtus eſt, ac in hoc Sacramento realiter continetur, & à quo mortem triplicem haurit, non extimeſcit. Audiant hoc qui obſtinatâ cordis duritie nec Deum timent, nec homines reuerentur; & calcatis omnibus pœnarum minis, dum Sacramenta cœleſtia ſuſcipiunt, judicium ſibi manducant & bibunt. Vtinam canibus peiores non ſint, ſed vel præceptis flexi, vel verberibus emendati, vel ſuppliciorum minis perterriti, in meliorem frugem moreantur, vt ſeipſos probantes, ac ſacrâ pœnitentia purificantes, à ſacra menſa non vt canes interitum, ſed vt filij gratiam & vitam accipiant.

ELVCIDATIO I.

De Chriſto Angelorum & hominum pane.

12. QVia Fideles omnes ad mirandum, reuerendum, & ad amandum Saluatorem optimum Chriſtum, S. D. in textu quem nunc exponimus, excitauit, proponens illis amantiſſimum hunc Redemptorem, qui in cœlis panis eſt Angelorum, in terris factum cibum viatorum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Myſterio; ideo vt mentem illius aſſequamur, ea quæ S. D. tetigit, enucleate, ac illuſtrare hac in elucidatione conabimur.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Chriſtus ſit panis Angelorum.

13. SPirituales creaturas, ac ſeparatas omninò à carnali commercio intelligentias ad Dei ſimilitudinem ab ipſo omnium rerum Conditore efformatas, ac gratiâ & ſanctitudine ſimul cum eſſe donatas in eodem creationis illarum momento, ac loco, cœlo ſcilicet Empyreo, quis Theologorum, vel etiam Catholicorum ignorat? Hæ Angeli appellantur, quæ ſanè nomenclatura illarum potiùs officia ſeu miniſteria, quàm naturam exprimit & declarat. Puri ergo ſunt ſpiritus, per ſe ſubſiſtentes, non tantùm variis officiis, vel ordinibus, vel hierarchiis, ſed etiam ſpecie omnes inter ſe diſcreti. Tribus vel momentis, vel inſtantibus illorum ad cœleſtem patriam, ſeu æternam beatitudinem via, ſeu peregrinatio omninò abſoluta eſt. In primo inſtanti omnes Angeli in gratia conditi ſunt, ac ſtatim operari tam operatione naturali, quàm etiam ſupernaturali, à Deo vt ſpeciali motore ad talem actionem applicari: vnde omnes in eo meruerunt, ſed non ſimpliciter, neque perfectè, vt beatitudinem aſſequerentur; actus enim charitatis tunc ab illis elicitus non fuit perfectè liber, ſed neceſſarius quoad ſpecificationem, & liber dumtaxat quoad continuationem & exercitium. In ſecundo inſtanti, boni Angeli in illa ad Deum ſupernaturali conuerſione, ab illis incœpta in inſtanti præcedenti, ex plena deliberatione ac perfecta libertate perſeueratores, plenè ac perfectè meruerunt: mali

Angeli in cœlo empyreo creati, ſpecie diſcreti, & gratiâ exornati.

Tria viæ Angelorum inſtantia.

verò Angeli ab illa prima ad Deum conuerſione recedentes, ſeſe plenâ, ac perfectâ libertate ad ſeipſos, propriamque excellentiam inordinatè conuertentes, à Deo auerſi peccauerunt. Tandem in tertio boni præmium æternæ beatitudinis ſunt aſſequuti, & mali in æternæ infelicitatis barathrum detruſi.

Boni in tertio inſtanti beatitudine donati, & mali in inferos ſunt deturbati.

14. Illis igitur, qui ab Empyreo in ſuperbiæ ac ingratitudinis pœnam, ad inferna in æternum cruciandi deturbati ſunt, omiſſis, cæterorum qui *filij Dei & aſtra matutina* in Scriptura appellantur, Chriſtus Dominus panis eſt, & alimentum. Illos nutrit, reficit, ſuſtentat & ſatiat; merces enim eſt, ac obiectiua beatitudo, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum.

Sanctorum Angelorum panis Chriſtus eſt, quia præmium.

15. Cùm autem duplicem in Chriſto Domino debeamus conſiderare naturam, diuinam ſcilicet, & humanam, duplici modo ſanctorum poteſt dici Chriſtus panis Angelorum. Si ergo Chriſtus attendatur vt æterni Patris æternus eſt Filius, Verbum viuum, eius gloriæ ſplendor, eius ſubſtantiæ character ſeu figura, vel potiùs imago omni ex capite perfectiſſima; Angelos à primo ſuæ beatitudinis exordio reficit, & tanquam illorum panis nutrit, & ſatiat. Cùm enim aſſequutio vltimi finis, intuitiua & clara viſio diuinæ eſſentiæ, quæ vna & eadem eſt in Patre, & Filio, ac Spiritu ſancto, ſit ipſamet beatitudo Angelorum; hæc autem cùm omne deſiderium compleat, omnemque adimpleat appetitum, ſatiate illum, à quo poſſidetur, dicatur juxta illud pſal. 16. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*: Chriſtus, quà Filius Dei, & Verbum, Angelorum creator eſt, principiumque, finis vltimus ac felicitas. Vnde cùm beantur Angeli, eius viſione, poſſeſſione ac amore beantur: cùmque hac beatitudine pleniſſimè ſatientur, illorum panis meritò appellatur.

Chriſtus vt Deus, Angelorum Creator, principium, & finis vltimus.

16. Hinc eſt quod cognitio beatificans Angelos, quamvis ad totam diuinam eſſentiam, vt in tribus reperitur perſonis, terminetur; attamen dicitur antonomaſticè *cognitio Verbi*: nam cognitio matutina Angelorum illa eſt ſecundùm D. Thomam 1. *p. q.* 58. *art.* 6. & 7. quâ vident Verbum, & res in Verbo: & cognitio veſpertina eſt illa quâ cognoſcunt eſſe rerum, quod habent in propria natura. Cùm autem, juxta eundem S. D. Angeli videndo Verbum cognoſcant non ſolùm illud eſſe rerum quod habent in verbo, ſed illud eſſe quod habent in propria natura; ſicut Deus per hoc quod videt ſe, cognoſcit eſſe rerum, quod habent in propria natura: ideo hæc cognitio veſpertina in Verbo quæ Angelis beatifica eſt, eſt eadem cum cognitione matutina, quâ ipſe Deus ab Angelis videtur, & illos beatificat; & tantùm differt ſecundùm obiecta cognita, quamvis cognitio matutina naturalis in Angelis, differat à cognitione veſpertina etiam naturali.

Cognitio beatifica dicitur cognitio Verbi. D. *Thom.*

Cognitio matutina, & veſpertina, quid ſint.

17. Ex quibus manifeſtè conuincitur, Chriſtum Dominum ante aſſumptam humanæ fragilitatis naturam, prout in fulgore maieſtatis & in ſinu Patris, tanquam eius ſplendor gloriæ radiabat, diuinitatis ſuæ oſtenſione Angelos æternâ felicitate donaſſe. Tunc enim ipſe Dei vnigenitus, vt *ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis* diuinæ, diuinam eſſentiam perfectiſſimè intellectui Angelico repræſentabat, omniaque ad beatitudinem requiſita: nam cùm Filius Dei ſit etiam formaliſſimè Verbum Dei, quia vt loquitur D. Auguſtinus, *eo dicitur Verbum, quo Filius*; quia ſcilicet à Patre per intellectum ſimilis in natura

Verbum Dei Angelis oſtẽdit omnia ad beatitudinẽ requiſita.

formaliter, & ex vi proceſſionis oritur; & in Verbo quod in mente Patris conceptum eſt, repræſententur omnia quæ in eius conceptione intellexit: eúmque Pater intelligendo ſe, & Filium & Spiritum ſanctum, & omnia alia quæ eius ſcientiâ continentur, concipiat Verbum, vt docet Angelicus Doctor 1. *p. quæſt.* 34. *art.* 1. *ad* 3. inde eſt quod illud Verbum diuinæ eſſentiæ, Perſonarum, immò & omnium creaturarum eſt perfectiſſimè expreſſiuum, ac conſequenter Angelorum intellectibus omnium illorum, quæ ad perfectam eorum felicitatem requiruntur, exhibitiuum. A Verbo Dei igitur pleniſſimè beati perfecte ſatiantur; ſuæ etenim maieſtatis manifeſtatione in bonis replet deſiderium illorum: nec ex hoc ſequitur, Patrem, & Spiritum ſanctum ad Angelorum felicitatem non cooeurrere; ſed tantùm Verbum Dei ſpeciali quodam modo, ex eo quod Verbum expreſſiuum ac repræſentatiuum eſt, vt jam expoſuimus, Angelos beatificare, & antonomaſticè panem vocari Angelorum. Vnde Auguſtinus *conc.* 1. *in pſalm.* 33. ait: *In principio erat Verbum. Ecce cibus ſempiternus, ſed manducant Angeli.*

D. Thom.

D. Auguſt. Verbum eſt cibus ſempiternus, quem manducant Angeli.

18. Verbi Dei igitur manifeſta & intuitiua viſio, Sanctorum eſt refectio Angelorum, quia illorum omnium deſideriorum eſt complementum. Verùm ex hac ſatietate nequaquam faſtidium deducunt, ſed gaudium: ſic enim ſaturatur pia in Dei viſione Angelorum voluntas, vt nouam ſemper videatur ex ſummo bono haurire voluptatem. Quod attigiſſe videtur Gregor. Magn. *lib.* 18. *Moral. cap.* 28. dum inquit: *Deum Angeli vident, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri, & intuentur. Ne autem ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur; & ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant: & deſiderant ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio accenditur.* Quod quidem à tanto Pontifice dictum fuit, propter illa verba 1. Petr. 1. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Satietas beatitudinis non parit faſtidiũ, ſed gaudiũ.

D. Gregor.

19. Secundò Filius Dei in aſſumpta humanitate, etiam panis Angelorum dicitur, quia ab eius humanitatis ſupra omnes cœlos eleuatæ, ac ad dexteram Dei aſſidentis viſione mirum in modum delectantur. Quod quidem completiuè & perfectè eſt intelligendum; nam ab incarnatione, & natiuitate Chriſti ſummæ initium lætitiæ ſancti habuerunt Angeli. Tum quia Dominum ſuum hominem factum viderunt, & non ſolùm hominum, quos ſancti illi diligunt ac cuſtodiunt, diriguntque Spiritus, Redemptorem, verùm etiam naturæ Angelicæ ruinarum à deſertoribus rebellibuſque angelis illatarum reſtauratorem inſpexerunt. Tum quia illum propriæ ſalutis aſſertorem, ac gloriæ largitorem conſiderauerunt; à Filio quippe Dei in gratia conditi extiterunt Angeli, eius auxilio gloriam meruerunt, & ab eius miſericordia, & æquitate æternæ felicitatis coronam receperunt. Vnde vt notauit Bernardus, non ſolùm hominum Chriſtus Redemptor dicitur, ſed Angelorum. Sic enim de Chriſti redemptione loquens Mellifluus Doctor *ferm.* 22. *in Cant.* habet: *Qui erexit hominem lapſum, dedit Angelo ſtanti ne caderet; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc de captiuitate defendens; & hac ratione fuit vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.* Tum quia Caput ſuum nouo gloriæ ſplendore refulgens, & redemptionis hominum, ac in illa totius orbis reſtauratoris coronâ circumdatum aſpexerunt; Chriſtus etenim ſanctorum Caput extat Angelorum: quod docuit Apoſtolus *ad Coloſſ.* 2. 11. de eo ſcribens: *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Et ratio ſuadet; nam cùm Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ, vt legitur Eph. 1. 22. *ipſam dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam*; hæc autem non ſolùm conſletur ex hominibus, ſed etiam ex Angelis, vt docet S. D. 3. *p. q.* 8. *art.* 4. *in corp.* liquet illum etiam ſanctorum caput exiſtere Angelorum. Tum denique, quia per Chriſti natiuitatem Dei juſtitiam placatam, eius gloriam reſtitutam, longéque latéque propagatam, & homines Deo reconciliatos agnouerunt: vnde nato Saluatore, *ex abundanti gaudio*, vt loquitur Oecumenius, *cecinerunt: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, vt habetur *Luc.* 2. 14. Vnde Apoſtolus 1. *Tim.* 3. 16. de Chriſti incarnatione ſic magnificè, eleganterque loquitur. *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, &c.* Vbi juxta S. Thomam ibidem *lect.* 4. Chriſti natiuitas dicitur apparuiſſe Angelis, quia ex Dei bonitate & gratia, ſimul Chriſtus, & cum eo multa gratiæ myſteria illis reuelata ſunt: nam ſi Angelus, vt loquitur S. D. in ſua natura haberet, quod videret Verbum, non diceretur verbum apparere ſibi, ſed quod ipſe videret cùm vellet; & ideo dicit Apoſtolus, quod apparuit Angelis, quia non ſuâ naturâ viderunt ipſum: & verum eſt, quod à principio apparuit Angelis, quando ex conuerſione ad ſe deificat (ideſt beatificat) ipſos. Sed quando eſt incarnatum, multa myſteria innotuerunt Angelis, quæ non cognouerunt antea. Et ideo dicit Beda, quod in natiuitate apparuit Angelis claritas, quæ non antea in veritate viſa eſt.

Chriſtus hominum redemptor, & ruinæ Angelicæ reſtaurator.

D. Bernard. Chriſtus Redemptor Angelorũ.

Chriſtus caput Angelorum.

Nato Chriſto abundanti gaudio Angeli cecinerunt.

D. Thom.

Quomodo Chriſtus natus apparuit Angelis.

Ea ſunt quæ ſanctorum lætitiæ Angelorum initia præſtabant ex Verbi Dei aſſumpta humanitate. Quæ licèt illud paulò minùs ab Angelis minoraſſe videatur; tamen ex carnis humilitate, paſſionis tolerantia, ac copioſa perditorum redemptione conſtituit Chriſtum ſupra omnem principatum & poteſtatem; ita vt *in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, vt loquitur Apoſtolus *Philipp.* 2. 10. Vnde & ipſe amantiſſimus Redemptor, vt ſe etiam in humanitate & Regem, & gaudium diceret Angelorum, inquit Ioan. 1. 51. *Videbitis Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Vbi innuit, quod licèt Angeli naturâ ſuperiores fuerint aſſumptâ humanitate præciſè conſideratâ; quia tamen gratiâ inferiores exiſtunt, libenter, lætanter ac alacriter Filio Dei incarnato aſcendendo, deſcendendo, ac vltrò citróque concurſando deſeruiunt. Quod notauit D. Chryſoſt. *hom.* 20. *in Ioan.* ait enim, quod illis verbis Nathanaëli Chriſtus ſuadet, vt ipſum Angelorum Dominum confiteatur. Tanquam enim ſuper dilectiſſimum Regis Filium regij miniſtri & aſcenderunt, & deſcenderunt: ſed quanta cum animi voluptate ad Chriſtum aſcendunt, & deſcendunt Angeli, id non licet exprimere, nec ſentire. Soli Angeli delectationem quam ex Chriſto nato, & inter homines conuerſante hauriunt, poſſunt enarrare; ita vt cuilibet illorum ad Chriſtum accedenti conueniat verbum illud in libro Iob, *cap.* 29. 6. exaratum: *Petra fundebat mihi riuos olei.* Chriſtus enim lapis electus & angularis, & de quo Paulus inquit 1. 20.

Chriſtus in humanitate ſupra omnẽ principatum & poteſtatẽ.

Super Chriſtum Angeli aſcendunt & deſcendunt, & quare.

Chriſtus petra fundens riuos olei, ideſt lætitiæ ac dulcedinis.

Cor. 10.

Cor. 10. 4. *Petra autem erat Chriſtus*, non ſolùm vberes aquarum, hoc eſt gratiarum latices hominibus, verùm etiam inundantes olei, hoc eſt lætitiæ ac dulcedinis ſpirituales riuos Angelis ad ſe venientibus effudit. Hinc eſt, quod Zachar.

Omnes Angeli in Chriſtum aſpiciunt.

cap. 3. 9. inquit: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*; id eſt, ſuper vnum Chriſtum omnium Angelorum (ſeptenario nempe numero vniuerſitas deſignatur) defiguntur obtutus, vt ſimul ab eo mandata ſuſcipiant, & exequantur, & ſummam ab ingenti gaudio cordis dilatationem accipiant. Vnde & *Cant.* 1. 2. dicitur: *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.*

D. Bernard.

Vbi juxta Bernardi expoſitionem, Verbi Dei incarnatio, & ardens Angelorum & hominum erga Chriſtum dilectio exprimitur. Sic enim præfata verba exponit ſerm. 15. in Cant.

Cur nomen Chriſti eſt oleũ effuſũ.

Nec modò fuſum, ſed & effuſum: nam infuſum jam erat, jam cœli habebant illud, jam Angelis innotuerat. Eſt autem foras emiſſum, & quod Angelis ita erat infuſum, vt eſſet & priuatum, effuſum & in homines eſt, ita vt jam meritò clamaretur de terra, Oleum effuſum nomen tuum. Hæc ille.

21. Gaudent igitur de hac effuſione Angeli: gaudent & de Chriſti natiuitate ſupremi illi ſpiritus, & natum Deum & hominem admirantur, & in eius amorem admirando mirabiliter inardeſcunt: gaudent etenim de fratrum ſuorum liberatione, de commiſſorum curæ ſuæ ſalute tripudiant; & ſummâ dulcedine perfuſi, à ſuauiſſimo oleo ignem ſimul hauriunt & alimentum; quia ſimul ab eo & amorem hauriunt, & cibum. Cùm enim

Oleum lucet, paſcit, & vngit.
Fouet ignẽ, nutrit carnẽ, lenit dolorẽ.
Lux, cibus, medicina.

juxta eundem Bernardum *loc. cit.* inter oleum, & nomen Sponſi, Chriſti ſcilicet, ſimilitudo reperiatur triplici quadam qualitate olei, *quod lucet, paſcit, & vngit; fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina*: tria illa in ſe diffuſa à Chriſto ſenſerunt Angeli. Etenim illis ſplendidiori lumine natus effulſit, quia multa illis myſteria redemptionis humanæ tunc patefecit, ex quibus cibus illorum nouo modo extitit, dum carne ſua, tanquam pane vitæ & intellectus, inſolito munere à carne diſcretos ſpiritus cibauit; ac tandem mirâ bonitatis ac redemptionis ſuæ dulcedine, dolorem illum, quem de naturæ ruinis Angelicæ conceperunt ita deliniuit, vt dum medicina extitit hominibus, quos ſaluauit, etiam remedium extiterit Angelorum. Tantis igitur à Chriſto inter homines nato ſuſceptis beneficiis, ſpirituales illæ adoleſcentulæ, Angelicæ ſcilicet intelligentiæ, nimis Chriſtum

D. Bernard.

dilexerunt, hoc eſt, vt idem exponit Bernard. ſerm. 19. in Cant. *valde, vehementer, ardenter*: ſicque nimis diligentes, etiam nimis, ſeu vehementer delectatæ ſunt.

22. Verùm enim verò, tranſacto conuerſationis Chriſti inter homines curriculo, peractoque paſſionis ſuæ glorioſo triumpho, poſtquam deuictâ morte, deleto peccato, calcatis inferis, cœlos victor aſcendit, & ad Patris dexteram ſedit, plenè

Chriſtus rediuiuus, & ad Patris ſedens dexterã eſt plenè & integrè panis Angelorum.

tunc & integrè ſanctorum panis extitit Angelorum. Splendidâ tunc eius humanitate victricem in corpore cicatricum ſplendore rutilante ita delectati ſunt, vt conſummato per eam omni redemptionis humanæ, ac Angelicæ reſtaurationis ſacramento, omne in ea angelicum deſiderium plenè & omninò ſit ſatiatum. Sicut ergo panis eum à quo ſumitur, ſatiat, auget & delectat: ita Chriſtus in cœlis triumphator omnem eorum ſatians appetitum, hoc eſt deſiderium eorum complens, eorum numerum ſanctorum hominum ſanguine ſuo redemptorum augens conſortio, & maieſtatis ſuæ fulgore immenſas eis delicias præſtans, verè eorum panis exiſtit.

23. Chriſtum Dominum liliorum floribus paſci, ſancta notauit Sponſa, dum *Cant.* 2. 16. de illo inquit: *Qui paſcitur inter lilia.* Sed cùm D. Bernardus *ſerm. in natiuit. B. Mariæ Virginis*, obſeruauerit lilia odore potiùs, quàm ſapore placere, & magis viſui apta eſſe, quàm eſui; conſortium potiùs, quàm conuiuium ex eis confici conſtat.

Chriſtus inter lilia paſcitur: non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorum.

Vnde Mellifluus Doctor: *Fortè*, inquit, *non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorum.* At Angeli, qui albentia veluti lilia cœleſtem quam incolunt patriam ſuo candore decorant, non tantùm liliorum conſortio delectantur, verùm etiam viuentis ac fulgidi lilij, quod Chriſtus eſt (ipſe enim lilium eſt, vt illum appellauit Ambroſius de obitu Valentiniani, & ſeipſum nominat Saluator *Cant.* 2. 1.) odore & viſione paſcuntur: ore etenim intellectus ſupremi illi ſpiritus ſuauiſſimum ex pulcherrimo illo lilio cibum capiunt, quo ſuauiter paſti, ac delectabiliter enutriti, nequaquam ab eo recedunt, ſed in ipſo feliciter requieſcunt.

Chriſto vero lilio paſcuntur Angeli.

24. Ampliores attamen ac ſuauiores ſunt ex tanto cibo Angelorum deliciæ: nec ſolo lilio, ſed etiam vernantibus roſis reficiuntur. Mitto quod ipſe Chriſtus, qui eſt lilium, ipſe etiam præſtantiſſima roſa eſt. *Ego*, inquit Caor. 2. 1. *flos campi, & lilium conuallium.* Vbi doctiores ex Hebræo Interpretes legunt, *Ego roſa campi.* Nec mirum, ipſa enim æterna Sapientia ſemetipſam roſæ nomine decorauit, dum inquit Eccl. 24. 18. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hiericho.* Sed roſas coruſcantes ac fulgidas dico ſacra eius ſtygmata, quibus etiam in cœlis eius ſplender venerabile corpus. Nonne in eius manibus, pedibus ac latere micant roſæ? Nonne roſæ cruore roſeo vernantia vulnera, quæ clauorum acuminibus, ac diro lanceæ mucrone carni Saluatoris ingeſta, mortis, peccati, orcique ſæua ſpicula retuderunt? Spinas neſciunt, pungere non norunt roſæ iſtæ, quia ſpinis carent & aculeis: & illas quas in flore iſto peccatum appoſuit ſpinas; iſtæ peccatum delentes abſorbuerunt. Quæ igitur ſentibus non horreſcunt, ſed fulgidæ rubore clareſcunt in Chriſti corpore roſæ, Sanctos non ſolùm recreant, ſed reficiunt Angelos. Etenim ipſas dum contemplantur, ingenti gaudio ſaturantur; quod enim ſumma cum lætitia proſpiciunt, id tanquam cibum ore intellectus recipiunt. Quod vtcumque probari poteſt ex verbis Raphaëlis, qui cùm ſe Angelum declaraſſet, *Tob.* 12. 15. dicens: *Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum*; ſubdit ibidem 19. *Ego cibo inuiſibili vtor.* Vbi ſe omnipotentis Dei viſione, ante cuius conſpectum ſtabat, & cuius eſſentiam intuitiuè aſpiciebat, ſe cibari aſſueuerat. Cùm ergo ipſius Diuinitatis manifeſtatio ſanctos Angelos ante Verbi Incarnationem cibauerit & ſatiauerit, optimè peractâ Incarnatione, glorioſæ ac victricis Chriſti humanitatis ad dexteram Dei ſedentis contemplatio eoſdem cibat ſpiritus, ſatiatque.

Christus roſa campi, & lilium conuallium.

Vulnera Chriſti, roſæ ſunt ſpinis carentes.

Recreantes & reficientes Angelos.

Cibo inuiſibili vtuntur Angeli.

25. Nec mirum, ſanctiſſimæ humanitatis Saluatoris glorioſâ apparitione cibari ac ſatiari Angelos; quia quod votis omnibus concupierant in illa habentes, juſtorum ſuorum habent deſideriorum complementum. Quo pacto etiam ipſe, qui nec deſideriis angitur, nec ſpe affligitur, nec cuiuſque

abſunt à

Digitized by Google

Deus ipſe quodãmodo paſcitur.

abſentiâ boni langueſcit Deus, cùm ipſe ſit vltimus finis, ſummum bonum, & omnium hominum & Angelorum merces, corona, ac æterna felicitas, veſci & paſci dicitur, dum quod optare videtur, eius ſic diſponente prouidentiâ, conſilio dirigente, & gratiâ adiuuante accidit, ſicut optimè notauit Bernardus *ſerm. 71. in Cant.* exponens illud Cant. 2. 16. *Qui paſcitur inter lilia*; vbi ait: *Cibus eius pœnitentia mea, cibus eius ſalus mea, cibus eius ego ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, cinis ſum vt manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm inſtituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, vnior cùm conformor.* Hæc ille. Si ergo quia Deus peccatorum conuerſionem, eorumque pœnitentiam vehementer deſiderat, nam vt ait Apoſtolus 1. Theſſ. 4. 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, pœnitentem edere dicitur; cur non Angeli qui Chriſtum ardenter cupiunt, eiuſque gloriam, ac totius per eum reſtaurationem vniuerſi mirabiliter concupiſcunt, hæc omnia in ipſa triumphatrice Chriſti humanitate cernentes, veſci, ſatiarique dicentur? Sed tanto feliciùs, quantò glorioſiùs paſcuntur: glorioſa etenim eorum paſcua, dum ſimul florem ſeu roſam campi, quinque vernantibus ac coruſcantibus glorioſo cruore roſis, perpetuis veluti victoriæ ſuæ monumentis exornatam, & lilium conuallium perenni immortalitatis ſplendore veſtitum edunt, deglutiunt, ac ſibi perſpicaci intuitu, ardentique charitate coniungunt. Nam vt docet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 2. *ipſum Chriſtum ſpiritualiter manducant, in quantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta: quem panem expectamus nos in patria.*

D. Bernard.

Peccator dum pœnitet, à Deo manducatur.

D. Thom.

26. Ex quibus euidenter colligitur, Sacramentum Euchariſtiæ ſolis hominibus viatoribus à Chriſto Domino præparatum ac inſtitutum, nullo modo, nec etiam ſpiritualiter à ſanctis Angelis manducari. Cùm enim ſolius hominis viatoris ſit credere in Chriſtum cum deſiderio ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo realiter continetur, ſuſcipiendi, ad illum dumtaxat pertinet, & hoc Sacramentum, & Chriſtum prout in eo deliteſcit, ſpiritualiter manducare. Quia tamen ſumptio Chriſti ſub hoc Sacramento ordinatur ſicut ad finem ad fruitionem patriæ, in qua ſancti eo fruuntur Angeli, manducatio Chriſti, quâ ſub hoc Sacramento ſumitur, ab illa, quâ Chriſto fruuntur in patria, manducatione quodammodo deriuatur. Vnde dicitur fidelis viator panem Angelorum manducare, quia primò, & principaliter eſt Angelorum, qui eo fruuntur in ſpecie propria; ſecundariò autem eſt hominum, qui Chriſtum ſub hoc Sacramento in ſpecie ſuſcipiunt aliena.

Euchariſtia ſolis viatoribus præparata.

Manducatio Chriſti in Euchariſtia, oriturque ab illa quâ manducatur in patria.

Sectio II.

Quomodo Chriſtus fiat panis viatorum.

27. Chriſtum Dominum in propria ſpecie panem eſſe Angelorum, ex jam dictis manifeſtum eſt: verùm quia *panis Angelorum, cibus factus* dicitur *viatorum* à S. Thoma in illo quem modò illuſtramus textu, ideo quomodo hoc adimpleatur, nobis modò incumbit demonſtrare.

28. Vnigenitus igitur Dei Filius paternæ ſplendor gloriæ, eiuſque ſubſtantiæ character perfectiſſimus, ac imago viua, ac vera, etiam hominum cibus eſſe voluit; & qui Angelos ſeipſo paſcit, etiam ſeipſo homines voluit ſuſtentare.

Dupliciter autem viatorum hominum cibus eſt Chriſtus, vel in propria ſpecie, quâ homo-Deus in ſe conſtituitur; vel ſub ſpecie Sacramenti Euchariſtiæ, vbi panis accidentibus corpus eius obuolutum mirabiliter ac veraciter deliteſcit. Vnde duplici modo panis viatorum Chriſtus factus eſt, incarnatione ſcilicet, & Euchariſtiæ Sacramento. 29.

Dupliciter, ſcilicet incarnatione, & Euchariſtiâ Chriſtus factus eſt cibus viatorũ.

Primò igitur ſi Chriſtus in propria ſpecie, & extra Sacramentum conſideretur, incarnatione hominum adhuc peregrinantium cibus factus eſt, & ab illis ſpiritualiter dumtaxat manducatur per fidem ac charitatem. Cùm enim quædam veluti affinitas inter cibum, & illum qui eo veſcitur, debeat reperiri, Verbum Diuinum, quod in propria Filij Dei ſpecie, ac diuinæ ſplendore maieſtatis ſanctos Angelos à corporibus omninò alienos beatâ ſatiat viſione, vt homines in terris degentes ac cœleſtem ad patriam pergentes reficeret, carni debuit copulari, ac inter homines homo peregrinari. Quando enim in terris Filius Dei viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, tunc ſe parem ac ſimilem oſtendens hominibus, eorum ſe panem & pronuntiauit, & præbuit: nam Ioan. 6. 32. *Pater meus*, inquit, *dat vobis panem de cœlo verum.* Et exponens quid ſit iſte panis, *ibid. 35.* ait: *Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Ibi enim vt grauiores exponunt Interpretes, de ſeipſo loquitur Chriſtus, prout eſt panis myſticus ac ſpiritualis, & obiectum Fidei: quod peragit vſque ad numerum 52. excluſiuè, vbi de pane ſacramentali, ſeu de corpore ſuo ſub ſpeciebus panis in Euchariſtiæ Sacramento Fidelibus concedendo ſermonem inſtituit. 30.

Incarnatione cibus eſt hominum Chriſtus in propria ſpecie, & ab illis tantùm ſpiritualiter manducatur per fidem & charitatem.

Planè hoc attigit Auguſtinus conc. 1. in pſalm. 33. *In principio* (inquit) *erat Verbum, ecce cibus ſempiternus, ſed manducant Angeli. Quis homo poſſet ad illum accedere cibum? Oportebat vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos deueniret. Vnde autem fit cibus lac? Mater hoc facit: quod manducat mater, hoc manducat infans.* Et modum quo Verbum Dei panis Angelorum, fit incarnatione in materno vtero, & eius lacte vbere virgineo miniſtrato, panis viatorum, vt oſtendat, ſubdit Auguſtinus: *Quia infans minùs idoneus eſt, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem.* Sicuti ergo maternis vberibus panis lacteſcit, & infanti aptus efficitur; ita Verbum Dei panis Angelorum in Virginis intemeratæ vtero veluti lactis formam ſumpſit, dum carnem ibi induit, vt viatorum hominum cibus efficeretur. Vnde Auguſtinus concludit: *Quomodo de ipſo pane panis nos ſapientia Dei?* Et ſtatim reſpondet: *Quia Verbum caro factum eſt, & panem Angelorum manducauit homo.* Itaque incarnatione ſua ſe in cibum præparauit hominibus Deus homo, & eſurientes ac famelicos peccatores non alio repleuit pabulo, quàm ſeipſo. Cùm enim elongatum à ſe hominem, ne periret, ad ſe reuocare, ſibique immenſâ charitate vnire voluerit, peractâ ſummâ, maximâque omnium vnione, quâ ſibi hypoſtaticè naturam copulauit humanam, vt ſingulos ſibi coniungeret homines, ſe omnium conſtituit alimentum; vt dum diuinum illum cibum credendo & amando ſumerent, ipſi illâ, quâ coniunguntur alimentum & alitum, 31.

D. Auguſt.

Mater Dei panem Angelorum, fecit panem viatorum, dum ipſi corpus præbuit.

Vt ſingulos ſibi Chriſtus vniret homines, panis illorum factus eſt.

vnione

vnione adhærerant. Sicut enim panis in illum, quem paſcit, ingreditur; ita in cor credentis Chriſtus Dominus non dedignatur intrare. Docuit etenim gentium Magiſter Epheſ. 3. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris.*

32. Hinc patet, ingenti prouidentiâ factum eſſe, vt Chriſtus, qui ab immaculata Virgine in Nazareth conceptus eſt, ex eadem, pudoris clauſtro non ſolùm ſeruato, ſed conſecrato, in Bethlehem mirabiliter naſceretur. Cùm enim priùs germinet, floreatque frumentum, antequam in dura, ex quibus panis conficitur, grana conſurgat; priùs in Nazareth diuinum voluit florere frumentum, quàm in Bethlehem perfectū in panem voluerit efformari ac declarari: *Florem* enim, *Nazareth*: & *panis domum*, juxta Hebraïcæ peritos linguæ, *Bethlehem* ſonat. Quod notaſſe videtur Gregorius Magnus *hom.* 8. *in Euang.* vbi de Chriſto ait eleganter: *Benè in Bethlehem naſcitur; Bethlehem quippe domus panis interpretatur: ipſe namque eſt, qui ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.*

Chriſtus in Nazareth conceptus eſt, & in Bethlehem natus, quia priùs floret triticum, quã in dura grana ex quibus efficitur panis, cõſurgat.

33. Suauiſſimum panem iſtum ardenti deſiderio concupierunt viri ſancti, qui ante felicem optimi Saluatoris ortum, mundo adhuc inediâ laborante, vixerunt. Rogarunt, expectarunt, fuderunt lachrymas, ſuſpiria emiſerunt: ſed nondum in panem hominum Angelorum cibo coagulato, nec viderunt, nec in re, ſed in voto dumtaxat, manducauerunt, in fide futuri viuentes Saluatoris. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes*, aiebat Iſaias *cap.* 64. 1. aliique, vt paſſim in Scriptura legitur, Chriſtum votis omnibus expetiuerunt. Qua de cauſa Daniël *vir deſideriorum* dictus eſt, *Dan.* 11. 19. nam vt ait D. Auguſt. hom. 64. de temp. *Daniel ideò deſideriorum vir appellatus eſt, quia panem deſiderij non comedit, quia magis Chriſtum, quàm epulas deſiderabat.* Eodem etiam arſit deſiderio Dauid, qui aquam è ciſterna Bethlehem ſummoperè exoptatam haurire noluit, ſed effudit, ac Domino dedicauit, vt videre eſt 2. *Reg.* 23. 16. Nam vt loquitur Ambroſius in apologia Dauid, cap. 2. *Repreſſâ victor cupiditate profudit aquam Domino, vt oſtenderet, quod ſitim ſuam Verbi conſolatione reſtingueret.* Quòd etiam notauit Gloſſa ibidem, dum inquit: *Aquam non ſitiebat, ſed naſciturum Chriſtum in Bethlehem prauid bat: lauacrum & ſanguinem ſitiebat.*

Patriarchæ & Prophetæ Chriſtum panem hominum deſiderauerunt, & eſurierũt.

D. Auguſt.

D. Ambroſ.

Dauid aquã non ſitiebat de Bethlehẽ, ſed Chriſtũ.

34. Vtinam Dauidis imitatores fuiſſent cæteri omnes qui poſt illum legis Moïſis fuerunt profeſſores, & qui ſacris eloquiis eruditi Redemptorem expectabant: ſi enim tanti Regis, ac Prophetæ veſtigiis inhæſiſſent, natum in Bethlehem Chriſtum verum Meſſiam, ac Saluatorem agnouiſſent, & tanquam panem ſpiritualem ac myſticum fide & charitate manducaſſent. Sed excæcauit eos malitia eorum, & quem ſperabant contemnentes, quem ſacra promittebant oracula reſpuentes, quem ſydera loquebantur neſcientes, quem denique prodebant miracula negantes, Chriſto pane ſpirituali veſci noluerunt, quia in illum credere recuſarunt, & à Deo eſurientes ac inanes dimiſſi ſunt.

Iudæi Chriſtum reſpuẽtes, famelici.

35. Felicior vtique gentium populus, qui ſalutem etiam ex Iudæis venientem recipere nõn recuſauit, ſed Chriſtum Regem in Bethlehem ex intemerata Virgine natum, Saluatorem ſuum agnouit, ſuſcepit, adorauit: ita vt qui antea in tenebris degens eſuriebat, Redemptoris fidei lumine colluſtratus, pane Angelorum cibo viatorum per Incarnationem facto veſcatur, & ſuſtentetur. Vnde meritò dum ſuperbi toto orbe terrarum diſperſi ſunt Iudæi, vt vbique cœleſtis pabuli, ac bonorum ſupernaturalium *famem patiantur vt canes*; vt dicitur *pſalm.* 67. 4. Gentiles ſacti Baptiſmatis vndis renati, & Chriſtianæ fidei profeſſores effecti, ad cœnam Agni inuitati, ad Regis prandium, & ad cellam vinariam cœleſtis Sponſi, diuinæ ſcilicet charitatis officinam introducti, *epulantur, & exultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia*, vt habetur *pſal.* 67. 4. Quod vtique duobus illis fratribus, de quibus *Luc.* 15. agitur, omninò exprimitur. Iudaïcus enim populus ſeniore deſignatus, in domo paterna enutritus, panibus abundabat, & lautis virtutum ferculis ſaginabatur, quamdiu à legali obſeruantia non diſcedebat: Gentilis autem in juniore adumbratus, à paterna domo digreſſus ita eſuriebat, vt ſicut porcinam agebat vitam, ita porcino victu vteretur, non ſolùm immoderatis fœdatus moribus, verùm idolorum cultu deturpatus. Sed diuinâ agente gratiâ, ad paternam domum reuerſus eſt iſte, dum ille ſuperbus & ingratus, inuidiâ ac prauâ offenſus æmulatione, fratris regreſſum non ſuſtinens à paterna receſſit domo: vnde dum Gentilis non ſolùm vitulum ſaginatum, ſed agnum immaculatum Patris miſericordiâ manducat, Iudæus extra domum eſurit, & cœleſti pane priuatus, bonorum ſpiritualium famem ipſâ morte deteriorem patitur: ita vt in hoc vtroque populo intemeratæ Virginis oraculum videatur impletum: *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Vnde optimè ad rem præſentem Ambroſ. ſerm. 12. in pſalm. 118. *Diuites*, inquit, *eguerunt, & eſurierunt, quia qui antea abundabant gratiâ, poſteà tamen propter perfidiam ſuam egere cœperunt. Qui autem pauperes erant populi nationum, jam per fidem Chriſti ſatiantur & abundant, ſicut ſcriptum eſt, Edent pauperes, & ſaturabuntur.*

Gentiles Chriſtum agnoſcentes & adorantes pane & vino ſaturati ſunt.

Iudæi & gentiles in duobus fratribus adumbrati.

Verùm ſicuti in Chriſto, ſpirituali ac myſtico hominum pane, omnia bona aggregantur, omneſque delitiæ inueniuntur: ita eius priuatio omnium malorum congeriem inducit; vnde cunctis malis oppreſſi ſunt ipſum cibum reſpuentes Iudæi: at omni bono cumulantur ipſi adhærentes, ipſoque viuentes Chriſtiani. Famem omnium malorum acerbiſſimam dixit Quintilianus, illamque peſtilentiâ, omnique bellorum ſtrage deteriorem exiſtimauit; ait enim declamat. 12. *Felix peſtilentia, felix bellorum ſtrages, denique omnis mors facilis. Fames aſpera, duriſſima neceſſitatum, acerbiſſima malorum.* At quæ fames aſperior, aut acerbior illâ, quæ panem viuum ac verum, Chriſtum Dominum famelico denegat? Aſperum quidem eſt omni corruptibili ac corporeo cibo carere, & longâ inediâ longam ac crudelem mortem ſentire: at aliquando accidit, vt fame moriente corpore, anima cœleſti cibo ſatiata viuat, & impinguata. Sed cœleſti, viuo ac vero animarum cibo omninò priuari, eiuſque inopiâ conſumi, nonne ſummum omnium malorum eſt? Quid enim prodeſt vita corporis, ſi anima eſuriens ac famelica moriatur? Tranſitoria corporis mors eſt; animæ autem æterna: vnde & Chriſto priuari, æternum Iudæis, & inſanabile malum eſt. Rectè ergo gentis ſuæ obſtinatâ perfidiâ ſpiritualem necem proſpiciens Ieremias *Thren.* 4. 9. ait: *Melius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame; quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ.* Dum enim *Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra* 36.

Omnia bona cum Chriſto.

Aſpera fames cibi ſpiritualis.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

dedit fructum ſuum, pſal. 84. 13. hoc eſt, dum ex ſumma Dei benignitate Virgo concepit Saluatorem, & ingenti miraculo fructum vitæ omnibus effudit hominibus, & gentes ad illum acceſſerunt, vt ex fœcunditate Virginis liberarentur, ſanarentur, ſatiarentur: Iudæi fructum vitæ reſpuentes nec partum Virginis adorauerunt, nec fructum ventris eius benedictum guſtauerunt, ſed impugnauerunt, ac fœcunditatem Virginis recuſantes, ſibi ſterilem terram noſtram exiſtimantes, inediâ ac fame perierunt. Contabeſcunt vtique, dum in Chriſtum non credunt: at Chriſtiani credentes non ſolùm viuunt, ſed impingueſcunt; ſatiantur enim adipe frumenti, & omnem in tanto cibo ſuauitatem deguſtant. Vnde D. Ambroſ. *ſerm.* 18. *in pſalm.* 118. hortatur omnes, vt ad Chriſtum incarnatione ſuâ hominum panem accedant, & ab eo mirabiles gratiæ diuinæ hauriant ſuauitates. *Accedite*, inquit, *ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum, & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eum, & liberamini, quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & abſoluimini, quia remiſſio peccatorum eſt.* Hæc ille.

Tabeſcunt, & fame pereunt Iudæi Chriſtum reſpuentes. *D. Ambroſ.*

Chriſtus panis, fons, lux, libertas, remiſſio peccatorum.

37. Cùm ergo panis, fons, lux libertas, ac remiſſio peccatorum ſit Chriſtus Dominus, & horum omnium mirabiles in credentibus ac diligentibus ipſum producat effectus, omnia quæ ibidem recenſentur bona, deſunt illis eius fidem ac charitatem non habentibus: vnde & Iudæi qui obſtinatâ mentis duritie Chriſtum Saluatorem repellunt, pane, fonte, luce, libertate, ac peccatorum remiſſione priuantur; ac conſequenter non ſolùm famelici contabeſcunt, ſed etiam ſitientes & aridi, cæci ac tenebroſi, captiui ac peccatorum maculis ſordidati, conſumuntur & pereunt. Multa adhuc poſſemus de hac materia hîc congerere, panis ſpiritualis Chriſti Domini præſtantiam, eiuſque vtilitatem illuſtrantia; ſed conſultò reticemus, quia & in ſuperioribus, & infrà paſſim à nobis ſparſa inueniuntur. Ed ideo ad panem ſacramentalem, ſeu ad exponendum quomodo in Euchariſtia Chriſtus ſit panis viatorum, progredimur.

Multis priuatur bonis qui Chriſto priuatur.

SECTIO III.

Chriſtus in Euchariſtia ſit verus panis viatorum.

38. BIfariam diximus, Chriſtum panem extare viatorum, Incarnatione ſcilicet, & venerabili Euchariſtiæ Sacramento. Illâ myſticus ac ſpiritualis panis eſt, quo credentes reficiuntur: iſto verus ac ſacramentalis cibus eſt, quo Euchariſtiam ore corporis recipientes nutriuntur in anima, impinguantur, ſatiantur. Primo modo jam à nobis explanato, ſecundus nunc nobis ſupereſt exponendus.

Chriſtus panis ſacramentalis in Euchariſtia.

Parum igitur immenſo Chriſti Domini amori videtur, ſe cibum ſpiritualem hominum viatorum ſuâ incarnatione factum eſſe; voluit inſuper nouo miraculo ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtiæ Sacramento cibus ſacramentalis eorundem in hoc ſeculo peregrinantium fieri. Fide, charitateque vt panis ſpiritualis ſolâ mente à Fidelibus editur: at ore corporis in Euchariſtiæ Sacramento verè & realiter manducatur; & dum fide ac charitatis feruore mens mouetur in Chriſtum, anima ſpiritualiter hoc cibo non tantùm reficitur, ſed ſaginatur. Quis ergo immenſum erga homines Chriſti Domini loquetur amorem? Quis mirabiles charitatis eius adinuentiones pronuntiabit? Quis ſtudia eius annunciabit? Fidelibus magnificum præparauit Chriſtus conuiuium, ipſiſque recumbentibus ſeipſum miniſtrauit in cibum. Rectè igitur de ſeipſo amantiſſimus dixit Saluator, Matth. 20. 28. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Quod Mellifluus Doctor exponens ſerm. 54. in Cant. *Bonus*, inquit, *miniſter, qui carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum, animam miniſtrauit in pretium. Bonus planè qui ſpiritu alacer, charitate feruens, pietate deuotus, non ſolum ſalit in montibus, ſed & tranſilit colles, id eſt ſuperat & vincit alacritate miniſtrandi*; & cætera, quæ eleganti ac florido, vt aſſolet, ſtylo Bernardus proſequitur, vt oſtendat Chriſtum Dominum omnes Angelos, qui ſunt *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis*, vt dicitur Hebr. 1. 14. ardore charitatis, ac miniſtrandi velocitate, & benignitate, ac rei miniſtratæ præſtantiâ ſuperaſſe.

Chriſtus vt cibus ſpiritualis fide & charitate editur, ſed vt cibus ſacramentalis ore corporis manducatur.

D. Bernard.

39. Sicuti ergo Incarnatione Verbi, intemeratæ Virginis in vtero, agente Spiritu ſancto, vnigenitus Dei Filius, qui in ſinu Patris panis eſt Angelorum, factus eſt ſpiritualis cibus viatorum; ita diuinâ operante potentiâ, & elementorum naturas tranſmutante, hoc eſt panis & vini ſubſtantias omnipotenti conuertente virtute, adorandum Chriſti Redemptoris corpus realiter ac veraciter ſub panis & vini ſpeciebus ponitur, hominumque viatorum ſacramentale efficitur alimentum. Vnde liquet, mirabili illâ panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti conuerſione ſubſtantiali, quæ meritò tranſubſtantiatio dicitur, panem Angelorũ in Sacramento Euchariſtiæ cibum fieri viatorum.

Agente Spiritu ſancto, Chriſtus factus eſt cibus ſpiritualis in Virginis vtero.

Diuinâ agẽte virtute cibus ſacramẽtalis fit in Euchariſtia.

40. Verùm quia in ſuperioribus jam de ipſa tranſubſtantiatione egimus, conſultò de ea nunc non tractamus. Sed quia admiranda hæc panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutatio in ipſa, & ab ipſa conſecratione adimpletur, ipſaque conſecratio in ſpecialibus verbis à Chriſto Domino in huius inſtitutione myſterij prolatis, juxta Catholicorum ſententiam eſt ſita; vnde Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* ait: *Quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur, quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu*: ideo de ipſa conſecratione, ſeu de forma Sacramenti Euchariſtiæ breuiter agemus, vt ſtatutis iis quæ Catholica contra Nouatores docet Eccleſia, modus quo panis Angelorum cibus efficitur viatorum, vndequaque pateat.

D. Ambroſ.

§. I.

Vtrum Chriſtus quibuſdam verbis, panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum conſecrando, & conuertendo vſus fuerit.

OMnia quæ à ſummo rerum opifice in prima orbis creatione mirabiliter facta ſunt, loquente Domino fuiſſe patrata, ſacræ referunt paginæ, Geneſis capite 1. *Ipſe dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt*, Regius inquit Vates *pſalm.* 148. 5. Vnde & Verbo Dei, quod vt inquit Auguſt. lib. de vera relig. cap. 31. tom. 1. *lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis Artificis*, rerum omnium creatio attribuitur. Ioan. 1. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Et *Hebr.* 11. 3. dicitur: *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula Verbo Dei*; hoc eſt, *diſpoſita*, vt ait D. Thomas *ibid. lect.* 2. 41.

D. Auguſt. Dei verbo omnia ſunt creata.

D. Thom.

vel

vel *perfecta*, vt alij exponunt. Cùm autem totius reſtauratio orbis, quæ in homine orbis epilogo, à Filio Dei incarnatione ac paſſione, ac tandem Sacramentis peracta eſt, cum prima rerum productione debeat quodammodo conuenire, verbis incepit, ſermone progreſſa eſt, & clamore Domini in cruce pendentis fuit conſummata. Hinc eſt quod Verbum Diuinum à Deo per Angelum ad Virginem Mariam tranſmiſſum eſt, in eiuſdemque Virginis vtero eius ſermone incarnatum fuit. Dum enim auditâ Angeli legatione, reſpondit, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Dei quem tunc concepit, mater extitit. Vnde Eccleſia in Sequentia quæ in Miſſa B. Mariæ olim legebatur die Sabbathi, Mariam ſic alloquitur, *Verbo Verbum concepiſti, Virgo Deum genuiſti.* Et Bernardus *hom. 4. ſuper Miſſus eſt, in fine*, Mariam Virginem ſic loquentem inducit: *Fiat mihi de Verbo ſecundùm verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea ſecundùm verbum tuum. Fiat obſecro mihi Verbum, non prolatum, quod tranſeat; ſed conceptum, vt maneat, carne videlicet indutum, non aëre. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris.* Et poſt pauca ſubdit: *Verbum igitur quod in ſe nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri ſecundùm verbum tuum.* Hæc ille: quibus expreſsè docet, Mariæ orationem ac deſiderium verbis ſuis explicita, Verbi Diuini incarnationem in ſuis viſceribus conſummaſſe.

Reparatio vniuerſi à Verbo Dei.

Verbo verbũ concepit B. Virgo.

D. Bernard.

42. Nec in ſola Dei & hominis hypoſtatica vnione, quæ redemptionem inchoauit, verba, voceſque inſonuerunt: etiam in Chriſti Saluatoris ſanctiſſima conuerſatione audita ſunt; ipſe enim Dominus ſæpiſſimè quos redemit homines, docuit, ita vt duodecim tantùm annos natus, Doctorum omnium verba ſua audientium raperet animos: nam vt dicitur Luc. 2. 47. *Stupebant omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia, & reſponſis eius.* At hominum auxit admirationem poſtquam trigeſimum ætatis annum attigit, & verbum Euangelij vbique diſſeminare ſtuduit. Nam *mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius*, vt legitur *Luc.* 4. 22. Quare conſummato vitæ ſuæ curriculo, & dum deuictâ morte rediuiuus duobus diſcipulis in ſpecie peregrina apparuit, ab illis non ſolùm à patratis miraculis, ſed à pronuntiatis oraculis fuit commendatus. Dum enim ſe neſcire finxit, quæ in eius paſſione geſta erant, & illa docere eum vellent, cum quibus loquebatur, dixerunt: *De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone*, vt legitur *Luc.* 24. 19. Vnde conſtat, ore ſimul ac manibus hominem reformaſſe, qui potentiam ſuam non ſolùm portentoſis operibus, ſed etiam ſacris eloquiis reddidit fructuoſam. Quod intrepido confeſſa eſt animo generoſa virgo Agatha, dum ſpretis corporeis medelis, vulnera pro fidei defenſione ſuſcepta verbis Saluatoris ſananda reſeruauit, præclaram in hanc vocem erumpens, vt in eius paſſione refertur: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, ſed habeo Dominum Ieſum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa.*

Verbo Chriſtus docuit, & miracula patrauit.

Potens in opere & ſermone commendatur.

S Agatha dixit Dominum Ieſum ſolo ſermone omnia reſtaurare.

43. Cùm ergo ea quæ in Eccleſia ſua Chriſtus inſtituit Sacramenta, pretioſa quædam ſint diuinæ miſericordiæ organa, gratiæque vaſcula, quibus redemptionem copioſam, quam in corpore ſuo ſupra lignum infinitâ operatus eſt charitate, hominibus confert & applicat, ea nullatenus ab ipſo redemptionis modo diſcrepare ordinauit; quod vt præſtaret, ea rebus & verbis conſtare voluit, ita vt in omnibus, vno excepto matrimonio, locum formæ verba teneant; res autem ſeu elementa, materiam eis ſubminiſtrent, ita vt ferè in ſingulis illud Auguſtini tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, verificetur. Cùm autem inter omnia Sacramenta principem locum ſacra obtineat Euchariſtia, quæ veluti ſol inter ſydera, inter cætera fulget & emicat, vtpote Solem Iuſtitiæ Chriſtum, & omnium Sacramentorum authorem veraciter continens; ideo illam omnipotenti Saluatoris noſtri verbo confici, certum ac indubitatum apud Catholicos ſemper fuit; & ipſum Domini ſermonem panem in eius corpus, & vinum in eius ſanguinem tranſmutare, Catholica docet Eccleſia. Quod ex infrà dicendis apertiùs conſtabit. Quare,

Sacramenta Dei miſericordiæ organa, & gratiæ vaſa.

Conſtat rebus & verbis.

Euchariſtia Dei verbo perficitur.

44. Dicendum eſt, Chriſtum Dominum in huius Sacramenti inſtitutione, & in conſecratione panis in corpus ſuum, & vini in ſanguinem, quibuſdam verbis vſum fuiſſe.

Chriſtus in cõſecratione Euchariſtiæ verbis vſus eſt.

45. Quod patet primò ex Apoſtolo 1. *Cor.* 11. vbi narrans illud quod à Domino acceperat de hoc Sacramento, inſinuat Chriſtum loquutum fuiſſe. *Accepit*, inquit, *Ieſus panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Et *Luc.* 22. 19. legitur de Chriſto: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum.* Quod etiam referunt Matthæus *cap.* 26. 26. & Marcus *c.* 14. 23. Vnde ſancti Patres paſſim docent, Chriſtum ſermone ſuo panem in corpus ſuum conſecraſſe. Tertullianus enim *lib. 4. contra Marcion.* ait: *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum, dicendo.* Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, ait: *Summus Sacerdos panem profert & vinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum.* Gregorius Nyſſenus *orat. catech.* apud Euthymium in panoplia, *tit.* 21. relatus à Bellarmino lib. 4. de Euchar. cap. 13. *Panis*, inquit, *ſtatim per verbum in corpus mutatur, vt dictum eſt a Verbo, Hoc eſt corpus meum.* Ambroſius relatus *de conſecr. diſt. 2. cap. Panis*, inquit: *Cum panem accipiens diceret, Hoc eſt corpus meum, planè monſtratur, verbum illud operatorium fuiſſe.* Chryſoſtomus *hom. 60. ad populum*, ait: *Qui namque dixit, Hoc eſt corpus meum, & verbo factum confirmauit.* Et Ioan. Damaſcen. *lib. 4. fidei, cap.* 14. docet, quod ſicut Deus dicendo, *Fiat lux*, lucem fecit; ita & Chriſtus dicendo, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, hoc Sacramentum perfecit.

Patet ex Scriptura.

Ex Patribus.

Tertull.

S. Cyprian.

Greg. Nyſſ.

D. Ambroſ.

D. Chryſoſt.

D. Damaſc.

46. Secundò: Chriſtus inſtituens Euchariſtiam non ſolùm Sacramentum, ſed etiam ſacrificium in Eccleſia vſque ad finem ſeculi duraturum, Apoſtolis quos ordinauit Sacerdotes, & eorum ſucceſſoribus mandauit, vt idem Sacramentum conficientes, & ſacrificium offerentes, eius agendi modum imitarentur, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. 19. Cùm ergo Sacerdotes verbis vtantur dum hoc conficiunt Sacramentum, & offerunt ſacrificium; & ipſa quæ Chriſtus pronuntiauit verba, proferant; nam panem conſecrant dicendo in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*; & vinum dicendo, *Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* quæ verba ſunt forma huius Sacramenti, vt infrà oſtendemus; ideo perſpicuum eſt, Chriſtum Dominum verbis vſum fuiſſe, dum panem in corpus

Apoſtoli in Sacerdotes ordinati à Chriſto iubentur Sacramentum, & ſacrificiũ illud conficere.

Semper hoc verbis fecerunt.

Forma conſecrationis Euchariſtiæ in verbis conſiſtit.

Google

ſuum, & vinum in ſanguinem conſecrauit, & tranſmutauit. Vnde Chryſoſtomus *tom. 3. ſerm. de proditione Iudæ*, oſtendit Chriſtum ſermono conſecraſſe, & Sacerdotes eius ſermonem quotidie repetere cum eadem prorſus virtute, cum qua ab illo primùm prolatus eſt; ait enim: *Hoc eſt corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur; & ſicut illa vox, quæ dixit, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem, operante naturâ; ita & vox illa ſemel dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernam diem, & vſque ad eius aduentum præſtat ſacrificij firmitatem.* Ex quibus manifeſtum eſt, panem Angelorum fieri panem viatorum in Sacramento Euchariſtiæ verbis quæ Chriſtus Dominus in huius inſtitutione myſterij pronuntiauit. Vnde in officio venerabilis corporis Chriſti Sacramenti, poſt S. Thomam Catholica canit Eccleſia:

D. Chryſoſt.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit;
Fitque Sanguis Chriſti merum, &c.

Chriſtus panem verbo carnem ſuam ſuam fecit.

47. Neque contra prædicta obſtat, quod in inſtitutione huius Sacramenti, & in conſecratione panis in corpus ſuum Chriſtus Dominus vſus ſit poteſtate excellentiæ nullatenus verbis alligatâ; quia hoc fecit, non quòd verbis aſtrictus fuerit, ſicut ſunt Sacerdotes; ſed quia ita voluit, vt inter authorem & miniſtrum huius Sacramenti maior conformitas intercederet, dum omnes Sacerdotes tantum myſterium conficientes & offerentes, nullo alio medio, niſi verbis Saluatoris, in cuius perſona agunt, vtuntur.

Poterat ſine verbis conſecrare, ſed verba adhibuit vt doceret Sacerdotes modum offerendi.

48. Etenim juxta S. Thomam 3. *p. q.* 78. *art.* 1. *ad* 1. licèt Matthæi 26. 26. dicatur, *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*; non ſequitur quod priùs panem benedixerit, quàm hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, protulerit; ſed nomine benedictionis ipſa conſecratio debet intelligi. Nam hoc participium, *dicens*, importat concomitantiam verborum prolatorum ad ea quæ præcedunt, ita vt ſit ſenſus, dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Cui D. Thomæ ſententiæ ſuffragantur S. Remigius *in cap. 10. 1. ep. ad Cor.* & S. Bruno *in cap. 11. eiuſdem epiſtolæ*, immò & Innocentius III. *lib. 4. de myſt. Miſſæ, cap.* 6. Beſſarion Cardin. *lib. de verbis conſecrationis*, necnon Catechiſmus Concilij Tridentini juſſu B. Pij V. editus, de forma Euchariſtiæ; poteſtque ſuaderi ex illo 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt.* Vbi conſecratio calicis benedictio appellatur, vt exponit S. Thom. *ibid. lect.* 4. dicens: *Cui benedicimus, id eſt quem nos Sacerdotes conſecramus.* Vnde Ambroſius lib. de iis qui initiantur, cap. 9. *Hic eſt panis*, inquit, *quem benedictio conſecrauit: maior eſt vis benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* Et S. Cyprianus *ſerm. de cœna Domini*, ait: *Calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit.* Adde quod verbis ſolet benedictio fieri, nulla autem poſſunt aſſignari verba, quibus panem benedixit Chriſtus, niſi illa, quæ ab Euangeliſtis referuntur, quæ ſunt conſecratoria, & conſequenter verbis conſecrationis panem benedixit Dominus, ideoque benedictio & conſecratio vnica tantùm ſunt actio.

S. Thom.

Simul panem benedixit, & verba protulit Chriſtus.

S. Remig. S. Bruno. Innoc. III. Beſſarion.

Conſecratio calicis benedictio appellatur.

D. Ambroſ.

S. Cyprian.

Benedictio fit verbis.

Dum autem Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. inquit de Chriſto Domino: *Cùm poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt*; non intendit contrarium docere: nam vt optimè notauit Ioannes à S. Thoma initio tomi primi, *in* 1. *p. D. Th.* in approbatione doctrinæ eiuſdem S. D. ly *poſt benedictionem*, referendum eſt ad ly *corpus ſuum*, facitque ſenſum, quod Chriſtus teſtatus eſt illis ſe dare corpus ſuum, id eſt id quod poſt benedictionem, ſeu conſecrationem eſt corpus ſuum. Sicut enim regeneratus poſt Baptiſmum accipit characterem ſeu fidem, quia per ipſum Baptiſmum illa habet, & non antea; ita Chriſtus teſtatus eſt, ſe dare illis corpus ſuum poſt benedictionem, ſeu per benedictionem, quia dedit illis quod ſuum corpus eſt poſt benedictionem, & non ante. 49.

Concil. Trid.

Ioan. à S. Thom.

Chriſtus dedit corpus ſuum per, & poſt benedictionē, quia non antea.

§. II.

Vera forma conſecrationis panis in his verbis, Hoc eſt corpus meum, conſiſtit.

QVia juxta Philoſophum 2. Metaph. textu 2. *primum in quolibet genere eſt cauſa & regula cæterorum, quæ ſunt poſt*; & Chriſtus, qui ſummus ac primus ſecundùm ordinem Melchiſedech extitit Sacerdos, verbis vſus eſt in conſecratione panis in corpus ſuum, vt ex jamdictis liquet; cæteri omnes qui ad Sacerdotij eius participationem & dignitatem euecti ſunt, eiſdem quibus ipſe conſecrauit verbis, vti debent in ſacrorum celebratione myſteriorum: ita vt ipſa verba à Sacerdotibus in perſona Chriſti prolata, formæ Sacramenti Euchariſtiæ locum obtineant. Quamvis autem Miſſam celebrans plurima alia proferat verba ex ſacris Paginis excerpta, immò & ab Eccleſia variis rationibus, tum in Canone, tum in antecedentibus, tum etiam in ſubſequentibus ad modum vel laudis, vel precum, vel etiam gratiarum actionis introducta; attamen in nullis horum forma conſiſtit Euchariſtiæ, niſi in verbis Chriſti, quæ circa panem, vel vinum protulit, & id quod in illis debet fieri, vt corpus eius ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini ponatur, verè ſignificant. Quod vt clariùs pateat, 50.

Sacerdotes conſecrantes Chriſto debent conformati.

Dicimus formam conſecrationis panis neceſſariò, & eſſentialiter conſiſtere in his quatuor verbis, *hoc eſt corpus meum*; ſecus verò in aliis vel antecedentibus, vel conſequentibus. Ita ſentiunt omnes Catholici, tum Scholaſtici poſt Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 8. & S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 1. quamvis pauci, vt Scotus *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. §. *De ſecundo*, & Angelus *verbo Euchariſtia*, hanc formam velint incipere ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur, &c.* tum Canoniſtæ apud Gratianum *diſt.* 2. *de conſecr.* & ſuper caput *Cùm Marthæ, extra de celebr. Miſſ.* 51.

Quibus verbis conſtet conſecratio panis.

Probatur primò hæc propoſitio. Iſta dumtaxat verba conſtituunt formam conſecrationis panis, quæ ſub ſpeciebus ſignificant præſentiam corporis Chriſti; in Sacramentis enim nouæ legis verba formæ efficiunt quod ſignificant: ſed hæc ſola quatuor verba, *hoc eſt corpus meum*, ſignificant corpus Chriſti præſens ſub ſpecie panis, vt ex ſe patet, non verò illa verba, *Qui pridie, &c.* vel iſta, *Accipite, & manducate*; quæ vſum tantùm & diſtributionem merè extrinſeca Sacramento ſignificant. Ergo. 52.

Verba conſecrationis panis ſignificāt corpus Chriſti præſens ſub ſpecie panis.

Secundò

Digitized by Google

53. Secundò ex Concilio Florentino in decreto vnionis, forma huius Sacramenti ſont tanùm verba Saluatoris, quibus conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chiſti loquens hoc conficit Sacramentum: ſed Chriſtus ſolùm protulit hæc verba, *hoc eſt corpus meum*; non verò illa, *qui pridie quàm pateretur, &c.* quæ merè hiſtoricè ſe habeot. Ergo. Neque debet Sacerdos illa verba, *qui pridie, &c.* pronunciare, vt ſignificet ſe in perſona Chriſti loqui: ſicut enim Angelus loqoens Moyſi, & dicens Exodi 3. *Ego ſum Deus Patris tui*, ſe in perſona Dei loqui ſignificauit, quamvis non dixerit, Deum illa verba dixiſſe: ita Sacerdos ſacris indutus veſtibus, & diuina celebrans myſteria, dum dicit, *hoc eſt corpus meum*, ſupra panem, ſufficienter indicat, ſe in perſona Chriſti loqui & agere.

Sacerdos in perſona Chriſti loquens conſecrat.

54. Tertiò, patet contra Græcos recentiores, qui non ſolis præfatis verbis, ſed quibuſdam aliis precibus hoc Sacrameotum confici contendunt; quia, vt refert Beſſarion Cardinalis Græcus *in lib. de veritate conſecrationis*, mos eſt Græcorum, vt verba Domini, *hoc eſt corpus meum*; & *hic eſt ſanguis, &c.* altâ voce proferant, & populus ad vtraque reſpondeat, *Amen*; ac ſtatim à Diacono populo demouſtrentur oblata, vt adorentur: quod etiam habet in praxi Latina Eccleſia. Ergo ſola verbs formæ ſufficiunt ad conſecrationem, & nullæ aliæ benedictiones, ſeu precationes requiruntur. Vnde & D. Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* id luculenter expreſſit, dum ait: *Conſecratio fit verbis & ſermonibus Domini Ieſu; nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem Sacramentum conficitur, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos vtitur, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Cùm ergo preces non ſint ſermones Chriſti, ſed Eccleſiæ Sacerdotis miniſterio ſupplicantis, perſpicuum eſt, preces ad hoc Sacramentum conficieudum non deſiderari.

Beſſarion.

Græci verba conſecrationis alta voce proferunt, & populus reſpondet *Amē*.

D. Ambroſ.

55. Cæterùm particula, *enim*, quæ inter prædicta quatuor verba ponitur, non eſt de eſſentia formæ conſecrationis panis; ſed eſt nexus quidam verborum cum antecedentibus: vnde nihil confert ad ſignificandum effectum formæ, hoc eſt ad ſignificandam conſecrationem materiæ, quæ conſiſtit in miraculoſa conuerſione ſuſtantiæ panis in corpus Chriſti: attamen qui illam ex inſtituto omitteret, peccaret mortaliter, ſicut & ille qui antecedentia, *qui pridie quàm pateretur, &c.* non pronunciaret; quia integritatem ritus celebrandi non obſeruaret.

Vox, *enim*, non eſt de eſſentia formæ cōſecrationis.

§. III.

Omnia verba quæ à Sacerdote in conſecratione Calicis proferuntur, ſunt de eſſentia formæ.

56. PRæclarus ſanè calix Domini, qui ſanguinem eius tanquam ſuauiſſimum poculum Fidelibus propinans, eos dulcedinis ſpiritualis inebriat vbertate. Non ſufficiebat Chriſtianis Redemptoris ſui carne ſaturari, niſi etiam ſanguioe potareotur. Frumento, & vino ſtabiliuit filium ſuum ſecundogenitum Iſaac, vt legitur *Gen. 27. 37.* & Chriſtianos Iudæis poſteriores corpore & ſanguine Vnigeniti, veluti myſtico frumeoto & vino ſtabiliuit ac roborauit Dominus. Planè ſolo cibo non veſcitur homo; etiam potu indiget: natiuo enim agente calore, vt perfectè depaſtum humidum reſarciatur, fames debuit & ſitis ſedari. Cúmque *fames* ſit *appetitus calidi & ſicci*; & *ſitis appetitus frigidi & humidi*, duplex alimentum deſideratur, alterum per modum calidi & ſicci, nempe cibus; alterum per modum frigidi & humidi, putà aqua, vinum, ſimileſque liquores.

Potu indiget homo, vt viuat: ideo Chriſtus non ſolū corpus, ſed ſanguinē ſuum in potum dedit.

Quid ſint fames & ſitis.

57. Cùm autem non diſſimili modo anima Chriſtiana reficiatur, vtrumque ei deſideratur alimentum, nempe cibus & potus, in Euchariſtia veluti concluſum. Ideoque hoc Sacramentum per modum cibi & potus inſtitutum, ſub ſpecie panis Chriſti corpus, & ſub ſpecie vini ſanguinem Fidelibus ſubminiſtrat; vt nulla ratio alimenti Eccleſiæ deſit Sacramento, quod per modum nutritionis inſtitutum eſt. Etenim panis iſte cor hominis confirmare, & vinum lætificare debet, vt integræ refectionis ſpiritualis ratio hoc in myſterio contineatur.

Perfecta nutritio cibum & potum exigit.

58. Sicuti ergo, vt cibus ſpiritualis, nempe corpus Domini ſub ſpecie panis, homini Chriſtiano porrigatur, forma quædam conſecrationis & conuerſionis panis in idem corpus Chriſti neceſſaria fuit: ita vt hoc Sacramentum omni ex parte integretur, forma conſecratioois calicis, ſeu vini in illo cootenti determinatè requiritur. Vnde ſicuti forma conſecrationis panis in verbis quæ Saluator optimus pronuntiauit, ſita eſt, vt ſuperiùs oſtendimus: ita etiam forma conſecrationis vini etiam in verbis Chriſti, in cuius perſona Sacerdos loquitur, debet conſiſtere, ac de facto conſiſtit, paucis ab Eccleſia interpoſitis, nempe vno, aut altero verbo.

Forma conſecrationis calicis in verbis conſiſtit.

59. Etenim forma conſecrationis vini in Eccleſia Latina à celebrante in hunc modum profertur: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quibus in verbis ponitur calix pro re contenta in calice, per metonymiam; quo pacto dicitur, *bibe calicem vini*, hoc eſt vinum in calice contentum. Et ratio huius eſt, quia his verbis, *calix ſanguinis mei*, ſanguis Chriſti meliùs exprimitur potabilis, quàm ſi diceretur, *hic eſt ſanguis meus*, quia ſanguis ex ſe potui non eſt idoneus. In verbis autem ſequentibus, tres paſſionis, & ſanguinis Chriſti effectus explicantur. Primus eſt vitæ æternæ aſſequutio, quam veluti hæreditatem Chriſti ſanguine comparatam, & teſtameoto ſuo morte eius firmato nobis deſtinatam expectamus; quod exponitur his vocibus, *noui & æterni teſtamenti.* Vetus enim Teſtamentum bona promittebat temporalia; nouum verò gloriam æternam: & ideo durabit in æternum, vetus autem jam finem habuit, ſicut & bona quæ promittebat. Secundus effectus eſt fides, quæ in hoc myſterio magis elucet, quàm in cæteris Chriſtianæ Religionis arcanis; quod exprimitur his verbis, *myſterium fidei.* Tertius denique eſt remiſſio pecatorum; & ideo additur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

In verbis cōſecrationis calicis calix pro re contenta in calice ponitur.

Tres effectus ſanguinis Chriſti in forma conſecrationis calicis.

60. Hæc omnia vnanimini conſenſu ab omnibus Theologis, tanquam certa & indubitata recipiuntur. Sed apud illos difficultas eſt, an omnia illa verba præfata ſint de eſſentia formæ conſecrationis vini. Quidam enim exiſtimant, verba hæc, *hic eſt calix ſanguinis mei*, dumtaxat eſſe de eſſentia conſecrationis calicis, cætera verò merè accidentaliter ſe habere, & poni ad maiorem

Variæ ſententiæ.

explicationem. Alij licèt in eiſdem verbis conſtituant formam & eſſentiam conſecrationis, negant tamen alia merè accidentaliter ſe habere, ſed ea de ſubſtantia & integritate eius eſſe exiſtimant. Alij volunt omnia illa verba eſſe de eſſentia formæ, exceptis his tribus, *æterni*, *myſterium fidei*. Alij denique omnia illa verba in forma conſecrationis vini eſſentialiter concludi exiſtimant. Cui ſententiæ, vtpote menti Angelici Doctoris omninò conſonæ, & à nobilioribus eius diſcipulis propugnatæ lubentiſſimè adhæremus.

61. Omnia verba quæ pronunciantur in conſecratione Calicis, ſunt de eſſentia formæ. D. Thom.

Itaque dicimus, probabilius eſſe, omnia verba ſuprà allata, quæ in Calicis conſecratione pronunciantur, eſſe de eſſentia formæ. Sic ſentit D. Thomas *3. p. quæſt.* 78. *art. 3.* vbi docet, omnia illa verba eſſe de ſubſtantia formæ Calicis: nomine autem ſubſtantiæ intelligit eſſentiam, vt patet legenti textum huius articuli, & ex iis quæ jam dixerat *quæſt.* 60. *præced. art.* 8. vbi expreſsè ait, *quod ſi diminuatur aliquid eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur ſenſus verborum.* Vbi nomine *ſubſtantiæ*, eſſentiam ſignificare quis non videt? Solùm enim tollitur ſenſus verborum, quando tollitur aliquid quod eſt eſſentiale formæ; nam formæ Sacramentorum, vt ſæpe docet idem S. D. ſignificandu efficiunt, & ſuum producunt effectum. Vnde ipſe D. Thomas *lect. 6. in cap.* 11. *ep. 1. ad Cor.* refellit eos, qui opinantur, omnia illa verba non eſſe de neceſſitate formæ. Et *in 4. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1.* relatâ ſententiâ eorum qui exiſtimant, hæc tantùm verba, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, eſſe de eſſentia formæ conſecrationis, ſubdit: *Alij probabiliùs dicunt, quod totum quod ſequitur, eſt de forma.* Quam ſententiam amplectitur. Vnde *in reſp. ad 3.* inquit: *Quamvis illa quæ ſequuntur, deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quantum huiuſmodi, ſunt tamen eſſentiales ſanguini, in quantum eſt per paſſionem effuſus: & ideo illa quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur; & ideo oportet quod ſint de ſubſtantia formæ.* Quibus omnibus perſpicuum fit D. Thomam docuiſſe, omnia illa verba eſſe de eſſentia formæ conſecrationis Calicis.

Formæ Sacramentorū ſignificando efficiunt. D. Thom.

62. Verba conſecrationis Calicis ſignificant Sacramentum & ſacrificiū.

Probatur igitur noſtra ſententia. Illa verba ſunt de eſſentia formæ Calicis, quæ perfectè & adæquatè naturam Euchariſtiæ exprimunt. Atqui verba ſuprà allata requiruntur ad explicandam naturam Euchariſtiæ, quæ cùm non tantùm ſit Sacramentum, ſed etiam ſacrificium, nequit exprimi niſi per effuſionem ſanguinis, quæ neceſſaria eſt ad ſacrificium; hoſtia enim, ſeu victima, non dicitur ſacrificata, niſi mactetur, eiuſque ſanguis effundatur, vt perfectè Dei dominium in vitam & mortem occiſione viuentis animalis manifeſtetur. Ergo omnia illa verba ſunt de eſſentia formæ conſecrationis.

63. Explicant etiam efficaciam ſanguinis Chriſti.

Secundò. Sacramentum Euchariſtiæ non ſolùm fideles per modum cibi & potûs reficit, ſed etiam ipſis applicat paſſionis Chriſti efficaciam cum perpetuitate, per modum noui Teſtamenti: eſtque vnum ex præcipuis fidei noſtræ myſteriis, tribuitque jus ad vitam æternam, & peccata remittit. Sed hæc omnia exprimuntur in præfatis verbis, vt ex ſe conſtat. Ergo ſunt de eſſentia formæ conſecrationis Calicis. Quapropter eodem ritu & modo illa verba proferuntur habendo Calicem præ manibus, & antequam populo ſanguis proponatur adorandus.

64. Contra tamen prædicta militare videntur ſanctorum teſtimonia Patrum, aſſerentium formam conſecrationis Calicis his quatuor verbis, *hic eſt ſanguis meus*, concludi; quia illis verbis vinum in ſanguinem tranſmutatur. Nam Ambroſius *lib. 4. de Sacram. c. 5.* ait: *Calicem benedixit, & Apoſtolis ſuis tradidit, dicens: Accipite, & bibite; hic enim ſanguis meus.* Item Cyprianus ſerm. de Cœna Domini: *Ex quo*, inquit, *à Domino dictum eſt: Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcumque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit.* Quod etiam docet Innoc. III. *lib. 4. de myſter. Miſſæ, cap. 6.* vbi ait: *Cùm ad prolationem verborum iſtorum, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, Sacerdos conficiat, credibile judicatur, quod Chriſtus ea dicendo confecerit.*

Opponitur ex Patribus. D. Ambroſ. D. Cyprian. Innoc. III.

65. Reſpōdetur.

Sed Doctores illi nihil contra noſtram protulere ſententiam; non enim ſic loquuti ſunt, vt ex profeſſo integram ponerent conſecrationis formam, ſed vt docerent, Chriſtum Dominum verba proferendo conſecraſſe, & eos qui illum benedicendo tantùm, & non loquendo conſecraſſe contendebant, refellerent, & verba quæ expreſſiùs vini in ſanguinem tranſmutationem indicant, manifeſtarent.

66. Opponitur inſuper.

Inſuper poteſt opponi: Sacerdos dum calicem conſecrat, loquitur in perſona Chriſti, vt patet ex Concilio Florentino in Decreto vnionis: atqui hæc verba, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, non profert in perſona Chriſti formaliter & ſignificatiuè, ſed tantùm recitatiuè, aliàs falſa eſſent, quia ſanguis Chriſti non eſt ampliùs effundendus. Ergo ſaltem illa verba non ſunt de eſſentia formæ Calicis.

67. Reſpōdetur.

Reſpondetur negando Min. dum enim Sacerdos conſecrat, per implicitam & generalem intentionem ſe præſentem conſtituit tempori, quo Chriſtus primùm hæc protulit verba. Quod patet ex verbis quæ pronuntiat dicens, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt accipiens hunc præclarum calicem, &c.* & ideo verè & ſignificatiuè profert, *Qui pro vobis effundetur, &c.* & conuertit præſentem materiam in præſentem Chriſti ſanguinem, vt retroactum ad vltimæ cœnæ tempus, pro quo illi conuenit hæc vox, *effundetur*; quia eſt idem numero ſanguis nunc, qui tunc fuit; & idem à Sacerdote in perſona Chriſti pro eo tempore repræſentatur, pro quo erat effundendus. Oblatio enim Euchariſtiæ eſt memoriale mortis Domini, & expreſſa paſſionis ipſius repræſentatio, & differt tantùm in modo offerendi: eadem enim res vtrobique offertur, & ideo idem prorſus eſt ſacrificium incruento modo in Euchariſtia, & cruento in cruce oblatum.

Idem eſt numero ſanguis qui nunc eſt in Calice, cum illo qui fuit quando Chriſtus conſecrauit.

68. Tertiò opponitur.

Denique opponitur: In forma conſecrationis Calicis, quâ vtuntur Græci, & verè conficiunt Sacramentum, aliqua ex præfatis verbis non proferuntur: vt enim refert Caietanus, in forma prædicta, quæ in eorum Miſſali legitur, non habentur voces, *Calix*, *Æterni*, nec *Myſterium Fidei*. Immò in eorum liturgiis tantùm quatuor verbis hæc conſtat forma: nam in liturgia Sancti Ioannis Euangeliſtæ, forma vtriuſque conſecrationis hæc eſt: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* In liturgia Sancti Marci Euangeliſtæ: *Corpus meum eſt hoc: Sanguis meus eſt hic.* In liturgia Sancti Matthæi Paſtoris: *Hoc caro mea eſt: Hoc ſanguis meus eſt*, vt ſe in Miſſali manuſcripto Maronitarum, à Montelibano Romam miſſo, legiſſe

Variæ formæ ex variis liturgiis.

Digitized by Google

legiſſe teſtatur Cardin. Delugo *diſp. 11. ſect. 4. num. 6.*

69. Reſp.

Reſpondetur, ex ritu Græcorum nullatenus noſtram infirmari ſententiam: Chriſtus enim formam ſpecificam Calicis non determinauit, ſed Eccleſiæ ſuæ determinationẽ eius reliquit: ſicuti non determinauit formam Sacramenti confirmationis, nec materiam ac formam Sacramenti Ordinis in indiuiduo, nec in ſpecie, ſed in genere dumtaxat; & Eccleſiæ ſuæ reliquit determinandam quantùm ad ſpeciem. Vnde Græci diuerſâ formâ à Latinis Confirmationem conferunt, dicendo: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*; cùm Latini iſtâ vtantur: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c.* Similiter Græci non ordinant Sacerdotes per calicis & patenæ porrectionem, cum hac forma, *Accipe poteſtatem, &c.* ſicut in Eccleſia Latina; ſed per ſolam manuum impoſitionem, his verbis: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt ſupplet, promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum, &c.* Iuxta ergo varias Latinæ & Græcæ Eccleſiæ traditiones, formæ conſecrationis calicis diuerſimodè traduntur, & verba quæ in vna habentur, mutantur, vel omittuntur in altera; ſufficit enim quod verbis Domini formæ Sacramentorum proferantur, non tamen ſolis verbis quæ ipſe poſuit, nec eiſdem numero, ſed eiſdem quoad ſenſum, vt notauit D. Thomas *in 4. Sent. diſt. 8. in expoſ. textus.* Quare in variis Græcorum liturgiis varia verba in formis habentur; nam in liturgia S. Iacobi legitur: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* In liturgia S. Marci: *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & diſtribuitur in remiſſionem peccatorum.* In liturgia Æthiopum, cuius author D. Matthæus exiſtimatur: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. Amen.* In liturgia S. Baſilij: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi: *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & plurimis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Cùm ergo forma conſecrationis calicis non ſit determinata quantùm ad ſpeciem à Chriſto, ſed determinationi Eccleſiæ fuerit derelicta, juxta varium diuerſarum Eccleſiarum ritum variis eſt expreſſa verbis, quin variatio verborum vllo modo obſit eius validitati, & per illam in variis Eccleſiis validè ſanguis Chriſti conſecratur; ideo prudenter S.R. Eccleſia diuerſos illos vel approbat, vel tolerat ritus.

Chriſtus formã conſecrationis calicis Eccleſiæ reliquit determinandam.

Græci diuerſo modo à Latinis ordinant Sacerdotes.

D. Thom.

Formæ conſecrationis calicis ex antiquiſſimis liturgiis, ſimiles formæ quâ Latini nunc vtuntur.

70. D. Thom. Verba conſecrationis nõ ſolùm hiſtoricè ſed ſignificatiuè proferuntur.

Cæterùm verba conſecrationis quæ à Sacerdote in ſanctorum celebratione myſteriorum proferuntur, non tantùm hiſtoricè & recitatiuè, ſed etiam ſignificatiuè, ſeu aſſertiuè pronunciantur. Quod docetur expreſsè à D. Thoma 3. *p. q.* 78. *art.* 5. & ab omnibus Catholicis admittitur. Sanè verba illa proferri hiſtoricè liquet ex narratione, quæ in textu Canonis continetur, vbi dicitur: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, &c.* vſque ad illud, *Hoc eſt enim corpus meum.* Vbi particulam, *enim*, Eccleſia addidit, vt ſignificaret, Chriſtum illa verba ſacramentaliter dixiſſe, & vt innueret hiſtoricè ibidem referri; connectit enim verba formæ cum præcedentibus.

71. Quod autem ſignificatiuè & aſſertiuè pronunciantur, patet. Tum quia loquitur Sacerdos in perſona Chriſti, vt docet Concil. Florentinum in Decreto vnionis, & ex Ambroſio *lib. 4. de Sacram. cap.* 4. colligitur: quod peculiari titulo hoc in Sacramento præſtat; nam in aliis Sacramentis miniſter, ſeu Sacerdos agit in virtute & poteſtate ſibi à Chriſto communicata, ſed loquitur in perſona propria, vt dum ait, *Ego te baptiſo: Ego te abſoluo.* Tum quia ſi hiſtoricè tantùm illa proferret, ea non pronuntiaret ſupra materiam præſentem, ſed ſuper illam quam Chriſtus in vltima cœna conſecrauit; & ſic Sacramentum præſens non conficeret, quod eſt erroneum. Tum denique, quia ſi tantùm hiſtoricè verba illa proferret, dum Sacerdos narrationem illam, *Qui pridie quàm pateretur, &c.* prætermitteret, & ſolùm hæc verba proferret, *Hoc eſt corpus meum*, non conſecraret: quod etiam eſt erroneum.

Conc. Flor. D. Ambroſ.

Significatiuè & non hiſtoricè verba conſecrationis proferri probatur.

72. Inſtatur.

Nec dicas, verba illa à Chriſto in vltima cœna ſupra omnem materiam, tam futuram quàm præſentẽ prolata fuiſſe; & ideo dum merè hiſtoricè referũtur à Sacerdote, ſuum effectum habere ab ipſa prima dumtaxat Chriſti prolatione, ſicuti dum Chriſtus in Baptiſmate aquam Iordanis tetigit, cæteras omnes quibus reliqui baptizandi erant, conſecrauit aquas, vt notarunt SS. Patres.

73. Reijcitur.

Etenim hoc gratis, & abſque vllo prorſus fundamento dicitur, cùm nec Scriptura id doceat, nec Sancti Patres atteſtentur, nec exemplum ſuadeat allatum. Dum enim tactu aquæ Iordanis cæteras Chriſtus conſecrauit aquas, id tantùm præſtitit, vt per inſtitutionem Baptiſmi in materia aquæ, omnis aqua ad hoc Sacramentum idonea eſſet materia. Ex quo tantùm deduci valet, vi conſecrationis primi panis & primi calicis, fuiſſe reliquos virtute conſecratos; ideſt, reliqui panes ex tritico, & reliquum ex vite vinum, materia idonea & apta facta ſunt ad hoc conficiendum Sacramentum. Sed ſicuti ſupra primam materiam verba protulit Dominus, vt eam conſecraret, & in corpus & ſanguinem ſuum conuerteret: ita ſupra reliquas materias Sacerdotes in perſona Chriſti loquentes debent ſignificatiuè, aſſertiuè, & effectiuè verba formæ conſecrationis pronuntiare, vt illas conſecrent, & ex eis venerabile Euchariſtiæ conficiatur Sacramentum.

74. Caluiniſtæ verã Euchariſtiam nec conficiunt, nec habent, & quare.

Ex quibus manifeſtè colligitur, Caluiniſtas verum Euchariſtiæ Sacramentum nec conficere, nec habere; nullam enim ſupra materiam panis & vini proferunt formam: nullo eorum miniſtri Sacerdotij charactere inſigniuntur; nam juxta præſcriptum Caluini *in lib. de formula Sacram. miniſtrand.* panem & vinum tanquam ſigna corporis & ſanguinis dum manducant, leguntur ea quæ de Sacramento Euchariſtiæ habet Paulus *cap. 11. ep. 1. ad Cor.* præmiſsâ concione miniſtri, ac quibuſdam precatiunculis: vbi licèt verba conſecrationis in præfato capite contenta à miniſtro legente pronuntientur, illa merè hiſtoricè, recitatiuè, & per modum narrationis; & nullo modo ſignificatiuè proferuntur, ſicut docet idem Caluinus *lib. 4. inſtitut. cap.* 17. §. 39.

75. Error Caluini confutatur.

Neque contra ſententiam Catholicorum, aſſerentium Sacramentum confici pronuntiatione verborum Domini, modo ſuprà expoſito, facit aliquid id quod notat Caluinus *loc. cit.* nempe Chriſtum, dum dixit, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum*, non alloquutum fuiſſe panem, ſed Apoſtolos. Quia licèt ſermonem ſuum

ad

ad Apoſtolos Chriſtus direxerit, tamen de pane, & ſuper panem loquebatur, ac proinde circa panem efficax fuit, non circa Apoſtolos. Sicut dum *Luc.7.* Simoni loquutus eſt Chriſtus de muliere peccatrice, dicens: *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; verba illa non fuerunt efficacia circa Simonem, ſed circa peccatricem, quæ à delictis ſuis abſoluta eſt. Et cùm *Ioan.*8. ait Regulo: *Vade, filius tuus viuit*; verba diriguntur ad Regulum, efficaciam verò habent in eius filium, & non in ipſum Regulum.

76. Verùm quia huc deuenimus, non prætereundum cenſemus quod ibidem addit idem Caluinus, nempe virtute verborum tranſmutari panem, ſpeciem eſſe *magicæ incantationis.* Quod planè non ſolùm irrationabile, ſed etiam impium exiſtit, & blaſphemum. Quomodo enim magia erit, ipſius Chriſti Saluatoris verba in conſecratione proferre, niſi & ipſe qui primùm illa in Sacramenti inſtitutione protulit, primus magus & incantator exiſtat? At quâ fronte homo Chriſtianus, & qui Eccleſiam ad priſtinam puritatem ac ſanctitatem reuocaſſe ſe gloriatur, in Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & ipſum Chriſtum perennem totius ſanctitudinis ſcaturiginem tantam auſus eſt euomere blaſphemiam? Illa eſt pietas hæreticorum, vt aſſumptâ virtutis laruâ, reſtituendæ religionis prætextu fidei articulos vel ſpernant, vel mutent, vel mutilent, vel confundant, ſacramenta conculcent, veritatem obnubilent, errorem ſpargant, extollantque, ipſumque Eccleſiæ Caput & Sponſum Dominum Ieſum in membris ſuis ac miniſtris calumniis, dicteriis, ac maledictis laceſſere non vereantur. Sed ingenti prouidentiâ Deus id patitur euenire, vt ex abundatia cordis loquentes, ſeipſos omnibus prodant, & non reſtauratores, ſed deſtructores ac hoſtes Eccleſiæ infenſiſſimos ſe manifeſtent. Vnde reſponſione non eget Caluini blaſphemia, ſeipsâ enim ruit ac penitus deſtruitur. Si enim proferre verba ex Chriſti inſtitutione in conſecratione panis & vini, vbi Sacerdos in perſona Chriſti agit & loquitur, ſpecies magicæ eſt incantationis, ipſum Sacramentum, quod illis verbis conficitur, etiam ad artem magicam pertinebit; quod intolerabilis eſt blaſphemia; eodemque modo quæ loquendo patrauit Dominus miracula, magica erunt: & dum cæcum natum ex luto ſuo ex ſputo confecto illuminauit, maximam tunc magiam exercuiſſe culpari poterit. Sed hæc à fidelium mentibus & ore aliena prorſus ſunt, & ridicula gentilium & tyrannorum contra Dominum commenta.

Caluini impietas rejicitur.

Pietas hæreticorum.

77. Fremant ergo hæretici, & toto malignitatis ſpiritu debacchantes, in Eccleſiæ Chriſti inſurgant Sacramenta; clament, accuſent, condemnent, firma ſemper ſtabunt, & inconcuſſa, in firma Petra, ſupra quam domus hæc Dei eſt ædificata, omninò ſolidata, ita vt nec vel minimam patiantur mutationem vel in forma, vel in materia. Inter quæ ſanctiſſima Euchariſtia, quæ inter alia *micat velut inter ignes luna minores*, ab Apoſtolis ad noſtra hæc tempora eâdem formâ, eodem ritu celebrabitur, coletur, adorabitur; præſertim cùm liturgia quâ in S. R. Eccleſia vtimur, à S. Petro Apoſtolorum Principe ac Chriſti Vicario prodierit, vt docet S. Thomas 3.*p.q.*78.*art.*2. *ad* 4. & ante eum Leo IX. *epiſt. ad Michaelem, cap.*5.

Sacramenta inconcuſſa, ſicut & Eccleſia.

Liturgia, ſeu ritus quo vtimur ad conficiendam Euchariſtiã, eſt S. Petri.

D. Thom.

Sectio IV.

Ex qua materia panis Angelorum, fiat in Euchariſtia cibus viatorum.

78. *Ex quolibet ligno non fit Mercurius.* Commune adagium eſt apud humanarum Profeſſores literarum; quo innuitur res præſtantiſſimas ex vliſſimis non conſurgere. Sicuti enim Mercurij, priſcorum Gẽtilium pſeudonuminis ſimulachrum non ex quolibet, ſed ex pretioſo efformabatur ligno; ita non ex abiecta, vilique materia electa ac inſignia compoſita coaleſcunt. Sed hæc vera cenſentur apud homines debiles & infirmos, qui nec rerum naturas tranſmutare poſſunt, nec qualitates: at apud Deum, *cui non eſt impoſſibile omne verbum*, vt dicitur Luc. 1. & *qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, vt loquitur Apoſtolus *Rom.* 7. 17. minimè verificantur. Etenim ex infirmis fortia, ex contemptibilibus pretioſa elicit. Nec mirum, cùm ex nihilo ſpectabiles omnes eduxerit creaturas. Sic quippe ſuam ſimul potentiam commendat, & ſapientiam.

Ex quolibet ligno non fit Mercurius.

Ex infirmis fortia, ex cõtemptibilibus pretioſa Deus facit.

79. Vtraque in mirabili Euchariſtiæ coruſcat Sacramento, in quo pretioſum Fidelibus præparans alimentum, ſapientiâ ſuâ communem elegit panem, quem omnipotentiâ ſuâ in præſtantiſſimum animarum noſtrarum conuertit cibum, hoc eſt in ſanctiſſimum corpus ſuum. Quid enim communius triticeo pane, qui etiam viliſſimis ad manum nullo negotio eſt hominibus? Quid corpore Chriſti præſtantius Verbo Dei vnione hypoſtaticâ ſimul cum eius anima copulato? Et tamen diuinâ diſponente ſapientiâ, agenteque potentiâ, panis huius tranſmutatur ſubſtantia in pretioſiſſimi illius corporis carnem; ita vt foris apparente panis ſpecie, intus Chriſti corpus exiſtat, credatur, offeratur, immoletur, ac manducetur. Panis igitur communior, nempe triticeus; vinum etiam à vite in vuis productum, & ab illis expreſſum, materia ſunt, ex qua corpus & ſanguis Chriſti viatorum hominum conſtituuntur alimentum. Ita vt de pane fiat caro, & de vino ſanguis Chriſti efformetur.

Panis triticeus, & vinum vitis ſunt materia Euchariſtiæ.

80. Faceſſant ergo, & à tremendo Euchariſtiæ myſterio procul abigantur hæretici, qui aliam, præter panem triticeum, & vinum ex vitibus, in hoc Sacramento materiam volunt. Expellantur Artotyritæ, qui panem & caſeum hoc in myſterio offerebant, vt referunt D. Auguſt. *lib. de hæreſibus, cap.* 28. & S. Thom. 3.*p.q.* 74. *art.* 1. quia antiquorum oblationes fructibus terræ conſtabant & ouium. Arceantur Cataphryges, & Pepuliani, qui infantis toto corpore minutis punctionibus vulnerati ſanguinem farinæ miſcentes, ac ex ea maſſa panem facientes, ſuam conficiebant Euchariſtiam. Procul amandentur impuri Gnoſtici & Manichæi, qui humano ſemine panem commaculantes, hac ſordidâ conſperſione ad Euchariſtiam præparabant. Expellantur inſuper Caluiniſtæ, qui pane & vino deficientibus, omne eſculentum loco panis, & omne potulentum loco vini ad ſacram Euchariſtiam ſubrogari volunt, vt docent Beza *ep.* 2. *ad Tillium*, Polanus *lib.* 5. *ſyntagmatum Theologic. cap.* 56. Scarphius *de cœna ſacra, controu.* 3. *quæſt.* 1. & alij, ita vt quidam Miniſter Caluiniſta inuentus ſit, vt refert Adrianus Holſtadius *ſerm.* 22. *de Euchar.* qui fruſtulis panis ad cœnam peragendam deficientibus, ſingulis

Varij hæreticorum de hac re errores exploduntur.

D. Auguſt.

D. Thom.

gulis obtulit particulam farciminis ex ſanguine, vel carne porcina ſale pipereque conditâ confecti.

81. Exploſis itaque illis, aliiſque omnibus circa Euchariſtiæ materiam erroribus, ſolum verum panem, & propriè dictum, ex tritico confectum, dicimus ſufficientem eſſe materiam Euchariſtiæ. Vnde nec maſſa cruda, aut torrida ſole, apta poteſt eſſe materia, quia ad panem vſualem requiritur, vt ſit coctus igne: nec inſuper paſta oleo frixa, vel aquâ elixa, vel etiam amylum, quod ex lacte expreſſo ex tritico corrupto fit, & non eſt panis; nec ex maſſa confecta ex aqua roſacea, vel quocumquè alio liquore arte ab herbis vel floribus extracto, & aliis huiuſmodi, & farina poteſt confici verus panis naturalis aptus conſecrationi.

Solus panis vſualis coctus igne eſt materia Euchariſtiæ.

82. Huius autem ratio eſt, quia ſicut in Sacramento Baptiſmi ad vſum ſpiritualis ablutionis aſſumitur aqua naturalis, in qua corporalis ablutio commoniter fit; ita panis & vinum, quibus communiùs homines reficiuntur, in Euchariſtia ad vſum ſpiritualis manducationis aſſumuntur; panis autem communior & vſualis eſt triticeus: & vinum communius eſt ex vite, à qua nomen trahit. Vnde Chriſtus qui ſeipſum non ſolùm authorem, ſed exemplum omnibus in Sacramentorum celebratione miniſtris Eccleſiæ præbuit, in pane vſuali & triticeo, & in vino à vite deprompto conſecrauit, vt expreſsè in tribus Euangeliis, & 1. *Cor.* 11. legitur. Vnde in Concilio Florentino in Decreto Eugenij, de hoc Sacramento dicitur: *Cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Semperque in Eccleſia Catholica ex traditione Apoſtolica in huiuſmodi pane & vino Euchariſtia confecta eſt.

Sicut aqua cõmunis eſt materia Baptiſmi; ita panis cõmunis triticeus eſt materia Euchariſtiæ.

Conc. Flor.

83. Huiuſmodi autem panis triticeus, ſiue azymus ſit, ſiue fermentatus, eſt materia apta conſecrationi huius Sacramenti, ſicut expreſsè definitum eſt à Leone IX. in epiſtola ad Michaëlem Cerularium Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui anno Domini 1050. Latinos damnare cœpit, quòd in pane azymo conſecrarent. Et in Concilio Florentino ſeſſione vltima, in litteris ſanctæ Vnionis, vbi ſic legitur: *Definimus in azymo, ſiue fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici.*

Siue ſit azymus, ſiue fermentatus.

84. Quod etiam ratio ſuadet; nam verus panis triticeus apta eſt materia conſecrationi: ſed fermentatus eſt verus panis, eoque vſu quotidiano veſcuntur homines: azymus etiam habet veram panis rationem, ad quam ſufficit farina triticea naturali aquâ ſubacta, & igne cocta; nec defectus fermenti obſtat vllo modo. Sicuti enim vinum album, & vinum rubrum ſunt apta materia conſecrationi calicis, & validè vtrumque conſecratur: ita panis azymus & fermentatus idoneam præbent materiam conſecrationi corporis, & in vtroque validè Euchariſtiæ Sacramentum conficitur.

Vterque enim eſt verus panis.

85. Attamen conuenientior eſt panis azymus conſecrationi. Tum quia Chriſtus Dominus, dum ſacram inſtituit Euchariſtiam, in pane azymo conſecrauit, vt ex infrà dicendis patebit. Tum quia panis azymus magis congruit ſignificationi proprietatum huius Sacramenti, quia ſignificat puritatem, candorem, ſimplicitatem, humilitatem, & incorruptionem; quæ & Chriſto in Euchariſtia latitanti, & myſtico ipſius corpori propriè conueniunt. Quod aliquando expreſſit Paulus 1. *Cor.* 5. 7. dum ait: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; itaque epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

Conuenientior eſt azymus, & quare.

R.P.Cat.Bouquin Comm.in Proſam D.Thom.

Quamvis Græcorum ritus in fermentato celebrantium etiam ſuas habeat congruentias; panis enim ex fermento ſapidior, & ad concoctionem facilior, gratiæ ſuauitatem & charitatis feruorem, quæ ab Euchariſtia Sacramento amoris ac ſpiritualis dulcedinis procedunt, denotat. Adde quod vt notat S.D. 4. *cont. gent.* c. 49. vt Verbum Diuinum ſine vlla commixtione carni vnitum ſignificetur, azymos panes Romana conſecrat Eccleſia; vt autem Verbum indutum carne à Græcis exprimatur, in fermentato ab eis Euchariſtia conficitur, & conſecratur. 86.

Ritus Græcorũ in fermentato cõſecrantium ſuas habet congruẽtias.

Semper tamen ab initio Romana Eccleſia in azymo ſacram Euchariſtiam conſecrauit, vt teſtatur S. Epiphanius *hær.* 30. Vnde patet, Caluinum *lib. 4. inſtit. c.* 17. §. 43. dum ait, *hiſtoriis conſtare, vſque ad tempora Alexandri Papæ totam Eccleſiam pane fermentato vſam;* falſum protuliſſe, ideoque nullo hiſtorico in particulari ſuum roborauit effatum. Quem enim citat, Alexander ille eſt, qui hac nuncupatione primus ſedit anno Chriſti 110. hoc eſt initio ſecundi ſeculi, quo tempore cùm adhuc in nullis Eccleſia Iudaïzaret, incredibile planè eſt, in fermentato, & non in azymo Euchariſtiam tunc fuiſſe conſecratam: maximè cùm Leo IX. *epiſt. ad Michaëlem, c.* 5. doceat, *Romanam Eccleſiam à Petro, & non ab Alexandro diuina myſteria celebrandi modum didiciſſe.* Et *c.* 24. idem Pontifex dicit: *Sanctos Eccleſiæ primitiuæ martyres noſtros azymis ſaginatos.* Tamen exortâ Ebionitarum hæreſi, aſſerentiũ ſimul cum Euangelio eſſe ſeruanda legalia, conſecratio in azymo ab Apoſtolis in Eccleſia introducta, in illius erroris deteſtationem, ita jubentibus Patribus ſuperſedit aliquando: ſed extinctâ hac hæreſi, reſtituta eſt, & ad hunc vſque diem inuiolabiliter obſeruata. 87.

Rom. Eccleſia ab initio in azymo cõſecrauit. Epiphan. Caluini mendacium.

Leo IX.

Ob hæreſim Ebionitarũ conſecratio in azymo ceſſauit paruo tempore.

Nec propterea Græcorum ritus celebrantium in fermentato contemnendus eſt, vel improbandus; cùm eadem Romana Eccleſia, quæ Latinis Sacerdotibus jubet vt in azymo conſecrent, Græcis præcipiat vt in fermentato conficiant. Immò ſicuti non licet Latino in fermentato conſecrare: ita non licet Græco etiam apud Latinos commoranti in azymo celebrare, vt patet ex Conc. Flor. in Decreto vnionis, & ex motu proprio B. Pij V. dato anno 1566. qui incipit, *Prouidentia Romani Pontificis.* Debet enim quilibet Sacerdos, ſiue Græcus, ſiue Latinus, ſuæ Eccleſiæ ritum ſedulò obſeruare. Vnde D. Thomas 3. *p. q.* 74. *art.* 4. *in corp.* inquit: *Sicut peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi peruertens Eccleſiæ ſuæ ritum.* Quod intelligendum eſt de Eccleſiis ſeu templis Græcis conceſſis inter Latinos; & de Eccleſiis conceſſis Latinis inter Græcos, in quibus non licet Græcis ſuæ Eccleſiæ ritum mutare, nec etiam Latinis. Quamvis autem peregrinantes templis propriis, & aliis ad celebrãdum requiſitis carentes, poſſint ſi velint, ritui & conſuetudini conformari eorum, inter quos peregrinantur, vt habetur *in cap. Illa autem, diſt.* 12. ex Ambroſio & Auguſtino, tamen cogi non poſſunt Græci à Latinis, dum inter illos tranſeunt vel commorantur, vt in azymo conficiant: nec Latini à Græcis, cum quibus exiſtunt, vt in fermentato offerant. 88.

Græci in fermentato cõſecrantes, nõ contemnẽdi.

D. Thom.

Græci & Latini ſuarum ritum Eccleſiarum obſeruent.

Nec contra prædicta objicias, panem azymum non eſſe verum panem, quia vox Græca, ἄρτος, quæ panem deſignat, ſignificat eleuare, ſeu attollere; quod fermenti eſt effectus: ab illo enim panis attollitur. Etenim ἄρτος licèt deriuetur à verbo, quod 89.

Panis azymus eſt verus panis.

ſignificat attollere, ſeu eleuare, communiter tamen dicitur de fermentato, & azymo, qui proinde eſt verus panis. Nam *Luc.* 24. vbi legimus in Latina editione, *cognouerunt eum in fractione panis*, Græcè habetur, *ἄρτος*, quod ſignificat panem, non quidem fermentatum, quia Paſchali tempore non inueniebatur in domibus Iudæorum, vt patet *ex c.* 12. *&* 13. *Exod.* Vt autem clariùs pateat Latinam Eccleſiam rationabiliter in azymo conſecrare ad Chriſti Domini imitationem, qui etiam in azymo hoc Sacramentum celebrauit, & ſimul Græcorum & Nouatorum contra eam blaterantiũ ora oſtruantur, ſit

Sectio V.

An Chriſtus in pane azymo, vel fermentato Euchariſtiam inſtituendo conſecrauerit.

90. *OMnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio*, vt loquitur Gregorius Magnus. Quod licèt de omnibus, quæ geſſit Dominus, verum ſit, cùm debeamus eum imitari, eius veſtigia terere, & vt loquitur Ioannes ep. 1. 2. 6. *Sicut ille ambulauit, ambulare.* Tamen peculiari ratione in ſanctorum celebratione Sacramentorum ei debemus inhærere, eumque omninò tam in materia, forma & ſubſtantia, quàm in modo agendi exprimere: ſiquidem eius virtute agimus, eius Sacerdotio decoramur, eius perſonam gerimus, & quidquid in his myſteriis operamur, ipſe primus omnium, æternuſque Sacerdos operatur.

Chriſtus à nobis imitandus, præſertim in Sacramentorum celebratione.

91. Quare vt Græcorum ac hæreticorum petulãtiam coërceamus, eoſque immeritò Latinam Eccleſiam criminari, accuſare, ac damnare, quòd in pane azymo ſacram conficiat Euchariſtiam, oſtendamus, illam Sponſum ſuum in hoc agendi modo imitari demonſtrabimus, ſi (vti ſperamus) probauerimus Chriſtum non in fermentato, ſed in azymo conſecraſſe. Hæc enim totius controuerſiæ ſumma eſt, ad cuius euidentiam

92. Præmitto primò, certum eſſe apud omnes, tam Latinos, quàm Græcos, tã Catholicos, quàm Nouatores, Chriſtum Sacramentum Euchariſtiæ, in qua corpus ſuum & ſanguinem in cibum & potum Eccleſiæ ſuæ reliquit, inſtituiſſe in vltima cœna, quam cum diſcipulis ſuis in veſpera antecedente diem mortis ſuæ habuit, vt patet ex trium Euangeliorum Matthæi, Marci, & Lucæ contextu, & *ex* 1. *Cor.* 12. Quod in ſacro Canone liturgiæ Latinorum exprimitur, dum de Saluatore dicitur, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, &c.* Et in Concil. Viennenſi, *Clementina vnica, de reliquiis & vener. Sanctor.* & in Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. & *c.* 2. definitũ eſt.

Euchariſtiã inſtituit Chriſtus in vltima cœna cum Apoſtolis, pridie mortis ſuæ ad veſperam.

93. Præmitto ſecundò, Hebræos menſes à nouilunio incipere ſolere, ita vt primus dies mẽſis dictus ſit ab eis à prima luna. Initium autem anni ab eiſdẽ ſumitur à prima quæ poſt veris æquinoctium accidit luna, à qua primus menſis incipit, dictus Hebraicè *Abib*, Chaldaïcè *Niſam*, Martio noſtro & Aprili correſpondens, juxta illud Exod. 12. *Menſis iſte vobis principiũ menſiũ, primus erit in mẽſibus anni.*

Mẽſis à luna ab Hebræis incipitur: Annus à prima luna circa æquinoctiũ, quæ Hebraicè Abib, Chaldaicè Niſam, & Martio & Aprili reſpondet.

Inſuper apud eoſdem Hebræos tres dierum differentiæ habebantur; alij erant dies legales, qui accipiebantur à veſpera vnius diei ad veſperam ſubſequentis, ſecundùm quod Leuitici 23. dicitur:

94. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra*; hoc eſt, quælibet feſta, etiam ſolennia, quæ Sabbathum appellabantur, vt feſtum expiationis celeberrimũ vocatur *Sabbathum requietionis*. Quo etiam pacto apud nos feſta in Eccleſia incipiunt à prima veſpera vſque ad ſecundam. Alij erant dies naturales, qui ab illis ſicut à nobis accipiebantur; hoc eſt, à media nocte in mediũ noctis ſequentis, vel vt alij volunt, ab ortu Solis in ortum ſubſequentem. Alij tandem erant artificiales, qui complectebantur totum illud ſpatium, in quo fulget lux ſolis, & diſtinguebantur à nocte apud Hebræos, ſicuti modò apud nos.

Solennitas igitur paſchalis, quæ apud Iudæos celeberrima erat, in memoriam tranſitus Angeli Vaſtatoris, qui primogenitos occidens Ægyptiorum, Hebræos intactos reliquerat, incipiebat die quartadecimâ, ſeu lunâ 14. menſis Niſam, ſub veſperam, juxta illud Exod. 12. 6. *Seruabitis eum* (agnũ) *vſque ad quartamdecimam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Et leuit. 23. 5. *Menſe primo, quartadecimâ die menſis ad veſperam phaſe Domini eſt.* Feſtum autem azymorum in memoriam exitus illorum de Ægypto cum tanta feſtinatione, vt vrgentibus Ægyptiis non potuerint fermentaros, ſed tantùm azymos panes coquere, vt narratur *Exod.* 12. celebrabatur die, ſiue lunâ quintadecimâ eiuſdem primi menſis Niſam, ita vt juxta morem illorum, & præceptũ Domini, à veſpera præcedenti, hoc eſt à quartadecima die ſub veſperam inciperet: ſicque concurrebat feſtum Azymorum cum feſto Paſchatis, vt patet *Exod.* 12. & *Leuit.* 23. In hoc autem differebant feſtum Paſchæ, & feſtum Azymorum, quòd Paſcha vnâ tantùm die, eaque non integrâ, ſcilicet 14. lunâ primi menſis ſub veſperam celebrabatur, vt liquet *Exod.* 12. *Leuit.* 23. *& Deuteron.* 16. ac proinde eius ſolennitas non incipiebat in vigilia præcedenti, ſeu in veſpere lunæ 13. nec cum vigilia Sabbathi quietis cõcurrebat. Feſtum autem Azymorum, quod incipiebat die 14. poſt ſolis occaſum, durabat ſeptem diebus, hoc eſt vſque ad diẽ vigeſimamprimam incluſiuè: omnes autem illi ſeptem dies erant Paſchales, & vocabantur dies Azymorum, ex quibus tamen duo tantùm erãt ſolennes & feſtiui, nempe primus, ſcilicet quintuſdecimus lunæ; & ſeptimus, ſcilicet vigeſimuſprimus lunæ, ſeu menſis, in quibus opera ſeruilia facere non licebat. Cùm ergo & Agnus Paſchalis decimaquartâ ad veſperam cum azymis manducari deberet, & dies azymi in eadem veſpera incipientes cum Paſchate concurrerent, nullus apud Iudæos panis fermentatus inueniebatur ſub pœna mortis, vt patet *Exod.* 12. *&* 13. 94.

Paſcha incipiebat die 14. mẽſis Niſam. Ad veſperam feſtum azymorum celebrabatur die 15. eiuſdem menſis, incipiẽte ad veſperam diei præcedentis.

Paſcha vnâ tantum die, & non integrâ: feſtum verò azymorum per ſeptem dies durabat.

Agnus die 14. ad veſperam cũ azymis manducabatur.

Cæterùm Græci vt ritum Eccleſiæ ſuæ de conficienda Euchariſtia in pane fermentato tueantur, docent Chriſtum agnum paſchalem manducaſſe, non primâ die azymorum, ſeu die 14. ſed die 13. præueniendo ipſum diem 14. in quo, in illorum ſententia, in cruce ſuſpenſus pro nobis mortem pertulit: ac conſequenter Agno Paſchali manducato, Euchariſtiæ Sacramentum in pane fermentato conſecraſſe. Latini autem contrarium defendunt, docentque Chriſtum legem in omnibus adimpleuiſſe, & celebrato die 14. ſub veſperam Paſchate, agnoque legali manducato, in azymo Euchariſtiã conſecraſſe, & die ſequenti, nempe decimaquintâ menſis, cruci affixum, morte ſuâ orcum, mortemque deuiciſſe. Quæ ſanè ſentẽtia Euangelico textui omnino conformis nobis videtur Quod vt pateat, 95.

Quid doceãt Græci, vt ritũ ſuum firmẽt.

Contrarium cenſent Latini.

Dicimus, Chriſtum Dominum vltimam cœnã cũ diſcipulis celebraſſe die quartadecima primi mẽſis, quæ fuit feria 5. ad veſperam, & in ea, agno legali de more manducato, in azymo pane Euchariſtiam inſtituiſſe, in qua corpus ſuum, & ſanguinem hominibus immenſo amore in alimentum tradidit. 96.

Chriſtus in azymo pane Euchariſtiã inſtituit.

Probatur primò ex illo Matth. 26. 17. *Prima die* 97.

azymorum

Patet ex ſcriptura. Prima dies azymorum erat 14. ad veſperam.

azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Quod idẽ aſſeritur Marc. 14. *Prima autem die azymorum, quando paſcha immolabant.* Et Luc. 22. 7. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha.* Sed prima dies azymorum, in qua paſcha, hoc eſt agnus paſchalis occidebatur, oon erat decimatertia primi menſis, in qua adhuc comedebatur fermentatus panis; ſed decimaquarta, io cuius veſpera noo licebat habere domi, vel comedere fermentatum, vt patet Exodi 12. ſed azyma comedi incipiebant. Ergo Chriſtus non decimatertiâ, ſed decimaquartâ die primi menſis in azymo Sacramentum inſtituit, & Euchariſtiam conſecrauit.

98. Occurrit Euthymius.

Sed huic probationi occurrit Euthymius, per primum diem azymorum intelligi diem immediatè præcedentem; non enim dies ille azymorum jam aderat, ſed imminebat: vnde & *Luc.* 22. dicitur, *Venit dies azymorum*; hoc eſt, imminet, ſeu appropinquat. Addit Chriſtum die 13. Paſcha ſeu agnum paſchalem manducaſſe, præueniendo diem 14. in qua tantùm ſub veſperam agnus debebat occidi, maximè cùm præuideret ſe moriturum in cruce die ſequenti, hoc eſt die 14. menſis primi Niſam. Licitum enim erat Paſcha præuenire, non tamen differre.

99. Refellitur.

Verùm refellitur facilè. Primò quia ex textu Euangelij *Luc.* 22. expreſsè patet, Chriſtum agnum manducaſſe, & poſtea hoc Sacramentum inſtituiſſe ipſo die primo azymorum, hoc eſt die 14. ad veſperam. Nam *ibid.* 1. dicitur, *Appropinquabat dies feſtus azymorum.* Sed dies feſtus azymorum erat tãtùm primus & ſeptimus. Primus autem incipiebat à veſpera quartædecimæ diei, in qua paſcha occidebatur. Vt autem clariùs oſtendatur, iu ipſo feſto azymorum inchoato Chriſtum agoum manducaſſe, ac deinde Euchariſtiam ioſtituiſſe, poſtquam dixit in principio capitis, *Appropinquabat dies feſtus azymorum*, quo tempore *principes Sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo Ieſum interficerent*, ſubdit infrà 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha?* Vbi per ly *venit*, non ſignificatur diem illum imminere, ſed jam adeſſe, & de facto veniſſe. Vnde Matthæus, & Marcus ſuprà citati non dicunt, *venit dies*, ſed aiunt, *Primo die azymorum Apoſtolos dixiſſe, vbi vis paremus Paſcha.*

Chriſtus edit agnum in veſpera 14. die, & poſtea Euchariſtiã in azymo inſtituit.

100. Secuodò, quia Chriſtus Dominus legis antiquæ obſeruantiſſimus fuit, vt ne minimum quidẽ eius apicem prætermiſerit, vt ipſe teſtatur *Matth. c.* 5. & conſequenter ſine vllo fundamento dicitur, illum manducaſſe agnum paſchalem die 13. menſis primi, qui jubebatur comedi die quartadecima ad veſperam. Vnde ſi 13. die meoſis Niſam agoum manducaſſet, tanquam legis Moyſis infractor à Iudæis fuiſſet accuſatus; nec adeo in quærendis falſis teſtibus, vt eum perderent, laboraſſent, ſi eum legem non obſeruantem agnouiſſent. Facilè autem frangentem Moyſis legem cognouiſſent, ſi celeberrimam illam cœnam, in qua cum diſcipulis paſcha manducauit, in diuerſorio ſtrato, & rebus omnibus exornato, in ipſa ciuitate Hieroſolyma decimatertiâ die contra legem, & oon decimaquartâ, juxta legem celebraſſet.

Chriſtus perfectiſſimus legis obſeruator agnum 14. die ad veſperã comedit cum pane azymo

101. Tertiò quia fingit Euthymius, & gratis aſſerit Chriſtum in die immediatè præcedenti, hoc eſt die 13. & non in primo die azymorum paſcha manducaſſe, & poſteà Euchariſtiam inſtituiſſe; quia hoc non legitur in aliquo Euangelio, ſed contrarium ibi manifeſtè reperitur.

102. Nec verum eſt, ex præuiſione mortis, quã Chriſtus pati debebat die 14. primi menſis, Agni Paſchalis eſum anticipaſſe, & illum de facto manducaſſe die 13. præcedenti: Chriſtus enim non debebat legem ſeruare, niſi quamdiu viueret, ac proinde non tenebatur obedire mandato, quod mortem ſuam erat ſubſequuturum; ſed ſufficiebat ad complendam Agni Paſchalis figuræ veritatem, vt ipſe *qui eſt Agnus Dei*, vt ipſum appellauit Ioannes *cap.* 1. immolaretur in cruce. Inſuper nullo modo licebat ante decimamquartam diem paſcha celebrare, quia *Exodi* 12. præſcribitur determinatè, vt fiat die 14. ad veſperam. Quamvis autem lex permiſerit celebrari paſcha poſt vnum menſem, dummodo idem dies 14. ſeruaretur, vt conſtat *ex Num. c.* 9. tamen Paſchæ diem, aut mẽſem Paſchæ anticipari poſſe, nec præcepto, nec exẽplo valet probari.

Falſum eſt, Chriſtũ agni manducationem anticipaſſe.

Probatur ſecundò ex eo quod habetur Ioan. 13. *Ante diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus, quia venit hora eius, &c.* Vbi ea quæ fecit & dixit Saluator pridie paſſionis, narrantur, & conſequenter aſſeritur, diem paſſionis Chriſti, ſcilicet feriam ſextam fuiſſe anno illo ſolennem ac feſtiuam. Ex quo neceſſariò ſequitur, vt die præcedenti Agnum Paſchalem comederit, & poſtea in azymo Euchariſtiam inſtituens conſecrauerit. 103.

Anno quo mortuus eſt Chriſtus, ſolennitas Paſchalis incidit in feriam 6. vnde feria 5. fuit 14. menſis, quã ad veſperam occiſus eſt agnus.

Nec valet reſpondere, per ly *ante diem feſtum Paſchæ*, deſignari diem ſequentem, in quo Chriſtus paſſus eſt, fuiſſe quartumdecimum lunæ menſis Niſam, in quo Paſcha ad veſperam occidebatur, & conſequenter Chriſtum agnum manducaſſe lunâ 13. ad veſperam, præueniendo ſeu anticipando tempus. Quia celebritas Paſchæ apud Iudæos nec ſolennis erat, nec feſtiua, nec alio modo colebatur, quàm immolatione & manducatione agni: ſed dies immediatè ſequens, nempe quintadecima, quæ erat prima azymorum, illis admodum ſolennis erat. Cùm ergo dicat Ioannes, *ante diem feſtum Paſchæ*, per ly *diem feſtum Paſchæ*, intelligit diem primum azymorum ſolennem & feſtiuum, qui cum aliis ſubſequentibus Paſchalis dicebatur, quique incipiens à veſpera diei decimæquartæ præcedentis, in qua Agnus Paſchalis neceſſariò occidebatur, cum hoc Paſchate immolationis agni concurrebat. Vnde cùm Chriſtus cœnam illam celeberrimam habuerit cum diſcipulis ante diem feſtum, ſeu ſolennem Paſchæ, qui eſt primus dies azymorum, & in hac cœna, quæ vltima eius vitæ fuit, corpus ſuum in Euchariſtia hominibus dederit, manifeſtum eſt, illum decimaquartâ lunâ ad veſperam hoc Sacramentum inſtituiſſe: & quia in hac veſpera apud Iudæos nefas erat panes fermentatos habere, euidenter colligitur, Dominum in azymo Euchariſtiam conſecraſſe. 104.

Prima dies azymorum ſolennis.

14 menſis Niſã ad veſperam nefas erat habere fermentatũ.

Adde quod Euangeliſta conſultò non dixit, *ante feſtum Paſchæ*, ne aliquis crederet Chriſtum decimatertiâ lunâ cœnam illam celebraſſe; ſed *ante diem feſtum Paſchæ*, ſumpta die pro die artificiali, prout diſtinguitur à nocte; non pro naturali, quæ noctem complectitur: & ſic in veſpera diei quartædecimæ cœnauit cum diſcipulis, ante diem quintumdecimum ſolennem, in quo in crucem actus omnium redemptionem hominum moriendo conſummauit. 105.

Cur dixit Ioannes, ante diem feſtum Paſchæ.

Nec etiam dicas, Ioannem loquutum fuiſſe non de feſto immediatè ſequenti noctem feriæ quintæ, in qua Chriſtus loquebatur, ſed de feſto Sabbatho ſequenti celebrando. Nam cùm Dominus ibidem Iudæ dixerit, *quod facis, fac citiùs*; & ille cùm adhuc nox eſſet, cõtinuò exiuerit, cæteri Apoſtoli illum exiiſſe ad neceſſaria pro die feſto emẽda 106.

Iudæi dixere, Nobis non licet interficere quemquam, ob feſtum paſchæ quod tunc agebatur. D. Auguſt.

putauerunt: quod minimè ſuſpicari potuiſſent, ſi totus ſequens dies ante feſti ſolennitatem ſuperfuiſſet. Quod etiam confirmari valet ex reſponſione Iudæorum Pilato, *Ioan.* 18. quâ dixerunt die ſequenti, *Nobis non licet interficere quemquam*, ſcilicet ob feſtum quod tunc agebatur, vt exponunt Chryſoſt. *hom.* 82. *in Ioan.* & *hom.* 86. *in Matth.* Auguſtinus *tract.* 114. *in Ioan.* & alij SS. Patres. Licebat enim eis alio tempore blaſphemos interficere, vt liquet *ex Act.* 7. vbi Stephanum in concilio judicatum publicè lapidauerunt: & apud Felicem Præſidem Syriæ conqueruntur *Act.* 24. quòd volentibus ſecundùm legem ſuam Paulum interficere, de manibus illorum a Tribuno Lyſiæ violenter raptus eſt.

107. Porrò vt ſententiæ quam propugnamus veritas magis eluceſcat, notandum eſt, quod quando *Exod.* 12 præcipitur Agnum Paſchalem occidi die decimaquartâ primi menſis ad veſperam, non debet intelligi veſpera diei decimætertiæ, quæ diem decimamquartam immediatè præcedebat, ſed illa quæ ſequebatur, & erat ſecunda veſpera diei 14. & prima diei decimæquintæ: quia lex jubebat Agnum manducari eâ veſperâ, quâ prohibitio vſus fermentati incipiebat; ſimul enim vſus azymorum, & eſus Agni incipiebant. Cùm ergo prima dies azymorum eſſet tantùm lunâ 15. & a ſecunda veſpera diei decimæ quartæ inchoaretur, in qua etiam veſpera lunæ 14. prohibitio fermentati inchoabat; euidens eſt in ſecunda veſpera lunæ quartædecimæ agnum debere immolari & manducari; alioquin fuiſſent octo dies azymorum completi, quod pugnat cum eodem capite 12. Exodi, vbi expreſsè aſſeritur, illos eſſe tantùm ſeptem. Ex quibus manifeſtum eſt, Chriſtum Dominum ad veſperam diei, ſeu lunæ 14. & primo die azymorum in eadem veſpera inchoato Agnum manducaſſe, & poſtea Sacramentum corporis ſui in azymo conſecraſſe feriâ quintâ: & diem ſequentem, quæ fuit feria 6. fuiſſe ſolennem diem azymorum completum & terminatum in nocte ſequenti eiuſdem diei 15. incluſiuè.

Agnus jubebatur occidi ſecunda veſpera diei 14. & prima veſpera diei 15.

108. Quare ſancti Patres docent, Chriſtum Agno Paſchali manducato, Euchariſtiam ab illo Agno adumbratam conſecraſſe; hoc enim expreſsè habet Auguſtinus *ep.* 108. S. Leo Papa *ſerm.* 7. *de paſſione*, vbi ait: *Ieſus conſilij ſui certus, vetus teſtamentum conſummabat, & nouum Paſcha condebat: & cùm in Caipha atrio tractaretur, quomodo Chriſtus deberet occidi, ille corporis & ſanguinis ſui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo hoſtia deberet offerri.* Chryſoſt. *homil. de prodit. Iuda*, vbi ait: *Illud quidem Paſcha Iudæorum diſcipuli præparabant: iſtud autem, quod noſtrum eſt, ipſe Chriſtus conſtituit, & dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Quod etiam docent alij Sancti Patres. Vnde & S. Thomas in hymno quem vniuerſa in Matutinis ſolennitatis corporis Chriſti canit Eccleſia, inquit:

D. Auguſt. S. Leo Papa. D. Chryſoſt. S. Thom.

Poſt agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum diſcipulis, &c.

Et in hymno veſperarum eiuſdem feſtiuitatis id etiam expreſsè declarat, dum ſic canit:

In ſuprema nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruatâ lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Agno manducato ſecunda veſpera diei 14 quæ fuit feria quinta, & erat prima dies azymorũ Chriſtus Euchariſtiã inſtituit, & conſequenter in azymo.

Arguunt tamen Græci contra prædicta. Iudæi Paſcha manducauerunt, idest Agnum Paſchalem, ipſo die quo Dominus crucifixus eſt, ſicuti expreſsè habetur *Ioan.* 18. vbi de Iudæis dicitur verſ. 28. *Ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* Ergo cùm Chriſtus pridie quàm pateretur Paſcha manducauerit, decimatertiâ lunâ illud manducauit, & tempus præuenit vno die. 109.

Inſtant Græci.

Reſpondetur negando Antecedens; populus enim Iudæorum anno mortis Chriſti Paſcha, hoc eſt Agnum Paſchalem, manducauit eo die quo Chriſtus agnum manducauit, nempe pridie paſſionis ſuæ, & die 14. lunæ primi menſis, quæ fuit feria quinta. Vnde dum *loc. cit.* dicitur, quod *non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, per ly *Paſcha*, non eſt intelligendus Agnus Paſchalis, qui jam manducatus fuerat à populo Iudæorum nocte præcedenti; ſed intelligendi ſunt panes azymi, qui per ſeptem dies comedebantur; vel victimæ, quæ ex ouibus & bobus quotidie in diebus paſchalibus immolabantur, & Paſcha dicebantur, quæ tantùm a mundis debebant manducari. Quod patet ex Deuteron. 16. 2. *Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus, in loco quem elegerit Dominus.* Et 2. Paralip. 35. *Dederunt Sacerdotibus ad faciendum phaſe pecora duo millia, & boues ſexcentos.* Vnde præter duos vitulos, arietem, & ſeptem agnos, qui ſingulis diebus Paſchæ offerebantur tanquam holocauſta, immolabatur etiam hircus in ſacrificium pro peccato, & ex eo quotidie Sacerdotibus epulum parabatur, vt notauit Ioſephus *lib.* 3. *antiquit. cap.* 13. *ex cap.* 28. *lib. Num.* Illa ergo Paſchalis victima quæ à Sacerdotibus erat edenda, Paſcha illud fuit, de quo ait Ioannes, quod *Pontifices non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* Sacerdotibus enim immundis non licebat edere ſacrificia, vt conſtat *ex cap.* 22. *Leuit.* 110.

Refelluntur. Iudæi ea nocte, ſeu veſpera diei 14. agnum manducauerunt, quâ Chriſtus manducauit. Vt manducarent Paſcha, idest panes azymos, qui per ſeptẽ dies manducabãtur, vel victimas paſchales. Ioſephus.

Arguunt ſecundò. Chriſtus paſſus eſt in paraſceue Paſchæ, vt legitur Ioan. 19. *Erat autem paraſceue Paſchæ horâ quaſi ſextâ.* Ergo ante Paſcha. Ergo antequam Iudæi Agnum legalem manducarent. Ergo ipſe tempus anticipauit, dum Paſcha comedit, ac deinde Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. 111.

Inſtant 2.

Reſp. Dominum paſſum in paraſceue Sabbati, hoc eſt die ante Sabbathum, quando neceſſaria pro Sabbatho immediatè ſequenti debebant præparari; quo die illo anno Paſcha, ſeu dies primus azymorum ſolennis & feſtiuus inter dies paſchales incidit; non autem in paraſceue Paſchæ, hoc eſt in die immediatè præcedenti feſtum Paſchæ, quia in ipſo die ſolenni Paſchæ crucifixus eſt, vt patet ex jam dictis ſuprà, & ex textu Euangelij *Ioan.* 18. vbi Pilatus Iudæis paulò ante mortem Chriſti dixit: *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum.* Quæ ſolutio germana eſt, & euidenter colligitur ex eodem capite 19. Ioan. vbi dicitur: *Propter paraſceuem Iudæorum, vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi.* Vbi ſicut legenti patet, paraſceue dicitur non ad Paſcha, quod tunc incidit in feriam ſextam; ſed ad Sabbathum immediatè ſequens, quod dicitur *magnus dies Sabbati*, quia incidit inter dies paſchales, & quaſi geminâ feſtiuitate decoratum. Vnde & Marci 15. *Erat paraſceue, quod eſt ante Sabbathum.* 112.

Refelluntur. Paraſceue erat non ad primum diẽ ſolennẽ Paſchæ, ſed ad Sabbathum quod in feſtis Paſchalibus incidebat.

Sabbathum. Et Luc. 23. *Erat autem paraſceue, & ſabbathum diluceſcebat*; hoc eſt, incipiebat: nam inchoabatur Sabbathum in veſpera diei, ſeu feriæ ſextæ præcedentis.

113. Inſtãt tertiò. Arguunt tertiò: Eo die quo paſſus eſt Dominus opera ſeruilia à Iudæis facta ſunt: nam Ioſeph *mercatus eſt ſyndonem*, vt dicitur *Marc.* 15. & vt narratur Luc. 23. *Mulieres parauerunt aromata.* Immò & Iudæi Chriſtum comprehenderunt, accuſarunt, & contra eum coram Pilato litigauerunt. Ergo non fuit dies ſolennis azymorum: Ergo Paſcha manducauit ante decimamquartam lunam, ſeu diem primi menſis.

114. Refelluntur. Reſp. neg. conſequentiam; licèt enim opera ſeruilia prohibeantur in die feſto azymorum, vt patet *Leuit.* 26. non tamen opera pietatis, charitatis, & maximè neceſſaria. Vnde ſepelire mortuos, parare ſyndonem & aromata ad talem ſepulturam, cùm ſint opera charitatis & miſericordiæ, ſeruilia non reputantur: & ideo licuit die ſolenni azymorum illa exercere, ſicuti eo die licebat coquere cibos, & alia ſimilia præſtare, quæ non licebat facere die Sabbathi. Non conſtat autem ex Scriptura, actus judiciales fuiſſe hac die probibitos; & ſatis religiosè ſe geſſiſſe putauerunt Iudæi, ſi ipſa die propriis manibus Chriſtum non interfeciſſent; qui ideo gentibus traditus eſt ad crucifigendum, vt ſermo eius impleretur, vt dicitur *Ioan.* 18. 32. & vt die Iudæis ſolenni paſſum eſſe omnibus ſignificaretur. Neque obſtat quod Iudæi de morte Chriſti tractantes, *Matth.* 26. dixerunt, *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Hæc enim quorumdam ſententia non ſequuta eſt, ſed inuidiâ ipſorum præualente Iudæorum, contraria præualuit; judicarunt enim non eſſe omittendam occaſionem perdendi Chriſtum quocumque tempore.

Opera miſericordiæ ſeruilia non reputantur.

115. Inſtant quartò. Arguunt quartò: Paſſio Chriſti figurata fuit Agni Paſchalis immolatione: ſed die 14. Agnus immolabatur. Ergo eadem die 14. Chriſtus paſſus eſt. Ergo die 13. Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit.

116. Refelluntur. Reſp. diſtinguendo Maiorem: Paſſio Chriſti figurata fuit minùs principaliter, concedo Maiorem: principaliter, nego Maiorem; nam immolatio Agni Paſchalis, quæ manducatione conſummabatur, principaliter ſignificabat immolationem Chriſti myſticam, quæ in ſacrificio fit Euchariſtiæ, & ad manducationem ordinatur: & minùs principaliter figurabat cruentam Chriſti immolationem in cruce. Vnde quia figura erat Sacramenti Euchariſtiæ, vt infrà fuſiùs oſtendemus; ideo hoc Sacramentum die 14. quæ fuit feria quinta, in veſpera inſtitutum eſt eodem die & eadem horâ, quâ ſecundum legem agnus immolabatur: & quia etiam paſſionis Domini figura erat, eadem die paſſio Chriſti accidit, nempe die 15. nam veſpera diei 14. in qua Agnus immolabatur, ad diem quintumdecimum ſequentem, vt dies ille feſtiuus erat, pertinebat: non tamen eadem horâ, quod non neceſſe erat. Nam Agnus immolabatur poſt ſolis occaſum, Chriſtus autem crucifixus fuit horâ ſexta, hoc eſt in meridie, & circa horam nonam, ſeu circa horam tertiam poſt meridiem, ſole ad occaſum vergente exſpirauit.

117. Inſtant denique. Arguunt quintò *ex cap.* 23. *Leuit.* Dies Pentecoſtes die quinquageſimo à ſecundo azymorum die debet celebrari, ita vt factâ debitâ numeratione, in eumdem hebdomadæ diem incidat Pentecoſtes, in quem incidit dies ſecundus azymorum: ſed eo anno, quo paſſus eſt Chriſtus, dies Pentecoſtes in diem Dominicam incidit, vt conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione. Ergo & dies azymorum ſecundus tunc in Dominica die accidit. Ergo dies ſabbathi fuit primus dies azymorum. Ergo feria 6. in qua Chriſtus mortem pertulit, fuit tantùm dies 14. primi menſis. Ergo die 13. conſecrauit.

Reſp. ad Mai. diem quinquageſimum, qui eſt 118. Refelluntur.
dies Pentecoſtes, numerandum eſſe à primo die prophano poſt feſtum primæ diei azymorum. Quare ſi ſecundus azymorum dies prophanus ſit, vt ſæpiſſimè accidit, dies Pentecoſtes ab eo debet numerari: ſi autem dies ſecundus azymorum in Sabbathum, quod Iudæis ſolenne eſt, incidat, & propterea dies feſtus ſit, tunc à tertio die azymorum, qui tunc primus inter azymorum dies prophanus eſt, dies Pentecoſtes ſumendus eſt. Cùm ergo anno mortis Chriſti primus dies azymorum fuerit feria ſexta, in qua obiit; & ſecundus dies in Sabbatho eueniens feſtus fuerit, à die tertio immediatè ſequenti, qui prophanus fuit, & in Dominicam incidit, numerati ſunt dies Pentecoſtes; vnde & factum eſt, vt illo anno Pentecoſtes in Dominicum diem inciderit, ac deinde apud Chriſtianos ſolemnitas Pentecoſtes ſemper die Dominico celebrata fuerit.

Sectio VI.

Quodnam vinum, & an aquâ temperatum, ſit materia Euchariſtiæ.

QVia ad modum conuiuij à Chriſto Domino 119.
Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum eſt, vt illo refecti Chriſtiani, eorum mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiâ impinguetur, vt loquitur D. Thomas *opuſc.* 37. & quia non ſolùm cibo, ſed etiam potu omne debet conſtare conuiuium; ideo non tantùm corpus Domini ſub ſpecie panis, ſed etiam eius ſanguis ſub ſpecie vini hoc in myſterio debent Fidelibus ſubminiſtrari. Vnde hoc Sacramentum, quod panem triticeum communem & vſualem, ac azymum in Eccleſia Latina, tanquam veram ac propriam materiam, ex qua caro efformatur Chriſti, agnoſcit; vinum tanquam materiam, quæ in ſanguinem Redemptoris conuertitur, admittit.

D. Thom.

Euchariſtia eſt Sacramentum ad modum conuiuij.

Igitur dogma fidei eſt, vinum de vite, quod 120.
eſt verum & proprium vinum, ac vſui ordinario hominum admodum aptum, eſſe veram & propriam materiam Euchariſtiæ, quantùm ad potum: ita vt ex vino vitis, & ex nullo alio fiat ſanguis Domini in tremendi celebratione ſacrificij. Quod quidem ex Apoſtolica traditione Catholica tenet Eccleſia, & Domini exemplo comprobatur. Peractâ quippe Calicis conſecratione, *Matth.* 26. 29. inquit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* vbi deſignat materiam, quam in ſuum ſanguinem conſecrando tranſmutauit, fuiſſe vinum vitis. Nomen autem geniminis, ſeu vini vitis, dat vino poſt conſecrationem, etſi ſubſtantialiter conuerſo in ſanguinem; quia res conuerſæ retinent in Scriptura nomen quod habebant ante conuerſionem, vt ſuprà ex pluribus Scripturæ locis oſtendimus.

Vinum vitis eſt propria materia Euchariſtiæ.

Res conuerſa, illius quæ ante conuerſionem erat, tenet nomẽ.

Maximè autem congruum eſt, vinum eſſe ma- 121.
teriam huius Sacramenti. Tum quia ſicuti ſolum oleum de oliuis verè & propriè dicitur oleum, cætera autem ab eo hoc nomen mutuant: ita

Congruum eſt, vinum vitis eſſe materiam Euchariſtiæ, & quare.

ſolum de vite vinum, verè & propriè vinum eſt; cæteri autem liquores ab ipſo hanc ſuſcipiunt nomenclaturam. Tum quia ſicut panis triticeus eſt materia huius Sacramenti, quia eſt cibus ordinarius: ita & vinum eſt potus communis & vſualis hominum; & ideo hoc Sacramentum per modum alimenti inſtitutum debet ſub ſpecie panis & vini ſpiritualiter corpore cibare, & ſanguine potare homines, ac conſequenter panis triticeus, & vinum de vite eſt materia huius Sacramenti. Tum denique quia vinum vitis habet maiorem conformitatem cum effectu huius Sacramenti, qui eſt lætitia ſpiritualis: *Vinum enim*, vt habetur pſal. 103. *lætificat cor hominis.*

122. Aquarij hæretici. *Conc. Brach.*

122\. Hinc patet quàm Chriſti inſtitutioni diſſona fuerit illorum hæreticorum ſententia, qui aquam materiam ſanguinis Chriſti remotam dixerunt, & propterea *Aquarÿ* ſunt appellati: & ſimiliter eorum, qui vt habetur in Concilio Bracharenſi III. lac pro huiuſmodi materia voluerunt: & tandem eorum qui mel ad talem materiam eligebant.

Acetum non eſt materia ſanguinis Chriſti.

123\. Patet inſuper, acetum non eſſe materiam ſanguinis Chriſti, quia non eſt vinum, ſed quid aliud ex vino corrupto genitum: ad eum modum quo cadauer non eſt homo, niſi cum addito, homo mortuus: ſicut oculus mortuus eſt tantùm æquiuocè oculus, & non vniuocè, hoc eſt verè & propriè, ſed tantùm apparenter, & quantùm ad externam denominationem. Similiter agreſta, ſeu ſuccus ex vua acerba expreſſus, nequit eſſe hæc materia, quia nondum habet ſpeciem vini, ſed tantùm eſt in via generationis. Muſtum autem, quia jam eſt ſimpliciter vinum, eius enim dulcedo digeſtionem atteſtatur, licèt non ſit omninò purgatum & defæcatum, poteſt eſſe materia huius Sacramenti. Quamuis autem, vt notat S. D. 3. *p. queſt.* 74. *art.* 5. *ad* 3. prohibitum ſit offerre muſtum ſtatim de vua expreſſum, propter eius impuritatem: attamen vrgente neceſſitate hoc poteſt fieri; nam Iulius Papa I. in Decretali 7. & habetur *de conſecr. diſt.* 2. *cap. Cùm omne crimen*, Inquit: *Si neceſſe fuerit, botrus in calice prematur.* Vnde & mos in quibuſdam Eccleſiis inoleuit, vt ſingulis annis die 6. Auguſti Transfigurationi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacra, in ſolenni Miſſæ celebratione vua matura in Calice prematur, & ex muſto ab ea expreſſo conſecretur ſanguis Chriſti, vt refert Guillielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis *in Rationali diuini offic. lib.* 7. *cap.* 22. quod de facto eſt in praxi in Eccleſia Metropolitana Aquenſi, vbi in Baſilica Sancti Saluatoris die Transfigurationis, quæ celeberrima eſt ibidem, propter titulum Eccleſiæ transfigurati Saluatoris, quotannis vua in Calice premitur, & ex muſto ab vua expreſſo conſecratur ſanguis Chriſti. Cuius ritus ratio eſſe poteſt illa, quam notauit idem Durandus *loc. cit.* quia Chriſtus in vltima cœna dixit poſt conſecrationem Calicis, Matth. 26.29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Transfiguratio autem pertinet ad illam glorioſam innouationem, quam Chriſtus habuit poſt reſurrectionem, & quam fideles poſt reſurrectionem ſunt habituri; & ideo in hoc feſto ſanguis Chriſti ex nouo vino conficitur; & propter hoc etiam hac die nouæ vuæ benedicuntur.

Nec Agreſta. Sed muſtum. *D. Thom.* *Durand.* Die Transfigurationis in Eccleſia Aquenſi Prouinciæ Vua in Calice exprimitur, & in muſto conſecratur.

124\. Præterea ſuccus ex vuis paſſis expreſſus poteſt eſſe materia ſanguinis Chriſti; & fama eſt, Ægyptios in eo conſecrare. Talis enim ſuccus eſt vinum de vite, eoque perfectius quo púrius, & ab aquæ humore purgatius. Quod debet intelligi dum prædictus ſuccus ex vuis paſſis exprimitur abſque vlla aquæ irrigatione; ſi enim ob nimiam ſiccitatem non poſſit ex eiſdem vuis ſuccus extrahi abſque copia aquæ, tunc non poteſt eſſe materia ſanguinis Chriſti, quia vini communis & vſualis rationem amittit. Lota autem quæ ex aqua vuis expreſſis in dolio conſurgit, nequit eſſe hæc materia; neque vinum in pane imbibitum, quia tunc non habet rationem potus, quæ ad materiam Calicis requiritur. Vnde nec ſuccus in vuis incluſus eſt apta materia conſecrationis, quia tunc non eſt quid potabile, ſed comeſtibile. Materia autem Calicis debet ex Chriſti inſtitutione habere rationem potus. Omnia autem alia vina, ſiue pomorum, ſiue mororum, vel etiam malogranatorum, &c. nequeunt eſſe materia ſanguinis Chriſti, quia non ſunt vina communia & vſualia. Denique ſi vinum ſit totaliter congelatum, & in duritiem verſum, quia tunc non eſt potabile, nequit eſſe materia apta conſecrationi: ſecus autem ſi tantum in ſuperficie, quia tunc deglutiri facilè & potari poteſt. Si autem poſt conſecrationem congeletur, debet liquefieri, & ſumi cum reuerentia, tanquam ſanguis Chriſti, vt habetur *de conſecr. diſt.* 2. *cap. In Sacramento.*

Succus ex vuis paſſis abſque vlla irrigatione aquæ expreſſus poteſt eſſe materia ſanguinis Chriſti. Non verò lota. Nec vinum in pane imbibitum. Nec alia vina ſiue pomorum, ſiue mororum, &c.

Portò vino de vite conſecrando aqua miſcenda eſt neceſſariò, non neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. Veritas hæc Catholica eſt, & Armenos qui aquam ſacrificio non miſcebant, ne ſignificare viderentur duarum vnionem naturarum in Chriſto, quam ipſi negabant, vt refert Nicephorus *lib.* 18. *hiſt. cap.* 53. Lutheranos & Caluiniſtas, qui etiam vinum purum nullâ aquâ temperatum in Euchariſtia volunt, confodit. 125.

Aqua vino conſecrando miſceatur.

Prima huius propoſitionis pars, nempe vinum conſecrandum aquâ eſſe temperandum, patet. Tum quia Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit in vino aquâ permixto; ſic enim communiter in Iudæa ſumebatur. Vnde & de Chriſto exponitur erga diſcipulos illud Prouerb. 9. 5. *Bibite vinum quod miſcui vobis.* Vnde in liturgia Sancti Iacobi, cuius meminit Concilium Trullanum *can.* 32. de Chriſto dicitur: *Similiter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex aqua & vino, & benedicens dedit, &c.* S. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 57. ait: *Dominus temperamentum calicis ſui ſanguinem confirmauit.* Quod etiam docet S. Cyprianus *lib.* 2. *ep.* 3. & Concilium III. Carthaginenſe, cui interfuit S. Auguſtinus, *Can.* 24. inquit: *Vt in Sacramento corporis & ſanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquâ mixtum.* Tum quia vinum aquâ mixtum Chriſti exprimit paſſionem, in qua de eius latere *exiuit ſanguis & aqua:* quod notauit Alexander Papa I. *in epiſt. ad omnes Orthodoxos.* Tum quia fidelis populi cum Chriſto ſignificat vnionem, quæ eſt huius effectus Sacramenti. Nam vinum Chriſtum, ſeu eius ſanguinem: aqua verò populum deſignat, ſecundùm illud Apocal. 17. 15. *Aquæ quas vidiſtis, populi ſunt & gentes.* Hinc eſt, quod aqua Calici infundenda priùs à Sacerdote benedicitur, non verò vinum. Chriſtus enim ex ſe ſanctus eſt, alioſque ſanctificat: fideles autem non niſi Dei benedictione, ac ſpeciali Dei gratiâ & ſanctificatione Chriſto Capiti tanquam membra copulantur. Tum denique, quia vltimum huius Sacramenti 126.

In vino aquâ temperato Chriſtus conſecrauit. *Conc. Trull.* *S. Iren.* *Conc. Carth.* Vinum aquâ mixtum Chriſti paſſionem exprimit.

effectum

Digitized by Google

effectum, ſcilicet introïtum in vitam æternam, aqua exprimit, juxta illud Ioan. 4. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Vnde & Ambroſius *lib. 5. de Sacram. cap. 1.* ait: *Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.*

127.
Mixtio aquæ vino conſecrando eſt tantùm neceſſaria ex præcepto.
S. Cyprian.

Secunda pars, mixtionem ſcilicet aquæ vino conſecrando non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, liquet. Tum quia ſolum vinum de vite eſt materia hoc modo neceſſaria; illud enim ſolum ſic deſignauit Dominus, *Matth. 26. 29.* dum ait: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Tum quia Sanctus Cyprianus lib. 2. ep. 3. *Si aliquis* (inquit) *de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non obſeruauit, vt ſcilicet aquam miſceret in Sacramento, poteſt ſimplicitati eius venia concedi.* Tum quia *de conſecr. diſt. 2. can. 1.* dicitur: *Si vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe.* Et in Catechiſmo B. Pij V. *cap. de Euchariſtia,* poſtquam dictum eſt, mixtionem aquæ cum vino conſecrando, non poſſe prætermitti abſque peccato mortali, ſubditur: *Si aqua deſit, perficitur Sacramentum.* Vnde Concil. Florentinum in Decreto pro Armenis, exponens Calicis materiam, inquit: *Illam eſſe vinum de vite, cui ante conſecrationem modiciſſima aqua miſceri debet.* Quibus verbis ſignificat ſolum vinum de vite materiam eſſe huius Sacramenti; mixtionem verò aquæ pertinere non ad materiam, ſed ad quandam cæremoniam accidentalem.

Conc. Flor. Si aqua deſit, perficitur Sacramentum.

128.
Ex præcepto Eccleſiaſtico aqua vino admiſcetur.
Concil. Trid.

Tertia pars, nempe aquam vino conſecrando admiſcendam eſſe de præcepto Eccleſiaſtico, etiam conſtat. Tum quia Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 7.* id expreſsè declarat, dicens: *Monet Sancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſceant.* Tum quia Concil. Florentinum in Decreto pro Armenis, non reprehendit eos, quòd omittentes hanc mixtionem agerent contra præceptum diuinum, ſed contra communem Eccleſiæ conſuetudinem. Tum denique quia Alexander I. *ep. 1. cap. 4.* & Concil. Triburienſe *cap. 19.* mixtionem hanc aquæ à Patribus duntaxat traditam eſſe dicunt.

Conc. Flor.
Conc. Tribur.

129.
S. Cyprian.

Dicitur autem aliquando à Sanctis Patribus, ſpeciatim à Cypriano, hæc traditio Dominica, quia Chriſtus eius exemplum dedit, non tamen præceptum. Sicut enim dum Chriſtus in azymo conſecrauit, arbitrio Eccleſiæ reliquit determinandum, an in fermentato, vel in azymo debeant Sacerdotes conſecrare, & ideo Græci in fermentato, Latini in azymo validè conſecrant: ita licèt Chriſtus aquam vino, quod primus omnium conſecrauit, miſcuerit, cæremoniam hanc arbitrio Eccleſiæ reliquit præcipiendam. Vnde quia *eiuſdem eſt abrogare, cuius eſt condere leges,* vt tritum eſt apud Iuriſperitos; ideo quam de aqua miſcenda tulit legem Eccleſia poteſt vrgente neceſſitate reuocare, & circa illam diſpenſare. Poteſt etiam Sacerdos ſacrificium inchoatum, cui aquam non miſcuit, in ſolo vino perficere: quippe integritas ſacrificij eſt de jure diuino: non tamen illud incipere; melius enim eſt illud omittere, quàm non ſeruatis debitis circumſtantiis & cæremoniis offerre. Qui autem ex induſtria aquam vino conſecrando non miſcet, vel ex negligentia, peccat mortaliter; quia frangit Eccleſiæ legem, & magnâ ſignificatione ſacrificium corporis & ſanguinis Domini priuat.

Qui non miſcuit aquã vino conſecrando, proſequatur, & in vino ſacrificium perficiat. Qui ex induſtria non miſcet aquã, peccat mortaliter.

130. Cæterùm illa quæ vino conſecrando miſceri debet aqua, in modica quantitate ſit oportet. Quamvis enim Concilium Triburienſe Prouinciale in Germania prope Moguntiam celebratum, *can. 19.* dicat, quod *duæ partes ſint vini, tertia aquæ, quia maior eſt maieſtas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi.* Attamen Concilium generale Florentinum in decreto vnionis Armenorum minorem deſignauit quantitatem; ait enim, *materiam Calicis eſſe vinum de vite, cui ante conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet.* Quo loquendi modo, in minima quantitate aquam eſſe miſcendam ſignificat. Sufficit ergo quod gutta aquæ, quæ infunditur, ſit ſenſibilis; Sacerdoti enim celebranti conſtare debet, aquæ guttam eſſe infuſam: quamvis etiam duæ, aut tres guttæ aquæ poſſint miſceri, maximè ſi vinum potens ſit & generoſum. Etenim ſi multùm aquæ infunderetur, eſſet periculum, ne vinum corrumperetur, & tranſiret in aliud diſtinctæ ſpeciei mixtum, quod conſecrationi haud eſſet apta materia.

Aqua in parua quantitate vino miſceatur.
Conc. Flor.
Sufficit gutta aquæ, quæ ſit ſenſibilis.

Hæc autem in modica quantitate infuſa Calici aqua immediatè conuertitur in vinum; & vinum facta, in ſanguinem Chriſti conſecratione tranſmutatur. Quod tanquam probabilius docet Angelicus Doctor *3. p. quæſt. 74. art. 8.* dum ait: *Ideo ſicut ipſe* (Innocentius III.) *dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in ſanguinem.* Vnde hanc ſententiam ſuſcipiunt & propugnant omnes S. Thomæ diſcipuli *in quæſt. 74. art. 8. tertia partis,* quos conſule, vt omnes quas contra illam aduerſarij afferunt obiectiones, fusè ſolutas videas: nos enim omnes illas nunc reticemus, ne ſcholaſticum Commentarium potiùs quàm expoſitorium Sequentiæ eiuſdem S. D. tradere videamur. Nihilominus vt iſtius veritas ſententiæ agnoſcatur, illam authoritate ac ratione breuiter fulciemus. 131.

Aqua in parua quantitate vino infuſa in vinũ conuertitur.
D. Thom.

Primò igitur Innocentij III. authoritate D. Thomæ ſententia ſtabilitur. Nam Pontifex iſte poſtquam *in cap. cùm Marthæ,* Lugdunenſi Archiepiſcopo reſpondiſſet, ex tribus ſententiis circa hanc materiam, quas ibidem refert, probabiliorem judicari illam, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari; mentem ſuam clariùs expreſſit *lib. 4. de Altaris myſterio, cap. 31.* vbi inquit: *Aqua tranſit in ſanguinem, ea ſcilicet ratione, quod aqua per admixtionem tranſit in vinum, & vinum per conſecrationem in ſanguinem. Quis enim ambigat, aquam in vinum tranſire, cùm multo vino modicum aquæ infundatur?* Hæc ille. Vnde in eandem ſententiam abiiſſe videtur Concilium Florent. dum in decreto Vnionis Armenorum jubet Eugenius IV. modiciſſimam aquam ante calicis oblationem eſſe vino admiſcendam; ad quam tam ſanctam vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem hortatur Armenos, qui hanc non obſeruabant cæremoniam: & quod Concilium Triburienſe *can. 19.* ſtatuerat, nempe tertiam partem aquæ vino eſſe admiſcendam, corrigit; quod non feciſſet, niſi exiſtimaſſet, aquam non priùs in ſanguinem, quàm in vinum conuerti: & ideo juſſit, modiciſſimam aquam eſſe miſcendam, vt faciliùs ante conſecrationem poſſit in vinum conuerti. 132.

Innoc. III.
Conc. Flor.

Secundò ratione firmatur. Illud ſolùm immediatè in ſanguinem Chriſti conuertitur, quod eſt materia conſecrationis Calicis; quia materia hæc eſt illud, cuius ſubſtantia immediatè tranſit in ſanguinem Chriſti. Sed ſolum vinum, non verò aqua eſt materia conſecrationis Calicis, vt ex dictis ſuprà liquet; & ideo Concilium 133.

Ratione probatur, guttã aquæ in vinum cõuerti.

Florent.

Google

Florentinum vino conſecrando modiciſſimam aquam jubet admiſcere. Ergo cùm ſolum vinum immediatè tranſeat in ſanguinem Chriſti, aqua debet in vinum conuerti, vt poſteà in ſanguinem tranſmutetur.

Nec dicas, vinum eſſe materiam conſecratio-
134. nis neceſſariam; aquam verò liberam, & ex ordinatione Eccleſiæ. Etenim cuiuſlibet Sacramenti materia, ſiue neceſſaria ſit, ſiue libera, à Chriſto fuit inſtituta, non verò ab Eccleſia, quæ non habet poteſtatem niſi ad inſtituenda ſacramentalia. Vnde cùm admixtio aquæ vino conſecrando ſit de præcepto Eccleſiæ, & non ex Chriſti inſtitutione, nequit vllo modo eſſe materia huius Sacramenti. Deinde in ſolo Pœnitentiæ Sacramento duplex diſtinguitur materia remota; neceſſaria ſcilicet, nempe peccata mortalia; & libera ſeu ſufficiens, ſcilicet peccata venialia, quæ non neceſſariò, ſed liberè & ſufficienter clauibus Eccleſiæ ſubjiciuntur, quando nullum adeſt lethale.

Aqua non eſt materia libera Euchariſtiæ.

Solum Pœnitentiæ Sacramentum duplicem habet materiam, neceſſariam & liberam.

Sectio VII.

Non indecens eſt, nec dignitati Chriſti derogat, ipſum panem Angelorum, factum cibum viatorum, ab illis verè & realiter manducari.

135. POſtquam in præcedentibus modum quo, & materiam ex qua in Euchariſtia Chriſtus panis Angelorum cibus efficitur hominum viatorum demonſtrauimos, reſtat vt oſtendamus ſummam ac mirabilem Redemptoris noſtri dignationem, quâ proprio corpore & ſanguine paſcit homines, infinitæ eius dignitati nullatenus derogare, nec corporis eius glorioſi immortalitatem minuere, vel offendere maieſtatem.

Chriſti dignitati non derogat, corpus eius ab hominibus in Euchariſtia manducari.

Plurimis ſanè incongruum ac inconueniens viſum eſt, vnigenitum Dei Filium æternâ ac ſplendidâ maieſtate fulgentem, hominum mole carnea grauatorum ac corruptibilium fieri alimentum. Nec ex hoc quod ſanctorum in patria ſit panis Angelorum, rectè colligitur, in terra hominum cibum fieri debuiſſe viatorum. Angelos enim, qui omninò carneæ ſunt corruptionis expertes, & integrâ immaterialitate coruſcant, præſentiâ ſuâ reficit; & dum diuinam ipſis ſuam aperit maieſtatem, æternâ felicitate ſatiat, & coronat, ac tandem glorioſæ humanitatis ſuæ manifeſtatione eorum beatitudinem cumulando exornat ac decorat. Suæ igitur ſplendorem maieſtatis omninò retinet, dum Angelos nutrit; & nullâ, vel etiam minimâ, afficitur iniuriâ, dum ſe contemplantes Angelos nutrit.

Chriſtus ſuâ fulgens maieſtate panis eſt Angelorum.

Verùm non ita viatorum hominum poteſt effi-
136. ci alimentum. Etenim præterquam quod nequeunt homines videndo refici, neque aſpiciendo nutriri; realis debet eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti conceſſio, hæcque præſtantiſſima Saluatoris munera panis & vini ſpeciebus debent eſſe inuoluta, vt communium ciborum Fideles ſymbola deguſtantes in eis corpus edant, & ſanguinem bibant Redemptoris. In ore ergo corruptibilium, iniquorum, ac malorum quandoque hominum pretioſum ac ſanctiſſimum corpus ponitur Chriſti: ab ore in ventriculum tranſit, vbi tanquam cætera digeritur alimenta, vt ipſa hominis manducantis anima ſpirituali refectione impingueſcat. Quæ omnia Chriſti gloriæ ſplendori, propriæque dignitati non tantùm repugnare, ſed etiam derogare videntur. Hæc ſane eſfutit humana ſapientia, hæc profert humana infirmitas, & immenſi amoris Domini flammas nequaquam agnoſcens, indigna credit, quæ Deo maximè digna ſunt, & vt incongrua reſpuit, quorum nequit conuenientiam penetrare.

Humanæ & infirmæ ſapientiæ judicium.

Planè humanæ mentis non eſt arcana rimari 137.
diuina, vel inæſtimabiles charitatis Chriſti diuitias æquâ lance ponderare. Amat Deus Angelos, & deitate ſimul, ac Filij humanitate, quas ipſis oſtendit, reficit. Amat & homines adhuc in terris viatores; & vt faciliùs viam currere, & ad cœleſtem patriam poſſint aliquando peruenire, eos Chriſti corpore & ſanguine paſcit. Sed dum hominem erigit glorioſo cibo, ipſe Filius, qui cibus eſt, nec minuitur, nec confunditur, nec laceratur. Suam vbique conſeruat maieſtatem, nec minùs coruſcat dum proprio corpore reficit homines, quàm dum ſui manifeſtatione Angelos nutrit. Fateor, humani captum excedit ingenij immenſum hoc diuinæ largitatis beneficium: ſed diuino autem præbeat oraculo neceſſe eſt, & æternâ perſonante Veritate, ſe corpus & ſanguinem ſuum hominibus in cibum præbere & potum, humiliter acquieſcat, nec aliquid incongruum aut indecens arbitretur, quod infinitâ prouidentiâ Chriſtus in ſacra ordinauit Euchariſtia.

Nequit humana mens arcana timari diuina.

Suam Chriſtus ſeruat maieſtatem, dum corpore & ſanguine ſuo homines nutrit.

Verùm ad tam ſublime ſtupeant homines ar- 138.
canum, mirentur, ſileant, & poſt admirationem ac ſilentium, quod non capiunt, probent; quod non attingunt, ne detrectent. Incongruum clament, Chriſtum ſpeciebus panis concludi; & indecens pronuntient, corpus glorioſum & immortale, corruptibilium ac mortalium hominum effici alimentum. Quid inde? An iniqua hominis vox myſterium deſtruet Euchariſtiæ. An ſtupor hæreticorum & maledicorum dicteria glorioſum Chriſti corpus è conſecratis extrahent ſpeciebus? Minimè gentium. Verba Domini ſemper vera ſunt, nec minùs in Sacramentis, dum ab hominibus approbantur, quàm dum impugnantur, ſuum ſortiuntur effectum. Chriſtum de hoc myſterio perorantem qui audierunt olim apud Capharnaum Iudæi, ſcandalizati ſunt, & vt legitur Ioan. 6. 61. *Multi ex diſcipulis eius audientes, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Quod exponens Guerricus Abbas *ſerm. 1. de S. Benedicto*, eleganter & neruosè ſic ait: *Durus eſt* (inquiunt) *hic ſermo. Eſto, ſermo durus eſt: nunquid non verus eſt? Lapis durus eſt: nunquid non pretioſus eſt? Quare autem veritas dura eſt tibi, niſi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate molleſceret, plus tibi ſoliditas veritatis, quàm vanitas mendacij placeret.*

Indigna & inutilia hominũ verba.

Guerric. Ab.

Durus eſt ſermo Chriſti, ſed pretioſus, ſed verus.

Iis ergo qui realem corporis Domini in Eu- 139.
chariſtia præſentiam, ac veram eius ore corporis à fidelibus manducationem, ob prætenſas incongruitates, ac fictitias indignitates negant, ſermo Domini durus eſt: verùm à duritia cordis illorum veritatis ſermo durus euadit. Molleſcat cor, & loquenti Redemptori humiliter ſubjiciatur, & ſermo mollis fiet, non ſoliditatis diminutione, ſed veritatis inconcuſſæ receptione. Durum ergo cor, durumque hominum ſeipſos & propriam mentem amantium ingenium, ſolido, vero, inuictoque Domini verbo, quo corpus ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini ſub ſpeciebus ſanguinem poſuit, juſſitque & manducari & potari, reſiſtunt:

Dureſcit ſermo Chriſti à duritie cordis audientium, & à mollitie molleſcit.

&

& dum humanâ ratione ſupernaturalem inueſtigant veritatem, deficiunt, ſicque quod minimè capiunt, impugnant, reſpuunt, criminantur. Quare vt molleſcat cor, molleſcat etiam ingenium, laborent & operentur; & ad ignitum eloquium Domini vehementer frigidum cor, frigidamque vehant mentem, vt inflammari ſcintillis ſermonis, ſimul igniantur, molleſcant ac liqueſcant.

140. Tunc enim ſermo Dei, *qui viuus eſt & penetrabilior omni gladio ancipiti*, vt loquitur Apoſtolus *Hebr.* 4. 12. in corda intrabit illorum, & *pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, diſcretor erit cogitationum, & intentionum*, vt ibidem ſubditur; ac ſepoſito omni naturali ſenſu illorum, ſupernaturali lumine eorum illuſtrabit intellectus, vt impleantur fide & agnitione veritatis: corpuſque Chriſti in Euchariſtia veraciter exiſtere, immobiliter permanere, ac impaſſibiliter, indiuiſibiliterque manducari credant, agnoſcant, confiteantur. Cùm enim, vt docet S. D. 2. 2. *queſt.* 2. *art.* 9. & *quaſt.* 6. *art.* 1. *ad* 3. fides non ſolùm lumen obſcurum humanæ menti effundat, ſed etiam piam motionem tribuat voluntati, vt hæc ad aſſenſum ſupernaturalis veritatis moueat intellectum; ideo præter ſermonis Domini de veritate corporis ſui in Euchariſtia auditum, pia hæc motio in voluntate per igniti eloquij ſcintillas flammam charitatis accendentes debet communicari. Hinc patebit, cur terreni homines abſconditum ſacroſanctæ Euchariſtiæ myſterium non recipiant, ſed impugnent; non venerentur, ſed irrideant: quia ſcilicet dum Chriſti verba, quæ ſanè veriſſima ſunt, vel legunt, vel audiunt, ignito carent in corde Dei eloquio, ſcintillâ diuini amoris priuantur, & piâ motione voluntatis deſtituti, non valent credere, quia non volunt; nolunt autem, quia non amant; non amant autem, quia diuino ſpiritu non mouentur: ab hoc autem ſpiritu omnis diuini amoris in homines ſcaturgine, & dulcedinis ſpiritualis fonte non mouentur, quia eius motionibus reſiſtunt. Vnde à primo ad vltimum cordis illorum duritia durum ipſis efficit Chriſti ſermonem, & propria ſenſûs illorum ſententia ſupernaturali viam claudit veritati. Quod cùm verum ſit in omni ſupernaturali veritate, quam nemo credit, niſi volens; *credere enim voluntatis eſt*, vt notat Auguſtinus, & idem eſt ac *cor reddere*, ſeu *cor præbere*, vt aduertit S. Thom. attamen in mirabili Euchariſtia, quæ eſt *amor amorum, & Sacramentum Sacramentorum*, vt loquitur Bernardus *in ſerm. de Cœna Domini*, ſpecialiter verificatur.

Ad credendũ præter ſermonem Chriſti pronuntiantia myſteria, vt intellectus aſſentiatur, requiritur in eo pia motio voluntatis.

Propria ſententia hæreticorum, cui pertinaciter adhærent, viam claudit veritati.

D. Bernard.

141. Etenim verba quæ in huius inſtitutione myſterij protulit Dominus, igne charitatis plena ſunt: & cùm vehementer ardeant, non niſi ab ignitis, vel ſaltem igni huic non oppoſitis cordibus capiuntur. *Habent ſuas voces affectus*; Melliſluus inquit Bernardus ſerm. 66. in Cant. *per quas ſe etiam cùm nolunt, produnt.* Sed quis affectus ardentior illo, quo homines proſequutus eſt Chriſtus, dum ipſis ſeipſum in alimentum tradidit? Parum fuit illi in cruce ſe in holocauſtum pro illis offerre, niſi antea ſe in victimam in Euchariſtia obtuliſſet, & corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum præbuiſſet. Vnde immenſam hanc Redemptoris noſtri charitatem, non niſi verbis amoris proſequutus eſt amoris ipſe diſcipulus, dum inquit Ioan. 13. 1. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Vt ergo cum Bernardo citato loquar, poſt illum dicam: *Quiſquis horum cupit adipiſci notitiam, amet: alioqui fruſtra ad audiendum amoris carmen, qui non amat, accedit. Non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non eſt: ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, &c.* Hæc ille. Vnde mirum non eſt, hæreticos, prophanos, ac infideles homines, corde frigido ac lapideo donatos, ignita Chriſti eloquia non intelligere; nec linguam amoris diuini ab hominibus amore ſeculi captis non capi. Duri ſunt illis optimi Saluatoris ſermones, non à ſeipſis, mollitiem enim in ſe ac ſuauitatem abſcondunt, ſed à duritia cordis eorum. Vt enim apud Philoſophos tritum eſt, *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

Verba Chriſti ignita amore in Euchariſtia.

D. Bernard.

R.P.Car.Bouquin Comm.in Proſam D.Thom.

Ad capiendũ Euchariſtiæ miraculum diuinus amor neceſſarius.

Sed fidelibus cum humilitate, charitate ac manſuetudine loquentem Dominum audientibus molles & ſuaues, ac veriſſimi exiſtunt: nam erga iſtos *molliti ſunt ſermones eius*, nempe Chriſti, *ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*, vt habetur *pſalm.* 54. 11. quia dum verba Domini ſicut oleum in illos effunduntur, non ſolùm intellectum illuminant, ſed etiam corda ſagittant, vt aperta ignito iaculo, ſimul ſuauitatem ſuſcipiant ac veritatem, & charitate ſimul ac fide roborentur. Quod ſanè patientiſſimus ille Iob videtur expreſſiſſe, dum *cap.* 29. 6. inquit: *Petra fundebat mihi riuos olei.* Nam Gregorio Magno interprete, petra Chriſtum, & riui olei eius doctrinam deſignant. Quamvis enim Chriſtus in ſe petræ firmitatem poſſideat ac ſoliditatem; tamen verba illius ad inſtar olei, quod lucem nutrit, & rigida flectit, lumina pandunt, & ſuauitatem, hoc eſt agnitionem præbent, & charitatem. Sicque intellectui lucem, & voluntati piam ad fidem requiſitam communicant motionem. Vnde & Gregorius lib. 19. Moral. c. 12. *In his*, inquit, *olei riuis quiſquis tingitur, quiſquis vngitur, interiùs impinguatur.*

141. Erga Catholicos molliti ſũt ſermones Chriſti ſuper oleum.

Quia intellectum illuminant, & voluntatem accendunt.

Greg. Mag.

Verùm ea quæ contra realem præſentiam corporis Domini in Euchariſtiæ Sacramento, & eius ore corporis manducationem obdurata corda detorquent tela, retundere operæpretium eſt, omneſque latebras quibus ſe condunt aduerſarij, aperire. Dicunt ergo primò, ſi corpus Domini realiter in Euchariſtia cõtineretur, ac à viatoribus hominibus ſub ſpecie panis ore corporis ederetur, poſſet aliquando corpus hoc glorioſum dentibus atteri, & frangi, in terram cadere, pedibus conculcari, in ventrem & ſeceſſum ire, à muribus deuorari & corrodi, putreſcere & cremari, ac in cineres redigi. Sed hæc omnia indigna prorſus ſunt maieſtate Chriſti; immò pugnant directè contra verba Pſal. 15. 10. vbi dicitur: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quæ à Patribus exponuntur de Chriſti corpore, quod nec corruptum, nec incineratum fuit: ergo corpus Chriſti non eſt verus cibus hominum viatorum, nec ab illis ore corporis manducatur. 143.

Inſtant aduerſarij.

At priuſquam obiecta refellamus, notandum eſt, iiſdem prorſus verborum telis Incarnationis myſteriũ Gentiles ac Philoſophos impugnaſſe. Vnde ſicuti vanitates verborum illorum deſpexit Eccleſia, & ſemper in fide vnigeniti Filij Dei in vtero Mariæ Virginis incarnati firma remanſit, & inconcuſſa: ita ſpretis obiectionum contra ſanctam Euchariſtiam vanitatibus, in fide, veneratione, ac manducatione corporis Domini in Euchariſtia immobiliter permanere debemus. Etenim modo 144.

Eadem cõtra verbi incarnationem opponebant Gentiles, quæ hæretici contra Euchariſtiam adducunt.

quo Incarnationis myſterium ab infidelibus irridetur, Auguſtiſſimum corporis Domini Sacramentum ab hæreticis impugnatur. Vnde & S. Auguſt. *ep.* 49. ait: *In Chriſtum non crederemus, ſi fides Chriſtianorum metueret cachinnum Paganorum.* Irridebant Gentiles & Philoſophi Deum Chriſtianorum, in vtero mulieris conceptum, & nouem menſes incluſum, natum in ſtabulo, in præſepio reclinatum, in cunis vagientem, materna ſugentem vbera, eſurientem, proditum, flagellatum, crucifixum, mortuum ac ſepultum: hæc omnia Dei maieſtate inclamabant indigna. Sed nihilominus Chriſtiani, nec à Chriſti fide, nec ab eius cultu receſſerunt; & *ſapientiam loquentes* in hoc myſterio, *quam nemo principum huius ſeculi cognouit*, vt ait Apoſtolus 1. *Cor.* 28. hoc eſt *nemo Philoſophorum*, vt exponit S. Thomas ibidem in lectura, *prædicauerunt* omnibus Chriſtum *Dei virtutem & ſapientiam.* Nam vt ait Gregorius Magnus hom. 6. in Euang. *tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus eſt, quantò pro hominibus indigna ſuſcepit.*

D. Auguſt.

Eo magis ab hominibus honorandus eſt Deus, quo pro illis indigniora ſuſcepit.

145. Vnde enim homines ad Deum toto cordis affectu debebant accedere, inde ſuperbâ mentis elatione à Deo recedebant. Summam dum homo factus eſt exercuit humilitatem, & potentiam ſuam infinitâ bonitate & ſapientiâ, immò & patientiâ temperauit, dum & puer, & pauper, & nudus, & ſpretus, ac tandem crucifixus eſſe voluit, vt fugientes maieſtatem ſuam homines bonitate reuocaret: & tamen hanc ſpernentes miſericordiam, illum contemnentes dereliquerunt, ac omnes qui eius doctrinam ſecuti ſunt, vexauerunt, ac condemnauerunt. Cæci ſunt illi, qui Dei ſcientiam, & chriſtianam doctrinam noluerunt: & errantes ab vero, ac loquentes falſa, noluerunt redemptorem recipere, à quo tanquam ab æquiſſimo Iudice damnabuntur. Non ita planè ſenſit D. Bernardus, qui Chriſtum paruulum factum, magis amabilem prædicauit, & omnem in ipſo vilitatem, ingentem hominum declarauit vtilitatem. Quod eleganter paſſim proſequitur, ſed præſertim *ſerm.* 1. *de Epiphan.* dum inquit: *Quid tantoperè declarat Dei miſericordiam, quàm quod meam ſuſcepit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quàm quod Dei verbum propter nos factum eſt fœnum? Quantò enim minorem ſe fecit in humilitate, tantò maiorem ſe exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi amabilior eſt.* Hæc ille.

Hominum cæcitas.

D. Bernard.

Chriſtus quo pro nobis vilior, eo amabilior.

146. Ex quibus manifeſtè colligitur, ea quæ in Incarnatione, ac deinde vita, paſſione ac morte pro nobis Deus pertulit, nequaquam eius maieſtate indigna, ſed tanto ampliùs eius celſitudine digna fuiſſe, quanto ſaluti hominum magis fuerunt neceſſaria. Vnde & ea quæ ex ſumma bonitate ſimul & humilitate in Euchariſtia videtur pati (reuera enim hoc in myſterio corpus Chriſti nihil patitur, vt infrà clariùs patebit) ſummam eius erga homines manifeſtant charitatem, & ex infinita miſericordia maximam illis conferunt vtilitatem ac dignitatem. Cùm autem ſalus hominis gloria ſit Dei, dum pro hac ſalute vel patitur, vel proditur, vel condemnatur, vel etiam moritur, hinc non confunditur, ſed exaltatur; nec eius maieſtas læditur, ſed honoratur. Quod eleganti ſtylo proſequutus eſt Tertullian. lib. de carne Chriſti. *Quodcumque* (inquit) *Deo indignum eſt, mihi expedit. Saluus ſum, ſi non confundar de Domino meo. Natus eſt Dei Filius; non pudet, quia pudendum eſt: & mortuus eſt Dei filius, prorſus credibile eſt, quia pudendum eſt: & ſepultus reſurrexit, certum*

Quæ in paſſione Chriſtus tulit, tantò eo digniora, quantò ſaluti humanæ conuenientiora.

Salus hominis gloria eſt Dei.

Tertull.

Quod Deo eſt indignum, hominibus eſt neceſſarium.

eſt, quia impoſſibile. Ex *lib.* 2. *contra Marcionem*, ait: *Aſſumpſiſſe Deum quædam ſibi indigna, nobis autem neceſſaria; & ideo iam Deo digna, quià nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis.* Quibus poſitis,

Nihil tam Deo dignum quàm ſalus hominis.

Reſp. ad obiectionem negando ſequelam Maioris. Cùm enim corpus Chriſti glorioſum ſit realiter in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ, hoc eſt indiuiſibiliter, & impaſſibiliter, non autem localiter; ideo propriè loquendo, nec in terram cadit, nec calcatur pedibus, nec dentibus atteritur, nec comburitur, nec corrumpitur; ſed hæc omnia in ſolis ſpeciebus, ſeu accidentibus panis fiunt. Sicut dum cadit corpus hominis, eius anima non dicitur propriè cadere, ſed tantùm per accidens, ad caſum corporis: & dum gladio corpus humanum tranſfigitur, etiamſi mors inde ſequatur, anima nec tranſfigitur, nec vulneratur: nec inſuper dum ſpecies ſacramentales dentibus atteruntur, ac poſtea in ſtomacho egeruntur, nullo modo vel atteritur, vel corrumpitur corpus Chriſti, ſed integrum omninò & incorruptum perſeuerat. Quod Andreas Apoſtolus Ægeæ Proconſuli dixit, dum ſe Diis ſacrificare recuſauit. *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie ſacrifico; qui cùm ſit verè ſacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perſeuerat & viuus.* Quod etiam docuit S. Auguſtinus, vt refertur à Beda Venerabili *in cap.* 10. *ep.* 1. *ad Cor.* vbi ait: *Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur; nec occiditur vt manducetur, ſed mortuus viuificat: quando manducatur, reficit, ſed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare iſtum panem, ne fortè finiamus illum, & poſtea quod manducetur, non inueniamus. Manducatur Chriſtus, viuis manducatus, quia reſurrexit occiſus.* Hæc Auguſtinus. 147.

Refellitur ſuppoſita inſtantia.

Corpus Chriſti nihil in Euchariſtia patitur, ſed ſpecies panis.

D. Auguſt.

Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur, nec occiditur.

Quamvis autem ſpecies panis & vini, quæ verè nutriunt, vt notat S. Thomas 3. *p. q.* 77. *art.* 6. conuertantur in ſubſtantiam manducantis, ex ratione communi alimenti corporei, quod conuertitur in ſubſtantiam aliti: attamen ipſe Chriſtus, ſeu corpus eius, & ſanguis ſub illis contenta, nullo modo in manducantis ſubſtantiam tranſmutantur, quin potiùs ipſum ſpiritualiter in Chriſtum conuertunt, vt ipſe Dominus Auguſtinum docuit *lib.* 7. *confeſſ. cap.* 10. vbi inquit: *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* 148.

Species panis nutriunt & conuertuntur in corpus aliti: non vero corpus Chriſti.

Denique nec corrumpitur, nec comburitur corpus Chriſti, licèt ſpecies vel corrumpantur, vel comburantur. Corruptio enim, vel incineratio ſpecierum conſecratarum in corpus glorioſum, & ideo ſpirituale Chriſti Domini nequaquam redundat; ad eum planè modum, quo omnes paſſiones & irriſiones, quas in corpore ſuo adhuc paſſibili pertulit, eius diuinitatem nullatenus afficiebant. At mirum eſt, quod in carne glorioſa Chriſti timent hæretici, dum clamant, ſi in ſpeciebus veraciter reperiatur, eam vel corrodi, vel corrumpi, vel comburi, dum illæ corroduntur, vel corrumpuntur, vel comburuntur ſpecies. Quaſi verò minùs impaſſibile ſit corpus glorioſum in Sacramento, quàm fuerit Angelus, qui vice Dei in ardenti rubo Moyſi apparuit: hic enim nec à flamma rubi combuſtus eſt, nec à ſentibus vulneratus. Sicuti ergo Sol in ſordibus non ſordeſcit, ita nec Verbum Diuinum paternæ ſplêdor gloriæ in humanitate obſcuratur, nec corpus Chriſti glorioſum in Euchariſtia vel corrumpitur, vel frangitur, vel laceratur. Quare vt ait S. Doctor 3. part. quæſt. 80. art. 3. ad 3. *Si mus, vel canis* 149.

Corpus Chriſti in Euchariſtia impaſſibile, ſicut Verbũ Dei in paſſione Chriſti.

D. Thom.

beſtiam

hoſtiam conſecratam manducet, ſubſtantia corporis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quandiu ſpecies illa manent, hoc eſt, quandiu ſubſtantia panis maneret: ſicut etiam ſi projiceretur in lutum, nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Chriſti, qui voluit à peccatoribus crucifigi abſque diminutione ſuæ dignitatis; præſertim cùm mus, aut canis non tangat ipſum corpus Chriſti ſecundùm propriam ſpeciem, ſed ſolùm ſecundùm ſpecies ſacramentales.

150. Vrgens. Vrgent aduerſarij, Berengarium Andegauenſem Archidiaconum errorem ſuum in Concilio Romano 114. Epiſcoporum coram Nicolao II. reuocâtem expreſsè aſſeruiſſe, factâ conſecratione corpus & ſanguinem Domini veraciter in Euchariſtia contineri, quæ ſenſibiliter manibus Sacerdotum tanguntur, franguntur, & fidelium dentibus atteruntur, vt refertur *in cap. Ego Berengarius.* Ergo verè corpus Domini in Euchariſtia laceratur; quod eius dignitate prorſus indignũ eſt.

151. Refelluntur. Reſpondetur, modum loquendi Berengarij nihil continere contra illam, quam modò profitemur doctrinam. Etenim ne vllus tergiuerſandi locus Hereſiarchæ remaneret, & vt proprio ore conuictus videretur, à Pontifice & Synodo Romana coactus eſt errorem ſuum verbis illi omninò oppoſitis reuocare. Et quia docuerat corpus & ſanguinem Domini non eſſe in Euchariſtia poſt conſecrationem, ſed panem & vinum dumtaxat idem corpus & eundem ſanguinem adumbrantia; ideo expreſsè declarauit, ſacro jubente

Ad diuiſionẽ & tactum ſpecierum corpus Chriſti dicitur impropriè diuidi & tangi.

Concilio, *corpus & ſanguinem Domini veraciter in Sacramento poſt conſecrationem exiſtere, ibi ſenſibiliter à manibus Sacerdotum tangi & diuidi, ac dentibus fidelium conteri.* Quod non ita intelligendum eſt, vt ipſum corpus propriè in ſe tangatur, frangatur, & conteratur; hoc enim omninò repugnat corpori glorioſo impaſſibili, & quod indiuiſibili modo, nempe per modum ſubſtantiæ in Sacramento reperitur: ſed vt ipſæ ſpecies, quæ ſunt veluti illius corporis inuolucra, & partem Sacramenti conſtituunt, & quandam habent cum ipſo corpore vnionem, eamque maiorem quàm ſit illa quæ ferrum magneti copulat, quamvis minor ſit illâ quæ animam jungit corpori, verè & propriè à Sacerdotibus tanguntur, franguntur, & à

Tamen eſt omninò indiuiſibile, & impaſſibile.

fidelium dentibus atteruntur. Vnde & in præfato capite *Ego Berengarius*, ſubditur: *Tamen corpus Chriſti nec diuiditur in partes, nec dentibus laceratur, cùm ſit immortale & impaſſibile.*

152. Quo modo intelligendi ſunt Patres. Quo ſenſu intelligendi ſunt ſancti Patres, dum corpus Chriſti frangi in ſacra docent Euchariſtia. Immò & ipſe Chriſtus, dum inquit 1. Cor. 11. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Nam tunc fractum eſt non in propria ſpecie, vel in ſeipſo corpus Domini, ſed in ſpecie panis, ſub qua diſcipulis porrigebatur. Vnde in eo ſen-

D. Chryſoſt. ſu Chryſoſt. *hom. 24. in 1. ad Cor.* explicans præfata verba Chriſti, inquit: *Hoc licet videre fieri in Euchariſtia; in cruce autem non itidem, ſed vtique in contrarium. Os enim, inquit, non conteretur. Sed quod non eſt paſſus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi.* Quod etiam docuit idem Chryſoſt. *hom. 45.* dum ait: *Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori charitate nos aſtringeret, & vt ſuum in nos deſiderium oſtenderet, non ſe tantùm videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi.* Quibus verbis vera & realis exiſtentia corporis Domini ſub ſpeciebus panis à Chryſoſtomo ſtabilitur; niſi enim verè & realiter caro Chriſti ſub ſpecie panis lateret, non poſſet homo dentem carni illi infigere, dum illum ſpeciei panis infigit. In quo

etiam ſenſu intelligendus eſt Auguſtinus *lib. 50. homil. hom. 26.* dum inquit: *Non minus eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti: & ideo non minùs culpandus eſt, qui verbum Dei negligenter audierit, quam qui corpus Chriſti in terram cadere permiſerit.* Iſte enim caſus corpori Chriſti impropriè dumtaxat, & metaphoricè poteſt attribui, in quantùm ſpecies panis ſub quibus realiter continetur, verè & propriè cadere dicuntur. D. Auguſt.

Non minùs eſt Verbum Dei, quàm corpus Chriſti.

Præterea opponunt aduerſarij: Ex hoc quod corpus Chriſti cibus ſit viatorum, ab impiis & ſceleſtis hominibus poteſt manducari, qui *a diabolo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, vt dicitur 2. *Timot.* 2. 26. Immò cùm Diabolus in Iudam poſt acceptam Euchariſtiam ingreſſus ſit, vt dicitur *Ioan.* 13. 27. corpus Chriſti fuit cum Sathana in eodem corpore. Hoc autem omninò inconuenit, & Chriſti maieſtate ac gloriâ omninò indignum eſt. Ergo. 153. Inſtant hæretici.

Reſpondetur, non eſſe inconueniens, nec Chriſto indignum, eius corpus in aliena ſpecie, nempe in ſpecie panis à ſceleſtis & prauis hominibus pertractari & manducari, vel etiam cum diabolo in eodem corpore Iudæ inueniri: ſed hoc eſt ſummæ charitatis, humilitatis, ac patientiæ Chriſti indicium; maximè cùm ipſe Saluator optimus in propria ac viſibili ſpecie, non ſolùm ab impiis diaboli membris capi, ligari, flagellari, & crucifigi voluerit, & ab ipſo diabolo nedum tentari, ſed *aſſumi in ſanctam ciuitatem, & ſtatui ſupra pinnaculum templi*, ac deinde *in montem excelſum* valde deportari paſſus ſit, vt legitur *Matth.* 4. quæ etſi primâ fronte dura videantur & incredibilia, attamen vera ſunt, & diuinæ prouidentiæ, quæ in rerum omnium diſpoſitione non fallitur, valde conſona, vt notauit D. Gregor. *hom. 16. in Euangel.* dum ait: *Ecce cùm dicitur Deus homo, vel in excelſum montem, vel in ſanctam ciuitatem à Diabolo aſſumptus, mens refugit credere, humana hoc audire aures expaueſcunt.* Et poſt pauca ſubdit: *Quid ergo mirum, ſi ſe ab illo permiſit in montem duci & tentari, qui pertulit à membris illius crucifigi?* 154. Refelluntur. D. Gregor.

Adde quod cùm diuinitas Chriſti vbique reperiatur, etiam in illis locis in quibus impij & ſceleſti homines, immò & dæmones inueniuntur; mirum non eſt corpus eius in aliena ſpecie cum impiis, immò & cum diabolo repetiri, præſertim cùm ibidem nec à malis hominibus, nec ab ipſo diabolo vincatur aut ſubjiciatur, quin potiùs Chriſtus ſuo corpore illos deuincat, ſubjiciat, & prauos homines morte ſpirituali, & aliquando corporeâ mulctet & puniat. Nàm dum corpus Domini ab impiis diaboli membris manducatur, recipitur quidem ab ipſis ſacramentaliter, ſed non editur ſpiritualiter; hoc eſt, mirabiles effectus huius Sacramenti, vt ſunt refectio ſpiritualis à gratia, lætitia, & dulcedo interna, &c. ab illis non recipiuntur, propter maximam ſubiecti recipientis hoc Sacramentum indiſpoſitionem. Etenim ſolus corporis Chriſti, etiam in propria ſpecie contactus ſanctitatem vel gratiam non confert, alioquin & diabolus, quando ipſum ſupra pinnaculum templi, ac deinde in montem excelſum detulit; Iudas quando in horto oſculatus eſt eum, & carnifices qui eum crucifixerunt, juſtificati fuiſſent; quod tamen nullus vnquam dixit. 155. Diuinitas Chriſti vbique.

Impij Chriſti corpus manducant ſacramentaliter, non verò ſpiritualiter.

ELVCIDATIO II.

De filiatione adoptiua Dei.

156. QVia Doctor Angelicus in illo quem modò illuſtramus textu, ſacram Euchariſtiam *verè panem filiorum* appellauit; ideo poſtquam oſtendimus in hoc myſterio Chriſtum panem Angelorum factum eſſe cibum viatorum ex illa quam ipſe Dominus elegit materia, jam adoptiuam Dei filiationem, quâ viatores homines decorantur, & filij Dei nominantur, debemus exponere.

SECTIO PRIMA.

Quomodo homines à Deo adoptentur, & filij Dei dicantur.

157. IMmenſum ſanè mortalibus hominibus gloriæ pondus affert adoptiua Dei immortalis, quâ ingenti eius bonitate decorantur, filiatio. Cùm etenim magnum ſit tanto Domino famulari, quia vt ait Gregorius Magnus, *ſeruire Deo regnare eſt*; maximum erit inter eius filios connumerari, & ad eum non vt exteros ſeu ſeruos, ſed vt intimos ac ex propriis viſceribus genitos comparari. Planè humanum omnem tanta gratia excedit ſermonem, vincitque intellectum. Attamen eodem optimo, quo ad tantum euehimur honorem, fauente Parente, adoptiuam filiationem, prout dederit, explanare tentamus.

Seruire Deo regnare eſt.

§. I.

Quid ſit adoptio, & quomodo Deo adoptare conueniat.

158. ADoptio igitur, quæ in ſubſidium naturæ introducta eſt, vt ſcilicet filiorum vel ſterilitati, vel orbitati ſuppleatur, naturam imitatur, vt docetur *lib.* 1. *Inſtitut. titul.* 11. *de adoptionibus.* Cùm autem naturales filij genitoribus in bonis ſuccedant, etiam adoptiui adoptantium hæredes ſtatuuntur. Vnde adoptio nihil aliud eſt, quàm *Aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem propriam, ad quam antea jus non habebat*, vt colligitur ex D. Thoma 3. *p. quæſt.* 23. *art.* 1. Ex qua definitione ſequitur, filium adoptiuum eſſe fructum, ſeu effectum electionis. Adoptans enim adoptatum, quem ad ſuam aſſumit hæreditatem, recipit, eligit, & ex gratuita hac electione, accedente Principis authoritate ſeu conſenſu, vel expreſsè ſeu ſpecialiter, vel tacitè ſeu generali conceſſione, quâ viris liberis licet alios in filios adoptare, jus illi confert, vt ſibi tanquam genitori ſuccedat. Dixi *tanquam genitori*; adoptare enim generare eſt, ſed nobiliſſimo modo, quia non carne & ſanguine, ſed mente ac ſpiritu filius producitur: vnde & apud Iuriſperitos adoptio *partus intellectus* appellatur.

Adoptio naturam imitatur.

Quid ſit adoptio.

Filius adoptiuus eſt fructus electionis.

Adoptio partus intellectus.

159. Qua in re corporalem vincit adoptiua generatio; illa enim cæco modo, hæc perſpicaci gignit. Quos enim procreat carnalis natiuitas, ignorat; nec niſi poſtquam effudit, agnoſcit; vnde ſæpius ſibi diſſimiles in corporis & animæ dotibus generant parentes. Sed quia eorum & naturam poſſident, & opus exiſtunt, illos licèt imperfectos diligunt, & quamvis odibiles, ardenti amore proſequuntur. Sicque gemino culpatur errore corporalis fœcunditas, dum peruersè generat, & quos prauè genuit, amat, & non emendat. Attamen excuſabilis eſt, quia non liberè agit, ſed naturaliter, nec poteſt genitor ſeipſum in filio qui pars eius exiſtit, non amare. *Producit enim fœtus ſuos natura, non abjicit*, vt loquitur Seneca *ep.* 121. & quos produxit, licèt à principio diſcrepent, imò & vitiis turpiter maculentur, diligit, fouet & conſeruat. Verùm quos parit, antequam pariat, oculata noſcit adoptio; jam orbem replentes intuetur, & ex ipſis diſtortos abjicit, reprobat imperfectos, bonos eligit, fortes admittit, generoſos concipit, & vt apud Iuriſperitos docetur, hoc ſupra naturam habet adoptio, *vt eligat, aut valeat eligere meliorem. In natura* enim *caſus, in adoptione* verò *judicium* notatur. Vnde de adoptiuis filiis eleganter dixit quidam, *non poſſunt eſſe ignaui, quos judicia pepererunt.*

Naturalem generationẽ ſuperat adoptio.

Senec.

Adoptio eligit meliorẽ. Caſſiodorus.

Talis eſt igitur adoptio, quæ ſpiritu, non carne fœcunda; mente, non ſanguine filios ſibi parit, eiſque dum parentum parat hæreditatem, nomen tribuit, inſignia confert, aliaque quæ veris filiis competunt, jura concedit. 160.

Porrò hæc etiam Deo optimo maximo non repugnat, immò omnino ſumma ipſi bonitate conuenit, quæ ſicut judicem ac dominum mutat in parentem; ita & ſeruum tranſmutat in filium. Immenſum igitur diuinæ gratiæ munus eſt, hominem reum, ac rebellem famulum in filium à Deo adoptari, & ad æternam eius hæreditatem aſſumi: vnde & maximæ omnium miſericordiæ, quâ Deus homo factus eſt, & Dominus in ſeruum quodammodo tranſmutatus, effectus eſt; eadem quippe bonitate quâ ſempiternus Dei Filius in tempore hominis filius natus eſt, homo ingratus Dei ſeruus, adoptiuus eius filius euaſit; quod obſeruauit S. Auguſtinus *lib. de gratia noui Teſtam.* dum ait: *Miſſus eſt filius, non adoptione factus, ſed ſemper genitus Filius, vt participatâ naturâ filiorum hominum, ad participandam etiam ſuam naturam adoptaret filios hominum.* 161.

Etiam Deus ſibi filios adoptat.

D. Auguſt.

Nec tamen ſolius Dei Filij eſt adoptare: etiam Patri, ac Spiritui ſancto hanc gratiam largiri conuenit. Cùm enim opera Trinitatis ad extra ſint omninò indiuiſa, ac communia toti Trinitati, quæ in omnibus Perſonis diuinis vnicam habet eſſentiam, vnicamque virtutem & operationem; ideo hominem in Dei filium adoptare, omnium diuinarum perſonarum opus eſt? Quare dum tantæ gratiæ virtute Deum parentem audemus nominare, non ad aliquam ſigillatim, ſed ad tres diuinas perſonas indiſtinctè ſermonem noſtrum dirigimus. Licèt autem autem per adoptionem Chriſti fratres efficiamur, exinde non ſequitur, quod ſolum adoptatorem agnoſcamus Patrem, à quo externâ generatione naturaliter naſcitur: etenim alio modo pater eſt Chriſti, nempe naturaliter generando, quod ipſi proprium eſt, eiuſque primam perſonam conſtituit: & alio modo eſt pater noſter, voluntariè ſcilicet aliquid faciendo. Vnde & Iacobi 1. dicitur, *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*: quod quidem ſibi, & Filio, & Spiritui ſancto commune eſt: & ideo Chriſtus, qui non eſt Filius Dei adoptiuus, ſed verus & naturalis, non eſt Filius totius Trinitatis, ſicut homines qui per gratiam & charitatem ſunt filij adoptiui Dei. Cum hoc tamen ſtat, quod cuilibet diuinæ perſonæ appropriatur adoptio; 162.

Toti Trinitati conuenit adoptare.

Chriſtus non eſt filius adoptiuus, ſed naturalis Dei Patris.

Patri

Patri enim, vt authori, attribuitur; Filio vt exemplari: nam adoptiua filiatio ſimilitudo quædam eſt æternæ filiationis, ſicut quæ in tempore fiunt, eorum quæ ab æterno fuerunt, ſimilitudines exiſtunt: & tandem Spiritui ſancto vt imprimenti in nobis huius exemplaris ſimilitudinem, quæ in hoc ſita eſt, vt per gratiæ claritatem, cuius infuſio Spiritui Sancto humanam mentem ſanctificanti attribuitur, ſplendorem quem æternâ generatione Filius habet, homo in ſe exhibeat, ac qoodammodo referat. Etenim per actum adoptionis communicatur ſimilitudo naturalis filiationis hominibus; nam eodem acto, qoo ex Dei miſericotdia ad vitam prædeſtinamur æternam, ad filij ſimilitudinem, & ad adoptionem filiorum Dei eligimur. Quod docuit Apoſtolus *Eph.* 1. 5. dum ait: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* Et hom. 8. 29. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Adoptio cõmunicat hominibus ſimilitudinem filiationis naturalis.

163. Ex quibus apertè colligitur, gratiam adoptionis, quæ ſimul ab omnibus Diuinæ Triados perſonis præſtatur hominibus, ſpeciali modo per Chriſtum verum ac æternum Dei Filium nobis conferri: quod vt clariùs pateat, ſit

§. II.

Chriſtus Dominus gratiam adoptionis hominibus obtinuit.

164. ORigo fontium & fluminum mare eſt: virtutum & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus, Mellifluus inquit Bernardus *ſerm.* 13. *in Cant.* At mihi addere liceat, *gratiarum omnium ac cœleſtium beneficiorum.* Quod non ſolùm intelligendum eſt, vt omnes quibus à Deo ditamur gratiæ, à diuina Chriſti perſona, ſicut & à Patre, ac Spiritu ſancto in nos emanent; ſed etiam ab ipſo Chriſto Deo & homine, tanquam à cauſa meritoria, in homines effundantur. Ipſe enim amantiſſimus Saluator, qui ſummo erga nos amore *peccata noſtra in corpore ſuo pertulit ſupra lignum*, vt dicitur 1. *Pet.* 2. 24. paſſione ſuâ mortem noſtram deſtruens, vitam nobis meruit, omnemque gratiam, ſiue excitantem, ſiue præuenientem, ſiue adiuuantem, ſiue concomitantem, ſiue ſubſequentem, ipſamque in filios Dei adoptionem; ita vt ſibi humilitate ſuâ gloriam corporis, exaltationem nominis, ac apud omnes gentes venerationem dumtaxat: nobis verò animæ ſanctitatem, filiationem Dei adoptiuam, & ipſam diuinæ gloriæ fruitionem compararerit. Quod eleganti ſtylo proſequutus eſt Chryſologus ſerm. 50. *Chriſtus*, inquit, *venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates, &c.* Sed ad rem præſentem expreſſiùs Apoſtolus ad Gal. 4. 5. *Miſit Deus*, inquit, *Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Ideſt, ſicut exponit D. Thomas ibidem lect. 2. *vt per Filium Dei naturalem efficeremur filij adoptiui.*

Chriſtus origo omnium bonorum. D. Bernard.

Sibi gloriam corporis, nobis animæ ſanctitatem & gloriam meruit.

165. Cuius quidem gratiæ adoptionis altius fundamentum, ſeu principium idem declarauit Apoſtolos *Eph.* 1. 5. dum inquit: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* Æterna ſiquidem, ac gratuita, quâ ad diuinam nos elegit hæreditatem, prædeſtinatio ipſum Chriſtum tanquam omnium noſtrûm inuoluit redemptorem, non ſolùm tanquam cauſam exemplarem, ſed etiam vt meritoriam actualis gratiæ, quæ nobis confertur in tempore. Illud enim quod per participationem fit tale, hoc non aſſequitur, niſi per illud quod tale eſt per naturam: quod etiam in naturalibus liquet; non enim ignitum fit aliquid, niſi per ignem. Cùm ergo Chriſtus Filius Dei verus ſit & naturalis, filiationem adoptiuam, quæ naturalis filiationis ſimilitudo quædam eſt, conſequitur nemo, niſi per ipſum Chriſtum, à quo, & per qoem naturalem filiationem Dei quodammodò participabit.

Per Chriſtũ filium Dei naturalem, filiationem adoptiuam habemus.

Veùm dopliciter hæc participatio accidit, ſicuti & duplici modo poteſt diuina adoptio poſſideri. Primò quidem imperfectè, & per gratiam, quæ in via habetur, quâ ſanctificatus ac juſtificatus homo, Filius Dei adoptiuus eſt, & dicitur. Sed quia dumtaxat ſecundùm animam renouatur, & mente tantùm diuinas illuſtrationes recipit, juxta illud Coloſſ. 3. 10. *Reformamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, &c.* Immò & in ipſa anima aliquem defectum cognitionis patitur, ſecundùm illud 1. Cor. 13. *Ex parte cognoſcimus*; ideo inchoata tantùm eſt hæc adoptio, & imperfecta filiationis naturalis participatio nominatur. Secundò per adoptionem gloriæ, quæ juxta D. Thomam *gratia eſt conſummata.* Et cùm etiam ipſum corpus glorificet, ad inſtar ipſius glorioſi corporis Chriſti, vt dicitur Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*; & ipſi animæ jam ſanctificatæ plenam tribuat rerum diuinarum cognitionem per ipſam claram & intuitiuam Dei viſionem, vt innuitur 1. Cor. 13. *Cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*: ideo perfecta adoptio dicitur, & perfectam naturalis filiationis participationem tribuit. Nam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt, vt dicitur 1. Ioan. 3. 2. Et de hac ſecunda, & perfecta, ſeu completa adoptione loquitur Apoſtolus, dum *Rom.* 8. 23. ait: *Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Immò & dum *Eph.* 1. 5. docet homines in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos; prædeſtinatio enim ad vitam æternam, tanquam ad finem homines dirigit; vnde & à D. Thom. 1. p. q. 23. art. 1. *Tranſmiſſio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*, appellatur. 166.

Filiationem naturalem participamus per adoptionem imperfectè in via per gratiam, perfectè in patria per gloriam.

De vtraque tamen adoptione, ſiue imperfecta, quæ in hac vita ſimul cum gratia ſanctificante, per quam jus ad cœleſtem habemus hæreditatem; ſiue perfecta & conſummata, quæ in vitæ æternæ poſſeſſione ac Dei fruitione & viſione intuitiua conſiſtit, ſimul & indiſtinctè nos nunc agimus; vtramque enim Chriſto debemus; & ab illo vtramque accepit Eccleſia. Immò in prima & imperfecta, ſecunda & conſummata quodammodò continetur; qui enim per gratiam & charitatem diuinæ particeps naturæ efficitur, hoc ipſo Deo acceptus eſt ad gloriam, & hæres Dei conſtituitur: nam vt ait Apoſtolus Rom. 8. 16. *Si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Huiuſmodi igitur adoptionis gratiâ nobis à Chriſto comparatâ, primò in Sacramento Baptiſmatis, in quo virtute paſſionis eius in nouam tranſimus creaturam, donamur; atque ſemel poſt hanc regenerationem lapſi, iterum Sacramento Pœnitentiæ reſtituimur, aliiſque in ea 167.

Gratia adoptionis confertur in Baptiſmo, & cæteris Sacramentis, & in patria cõſummatur.

gratia Sacramentis, ac præſertim Eucharistiâ confirmamur, vt tandem illam in patria conſummatam manifeſtâ Dei viſione aſſequamur. Vt autem mira, quæ in inchoata ac imperfecta adoptione, quam in via recipimus, clariùs eluceſcant, ea paucis illuſtrabimus.

§. III.

Adoptiuam Dei filiationem homo recipit per Baptiſmum.

168. INfelix planè hominis ad hunc mundum ingreſſus. Etenim ſimul dum vitam recipit, mortem haurit, crimen vnà induit cum natura: tam citò reus, quàm homo; ſimulque filius hominis, & diaboli ſeruus. Sed fortunatus fauſtuſque illius è ſeculo exitus, & ad Chriſti Eccleſiam ingreſſus. In prima etenim eius janua, hoc eſt in Baptiſmatis Sacramento, quod totius Chriſtianæ Religionis initium eſt ac fundamentum, mortem amittit, crimen exoit, vitam recipit, innocentiam ſumit, & in nouam omnioò, diuinâ agente gratiâ, transfertur creaturam. Quid amplius? Hominis filius eſſe deſinit, & Dei proles adoptiua efficitur, inclytoque Filij Dei titulo decoratur. Renouatur enim, ac regeneratur, & veteri homine depulſo, eiuſque amandatis operibus, nouum qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate, induit, ſibique connectit.

Per Baptiſmum homo fit Filius Dei.

169. At mirabilis omninò eſt peccatoris hominis per Baptiſmum reparatio; hæc enim per modum renouationis, ſeu regenerationis adimpletur, vt peccatum vndequaque aboleatur, & nouum eſſe ſpirituale recipiat anima, quæ à poteſtate diaboli eruta in Chriſti poteſtatem transfertur. Cùm enim contraria contrariis curentur, vt apud Medicos tritum eſt; quæ ex carnali generatione noxa contracta eſt, ſpirituali debet per Baptiſmum regeneratione deleri. Quod docuit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 19. *art.* 4. *ad* 3. dum ait: *Sicut peccatum Adæ non deriuatur ad alios, niſi per carnalem generationem; ita meritum Chriſti non deriuatur ad alios, niſi per generationem ſpiritualem, quæ fit in Baptiſmo, per quam homines Chriſto incorporantur, ſecundum illud ad Gal.* 3. 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

Nouum eſſe recipit, & regeneratur per Baptiſmum. *D. Thom.*

170. Dum autem homo in Sacramento Baptiſmatis noua efficitur creatura, duò ex ſumma Dei miſericordia dona conſequitur; eius enim peccata delentur, & in eius anima gratia, quæ diuinæ eſt participatio naturæ, abundanter effunditur. Sic enim quod erat, deſinit eſſe, vt incipiat eſſe quod non erat. Nam cùm hæc hominis regeneratio perfecta ſit eius juſtificatio, duplicem inuoluere debet terminum, ſcilicet à quo incipiat, & hic eſt culpæ remiſſio, quæ ipſa eſt renouatio, & antiquæ depoſitio vetuſtatis; & terminum, ad quem deſinat, qui eſt ipſa gratiæ infuſio, ſeu naturæ diuinæ participatio, quæ ipſam inuoluit regenerationem, in qua nouum eſſe tribui debet genito. Nec tamen humana natura in homine baptizato deſtruitur, ſed purgatur, ac ſanctificatur, vt ſimul homo adoptiuus Dei filius, & naturalis hominis proles cenſeatur; & noua antiquam ſeparante filiatione, non niſi nouas piaſque proferat actiones. Cùm enim *operari ſequatur eſſe*, vt loquuntur Philoſophi, nouo eſſe donatus homo per Baptiſmum nouo modo debet agere, ſeque præclaris ſanctiſque operibus adoptiuum Dei filium comprobare; quod docuit gentium Magiſter 1. *Cor.* 6. vbi poſtquam nefarios homines turpibus actibus maculoſos à regno Dei juſtè ſcripſit excluſos, Corinthios fidei lumine colluſtratos, & ſacrâ Baptiſmatis vndâ renouatos alloquens, inqoit verſ. 11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Vt ſcilicet ab omni iniquitate mundati non ampliùs turpiter, aut iniuſtè agerent, ſed piè, juſtè, ac ſobriè viuentes, per bona opera regni Dei poſſeſſionem compararent.

Deſinit eſſe quod erat, & incipit eſſe quod non erat.

171. Quamvis enim gratiæ infuſione diuinæ baptizatus Dei filius adoptione cenſeatur, & ad regnum Dei, tanquam ad diuinam jus habeat hæreditatem; nuſquam tamen, ſi adultus eſt, gloriam Domini, niſi bonis exornatus operibus, aſſequetur. Cuius quidem ratio eſt, quia adoptiui Dei filij non ſolùm vt hæredes, ſed etiam tanquam victores præmiantur, illiſque rationis vſum habentibus, ipſa fruitio, ac viſio intuitiua Dei non ſolùm per modum hæreditatis, verùm etiam ad modum coronæ eſt præparata. Cùm, ergo ſtrenuè tantùm bellantibus, ac glorioſè vincentibus dumtaxat corona conferatur; nam *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*, vt dicitur 2. *Timoth.* 2. 5. cum vitiis bellare debet baptizatos, cum carne pugnare, contra dæmonem militare, omneſque illos hoſtes infenſiſſimos ſuperare, tantiſque victoriis glorioſus æternæ vitæ mercedem in patientia expectare.

Adultus baptizatus bellare debet, vt coronam gloriæ aſſequatur.

172. Porrò vires ei ad tanta certamina conferuntur ab eo, qui morte ſua aëreas omnes debellauit poteſtates, quique Baptiſmo ſanguinis ſui victorioſiſſimi renato tribuens virtutem, illum inuictum præſtat athletam. Ita planè pugnabat, vincebatque inuictus ſemperque victor miles ille, qui ſe in Chriſto omnia poſſe gloriabatur, inclamans: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Philip. 4. 13. omnia enim poterat, qui nullas vires formidabat, qui nec carnis impetus, nec dæmonum aſtutias, nec mundi pertimeſcebat illecebras, quia nec in ſe viuebat, ſed in illo, qui vt illi vitam largiretur, mortem etiam turpiſſimam ſubire non dubitauit; ait enim: *Viuo ego jam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, ad *Gal.* 2. 20. Per Baptiſmum enim à veteri homine peccatore ſegregatus, & nouo, nempe Chriſto copulatus, ita illi non ſolùm adhæſit, ſed etiam inſertus eſt, vt eius ſuccum veluti ſugens, eius vitam hauſerit, moreſque pios ac generoſos traxerit, vnamque cum illo vitam habuerit. Eadem igitur Chriſti vita donatus eadem fortitudine roboratur, eiſdem prælijs militat, eiſdem victoriis triumphat; quia nec lex, nec natura, nec concupiſcentia, nec voluntas propria, ſed ſolus Chriſtus per gratiam & charitatem in Paulo vigebat ac viuebat; & in cæteris baptizatis & viuere, & vigere debet.

Chriſtus ei vires tribuit vt bellet & vincat.

Paulus in Chriſto omnia poterat.

173. Ea ſunt quæ ex diuina adoptione vir ſuſcipit Chriſtianus; non enim ex inani quadam ac vacua externaque omninò denominatione, ſicut in humanis contingit adoptionibus, filius Dei dicitur baptizatus, ſed ex intima ac reali cum Deo coniunctione, ac diuinæ naturæ per gratiam & charitatem participatione, immò & diuinæ virtutis ac fortitudinis ſuſceptione diuina in eo adoptio comprobatur. Dicant ergo Iuriſperiti de humana loquentes adoptione: *Adoptio nomen inane,*

nullam

Adoptio humana eſt nomen inane.

nullam inter adoptantem & adoptatum neceſſitudinem producens. Sed diuinam ab iſta longè diuerſam agnoſcant; in eaque non ſolùm nomen, ſed

Sed adoptio Dei naturam eius, & gratiam tribuit adoptato.

rem, immò & adoptantis naturam, virtutem, aliaſque dotes præſtantiſſimas adoptato mirabiliter effuſas videant & admirentur. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus*, dilectus inquit Chriſti diſcipulus 1. Ioan. 3. 1. Vbi ſanè inter diuinam & humanam adoptionem notabile affert diſcrimen, nempe quod in humanis adoptati dicuntur filij, ſed reuera filij non ſunt, cùm adoptantis nec naturam poſſideant, nec virtutem: verùm à Deo ingenti charitate adoptati, ac per Baptiſmum denuò geniti, verè filij Dei nominantur & exiſtunt, quia diuinam ſpirituali regeneratione naturam & virtutem gratiæ & charitatis infuſione ſuſcipiunt.

D. Auguſt.

Vnde Sanctus Auguſtinus præfata Ioannis Apoſtoli verba exponens, inquit: *Nam qui vocantur, & non ſunt, quid illis prodeſt nomen, vbi res non*

Non prodeſt nomen, vbi res non eſt.

eſt? Infirmæ ſunt omnes humanæ electiones & adoptiones; dignos ad propriam poſſunt aſſumere hæreditatem, ſed ineptos ac indignos nec dignos poſſunt præſtare, nec aptos; non enim electorum vel naturam, vel dotes transmutare valent.

Adoptio humana infirma.
Diuina efficax eſt.

Nominant ergo filios, non efficiunt, quos adoptant. At valida eſt diuina hominum ad æternam hæreditatem electio, valida adoptio, quæ dum filios nominat, efficit, & non ſolo titulo, ſed ipſâ re diuinâ filiatione decorat. Neminem tamen dignum ad tantam gratiam eligit Deus, ſed eligendo facit dignum, vt ſemper eius infinita miſericordia ſuper adoptatos vndequaque refulgeat. Quod expreſſit Apoſtolus ad Tit. 3. 5. *Non in operibus*; inquit, *iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Vbi ſimul declarat gentium Magiſter propriam hominum ad diuinam regenerationem indignitatem, & id à quo in ipſa regeneratione digni efficiuntur; nam qui ſeipſis, & ex prauis operibus ad diuinam filiationem nequaquam diſponebantur, ſemel lauacro Baptiſmatis renouati, Spiritus ſancti, omnium diuinorum chariſmatum fontis copioſâ effuſione, adoptiuâ Dei filiatione digni habiti ſunt.

174. Sed Spiritum ſanctum in baptizati animam dumtaxat infundi nequaquam arbitreris. Solus non datur, qui ſolus non eſt, & cum Patre & Filio indiuiduam diuinæ eſſentiæ habet vnitatem. Ab vtroque procedit vtriuſque amor, nexus, centrum, concordia, ac ſuauitas: in vtroque manet, ac cum vtroque homini ad filiationem Dei adoptiuam ſublimato effunditur. Sic enim docuit Chriſtus *Ioan.* 14. 23. dum ait: *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Vbi expreſsè de Patre & Filio in mentem juſtificati venientibus; & implicitè de Spiritu ſancto, vtriuſque vinculo ſacratiſſimo ſermonem habet. Verè igitur filij Dei cenſendi ſunt, qui non ſolùm per gratiam & charitatem diuinæ conſortes naturæ euadunt, ſed ipſam etiam ſanctiſſimam in cordibus ſuis recipiunt Trinitatem; ita vt in ipſis Deus, & ipſi in Deo permaneant. *Qui enim in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo*, vt dicitur 1. *Ioan.* 4. 26.

Spiritus Sanctus Patris & Filij amor, nexus, centrum, cõcordia ac ſuauitas, vnà cum Patre & Filio menti infunditur adoptati.

175. Ex quibos non ſolùm filiorum Dei verè & propriè nomine gloriantur ſacro renati Baptiſmate, verùm etiam diuinitatis participatione coruſcant, immò & Dij in ſacris Literis appellantur. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Pſalm. 81. 6. Si enim quidquid eſt in Deo Deus eſt, vt communiter docent Theologi; vnde & ipſa diuina attributa cum Deo identificantur, & verè de Deo prædicantur, non enim dumtaxat Deus eſt ſapiens, bonus, ſanctus, &c. ſed etiam ſapientia, bonitas, ſanctitas, &c. qui in Deo per gratiam morantur quodammodò & per participationem, Dij efficiuntur & appellantur.

Dei naturam participant, & Dij dicuntur à Deo adoptati.

Sicuti enim homo à juſtitia juſtus, à ſapientia ſapiens, à bonitate bonus dicitur, juſtitiâ, ſapientiâ, ac bonitate accidentalibus, quæ ſcilicet poſſunt adeſſe & abeſſe abſque ſubiecti corruptione: ita à Deitate, quæ animæ hominis infunditur baptizati, Deus poteſt Chriſtianus appellari, quod expreſſit S. Baſilius dum de Spiritu ſancto, *homil. de eodem*, inquit: *Huius gratiâ Deus eſt quiſque Sanctorum.* Hinc quamplurima Dei attributa participare videtur homo à Deo adoptatus; illius enim ſanctitate ſanctificatur, illius bonitate bonus, ſapientiâ ſapiens, immutabilitate firmus conſtanſque, ac tandem omnipotentiâ quaſi omnipotens euadit.

A Deitate quæ menti eius infunditur, baptizatus poteſt dici Deus.

Eiuſque gaudet attributis.

D. Bernard.

Quod aliquando demiratus eſt Bernardus exponens illud Apoſtoli Philip. 4. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, ſerm. 85. in Cant. *Quanta* inquit, *fiduciæ vox? Omnia poſſum in eo qui me confortat. Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti. An non omnipotens, cui omnia poſſibilia ſunt? Ita animus, ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur à Verbo, poterit vtique dominari ſui, vt non dominetur ei omnis iniquitas. Ita, inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel ſtatim dejicere, vel ſubjicere dominantem.*

Hinc etiam ſequitur, adoptiuum Dei filium, deitatis ſplendore veſtitum, ſeu vt Bernardus proximè adductus loquitur, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, diuinam etiam impeccabilitatem quodammodò participare; quod non abſolutè, ſed cum quadam reſtrictione intelligendum eſt. 176.

D. Bernard.
Filius Dei adoptiuus eſt quodam modo impeccabilis.

Quamvis enim homo, etiam renatus fonte Baptiſmatis, diuinaque adoptione decoratus, verè liber remaneat, & à Deo recedere, ac in aliquam culpam labi poſſit: attamen quamdiu adoptionis gratiam ſedulò conſeruat, & ſe Dei filium terrena calcantem, mundana ſpernentem, cœleſtia meditantem, & ad æterna ſuſpirantem gerit, à Deo migrare nequit, nec in peccati barathrum deturbari. Et hoc eſt, quod dixit amantiſſimus Chriſti diſcipulus 1. Ioan. 3. 6. *Omnis qui in eo manet, non peccat.* Et 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Gratia Chriſtianorum validior gratiâ Adami.

Etenim gratia quâ regeneratos Deus exornat, illâ quæ Adamum antequam laberetur exornabat, validior eſt ac fortior: per illam quippe primus homo poterat non peccare, at per gratiam Chriſti adeò infirmi ſemel lauacro aquæ & verbo vitæ ſpiritualiter geniti roborantur, vt non poſſint peccare. Dat enim illis non ſolùm poſſe bene agere, ſed velle.

D. Auguſt.

Nam vt loquitur D. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 12. *Eis non ſolum dat adiutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſunt perſeuerare, ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poſſint &*

& velint, perſeuerandi eis poſſibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Hæc Auguſtions. Vnde oon ſeqnitur, omnes in Chriſto renatos in gratia perſeuerare, & nuſquam ab illa recedere; ſed oeminem, niſi diuinæ gratiæ adiutorio ſuccurrente, in bono ſtare ac perſeuerare poſſe aut velle. Ita vt verum ſit, baptizatum noo poſſe peccare, in ſenſu compoſito, & quamdiu diuinæ motioni obtemperans, gratiæ adhæret: ſi autem diuino deſtituatur auxilio, ac ſpiritualis generatiouis dignitati noo attendat, à Deo poteſt recedere, gratiam adoptionis amittere, & à filiorum Dei ſocietate ad peccatorum tranſire conſortium. Nam vt optimè notauit Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 24. *art.* 11. charitas patriæ quia replet totam potentialitatem rationalis mentis (in quantum ſcilicet omnis actualis motus eius fertur in Deum) inamiſſibiliter habetur. Charitas autem viæ non ſic replet poteotialitatem ſui ſubiecti, quia non ſemper actu fertur in Deum. Vnde quando actu in Deum non fertur, poteſt aliquid occurrere per quod charitas amittatur. Vnde charitas patriæ, vbi ipſa eſſentia bonitatis, nempe Deus, intuitiuè & per eſſentiam videtur, amitti non poteſt: charitas autem, viæ in cuius ſtatu non videtur ipſa eſſentia bonitatis diuinæ, poteſt amitti.

Baptizatus in ſenſu compoſito non poteſt peccare.

D. Thom.

Charitas à beatis amitti non poteſt, à viatoribus amitti poteſt.

Lutheri & Caluini error.

177. Refelluntur.

Quibus omnibus Lutheri & Caluini confutatur error, quo vterque docere auſus eſt, Fidelem à Fide, gratia & juſtitia excidere noo poſſe, eſſeque de perſeuerantia & ſalute ſecurum. Nam ex liberi arbitrij mobilitate, ac mentis humanæ mutabilitate, quamdiu in hoc corpore baptizati peregrinantur à Domino, ab eo, ac conſequenter à fide, gratia & juſtitia poſſunt deficere; ipſaque experientiâ multos à fide in hæreſim, & à gratia in peccatum deflexiſſe comprobatum eſt. Quare Ioannes I. *ep.* 2. *cap.* 1. ait: *Filioli, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum.* Vbi & Fidelem poſſe peccare, & poſt lapſum Chriſti Domini mediatione, ac gratiâ à peccato poſſe reſurgere demonſtrat. Si autem noo poſſet homo à fide deficere, nuſquam dixiſſet Dominus: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. 32. Ideoque præfato errori contrarium definit Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 23.

§. IV.

Hominum in filios Dei per Baptiſmum adoptio magis illuſtratur.

178. Baptiſterium mater adoptionis.

NOn abs re inclytus ille Areopagita Dionyſius *lib. de Cæleſti Hierarch. cap.* 2. Baptiſterium vocauit *Matrem adoptionis.* Homines enim qui ex filiis iræ in filios Dei adoptiuos ibidem generantur, ex aqua veluti ex ſinu quodam genitricis, Deo per verba ſacramentalia veluti genitore operante, naſcuntur in Eccleſia nouæ ac purgatæ creaturæ, vt eiuſdem Eccleſiæ membra conſtantes, illius pulchritudinem recipiant & nitorem. Infinitæ planè optimi Saluatoris dilectionis hæc natiuitas opus eſt; nam ſicut Apoſtolus docuit Eph. 5. 25. 26. & 27. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Vnde Eccleſiæ gloria per Chriſtum lauacro aquæ in verbo vitæ ab antiquis maculis deterſæ, & à cunctis vetuſtatis rugis liberatæ in hoc conſiſtit, vt ſit *ſancta & immaculata*, hoc eſt ab omni peccati labe aliena, quatenus ab omni immunditia omniò libera, ſponſa Chriſti dilectiſſima appelletur & exiſtat. Sicuti ergo vniuerſa fidelium Eccleſia Chriſti ſponſa dicitur, ita & ſinguli Eccleſiam componentes Chriſtiani, filij Dei, ac fratres Chriſti meritò nominantur.

Quia homines in eo renaſcuntur filij Dei.

Summus autem æterni Patris amor erga homines, quos ex infinita bonitate ad diuinam elegit adoptionem, & per Baptiſmatis lauacrum de facto in filios adoptauit, mirum in modum effulſit. Adoptio enim, quæ vt loquuntur Iuriſperiti, *nuptiarum eſt ſubſidium, ac fortunæ remedium*, ſterilitati ſupplet vel orbitati, in ipſo locum ex hoc noo habere videtur; etenim ille fœcundiſſimus eſt, qui acerrimo, præſtantiſſimoque mentis oculo dum ſe intelligit, Filium per omnia ſibi coæqualem generat, *viſcerum ingentem partum*, vt illum appellat Sineſius, & gloriæ ſuæ ſplendorem, ac diuinæ ſuæ naturæ characterem fulgentiſſimum, vt ipſum vocauit Apoſtolus *Hebr.* 1. quo neququaquam orbari poteſt, cùm ille Deus de Deo, lumen de lumine, viuus ex viuente, & ex immortali intra ipſum immortalis oriatur & maneat. Nihilominus ex immenſa charitate homines miſeratus, illos adoptauit in filios, eiſque non ſolùm regnum cœleſte, hæreditatem nuſquam perituram, ſed ſeipſum præparauit in præmium, eoſque dilectiſſimi Filij fratres conſtituit ac cohæredes. Quod notauit D. Auguſtinus tract. 8. in Ioan. *Multi homines* (inquit) *cùm filios non habuerint, peractâ ætate adoptant ſibi, & voluntate faciunt, quod naturâ non potuerunt. Si autem aliquis habeat vnum filium, gaudet ad illum magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt, & non habebit qui cum eo diuidat hæreditatem. Non ſic Deus: vnicum eundem ipſum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, miſit in hunc mundum, vt non eſſet vnus, ſed fratres haberet adoptatos.* Hæc Auguſtinus.

179. Amor Dei in homines.

Adoptio nuptiarum ſubſidium, fortunæ remedium.

Non caret Deus Filio naturali perfectiſſimo, & tamen homines in filios adoptat.

D. Auguſt.

Chriſtus venit in mundũ vt fratres haberet adoptatos.

Nec minorem in homines vnigenitus Dei filius, per quem Pater illos in filios recepit adoptiuos, oſtendit dilectionem. Ipſe prior dilexit eos, ac ſemetipſum pro eis tradens, ita ſuam impreſſit ſimilitudinem, vt ſimul ſibi fratres ac cohæredes copularet. *Vnicus erat*, inquit Auguſtinus, *in ſinu Patris, noluit remanere vnicus, venit in terram, vbi ſibi fratres quæreret.* Tract. 2. in Ioan. tom. 9.

Amor Filij Dei in homines.

180. Mirabilis modus adoptionem diſpenſandi.

Verùm planè mirabilis fuit, quo adoptionis gratiam largitus eſt, modus. Mortalitatem induit ille Filius immortalis; & ſemel morte guſtata, mortalibus, quos à peccatis in ſuo ſanguine lauit, contulit immortalitatem. Aquam inſuper ſanguini ſociauit, ex cuius latere lanceâ militis perforato, aqua cum ſanguine promanauit, vt vnda Baptiſmatis ſacro copulata cruori, non ſolum corpus ablueret, ſed & animam emundaret, ſanctificaret, diuinaque filiatione decoraret. Sic ergo prolem numeroſam in aqua & ſanguine, ex ſuis vulneribus caſtiſſimus pater effudit, vt omnes qui ad finem vſque ſeculi filij eius naſcerentur, ab aqua & ſanguine oriri cenſeantur; renaſcuntur etenim in Baptiſmatis vnda, quæ ſpeciali prouidentiâ ad regenerationem ſpiritualem aſſumitur, vt incredibilis diuini amoris ignis, ac feruidi ſanguinis pro nobis

Morte Chriſtus dedit immortalitatem.

In aqua & ſanguine ex vulneribus ſuis adoptatos effudit.

effuſi

E latere Chriſti exiuit ſanguis & aqua, vt ignẽ diuini amoris aqua temperaret.

effuſi ardores aquâ quodammodò temperentur, ac ex calore & humiditate debitè temperatis, perennis in ſacro fonte ad filios Dei producendos fœcunditas agnoſcatur. Hinc Chriſtum *per aquam & ſanguinem veniſſe*, Ioannes Apoſtolus declarauit 1. Ioan. 5. 6. nullus enim copioſæ eius redemptionis fructum aſſequitur, niſi ſimul & virtute pretioſi eius ſanguinis, & aquâ Baptiſmatis expiatus, in filium Dei adoptiuum generetur.

181.

Virtute Spiritus ſancti aqua Baptiſmi virgo filios Dei generat adoptiuos.

S. Leo.

Nec ſolùm Chriſti ſanguinis virtute repletur vnda Baptiſmatis: etiam Spiritus ſancti vigore roboratur, vt quos ſpiritualiter generat, non à carne, ſed à ſpiritu oriantur, & velut ab vtero virginali procedentes, Chriſti ſimul gratiâ gaudeant, & eius ſpiritu repleantur. *Qui* enim *non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius*, vt dicitur *Rom.* 8. 9. Vnde Leo Papa ſerm. 4. de natiuit. *Omni homini renaſcenti* (inquit) *aqua Baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum quod euacuauit ibi ſacra conceptio, hîc ſoluat ablutio.* Cùm enim Spiritus ſanctus ex ſumma quæ ipſi attribuitur, bonitate *Remiſſio omnium peccatorum* vocitetur in oratione quæ poſt ſacram ab Eccleſia decantatur feria 3. Pentecoſtes communionem, & in ſpirituali per Baptiſmum natiuitate cũcta deleantur delicta, vt homo noua reſurgat creatura; ideo ſimul cum ſanguine Chriſti Spiritus ſanctus aquam fœcundare, & baptizati mentem creditur exundare.

Spiritus ſanctus aquam Baptiſmi fœcundat.

D. Gregor.

Vnde & in ſolenni ſacri Fontis benedictione, quæ quotannis Sabbato ſancto in Eccleſia fit, cereus ille, quem Paſchalem vocat, qui Chriſtum Dominum à morte rediuiuum exprimit, dum in aqua mergitur, altâ voce à Sacerdote Spiritus ſanctus inuocatus, his verbis tertiò repetitis: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus ſancti*, vt ſcilicet ſimul cum Chriſti paſſionis & reſurrectionis virtute, Spiritus ſancti, qui à Chriſto, ex cuius perſona diuina ab æterno procedit, hominibus datur, efficacia vndæ Baptiſmatis communicetur.

Cum virtute paſſionis Chriſti virtus Spiritus sãcti in aqua Baptiſmi.

Sicut ergo vt verum ac proprium Filium Dei in carne pareret, intemerata Beatæ Mariæ virginitas, Spiritu ſancto ſuperueniente òbumbrata eſt, vt ſimul cum virginali ſplendore matris decoraretur dignitate; ita vt ex aqua Baptiſmatis adoptiui Dei filij in ſpiritu renaſcantur, ab ipſo Spiritu ſancto obumbrari debet & fœcundari. Quod ſatis innuit quamdam eſſe aquæ Baptiſmi cum virginali Dei Genitricis vtero ſimilitudinem; vtrobique enim Spiritus ſanctus prolem format, vtrobique pudorem ſeruat & virginitatem cuſtodit, quamvis in carne æternum ac verum Dei Filium pariat, & aqua Baptiſmatis in Spiritu temporales, & adoptiuos Dei filios effundat.

Aquæ Baptiſmi cum vtero Virginis ſimilitudo.

D. Auguſt.

Attamen hæc dignitatus Auguſtinus, quædam, eaque non contemnenda, in hac notauit aqua, quæ in Mariæ vtero minimè reperiuntur. Etenim *ſerm. 36. de temp.* de illis ſic loquitus; *Penè maiori munere quàm Maria, vnda ditata eſt. Illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem. Illa meruit ne peccaret, iſta vt peccata purgaret. Illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat. Illi eſt collata virginitas, iſti donata fœcunditas. Illa vnum procreauit, & pura eſt: iſta generauit plures, & virgo eſt. Illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum.* Hæc Auguſtinus acutè & eleganter.

182.

Eccleſia per Baptiſmum fœcunda, & virgo.

D. Ambroſ.

Hanc autem mirabilem aquæ Baptiſmatis fœcunditatem, quæ nos cum virginitatis honore filios Dei generat, Eccleſiæ communi omnium Chriſtianorum parenti tribuit Ambroſius *lib. 1. de Virginibus*, dum ait: *Sancta Eccleſia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole: parturit itaque nos Virgo, non viro plena, ſed Spiritu: parit nos Virgo non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum: nutrit nos Virgo non corporis lacte, ſed Apoſtolorum. Virgo eſt ſacramentis & virtutibus; mater eſt populis, &c.* Vbi Eccleſiam omnium fidelium caſtiſſimam, immò & virginem appellat genitricem, ex duplici capite. Primò quidem ex hoc, quod fidei Catechiſmo eruditos ſacro intingit fonte, & per Baptiſmum nos Chriſto parit. Secundò, quia in Spiritu natos, ſeu gratiâ renatos, verbi Dei pabulo, quod *Apoſtolorum lac* ab Ambroſio appellatur, nos reficit & ſuſtentat. Doctrina enim quoddam ſpirituale ſemen eſt, quo non ſolùm filij generantur, ſed etiam veluti lacte paſcuntur. Vnde & Paulus 1. Cor. 4. 15. *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Quod etiam docuit Auguſtinus *lib. contra Adimantum, cap. 5.* vbi ait: *Naturâ dicitur quiſpiam filius eius à quo genitus; doctrinâ illius, à quo edoctus.* Quod etiam vtriuſque Teſtamenti comprobatur teſtimonis, vbi docentes alios non ſolùm magiſtri, ſed etiam patres appellantur.

Lac Apoſtolorũ eſt verbum Dei.

Doctores & magiſtri patres dicuntur.

183.

Verba quæ ſunt forma Sacramenti Baptiſmi, ſimul cũ aqua ad adoptionẽ filiorum Dei concurrunt, & quare.

Illud autem inſuper notatu dignum hac in re venit, quod non ſolùm aqua diuinâ virtute eleuata ad ſpiritualem adoptiuorum Dei filiorum natiuitatem concurrit, ſed etiam verba, quæ ipſam ablutionem exprimunt, & ipſam Sacramenti Baptiſmatis formam ex diuina Chriſti inſtitutione, *Matth. vlt.* conſtituunt. Voluit enim amantiſſimus Dominus aquæ ſermonem ſuum ad filios Dei adoptiuos producendos coniungere, vt æternæ ſuæ generationi, quâ ex intellectu paterno, omnis entitatis ac bonitatis oceano, infinitâ eius dictione, ſeu pronuntiatione operante, Verbum viuum, verum, ac ſubſtantiale procedit, nec à ſuo principio recedit, quia ſemper in ſinu Patris permanet, Chriſtianorum generatio conformaretur, ipſique filij adoptiui, & aquæ, & ſermonis fructus extarent. Etenim ſi hæc per Baptiſmum præcisè natiuitas attendatur, aqua matris, verba autem ſacramentalia patris vicem ſubire videntur. Cùm enim huius Sacramenti materia aqua ſit; verba autem formam conſtent, hæcque per modum actus materiam, quæ per modum potentiæ conſideratur, perficiat, & informet; illam aquam tanquam matrem, verba ad modum maris ſine dubio fœcundant; ipſique baptizati ab illis coniunctim & indiſtinctè, ex ſpirituali veluti matrimonio ſpirituales homines renaſcuntur. Cùm autem multa tum in aqua, tum in verbis formæ Baptiſmi lateant myſteria, ad illa indaganda liceat aliquantulum immorari.

In Baptiſmo aqua vicem matris, & verba vicem patris tenent.

§. V.

Cur aqua in materia Baptiſmatis aſſumatur, expenditur.

184. SOlennis eſt, nemini que ignota Chriſti Seruatoris Nicodemo loquentis vox, Ioan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ cùm non ad metaphoram detorquenda ſint, ſed verè & propriè intelligenda, vt definiuit Concil. Trident. *ſeſſ. 7. Can. 2. de Baptiſmo*, veram & naturalem aquam ad Baptiſmum eſſe neceſſariam ſatis ſuperque demonſtrant. Aqua igitur, eaque communis & naturalis, ablutioni ſordium aptiſſima, à Chriſto electa eſt, vt primi omnium Sacramenti eſſet materia, & quidam omnium Chriſtianorum ſpiritualis vectus fieret.

Vt aliquis in cœlū ingrediatur, debet renaſci ex aqua & Spiritu ſancto in Baptiſmo.

185. Quod quidem maximè conſentaneum fuit multis rationibus. Primò quidem, quia antiqui Philoſophi Thales & Empedocles, aquam rerum omnium principium exiſtimarunt, eorumque primus apud Ariſtotelem 1. *Metaph. cap. 3.* illam *primam animam* eſſe dixit. Vnde Poëtæ Oceanum & Thetim, omnium rerum origines finxerunt. Hinc Pindarus Opus ſuum cedro dignum, his inchoauit verbis, *Ἄριστον μὲν ὕδωρ*; hoc eſt, *Optimum quidem aqua.* Ipſæque ſacræ teſtantur Literæ, omnem rerum corporalium fœcunditatem ab aquis deriuari; non enim terra ad germinandum diuinum ſuſcepit imperium, niſi poſtquam aquarum, ſuper quas Spiritus Domini ferebatur, triduanâ inundatione purgata & fœcundata eſt, vt legitur *Gen. 1. 11.* Ipſæ etiam aquæ, Deo iubente, piſcium, & volucrum origines extiterunt; ibidem enim 20. ſic Deus mandauit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cœli.*

Aquæ præſtantia.

Aqua eſt optima, àqua omnis rerum corporalium fœcunditas.

186. Cùm ergo Baptiſmus, *principium & ianua Sacramentorum*, vt illum vocat Dionyſius *cap. 2. Eccleſ. Hierarch.* initium ſit Chriſtianæ vitæ per modum generationis, ſeu natiuitatis ſpiritualis; ideo optimè aqua, omnis corporeæ origo fœcunditatis, aſſumpta eſt ad ſpiritualem animarum generationem & propagationem. Virtus enim, quam ab ipſo Dei Spiritu ad corporea producendum in mundi accepit exordio, fœcunditatis animarum typus extitit. Quod in Sequentia in die Pentecoſtes decantari ſolita expreſſit Robertus Francorum Rex, Spiritum ſanctum ſic alloquens: *Tu ſuper aquas foturus eas, numen tuum expandiſti Spiritus. Tu animabus viuificandis aquas fœcundas.* Ipſumque Catholica confirmat Eccleſia, quæ in ſolenni ſacri Fontis benedictione: *Deus* (inquit) *cuius Spiritus in primordio mundi ſuper faciem abyſſi ferebatur, vt regenerandi virtutem aquarum natura conciperet.* Vnde & Chriſtianos Tertullianus *lib. de Baptiſmo, cap. 1.* appellauit *piſciculos*, eo quòd naſcantur ex aquis, in quibus dum ſpiritualem vitam ſuſcipiunt, æternæ beatitudinis viam ingrediuntur. Quibus addit Hieronymus *epiſt. ad Oceanum*, mundi peccatorum maculis ſordidi aquarum diluuio purgationem multùm conducere, vt ad animam peccatis maculoſam Baptiſmo emundandam, aqua in huius materiam Sacramenti aſſumatur. *Primum de aquis* (inquit Hieronymus) *quod viuit, egreditur, & pennatos fideles de terra ad cœlum eleuat: fabricatur homo de limo, & inter manus Dei aquarum Sacramenta verſantur: peccat mundus, & ſine aquis diluuij non purgatur, vt clarum fiat, cur aqua addita ſit ad Baptiſmum.*

D. Dionyſ.

Baptiſmus ianua ſacramentorum.

Robertus Rex Francorū in Miſſali FF. Prædicat.

Tertull.

Chriſtiani dicuntur piſciculi, quia naſcuntur in aquis.

D. Hieron.

De aquis pennati Fideles de terra ad cœlum eleuantur.

187. Secundò congruè aqua elementaris materia Baptiſmi ponitur, propter maximam quâ pollet munditiem. Virtus, enim, quâ cunctas corporum abſtergit maculas, rectè deſignat purgationem, quam præſtat, animarum. Quod notauit Ambroſius lib. 10. in Luc. 22. 10. *O aqua*, inquit, *quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quæ lauas omnia, & non lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta myſteria: à te principium, in te finis; vel potiùs tu facis, vt finem neſciamus. Per te fœtor tabidæ carnis abolenit, & pereuntia ſitu viſcera, aſperſe ſale in multam ſeruantur ætatem, &c.* Quia ergo ſordes corporum aqua delet, & aliis infecta liquoribus, aquâ abluuntur, vt emundentur: ideo in ſola aqua primum Sacramentum, quod cordium maculas tergit, miniſtratur.

Naturaliter aqua purgat maculas, & munditiem confert.

D. Ambroſ.

Cor peccatis ſordidum aquâ Baptiſmi purgatur.

188. Tertiò, aquæ frigiditas illam ad Baptiſmi materiam aptiſſimam reddit. Cùm enim ignem extinguat corporeum, ſe ad internos cupiditatum ardores reprimendos per gratiam Baptiſmatis, quæ etiam myſtica in ſacris Literis vocatur aqua, *Ioan. 4. 10. & 14.* & *Ezech. 36. 25.* idoneam oſtendit. Hinc Greg. Nazianz. *orat. 4. in S. Baptiſma*, ait; *Baptiſmus carnis eſt abiectio, ſpiritus affectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluuium, &c.* Vbi non intendit hominem baptizatum carnem omninò abijcere, ſed eius ardores in eo extingui, ipſumque fomitem mitigari ex gratiæ participatione diuinæ, *quæ in illo fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, vt habetur *Ioan. 4.* Attamen non ex virtute aquæ, quâ corpus abluitur, ſed ex Spiritu ſancto ac ſanguine Chriſti in illa operantibus, ignis extinguitur vitiorum, ſicut notauit Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap. 15.* dum inquit: *Itaque ſi qua eſt gratia in aqua, non ex ipſius aquæ natura, ſed ex Spiritus præſentia; non enim eſt Baptiſmus depoſitio ſordium corporis, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio apud Deum*; hoc eſt, probatio, & exploratio: nam interrogare in Scriptura multoties explorare & luſtrare ſignificat, vt quando *pſal. 10. 4.* dicitur, *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, hoc eſt oculi Dei explorant, & luſtrant omnes homines. Et pſal. 138. 23. *Interroga*, ideſt explora, *& cognoſce ſemitas meas.*

Aquæ frigiditas exprimit Baptiſmo ardorem concupiſcentiæ mitigari.

S. Baſil.

Interrogare quid ſignificet in Scriptura.

189. Quartò, ex ſua diaphaneitate ſeu tranſparentia, ac perſpicuitate, materia Baptiſmi apta eſt aqua. Cùm enim per hoc Sacramentum corda noſtra fidei lumine colluſtrentur, & rerum diuinarum mentes noſtræ recipiant notitiam, rectè corpora noſtra in Baptiſmate ſplendenti ac perſpicuo liquore perfunduntur. Hinc Apoſtolos Baptiſmo, qui Sacramentum fidei à Sanctis Patribus vocitatur, nos in lumine conſtitutos docet, *Coloſſ. 1. 12. & 13.* dum ait: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Vnde Dionyſ. lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. de Baptiſmo, *Lumen* appellat Baptiſmum, quia

Ex diaphaneitate, ſeu tranſparētia aqua apta eſt materia Baptiſmi.

D. Dionyſ.

Baptizati

Digitized by Google

Quia baptizati per fidê illuminâtur. Gregor. Naz. Baptiſmus dicitur illuminatio.

baptizari per fidem illuminantur. Et Gregorius Nazianzen. *orat. in ſancta lumina*, Baptiſmum *illuminationem* vocat. Immò & Chriſtum illuminari dicit, vt ipſum baprizari exptimat. *Chriſtus*, inquit, *illuminatur, immò potiùs fulgore ſuo nos illuminat: Chriſtus baptizatur, ſimul & nos deſcendamus, vt cum ipſo pariter aſcendamus.* Et orat. 4. in S. Baptiſma: *Baptiſmus*, inquit, *ſplendor eſt animarum.*

Aqua ex ſua abundantia & communitate eſt aptiſſima materia Baptiſmi.

190. Quintò, aqua ex ſua communitate & abuodantia, quâ farillimè vbique reperitur, Sacramenti Baptiſmatis materia conuenientiſſima eſt. Cùm enim hoc Sacramentum cunctis ad ſalutem ſit oeceſſarium, congruum eſt, vt in materia valde communi, & quæ abſque labore ad manum haberi poteſt, conferatur: vnde & Apoſtolorum Pıioceps *Act.* 10. 47. ait: *Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, &c.*

Myſteria Chriſti nobis exhibet aqua.

191. Denique ßaptiſmo apta eſt aqua, quia myſteria Chriſti, quibus juſtificamur, oobis exhibet. Cùm enim Chriſto per Baptiſmum conſepeliamur, & in nouam cum illo reſurgamus creaturam, juxta illud Apoſtoli Rom. 6. 3. & 4. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rectè in aquam mergebantnt olim baptizandi, & nunc hoc liquore perfunduntut, vt in aqua veluti ſepulti, ex illa renouati reſurgant. Quod obſeruauit D. Thomas 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 3. ex D. Chryſoſtomo *hom.* 24. *in Ioan.* vbi ait: *Sicut in quodam ſepulchro, in aqua ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde nouus rurſus aſcendit.* Quibus omnibus addi poteſt, quod quia ex ſua perſpicuitate aqua ad modum ſpeculi corpotum ſibi oppoſitorum imagines reddit ac repræſentat, vt ipſa experientiâ liquet; ideo aptiſſima ad Baptiſmi materiam fuit, quia in hoc Sacramento Dei imago in homine per peccatum oblitetatata, ipſâ ablutione, quæ remiſſionem omnium cauſat delictorum, & gratiam humanæ menti infundit, reſtituitur & reſtauratur.

Baptizandi in aquis veluti ſepeliuntur, & reſurgunt in nouâ vitam.

D. Thom. D. Chryſoſt.

Ex ſua perſpicuitate imagines obiectorum vt ſpeculum exhibet aqua.

192. Cæterùm præter illas, quas hactenos ex aquæ elementaris natura adduximus congruentias, aliæ non paucæ ex eius, ad quem Dei nutu & imperio aſſumpta eſt, vſu ſuperſunt, quibus & illius ad Baptiſmum aptitudo typicè demonſtrata eſt, & ipſe Baptiſmus quodammodò præfiguratus. Quas inter non vltimum locum obtinet mare Rubrum, cuius tranſitus Iſraëlitis libertatem, Ægyptiis verò interitum præſtans, non obſcurè Baptiſmum, quo homines à Diaboli captiuitate eruuntur, & ipſa quibus alligabantur, peccata delentur, ſignificauit. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.* 10. 2. illos qui hoc mare tranſierunt, baptizatos dixit: *Omnes* (inquit) *mare tranſierunt, & omnes in Moyſe Baptizati ſunt in nube, & in mari*; hoc eſt, vt exponit D. Thomas ibidem lect. 1. *in ducatu Moyſi ſignum Baptiſmi receperunt.* Nam Baptiſmus conſtat ex aqua & Spiritu. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Nubes autem ſymbolum erat Spiritus; mare verò aquæ. Quod etiam docuit Auguſtinus *lib.* 12. *contra Fauſtum Manichæum, cap.* 29. vbi inquit: *Mare Rubrum Baptiſmus vtique eſt Chriſti ſanguine conſecratus; hoſtes à tergo ſequentes moriuntur, peccata ſcilicet præterita.* Quod etiam proſequutus eſt *ſerm.* 119. *de temp.* & *tract.* 11. vbi ſic concludit: *Significabat Mare illud Rubrum Baptiſmum Chriſti. Vnde rubet Baptiſmus Chriſti, niſi Chriſti ſanguine conſecratus?*

Tranſitus maris Rubri, Baptiſmi typus.

D. Thom.

D. Auguſt.

Rubet Baptiſmus Chriſti ſanguine.

Aqua amara ligno dulcis effecta, & illa quæ ex petra fluxit, Baptiſmum ſignificant.

193. Aquam etiam amaram, quam jubente Domino Moyſes immiſſo ligno dulcorauit, vt legitur *Exod.* 15. 25. eamque quæ ex percuſſo à Moyſe ſilice largiſſimè dimanauit, ita vt populus biberet & jumenta, *Num.* 20. 11. Baptiſmi figuras pronuntiauit Tertullianus *lib. de Baptiſmo, cap.* 3. vbi inquit: *Aqua de amaritudinis vitio in vſum commodum ſuauitatis Moyſi ligno remediatur; lignum illud erat Chriſtus, venenatæ & amaræ retro naturæ venas in ſaluberrimas aquas* (Baptiſmi ſcilicet) *ex ſeſe remedians. Hæc eſt aqua, quæ de comite petra populo deſluebat. Si enim petra Chriſtus, ſine dubio aqua in Chriſto Baptiſmum videmus benedici.*

Aqua Iordanis, quâ tranſierunt Iudæi terram promiſſam ingredientes, Baptiſmum deſignat.

194. Aqua inſuper Iordanis fluuij, per quem Iudæi in terram promiſſionis intrauerunt, ſpecialis Baptiſmi, per quem excuſſo Pharaonis myſtici, hoc eſt Diaboli jugo, in ſanctam introducimur Eccleſiam, & in Dei cooptamur familiam, extitit figura. Vnde & Chriſtus in Iordane Ioannis Baptiſmate eſt baptizatus, quia tunc Baptiſmum ſuum, quo peccata delentur, & diuina tribuitur gratia, ſpecialiùs deſignabat. Tranſitus enim Iordanis à filiis Iſraël Baptiſmum præfigurauit quantum ad hoc, quod aperit januam regni cœleſtis, qui eſt principalior effectus Baptiſmi, & per ſolum Chriſtum impletus, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 39. *art.* 4. *ad* 1. Immò & diuiſio aquarum eiuſdem Iordanis fluminis ab Elia, antequam per currum igneum in cœlum raperetur, vt refertur 4. *Reg.* 2. 8. Baptiſmi Chriſtianorum typus fuit, *quia ſcilicet*, vt loquitur D. Thomas *loc. cit.* in corpore articuli, *tranſeuntibus per aquam Baptiſmi, per ignem Spiritus ſancti patet aditus in cœlum.*

S. Thom.

Aquas Iordanis Chriſtus baptizatus ſanctificauit.

195. Ipſe autem Saluator optimus Iordanis aquis Baptizatus eſt, non mundari volens, ſed mundare aquas: *Vt ablutæ per carnem Chriſti, qui peccatum non cognouit, Baptiſmatis vim haberent*, vt inquit Ambroſius *lib.* 2. *in Luc. cap. vlt.* & vt *ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodùm baptizandis*, vt loquitur Chryſoſt. *hom.* 4. *ſup. Matth.* quod etiam *ſer.* 19. *de Epiphania*, Ambroſius eleganti ſtylo proſequutus eſt, dicens: *Cùm Saluator abluitur, jam tunc in noſtrum Baptiſmum tota aqua mundatur, & purificatur fons, vt ſequuturis poſtmodùm populis lauacri gratia miniſtretur.*

D. Ambroſ. D. Chryſoſt. D. Ambroſ.

Meritò aqua ad materiam Baptiſmi aſſumpta eſt. Chriſtus ſemper in aquis, & nuſquam ſine aqua.

196. Cùm ergo ad tot tantoſque mirabiles effectus Baptiſmum noſtrum adumbrantes aqua, Deo ita diſponente, aſſumpta ſit, meritò ad ipſam rem ſignificatam peragendam, hoc eſt ad ipſum Baptiſmum, materia conſecratur. Hinc ſemper in aquis videtur fuiſſe, qui aquam, vt mundum Sacramentis renouaret, elegit. Etenim caſtiſſimam Parentem, gloriâ perpetuæ virginitatis fulgentem, ex aquis deſumpto nomine decorauit. *Maria* enim à mari trahitur, & hoc titulo diuinæ gratiæ mater inſignitur; vt ſiquti aquarum congregatio in ipſo mundi exordio mare vocata fuit, ita quæ omnem in ſe complexa eſt ſanctitatem, ita vt *abyſſus gratiæ* in eius vtero clauſa fuerit, Mariæ nomenclaturâ glorietur. Etiam ab aquis eius Sponſi, & Chriſti ſecundùm hominum eſtimationem parentis, ſanctiſſimi Ioſeph deriuatum eſt nomen, ſiquidem juxta D. Hieronymum apud Barradium,

Maria dicitur à mari.

Ioſeph ab aquis deriuatur.
Chriſtus fons vitæ.

Ioſeph idem eſt ac *Filius accreſcens juxta aquas.* Creuit enim juxta aquas Sponſæ, eiuſque Filij inclytus Patriarcha, qui à Chriſto & Maria augmentum ſuæ habuit ſanctitatis. Verùm in ſe aquarum nomen Redemptor amantiſſimus dedicauit, dum in ſacris paginis *fons vita* voluit appellari. Quod notauit Ambroſius *lib. in Luc. 22. num.* 10. vbi aquam ſic alloquitur: *Tu nomen Prophetis & Apoſtolis, tu nomen Saluatori dediſti. Illi nubes cœli, illi ſal mundi, iſte fons vita eſt.* Hinc eſt quod ab vna ex illis virginibus futura prænuntiantibus, quas Sibyllas vocant, Chriſtus *ἰχθὺς*, ideſt piſcis, fuit appellatus, in cuius nominis literis quinque nomina Chriſti concluduntur, nempe *ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ*; hoc eſt, *Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator*, vt notauit Optatus Mileuitanus *lib. 3. contra Parmenianum*, & D. Auguſt. *lib. 18. de ciuit. cap.* 23. Nec ſolùm in aquis Chriſtus myſticus tanquam piſcis verſatus eſt, eas velut quoddam mare abundanter effudit. Ille enim eſt, qui *Eccleſ.* 24. 40. inquit: *Ego ſapientia effudi flumina.* Et Ioan. 7. 38. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ipſe enim Spiritus ſanctus, qui aquæ viuæ fluuius eſt, à Chriſto oriri dicitur, non tantùm quia ab æterno à Diuino Verbo ſimul & ab eius Genitore procedit, verùm etiam, quia in tempore, ex Chriſti meritis Fidelibus communicatur. Vnde & *Apoc.* 22. 1. legitur: *Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ ſplendidum, tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni*, hoc eſt *Chriſti*, qui *tanquam agnus* pro nobis occiſus & immolatus, generoſus *veluti leo*, propriis viribus reſurrexit.

D. Ambroſ.

Chriſtus à Sibylla piſcis appellatus.
Opt. Mileu.
D. Auguſt.

Chriſtus aquas effundit Spiritus ſancti, & ſpirituales.

Chriſtus vt agnus occiſus, vt leo reſurrexit.

197. Ex quibus omnibus euidenter colligitur, meritò ad renouationis Sacramentum aquam à Domino electam fuiſſe, vt ſcilicet mirabilia quæ in hoc elemento, Scripturâ narrante, patrata ſunt, Sacramento Baptiſmatis, quo in filios Dei peccatores homines regenerantur, conſummarentur. Vnde Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 3. *Nunquam*, inquit, *ſine aqua Chriſtus, &c.* quæ vtpote notatu digna, legenda ſunt.

Tertull.

§. VI.

Forma Baptiſmatis verba expenduntur.

198. QVamvis autem ex tot tantiſque capitibus, ad ſordes mentium abluendas, totumque hominem renouandum, apta ſit aqua; inutilis tamen omnino erit, nullumque ſpiritualem præſtabit effectum, niſi verbis Baptiſmi formam ex Chriſti inſtitutione conſtantibus vniatur, ac roboretur. Cùm enim ſimile cum proportione de formis Sacramentorum, ac de formis phyſicis judicium ſit ferendum, quia in naturalibus materia, quæ ſe per modum potentiæ & ſubiecti habet, vt cauſet, debet formæ coniungi, à qua vt ab actu perficitur, & completur (ſicuti enim materia prima eſt primum ſubiectum, ac primum perfectibile; ita forma ſubſtantialis phyſica eſt primus actus corporis, primumque perficiens;) quæ per modum materiæ in Baptiſmo ponitur aqua, à forma quæ ex verbis à Chriſto deſignatis coaleſcit, actuari debet & compleri, vt integrum conſurgat Sacramentum, & homo lauacro aquæ mundetur ac renouetur. Quod docuit Sanctus Auguſtinus tract. 8. in Ioan. *Accedit* (inquit) *verbum ad elementum, & fit ſacramentum: vnde eſt iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?* Hæc Auguſtinus. Vbi docet S. D. verbum elemento aquæ vnitum, ipſum Sacramentum Baptiſmi operari, & animam abluere, non quia dicitur, hoc eſt, non quia pronuntiatur præciſè, non propter externum verborum ſonum, ſicuti carmina magica operantur: ſed quia creditur, ideſt propter verborum ſenſum & efficacem ac operatiuam ſignificationem, quæ oculis non cernitur, ſed fide ab Eccleſia & Fidelibus creditur. Quod docet S. Thomas, dum paſſim, & præſertim 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 6. inquit: *Chriſtus inſtituit Sacramentum Baptiſmi dari cum inuocatione Trinitatis.* Quæ quidem inuocatio confeſſionem, quâ expreſsè tres diuinas perſonas in vnica eſſentia Deitatis credimus, complectitur.

Aqua ſine verbis ſeu forma Baptiſmi inutilis.

Forma Baptiſmi cõplet materiam, & cum illa perficit Baptiſmum.
D. Auguſt.

Aqua corpus tangit, & cor abluit, faciẽte verbo, ſeu forma Sacramenti.

S. Thom.

Verba autem, quæ aquæ, ſeu ablutioni in Baptiſmate coniungi debent, & à baptizante pronuntiari, à Chriſto Domino *Matth. vlt.* 19. tradita ſunt: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnde hæc apud Latinos eſt forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi prima vox, nempe *Ego*, non eſt de eſſentia formæ, ſed ad maiorem expreſſionem intentionis ponitur. Si enim omitteretur, ſubintelligeretur in verbo *Baptizo.* A Græcis autem in forma Baptiſmi perſona miniſtri non exprimitur; dicunt enim: *Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, &c.* ad euitandum antiquorum errorem, qui Baptiſmi virtutem baptizantibus attribuebant, dicentes: *Ego ſum Pauli, Ego Cephæ, &c.* vt habetur 1. *Cor.* 1. 12. 199.

Chriſtus docuit verba, quæ debent in collatione Baptiſmi pronuntiari.

Forma à Græcis vſurpata differt à forma Latinorũ, non eſſentialiter.

Particula autem, *Te*, in forma Baptiſmi neceſſariò debet exprimi. Tum quia huius Sacramenti in vſu & applicatione materiæ ad ſubiectum conſiſtentis, natura id exigit. Tum quia diſtinctio inter baptizantem & baptizatum, velut inter generantem & genitum, in eadem forma debet exprimi. Sicuti enim nemo poteſt ſeipſum generare, ita neque baptizare; ideo ille qui baptizatur, diſtinctus à baptizante per particulam Te, debet pronuntiari. 200.

Particula, *Te*, in forma Baptiſmi debet neceſſariò exprimi, & quare.

Item illa vox, *in nomine*, eſt de ſubſtantia & neceſſitate formæ Baptiſmi. Cùm enim vnica ſit eſſentia & virtus trium æternæ Triados perſonarum, vnicum etiam eſt nomen, in quo, vel ſub quo homines regenerantur. Vnde ſi quis diceret, *in nominibus*, irritum redderet Sacramentum, & falſum omninò pronuntiaret, cùm ſit tantùm *vnicum nomen*, & vna poteſtas trium diuinarum perſonarum. 201.

Particula, *in nomine*, eſt de ſubſtantia formæ.

Debet inſuper in eadem forma cum eſſentiæ vnitate deſignata hac voce, *in nomine*, neceſſariò exprimi Trinitas perſonarum ſub propriis, eiſque notioribus nominibus, *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quare Baptiſmus nullus eſt, ſi in nomine Dei trini, vel Trinitatis, non expreſſis diſtinctè perſonis; vel in nomine vnius, aut duarum dumtaxat perſonarum; vel in vocibus appropriatis & non propriis, vt in nomine Omnipotentis, Sapientis, & Doni; vel in nominæ primæ, ſecundæ & tertiæ perſonæ conferatur. Cuius ratio eſt, quia formam Baptiſmi Chriſtus inſtituit ſub propriis & expreſſis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; & in nullius 202.

Trinitas perſonarum debet neceſſariò exprimi.

poteſtate

Digitized by Google

poteſtate eſt illam formam tranſmutare, aliiſque nominibus vti.

203. Baptiſmus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab vtroque, non eſt validus, & quare.

Hinc ſequitur, Baptiſmum collatum in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque, minimè validum cenſeri, quia vt docet S. Thomas 3. p. quæſt. 66. art. 5. ad 7. *Sicut aqua ſumitur ad Baptiſmum, quia eius vſus eſt communior ad abluendum: ita ad ſignificandum tres perſonas, in forma Baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communiùs conſueuerunt nominari perſona in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur Sacramentum.* Nomina autem quibus communiùs nominari conſueuerunt perſonæ diuinæ, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non autem genitor, genitus, & procedens ab vtroque. Maximè cùm idem S. D. *in 4. ad Annibaldum, diſt. 3. quæſt. vnica, art. 2. ad 4.* habeat: *Dicendum, quod genitor, cùm ſit nomen verbale, non ſignificat perſonam, vt hypoſtaſin ſubſiſtentem, ſed magis per modum actus: vnde ſi dicatur, in nomine Genitoris, & Geniti, non erit Baptiſmus.*

204. Si in nomine Chriſti tantùm daretur, non eſſet validus.

Inualidus etiam eſſet Baptiſmus, ſi tantùm in nomine Chriſti daretur. Tum quia Chriſtus inſtituit Baptiſmum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt expreſsè ſanctiſſima Trinitas cum reali diſtinctione perſonarum inuocetur, & credatur; & ideo expreſsè & formaliter tres diuinæ perſonæ ſenſibiliter & expreſsè debent in forma Baptiſmi pronuntiari. Vnde vt notat D. Thomas *loc. cit. art. 6.* in Baptiſmo Chriſti, vbi fuit origo ſanctificationis noſtri Baptiſmi, adfuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſcilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus ſanctus in columba. Quare Zacharias Papa *de conſecrat. diſt. 4. cap. In Synodo*, ait: *Si quis vnam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma verum eſſe non poſſet.* Et Pelagius Papa *ead. diſt. cap. Si reuera Gaudentio Epiſcopo*, ſic ſcribit: *Si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodò in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, ſine cuiuſcumque dubitationis ambiguo eos ad fidem Catholicam venientes, in ſancta Trinitatis nomine baptizabis.*

D. Thom.

In baptiſmo Chriſti tota Trinitas apparuit.

205. Tamen initio naſcentis Eccleſiæ fuit validus, & quare.

Neque obſtat, quod initio naſcentis Eccleſiæ in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, & mulieres, vt legitur *Act. 8. 12. & 16.* Et *cap. 2. 38.* Petrus dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti.* Et *cap. 10. 48.* Quia vt notat S. Thomas *loc. cit. art. 6. ad* 1. ex ſpeciali Chriſti reuelatione Apoſtoli tunc in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti, quod erat odioſum Iudæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus ſanctus dabatur in Baptiſmo. Quæ tamen ratio modò ceſſat: & ideo non in nomine Chriſti, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti debet nunc Baptiſmus conferri, vt in confeſſione, & inuocatione explicita Trinitatis homo regeneretur.

206. Quare baptiſmus in expreſſa inuocatione Trinitatis debet conferri.

Quod vtique conſentaneum omninò eſt. Cùm enim Baptiſmus antonomaſticè Fidei Sacramentum appelletur, conuenit vt præcipuum fidei obiectum, nempe diuinarum Trinitas perſonarum, diſtinctè exprimatur, & ab eo, cui hoc Sacramentum miniſtratur, expreſsè credatur, & lumine fidei cognoſcatur. Hæc autem expreſſa confeſſio Trinitatis dumtaxat fit in Sacramento Baptiſmatis; quia tota Trinitas regenerationem noſtram operatur. Vnde Fulgentius lib. de fide ad Donatum, cap. 9. *Baptizari* (inquit) *gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Saluator noſter edocuit, vt ſicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, ſic in nomine Trinitatis diuina adoptionis gratiâ frui mereremur.* Et tandem quia Trinitas perſonarum finis eſt vltimus, ac præcipuum noſtræ beatitudinis obiectum; ideo rectè explicitè proponitur in Sacramento, quod per ſe eſt initium iuſtificationis hominum, & illorum tendentiæ ad ſupernaturalem beatitudinem, in cuius aſſequutione, illa quæ in Baptiſmate adoptio inchoatur, feliciter conſummabitur.

Fulgent.

Sectio II.

De effectibus, ſeu fructibus diuinæ adoptionis.

207. Plures diuinæ adoptionis effectus.

VNicus non eſt, ſed multiplex diuinæ adoptionis effectus. Qui enim ad diuinam Adæ filios tranſtulit filiationem Dei amor, ſterilis cùm non ſit, ſed fœcundiſſimus, non vnum, ſed plura eis largitus eſt beneficia. Singula nunc recenſere non intendimus, ſed præcipua dumtaxat paucis illuſtrare conabimur.

208. Nouo nomine, nouis bonis diteſcit, & ad nouam jus habent hæreditatē.

Cùm igitur ex his quæ in humana contingunt adoptione, diuinam agnoſcamus; ſicut homines in adoptantis familiam tranſeuntes quodammodo renouantur, ita vt nouo inſigniantur nomine, nouis diteſcant bonis, & ad extraneam nouum jus habeant hæreditatem: ita qui diuinæ adoptionis beneficium in Baptiſmate conſequuntur, veteris hominis abiectâ turpitudine, & antiquæ ſeruitutis excuſſo jugo, *in Dei regnum & gloriam vocati*, vt dicitur 1. *Theſſalon.* 2. 12. omninò renouantur, ita vt in nouam tranſeuntes creaturam nouo nomine decorentur, nouis diuitiis affluant, nouæ expectatione hæreditatis conſolentur, & ad nouam ac immarceſſibilem coronam accipiendam totis viribus debeant inſudare.

209. In nouitate vitæ ambulantes, nouis actionibus adoptionem manifeſtent adoptati.

Planè hoc eſt, quod docuit gentium Magiſter, dum Sacramento Baptiſmatis, quo Spiritum adoptionis accipimus, & Chriſto conſepelimur, vt ſimul cum illo eius participes gloriæ reſurgamus, nos vitæ nouitatem incipere declarauit. *Conſepulti ſumus cum illo* (inquit Apoſtolus Rom. 6. 4.) *per Baptiſmum in morte, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Cùm enim operationes rerum naturæ commenſurentur, quia juxta Philoſophos, *operari ſequitur eſſe*; homo omninò per adoptionis gratiam in Baptiſmo renouatus, nouas habere debet actiones, nouam virtutum viam terere, & vt loquitur Paulus, Chriſto configuratus in nouitate vitæ ambulare. Suadent hoc nouum nomen, nouæ diuitiæ, nouum jus ad æternam hæreditatem, de quibus ſigillatim nunc agendum eſt.

§. I.

Nouum nomen homini adoptato diuina tribuit adoptio.

NOuum eſſe recipiens homo renatus vndâ Baptiſmatis, & diuinâ exornatus adoptione, etiam nouo nomine debet inſigniri. Verùm quodnam illud eſt, quod iſta regeneratione accipit eſſe? Diuinum planè. Gratia enim eſt ſanctificans, quæ ſimul omnem à baptizati anima expellit culpam, ac eius mentem inhabitat, renouat, & illuſtrat, eamque diuinæ præſtat conſortem naturæ. 210.

Nouum, & diuinum eſſe recipit à Deo adoptatus, & nouo nomine decoratur.

Nam vt docet D. Thomas 1. 2. *queſt.* 110. *art.* 3. gratia eſt *participatio diuinæ naturæ.* Cùm autem ex acceptione, ſeu participatione naturæ diuinæ dicamur regenerari in filios Dei, vt idem S. D. tradit ibidem, in nouos homines, vt ita dicam, deiformes, hoc eſt deitatem quodammodò participantes transferimur, ſtatimque nouo nouam dignitatem deſignante nomine decoramur à Domino, à quo in ſpiritu ſub aquis Baptiſmi renaſcimur, & in diuinæ participationem naturæ trahimur, nouoque hoc nomine vocari ſumus, ita vt de ſingulis vndâ ſacrâ debitè perfuſis illud quod *Iſai.* 62. 2. legitur, verificetur: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* At quale eſt illud, quod ex ore Dei nomen nouum accipimus? Illud vtique, quo filij Dei nominamur. Etenim ſicut notauit Apoſtolus *Rom.* 9. 26. qui fidei luminibus orbati, & tenebrarum infidelitatis caligine obuoluti, nec plebis Dei nomine digni erant, ſummâ ex Dei miſericordiâ fidei ſplendore colluſtrati, & fonte renati Baptiſmatis, etiam filij Dei ore diuino pronuntiantur, vt *ex cap.* 1. 10. Oſeæ probat Apoſtolus *loc. cit.* dum inquit: *Et erit in loco vbi dictum eſt eis, Non plebs mea vos. Ibi vocabuntur filij Dei viui.* Hoc autem inſigne ac magnificum filiorum Dei nomen ore diuino pronuntiatum, rem per illud ſignificatam, nempe diuinam conceſſit hominibus filiationem. Etenim ſi ab infimo Rege Nobilis vel Dux appellatus, ſtatim Nobilis vel Dux efficitur; nonne ab omnipotenti Deo, cuius verba efficaciſſima ſunt, filius Dei nominatus homo, verè & realiter filius Dei erit, ac gratiâ & naturæ diuinę participationem realiter in ſe recipiet? Planè hoc demiratus eſt Ioannes 1. *ep. cap.* 3. 1. dum ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.*

Filij Dei nominamur.

Et hoc eſt nomen nouũ quo adoptati decorantur.

211\. Verùm in hoc filiorum Dei nomine hominibus in Baptiſmi Sacramento cum gratiæ infuſione diuinæ conceſſo alia nomina inuoluuntur, quibus ſumma filiorum Dei adoptiuorum dignitas explicatur.

Multa alia in illo latent nomina.

Primum, quod ibi latet nomen, illud eſt, quo in Chriſto renatus, *noua creatura* appellatur. Vnde Apoſtolus ad Gal. 6. 15. *In Chriſto Ieſu* (inquit) *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura*; hoc eſt, neque Iudæus, neque Gentilis, ſed homo renatus fonte Baptiſmatis, qui ad diuinam filiationem ex naturæ diuinæ participatione per gratiam ſanctificantem ſublimatus, omninò renouatus cenſetur; & ideò *noua creatura* nominatur: nam vt notauit D. Thomas *ibid. lect.* 4. eſſe naturæ, in quo creati, & producti ſumus per Adam, vetuſtum jam erat, inueteratum, immò & peccato corruptum: & ideò Dominus producens nos, & conſtituens in eſſe gratiæ, fecit quandam nouam creaturam. Cùm enim gratia habitualis, & juſtificans in ſubſtantia animæ recipiatur, dum per illam in filios Dei regeneramur; generatio enim priùs terminatur ad eſſentiam, quàm ad potentias, ideò renouari omninò dicitur baptizatus. Sed *noua creatura* vocatur, quia ſicuti illud quod fit ex nihilo in naturalibus, creari dicitur; ita quia ex nullis præcedentibus meritis, ſed ex infinita Dei miſericordia homo ad fidem Chriſti vocatur in Baptiſmate, & gratiam recipit, ideo *noua creatura* appellatur. Vt enim docet Angelicus Doctor 1. 2. qu. 110. art. 2. ad 3. *Gratia dicitur creari ex eo quod homines ſecundùm ipſam creantur, id eſt in nouo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt non ex meritis, ſecundùm illud ad Eph. 2. 10. Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.*

Primum eſt, Noua creatura.

D. Thom.

Gratia habitualis in ſubſtantia animæ recipitur, & nouũ eſſe tribuit.

D. Thom.

212\. Quamvis autem tota Trinitas creationem hanc, ſeu gratiæ infuſionem in cordibus baptizatorum operetur, ſpecialiter tamen Chriſto Domino attribuitur, vt patet ex verbis Apoſtoli jam allatis. Tum quia in Chriſto dilecto Dei Filio *habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum*, vt dicitur *Eph.* 1. 7. Tum etiam, quia per Filium Dei verum & naturalem efficimur filij adoptiui: non enim gratiam adoptionis habemus, niſi Filio naturali conformemur. Vnde & Apoſtolus Rom. 8. 29. *Quos præſciuit* (inquit) *conformes fieri imaginis filij ſui.*

A tota Trinitate, & à Chriſto nouum eſſe gratiæ creatur.

Adoptiui Filio Dei naturali conformantur.

213\. Secundum quo adoptiui Dei filij decorantur nomen, à fide trahitur; *fideles* enim appellantur. Ita ab Apoſtolo *Eph.* 1. 1. & *Coloſſ.* 1. 1. renati in Chriſto *fideles* vocantur; hæcque ab actu credendi in Deum deriuata nomenclatura duobus velut epithetis exornatur, quorum vnum à ſanctitate, quæ regeneratis competit, trahitur; alterum verò à charitate, quæ omnes baptizatos ab eodem parente genitos, tanquam filios eiuſdem vteri copulat & connectit: nam ſicut fideles, ita & ſanctos ac fratres illos nominat. *Omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & Fidelibus in Chriſto Ieſu.* Epheſ. 1. 1. Et ad Coloſſ. 1. 2. *Sanctis*, inquit, *& fidelibus fratribus in Chriſto.* Adoptiui enim filij Dei, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, vt dicitur *Ioan.* 1. 13. non tantùm Deo per fidem debent vniri & adhærere, ac in eum credere, ſed etiam vitæ puritate ac ſanctimoniâ ſplendeſcere, vt optimi parentis effigiem omnibus exhibeant; ait enim: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Leuit. 11. 44. Vnde & Paulus *Eph.* 5. 1. ait: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Debent igitur non ſolùm doctrinâ, ſed etiam moribus & conuerſatione ſe ſanctos præbere baptizati, aliàs ſplendorem ſpiritualis regenerationis morum prauitate ac turpitudine obſcurarent, ſeque tanta dignitate indignos oſtenderent, ac ab ea lapſos declararent. Chriſtianiſmus enim, qui ab eis in Baptiſmate ſuſcipitur, nihil aliud eſt, quàm *publica profeſſio ſanctitatis.*

Secundum eſt, Fideles, & ſancti, ac fratres.

A fide quam in baptiſmo recipiunt, à charitate, & à concordia.

Chriſtianiſmus eſt publica profeſſio ſanctitatis.

214\. Sancti autem non eſſent Fideles, niſi charitatis vinculo ad inuicem colligati, & Dei filij, à quo geniti ſunt, & aliorum eadem gratiâ renatorum, quantumvis natione, complexione, ac officiis diſcrepantium, fratres agnoſcerentur. Nam vt optimè inquit Iſidorus, *qui à fraterna dilectione ſecernitur, à diuina participatione priuatur.* Sicuti ergo ex eiſdem geniti parentibus, quia eandem à progenitoribus ſuſceperunt naturam, fratres ſunt, ac fraternam amore mutuo arctiùs copulare debent coniunctionem: ita eodem renati fonte Baptiſmatis, eademque diuinæ participatione naturæ per gratiam ditati, fraternam quam inter ſe vnionem poſſident, ardenti tenentur charitate firmare. Sic enim verè fideles ſunt, dum fidem ſuam charitate perficiunt. Vt enim inquit S. Leo ſerm. 8. de Quadrageſima: *Charitas robur eſt fidei; fides fortitudo eſt charitatis.* Hinc eſt, quod vera, & perfecta Chriſtianorum fraternitas, quæ fide & charitate completur, ipſâ carnali fraternitate fortior videtur, ac præſtantior. Vnde & S. Maximus ſerm. 9. *Maior* (inquit) *eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis: ſanguinis enim fraternitas ſimilitudinem tantummodo corporis refert; Chriſti autem fraternitas vnanimitatem cordis, animæque demonſtrat,*

D. Iſidor.

Charitas fraternitatis firmat Chriſtianorum.

S. Leo.

S. Max.

Maior eſt fraternitas Chriſti, quã ſanguinis.

ſicut

Digitized by Google

ſicut ſcriptum eſt, Erat credentium cor vnum, & anima vna. Sed quia Chriſtianorum fraternitatem fusè ſuprà expoſuimus, de illa nunc ampliora non cumulamus.

215.
In nomine fidelis, ſancti & fratris nomen incluſū

Dum ergo diuinâ adoptione fulgentes, Fideles ſine addito nominantur, illo in nomine ſanctitas, quâ in ſe puri ſunt; & charitas, quâ ad inuicem fratres adunantur, omninò ſubintelliguntur. Veri enim fideles, ac perfecti minimè ſunt, niſi & gratiâ ſanctificante, & fraternâ polleant charitate. Nam vt notauit S. Thomas 3. *p. quaſt.* 49. *art.* 1. *ad* 5. fides per quam à peccato mundamur, non eſt fides informis, quæ poteſt eſſe etiam cum peccato; ſed eſt fides formata per charitatem, vt ſic paſſio Chriſti nobis applicetur, non ſolùm quantùm ad intellectum, ſed etiam quantùm ad effectum, ſeu voluntatem. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt gentium Doctor, dum *ad Gal.* 3. 26. ait: *Omnes filij Dei ſunt per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Cùm enim nullus ſit filius adoptiuus, niſi viuatur & adhæreat filio naturali, vt ſuprà jam tetigimus, fides per quam ei adhæremus, debet eſſe charitate formata, vt per illam verè Chriſto copulemur, & ipſe in nobis manſionem faciat, juxta illud Apoſtoli Eph. 3. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Sed quia non ſolùm intus in anima Chriſti præſentiâ ſanctificatur fidelis, ſed etiam exteriùs protegitur & roboratur; ideo ſubiunxit Apoſtolus, Fidelem Chriſto Domino, pretioſo veluti indumento, veſtiri. Ait enim ibidem 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Etenim ſicut ait Doctor Angelicus ibidem lect. 9. *Qui induitur aliquâ veſte, protegitur, & contegitur eâ, & apparet ſub colore veſtis, colore proprio occultato. Ita & qui induit Chriſtum, protegitur, & contegitur à Chriſto Ieſu contra impugnationes & aſtus, & in eo nihil aliud apparet, niſi quæ Chriſti ſunt.* Rom. 13. 14. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Et ſicut lignum accenſum induitur igne, & participat eius virtutem; ita & qui Chriſti virtutes accipit, induitur Chriſto.* Hæc D. Thom. quibus ſubdit, *Quod aliqui Chriſtum induunt exteriùs per bonam conuerſationem, & interiùs per ſpiritus renouationem, & ſecundùm vtrumque per ſanctitatis configurationem, vt tangitur in gloſſa.* Quæ omnia, vt conſtat, debent in filio Dei adoptiuo reperiri, vt verus & perfectus fidelis appelletur.

D. Thom.

Fides quâ à peccato mundamur, eſt formata charitate.

D. Thom.

Quomodo baptizatus Chriſtum induit.

216.
Tertium eſt nomen Chriſtiani.

Alterum, quo regeneratus decoratur, nomen, *Chriſtiani* titulus eſt: à Chriſto Domino, diuinæ adoptionis principio, exemplari, ac miniſtro, præclarum nomen hoc ſuſcipit. Cùm enim Redemptor amantiſſimus, *futuri ſeculi pater* ab Iſaia ſit prænuntiatus, *Iſai.* 9. 6. omnes qui in Eccleſia Baptiſmate renaſcuntur, & Spiritum recipiunt adoptionis, eius filij cenſentur; & tanti genitoris nomen ſibi vendicantes, à Chriſto cognominantur Chriſtiani. Ipſe enim eſt, qui aquæ homines regenerandi virtutem tribuit. Baptiſmum enim & ipſe Dominus ſuſcepit, vt & veterem Adam in aquis ſepeliret, & Iordanis aquas ſanctificaret; vt ſicut erat ſpiritus & caro, ita & his qui baptizandi erant, in ſpiritu & aqua ſanctificationis ſucceſſio traderetur, ſicut loquitur Gregor. Nazianz. *orat. in ſancta lumina.* Immò Dei Filius homo factus eſt, vt homines filij Dei euaderent: ita vt ſicut ipſe Spiritu ſancto cooperante ex Maria Virgine homo naſci voluit, etiam illius agente virtute, ac ſpiritu ſubueniente, ex vnda Baptiſmalis filij Dei homines orirentur. Quod eleganter expreſſit S. Leo ſerm. 5. de natiuit. *Factus eſt homo* (inquit) *noſtri generis, vt nos diuinæ naturæ poſſemus eſſe conſortes: originem quam ſumpſit in vtero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ, quod dedit matri; virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit vt regeneret vnda credentem.* Cùm ergo Chriſtus Dominus præcipuè ad homines regenerandos, ipſiſque adoptionis gratiam largiendam laborauerit, conuenientiſſimè eius nomine inſigniuntur baptizati, & ab illo *Chriſtiani* vocitantur.

Chriſtiani à Chriſto.

Greg. Naz.

S. Leo.

A Chriſto omnis virtus Baptiſmi: rectè ergo ab eo baptizati, Chriſtiani dicuntur.

217.
Regiam hoc nomen exprimit dignitatem.

Præſtantiſſimum ſanè nomen iſtud eſt, ipſumque in nobis regiam exprimit dignitatem; etenim nos electos, vnctos, immò & fulgenti gratiæ diademate redimitos declarat. Nemo quippe debitè Sacramentum ſuſcipit Baptiſmi, niſi ad hoc ſingulari Dei miſericordiâ eligatur, gratiæ chariſmate vngatur, & fidei charitatiſque diademate coronetur. Vnde D. Auguſt. ſerm. 215. *Non nobis ſufficit*, inquit, *quod nomen Chriſtianum accepimus, ſi opera chriſtiana non fecerimus, &c. Regium animum, regium caput, regiaque facta corona requirit. Corona nomen eſt Chriſtianum; regium ergo animum charitate plenum; regium caput fide, rerumque æternarum meditatione illuſtratum; regia, celſaque, non abiecta, ac vilia facta à Chriſtiano flagitat.* Ita Auguſtinus. At non regium tantùm, ſed triumphale nomen eſt Chriſtianum: vincit enim, ſemperque ſuperat, & à nullo hoſte debellatur. Si enim fides Chriſtianorum aëreas omnes, ſeculareſque poteſtates profligat, indeque non ſolùm victrix, ſed etiam ipſa victoria appellatur, 1. Ioan. 5. 4. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*: ipſum, quod hominem à Deo renatum deſignat nomen, victorias & triumphos non poterit non ſignificare, ac conſequenter nuſquam ſuperabitur, ſed ſemper vincet Chriſtianum nomen: *Omne enim, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum*, vt dicitur 1. *Ioan.* 5. 4. Hinc impius ille Iulianus Imperator, cùm à Chriſtiana Religione defeciſſet, Chriſtianum nomen triumphis ac victoriis ſplendens adeò formidauit, vt publico vetuerit edicto, ne ampliùs eo Chriſti cultores, ſed Galilæorum titulo vocarentur, ſicut optimè notauit Gregor. Nazianz. orat. 3. num. 73. *Ex quo* (inquit) *perſpicuè oſtendit, Chriſti appellationem perhonorificam eſſe, maximique ad gloriam momenti; quoniam eam nobis eripere cogitauit, niſi fortaſſe hoc eâ ratione fecit, quod huiuſce nominis vim & poteſtatem inſtar dæmonum reformidaret: ac proinde ad alterum nomen minùs notum & vulgare transferit.* Hæc Nazianzenus, quibus Iulianum Dæmonum cultui deditum, malignis illis ſpiritibus oſtendit ſimillimum, quia nomen Chriſtianum illi, ſicut & Dæmonibus, non leue erat terriculamentum.

D. Auguſt.

Immò & baptizatorū triumphos, & victorias.

Cur Iulianus apoſtata edicto vetuerit Fidelibus vti nomine Chriſtianorum.

Greg. Naz.

218.
Ex odio in nomen Chriſtiani, Gentilis vexabant Fideles.

Hinc odium, quo Gentiles ac ſeculi Principes Chriſti Domini aſſeclas inſequebantur, eoſque diris vexabant ſupplicijs, ex ingenti, quâ ſanctiſſimum nomen deteſtabantur, auerſione oriri teſtatur Tertullianus in Apologetico, dum inquit: *Solùm id expectatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis, non examinatio criminis. O ſententiam neceſſitate confuſam.* Quibus verbis maximam Chriſtianis ab iniquis Gentilium judicibus iniuriam factam oſtendit, dum morti addicebantur, non in pœnam alicuius criminis, à quo omninò expertes erant; ſed in odium dumtaxat Chriſtiani nominis, quo inſigniri gloriabantur, & ad quod innocuè ſeruandum nec

Tertull.

atrociſſima

atrociſſima tormenta metuebant. Immò dum ad ſupplicia raperentur, gaudebant, & in vehementiſſimis à tortorum crudelitate illatis doloribus exultabant, quia in hoc Chriſtiano nomine ſe dignos oſtendebant, & Chriſti paſſionibus configurabantur.

219. Ita planè egerunt diuini Duces noſtri ſanctiſſimi Apoſtoli, qui vt legitur Act. 5. 41. *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Quorum imitatores extiterunt quamplurimi clariſſimi Martyres, qui tanto in tormentis pro chriſtiana fide gaudio afficiebantur, vt ſumma cum exultatione magnis, eiſque crebrò repetitis vocibus ſe Chriſtianos eſſe confiterentur: inter quos vltimum locum non obtinet egregia ac fortis virili pectore fœmina Lugdunenſis, immò & totius Gallicanæ Eccleſiæ decus, Blandina, quæ cùm tempore Marci Aurelij, Antonini & Lucij Veri, vnà cum Photino Lugdunenſi Epiſcopo, aliiſque quamplurimis pro fide Chriſti iteratis ſuppliciis torqueretur, quoties rogata fuit, toties altâ voce in hæc verba dumtaxat prorupit: *Chriſtiana ſum, & nihil apud nos admittitur ſceleris*, vt refert Euſeb. Cæſar. *lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap.* 1. *&* 2. Vnde & hoc Chriſtiano, quo gloriabatur nomine, adeo in immanibus roborata eſt tormentis, vt cæteris fortior cæteris ſuperuixerit, eiſque quos verbo & exemplo ad martyrium incitabat, ipſa quoque victrix & martyr vitam pro Chriſto cum ſanguine fundens vltima meruit ſociari. Vnde & hoc in Romano Martyrologio ad diem 2. Iunij nobilitata eſt elogio: *In his* (nempe Eccleſiæ Lugdunenſis Martyribus) *ſancta Blandina ſexu infirmior, corpore imbecillior, conditione deiectior, diuturniora & acerbiora certamina ſubiens, & fortis adhuc permanens, gladio iugulata cæteros ſequuta eſt, quos hortabatur ad palmam.*

Fideles in tormentis ſe Chriſtianos gloriabantur ac confitebantur.

Blandina martyr Lugduni.

Euſeb. Cæſar.

Illius elogiũ in martyrologio.

220. Eodem animo, eademque conſtantiâ ac fortitudine mulier altera Iulitta nomine, Quiricij Martyris mater, Chriſtianum nomen confeſſa eſt: nam cùm ſub Diocletiano Imperatore Tarſi in Cilicia ante Alexandrum Præſidem eius juſſu neruis diriſſimè cæderetur, aliaque immania tormenta ſuſtineret, ſemper altâ voce clamauit, *Chriſtiana ſum*: in cuius præmium confeſſionis martyrij coronam capitis obtruncatione promeruit die 16. Iunij.

Iulitta mater Quiricij Martyris ſe Chriſtianam in ſuppliciis clamabat.

221. Verùm ſi roboris, quod in Chriſtiano nomine implicatur, origo quæratur, illam non difficile eſt oſtendere, ab ipſo omnipotenti Deo, à quo omnis fortitudo, & omnis hominum victoria deriuatur, promanare. Cùm enim à Chriſto Deo vero, de Deo vero, & homine ad Deitatem in Mariæ vtero ſublimato Chriſtianum, quo decoramur, nomen deſcendat; nam à Chriſto Chriſtiani dicimur: cúmque Chriſti Domini nomen omnipotentiam contineat, juxta illud Exod. 15. 3. *Dominus, quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius*; illam quodammodò participat Chriſtianorum nomen. Nec in vacuo nomine hanc potentiam concludi exiſtimes, ſed in re ipſa, hoc eſt in eo quod hoc nomine ſignificatur; nomina enim pro rebus ſupponunt, vt tritum eſt apud Theologos. Quare Chriſtianum nomen potens eſſe, ac vincere, idem eſt ac virum Chriſti fide illuſtratum, eius gratiâ exornatum, ipſique ardenti charitate coniunctum, ex hac cum Dei Filio multa poſſe, ac ad militandum, vincendum ac triumphandum aptum eſſe. Sic enim ſe omnipotentem dixit Apoſtolus Phil. 4. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quapropter in ſe credentium fortitudinem ac victoriam nomini ſuo, quo exornantur, attribuit Dominus, *Marc.* 16. 18. *&* 19. dum inquit: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Vbi victoria dæmonum, errorum, tormentorum ac corporalium infirmitatum Chriſti Domini nomen, à quo Chriſtiani cognominantur, conſequitur. Vnde & ipſum, quo inſignimur nomen, non tantùm nobis ad militandum clypeus eſt, ſed & pretioſa ad triumphandum corona. Quod notauit Procopius in cap. 66. Iſai. *A Chriſto* (inquit) *Chriſtiani nominis appellatione, velut coronâ redimimur.* Nec tantùm dum in hac via peregrinamur à Domino, huiuſmodi diademate coronamur: illud etiam in patria cum Deo regnantes geſtabimus. Hinc Ioannes Apoc. cap. 14. 1. *vidit agnum ſtantem ſupra montem Sion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*: vt in eorum capitibus tanquam ſplendidiſſima corona præfulgeret. Verùm quia de nomine Chriſtiano jam à nobis actum eſt *lib. 3. elucid. 1. ſect. 3.* §. 3. *&* 4. ad illa videnda Lectorem remittimus.

Chriſtiani nominis fortitudo à fortitudine nominis Dei, & quomodo.

Chriſtiani nomen, corona eſt, quâ & in via, & in patria exornabimur.

Alia inſuper ſunt nomina, quibus adoptiui Dei filij decorantur; vocantur enim ab Apoſtolo Eph. 2. 19. *Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* Eccleſia enim, ad quam vocati ſunt, Ciuitas quædam ſancta eſt Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, cæterorumque Iuſtorum fide, ſpe, charitate, ac conſequenter ſanctimoniâ conſpicua ſub Rege regum Chriſto ſapientiſſimè illam moderante, cuius membra exiſtentes baptizati *ciues Sanctorum* à Paulo vocitantur. Inſuper *Domus Dei* dicitur Eccleſia ratione communicationis actuum priuatorum, ſicut dicitur ciuitas ratione communicationis actuum publicorum: in qua domo Deus ipſe paterfamilias exiſtit; & ideo qui in Eccleſia ſacro fonte renati ſunt, cùm familiæ, cuius Deus eſt rector, partes ſint, *Domeſtici Dei* appellantur. Clariſſimi ergo filij Dei adoptiui cenſendi ſunt, quia non aduenæ ſeu extranei vel peregrini, ſed nobiliſſimæ omnium Ciuitatis, nempe Dei, ciues ſunt. Glorientur alij ſe Romanæ Vrbis orbis Metropolis ciues eſſe: jactent alij Lutetiæ Pariſiorum, quæ Chriſtianiſſimorum Galliarum Principum Regia orbem in vrbe concludit, ſe eſſe incolas: nobis ciuitas Dei, de qua glorioſa ſcripta ſunt, & glorioſiora prædicata, patria eſt; illius ciues ſumus, & toti ſeculo per eam ſuperiores euaſimus: per eam etenim gratiæ diuinæ participes effecti, ad cœleſtem Ciuitatem aſpiramus. Etenim à Babylonis ciuitate, quam amor ſui vſque ad contemptum Dei ædificauit, ad Ieruſalem, quam amor Dei vſque ad contemptum ſui conſtruxit, vt loquitur D. Auguſtinus *lib.* 14. *de ciuit. Dei, cap.* 28. tranſmigrantes, ad cœleſtem patriam properamus. Quomodo enim ad cœleſtem Ieruſalem non tenderemus, qui domeſtici ſumus Dei, eius familiæ annumeramur, ipſumque parentem optimum, ac caput nobiliſſimum agnoſcimus & habemus. Hinc Chriſto arctiùs coniungi Chriſtianos ita liquet, vt ipſi in Chriſto, & Chriſtus in ipſis exiſtat, ac ex illis vnum conſurgat. Vnde S. Auguſt. ſerm. 61. de verbis Domini ſecundùm Ioannem: *Nos omnes*, inquit, *cum Capite noſtro Chriſto Chriſtus ſumus.* Et

222. Quartum nomen eſt, Ciues ſanctorum, & domeſtici Dei.

Eccleſia ciuitas ſancta & domus Dei dicitur.

Non aduenæ nec peregrini, ſed ciues nobiliſſimæ ciuitatis Dei ſunt Chriſtiani.

D. Auguſt.

Chriſtus in Chriſtianis, & Chriſtiani in Chriſto exiſtunt.

D. Auguſt.

Bernardus

D. Bernard. Bernardus *ſerm. 27. in Cant.* ait : *Vnus idemque Dominus & Sponſus in capite eſt, & Sponſa in corpore.*

§. II.

Nouis bonis diteſcit homo, per Baptiſmum diuina adoptione decoratus.

223. Non ſolùm nomine, ſed bonis Dei gaudent Chriſtiani.

INanis eſſet, ac vana diuina adoptio, ſi adoptatos ſolo filiorum Dei nomine exornaret : nec filij Dei exiſterent, qui ſolo nomine gauderent. Verùm quia non tantùm nominantur, ſed reipſa ſunt diuini parentis filij, vt expreſsè dicitur 1. *Ioan.* 3. 1. ideò nec ſolo titulo, ſed veris ac realibus bonis adimplentur.

224. Ad bona paterna ex adoptione jus habent apud homines adoptati, ſed nec illa poſſident niſi poſt mortem adoptantis ; hæres enim, qui & filius, parenti vtplurimùm ſuccedit, nec illo viuente bonorum eius extat poſſeſſor. Sicuti enim teſtatoris interueniente morte firmatur eius teſtamentum, & in manu hæredis confirmatur hæreditas : ita & adoptantis morte in adoptato confirmatur, immò & conſummatur adoptio, vt ſcilicet & nomine, & bonis fruatur adoptantis. Sed non ita in diuina contingit adoptione ; per ipſam etenim ſemel renatus adoptatus, quia naturam recipit adoptantis, dum gratiâ, quæ diuinæ eſt participatio naturæ, donatur ; ideò & nomen eius, & bona, ipſo viuente ac præſente, poteſt habere. Quamvis enim corporalia bona propter ſuam exiguitatem nequeant ſimul à pluribus poſſideri ; attamen ſpiritualia propter ſuam amplitudinem, quæ ex eorum immaterialitate ac dignitate procedit, ſimul poſſunt à pluribus haberi. Nam vt ait Seneca epiſt. 73. *Magna, & vera bona non ſic diuiduntur, vt exiguum in ſingulos cadat ; ad vnumquemque tota perueniunt.* Cùm ergo bona, quæ nobis ex diuina adoptione præparantur, non corporalia, ſed ſpiritualia ſint & diuina ; ideò illa ſtatim poſt adoptionem cum nomine adoptantis, etiam ipſo præſente poſſidemus. Quod docuit S. Thomas 3. *p. q.* 23. *art.* 1. *ad* 3. dum ait : *Hæreditatem corporalem nullus poteſt percipere, niſi ſuccedens decedenti ; hæreditatem autem ſpiritualem ſimul omnes ex integro accipiunt ſine detrimento patris ſemper viuentis.*

Humana adoptio bona confert adoptato poſt mortem adoptantis.

Diuina ea ſtatim confert baptizato.

Bona ſpiritualia ſimul à pluribus, tota poſſidentur. Senec.

D. Thom.

225. Bona illa noua ſunt, & pretioſa, & quare.

Noua ſunt, magnaque ac pretioſa quæ ex diuina adoptione recipimus bona. Noua vtique, quia ex nouo homine Chriſto vetuſtatem primi hominum parentis rejiciente, mundumque renouante gratis & miſericorditer ad nos deriuantur. Magna ſunt & pretioſa, quia ſpiritualia ac diuina hominem ad nouitatem ſpiritûs, immò & ad Deitatis participationem extollunt. Noua tandem, magna, ac pretioſa bona ſunt, quia omninò nobis indebita, quia ex intimo Saluatoris affectu, & ſi ita fari liceat, ex ipſis viſceribus Saluatoris ſummo amore, ſummoque labore collata ; quia & ipſum Redemptoris ſanguinem, immò & animam, omnemque eius humanitatem, ac deitatem conferunt adoptatis. Nec ſolùm magna ſunt & pretioſa, ſed etiam multa, vt non ſolùm ex proprio valore, ac pretio, ſed etiam ex eorum copia reputentur.

226. Adoptantis natura confertur adoptato diuinâ adoptione.

Primum quod adoptato confertur bonum, eſt ipſa adoptantis natura ; hæc enim per gratiam regenerationis, quâ juſtificamur ac renouamur, communicatur, ita vt baptizatus diuinæ conſors factus naturæ, filius Dei ſpirituali generatione naſcatur. Ille enim filius alicuius dicitur, qui ex vi ſuæ proceſſionis illius naturam habet ; eſt enim illi ſimilis in natura, quod ad rationem filij requiritur, vt docetur à Philoſophis & à Theologis cum D. Th. 1. *p. q.* 27. *art.* 2.

Si autem & ipſe Chriſtus Dominus cum Patre & Spiritu ſancto ad noſtram adoptionem concurrens conſideretur, eius bona nobis ex hac adoptione conferri patebit. Inter quæ illud quod præcipuum obtinet locum, ipſemet Chriſtus eſt, qui ſibi tanquam bonum proprium cùm ſit, juxta illud Auguſtini tract. 29. in Ioan. *Quid enim tam tuum, quam tu ?* nobis velut bonorum omnium ſcaturigo in adoptione donatur. Sicuti enim dum à Deo adoptamur, veterem hominem exuimus, & à veteris Adæ corruptione purgamur : ita & *nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate*, vt dicitur *ad Epheſios* 4. 24. induimus, eiuſque gratiâ ac ſpiritu replemur. Vnde & Apoſtolus hoc expreſſit dum *ad Gal.* 3. 27. inquit : *Omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* 227.

Ipſe Chriſtus, per quē adoptamur, datus adoptato.

At quomodo Chriſtum non induerent, qui ab ipſo procedunt, qui eius naturam quodammodo recipiunt, & qui ex eius ſubſtantia oriuntur ? Filius proprius ac verus naturaliter à Patre genitus, *aliquid patris* ab Ariſtotele dicitur, quia paternam generatione ſuâ ſuſcipit naturam : & quia in materno efformatur vtero ex ipſa matris ſubſtantia, à Iuriſperitis *pars viſcerum maternorum* appellatur. Cùm ergo non diſſimili modo à Chriſto Domino Chriſtiani omnes trahant originem, ex eius quippe ſanguine, diuino ac incorruptibili veluti ſemine geniti, ex eius viſceribus per lateris vulnus nati ſunt : ſicuti enim ex primo homine ſopito, ac in ecſtaſin rapto *tulit Deus coſtam, quam ædificauit in mulierem*, filiam eius ac ſponſam, vt legitur *Gen.* 2. 22. ita ex latere noui Adami Chriſti Domini obdormientis in cruce exiuit ſanguis & aqua, in quibus tota Chriſtianorum Eccleſia, filia eius ac ſponſa deſignata eſt. Nam vt loquitur D. Bernardus ſerm. 1. in Octaua Paſchæ : *Scimus quia verum eſt teſtimonium Ioannis, exiiſſe de latere Domini dormientis in cruce ſanguinem ſimul & aquam, quo videlicet nouo Adæ noua de latere ſuo proferretur pariter & redimeretur Eccleſia.* Vnde & ipſa, quibus generantur, & conſeruantur fideles, Sacramenta ab eodem lateris vulnere in aqua & ſanguine dimanarunt, quod expreſsè docet Gloſſa *in cap.* 5. *ep. ad Rom.* in illud, *Qui eſt forma futuri*, relata à D. Thoma 3. *p. quæſt.* 62. *art.* 5. *in arg. Sed contrà*, vbi habetur : *Ex latere Chriſti dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, per quæ ſaluata eſt Eccleſia.* Ex quibus omnibus manifeſtè colligitur, à Chriſto tanquam à patre genitos, immò & ab ipſo tanquam à matre natos Chriſtianos, illius naturam ſpiritualiter habere, & tanquam viſcerum eius partes, ipſum poſſidere, eius gratiâ illuſtrari, & ipſo velut theſauro inæſtimabili ditari ; ac conſequenter primum bonum, quod à Chriſto adoptati recipiunt, ipſummet eſſe Chriſtum, qui ita diligit eos, quos vnda regenerauit Baptiſmatis, vt non ſolùm pro ipſis morti ſe tradiderit, ſed ſemetipſum viuum eorum cordibus communicarit. Vnde & Apoſtolus inquirit ad Gal. 2. 20. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* 228.

Filius eſt aliquid patris.

Chriſtiani omnes è Chriſti vulneribus in aqua & ſanguine prodierunt.

D. Bernard.

Sacramenta ex vulnere lateris Chriſti exierunt. D. Thom.

Sanè non ſemel ſemetipſum Dominus tradidit hominibus, ſed iteratis muneribus immenſam largitatis ſuæ abundantiam, per ſemetipſum impertiuit. Etenim relictâ creatione, ac quæ eiuſdem beneficij continuatio quædam eſt, conſeruatione, ſe nobis præbuit incarnatione, doctrinâ datum 229.

Non ſemel Chriſtus ſemetipſum hominibus tradidit, ſed pluries.

confirmauit, Euchariſtiâ in pabulum deſtinauit, paſſione in victimam obtulit, & Sacramentis ac juſtificatione ea omnia veluti compilans, ingenti liberalitate donaoit, vt liberaliùs in patria ſe bonorum omnium mercedem clarâ viſione ac fruitione largiretur: quod videtur expreſſiſſe Sanctus Doctor in illo quem ad laudes feſti diei corporis Chriſti hymno canit Eccleſia:

In mortem à diſcipulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs in vita ferculo
Se tradidit diſcipulis.
Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

230. Cùm autem omnes illi incarnationis, vitæ ac mortis, quibus ſe hominibus Chriſtus tradidit, modi in Sacramento Baptiſmatis, quo renaſcimur, & in gratia ſanctificante, quâ juſtificamur, quodam modo adunentur, illum nobis in ſacra adoptione, ſummum veluti bonum effundi nemo non videt.

231. Quantæ ergo ſunt filiorum Dei adoptiuorum diuitiæ, qui in cordibus ſuis Chriſtum Dominum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientia Dei abſconditi*, feliciter recondunt. Sed quàm mirabiles ſunt iſtæ diuitiæ, quibus tantum theſaurum etiam in vaſis fictilibus habemus! Quid enim fictitium magis ac fragilius carne noſtrâ mortali, in qua etiã Dominum geſtamus, id atteſtante Apoſtolo 1. *Cor.* 6. 20. dum inquit: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Ditiſſimus planè fuit credentium ille omnium pater Abraham, & dum Eliezerum ſeruum ſuum fideliſſimum, filio ſuo Iſaac dignam vxorem quæſiturum in Meſopotamiam deſtinauit, ex omnibus quibus affluebat diuitiis, donauit illi: nam vt legitur Gen. 24. 10. *Abiit* (Eliezer) *ex omnibus bonis eius portãs ſecum*, ſeu vt in Hebræô eſt: *Omnia bona Domini ſui portans in manu ſua.* Verùm quomodo breui pugillo immenſas Abrahæ diuitias (nam *erat diues valde in poſſeſſione auri & argenti, & non poterat eum capere terra*, vt dicitur *Gen.* 13. 2. & 6.) poterat continere? Scribunt Hebraïcarum antiquitatum periti, fidelem famulum in ſchedula, in qua omnia bona Abrahæ debebant breuiter per catalogum exarari, hoc vnicum verbum, *Spes Meſſiæ*, deſcripſiſſe, vt ſcilicet oſtenderet, omnia bona quibus Abraham fruebatur, ſpem ac deſiderium eſſe venturi Saluatoris, ſine quo omnis copia, inopia; omnis affluentia, indigentia; omniſque vbertas, paupertas videretur. Illam ſpem filio ſuo tanquam ampliſſimum parabat patrimonium, nullamque putabat ſponſam aliquid ditius in ſponſo ſuo deſideraſſe. Si autem ſola ſpes Chriſti venturi maiorem omnibus diuitiis ſuis theſaurum Abrahæ conferebat, ita vt filio ſuo illam tanquam ditiſſimam donauerit ad futuras nuptias, & hæreditatem; quanta bona, quantaſque diuitias ab ipſo Chriſto, non venturo, non abſente, ſed per gratiam ſuam, fidem ac Sacramenta cordibus ſuis intimè præſente non excipient Chriſtiani? Omnia vtique ab ipſo, per ipſum, & cum ipſo ſpiritualia bona ſuſcipient. Sic enim Paulus docuit, renatos fonte Baptiſmatis, & Chriſtiana fide illuſtratos, omni per Chriſtum Dominum ſpirituali benedictione repleri. *Benedixit nos*, inquit Eph. 1. 3. *in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Et huius beneficij rationem ſtatim aſſignãt Apoſtolus *ibid.* 4. & 5. dum ait: *Sicut elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, &c.*

Chriſtiani ditiſſimi.

Abraham ditiſſimus ſpe Meſſiæ, & fide incarnationis Chriſti.

Ditiores Chriſtiani fide, charitate & gratiâ Chriſti nati, paſſi, ac rediuiui.

Benedictionem omnem igitur ſpiritualem per Chriſtum in adoptionem filiorum prædeſtinati recipimus, quia ille fons eſt omnis benedictionis, ſimul & ſubiectum. Fons eſt, quia ipſe omnis benedictionis diuinæ in homines effuſæ, ex diuino ſuo ſuppoſito, quo ante ſecula Deus regnat, principium eſt & origo. Subiectum eſt, quia & primus omnium in natura humana, quam ſibi hypoſtaticè copulauit, diuinam recepit benedictionem; & per illum omnes, qui à Deo benedicuntur, illâ donantur: de Chriſto enim intelligenda ſunt hæc Dei ad Abraham verba, Gen. 22. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Vnde Petrus poſtquam illa verba attuliſſet *Act.* 3. 26. ſubjungit: *Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis.* Et Paulus *ad Gal.* 3. 16. expreſsè declarat, ſemen Abrahæ promiſſum, Chriſtum Dominum fuiſſe; ait enim: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Vbi D. Thom. *lect.* 6. ait, quod *Chriſtus ſolus eſt, per quem, & in quo omnes poterunt benedici: nam ipſe ſolus & ſingularis eſt, qui non ſubiacet maledictioni culpæ, etſi maledictio pro nobis dignatus ſit fieri.* 232.

Chriſtus omnis benedictionis fons, & ſubiectum.

D. Thom.

Innumeræ ſunt, quæ filiis Dei adoptiuis per Chriſtum conferuntur benedictiones, quia per illum innumera recipiunt bona. Omnia longum eſſet recenſere. Aliis ergo omiſſis, præcipua obiter attingemus. Ipſa igitur Spiritus ſancti gratia, vnà cum ipſo Spiritu ſancto à Chriſto in renati animam effunditur. Quod declarauit Apoſtolus *ad Titum* 3. 5. dùm ait: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* (ideſt per Baptiſmum) *& renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè*, ideſt *ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum*, vt Gloſſa interlinearis exponit ibidem. Cùm enim hac regenerationis gratiâ homo Chriſto incorporetur, & membrum eius fiat; antiquæ peccatorum vetuſtati moritur per ipſam, quam conſequitur, delictorum omnium remiſſionem: nouitati gratiæ incipit viuere, vitâ diuinâ & ſupernaturali, virtutibus theologicis, & moralibus illam concomitantibus & exornantibus, etiam eius menti infuſis. Quod dum interiùs à gratia Spiritus ſancti præſtatur, exteriùs per ipſam aquæ ablutionem quodammodo ſignificatur. Aqua enim per ſuam ablutionem, emundationem culpæ; & per ſuum refrigerium, liberationem à pœna; & tandem per naturalem claritatem, ſplendorem gratiæ & virtutum ſignificat. 233.

Multæ à Chriſto in Chriſtianos manant benedictiones.

Spiritus ſanctus effuſus in cordibus noſtris ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum.

Hæc autem gratiæ, & virtutum effuſio in omnes Baptiſmum ſuſcipientes præſtatur, neque ipſis paruulis rationis vſu carentibus denegatur: iſtis enim, quamvis virtutum actus nondum conueniant, tamen illarum habitus actu communicantur. Vnde impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, ſed ex impedimento corporali: ſicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter ſomnum, vt docet S. Thomas *3. p. q. 69. art.* 6. Quare quando Auguſtinus *lib. de charitate* ais, quod *nemo ex aqua* 234.

Etiam in animabus paruulorum per baptiſmum fit hæc effuſio.

D. Auguſt.

&

Digitized by Google

Paruuli credunt per Eccleſiam, & recipiunt habitus virtutum, non actus.

& Spiritu ſancto renaſcitur, niſi volens : & tract. 72. in Ioan. quod *ex impio fiat iuſtus, in homine, ſed non ſine homine Chriſtus operatur*; intelligendus eſt de adultis, non verò de paruulis, in quibus, vt idem Auguſtinus loquitur, *Mater Eccleſia aliorum pedes accommodat, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt fateantur*. Et ita pueri credunt, non per actum proprium, ſed per fidem Eccleſiæ, quæ eis communicatur, & huius fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes.

235. Adulti autem in ſpirituali regeneratione non tantùm gratiam & habitus virtutum, ſed etiam actus ſuſcipiunt; actu enim credere, ac Deum diligere per fidem & charitatem dignoſcuntur. Cùm enim regenerati adoptione diuina Chriſto incorporentur, ab eo tanquam à capite ſpirituali vitam ſuſcipiunt, quæ ſenſu ſpirituali in cognitione veritatis conſiſtente, & motu ſpirituali, qui eſt per gratiæ inſtinctum, manifeſtatur. Quamobrem *Ioan.* 1. 14. dicitur : *Vidimus eum plenum gratia, & veritatis*. Et ibidem 17. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Sicque ipsâ ſpirituali regeneratione homines illuminantur à Chriſto circa cognitioně veritatis; & ideò illuminatio Baptiſmo attribuitur à Dionyſio *cap. 2. Eccl. Hier.* & ab eodem Saluatore fœcundantur Fideles fœcunditate bonorum operum per gratiæ infuſioně.

Adulti autě habitus virtutum, & actus recipiunt in Baptiſmo.

236. Cùm ergo vera hominum bona, veræque eorum diuitiæ ſint eorum ſanctimonia & virtutes, quibus eorum animæ verè diteſcunt, vt aliquando pronuntiauit Gregorius Magnus *hom. 15. in Euang.* dum ait : *Sola diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt* : immò & Ariſtoteles *lib. 1. Ethic. cap.* 8. vbi tria genera bonorum enumerat, alia ſcilicet externa, alia circa animam, & alia circa corpus : & primo loco virtutes, quæ verè & propriè bona ſunt, & circa animam has etiam propriiſſimè bona vocat, conſtituit; ſecundò inter bona externa bonum prolis & fœcunditatis; & tertio & infimo loco poſſeſſiones & facultates, ſeu diuitias collocauit : ipſeque Auguſtinus libro de ſpiritu & littera, cap. 1. *Virtutes propriè bona, & quaſi bona bonorum* appellet : hominem qui ſpirituali regeneratione à Chriſto vitam ſupernaturalem, gratiam ſanctificantem, virtutes omnes ac bonorum operum fœcunditatem recipit, nouis & veris, propriiſque diuitiis affluere, quis negabit?

Veræ Chriſtianorum diuitiæ virtutes & ſanctitas.
Greg. Mag.
Ariſtotel.
D. Auguſt.
Tria bonorū hominis genera.

237. Falſas, immò & fallaces, vt ipſe vocat *Matth.* 13. 22. regeneratis Chriſtus non tribuit diuitias, quin potiùs earum ipſis ſuadet contemptum, vt ſcilicet temporalibus ac perituris facultatibus conculcatis, ſpiritualibus & æternis repleantur. Non enim valet humanum cor terrenâ ſimul & cœleſti ditari ſubſtantiâ : iſtæ quippe ſibi inuicem aduerſantur; nimiſque anguſtus videtur humanus affectus, vt ſimul cœlo & terræ poſſit inhærere. Hinc Saluator optimus primam in via poſuit beatitudinem, ſeu primam ad illam aſſequendam diſpoſitionem, terrenarum contemptum diuitiarum, dum *Matth.* 5. 3. inquit : *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Nam vt ait Ambroſius libro 5. in Luc. cap. 6. *Ordine prima eſt, & parens quadam, generatioque virtutum, quia qui contempſerit ſecularia, ipſe merebitur ſempiterna, nec poteſt quiſpiam meritum regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi non habet facultatem*. Suis ergo iubet Saluator auri, argentique, & terrenarum rerum fallaces diuitias ſpernere, vt veras virtutum, quas ipſis contulit, diuitias valeant ſemper poſſidere, & faciliùs indeficientes opes, quæ illis in cœlis aſſeruantur, comparare.

Fallaces diuitiæ bona temporalia.
Prima beatitudo contemptus temporaliū.
D. Ambroſ.

Sic igitur bonis temporalibus ſpretis, & tranſituris calcatis diuitiis, adhuc diues vir remanet Chriſtianus, gratiâ & virtutibus exornatus, immò ipſius Dei, qui ſummum bonum eſt, præſentiâ magnoperè ditatus. Qui enim facultates terrenas congregant, & theſauros accumulant temporales, ſi diuinâ gratiâ careant, etſi abundare videantur, pauperes reipsâ ſunt. Qui verò bonis egent temporalibus, & Dei gratiâ ac virtutibus decorantur, nullam prorſus patiuntur egeſtatem. Quod ſanè expreſſit *pſal.* 33. 11. Vates Regius, dicens : *Diuites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*. Qui enim Deum habent, etſi ſummâ laborare penuriâ videantur, diuites ſunt, & omnia in Deo poſſident : qui autem diuitiis affluunt, & Deum non habent, in ſumma ſunt egeſtate. Vnde Auguſt. ſerm. 205. *Quid habet* (inquit) *diues, qui Deum non habet? Quid non habet pauper, qui Deum habet*. Et *lib. 3. confeſſ. c.* 8. ait : *Omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt*. 238.

Summo bono ditatus Chriſtianus.
D. Auguſt.
Nihil habet qui Deum non habet. Totū habet qui Deum habet.

Alia præterea bona ſunt, quæ ex Dei præſentia, gratia, ac virtutibus adoptiuo Dei filio conceduntur : quæ quidem non intimè eorum ſubſtantiæ, ſeu animæ inhærent, ſed eis ab extrinſeco aduenire cernuntur; quæque etſi primâ fronte mala videantur; attamen quia bonum faciunt habentem, vel in bonitate cuſtodiunt, & Chriſtianum velut quoddam glutinum Chriſto coniungunt, verè & realiter bona ſunt. Tribulationes loquor, quæ cuilibet per Baptiſmum renato ac in Eccleſiæ ſtadio militanti, ingenti prouidentiâ ad eius exercitationem, perfectionem, ac triumphum ab ipſo Deo parente tribuuntur. Hæ namque Chriſti Domini in nobis effigiem complent. Cùm enim Saluator optimus ad duo præcipua veluti munera è cœlis ad terram miſſus ſit, nempe ad mirabilia patranda opera, & ad dira tormenta toleranda; venit enim, vt loquitur Chryſoſtomus, *Magna agere, & magna pati*, noſtræque redemptionis admirandum opus agendo magna, & patiendo dira perfecit; ideò non ſolùm gratiâ & virtutibus ad bona præſtandum, & patrandum mira; ſed etiam tribulationes ad magna patiendum à Deo debet ſuſcipere Chriſtianus. Quamvis enim ab iniquis aliquando vexetur, vel etiam à Dæmone impugnetur, vel à ſeculo, vel etiam à propria carne aliquando quatiatur; ſemper tamen à Deo dicitur affligi, quia ab ipſo huiuſmodi vel impugnationes, vel tentationes ad proprium eius bonum permittuntur, & ordinantur. Quo pacto hominū patientiſſimus Beatus ille Iob, omnia quæ in bonorum temporaliū amiſſione, domus ſubuerſione, filiorum occiſione, ac vulnerum quæ in proprio patiebatur corpore, illatione ſuſtinuit, nulli alteri, quàm Dei manui voluit attribuere. Nam Iob 1. 21. inquit : *Dominus dedit, Dominus abſtulit*. Et c. 19. 21. *Manus Domini tetigit me*. 239.

Bona extrinſeca Chriſtiani.
Tribulationes.
D. Chryſoſt.
Chriſtus venit magna agere, & magna pati.
Hæc tribuūt Chriſtiano.

Pœnalitates ergo ac tribulationes, quas in Eccleſia vir ſuſtinet Chriſtianus, bona ac Dei dona ſunt, quibus ſpirituales illius diuitias vult augere, probare virtutem, & ad immortales gloriæ coronas victorias parare ac triumphos. Quod quidem maximâ prouidentiâ adimpletur. Cùm enim homo in Chriſto regeneratus eius membrum efficiatur, ipſi in quantum poteſt, debet eſſe conformis. Vnde ſicut Chriſtus plenus gratiâ & veritate, à principio ſuæ conceptionis multa in corpore paſſus eſt, & morte deguſtatâ ac ſubactâ, in 240.

Homo in Chriſto renatus debet ei in paſſione configurari.

vitam immortalem ac glorioſam reſurrexit : ita Chriſtianus Dei gratiâ ditatus, ac virtutibus exornatus, in corpore quod habet paſſibile, pro Chriſto, & ad eius imitationem multa pati debet, vt ſuperatis patientiâ omnibus, ad impaſſibilem vitam, & immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam valeat peruenire. Et hoc eſt, quod innuit Apoſtolus *Rom.* 8. 16. & 17. dum filiorum Dei adoptionem exponit, dicens: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei : ſi autem filij, & hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti ; ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Vbi ad diuinam hæreditatem actu conſequendam neceſſariam omninò apponit conditionem, nempe ſi *compatimur, vt & conglorificemur* : ſi cum Chriſto pugnemus & vincamus, vt ſimul cum illo triumphemus : ſi cum illo crucifigamur & moriamur, vt ſimul cum illo & ad vitam æternam reſurgamus, & ad cœlos cum illo regnaturi euolemus. Quapropter idem Apoſtolus *Gal.* 5. 24. ait : *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Ipſeque Redemptor amantiſſimus nemini ſuum permiſit conſortium, niſi poſt propriam denegationem crucem ſuam poſt ipſum geſtaret. *Qui vult* (inquit Matth. 16. 24.) *venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hoc eſt, meos labores, & ærumnas ſibi per pœnitentiam applicet, & illatas tribulationes ſummâ, veſtigia mea terendo, patientiâ ſuſtineat. Etenim capiti ſuo non diſſimilia debent eſſe membra, & voluptates ac delitiæ contrariæ omninò ſunt Chriſtianorum ſorti ; cùm Chriſtus *vir dolorum*, & in laboribus fuerit à iuuentute ſua, & crucem quam geſtauit humeris, & in qua vitam exhalauit, non vulgari dilectione adamauerit. Vnde ſicut ait Bernardus : *Non decet ſub capite ſpinoſo membrum delicatum fieri.*

Chriſtiani hæredes Dei & cohæredes Chriſti, & quomodo.

Chriſto capiti Chriſtiani eius membra conformari debent.

D. Bernard.

241. Hinc gentium Apoſtolus ſe Chriſto confixum cruci exclamat, *Gal.* 2. 19. & ibidem c. 6. 14. *Mihi abſit* (inquit) *gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Agnouit enim ærumnas, labores, anxietates, dolores, ac tribulationes à Chriſto in eius filios Chriſtianos, tanquam hæreditatis partem deriuari : etenim crux Chriſti patrimonium eſt Chriſtianorum. Cùm enim *vita christiana perpetua ſit pœnitentia*, vt loquitur Auguſtinus ; dum Chriſtus *Chriſtianis verè pœnitentibus crucem ſuam commendauit*, vt inquit Ambroſius, illam omnibus Chriſtianæ Religionis profeſſoribus veluti teſtamento donauit. Sicuti ergo cuiuſdam Monarchæ hæreditatem capientes, in illa gloriantur, & ex illa ſe Reges reputant homines : ita Regis regum Domini Ieſu crucem ampliſſimam veluti hæreditatem ſuſcipientes Chriſtiani, in illa debent gloriari, ſeque ex illa Principes, immò & Reges ſeculo nequam omninò ſuperiores exiſtimare. Sapienter igitur in cruce Domini dumtaxat non ſolùm gloriatur Paulus, ſed etiam per optimum Saluatorem in ea pendentem ſe mundo, & mundum ſibi prædicat crucifixum. Quod proſequitur Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli : *Poterat*, inquit, *Apoſtolus gloriari in ſapientia Chriſti, & verum diceret : poterat in maieſtate, poterat in poteſtate, & verum diceret : ſed dixit in cruce. Vbi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Chriſto crucifixo : vbi humilitas, ibi maieſtas : vbi infirmitas, ibi poteſtas : vbi mors, ibi vita. Si vis ad illum venire, noli iſta contemnere, noli erubeſcere. Ideo in fonte, tāquam in ſede pudoris, ſignum crucis accepiſtis.* Hæc Auguſtinus, vbi expendenda ſunt illa verba, *vbi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit.* Crux enim theſaurus eſt pretioſiſſimus, in quo ampliſſimæ diuitiæ reconduntur : etenim in illa, in humilitate maieſtas, in infirmitate poteſtas, & vita in morte deliteſcit : ſicque eam meritò Dominus filiis ſuis veluti ampliſſimam hæreditatem, & ditiſſimum patrimonium reliquit.

Crux patrimonium Chriſtianorum.

D. Auguſt.

Chriſtiani vita perpetua pœnitentia.

D. Auguſt.

In cruce gloriandum, & quare.

In fonte vt in ſede pudoris, ſignum crucis accepimus in Baptiſmo.

Quare multas diuitias, de quibus gloriaretur, Apoſtolum in cruce Chriſti reperiiſſe notauit Doctor Angelicus *in cap. 6. epiſt. ad Gal. lect.* 4. dum ait : Præcipuè in cruce Chriſti gloriatur Apoſtolus, quia in ipſa inueniuntur omnia, de quibus homines ſolent gloriari : nam gloriantur aliqui de magnorum, putà Regum aut Principum amicitia ; & hoc maximè Apoſtolus inuenit in cruce, quia ibidem oſtenditur euidens ſignum diuinæ amicitiæ. Rom. 5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, &c.* nihil enim ſic charitatem ſuam in nos oſtendit, ſicut mors Chriſti. Vnde Gregorius : *O ineſtimabilis dilectio charitatis! vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.* Item gloriantur aliqui de ſcientia : & hanc Apoſtolus excellentiorem inuenit in cruce. 1. Cor. 2. 2. *Non exiſtimaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum* : nam in cruce eſt perfectio totius legis, & tota ars benè viuendi. Item gloriantur aliqui de potentia ; & hanc Apoſtolus maximam habuit per crucem. 1. Corint. 1. 18. *Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt ; his autem qui ſalui ſiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt.* Item gloriantur aliqui de libertate adepta, & hanc Apoſtolus conſequutus eſt per crucem, Rom. 6. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt vltrà non ſeruiamus peccato.* Item aliqui gloriantur in aſſumptione ad aliquod magnum collegium, ſed per crucem Chriſti aſſumimur ad collegium cœleſte. Col. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.* Item quidam gloriantur in triumphali ſigno victoriæ : ſed crux triumphale ſignum eſt victoriæ Chriſti contra dæmones. Col. 2. *Exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos, &c.* Hæc S. Thomas ; quæ quia rectè noſtrum probant intentum, & immenſas in Chriſti cruce diuitias demonſtrant, tranſcribere licuit. 242.

D. Thom.

Multas in cruce diuitias inuenit Apoſtolus, nempe

Dei amicitiam.

Veram ſcientiam ſalutis.

Potentiam inuictam.

Perfectam libertatem.

Ius ad gloriam cœleſtem.

Et glorioſam victoriam.

Cùm ergo acerbitates, dolores, tribulationes, aliæque quibus Chriſtiani premuntur anxietates, cruces ſint, Chriſti Domini cruci copulatæ ; in illis, ſicut & in ipſa Redemptoris noſtri cruce Dei amicitiam, veram ſcientiam ſalutis, inuictam potentiam, perfectam libertatem, ad cœleſtem patriam jus, & tandem glorioſam de hoſtibus victoriam, fructus veluti ſuauiſſimos colligimus. Vnde & *Cant.* 7. 8. dicitur : *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* 243.

Verùm non ſolùm cruci Domini cruces quas in via patimur, copulantur : ipſi Domino crucifixo patientes & nos coniungimur, eius vulneribus adhæremus, vt ab ipſo mortis, dæmonum, mundique triumphatore vires ad omnia aduerſa æquanimiter toleranda, immò & ad pugnandum, vincendum, ac triumphandū accipiamus. Ille etenim eſt, qui vt loquitur Auguſtinus in pſalm. 54. *Domuit orbem, non ferro, ſed ligno* : & ſuos ſibi ſimiles conſtituens, illos patientiâ victores, ſimul & triumphatores conſtituit. 244.

Chriſtiani patientes, Chriſto coniuncti.

Planè

245. Planè hoc Melliſluus attingit Bernardus, dum omnes hoſtes, quibus appetitur, ſe gloriatur vincere in vulneribus Saluatoris, quem ſub nomine PETRÆ ſibi refugium proponit, ſerm. 61. in Cant. *Petra* (inquit) *refugium herinaceis*. Pſal. 103. *Et reverà vbi tuta firmaque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur, non cado; fundatus enim ſum ſupra firmam petram.* Et infrà inuictam martyrum Eccleſiæ fortitudinem à vulneribus Domini procedere demonſtrat; dum enim quæ pro nobis vulnera Chriſtus paſſus eſt, Martyr intuetur, quæ ipſi à tortoribus inferuntur, patienter ſuſtinet & animosè. *Vult enim* (Chriſtus) inquit Bernardus, *videri; vult benignus Dux deuoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, tota licèt lacero corpore; & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret. Nunc autem in Petra habitans, quid mirum ſi in modum Petræ duruerit?* Hæc ille, quibus eleganter patientem Chriſtianum Chriſto patienti coniunctum oſtendit, omnemque illius patientiam, conſtantiam, fortitudinem ac victoriam, à vulneribus patientis Chriſti deducit.

Omnes hoſtes in Chriſti vulneribus ſuperantur. D. Bernard.

Inuicta martyrum fortitudo à vulneribus Chriſti.

246. At æquum eſt à crucifixo Domino patientem, & vt ita dicam, crucifixum Chriſtianum ſumere vires, conſtantiam habere, immò & victoriam accipere. Nam à capite membra & vitam accipiunt & robur; & à Rege pro quo ſtrenuè pugnant, milites ſtipendia habent & arma. Chriſti membra Chriſtiani ſunt, ſeque ipſi coniungi dum patiuntur, oſtendunt. Illius etiam militiæ adſcripti ſunt, & pro tanto Rege in ſtadio decertant, dum aduerſantem diabolum, frementem mundum, & ſæuientes homines tolerando deuincunt. Ab illo igitur & vires ad prælium, & arma ad victoriam recipere debent. Sed quæ arma? Ignea vtique, & amoris flammis ſcintillantia diuini, quibus ignea nequiſſimi tela & retundere & frangere valeant. His armatus Protomartyr Stephanus, non ſolùm lapidum ſe prementium ſuſtinuit ictus, ſed etiam ſæuientes ſuperauit tortores, & tantâ donatus victoriâ triumphauit: vt enim loquitur S. Fulgentius ſerm. de S. Steph. *vt nominis ſui coronam mereretur accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbique vincebat.* Quomodo enim amore non vincerent Chriſtiani afflicti, qui ex immenſa Patris charitate, ob Chriſti Domini amorem, tanquam diuini amoris pignus ærumnas, labores & cruciatus recipiunt. *Hoc vobis donatum eſt à Patre pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini*, inquit Apoſtolus *Philip.* 1. 29. Vt enim notat ibidem S. Thomas lect. 3. *Non ſolùm fides donum Dei eſt, ſed etiam tribulationes, quæ pro munere donantur nobis.* Si enim fides magnum, & primum Dei donum eſt, tribulationes etiam magnum donum cenſentur, quia per illas curam Chriſti agût ſemper quaſi athletæ. Nam per fidem credimus, per tribulationes, quæ credimus propugnamus. Sicut ergo maius eſt eſſe atletam fidei, quàm fidelem; & magis eſt pro Chriſto ſanguinem fundere, & eius Eccleſiam defenſare, quàm Chriſti ſanguine ablui, & Eccleſiæ membrum tantùm eſſe: ita maius donum videtur pro Chriſto ferre dolores, & cruciatus ſuſtinere, quàm dumtaxat in illum credere. Cuius ratio mihi videtur, quia maiorem in tormentis pro Chriſto tolerandis, quàm in actu fidei charitatem Chriſtianus demonſtrat. Cùm autem *omnia opera noſtra operetur in nobis Dominus*, vt dicitur Iſai. 26. 12. *Ipſe enim dat velle & perficere pro bona voluntate*, vt loquitur Apoſtolus, *Philip.* 2. 13. maiorem habentes charitatis actum, dum aduerſa, tormenta, & mortem ipſam pro Chriſto patimur, maius donum tunc à Deo nos accipere, quàm dum præcisè in ipſum credimus, nemo non videt.

Chriſtiani vt membra à capite, vt milites à Rege, vt filij à parente vires accipiunt.

Arma recipiunt ignea, ſcilicet charitatem, quâ vicit Stephanus. S. Fulgent.

Cruciatus diuini amoris pignora.

D. Thom.

Tribulatio maius donũ, quàm fides.

Quia maiorẽ charitatem, patiendo, quàm credẽdo exhibemus.

247. Hinc Bernardus *vbi ſuprà*, Martyrem in ipſum Chriſtum, cuius amore patitur, ferri demonſtrat, dum ait: *Sed neque hoc mirum, ſi exul à corpore dolores non ſentiat corporis: neque hoc facit ſtupor, ſed amor; ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur: nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur.* Cùm enim *patientia opus perfectum habeat*, vt dicitur *Iacobi* 1. 4. etiam ipſa charitas, à qua ſuam cæteræ virtutes ſortiuntur perfectionem, à patientia completur & conſummatur. Vnde & Apoſtolus 1. *Cor.* 13. 4. charitatis encomia celebrans, primùm illam à patientia extollit. *Charitas* (inquit) *patiens eſt, benigna eſt, &c.* vt ſcilicet illam indiuiduam charitatis ſociam oſtenderet, & ab illa diuinum amorem opera ſua non ſolùm conſummare, ſed incipere, vt nuſquam ſit verus Dei amor, qui pro Deo aliquid non patiatur. Nam vt loquitur Cyprianus lib. de bono patient. *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi, tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus, ac virtutibus perſeuerat.* Omne enim, quod operatur charitas, quæ omnium bonorum operum principium eſt, à patientia eius procedit: nam eius actus enumerans Apoſtolus 1. *Cor.* 13. 7. ait: *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Vbi omnia ſufferre tanquam principium & fundamentum omnia credendi, ſperandi, &c. poſuit: quod notauit Oleaſter in c. 3. Gen. *Pulchre* (inquit) *rationem reddit, quia charitas omnia credat; & eſt, quia omnia ſperat: ſperat autem, quia omnia ſuffert.*

D. Bernard. Martyr exul eſt à corpore, non ſtupore, ſed amore.

Etiam charitas patientiâ conſummatur.

S. Cyprian.

Charitas ſine patientia deſolata.

Patientia initium & fundamentum actuum charitatis.

248. Quantum ergo Dei munus eſt pati pro Domino? Sanè theſaurus eſt, tribulatio, & diuini teſtis amoris. Gaudeat ergo Chriſtianus in anguſtiis, exultet in preſſuris, ac in tormentis tripudiet. Sic enim & patrimonium poſſidet Chriſti, & diuinum in ſe experitur amorem, & ad regna capeſſenda cœleſtia aptior efficitur. Agnouit hoc, immò & expertus eſt Gentium Magiſter, qui in tribulationibus gloriabatur, & catenas quibus pro Chriſto ligatus fuit, pluris quàm torquem aut diadema faciebat, ita vt ſe nomine Vincti Chriſti Ieſu inſigniret, *Eph.* 3. 1. vbi S. Ioan. Chryſoſt. *hom.* 8. inquit: *Vinctum eſſe propter Chriſtum, illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Magna dignitas hæc, & regno quovis ac conſulatu maior; qui diligit, & ardet Chriſtum, eligit potiùs vincula ferre propter Chriſtum, quàm cælos inhabitare, &c.* Et infrà: *Nihil hac catena beatius. Non ita beatum dico Paulum, quòd in paradiſum raptus, atque quòd vincula ſuſtinuit: potius mihi habetur malè affici pro Chriſto, quàm honorari à Chriſto.* Deinde Pauli vin-

Pati pro Domino non modicus eſt theſaurus.

D. Chryſoſt. Catenæ quibus pro Chriſto ligamur, fulgentiores Regũ coronis.

Petrus vinctus maior & illuſtrior Angelo vincula ſoluente.

culis Petri vincula connectens, ſubdit: *Sic Petrus vinctus fuit, & ab Angelo ſolutus. Hic ſi mihi quiſpiam dixiſſet: Elige vtrum velis, vis eſſe Angelus Petrum ſoluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique eſſe maluiſſem. Maius hoc vinculorum donum eſt, quam ſolem ſiſtere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus, eoſque expellere*, & cætera quæ ſtylo planè aureo proſequitur ſanctus Antiſtes. Quibus omnibus liquet, pœnas, ærumnas, calamitates, & cruces, quæ vitam Chriſtianam conſequuntur, diuitias eſſe ſpirituales, & bona ſummò ſtudio amplectenda ac ſectanda, quibus filios ſuus hac in valle miſeriæ ſummus ditat Pater miſericordiarum.

§. III.

Ad æternam filius Dei adoptiuus jus habet hæreditatem: ad quam aſſequendam totis debet viribus inſudare.

249\. Maxima Chriſtianorũ hæreditas eſt ipſe Deus.

MAxima, ampliſſima, immò & immenſa eſt, quam diuinâ adoptione donati expectant, hæreditas. Quid enim maius, quid amplius, quid immenſius Deo? Et Deus ipſe filiorũ adoptionis ſuorum hæreditas eſt, præmium ac corona. Hoc nos ipſe Deus edocuit, dum fideliſſimo famulo ſuo Abrahæ ſic loquutus eſt, Gen. 15. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Cùm enim non ſolùm omnium rerum principium, ſed etiam vltimus finis, etiam ſupernaturalis, Deus ſit; ipſe enim omnem in ſe perfectionem concludit, omnem continet bonitatem, cùm ipſe ſit ſummum bonum: cùmque filiorum Dei hæreditas in adeptione vltimi finis, cuius poſſeſſio omne complet deſiderium, omnemque ſatiat appetitum, conſiſtat; ideò neceſſariò Deus ipſe, *quo nihil melius, aut maius poteſt excogitari*, beatitudo obiectiua, & hæreditas illorum conſtituitur. Quod à D. Auguſtino *conc. 2. in pſalm.* 32. his verbis roboratur: *Deus ſit hæreditas noſtra, an fortè temerè dicimus faciendo vobis Deum poſſeſſionem, cùm ipſe ſit Deus, & Creator; non eſt iſta temeritas, affectus eſt deſiderij, & dulcedo ſpei. Dic ſecurus, ama ſecurus, ſpera ſecurus. Dominus pars hæreditatis meæ.*

D. Auguſt.

250\. Ad hanc ergo hæreditatem, hoc eſt ad ipſius Dei eius intuitiuâ viſione fruitionem jus habent Chriſtiani ex diuina, quâ Filij Dei facti ſunt, adoptione. Vnde Apoſtolus Rom. 8. 17. *Si Filij*, inquit, *& hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Quare ſicuti adoptio in via tantùm inchoatur in infuſione gratiæ juſtificantis, & ab omni peccato animam emundantis; & in patria completur in ipſa filiationis Dei perfecta participatione, quæ manifeſtâ Dei viſione completur: ita & diuina, quæ adoptatis præparatur hæreditas, inchoatiuè, & veluti in ſemine à Chriſtianis poſſidetur in gratia, quæ ſemen gloriæ à D. Thoma appellatur: in patria autem complетè & perfectè percipietur in manifeſta Dei viſione, ſeu gloria, quæ gratia conſummata ab eodem Angelico Doctore vocitatur: & tunc ex gloria animæ in corpus noſtrum immortalitas redundabit, vt etiam in corpore Dei adoptio cum ſuo ſplendore effulgeat. Vnde D. Thomas 3. p. quæſt. 49. art. 3. ad 3. *Sicut*, inquit, *Chriſtus primò quidem habuit gratiam in anima cum paſſibilitate corporis, & per paſſionem ad gloriam immortalitatis peruenit: ita & nos qui ſumus membra eius, per paſſionem ipſius liberamur quidem à reatu cuiuſlibet pœnæ; ita tamen, quod primò recipimus in anima ſpiritum adoptionis filiorum, quo aſcribimur ad hæreditatem gloriæ immortalis, adhuc corpus paſſibile, & mortale habentes; poſtmodum verò configurati paſſionibus & morti Chriſti, in gloriam immortalem perducimur, ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 8. Si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, &c.* Quia autem omne agens propter finem operatur, & nunquam requiem habere dicitur, niſi adepto fine, in cuius poſſeſſione omnia eius complentur deſideria; ideo & filij Dei adoptiui ſe ad æternam gloriam deſtinatos agnoſcentes, & tanquam ſuum vltimum finem conſiderantes, ardenti deſiderio ad illam anhelant, & in ea ſuæ adoptionis complementum vehementer cupiunt. Hinc Sanctorum oriuntur ſuſpiria, naſcuntur gemitus, quibus è carcere huius mundi eripi, & in cœleſtem paradiſi patriam transferri concupiſcunt. Hinc Regius Vates ex intimo cordis affectu ſuſpirans clamabat: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.* Pſal. 41. 2. & Apoſtolus Philip. 1. 23. *Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Adoptio diuina in via inchoatur, & in patria cõſummatur in viſione diuinæ eſſentiæ.

D. Thom.

Chriſtus exẽplar Chriſtianorum.

Cupiunt Chriſtiani adoptionis complementum.

Ea propter idem Apoſtolus poſtquam omnem creaturam ingemiſcere & parturire, expectando reuelationem filiorum Dei, hoc eſt conſummationem adoptionis hominum in gloriæ aſſequutione docuit; ſtatim etiam Apoſtolos, qui tanquam flores Eccleſiæ, ac primi ſanguinis Chriſti fructus primitias illius Spiritus receperunt, ad iſtam adoptionis perfectionem conſequendam adſpirare ſubdit, Rom. 8. 23. *Sed & nos ipſi* (inquit) *primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Hoc eſt, vt exponit S. Thomas *ibid. lect. 5.* completionem huius adoptionis, quæ inchoata eſt per gratiam juſtificantem animam, & conſummabitur per corporis glorificationem. Vnde ſubdit Paulus: *Redemptionem corporis noſtri*, vt ſcilicet ſicut ſpiritus noſter redemptus eſt à peccato per juſtificationem; ita & corpus noſtrum redimatur à corruptione & morte, ſecundùm illud Oſeæ 13. 14. *De morte redimam eos.* Totum autem hoc adoptionis filiorum Dei negotium ſignificatum eſt in Baptiſmo, & in transfiguratione Chriſti, in quibus paterna audita eſt vox, Chriſtum dilectum Dei Filium pronuntians. In Baptiſmo etenim Chriſti hominum Baptiſmum & juſtificationem, quâ inchoatam & imperfectam adoptionem ſuſcipiunt, naturalis Chriſti filiatio voce Patris promulgata declarauit: & claritas eius corporis cum fulgenti veſtimentorum candore, etiam paternâ voce intonante, & Chriſtum Filium amantiſſimum declarante, perfectam hominum adoptionem, quæ in gloriæ conſequutione, ac immortalitatis munere, quod corpori noſtro cum aliis dotibus glorioſis in fine ſeculi conferetur, non obſcurè ſignificauit, ſicut notauit idem S. D. 3. *p. q.* 45. *art.* 4. 251.

Apoſtoli ad perfectam adoptionem, nempe gloriam ſuſpirabant.

D. Thom.

Spiritus noſter redimitur à peccato per juſtificationẽ, corpus redimitur à corruptione & morte per glorificationem.

D. Thom.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, Chriſtianos homines ex diuina adoptione jus ad æternam immortalis gloriæ hæreditatem habere: qui enim ad aliquod regnum electus eſt, jus habet ad ipſum, illiuſque coronam ſibi debitam juſto titulo poteſt poſtulare. Ad diuinæ viſionis gloriam electi ſunt Chriſtiani, qui vt ait Apoſtolus Eph. 1. 5. *prædeſtinati ſunt in adoptionem filiorum.* Quæ perfectè in ipſa Dei viſione completur, ac conſequenter 252.

Ad æternam gloriam jus habent Chriſtiani.

ad

Digitized by Google

ad illam, tanquam ad propriam bæreditatem jus habere dicuntur. Adde quod ſicut effectus in cauſa quodammodò includitur; ita meſſis in ſemine, & fructus in arbore virtualiter continetur. Cùm ergo gratia ſit ſemen gloriæ, vt fatentur omnes Theologi cum D. Thoma, & innuit Apoſtolus Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna*; in illa, tanquam meſſis in ſemine, & fructus in arbore, gloria virtualiter continetur, ita vt bæc gratia viæ ad patriam translata in ea conſummetur, & perficiatur in ipſa clara & intuitiua viſione; optimè deducitur, bomines ex diuina adoprione renatos, gratiâ diuinâ juſtificatos, ac illâ ſplendido velmi veſtimento decoratos, ad gloriam juſto timlo aſpirare. Quod eleganter expreſſiſſe videtur dilectus Dei diſcipulus, 1. Ioan. 3. a. *Nunc*, inquit, *filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Vbi & nos filios Dei dicit, & tamen nondum Deo ſimiles (intellige de perfecta & completa ſimilitudine) aſſerit, ſed in ipſa clara Dei viſione nos illam recipere ſimilitudioem declarat.

In gratia gloria virtualiter includitur.

253. Cùm ergo nullus alicuius filius dici poſſit, niſi ei ſimilis dicatur, eo modo quo eius filius dicitur; nam ſimilare filiis conuenit ad patres ſuos, ita vt ex defectu ſimilitudinis defectus filiationis ab omnibus Philoſophis optimè colligatur; generatio enim quæ ad filiationem communicandam requiritur, eſt origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ; & Chriſtianus verè filius Dei dicatur etiam in via, debet illi eſſe ſimilis, & de facto ſimilis eſt ſimilitudine imperfectâ per gratiam habitualem, quæ diuinæ eſt participatio naturæ, & adoptiuam confert illi filiationem. Cúmque qui eſt imperfectè ſimilis, ad perfectam ſimilitudinem jus habeat, maximè cùm illa ad iſtam ſit via, & hæc illius ſit complementum; adoptiuus Dei filius, qui hac in peregrinatione inchoatam Dei participat ſimilitudinem, ad perfectam & conſummatam, quæ in patria per claram & intuitiuam Dei viſionem habebitur, jus babet, & ad illam non lento gradu debet properare. Quare Apoſtolus non ſolùm hanc conſummatam per gloriam Dei ſimilitudinem ſperabat, ſed & in hac ſpe glotiabatur, tanquam de jure, quo ipſum cœlorum regnum ſperare poterat. *Gloriamur* (inquit Rom. 5. a.) *in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

Filius debet eſſe ſimilis patri.

Vt filiatio adoptiua Dei in hominibus perficiatur, debet in illis perfecta Dei ſimilitudo per gloriam compleri.

254. Cæterùm quod ad gloriam tanquam ad hæreditatem jus habent filij adoptiui, maximam ab eis exigit diligentiam, aſſiduum laborem poſtulat, & aſſiduam crucis Domini participationem requirit, vt conformes imagini Filij Dei naturalis ad conſummatam filiationis adoptiuæ perfectionem valeant peruenire. Quod de adultis intelligi volumus, quibus gloria æterna non tantùm vt filiis hæreditas, ſed etiam vt victoribus corona parata eſt. Nam paruuli, & qui ante vſum rationis ſacro Baptiſmate renouati, ex hac mortali vita ad immortalem aſſumuntur, perfectam, & conſummatam in viſione beatifica, abſque labore, & abſque propriis meritis, ex Chriſti paſſione ac infinita miſericordia adoptionem, paternam veluti hæreditatem, dumtaxat conſequuntur. Debemus igitur totis viribus laborare, vt Chriſti paſſionibus configuremur, ſi gloriam quam ſuo nobis ſanguine comparauit, adipiſci velimus; nulla enim ad illam nobis via eſt, quàm illa, per quam ipſe prædeſtinatorum primus, Saluator optimus ambulauit. Vnde & Apoſtolus Rom. 8. 17. *Si filij* (inquit) *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Etenim miles ciuitatem non ingreditur, niſi ducis ſui veſtigia terendo; nec ſubditus regale palatium obtinet, niſi Regis ſui motibus conformetur; nec filius hæreditatem poſſidet titulo diuerſo ab eo, quo parens illam habuit. Quamobrem cùm filij adoptiui Chriſtum tanquam Ducem, Regem, ac parentem habeant & venerentur, æternam gloriæ coronam, niſi morti ac vitæ ipſius configurari, & cum eo cruciati, afflicti, tribulati, necnon & crucifixi, minimè obtinebunt.

Summâ diligentiâ ac labore ad diuinam currant hæreditatem Chriſtiani.

Quia adultis gloria ad modum coronæ confertur.

255. Hioc Paulus Apoſtolus aliquando pro Chriſti nomine lapidatus, nec tamen obrutus, aut enecatus, cum Barnaba Antiochiam veniens, ſimul cum illo Fideles docebat, *vt permanerent in fide, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, vt legitur *Act.* 14. 21. Nam vt loquitur S. Leo ſerm. 7. de Quadrag. *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſa beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Etenim non ſolùm contraria contrariis curantur, vt tritum eſt apud omnes; verùm etiam contraria contrariis comparantur. Nam per motum quies acquiritur, per bellum pax, per laborem otium, per temporalium amiſſionem æternorum adoptio, per ignominiam gloria, per cruciatus delectationes, & per amaritudines dulcedines obtinentur; & vt communi fertur adagio, *Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara.* Vnde vt notauit Tertullianus lib. de corona militis, cap. 14. *Chriſtus exemplar noſtrum, fauos poſt fella guſtauit; nec ab Angelis Rex gloriæ, niſi poſtquam a militibus Rex Iudæorum in paſſione, appellatus eſt.* Itaque cruces non fugiat qui cœlorum gloriam cupit; labores non recuſet, qui æternam exoptat requiem; à prælio non recedat, qui coronam ambit; amara non reſpuat, qui dulcia concupiſcit; & tandem Chriſti mortificationem in corpore ſuo jugiter ſtudeat circumferre, qui æternam & immortalem in cœlis ſperat habere vitam. *Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*, vt inquit Apoſtolus 2. *Tim.* 2. 5. Vnde in Prato ſpirituali à Ioanne Moſcho *cap.* 130. refertur, quod Abbas Athanaſius audiens choros laudantium Deum, ipſiſque coniungi cupiens, audiuit: *Nemo huc ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitatem ſeculi.* Ac ſi eiſdem verbis diceretur, aſſiduè pugnate, & crucem Chriſti ſeculi vanitatibus omninò contrariam ferte jugiter, vt cùm fueritis ſocij tribulationum & paſſionum eius, ſitis etiam conſolationum & gloriæ participes.

Per tribulationes in regnum Dei ingrediendū. S. Leo.

Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara. Tertull.

Chriſtus fauos poſt fella guſtauit.

Ioan. Moſch.

256. Verus etenim Chriſtiani nominis profeſſor, & diuinâ adoptione decoratus, ſeculi principi, & omnibus eius pompis in Baptiſmo ſolenni voce abrenuntiauit, & in Chriſti gregem cooptatus, ſtatim Chriſto ſe dedidit, ipſique omninò mancipatus eius crucem ferre, in eaque ſimul cum illo configi debet. Hoc egit Apoſtolus, qui ſemel Chriſti ſuſcepto famulatu, ita immobiliter optimo adhæſit Saluatori, vt ſimul cum eo ſe cruci affixum, & per eum mundum ſibi, & ſe mundo crucifixum glorietur. *Gal.* 2. 19. *&* 4. 14. Ita etiam agere tenentur omnes renati fonte Baptiſmatis, qui non ſolùm cum Chriſto in Baptiſmo mortui ſunt, & in nouam vitam ſimul cum illo ſurrexerunt, verùm etiam *& cum eo crucifixi, quod eſt ignominioſum genus mortis*, vt loquitur

In Baptiſmo Diabolo renunciamus, & Chriſto crucifixo cōiungimur, vt crucifixi viuamus.

Sanctus

S. Bernard.

Sanctus Bernardus *ſerm. 7. in Quadrag.* vt ſcilicet omnes pœnarum acerbitates, tormenta etiam atrociſſima, omniaque opprobria forti animo deuorent ac deuincant, futuram & æternam gloriam intuentes, exemplo illius, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*, vt dicitur *Hebr.* 12. 2. Cùm autem per Christum ſeculo crucifixus debeat eſſe Christianus, & ſibi ſeculum, à mundo penitus alienus eſſe debet, omneſque eius dulcedines ſpernere, calcare diuitias, ac delitias auerſari. Dicat ergo, vt notat Bernardus: *Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt*; putà delectatio carnis, honores, diuitiæ, vanæ hominum laudes. *Quæ verò mundus reputat crucem, illi affixus ſum, illi adhæreo, illa toto amplector affectu.*

D. Bernard. Omnia quæ mūdus amat, crux ſint Chriſtiano.

257. Itaque huius vitæ dolores & acerbitates æternam lætitiam cùm pariant & coronam, gaudentes Chriſtiani perpeſſi ſunt, immò & de tormentis ſibi collatis gratias egerunt, tanquam de clauibus regni cœleſtis, quibus regni cœlorum ſibi januam aperirent. Ita planè Laurentius longâ ac multiplici pœnâ cruciatus, & ardentium expoſitâ maſsâ carbonum lentâ flammâ combuſtus exclamauit: *Aſſatus gratias ago.* Verùm aliud in atrociſſimo tormento ſe recepiſſe fatetur, dum ſubdit: *Gratias ago tibi Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Etenim januas Domini, hoc eſt regni cœlorum, ingreſſus eſt Laurentius ſimul ac in craticula ad comburendum membra eius extenſa ſunt: flamma illa, quæ corpus vſſit, ſpiritui eius carcerem aperuit, & ſimul cœlum reſerauit empyreum, vt in illud anima Martyris lauro, palmaque tantæ victoriæ redimita triumphatrix intraret. Nec mirum, dum ignei cœli januam ignea flamma reſerauit: porta ignea non niſi claue igneâ potuit aperiri. Nec ſola Laurentij carnem exurens flamma hoc peregit; per illam alia quæ in corde ardebat Martyris magis accenſa eſt. Sicut enim loquitur S. Leo ſerm. in natal. S. Laurent. *Segnior fuit ignis qui foris vſſit, quam qui intus accendit.* Ipſaque ardens in Laurentij anima flamma charitatis, ad reſerandum cœlum clauis fuit aptior & validior. Interim lectorem non moueat, quod tormentis, & Laurentij tribuimus charitati: nec exiſtimet nos propterea Chriſti paſſioni quæ nobis januam aperuit cœlorum, vllo modo derogare. Immò & ſanguinem Domini hac in apertione cœlorum omnia poſſe intelligimus. Ipſe enim eſt, qui ſumma charitate à Chriſto in cruce effuſus, mortem occidit, peccatum deleuit, dæmones ſubegit, mundum vicit, diuinæ juſtitiæ ex toto rigore copioſiſſimè ſatisfecit, & cœleſtis regni januam omnibus patefecit. Ille clauis eſt Dauid, quæ aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit, vt dicitur *Apoc.* 3. 7. Ille eſt, in quo veſtimenta ſua lauerunt, & ea dealbauerunt Martyres. Ille eſt, qui in Martyribus vincit, & per quem Martyres ſuperant, & triumphant; ita vt ſanguis ille pretioſiſſimus ex Dei & hominis vulneribus effuſus, omnia poſſit ſine Martyribus, & nihil poſſint ſine ipſo Martyres, & omnia poſſint cum illo. Dum ergo & Laurentij tormenta, & eius charitatem dicimus regni cœlorum aperuiſſe januam, loquimur de pœnis & ſanguine Laurentij pœnis & ſanguini Domini copulatis; loquimur de charitate illius, quæ Dei donum eſt, & per quam Deus in homine eſt, & homo in Deo manere dicitur. Nam, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Loquimur denique de Laurentio in Chriſto, & cum Chriſto conſiderato. Ab ipſo enim omnem virtutem agendi habuit, omnemque merendi rationem, juxta illud Ioan. 15. 5. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Maximè cùm Chriſti & Eccleſiæ non ſolùm vnum ſit corpus myſticum & politicum, cuius Chriſtus eſt caput, & Fideles membra exiſtunt; ſed & vnicâ perſonâ computetur, vt notat D.Thom. 3. *p.q.* 15. *art.* 2. *ad* 1.

De tribulationibus ac tormentis, quæ cœli januam aperiunt, gratias egit S. Laurentius.

Porta cœli ignea claue igneâ tribulationis aperitur.

S. Leo.

Paſſiones Martyrum Chriſti paſſioni non derogant.

Sanguis Chriſti primùm januam cœli aperuit.

Eſt prima clauis regni cœlorum.

Omnia poteſt ſanguis Chriſti ſine Martyrum ſanguine: & nihil poteſt ſanguis Martyrum ſine ſanguine Chriſti.

258. Ob eandem rationem gaudebat etiam inclytus Martyr Tiburtius, dum nudatis plantis ſuper prunas ardentes incederet, tunc enim ex eius ore lætantis animi ad Fabianum Præfectum hæc vox erupit: *Videtur mihi quod ſuper roſeos flores ambulem in nomine Domini Ieſu Chriſti.* At non fallebatur miles intrepidus; roſas, non carbones premebat, ex quibus fulgentiſſimam ſibi coronam nectebat, quâ redimitus in cœlum triumphans aſcendit. Id etiam agnouit Magnus ille Baſilius Catholicæ Religionis propugnator acerrimus; Valentis enim Imperatoris Præfecto, ſibi mortem, ni Arrianis conſentiret, minitanti reſpondit audacter: *Vtinam mihi aliquid eſſet dignum muneris, quod offerrem huic, qui Baſilium citiùs de nodo follis huius abſolueret, vt ad Deum euolaret.* Nec minori fortitudine Euſebius Samoſatenus Epiſcopus miſſo à Conſtantio Imperatore dexteræ abſciſſionem minitanti, ni decretum contra Meletium Arrianum factum traderet, ambas manus porrexit, exclamans, *Decretum non dabo*, vt videre eſt *in hiſtor. Tripart. lib.* 11. *cap.* 9. *& lib.* 5. *cap.* 49.

Tiburtij ſuper prunas ardentes nudis plantis ambulantis egregia vox.

Et Baſilij nolentis cōſentire Arrianis.

259. Hos omnes in ſexu fragiliori aſſequuta eſt Virgo ſanctiſſima Catharina Senenſis, quæ duabus ex coronis ſibi à Chriſto oblatis, gemmis coruſcantem reſpuit, & ſpinis horridam ſibi elegit, ac ſtatim illam capiti ſuo ita infixit, vt acutiſſimos ad dies multos dolores ſenſerit. Sciebat enim prudens virgo, ſapienſque Chriſti Sponſa, ſpinis, tribulis, crucibus, aliiſque, quas hac in peregrinatione patimur, acerbitatibus ad immenſam Sponſi ſui gloriam nullo fine terminandam, ſecuriſſimam, facillimam, ac breuiſſimam viam ſterni; vnde Ioannes Abbas, ſicut in vitis Patrum refertur *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 12. dicebat: *Porta cœli eſt iniuriarum perpeſſio, & Patres noſtri per multas iniurias in eam gratulantes ingreſſi ſunt.* Quare S. Petrus Martyr, qui ardenti pro Chriſto deflagrabat amore, non ſolùm iniurias ferre, & opprobria pro eo pati voluit, ſed etiam illum enixè quotidianâ ſupplicatione rogabat, vt ipſi pro eius gloria mortem degustare concederetur: *Da mihi Domine*, aiebat Petrus, *mori pro te, qui mori voluiſti pro me.* Gratiam quam poſtulabat, accepit; & impij ſicarij mucrone confoſſus, ſanguine ſuo non ſolùm Prædicatorum Ordinem, quem profeſſus fuerat, ſed & vniuerſam Eccleſiam, cuius fidem propagabat, & propugnabat, purpurauit, & ad perfectam filiorum Dei adoptionem, hoc eſt, ad æternam Dei fruitionem Martyr in cœlos euolauit anno Domini 1252.

Et Euſebij Samoſateni Epiſcopi, nolentis reddere decretum contra Meletium Arrianum.

S. Catharina Senenſis coronam gemmis coruſcātem reſpuit, & ſpineam elegit.

S. Petrus Martyr petebat à Chriſto vt ipſi pro illo mori cōcederetur.

260. Cùm ergo ad ipſum cœlum Chriſtianos conducant pœnarum acerbitates, dolores, & cruces, quis ab huiuſmodi declinabit? A regno fugiet, & coronam recuſabit, qui pro Chriſto, & poſt Chriſtum eius crucem geſtare non vult. Etenim in ipſis anguſtiis non ſolùm nobis ineſt charitatis latitudo, ſed Dei, qui nobiſcum patitur, noſtramque præſtat, auget & coronat patientiam; ita vt

A cœlo declinat qui cruces fugit.

qui

qui nobiſcum eſt in tribulatione, gloriæ ſuæ primordia in noſtris cordibus ipſis tribulatinnibus effundat. Quod innuit Apoſtolus 2. *Cor.* 4. 17. dum ait: *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quia ſcilicet merita nobis cumulat, quibus æternam beatitudinem comparemus. Itaque & meritis fulgent, & Dei præſentiâ decorantur, & eius gloriam ſpei certitudine prægustare videntur, qui pro Chriſto anguſtiis & laboribus premuntur. At ampliora in tribulationibus conſequuntur, deiformes euadunt, & ad Deitatis videntur tranſire conſortium malorum, dolorum, ac tormentorum inuictâ paſſione. Quod notauit olim Tertullianus in Apologetico, *cap.* 12. vbi poſtquam Gentiles monuit, eâdem illos præſtare vt Chriſtianum plectant, & vt Deum aliquem fabricent, ſic concludit: *Si per hæc conſtat diuinitas aliqua, ergo cùm qui puniuntur, conſecrantur, & numina erunt dicenda ſupplicia.* Quod adeo verum eſt, vt fortiter ac patienter omnia aduerſa tolerantes non ampliùs homines, ſed Dij cenſeantur, cùm & ipſe Deus fortis ob ſummam patientiam in Scripturis appelletur, vt *pſalm.* 7. 12. Quare eum qui poſt Chriſtum eius crucem patienter geſtat, omneſque fortiter ſuſtinet huius vitæ moleſtias, quaſi Deum appellare, non eſt veritus Clemens Alexandrinus, dum ait: *Crucem Domini circumferens, eius ſequitur veſtigium, tanquam Deus.*

Gloria in tribulationibus.

Homines per tribulationes fiunt deiformes.

Tertull.

Clem. Alex.

261. Hinc intelligetur facilè verbum, quod admodum difficile videtur in Euangelio Lucæ, *cap.* 23. 39. vbi ſic legitur: *Vnus autem de his qui pendebat latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temeipſum, & nos.* Verùm vbi blaſphemia in his verbis, quæ nihil contra Chriſti diuinitatem exprimunt? Non enim illâ indignum aliquid ei attribuunt, nec ab illa quod eâ dignum eſt, ac ei naturaliter conuenit, eripiunt. Quæ duæ rationes ad blaſphemiam requiruntur, juxta communem Theologorum conſenſum. Attamen verè Chriſtum blaſphemabat fur ille, qui verbis ſuis ab eo poſtulabat, vt ſumma quâ pollebat potentiâ, è cruce deſcenderet, & ſeipſum, ac ſocium à patibulo, & à morte liberaret. Cùm ergo crux Domini non ignominia, ſed maxima gloria illi fuerit, in eaque non infirmitatem, ſed ſummam potentiam, ac maieſtatem oſtenderit, qui illi ſuadebat latro, vt illam deſereret, gloriam eius furari contendebat, eius potentiam, ac maieſtatem nitebatur obſcurare, ac conſequenter ab illo eripiens, quod eo maximè dignum erat, & ipſi quod omninò erat indignum tribuens, blaſphemiam in eum dicebat. Itaque latro Chriſtum blaſphemabat, quia illum à cruce & paſſione retrahebat. Quo pacto & Hebræi Dominum blaſphemaſſe dicuntur, *Matth.* 27. 39. 40. & *Marc.* 15. 29. prætereuntes enim *blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Si Filius Dei es, deſcende de cruce.* Etenim crux Domini gloriæ eius thronus fuit, diuinæque ſedes Maieſtatis, ex qua ſe omnibus cognoſcendum præbuit, & Filium Dei, & verum hominem, omniumque hominum Redemptorem manifeſtauit; vnde & ipſam crucem non tanquam patibulum, ſed tanquam ſolium ſuſpexit, ſeque in ea non humiliatum aut percuſſum, ſed exaltatum ac glorificatum pronuntiauit. Ioan. 3. 14. *Exaltari*, hoc eſt crucifigi, *oportet Filium hominis.* Et cap. 8. 27. *Cùm exaltaueritis*, idest crucifixeritis, *Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Quare Romanus ille Centurio, qui dum Chriſtus crucifigebatur, ac in cruce pendebat, ex aduerſo ſtabat, inuictam eius patientiam ac fortitudinem demiratus, eiuſque in morte mirabilem virtutem aduertens, ex eo quod clamans exſpiraſſet, Deum illum agnouit, & confeſſus eſt, dicens: *Verè Filius Dei erat iſte.* Matth. 27. 54. & Marc. 15. 39. Hinc etiam dum Ioannes *c.* 1. 14. de Chriſto dixit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*; crucem & paſſionem, quibus diuina eius maieſtas coruſcauit, intellexit, ſicut notauit Ioan. Chryſoſt. *hom.* 11. *in Ioan.* dum ait: *Flagella, ſpineam coronam, crucem & cætera ſuæ paſſionis opprobria ac tormenta, vocat gloriam vnigeniti à Patre Chriſti Domini.* Si ergo Chriſti Domini gloria in cruce reſplenduit, & per eam in gloriam ſuam, hoc eſt in cœlos ad Patris dexteram aſcendit; in ea gloriam ſuam debent Chriſtiani collocare, & per eam ad regnum cœlorum properare, vt Filio Dei naturali paſſionibus in via configurati, eius gloriæ in cœlis efficiantur conſortes, & diuinæ tunc recipiant adoptionis complementum in æternæ poſſeſſione hæreditatis, & beatitudinis. Sic diſcipulum Timotheum docebat Paulus, vt indefeſſo certamine, & crucis Domini jugi participatione vitam æternam compararet, 1. Tim. 6. 12. *Certa*, inquit, *bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam.* Monitis igitur obtemperantes apoſtolicis, immò & diuinis, crucem jugiter feramus, immò in cruce Chriſto configamur, nec vnquam vel à cruce, vel à Chriſto recedamus, vt aliquando eius gloriam poſſideamus. E cruce nuſquam receſſit Dominus, vt nos in illa ſemper perſeueremus. Vt ergo cum Bernardo *ſer.* 1. *in die Paſcha*, concludam: *Neminem audiamus, non carnem & ſanguinem, non ſpiritum quemlibet, deſcenſum à cruce ſuadentem: perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce.*

Latro ille qui Dominũ à cruce retrahebat, blaſphemabat.

Eodem modo blaſphemabant Iudæi circa crucem prætereuntes.

Centurio Chriſtum crucifixum, Deum agnouit.

D. Chryſoſt.

Crux à nobis jugiter ferenda, vt vitam æternã aſſequamur.

S. Bernard.

Sectio III.

Adoptio diuina in hominibus ſacrâ Euchariſtiâ fouetur, & roboratur.

Qui tribuit eſſe, etiam conſequentia ad eſſe largitur, vt in Philoſophia tritum eſt: idemque qui rei dat eſſe, eandem in eſſe nititur conſeruare. Hinc à parentibus accepto eſſe, filij alimenta recipiunt, ipſaque natura matrum poſtquam fœtus ſuos effuderunt, filioſque pepererunt, lacte ſtatim vbera replet, vt nutriant quos genuerunt, & illos, quibus generatione eſſe tradiderunt, lactando cuſtodiant. 262.

Filij à parentibus accepto eſſe, ad illud conſeruandum accipiunt alimenta.

Planè filios omnes adoptiuos *voluntariè genuit* Dominus *verbo veritatis*, vt dicitur *Iacobi* 1. 18. hoc eſt, verbis in Sacramento Baptiſmi prolatis, eiuſque formam conſtantibus, cunctiſque hoc mundo regeneratis nouum eſſe ſpirituale, ſupernaturale, immò & quodammodo diuinum conceſſit. Vt ergo tale in illis ſeruetur eſſe, foueatur & augeatur, diuinum illis præparauit alimentum in admirabili Euchariſtiæ Sacramento, quo diuinum lac corporis & ſanguinis Chriſti Fidelibus præbetur, vt eos in fide, charitate & gratia cuſtodiat & protegat. Vnde & S. Thomas in illo quem modò illuſtramus, textu Sacramentum hoc *verè panem filiorum* appellauit. Cùm enim quæ-

Baptiſmo eſſe ſupernaturale recipit Chriſtianus, quod Euchariſtiâ cõſeruatur.

Et cõuenientiſſimè.

dam debeat eſſe conformitas inter alimenta, quibus eſſe in illis qui ea ſuſcipiunt, fouetur & roboratur, & ipſum eſſe; vnde ab eiſdem, ex quibus nati ſunt pueri, meliùs lac ſugunt, quàm ab aliis diuerſæ ac diſſimilis complexionis nutricibus: ideo conuenientiſſimè Dominus Fideles, quos ex ſuis vulneribus cum aqua & ſanguine mortuus effudit in cruce, Euchariſtiâ, quæ corporis & ſanguinis ſui eſt Sacramentum, mortiſque ac paſſionis ſuæ memoriale, tanquam lacte ſuſtentat, & reficit. Vnde eadem Chriſti mors, quâ peccato in nobis deſtructo ſpiritualem vitam recipimus, Baptiſmo, & Euchariſtiâ, veluti generatione, ac nutritione communicatur nobis, & applicatur. Et ideo ſicut notauit S. Thomas *3. p. quæſt. 73. art. 3. ad 3.* vtrumque eſt Sacramentum mortis & paſſionis Chriſti: Baptiſmus quidem, prout homo regeneratur in Chriſto virtute paſſionis eius; Euchariſtia autem, prout homo perficitur in vnione ad Chriſtum paſſum. Vnde ſicut Baptiſmus dicitur *Sacramentum fidei*, quæ eſt fundamentum ſpiritualis vitæ; ita Euchariſtia dicitur *Sacramentum charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis*, vt dicitur *Col. 3. 14.*

S. Thom.

Baptiſmus Sacramentum fidei: Euchariſtia Sacramentũ charitatis.

263. Hæc autem vnio, quam mediante Euchariſtiâ regeneratus habet cum Chriſto, maxima videtur, quia valde intima eſt: etenim non ſolùm per charitatem Chriſtus nobis, & nos Chriſto nunc adhæremus, verùm etiam per realem coniunctionem alimenti cum alito. Chriſtus enim pro nobis paſſus, cibus noſter hoc in Sacramento efficitur, & verè à nobis manducatur, ita vt ex illo verè nutriri & ſuſtentari dicamur, non quidem per huius diuini cibi in noſtram ſubſtantiam conuerſionem, vt in vulgaribus accidit alimentis, quæ in ſubſtantiam tranſeunt aliti, vt communiter poſt Ariſtotelem docent Philoſophi: ſed per noſtram ſpiritualem in Chriſtum mutationem, juxta illud quod Auguſt. *lib. 7. Confeſſ. cap. 10.* refert, ſcilicet ſe audiuiſſe vocem Chriſti dicentis ſibi: *Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Ingens planè hoc Chriſti miſericordiæ munus eſt, & tantò maius, quantò frequentiùs nobis confertur. Quamvis enim ſemel Chriſtus mortuus ſit *juſtus pro iniuſtis*, vt dicitur *1. Petr. 3. 18.* attamen nos ſemel Baptiſmate renati non ſemel, ſed ſæpiſſimè eius corpore paſcimur, & eius ſanguine potamur, vt ſcilicet ſpecialem amoris Redemptoris noſtri rationem hoc in Sacramento ſentiamus, & ſæpiùs repetitis infinitæ charitatis deliciis, eiſque ſæpiùs deguſtaris, in eius amore ſemper creſcamus, nomenque filiorum ſemper cum re, hoc eſt cum ipſa gratia & charitate habeamus. Quod quidem Euchariſtiæ Sacramento in modum cibi, ſeu conuiuij à Domino inſtituto maximè conuenit: nam quia homo ſemel naſcitur, multoties autem cibatur; ſemel tantùm datur Baptiſmus, in quo homo commoritur Chriſto, & in nouam vitam regeneratur: multoties autem datur Euchariſtia, in qua Chriſtus pro nobis paſſus, tanquam paſchale conuiuium nobis exhibetur, ſicut docuit S. Thomas *3. p. q. 66. art. 9. ad 5.*

Vnio quã per Euchariſtiã Chriſtianus vnitur Chriſto, eſt intima.

D. Auguſt. In Chriſtum per Euchariſtiam transformamur.

Sæpe Euchariſtiâ ſatiamur, vt diuini amoris deliciis non ſemel deguſtatis, in Dei amore creſcamus.

D. Thom.

264. Adoptionem quam extraneis concesserunt, conſeruant homines eiuſdem, quâ vt propriæ ſuccedant hæreditati, illos elegerunt, conſtantiâ voluntatis, quæ ſi in eis mutaretur, omninò deficeret adoptio. Voluntatis ſuæ actum, quo homines adoptauit, non mutat, qui nuſquam mutatur Deus: ſed ne homines ipſi mutentur, & ab ipſa adoptione recedant, bonam illis tribuit voluntatem, vt ſemper ſibi adhæreant: & vt in illa faciliùs ac feliciùs ſtent, illos diuino corporis & ſanguinis Filij ſui paſcit alimento, vt Filio ſuo dilectiſſimo enutriti, in filios perdilectos conuertantur, & ſe diuinâ fulgentes adoptione demonſtrent. Vitam ex hoc non communem, ſed diuinam eis elargitur, vt non amplius hominum, ſed Dei Filij viuant, exiſtant, & operentur; viuere enim in viuentibus eſt eſſe, vt loquitur Philoſophus. Cùm ergo vitâ diuinâ viuant ſacrâ refecti Euchariſtiâ, diuinum habent eſſe, vereque Dei filij adoptiui exiſtunt, & mirabili hoc Sacramento in hac adoptione ſeruantur. Quapropter *ſpiritualem inſitionem* vocauit Euchariſtiam Dionyſius Areopagita *lib. de Eccl. Hierarch. cap. 3.* Sicut enim agreſtem naturam relinquit arbor, cui nouus nobiliſque ſurculus inſeritur, ita vt non amplius in flores, frondes, fructuſque ſylueſtres, ſed in flores, frondes ac fructus nobiliores ac mitiores illius ſurculi propagentur; nam vt inquit Virgilius,

Conſtanti volũtate qui nos adoptauit Deus, vt nos in eius amore firmiores ſimus, & ne à gratia adoptionis recedamus, gratiæ copiam nobis per Euchariſtiã elargitur.

D. Dionyſ. Euchariſtia eſt ſpiritualis inſitio, & quare.

Miraturque nouas frondes, & non ſua poma.

Ita Chriſtianus corpore Domini veluti nobiliſſimo donatus ſurculo, & ſpirituali hac inſitione nobilitatus, in nouas, nobiliores, ac veluti diuinas erumpit actiones, ſeque non viuere, ſed Chriſtum in eo nouam vitam ducere nouis actibus proteſtatur, nam vt idem Dionyſius loquitur: *Si igitur ipſius ſacratiſſimæ inſeramur vitæ, veraciter conſortes Dei, diuinorumque participes efficiemur.*

Euchariſtia nos Dei conſortes efficit.

Humanam ergo diuina vincit adoptio, quæ non ſolùm erga filios quos elegit, optimam gerit voluntatem, ſed etiam illis naturalis & proprij Filij Dei corpus & ſanguinem tradit, immò & vitam eius ſanctiſſimam immenſâ bonitate concedit, vt Filij Dei corpore nutriti, & vitâ viuentes, veri filij Dei inueniantur. Quod quidem promiſerat Chriſtus *Ioan. 6. 58.* dum dicebat: *Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Quod exponens Auguſtinus lib. 8. de Trin. *Viuit* (inquit) *Verbum per Patrem; & quo modo per Patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus.* Cùm autem vita, quam Dei Filius habet à Patre, ſit ipſamet natura diuina, quam ex vi proceſſionis cum ipſo diuino intelligere nullatenus ab eadem natura diſtincto poſſidet; illud quod nos per carnem eius recipimus, eſt natura diuina, cuius participationem per gratiam & fidem obſcuro modo habemus in via, eiuſdem etiam conſortium per gloriam, & manifeſtam Dei viſionem in æterna beatitudine habituri; ita vt in via imperfectè, & tantùm inchoatiuè Dei vitâ viuamus, eandem vitam perfectè & completè in patria per intuitiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem in completione diuinæ adoptionis recepturi. Itaque diuina Euchariſtia nobis *panis vitæ & intellectus* exiſtit, quia gratiam diuinam in nobis augens, vitam confert diuinam, & ad Deum clare in patria intuitiuâ viſione intelligendum, optimè nos præparat, & diſponit. 265.

Vitam Filij ſui naturalis tribuit Deus adoptatis per Euchariſtiam.

D. Auguſt.

Dei naturam per gratiam obſcuro modo in via participamus, illã per manifeſtam viſionem in patria habituri.

Ex quibus euidenter ſequitur, ſacram Euchariſtiam *verè panem filiorum* exiſtere, veréque in eis adoptionis gratiam conſeruare. Etenim & eis ipſum Filium tribuit in cibum, & ad ſumendum ipſum, quo Filius Dei in Deo paſcitur, cibum, hanc eſcam manducantes diſponit. Verùm ne 266.

Euchariſtia panis filiorũ, in eis adoptionem cõſeruat.

mireris,

Quomodò filius Dei in Deo paſcatur.

Clem. Alex.

mireris, dum Filio in finn Patris aliquod accommodamus alimentum. Illud à Clemente Alexandrino accepimus, qui *lib. 5. Stromatum*, Verbum Dei & paſci & potari in Deo (metaphoricè tamen) apertè docet, dum ait: *Cibus & potus Diuini Verbi eſt cognitio diuinæ eſſentia.* Quod etiam quodammodò confirmari valet ex eo, quod in ſacris literis æterna hominum beatitudo, quam Dei Filius in deitate eis præparauit, & in carne ſua, paſſione & morte comparauit, nomine cœnæ & conuiuij ſæpiſſimè inſignitur.

Beatitudo nomine cœnæ & conuiuij inſignitur.

Vnde *Luc.* 22. 29. dilectis diſcipulis dicebat Chriſtus: *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Et pſal. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quem locum exponens Auguſtinus, Deitatem, quæ à Beatis intuitiuè videtur hominibus, in illis effectum cibi ſpiritualis operari docet, quia ſcilicet eorum mentem in ipſam Deitatem quodammodò conuertit, & præſtat diuinam.

D. Auguſt.

Cùm accepta (inquit Auguſtinus in pſal. 35.) *fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo mens humana, & fit diuina.* Quod etiam docuiſſe videtur Bernardus lib. medit. c. 4. dum inquit: *Præmium noſtrum eſt videre Deum, & viuere de Deo.*

D. Bernard.

Eodem cibo viuunt filius Dei naturalis & filius adoptiuus.

Eâdem igitur vitâ viuit Dei Filius naturalis, & filius adoptiuus, eodemque cibo vterque nutritur. Ille quidem ex vi ſuæ proceſſionis; hic ex vi ſuæ adoptionis. Ille inſuper in natura humana ex vi vnionis hypoſtaticæ, quâ in ſua incarnatione humanitatem Diuino Verbi ſuppoſito immobiliter copulauit: iſte ex gratiæ infuſione diuinæ, & ex reali carnis Chriſti manducatione, quâ & gratiâ formalis participatio Deitatis in via augetur, & in patria conſummatur.

Quod adumbratum fuit in manna.

265. Adumbratum ſanè fuit hoc in mirabili illo cibo veteri Hebræorum genti olim in deſerto conceſſo: nam poſtquam præcepit Dominus ſingulis, vt manna colligerent, menſuram gomor cuilibet aſſignauit. *Colligat* (inquit) *vnuſquiſque man quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* Exod. 16. 16. Deinde etiam jubente Domino, dixit Moyſes ad Aaron: *Sume vas vnum, & mitte ibi man quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino*, ibidem 33. Vbi animaduertendum eſt, eundem cibum in ſimili quantitate, nempe in eadem menſura gomor cuilibet Iudæo, & etiam ipſi Domino præparati, ſolúmque reperiri diſcrimen, quòd manna ad reponendum coram Domino in vaſe aureo aſſeruatum fuit, vtique vt ſignificaretur Chriſtianum hominem corporis & ſanguinis Domini Sacramentum mannâ figuratum manducantem, eundem cibum ſumere, quem ipſe Deus ſumit, cum hoc dumtaxat diſcrimine, quod Filius Dei in vaſe veluti aureo, in ſplendoribus Sanctorum, in decoribus Sanctuarij, & reuelatâ facie, ac manifeſtâ viſione naturam ſuſcipit Patris, & ipſius intelligere cum eadem natura identificatum, immò & ipſam naturam formaliter conſtituens: Chriſtianus autem eandem deitatem cum carne Chriſti obuolutam, veluti accidentibus panis, & fidei tenebris obumbratam in via recipit, & ex hac manducatione ad illam in vaſe aureo, hoc eſt in ſplendore maieſtatis, & reuelata facie intuitiuè videndam in patria diſponitur, & præparatur.

Quo paſcebatur Hebræus, & quod in vaſe aureo coram Deo reponebatur.

Quod Chriſtus Dominus expreſſiſſe videtur, dum ait Ioan. 6. 59. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortuì ſunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

R. P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

166. Tanto itaque cibo paſti, tantaque vitâ donati adoptiui Dei Filij, quæ bona, quaſve diuitias non poſſidebunt? Etenim cum Filio ſuo, quem illis Deus præſtat in cibum, omnia eis donauit, ſicque adoptinnem miro modo fouet, dum illam bonis ſuis cumulat & exornat. *In omnibus diuites facti eſtis in illo*, dicebat gentium Magiſter 1. *Cor.* 1. 5. quia in Chriſto, & per Chriſtum omnia bona ſpiritualia conceduntur. Ipſe enim author eſt gratiæ, quæ ab eo vt à cauſa procedit: & cùm caput ſit Eccleſiæ, ab ipſo ad omnia membra Eccleſiæ deriuatur, & extenditur. Vnde donatn nobis Chriſto Filio ſuo, Deus *cum illo omnia nobis donauit*, vt dicitur *Rom.* 8. 32. quia *per ipſum omnia cedunt in bonum noſtrum: ſuperiora quidem, ſcilicet diuina perſona, ad fruendum: rationales ſpiritus ad conuiuendum: omnia inferiora ad vtendum, non ſolùm proſpera, ſed etiam aduerſa.* 1. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti*, vt notat S. Thomas *in Ep. ad Rom. cap.* 8. *lect.* 6.

Omnia recipit filius adoptatus bona cum Chriſto in Euchariſtia.

S. Thom.

Superiora ad fruendum, rationales ſpiritus ad conuiuendũ, & inferiora ad vtendũ.

Verùm ſpecialiter omnia bona ſpiritualia ſacroſancta cum Euchariſtia Fidelibus hoc Sacramentum recipientibus concedit Chriſtus, quia vt loquitur Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. *In hoc myſterio diuitias ſui erga homines amoris velut effudit.*

Concil. Trid.

Cùm enim in optimo Saluatore ſint *omnes theſauri ſapientia & ſcientia Dei abſconditi*, vt dicitur *Coloſſ.* 2. 3. hæcque theſaurorum diuinorum abſconſio infiniti Dei amoris, quo Verbum caro factum eſt, mirabilis ſit effectus, huiuſmodi per ſacroſanctam Euchariſtiam in Dei filios adoptatos mirabiliter effunduntur. Quod ipſe confirmat Apoſtolus *ibid.* 10. dum inquit: *In ipſo*, Chriſto, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti*, ex eo quod Deus realiter, & ſecundùm ſubſtantiam in anima & carne Chriſti habitauit, quia vtrumque ad vnionem hypoſtaticam aſſumptum eſt: vnde quia nulla perſona creata, ſed ſolum Diuinum Verbi ſuppoſitum totam naturam humanam ſuſtentans fuit in Chriſto, plenitudo diuinitatis in eo exiſtere dicitur. Quia autem totum Chriſtum realiter in tremendo Euchariſtiæ myſterio recipimus, ideo illo replemur, hoc eſt eius præſeotiâ copioſam adeo gratiam accipimus, vt omnia bona ſpiritualia, quæ diuini amoris diuitiæ ſunt, poſſidere dicamur.

In Chriſto eſt omnis plenitudo diuinitatis.

267. Ditiſſimum omninm qui in terra erant Principum, ſapientiſſimum Salomonem ſacræ celebrant Paginæ, eumque ſuper omnes Reges magnificatum atteſtantur.

Magnificẽtia Salomonis.

Magnificatus eſt (inquit ſacer textus) *Salomon ſuper omnes Reges terræ præ diuitiis & gloriâ.* 2. Paral. 9. Quam magnificentiam exprimens Scriptura, adeo magnum fuiſſe hominum numerum aſſerit, qui cum eo eius aulam conſtantes morabantur, vt quamplurimi ad eos quotidie ſuſtentandos cibi deſiderarentur; nam 3. *Reg.* 4. 22. dicitur: *Erat autem cibus Salomonis per ſingulos dies triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium*; quæ quotidiana pro tanti Regis domo omninò ſtupenda eſt annona, cùm juxta Cornel. à Lapide *in cap.* 27. *Leuit.* corus contineret triginta modios.

Corus quid contineat.

modios. Verùm quæ ſunt ſapientiſſimi Regis diuitiæ, quæ illius gloria, Chriſti diuitiis & gloriæ comparatæ? *Ecce pluſquam Salomon hic*, inquit Chriſtus de ſeipſo loquens, *Matth.* 12. 42. Sicut enim cunctos orbis Principes diuitiis & gloriâ Salomon vicit, ita eiſdem Salomonem Chriſtus ſuperauit, magiſque ſuprà illum Rex verè Pacificus, immò & *Pax noſtra*, amantiſſimus Redemptor magnificatus eſt, quàm fuerit Salomon ſupra Reges terræ exaltatus. Etenim præter illam, quâ vniuerſas ſibi ſeruientes creaturas dominator optimus paſcens, demonſtrat quotidie magnificentiam, quam ſolâ manus apertione operatur, vt teſtatur Pſalmiſta pſal. 144. 28. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; quis liberalitatem, quâ innumeros, quos ſibi proprio ſanguine acquiſiuit Chriſtianos, & ex viſceribus, & lateris vulnere, veluti filios effudit, non corruptibilium carnibus animalium, ſed proprio corpore quotidie paſcit, ſufficit enarrate? Manducatum enim eius ſanctiſſimum in Euchariſtia corpus, nec laceratur, nec minuitur, nec finitur. Infinitos hactenus enutriuit homines, innumeros quotidie reficit, & omnes ad finem vſque ſeculi venturos Fideles ſuſtentabit, omnibuſque piâ mente, & puro corde diuinam eſcam manducantibus theſauros gratiarum infundit; & tamen ipſe qui manducatur Chriſtus, non ſolùm integer perſeuerat & viuus, ſed etiam ditiſſimus, omnique gratiarum, aliorumque bonorum ſpiritualium copiâ abundantiſſimus.

Chriſtus magnificentiâ Salomonem ſuperauit.

Infinitos homines ſuo corpore Chriſtus nutriu, & corpus eius nec laceratur, nec minuitur.

268. Quantas igitur diuitias à ditiſſimo Rege non recipiunt ipſum ditiſſimum Principem ſomentes in cibum? Sufficientiam poſſidentibus præſtare diuitias, & ideo Deum habere diuitias, quia habet omnimodam ſufficientiam, quam diuitiæ promittunt, docuit Sanctus Thomas 1. *p. quæſt*. 26. *art*. 4. Cùm ergo ſufficientiam adoptatis ſanctiſſima præbeat Euchariſtia, quia Deum & hominem in cibum illi tribuit, & mentem eius cœleſtis gratiæ vbertate impinguat, & ad gloriam æternam, cuius pignus exiſtit, diſponit; ideo clarum eſt, illos corpore Domini diteſcere, & per illam jam æternam quodammodo habere hæreditatem.

Diuitiæ præſtant ſufficientiam.

D. Thom.

Diuitias præbet Euchariſtia.

269. Inter alia, quibus apud Hebræos Deus inſignitur nomina, non vltimum locum obtinet illud quo dicitur, *Deus Sadai*, in quo tres inuoluntur non contemnendæ, ſed Dei maieſtatem explicantes ſignificationes. Nam *Deus Sadai* idem eſt ac *Deus omnipotens*, *Deus vberum*, *Deus qui ſufficit*. Planè non ſolùm homo, ſed Deus eſt Redemptor noſter, *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, vt dicitur *Philip*. 2. 6. Non potuit autem Deo æqualis eſſe, niſi Deus eſſet, ſed de Deo genitus, non factus, & Patri conſubſtantialis ac coæqualis. Verùm in mirabilis Sacramenti corporis & ſanguinis ſui inſtitutione diuinam ſuam prætendens magnificentiam ac maieſtatem, verè *Deus Sadai* apparuit. In hoc etenim myſterio *Deus omnipotens* viſus eſt, dum infinitâ quâ pollet virtute, ſubſtantiam panis in corporis ſui ſubſtantiam, & vinum in ſanguinem ſuum, intactis panis & vini accidentibus tranſmutauit. Vnde & Cyprianus in ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte* (inquit) *quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Etiam *Deus vberum* effulſit, qui illa adeo bonitatis lacte redundantia geſtauit, vt illa aureâ zonâ fulcirentur: vnde & Ioannes Apoc. 1. 13. *vidit illum præcinctum ad mammillas zonâ aureâ*. Etenim ſe in hoc myſterio veluti matrem geſſit, vbera ſua filiis ſuis præbens, non ſolùm vt lac ex eis ſugerent, ſed etiam vt eius ſanguinem biberent, & ſacrum eius corpus manducarent. Vnde & Clemens Alexandr. *lib*. 1. *pædag. cap*. 6. illum *mammillam Patris* appellat, & ſubdit: *Verè Beati, qui hanc lactant mammillam*. Et Chryſoſt. hom. 60. ad pop. *Nonne videtis*, inquit, *quantâ promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque velocitate ad hanc menſam, & vber ſpiritualis poculi: quinimò cum longè maiori trahamus, tanquam infantes lactanei, ſpiritûs gratiam.* Ipſeque Doctor Angelicus rem totam concludit, dum Opuſc. 58. *Fideles* (inquit) *ſugunt in corpore Chriſti dulcedinem Spiritus ſancti*. Denique hoc in Sacramento Chriſtus eſt *Deus qui ſufficit*, ſemel enim corpore ſuo in pabulum, & ſanguine in potum nobis conceſſo, omnia quæ habuit largitus eſt, & cuncta quæ deſiderare poſſumus, nobis donauit. Omne enim bonum in Chriſto colligitur, & cum eius carne verbo Dei, quod ſummum bonum eſt, hypoſtaticè coniuncta, humano cordi infunditur. Vnde D. Auguſt. *tract*. 84. *in Ioan*. de bonis à Deo nobis in Euchariſtia conceſſis, ait: *Dicere audeo, quod Deus cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.*

Deus Sadai, idest Deus omnipotens, Deus vberũ, Deus qui ſufficit.

Quæ omnia in Euchariſtia manifeſtantur.

S. Cyprian.

Multa vbera in Euchariſtia habet Chriſtus.

Clem. Alex.

D. Chryſoſt.

D. Thom.

Omnia bona per Euchariſtiam.

D. Auguſt.

Sufficit ergo nobis ſuauiſſima corporis Domi- 270.
ni eſca, quæ in bonis replet deſiderium noſtrum, & cor noſtrum ad Deum creatum, *& donec in Deo requieſcat inquietum*, vt loquitur Auguſtinus, perfectè ſatiat, dans in præſenti gratiam vberrimam, futuræ ac copioſæ gloriæ pignus, in cuius adeptione, quæ corpore & ſanguine Domini ſeruata eſt adoptio & roborata, conſummabitur & perficietur. Tunc enim verè hæreditatem quam expectamus, habebimus, & Regnum æternum, ad quod electi ſumus, pleniſſimè conſequemur veris diuitiis cumulati. Nam vt ait S. Auguſt. *Veræ diuitiæ ſunt immortalitas; ibi enim vera copia, vbi nulla eſt indigentia.* Ipſaque beatitudo, vt loquitur Boëtius, *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.*

ELVCIDATIO III.

De adoratione Euchariſtiæ.

SAcram Euchariſtiam *filiorum Dei panem* rectè 271.
à Diuo Thoma appellari, in præcedentibus jam vidimus: filiorum Dei dignitatem, eorumque adoptionem fuſo ſermone jam expoſuimus. Sed quia ab hominibus diuinâ filiatione nobilitatis, & corpore Domini enutritis, ipſum corpus Chriſti panis accidentibus obuolutum, ac in hoc Sacramento verè & realiter deliteſcens in ſummo pretio haberi debet, & ſummâ coli veneratione, propter eius non ſolùm cum Chriſti anima realem conſunctionem, ſed etiam propter hypoſtaticam cum Verbo Dei vnionem; ideo de huius Sacramenti veneratione & adoratione hîc tanquam in proprio loco tractamus. A filiis enim pater debet honorari, à ſubditis Rex debet coli, & è captiuitate eruti, in libertatem gloriæ filiorum Dei tranſlati, ac diuino cibo vegetari, amantiſſimum Redemptorem, Liberatorem & Paſtorem tenentur

Euchariſtia ſummâ debet veneratione coli, & adorari.

tenentur adorare, maximè cùm is qui Redemptor, Liberator & Paſtor eſt, etiam verus Deus exiſtat.

Sectio Prima.

Quid, & quotuplex ſit adoratio.

272. Quid ſit adoratio.

ADoratio nihil aliud eſt, quàm interna ex corde reuerentia, ſignis exterioribus exhibita Deo ad maximam eius excellentiam, & noſtram ſeruitutem, ſeu ſubiectionem proteſtandam. Germana eſt hæc adorationis deſcriptio, & Sancti Thomæ doctrinæ omninò conſona. Cùm enim totum quod habet homo, Deo debeat, à quo illud accepit; & mente, & corpore quibus conſtat, debet Deum reuereri, eiuſque excellentiam ſimul ac ſuam dependentiam vtroque profiteri. Vnde ex D. Damaſceno *lib. 4. fid. orthod. cap.* 13. relato ab Angel. Doctore 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 2. duplicem Deo debemus adorationem, ſpiritualem ſcilicet, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione; & corporalem, quæ in exteriori cordis humiliatione conſiſtit. Exterior autem adoratio propter interiorem fit, vt ſcilicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, affectus noſter ad ſubjiciendum ſe Deo excitetur: rebus enim ſenſibilibus intelligibilia in nobis excitantur; ideoque rectè in adoratione internus animi affectus, & exterior corporis humiliatio, quibus Dei maieſtatem reueremur, noſtram profitemur ſubiectionem, eiuſque opem imploramus, includuntur.

Duplex eſt, alia ſpiritualis, quæ interna mentis deuotione; alia corporea, quæ externa cordis humiliatione completur.

273. A quo deriuetur nomen adorationis.

Hinc adorationis nomen ab oratione deriuari quidam tradiderunt: qui enim à Deo aliquid cupit obtinere, reuerentiam orationi ad faciliùs impetrandum coniungit. Alij ab ore trahi docent, quia ore, nempe oſculo, quod eius eſt applicatio; vel manu ad os admotâ, honorem & reuerentiam exhibemus. Vnde Iob 31. 26. *Si vidi ſolem cùm fulgeret, &c. & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum*; hoc eſt, *Si adoraui creaturas*, vt ait S. Hieron. *lib. 3. in Ezech. c.* 8. *verſ.* 17. Et *pſalm.* 2. 12. vbi in vulgata editione legitur, *Apprehendite diſciplinam*, Hebraïcè habetur, *Oſculamini Filium*; quod S. Hieron. reddidit, *Adorate purè.* Manus etiam interdum ab adorantibus olim ad os admouebatur, & oſculabatur, vt teſtantur Plinius *lib.* 28. *cap.* 2. & Minutius Felix *in Octauio*, & Hieron. *apolog.* 1. *contra Ruffinum*, vbi inquit: *Deoſculari manum ſolere qui adorant.*

S. Hieron. *Plinius.* *Minutius Felix.* *D. Hieron.*

274. Adoratio eſt maior honore.

Quamvis autem adoratio honorem exhibeat adorato, tamen maius quid in adoratione quàm in honore importatur, nempe ſubiectio quædam, vel ſeruitus. Quare in ſeptima Synodo, act. 4. *Emphaſis honoris* appellatur adoratio. Cùm ergo ex Philoſopho 1. Eth. cap. 5. *Honor ſit exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis*; vt honor exhibitus poſſit dici adoratio, debet reuerentiæ addi ſubmiſſio honorantis, ſeu adorantis, ei qui adoratur, vt ex Damaſceno *orat.* 1. *&* 3. *de Imaginibus*, colligitur.

Septima Synodus. Adoratio eſt emphaſis honoris. Quid ſit honor.

275. Excellentia diuina differt à creata, ſicut adoratio Dei & adoratio creaturæ.

Ratio autem, & cauſa adorationis, cùm ſit excellentia, ſeu dignitas eius qui adoratur; ideò quia alia eſt excellentia diuina, quæ cuiuſcumque alterius excellentiæ radix eſt & origo; & alia creata, diuinam participans, & ab ea dependens: alia eſt adoratio quæ Deo debetur, & alia quæ creaturæ rationali Dei imagine inſignitæ redditur. Cùm ergo maximè diſcrepent diuina & creata excellentia, non parum differunt quæ Deo & creaturis redduntur adorationes. Nam ex infinita, immenſa, ſuprema, ac independenti, omnique perfectione repletâ Dei excellentiâ debetur ei honor ſingularis & ſpecialis adoratio, quam nulli licet reddere creaturæ, quæque adoratio latriæ nuncupatur. Creatura autem rationalis, cuius bonitas à diuina dependet, eique ſubjicitur, ac in ſe finita eſt & limitata, longè minori colitur honore; & dum adorari dicitur, ſemper infra Deum, & inferiori omninò à diuino, cultu debet intelligi. Adorantur autem in quantum Deo per gratiam, merita, & gloriam coniunguntur, eiuſque dignitatem quodammodo participant. Hæc autem reuerentia, ſeu adoratio eis exhibita, *Dulia*, quæ ſeruitutem ſignificat, appellatur. Ita quidem, vt honor Sanctis hominibus ac Angelis, qui Dei amici exiſtunt, ſolo duliæ nomine exprimatur: ille verò qui ſanctiſſimæ ac intemeratæ Virgini Deiparæ, ſupra omnes creaturas Deo maternitatis affinitate coniunctiſſimæ redditur, *Hyperdulia* dicatur.

Adoratio Dei latria dicitur.

Adoratio, ſeu reuerentia creaturarum dicitur dulia, vel hyperdulia.

276. Adoratio Triplex.

Adoratio igitur in communi conſiderata triplex eſt. Alia *Latriæ*, alia *Hyperduliæ*, & alia *Duliæ.* Adoratio latriæ eſt illa quâ Deum tanquam primū ens, omniumque rerum principium & finem colimus, & honoramus. Hæc omninò creaturis eſt incommunicabilis, & ſoli Deo debetur, eſtque actus Religionis nobiliſſimus, quo Deum Creatorem, Redemptorem, adiutorem, ac tandem glorificatorem noſtrum agnoſcimus, & profitemur. Vnde D. Auguſtinus *lib.* 10. *de ciuit. cap.* 5. docet, *latriam ſecundùm conſuetudinem, quâ loquuti ſunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, vt penè ſemper, eam ſeruitutem dici, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. *Vero illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, cum ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec à nobis coli, nec doceri colendum, niſi vnum Deum.* Nam vt idemmet Auguſtinus ait epiſt. 66. *Soli Deo ſeruire juſſi ſumus, quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Hinc in ſeptima Synodo, *act.* 7. veram *latriam* ſolam diuinam naturam decere definitur. Huius autem vocis *latriæ* etymologia à vehementi tremore deriuatur; λατρεῖν enim idem eſt ac *tremere vehementer.* Vnde quia *Soli Deo ſeruire* debemus, vt dicitur *Matth.* 4. 10. & illi cum timore & tremore, ob infinitam eius maieſtatem, potentiam, ac æquitatem debemus obſequi, vnde *pſal.* 2. 11. dicitur, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; rectè adoratio quâ ſeruitutem noſtram, & ſubiectionem cum timore Dei erga ipſum Deum exhibemus, *latria* appellatur; rectéque qui ſoli Deo debitam ſeruitutem, nullique creaturæ communicabilem, ad vanos ac fictitios Deos transferunt, *Idololatræ* vocitantur.

Latriæ, quæ ſoli Deo exhibetur.

277. Hyperduliæ, quâ Beata virgo ob dignitatē matris Dei colitur.

Adoratio hyperduliæ ex vſu Eccleſiæ eſt teſtificatio ſeruitutis ſecundariæ, & minoris illâ, quâ Deo ſeruimus, & ſubjicimur, per quam poſt Deum nobiliſſimam creaturam, Beatiſſimam ſcilicet ſemper Virginem Mariam, ob dignitatem maternitatis Dei ipſi Deo maximè affinem, & omni gratiarum ac ſanctitatis copiâ repletam colimus & honoramus. Soli ergo Deiparæ honor iſte ab Eccleſia exhibetur. Quamvis enim ſanctiſſimæ Chriſti Domini noſtri humanitati,

prout præciſâ vnione, cum. ſolis donis quæ ex ipſa vnione accepit, conſideratur, huiuſmodi hyperduliæ debeatur adoratio; tamen quia ipſa humanitas Chriſti ſecundùm rem ab eius diuinitate minimè ſeparatur, quod enim *Deus ſemel aſſumpſit, nuſquam dimiſit*; ideo propter hanc inſeparabilem vnionem, latriâ potiùs quàm hyperduliâ adoratur. Quod docuit Damaſcen. lib. 3. fid. orth. cap. 8. *Adoratur*, inquit, *caro in vna hypoſtaſi Verbi Dei, quæ illi quoque hypoſtaſis facta eſt. Nec vt nudam carnem adoramus, quaſi exhibentes latriam creaturæ; ſed vt vnitam deitati, & vt in vnam perſonam, & vnam hypoſtaſin Dei verbi ambæ naturæ conuenerunt.* Et lib. 4. cap. 3. *Non dicimus*, inquit, *quod adoramus carnem nudam, ſed carnem Dei, ſeu Deum ipſum incarnatum.*

Humanitas Chriſti vt verbo Dei vnita, adoratur latriâ.

278. Adoratio autem, ſeu cultus duliæ inferiorem etiam ſeruitutem, ſeu ſubiectionem exhibet Sanctis Angelis & hominibus, propter excellentiam ſanctitatis & vnionis ad Deum. Cultu enim duliæ ſanctis Angelis Deo aſſiſtentibus, virtute potentibus, eiuſque vocem audientibus, vt omnia verba eius faciant, reuerentiam exhibemus: quo pacto etiam Chriſti Præcurſorem Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos, Martyres, omneſque ſanctitate fulgentes, ac cum Chriſto regnantes honoramus.

Et duliæ, quâ ſancti Angeli & homines honorantur.

279. Hæc autem duliæ adoratio, quâ Sanctos æternâ beatitudine donatos honoramus, nequaquam Dei, aut Chriſti dignitati derogat; eſt enim longè latriâ, quam Deo & Chriſto exhibemus, inferior, & in ipſis Sanctis Deum ipſum, & communicatas illis ab ipſo dotes colimus. Cùm enim *nemo bonus, niſi vnus Deus*, vt dicitur *Marc.* 10. 18. hoc eſt, nullus eſſentialiter bonus, niſi Deus; omnes qui boni ſunt participatiuè, diuinam participant bonitatem, ſicut & ſapientes eius ſapientiam, potentes eius potentiam, ſancti eius ſanctitatem ſibi habent communicatam: ideo dum ob egregias quibus coruſcant perfectiones, Sanctos duliæ veneratione honoramus, illos tanquam à Deo dependentes, & in illis Deum ipſum colimus. Et in hoc ſenſu Iuſtinus Martyr *apolog.* 2. docet, *Sanctos Angelos, & homines à nobis coli & adorari*. Et D. Athanaſius libro de Virginit. circa finem: *Si homo iuſtus* (inquit) *ædes tuas intrauerit, adorabis humi ad pedes illius; non enim eum, ſed Deum adorabis, qui illum mittit*. Et Hieronymus Paulam vitâ functam in eius epitaphio ſic alloquitur: *Vale, & cultorem tuum orationibus iuua*. Et S. Auguſt. *ſerm.* 1. *de SS. Petro & Paulo*, ait: *Beatiſſimum Petrum piſcatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo*. Ac tandem Ambroſius *ſerm.* 6. *in fine*, ait: *Quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum; & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.*

Honor duliæ quâ Angelos & homines ſanctos honoramus, vtpote inferior latria quam Deo & Chriſto exhibemus, Dei dignitati non derogat.

Iuſtin.

D. Athanaſ.

D. Hieron.

S. Auguſt.

D. Ambroſ.

280. Audiant hæc Nouatores, & Catholicos Sanctos venerantes nequaquam criminentur, nec idololatras appellent, ac ſi eundem cultum latriæ ſoli Deo debitum creaturis exhibeant; cùm nullus in Eccleſia Catholica inueniatur, qui honorem Deo debitum, ac conſequenter creaturis incommunicabilem, qui *Latria* dicitur, alicui Sanctorum vſquam reddere cogitauerit. Nam vera, & propria adoratio, quæ omnimodam ſeruitutem & ſubiectionem cum omni in omnibus dependentia obiecto exhibet adorato, Diuinam dumtaxat reſpicit Maieſtatem, nullatenus autem creaturam, etiam ſummâ excellentiâ præditam. Et in hoc ſenſu Doctorum Maximus Hieronymus aduersùs Vigilantium, qui eoſdem contra venerationem Sanctorum, quos Nouatores docent, tuebatur errores, ſic inuehitur: *Quis enim, ô inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum?* Semper enim diuerſo animi affectu Deum adoramus, & Sanctos veneramur; licèt interdum eiſdem exterioribus ſignis, putà inclinationibus, genoflexionibus, &c. vtamur, & dum Deo tanquam ſupremo omnium enti adoratione latriæ omnimodam exhibemus ſeruitutem, & Sanctis eius honorem duliæ minori ſubiectione reddimus. Quod etiam in Scriptura obſeruare licet: nam *lib.* 1. *Paralipom. c.* 29. 20. legitur, quod *poſtquam Dauid præcepiſſet vniuerſæ Eccleſiæ, vt benediceret Domino: Benedixit omnis Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum, & inclinauerunt ſe, & adorauerunt* DEUM, *& deinde* REGEM. Vbi quamvis dicatur populum Deum, ac deinde Regem adoraſſe eiſdem ſignis exterioribus, putà eiſdem inclinationibus; attamen nemo eſt qui non intelligat diuerſo cordis affectu, & maiori mentis ſubiectione populum Deum adoraſſe, quàm Regem: ille enim adoratus eſt ſummâ animi demiſſione adoratione latriæ; Rex autem tanquam Dei imago, minori honore, ſolâ duliæ veneratione. Populus quidem adoratione Deum tanquam creatorem ac ſanctificatorem: Regem verò tanquam ſanctificatum, Dei Prophetam, & totius Regni moderatorem colebat. Quod eum proportione à Chriſtianorum Eccleſia in Dei adoratione, & Sanctorum veneratione nunc obſeruatur.

Nouatores Sanctorum cultum reſpuentes refelluntur.

D. Hieron.

Catholici non adorant Sanctos adoratione quâ Deum.

Iudæi adorauerunt Deũ, & Regem, & quomodo.

SECTIO II.

Vtrum Euchariſtia Sacramentum ſit adorandum, & quâ adoratione.

CElebris eſt hac tempeſtate inter Catholicos, & Nouatores, quæ proponitur difficultas: omnes enim Sacramentarij hoc Sacramentum minimè cenſent adorandum: illius adorationem vocant idololatriam, vt liquet ex Caluino *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 17. §. 35. quorum ſententia ex eo proceſſiſſe videtur, quod Chriſtum ibi præſentem eſſe negant, & nihil præter panem in Euchariſtia admittunt. Lutherani autem, quamvis realem corporis Chriſti præſentiam in pane Euchariſtiæ fateantur, attamen extra vſum, hoc eſt extra ſumptionem, ſeu manducationem Sacramenti ipſi denegant adorationem, illamque ipſi, dum per plateas, & in proceſſionibus cum facibus & magno apparatu defertur exhibitam, idololatriam appellant. Vnde Lotherus *lib. ad Vualdenſes*, in proceſſionem in feſto corporis Chriſti fieri ſolitam vehementer inuehitur. In vſu verò huius Sacramenti multi ipſi adorationem concedunt, vt Lutherus in formula Miſſæ, & in libro de verbis, *Hoc eſt corpus meum*: Bucerus in actis colloquij Ratiſponenſis, Brentius in apologia pro Confeſſione Vuittembergenſi, *pericope* 2. & alij. 281.

Sacramentarij Euchariſtiæ adorationem vocant idololatriam.

Lutherani in vſu, ſeu celebratione Synaxis Euchariſtiam adorant, non autem poſteà.

Verùm Catholici omnes Chriſtum Dominum ex conuerſione panis in corpus ſuum, & vini in eius ſanguinem, in Euchariſtia realiter præſentem firmiter credentes, ſummam huic Sacramento exhibent venerationem; nam coram illo inclinantur, genuflectunt, proſtrantur, orant, hymnos canunt, &c. Quæ omnia adorationis indicia exiſtunt, ſacramque Euchariſtiam apud illos ab omnibus adorandum eſſe docent. Vt autem 282.

Cùm Euchariſtia, quæ in conſecratione materiæ conſiſtit, ſemper côtineat corpus Chriſti, rectè ſemper à Catholicis adoratur.

quomodo,

Digitized by Google

quomodo, & quænam huic Sacramento adoratio exhibeatur, omninò pateat,

283. Aduertendum eſt, in hoc Sacramento duo conſiderari, quæ ipſum veluti conſtant & componunt. Primum eſt ipſa ſpecies exterior panis, ſolis accidentibus coaleſcens, quæ oculis corporis attingitur, & omninò immutata videtur, etiam peractâ conſecratione. Cùm enim verborum ſacramentalium virtute ſola panis ſubſtantia in Chriſti corpus tranſmutetur, intacta remanent accidentia, quibus ſubſtabat panis ſubſtantia, & eodem modo à viſu percipiuntur. Secundum quod in Euchariſtia reperitur, eſt ipſum verum & proprium corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex conuerſione panis in ipſum hoc in myſterio realiter præſens, & ſpecie panis veluti inuolutum, quod tantùm fide attingitur. Quamvis autem ex vi Sacramenti, ſeu ex vi verborum ſola caro Chriſti in hoc ponatur Sacramento, ex reali tamen concomitantia eius anima ac diuinitas ibidem reperiuntur, vt ſuprà docuimus.

Duo in Euchariſtia, ſpecies externa quæ videtur & tangitur: ipſum corpus Domini latens, quod fide tantùm attingitur.

284. Dum ergo quærimus, vtrum Sacramentum Euchariſtiæ ſit adorandum, nomine Sacramenti intelligimus totum id quod in hoc myſterio reperitur, ſeu hoſtiam conſecratam, prout revera continet ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus panis accidentibus inuolutum: nam ipſa accidentia ſecundùm ſe, & præciſè conſiderata, nequaquam adoranda eſſe adoratione latriæ, omninò certum eſt, ſicque fatentur omnes Catholici. Sed ſi huiuſmodi accidentia veluti coniuncta corpori Domini in Sacramento realiter exiſtenti conſiderentur, alterum de eis ſic vnitis ferendum eſt judicium; idem enim honor qui corpori ſub eis latenti exhibetur, eis quodammodo videtur exhiberi, ſicuti eadem reuerentiâ Rex, & eius purpura à ſubditis honorantur; non enim veſtis à Rege tollitur, vt inferiorum ſibi venerationes recipiat.

Senſus quæſtionis.

285. Dicendum eſt igitur, Sacramentum Euchariſtiæ, prout realiter continet ſacrum Domini corpus, adorandum eſſe adoratione latriæ; ita vt hæc adoratio Domini noſtri Ieſu Chriſti corpori realiter in hoſtia conſecrata exiſtenti formaliter exhibeatur: hoc eſt, Chriſtus debet adorari in Euchariſtia adoratione latriæ.

Euchariſtia realiter continens corpus Chriſti, latriâ eſt adoranda.

286. Probatur primò. Adoratio latriæ debet Deo exhiberi, vt patet ex dictis ſectione præcedenti, & innuitur Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerties.* Atqui Chriſtus in Euchariſtia eſt verus Deus. Ergo in ea debet adorari adoratione latriæ. Nec obſtat quod hoc myſterium corporis Domini exiſtit Sacramentum, & ex vi verborum ſolum eius ibidem corpus reperitur; quia & hoc corpus Verbo Dei hypoſtaticè vnitum ſemper eſt, & in Euchariſtia animæ Chriſti eſt realiter coniunctum: viuum enim eſt, ac conſequenter anima, & diuinitas Chriſti per realem concomitantiam ibidem inueniuntur. Cùm ergo Chriſtus ſit ibi idem, qui in cœlis ad Patris dexteram ſedet verus Deus, & verus homo, latriæ adoratione debet adorari.

Chriſtus in Euchariſtia eſt verus Deus.

287. Hæc enim adoratio Filio Dei incarnato omninò debetur: omnes enim creaturæ eum in carne aſſumpta adorauerunt. Propterea, vt legitur Apoc. 5. *Omnis creatura, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, dicebant: Sedenti in throno, & Agno* (ideſt Chriſto) *benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Et *Phil.* 2. 10. dicitur: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Hinc etiam Paulus teſtatur Chriſtum in incarnatione Angelis fuiſſe à Deo propoſitum, vt ab eis adoraretur. Hebr. 1. 6. *Et cùm iterum* (ait) *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quibus ex Scripturæ locis eadem adoratione humanitatem & diuinitatem Chriſti eſſe adorandam ab initio ſancta præcepit Eccleſia. Vnde in II. Concilio Conſtantin. ſeu V. Synodo, *can.* 9. dicitur: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum (ex quo duæ adorationes introducuntur,) ſed non vnâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* Cùm ergo ipſa Domini caro, eadem, quâ Dominus, adoratione debeat adorari, non quidem propter ſeipſam, ſed propter vnitum ei ſecundùm hypoſtaſin Verbum Dei, vt loquitur Damaſcen. *lib.* 3. *fid. cap.* 3. quis eandem carnem in Euchariſtia veraciter latitantem recuſabit adorare?

Chriſtum omnes creaturæ adorat.

Conc. Conſt.

Eadem adoratione humanitas, & diuinitas Chriſti adorantur.

D. Damaſc.

288. Probatur ſecundò ex illo pſalm. 98. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Quem locum Ambroſius *lib.* 3. *de Spiritu ſancto, cap.* 12. interpretatur de carne Chriſti, quæ in Euchariſtia adoratur. *Itaque* (inquit) *per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarunt.* Eodem etiam modo S. Auguſtinus *in pſalm.* 98. eundem locum exponit: *Videte, fratres* (inquit) *quid nos jubeat adorare. Alio loco dicit: Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ergo terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco, quod ſit ſcabellum pedum Dei. Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hîc dicit, Adorate ſcabellum pedum eius. Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia pſalmus mihi dicit, Adorate ſcabellum pedum eius. Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura, Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit, inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Quibus verbis abundè ſententiam noſtram confirmat Auguſtinus, & Nouatorum Euchariſtiæ impugnantium adorationem errores jugulat ac confodit. Si enim *nemo illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit*; cùm illa caro non manducetur, niſi in Euchariſtia ſpeciebus panis quodammodò obuoluta, illam in hoc adorari Sacramento, ac conſequenter hoc Sacramentum adorari omninò, tempore D. Auguſtini certum fuit.

D. Ambroſ.

Caro Chriſti adoranda.

D. Auguſt.

Terra de terra eſt caro Chriſti ex Virgine.

Hæc caro adoranda antequam manducetur.

Peccamus non adorãdo illam.

289. Verùm inclamant Nouatores Lutheri aſſeclæ, carnem Chriſti eſſe adorandam, minimè autem Sacramentum Euchariſtiæ: ipſamque, quæ à Catholicis tanto myſterio exhibetur, adorationem ἀρτολατρείαν vocant.

Inſurgunt Lutherani.

290. Sed facillimè refelluntur: quamvis enim à Catholicis Euchariſtiæ Sacramentum, prout ſacrum

Refelluntur.

Domini

Domini corpus concludit, adoretur; tamen nullus vnquam latriæ adorationem exhibuit ſpeciebus, ſeu accidentibus ſecundùm ſe, & præciſè conſideratis; ſed tantùm Chriſto ſub eiſdem latitanti. Quod ſi adoratio etiam ad illa fertur accidentia, hoc eſt quatenus apprehenduntur vt quid vnum cum ipſo Chriſto, quem continent, ſicuti qui Regem adorat, purpuram quâ tegitur, etiam adorare videtur; & qui Chriſtum inter homines conuerſantem adorabant, etiam eius veſtes adorare videbantur: non enim dum Chriſtum honorabant animi & corporis ſubiectione, cogitatione & affectu, eum à veſtibus ſeparabant, ſed Chriſtum ſimpliciter, vt tunc ſe habebat, adorabant: tamen nec veſtes, nec etiam ipſa humanitas, ſed ſola diuinitas erat ratio adorandi. Nec quam exhibemus Euchariſtiæ adorationem, *ἀρτολατρείαν*, hoc eſt panis adorationem, ſeu latriam poſſunt appellare Nouatores, cùm omnes Catholici conſtantiſſimè negent, panem in hoc Sacramento remanere, doceantque omnem ſubſtantiam panis in corpus Chriſti, omnemque ſubſtantiam vini in eius ſanguinem, diuinâ virtute tranſmutari.

Euchariſtiæ adoratio non eſt adoratio panis, qui ibidem non eſt: ſed Chriſti, qui ibidem latet.

291. Probatur tertiò ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ, quo ſacroſancta à Fidelibus ſemper adorata eſt Euchariſtia, immò & inuocata ob rem, nempe Chriſtum Dominum, quem continet. Sic enim Dionyſ. *lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 3. parte. 3.* inquit: *O diuiniſſimum, & ſacroſanctum Sacramentum, obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, & perſpicuè nobis fac appareas; noſtroſque ſpirituales oculos ſingulari, & aperto tuæ lucis fulgore imple.* Et Theodoretus *dialogo* 2. eandem adorationem huic Sacramēto à Fidelibus exhibitam teſtatur, dum inquit: *Signa myſtica intelliguntur ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſint quæ creduntur.* Vnde Chryſoſt. *hom. 61. ad Pop. Antiochen.* inquit: *Si pura ſunt veſtimenta, adora, & communica.* Quare Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 5.* rem totam diffiniuit his verbis: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti Fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo exhibetur, huic ſanctiſſimo Sacramento exhibeant: neque minùs eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino vt ſumatur, inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in eo eſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1. 6. *Quem Magi procidentes adorauerunt.* Matth. 2. 11. *Quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.* Matth. 28. 17. Et Canone 6. eadem Synodus anathemate ferit omnes huiuſmodi adorationem vel impugnantes. *Si quis dixerit* (inquit) *in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum vnigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideò nec feſtiuâ peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus, ſecundùm laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.*

Ab initio Eccleſiæ adorata eſt Euchariſtia, & inuocata.
D. Dionyſ.
Theodoret.
D. Chryſoſt.
Concil. Trid.

292. Nec contra præfata inſurgant Nouatores, Chriſtum non eſſe in Euchariſtia, vt adoretur, ſed vt manducetur, ac conſequenter hoc in Sacramento non eſſe adorandum? Primò quia adoratio non ex loco, ſed ex diuinitate debetur Chriſto. Vbicumque ergo reperitur Chriſtus, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in Euchariſtia, debetur illi adoratio, quia verè & realiter Deus eſt. Secundò quia etſi poſt natiuitatem Chriſtus non eſſet in præſepio vt adoraretur, ſed vt membra eius quieſcerent, nihilominus ibidem fuit à Magis adoratus. Tertiò dum in terris cum hominibus conuerſabatur, & inter illos ambulabat, non vt adoraretur, ſed vt doceret, infirmos curaret, & alia huiuſmodi faceret, paſſim adorabatur. Leproſus enim eum adorauit, vt legitur *Matth.* 8. 2. Qui erant in nauicula, *venerunt ad Chriſtum, & adorauerant eum dicentes, verè Filius Dei es.* Ibidem 14. 33. *Mater filiorum Zebedæi illum etiam adorauit.* Ibidem 20. 20. Et *cæcus natus, poſtquam viſum recepit, Chriſtum adorauit.* Ioan. 9. 38. Denique quia licèt ex prima ratione inſtitutionis Euchariſtiæ, ibi ſit Chriſtus vt manducetur; tamen ex ſecundaria ratione Chriſtus ibi eſt, vt à nobis honoretur; hoc enim Sacramentum inſtitutum eſt, *vt coleretur Chriſtus iugiter per myſterium*, ſicut loquitur Euſebius Emiſſenus *hom. 5. de Paſchate.*

Nouatores refelluntur.
Vbicumque Chriſtus reperitur, ibi eſt adorandus, etſi ibi non ſit vt adoretur.
Ex primaria inſtitutione Chriſtus eſt in Euchariſtia, vt manducetur: ex ſecundaria vt honoretur.
Euſeb. Emiſſ.

Nec inſuper panis ſpecies ſacrum Domini corpus tegentes hanc adorationem impediunt, ſicut nec purpura quâ Rex induitur, maieſtatem eius offendit, aut ſubditorum venerationes tollit. Vnde Auguſt. *in lib. ſentent. Proſperi*, & refertur de conſecr. diſt. 2. *Nos autem* (inquit) *in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem adoramus.* Vbi adoratio ad ipſum corpus & ſanguinem Domini dirigitur, non autem ad ſpecies, quæ tamen vt illi vniuntur, & cum illo vnum quid conſtituunt, ſimul honorantur. Ad quod magis illuſtrandum non parum conferunt ſanctorum Patrum Chryſoſtomi & Epiphanij, contra Arrianos Chriſti humanitati adorationem denegantes, verba. Chryſoſtomus enim de Trinitate, ſic eleganter blaterantes in Catholicos corpus Chriſti adorantes, confutat: *Inſipiens, nemo dicit Regi, exue purpuram, quam indutus es, vel à throno tuo ſurge, vt nudum te adorem: ſed Regem adorat purpurâ veſtitum, & throno inſidentem. Complacitum enim Deo Verbo fuit, vt creatam carnem noſtram ſibi abſque macula adunaret, & ea, quatenus Deo verbo adunata, cum Deo verbo adoraretur.* Epiphanius autem in Anchorato, neruosè ſic Chriſti corporis adorationem propugnat: *Adoras Saluatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodo verò non adorabo? Si enim non adorauero, non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras ipſum corpus. Ingens autem eſt veſania eorum, qui talia dicunt. Nam Rex purpurâ indutus, ab omnibus adoratur: nunquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifeſtum eſt, quod Rex. Coadoratur autem cum ipſo etiam purpura, quam geſtat: vbi verò Rex hanc exuit, & in locum repoſuit, non amplius veſtis purpura adoratur.* Vbi ſanè rem quam modò propugnare conamur, apertè docet: nam Chriſtus accidentibus panis in Euchariſtia coopertus, dum tanquam Rex regum à Catholicis adoratur, non ipſa accidentia, ſed ipſe Chriſtus ſub eis colitur. Coadorantur autem cum ipſo ſpecies, ſicuti cum Rege purpura honoratur. Sed veſtis Regis ab ipſo ſeparata huiuſmodi honorem non recipit, nec accidentia huius Sacramenti in ſe præciſè conſiderata, eodem, quo Chriſtus, honore donantur.

293. Species panis non impediunt adorationem corporis Chriſti.
D. Auguſt.
Adoratio non ad ſpecies panis, ſed ad corpus Chriſti dirigitur.
D. Chryſoſt.
Epiphan.
Coadorantur ſpecies cum corpore Chriſti, non propter ſe, ſed propter corpus Chriſti, quod tegunt.

294. Verùm nec propter iſta veritati acquieſcunt Nouatores: eam adhuc impugnant primò. Si Euchariſtia adoranda eſt, quia in ea Chriſtus eſt,

Inſtant Nouatores.

omnes

omnes etiam creaturæ adorandæ ſunt, quia in illis Deus eſt. Atqui hoc falſum eſt: ergo & illud.

295. Reſp. negando paritatem maioris. Etenim diuerſo modo Deus eſt in creaturis, & in Euchariſtia. In hoc namque Sacramento eſt Chriſti humanitas hypoſtaticè vnita Diuino Verbi ſuppoſito: ac conſequenter ibi vnicum tantùm eſt ſuppoſitum diuinum duabus naturis vnitum, & nulla ibi alia ſubſtantia reperitur; & ideò adoratio Chriſto Deo & homini tantùm redditur. In aliis verò creaturis Deus reperitur vniuerſali quodam modo, ſed non eſt vnum ſuppoſitum cum illis: nec Deus, & creatura, in qua eſt, poſſunt dici vnum quid.

Refelluntur.

296. Secundò vrgent. Primi qui Euchariſtiam veluti de manu Domini acceperunt, illam non adorarunt; non enim illam Apoſtoli vel genuflexi, vel proſtrati, ſed cum Chriſto recumbentes manducauerunt. Ergo nec nunc in Eccleſia debet Euchariſtia adorari.

Inſtant ſecundò.

297. Reſp. negando conſequentiam; quamvis enim Apoſtoli nec genuflexi, nec proſtrati, ſed in menſa recumbentes Euchariſtiam in vltima cœna acceperint, nec exteriori corporis ſigno Sacramentum adorauerint; tamen credibile admodum eſt, illos interno mentis affectu humiliatos, ſummum honorem ex corde, & ardenti deuotione Chriſto tunc in propria ſpecie, & Sacramento etiam corporis ſui exhibuiſſe, & illum vtrobique animo fuiſſe veneratos. Non poterant autem tunc externâ, per externam corporis ſubiectionem, adoratione vel Chriſtum in propria ſpecie, vel ſub Sacramenti ſpecie latrianicem adorare, quia in cœna recumbebant, & quia non ſemper coram eo proſtrati jacebant: aliquando enim vel proni, vel proſtrati, vel genuflexi; aliquando autem mente & animo dumtaxat illum adorabãt, verum Filium Dei illum agnoſcentes. Attamen in ſacrorum celebratione myſteriorum Euchariſtiam adorabant Apoſtoli, & Eccleſiam illam adorare docuerunt. Quod colligi poteſt ex verbis Pauli 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Non ſolùm enim manducat indignè, qui abſque debita probatione, ſeu præparatione; ſed etiam qui abſque adoratione corporis & ſanguinis Domini ſuſcipit Sacramentum, quia & adoratione, & debitâ ante ſumptionem præparatione à reliquis cibis diuina hæc carnis & ſanguinis Chriſti eſca diſcernitur. Vnde ab ipſo Eccleſiæ Chriſtianorum exordio omnes Sacramentum hoc recipientes adorauerunt. Quod teſtatur ſuprà jam adductus Auguſtinus, dum ait: *Nemo illam carnem manducat, niſi prius adorauerit.*

Refelluntur.

Apoſtoli Chriſtum in Euchariſtia internâ mentis reuerẽtiâ adorauerũt.

In ſacrorum celebratione Apoſtoli etiã externis Euchariſtiam adorabant, & Eccleſiam docuerunt adorare.

298. Hinc mos ille in Eccleſia à tempore Apoſtolorum inductus eſt, vt peractâ conſecratione, Sacramentum à Sacerdote eleuetur, & circumſtantibus oſtendatur, vt ſcilicet omnes illud corde & corpore adorent, & venerentur. Quod teſtatur Dionyſius Apoſtolorum diſcipulus libro de Eccl. Hierarchia, c.1.p.2. *Pontifex* (inquit) *auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ antè laudauerat, in apertum agit, diuina munera reuerenter oſtendens.* Vnde & Baſilius Magnus *lib. de Spiritu ſancto, c.27.* non ſolùm adorationem, ſed etiam inuocationem Euchariſtiæ, antiquiſſimam eſſe Eccleſiæ traditionem docet, dum inquit: *Inuocationis verba, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit?* Ipſam etiam hoſtiæ eleuationem, ſeu oſtenſionem populo paſſim teſtatur S. Ioan. Chryſoſt. & præcipuè *hom. 61. ad pop. Antioch.* dum Chriſtianũ ſic alloquitur: *Cùm videris vela retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita.* Idemque Chryſoſt. non ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab Angelis ſacram Euchariſtiam adorari teſtatur *hom. 3. contra Anomæos, ſerm. de Enceniis, hom. 21. in Acta, & hom. 1. de verbis Iſaiæ,* vbi ait: *Non cogitas ipſum hic inuiſibiliter adeſſe Dominum, qui vniuſcuiuſque motum metitur, & conſcientiæ rationem habet? Non cogitas quod Angeli huic ſtupendæ aſſiſtunt menſæ, eamque reuerentia hanc circumuallant?* Et *hom. 3.* contra Anomæos: *Tempore illo* (inquit) *non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant: habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauorem.* Et infrà de eiſdem Angelis ſubdit: *Rogant pro genere humano, quaſi dicant, Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe largitus es tuum ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Hactenus Chryſoſtomus eleganter.

D. Dionyſ.

Hoſtia poſt conſecrationem eleuatur vt à circumſtantibus adoretur, & hoc ab initio Eccleſiæ.

D. Baſilius.

D. Chryſoſt.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Angeli Euchariſtiam adorant.

Et pro hominibus rogant.

Cùm ergo ipſi Angeli Sacramento Chriſtum veluti incluſum adorent, invocent, deprecentur pro hominibus, quibus ſaluberrima hæc eſca à Domino parata eſt, quomodo poterunt homines ſacris myſteriis eruditi tantum Sacramentum non venerari, & Chriſtum ibidem panis ſpecie obumbratum non adorare? Sileant ergo Nouatores, & ab initio in Eccleſia ſanctam adorandi Euchariſtiam obſeruatam conſuetudinem nec impugnent, nec ampliùs criminentur. Etenim ſi Arcæ Teſtamenti, huius Sacramenti typo, honores, & venerationes exhibere, Hebræis, quibus omnia *in figura contingebant*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 10. 11. licuit, cur Chriſtianis Euangelij ſplendidâ luce perfuſis venerabile Chriſti Domini corpus veriſſimam æterni fœderis Arcam, tremendo in myſterio non licebit adorare? Dauidem ephod lineo accinctum, & totis viribus ſaltantem ante Dominum in Arca ſedentem eius vxor Michol, filia Saül, in corde ſuo deſpexit: verùm propter ſuperbæ fœminæ improbam offenſionem ceſſauitne pius Princeps ab honore, quem motibus ſui corporis Domino reddere conabatur? Minimè gentium. Immò Arcam in ciuitatem ſuam introductam, ac in medio tabernaculi collocatam adhuc veneratus eſt, & *obtulit holocauſta, & pacifica coram Domino*, vt dicitur 2. *Reg.* 6.17. vxoriſque ſuæ audaciam fregit. *Ante Dominum* (inquit) *ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Ibidem 22. Humilem Dauidem imitantur Catholici, Arcam Domini, hoc eſt Euchariſtiam corde & corpore adorantes; nec propter hæreſeos deriſionem, improbam mulierem proteruè ſectantis, ab obſequio quod à tot ſeculis erga ſacroſanctum Altaris Sacramentum piâ deuotione exhibent, haudquaquam recedent, immò maiori in dies tantum myſterium veneratione colent, vt quantò viliores ac humiliores coram Domino fuerint, tantò vberiores ab eo per venerabile hoc Sacramentum gratias accipiant & fauores. Sic enim promiſit Deus, dum 1. *Reg.* 2.30. inquit: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* In Sacramentis autem nos Deum glorificare liquet, dum in eis diuina promiſſa adimpleta fatemur, ſicut docuit Auguſtinus *lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani,* vbi de hæreticis ſic loquitur: *Quomodò clarificant Deum, qui dicunt per orbem terrarum, impleri non poſſe eius promiſſa: aut quomodò non*

299.

Arcam Euchariſtiæ typum honorauerunt Hebræi.

Dauid corã Arca ſaltauit venerationis ergò.

Deum glorificãtes à Deo glorificãtur.

D. Auguſt.

ſpernunt Deum, qui Baptiſmum eius incredibili temeritate impietatis exſufflant? Moxque de Catholicis ſubiungit: *Quomodò Catholici non clarificant Deum, qui promiſſa eius nullis hominum ſceleribus impediri poſſe confidunt? Qui Sacramenta eius tam debitâ veneratione proſequuntur, vt ea, ſi etiam ab indignis tractata fuerint, illis ſuâ peruerſitate damnatis, illa intemeratâ ſanctitate permanere demonſtrent.*

300. Quæ quamvis ab Auguſtino de Sacramentis in cômmuni, ac præcipuè de Baptiſmate dicta ſint, ad illos, qui ex improbitate miniſtrorum nulla dicebant Sacramenta, confutandos; attamen rei præſenti optimè conuenire poſſunt. Si enim qui in Sacramentis etiam à malis Sacerdotibus adminiſtratis, Dei promiſſa adimpleta, eaque intemerata fatentur, Deum glorificant: quantò magis qui verborum Christi veritatem confitentes, & ex hoc corporis eius realem in Euchariſtia præſentiam agnoſcentes, tantum Sacramentum adorant, ipſum Deum clarificabũt? Ex hac igitur, quæ juſtiſſimè Euchariſtiæ redditur, adoratione adorantes ita Deus glorificat, vt gratiam eis in præſenti, & gloriâ in futuro, vberem reddat mercedẽ.

Euchariſtiã adorantes Deum glorificant.

301. Quod ſi attentè perpendatur, Nouatorum venerationem hanc idololatriam appellantium, omninò obſtruit ora. Cùm enim ex omnibus, quæ humana poteſt committere fragilitas, criminibus nullum ſeueriùs à Deo quàm ipſa idololatria puniatur, vt ex ſacris literis colligi valet; nam vitulo aureo fabricato, & ab Iſraëlitis adorato, non ſolùm gladio Leuitarum ceciderunt, jubente Domino per os Moyſis famuli ſui, vigintitria millia hominum vnâ die, ſed inſuper percuſſit Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron, vt dicitur *Exodi* 32. 35. ipſumque vitulum aureum Moyſes combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, vt ibidem 20. narratur: aliæque paſſim in ſacris Paginis ſeueriſſimæ viſuntur à Deo hominibus idola colentibus inflictæ punitiones. Vnde *pſalm.* 77. 58. legitur de Iudæis Deum idolorum cultu irritantibus: *In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt. Audiuit Deus, & ſpreuit, & ad nihilum redegit valdè Iſraël.* Sed non ſolùm creaturis ſummum honorem, latriam ſcilicet, exhibentes ſeueriſſimè Deus coërcuit, verùm etiam bonos, propter fœdus cum huiuſmodi idolorum cultoribus caſtigauit. Etenim Ioſaphat Regis fideliſſimi ac piiſſimi cum impiiſſimo ac idololatra Rege Ochozia ſocietatem damnauit, ac Prophetam ad Ioſaphat deſtinauit, vt fœdus quod cum Ochozia pepegerat, reprobaret, ipſique commiſſi facinoris pœnã declararet, 2. *Paralip.* 20. 37. his verbis: *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritaque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.*

Nullum ſcelus à Deo ſeueriùs punitur quàm idololatria.

Cum idololatris fœderati à Deo puniuntur.

302. Cumque Catholici propter adorationem, quam à tot ſeculis ſacroſanctæ exhibent Euchariſtiæ, nullam à Deo pœnam ſenſerint, nullamque ab illo vindictam fuerint experti; immò propter illum cultum ingentibus beneficiis, fauoribus, ac gratiis donati, ac cumulati, vt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritos non latet; euidenter liquet, venerationem hanc nequaquam idololatriam, vt illam vocãt hæretici, ſed veri Dei carne induti in hoc Sacramento latitantis latriam eſſe. Quomodo enim in Eccleſia, quæ à ſexdecim & vltra ſeculis florentiſſima eſt, quæ ſeſe vbique terrarum felici propagatione diffundit, quæ cunctas hæreſũ ſectas ſubegit, deuicit, proſtrauit, idololatriam, quæ *grauiſſimum peccatum eſt, & negatio Dei altiſſimi*, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 94. *art.* 3. patietur Dominus? Nunquid ſibi ipſi contrarius eſt Deus, vt idololatras foueat, protegat, atque defendat? *Gloriam ſuam alteri non dare* ſolenni voce proteſtatus eſt, *Iſai.* 48. 11. & illam à Chriſtianis creaturæ, pani ſcilicet, attribui in Euchariſtiæ adoratione tolerabit? Nemo ſanæ mentis hoc cogitabit. Ergo cùm nullo modo in hoc Sacramento panis ſubſtantia remaneat, ſed in ſanctiſſimum corpus Chriſti conuertatur, ipſe Chriſtus Dominus noſter verè ibi adoratur, & colitur, ac conſequenter nullo modo hæc adoratio poteſt vel idololatriæ nomine inſigniri, vel etiam aliquâ ratione reprobari, aut impugnari.

Euchariſtiæ adoratio, bonorum & & donorum collatione à Deo eſt remunerata.

Chriſtus Dominus à nobis in Euchariſtia, & non panis, adoratur.

Quod adeo verum, vt Caluiniſtæ hæretici, qui realem corporis Domini in Euchariſtia præſentiã minimè confitentur, Lutheranos corpus Domini cum pane hoc in Sacramento realiter exiſtere docentes, & tamen illi adorationem denegantes inſectentur, eoſque omninò damnent. Caluinus enim *lib. de vera particip. corporis Chriſti in cœna, tom.* 7. *pag.* 862. *col.* 1. contra Heſbuſium Lutheranum ſic loquitur: *Negare non poteſt, quin adorandus ſit Chriſtus in pane, vel ſub pane: nam certè vbicumque eſt, fraudari eum fas non erit ſuo honore & cultu. Quid ergo magis præpoſterum, quam locari in pane, & illic non adorari? Quorſum enim attollitur apud eos panis? Quorſum ſe in genua proſternunt coram pane?* Et *pag.* 844. idem Caluinus: *Sic*, inquit, *ſemper ratiocinati ſumus, ſi Chriſtus eſt in pane, eſſe ſub pane adorandum.* In eadem ſententia fuit Theodorus Beza, Caluini ſucceſſor; nam contra Vveſtphalum Lutheranum, qui adorationem Euchariſtiæ liberam relinquebat, ita vt qui nollet, nec illam deberet adorare, ſic agit lib. de Cœna Domini, pag. 245. *Illud præ cæteris demiror, qui adorationem iſtam liberam relinquas, qui tamen Chriſtum reipſa corporaliter, vt in cœlis, cum pane adeſſe, dari, & ſumi fatearis: id enim ſi crederem, adorationem illius profectò non modò tolerabilem & religioſam, ſed etiam neceſſariam arbitrarer.* Vnde & ipſi Lutherani ſpiritu vertiginis ſæpius agitati, ſæpius diuerſa ſenſerunt, & aliquando quam vel proſcribebant, vel liberam relinquebant Euchariſtiæ adorationem, neceſſariam exiſtimarunt. Nam Schluſſelburgus quæſt. de ador. Chriſti in cœna, fol. 160. *Si verè credimus* (inquit) *Ieſum Chriſtum Filium Dei in illa actione adeſſe peculiari modo præſentia, ita quod verè, & ſubſtantialiter exhibeat veſcentibus corpus ſuum & ſanguinem: ſi hæc, inquam, ex animo, & toto pectore credimus, quæſtio de adoratione, & veneratione plana eſt. Iacobus, cùm videret Dominum innixum ſcalæ, non habebat peculiare mandatum, vt ibi illum adoraret, nec Moyſes, nec Helias: ſed quia credebant, Deum peculiari modo gratia ibi adeſſe, & ſe patefacere, certè non fuiſſet vera fides, ſi non ſequuta fuiſſet vera inuocatio, ſeu adoratio, ideſt honor Deo debitus, &c.* Brentius etiam *in apolog. confeſſ. Vvittemberg.* expreſsè, docet Chriſtum in Euchariſtia eſſe adorandum. Valida enim veritas adeò eſt, vt etiam ab impugnantium ore vires ſumat, & eorum teſtimoniis confirmetur. 303.

Caluinus docuit, Chriſtũ in Euchariſtia adorandum.

Idem docuit Beza.

Lutherani interdum Euchariſtiã adorandam, interdum non adorandam docuerunt.

Cæterùm nec hactenus ſtabilitam Euchariſtiæ adorationem infirmare poteſt hoſtiæ non conſecratæ pro conſecrata exhibitio. Quamvis enim Sacerdos ille, qui ſciens & volens hoſtiam non conſecratam pro conſecrata proponit, mortaliter peccet, ac idololatriæ reus ſit, aut formaliter quoad ſe qui adorat, aut materialiter ſaltem quoad alios, quibus eam adorandam proponit: tamen qui illam adorat, non peccat, nec idololatriæ reus eſt, quia hoſtia debet adorari latriâ ſub cõditione, 304.

Hoſtia quæ proponitur adoranda, ſemper ſub conditione adoratur, hoc eſt, ſi ritè eſt cõſecrata, aliàs non adoraretur.

ſcilicet

ſcilicet ĩi eſt conſecrata, & ipſa adoratio ad Chriſtum Dominum dirigi. Sufficit autem quod conditio illa ſit in habitu implicita, & ſubintelligatur eo modo, quo hoſtia nullo modo crederetur adoranda, vel de facto adoraretur, niſi de facto ibi eſſet Chriſtus; ac conſequenter non debet ſemper eſſe explicita. Vnde abſque vllo periculo quotidie ac jugiter in Eccleſia ſacroſancta adoratur Euchariſtia, quia adorantium intentio ad ipſum Chriſtum Dominum hominum, & Angelorum ibidem realiter præſentem ordinatur.

Sectio III.

De adoratione crucis & imaginis Chriſti.

QVia non parua inter Catholicos & Nouatores hac tempeſtate circa venerationem crucis & imaginis Chriſti eſt controuerſia; ideò poſt firmatam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adorationem, ex doctrinæ connexione illam hoc loco tractare placuit.

305. Ad illius autem euidentiam breuiter præmittendum eſt, imagines Chriſti Domini ab initio naſcentis Eccleſiæ apud Chriſtianos fuiſſe, eaſque ſpeciali veneratione à fidelibus fuiſſe proſequutas. Ex quo enim ille, *qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ*, vt dicitur Coloſſ. 1. 15. *in terris viſus eſt, ac cum hominibus conuerſatus*, indutus carne humanâ, & hominis naturâ ac imagine inſignitus, corporales ac viſibiles ſui inter homines voluit habere imagines. Verùm antiquior, ac inter omnes prima eius effigies illa eſt, quam ipſe Dominus non pictorum arte, ſed potentiâ ſuâ elaboratam Abagaro Edeſſæ Regi tranſmiſit. Cùm enim Rex ille pictorem miſiſſet, vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob ſplendorem ex ipſius vultu manantem conſequi potuiſſet, Dominus ipſe diuinæ ſuæ ac viuificæ faciei pallium admouit, imaginemque ſuam impreſſit, quam ad Abagarum illam efflagitantem miſit, vt refert Damaſcen. *lib.* 4. *fid. orth. c.* 17. Nicephorus *lib.* 2. *hiſt. cap.* 7. Euagrius *lib.* 4. *hiſtor. cap.* 26. qui etiam narrat Edeſſam vrbem huius ſacræ imaginis virtute à Perſarum oppugnatione, & flammarum incendio per eos excitato mirabiliter liberatam. Ipſeque Theophanes *hiſtor. miſcellan. lib.* 17. relatus à Baronio *tom.* 1. *Annal. an.* 31. *num.* 61. author eſt, ingentes Perſarum copias præſidio huius imaginis, quam ſecum in acie duxiſſet Philippicus Dux ſub Mauritio Imperatore, penitus fuiſſe profligatas. Vnde eiuſdem effigiei, ac patratorum per illam miraculorum fit mentio in II. Concil. Nicæno, *act.* 5.

Ab initio Eccleſiæ in ea fuerunt imagines Chriſti.

Prima & antiquior à Chriſto ad Abagarum fuit miſſa, & ab ipſo efformata.

306. Secunda Chriſti Domini effigies, etiam ab ipſo Domino efformata perhibetur: nam cùm redemptionem hominum conſummaturus, trophæo crucis onuſtus, ſimulque ſanguine ac ſudore perfuſus ad montem Caluariæ pergeret, à Berenice, ſeu Veronica, honeſtâ fœminâ, eius pietate commotâ, ſanctiſſimæ eius faciei ſudorem & ſanguinem deterſurum ſudarium admotum eſt, quod eiuſdem Dominici vultus effigiem in ſe retinuit, vt ex Chriſtiana traditione, & libello MS. in Vaticana Bibliotheca aſſeruato, & ex Methodio Epiſcopo, antiquo Chronographo, narrat Baronius *an. Chriſti* 34. *num.* 138. Porrò hæc Chriſti imago Veronicæ velo excepta ad hæc vſque tempora Romæ aſſeruatur, & ſummâ fidelium veneratione colitur.

Secunda ab eodem Saluatore ad montem Caluariæ crucem geſtante etiam fuit efformata in ſudario honeſtæ fœminæ Veronicæ.

307. Alia etiam Chriſti Domini antiquiſſima imago, adhuc ipſo viuente fabricata eſt ab illa nobiliſſima, & ditiſſima fœmina, quæ annis duodecim fluxum ſanguinis paſſa, tactu fimbriarum veſtimenti Saluatoris curata eſt, vt refertur *Matth.* 9. *Marc.* 5. *Luc.* 8. Hæc enim tanti beneficij non immemor, ne illud aliquando hominum memoriâ excideret, rem geſtam æneis ſtatuis, tam Domini Ieſu, quàm ſui habitu ſupplicantis effigiem referentibus, ante januam domus ſuæ Cæſareæ Philippi, Phœniciæ Ciuitati, ab incolis Paneade dictæ, erectis, poſteris commendauit, vt refert Euſebius *lib.* 7. *hiſt. cap.* 14. qui illas ſe vidiſſe teſtatur, additque ad pedes imaginis Chriſti, in ipſa baſi inuſitatam quandam herbæ ſpeciem enaſci ſolitã, quæ vbi ad fimbriam ænei veſtitus excreuiſſet, ad quoſcumque depellendos morbos ſummam haberet virtutem. Hæc autem ænea Chriſti ſtatua ad trecentos & ampliùs annos, nempe vſque ad Apoſtatæ Iuliani tempora, licèt innumeris cladibus Palæſtina fuerit deformata, perdurauit, vt refert Card. Baronius *anno Chriſti* 57. *num.* 111.

Alia Chriſti imago à muliere à profluuio ſanguinis liberata, fabricata fuit Cæſareæ Philippi, ipſo viuente Saluatore.

308. Ex quibus Redemptoris noſtri imaginum vſus feliciter inchoatus, nuſquam deinde in Eccleſia Catholica fuit intermiſſus. Illo enim ad cœlos aſſumpto, eius inter Fideles effigies tum pictis coloribus, tum arte fuſili efformata, in magnâ reuerentiâ habita eſt. Primus autem qui Chriſti Domini, eiuſque ſanctiſſimæ Genitricis penicillo ac coloribus depinxit imagines, ac vtriuſque icones Antiochenæ reliquit Eccleſiæ, fuit ſanctus Lucas Euangeliſta, vt Simeon Metaphraſtes in vita illius narrat, & conſtans eſt Eccleſiæ traditio. De imagine autem B. Mariæ Virginis ab eodem Luca depictæ, Antiochiâ Conſtantinopolim tranſlatæ, Pulcheria Auguſta id poſtulãte, expreſsè loquitur Nicephorus Calliſti *lib.* 14. *hiſt. Eccleſiaſt. & lib.* 15.

Primus qui Chriſti, & eius genitricis imagines depinxit, fuit S. Lucas Euangeliſta.

309. Inſuper Tertull. *lib. de pudic. cap.* 9. & 10. refert Chriſti Domini imaginem effigie paſtoris deperditam ouem ſuper humeros geſtantis, in ſacris Calicibus ſculpi conſueuiſſe.

Chriſti in paſtoris ſpecie imago in ſacris Calicibus ſculpta.

310. Ipſa etiam Chriſti Domini crux, in qua diabolũ vicit, mortem ſubegit, hominẽ redemit, & *domuit orbem, non ferro, ſed ligno*, vt loquitur Auguſt. *in pſal.* 54. ab initio naſcentis Eccleſiæ vel depicta, vel erecta eſt, interdumque in ea Chriſtus pendens expreſſus, & interdum ſola ipſa crux efformata; ſemperque crucis effigiei à Fidelibus veneratio exhibita eſt. Vnde non ſolùm omnes Chriſti Domini aſſeclæ, *ſigno Crucis frontem terebant ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, & ad ſedilia*, vt loquitur Tertull. *lib. de coron. mil. cap.* 3. & 4. ſed etiam cùm aliquis locus è prophano ſacer fiebat, & diuino cultui mancipabatur, vt ibi Eccleſia, ſeu templũ ædificaretur, ſemper crux in titulum figebatur. Vnde Theodoſius Imperator *lib. vlt. Cod. Th. de pagan.* præcepit, *vt Gentilium delubra Chriſtianæ Religioni manciparentur, collocato in eis venerando Chriſtianæ Religionis ſigno*, nempe cruce. Hinc Hieronymus Oſorius Siluenſis Epiſcopus, Indicarum rerum fideliſſimus ſcriptor, narrat *lib.* 3. *rerum Indic.* in vrbe *Malipure* à Luſitanis dicta, Sancti Thomæ inuentam eſſe Eccleſiam in colle ædificatam, vbi incolæ affirmarent, Thomam Apoſtolum fuiſſe ab infidelibus interfectum, ac pariter repertam crucem in lapide inciſam, ad quam cùm genibus flexis dictus oraret Apoſtolus, à quodam Brachmana fuit haſtâ transfixus; Cruxque eiuſdem

Crux vel cum imagine Chriſti in ea pendentis, vel ſola depicta, ſculpta, & erecta ab initio Eccleſiæ, & a fidelibus in honore habita. Tertull.

Ad omnem progreſſum & omnem actum ſigno crucis frontem terebant Chriſtiani.

Crux erigebatur vbi templum ædificabatur.

Crux in lapide inciſa, vbi S. Thomas Apoſtolus orans martyrio coronatur.

ſanctiſſimi viri cruore tincta ad memoriam virtutis illius ſempiternam remanſit, ac quotannis octo ante Domini natalem dies, cùm in Miſſa Euangelium legitur, in nigrum colorem, & mox in cæruleum verſa, multum ex ſe liquorem ſplendidum eiicit. Quod ſauè cônuincit, etiam ab Apoſtolis crucis ſignum in loci ſacri titulum poſitum fuiſſe, & ab illis honore & cultu proſequutum. Hinc etiam traxit originem in eminenti templorum loco imaginem Redemptoris cruci affixi collocandi mos, qui noſtris temporibus ſummâ religione ſeruatur. Cuius meminit Lactantius *carm. de paſſione Domini*, vbi Eccleſiam adeuntes ex eiuſdem ore Crucifixi ſic admonet:

In eminenti templorum loco crux, in qua Chriſtus pendet, ponitur, vt ab omnibus videatur, & colatur.

Quiſquis ades, mediique ſubis ad limina templi,
Siſte parum, inſontemque tuo pro crimine paſſum
Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerua:
Ille ego, qui caſus hominum miſeratus acerbos
Huc veni.

311\. Tantaque crucis Dominicæ imagini à Chriſtianis exhibita eſt reuerentia, vt anno Domini 427. Theodoſius & Valentinianus Imperatores ſancinerint *lib. 1. Cod. nem. lic. ſig. Cruc.* ne *Sanctum Crucis ſignum, vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculperetur, vel pingeretur.* Cauentes ſcilicet, ne pedibus calcaretur; cùm antea in eiuſdem ſigni reuerentiam Conſtantinus anno 325. ſupplicium crucis prorſus abdicaſſet, vt refert Sozomenus *lib. 1. cap.* 8. & Baronius eodem anno; ſuamque imaginem, ſeu in nummis expreſſam, ſeu depictam in tabulis, ſemper eo diuino ſigno inſcribi juſſerit: immò & lanceam, quâ in præliis vtebatur, in crucis ſimilitudinem elaborandam curauerit, quæ ab Imperatoribus ſucceſſoribus hæreditario jure poſſeſſa, ad Henricum quoque & Ottonem filium eius peruenit, vt refert Surius 3. *Octob. in actis S. Gerardi Abbatis.*

Vetitum ne crux in pauimento pingeretur.

Crucis ſupplicium abdicatum.

Baron.

Lancea Conſtantini in crucem verſa.

312\. Ex quibus euidenter liquet, Chriſti ac crucis eius imagines ſemper in Eccleſia Catholica cum honore & reuerentia ſeruatas fuiſſe, quidquid in contrarium clament Nouatores: ſed quo honore debeant huiuſmodi effigies reuereri, nunc nobis incumbit oſtendere.

313\. Ipſi igitur Chriſti Seruatoris ac Redemptoris noſtri imagini ſummus honor, nempe adoratio latriæ exhibenda eſt, ſi formaliter vt imago conſideretur: etenim ſi materialiter, & vt res quædam eſt, accipiatur, putà vt eſt lignum pictum, vel ſculptum, nulla ei eſt exhibenda reuerentia, quæ ſoli naturæ rationali debetur. Dum ergo Chriſti imago latriâ à Catholicis colitur, ipſe Chriſtus, cuius humanitas propter hypoſtaticam ad Verbum vnionem etiam latriâ debet honorari, adoratur. Cùm enim idem ſit motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago, vnde Damaſcenus *lib. 4. fid. cap.* 17. inducit Baſilium dicentem, *imaginis honor ad prototypum ſeu exemplar peruenit*; dum imago Chriſti colitur, ipſe Chriſtus, qui eius eſt exemplar, honoratur. Cumque nullus in Chriſtum credens latriæ adorationem ipſi Chriſto Deo & homini audeat denegare, neque eius imaginem adorare poterit recuſare. Sic in II. Concilio Nicæno definitum fuit, vt ſcilicet omnis honor, quem Chriſti imagini exhibemus, in ipſum Chriſtum Dominum referamus; vnde & Latini Patres, vt refert Sabellicus *lib.* 8. 8. *enneadis*, temporibus Caroli Magni duobus his verſibus è Græco tranſlatis, ſub rimula rythmi conſonantibus rem totam expreſſerunt:

Imago Chriſti, vt talis adoranda adoratione latriæ.

D. Damaſc. Idem eſt motus in imaginem, & in rē cuius eſt imago.

D. Baſil. *Conc. II. Nic.* Chriſtus in ſua imagine adoratur.

Hoc Deus eſt, quod imago docet: ſed non Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

314\. Sic igitur Chriſti Domini imago à nobis adoratur, vt omnis quæ illi à nobis exhibetur veneratio, in ipſum Saluatorem noſtrum referatur: & hoc modo, & non aliter imagines in Eccleſia Catholica honorantur, ſicut docet Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. vbi dicitur: *Honos qui eis* (imaginibus) *exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant, ita vt per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Concil. Trid.

Honor imaginibus exhibitus ad prototypa refertur.

315\. Verùm contra hanc doctrinam adducunt Nouatores illud Exodi 20. 4. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, &c. Non adorabis ea, neque coles, &c.* Quibus verbis prohibetur & fabricatio imaginum, & adoratio: ergo nec retineri, nec adorari debent imagines in Eccleſia.

Inſurgunt Nouatores.

316\. Reſp. verbis illis prohiberi idolorum fabricationem, & adorationem; non verò ſacrarum imaginum formationem ac venerationem. Vnde LXX. Interpretes legunt, *Non facies tibi idolum.* Quare Origenes *hom.* 8. *in Exod.* & Theodoretus *q.* 38. *in Exod.* præfata verba juxta verſionem Septuaginta exponentes, diſcrimen ponunt inter idolum & imaginem, quòd idolum eſt repræſentatio rei falſæ, & quæ non eſt. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 8. 4. *Idolum* (inquit) *nihil eſt in mundo.* Et *cap.* 10. 19. *Quid ergo? Dico quod idolum ſit aliquid?* Imago autem, quæ quaſi imitago dicitur, eſt repræſentatio rei veræ, & quæ de facto exiſtit. Sicut imago Chriſti eſt repræſentatio Filij Dei incarnati, pro nobis paſſi, ac crucifixi.

Refelluntur.

Idola fieri prohibentur, non imagines.

Diſcrimen inter illa.

317\. Vt autem pateat, verbis adductis ſolùm prohiberi idoli formationem & adorationem, quæ directè Dei adorationi opponitur, aduertendum eſt, ante verba adducta immediatè legi: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis: Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile*; vel vt legunt LXX. *idolum, &c.* Inſuper poſtquam dixit Deus: *Non adorabis ea, neque coles*; ſtatim ſubdit: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, &c.* Exodi 20. 5. Quibus omnibus manifeſtè conuincitur, inanium Deorum ſimulachra, ſeu idola, prohibita fuiſſe, non autem efformationem ſacrarum imaginum, verbi gratiâ Chriſti, &c. honor enim qui debetur Deo, nequaquam ſculptilibus, ſeu idolis ſenſu & ratione carentibus, vel dæmonibus, ſeu hominibus vitiorum ac criminum ſordibus maculoſis per illa repræſentatis exhiberi debet. Quod etiam confirmatur ex illo, quod Deus ſubdit ibidem 23. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Et ex illo Iſai. 42. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & gloriam meam ſculptilibus*, nullo modo prohibitæ ſunt imagines ſacræ, quæ rerum ſeu perſonarum ſanctarum veræ ſunt repræſentationes: vnde & Moyſi præcepit Deus, vt Cherubinos arte factos in propitiatorio collocaret: *Facies* (inquit) *& propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac ſemiſſem latitudo. Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi, &c.* Et Exodi 31. 5. *Dixit Deus Moyſi, ſe dediſſe Beſeleel omnem ſapientiam, & intelligentiam, & ſcientiam in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis,*

Præcepit Deus fieri imagines Cherubim aureas.

Beſeleel datus eſt à Deo cum Ooliab ad fabricandum imagines.

&

& diuerſitate lignorum. Deditque Deus ei ſocium Ooliab, qui amho laudantur tanquam peritiſſimi imaginum fabricatores, *Exod.* 35. Cùm ergo Deus ſcientiam & intelligentiam dederit duobus illis hominibus ad imagines fabricandas, illarum author eſſe videtur, ac conſequenter non illas, ſed idola prohibuit.

318. Rectè igitur à Chriſtianis ſacræ efformantur ac coluntur imagines repræſentantes Chriſtum Dominum, Beatiſſimam eius Genitricem, Apoſtolos eius, ac Martyres; ita vt non æquali omnes honorentur reuerentiâ, ſed maiori, vel minori, juxta maiorem vel minorem rei repræſentatæ dignitatem. Vnde quia Chriſtus Dominus tanquam verus Deus & homo latriæ adoratione colitur, eius imago eodem honore per accidens à nobis colitur.

319. Imago Chriſti adoratur adoratione latriæ per accidens, hoc eſt non per ſe, ſed quia Chriſtum repræſentat. D. Thom.

Dixi per accidens, vt omnis æquiuocatio, ſeu ambiguitas tollatur, & nequaquam per ſe imago latriâ adoretur. Tum quia non ratione ſui, ſed propter rem quam repræſentat, colitur. Tum quia in VII. Synodo generali, *act.* 7. expreſsè habetur, nullam imaginem etiam Chriſti, adorandam eſſe latriâ. Tum quia id docuiſſe videtur S. Thomas 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 3. *ad* 2. dum inquit: *Nos autem adoramus adoratione latria imaginem Chriſti, qui eſt verus Deus, non propter ipſam imaginem, ſed propter rem cuius eſt imago*; hoc eſt, quia idem motus eſt in imaginem, & in exemplar, Chriſti imaginem adoramus prout in ipſa exemplar eius, nempe Chriſtus, obiectiuè elucet. Vnde & Capreolus egregius doctrinæ D. Thomæ defenſor, *in* 3. *diſt.* 9. disertè admittit, adorationem iſtam imaginum eſſe per accidens, quomodo adorantur veſtes Regis, dum ipſe Rex veſtitus adoratur. Ipſe autem Chriſtus, qui obiectiuè vt exemplar ſplendet in imagine, per ſe & propriè latriâ adoratur; imago autem illum repræſentans duntaxat per accidens.

Capreolus.

320. Inſtant aduerſarij.

Opponunt deinde: Nihil in cultu diuino faciendum eſt, niſi ex diuino præcepto; ſolius enim Dei eſt Eccleſiæ modum, & ritum agendi præſcribere: vnde Apoſtolus de Sacramento Euchariſtiæ doctrinam traditurus, ſe illam à Domino accepiſſe profitetur 1. Cor. 11. *Ego*, inquit, *accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Sed in Scriptura nulla traditio de adorandis imaginibus inuenitur: ergo neque imago Chriſti eſt adoranda.

321. Refelluntur. D. Thom. Imagines nõ jubentur fieri in Scriptura, ſed non prohibentur: vnde Apoſtoli præceperunt vt in Eccleſia haberentur, & traditione jubentur.

Reſp. ex S. Thoma 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 3. *ad* 4. ſanctarum venerationem imaginum ab Apoſtolis familiari inſtinctu Spiritus Sancti Eccleſiæ traditam fuiſſe, vt inuiolabiliter ſeruaretur, & ab illis per ſucceſſionem Fidelium ad nos vſque deriuaretur, quamvis hæc ſcripta in ſacris Paginis non reperiatur. Vnde & Apoſtolus 2. *Theſſal.* 2. 14. dicit: *State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem*, ſcilicet ore prolatum, *ſiue per epiſtolam*, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam. Inter autem huiuſmodi traditiones eſt imaginum Chriſti adoratio. Vnde & S. Lucas imaginem Chriſti, ac ſanctiſſimæ eius Genitricis depinxit. Et id docet Baſilius *in Iulianum*, vt citat illum Adrianus Papa in epiſtola ad Imperatores in VII. Synodo, act. 2. *Hiſtorias*, inquit, *imaginum illorum honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum a ſanctis Apoſtolis non eſt prohibendum, &c.* Et Damaſcen. *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 17. dicit, *cultum crucis, & imaginum Apoſtolicam eſſe traditionem.*

D. Baſil. Adrian. Pap. Damaſc.

His adde, quod etiam ex Scripturâ quodammodo ſuaderi poteſt imaginis Chriſti adoratio; etenim ſi ſerpens æneus, cuius aſpectu à ſerpentibus percuſſi ſanabantur, Chriſtum in cruce exprimebat, & ideo Dominus ſuam in cruce exaltationem ſerpentis exaltationi comparauit, *Ioan.* 3. & honore religioſo ab Hebræis colebatur, vt docet D. Auguſt. *lib.* 3. *de Trin. cap.* 10. etiam imago ipſius Domini Ieſu pro nobis crucifixi debet magnâ veneratione coli. Arca fœderis, vt in Scriptura paſſim legitur, à Iudæis adorabatur tanquam imago Dei, qui in illa requieſcere dicebatur. Vnde dum *pſal.* 95. dicitur: *Adorate ſcabellum pedum eius*, Arcam adorandam ſignificari, quamplurimi docent Interpretes, adduntque aliqui, licitam fuiſſe adorationem Arcæ, quia hæc Chriſti Domini typus erat. Ergo à fortiori imago Chriſti Domini, tanquam expreſſa eius repræſentatio, debet à Chriſtianis adorari; maximè cùm ipſa imago ex illo reſpectu, quem ad prototypum dicit, ſancta exiſtat. Si enim Moyſi dixit Dominus è medio rubi, *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt*, Exod. 3. & ideo juſſit illi vt calceamenta in ſignum venerationis ſolueret; nonne ex ipſo Chriſto in imagine relucente ſanctitatem aſſequitur eius effigies, & venerationem fidelium meretur? 322.

Ex ſcripturis ſuadetur adoratio imaginis Chriſti. D. Auguſt.

Glorioſum dictum eſt *Chriſti ſepulchrum*, Iſai. 11. quia pretioſum eius corpus concludere aliquando debebat: & vt verbum illud adimpletum oſtendatur, ab omnibus Chriſtianæ Religionis cultoribus ad ipſum ex omni terrarum orbe confluentibus ſummo honore colitur. Cur ergo veneranda eius imago corpus eius, immò & totum ipſum Chriſtum expreſsè referens, Fidelium non recipiet venerationes.

Sanè tantam Arcæ fœderis olim reuerentiam exhiberi voluit Dominus, vt ſolis Leuitici generis Sacerdotibus illam tangere licuerit: ipſeque Oza, qui eam tenere auſus fuit, *percuſſus eſt à Domino ſuper temeritate ſua, & mortuus eſt ibi juxta Arcam Dei*, vt dicitur 2. *Reg.* 6. 7. Cur ergo Chriſtum Dominum per Arcam ſignificatum, in ſuis imaginibus expreſſum fas non erit honorare? Planè qui imagini eius exhibebitur honor, ab ipſo recipietur, & iniuriâ eius effigiei illata, ipſi inferetur, & ab eo ſeueriſſimè punietur. Nam vt ait Ambroſius ſerm. 10. in pſalm. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit: & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique feciſſe videtur iniuriam.* Quare cùm impiiſſimus apoſtata Iulianus ſtatuam Chriſti æneam, quam mulier ab eo à ſanguinis fluxu curata, præ foribus domus ſuæ Paneade, ſeu Cæſareæ Philippi, in perenne gratitudinis monumentum erexerat, amouiſſet, & ſuam in eodem loco collocaſſet, mox ignis de cœlo ſtatuam Iuliani diſcerpſit, & caput à reliquo corpore diuiſit, ad eum planè modum, quo idolo Dagon à Philiſtinis prope Arcam Dei collocato, 1. Reg. 5. 4. accidit. Quod refert Sozomenus *lib.* 5. *hiſt. cap.* 20.

323. Soli Leuitæ Arcam tãgebant, in eius reuerentiam.

D. Ambroſ.

Iulianus imaginem Chriſti amouens, & ſuam in eo loco collocans punitur. Ignis de cœlo capu à reliquo corpore diuiſit, & ſtatuam Iuliani contriuit.

§. Vnicus.

Crux Domini eſt adoranda.

INuictam inuicti Laurentij Martyris fortitudinem demiratus, palmaſque quas ex immani tyranni ferocitate, quâ corpus eius lento igne 324.

in craticula aſſatum eſt, intrepidus collegit athleta, glorioſo celebraturus encomio S. Leo Papa *ſerm. in natal. S. Laurentij*, in tortorem ſic inuehitur: *Sæuiſti perſequutor in Martyrem. Sæuiſti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij?* Liceat mihi in præſentiarum ſimili loquendi modo vti in Phariſæos, Scribas, cæteroſque Iudæos, qui inuidiâ, furore, ac irâ perciti, Chriſtum Dominum in crucem tolli cupierunt, rogarunt, efflagirarunt. Sæuiiſtis, inquam, Iudæi in Chriſtum: ſæuiiſtis & auxiſtis palmam, dum aggeraſtis pœnam; nam quid non ad Chriſti gloriam ingenium veſtrum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij. Crux etenim quæ cæteris maledictionem afferebat, per Chriſtum in ea fixum ita mutata eſt, vt ab ipſo recipiens benedictionem, ſummam illi gloriam contulerit. Immò dum Redemptor noſter inauditâ crudelitate crucis lignum, in quo mortem ſubire debebat, geſtare coactus eſt, *pulchrâ ſpecie triumphi ſui trophæum, & inuictiſſima patientia, ſignum ſalutis adorandum populis omnibus inferebat*, vt loquitur idem Leo *ſerm. 8. de paſſione Domini*.

Inſtrumenta ſupplicij in gloriam S. Laurentij Martyris tranſierunt.

Crux quæ Chriſto in opprobrium parata eſt, eius gloriam auxit.

S. Leo.

325. Hinc ſanctiſſimus Andreas Apoſtolus tanto crucis amore flagrauit, vt illam votis omnibus exquiſierit, & ad illam tanquam ad triumphum, ſummâ alacritate, ac animi ſecuritate cucurrerit. Illam ſiquidem gloriâ & honore fulgentem ex ſacrorum Chriſti contactu membrorum ſuſpexit; vnde ad eius aſpectum præclara hæc ex corde verba eructauit: *O bona crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini accepiſti. Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius, tanquam margaritis, ornata. Suſcipe diſcipulum eius, &c.* Nec diuerſa ſenſerunt cæteri Chriſti Domini diſcipuli, quibus crux ſummo ſemper & honori fuit, & amori. Ipſe namque inter alios gentium Magiſter, ſe Chriſto *confixum cruci* clamat *Gal. 2. 19. & ibid. 6. 14.* ſe in nullo alio, *niſi in cruce Domini gloriari* profitetur. Nec mirum, cùm ipſe Dei Filius, qui paternæ gloriæ ſplendor eſt, ſe per crucem exaltandum, ſeu glorificandum, & tunc omnia ad ſe tracturum dixerit, *Ioan. 3. 14. & 12. 32.* quod perpendens S. Leo *ſerm. 8. de paſſ. Dom.* inquit: *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi.* Quæ cùm ita ſint, Chriſtiani ſalutem ſuam in cruce à Domino conſummatam agnoſcentes, illam ſemper honore ac veneratione proſequuti ſunt. Sed quo honore? Nunc à nobis oſtenditur.

Andreas Apoſt. ad crucem vt ad triumphũ cucurrit.

Paulus in cruce gloriatur.

S. Leo.

Chriſtus in cruce omnia ad ſe traxit.

336. Ad cuius euidentiam aduertendum eſt, crucem tribus modis à nobis poſſe concipi. Primò vt eſt lignum quoddam inſenſibile: quo pacto non debetur ei nec honor, nec reuerentia, quæ ſoli creaturæ rationali debent exhiberi, & non naturæ inſenſibili, niſi vel rationalem repræſentet, vel ei coniungatur.

Crux præciſè vt eſt lignum non debet honorari.

327. Secundò poteſt concipi crux prout Chriſto vnita, & ex eius ſacrorum contactu membrorum ſanctificata, eiuſque ſanguine perfuſa. Et hoc modo debet adorari, non propter ſe, ſed propter Chriſtum, cui coniungitur, adoratione *latriæ*, quæ per accidens & analogicè cruci; Chriſto autem crucifixo per ſe, & propriè exhibetur.

Crux vt Chriſto vnita, & eius ſãguine irrigata, adoranda eſt cum Chriſto latriâ.

328. Tertiò denique, prout Chriſtum in ea fixum nobis exhibet, & repræſentat, & tunc eadem adoratione, quâ Chriſtus, nempe *latriæ*, modo iam expoſito adoratur, ita vt adoratio ad ipſum Criſtum crucifixum dirigatur, & terminetur. Quod in Eccleſia publicè obſeruatur, vbi dum in ſolenni paſſionis Dominicæ celebratione ipſa crux adoratur, etiam rogatur, & inuocatur, his verbis: *O crux aue ſpes vnica, &c.* Et, *Salue crux ſancta, ſalue mundi gloria, vera ſpes noſtra, &c.* quæ in hymno Inuentionis Sanctæ Crucis, in Breuiario Ord. FF. Prædicatorum, à Sede Apoſtolica approbato leguntur, quibus ſub nomine crucis Crucifixum potius, quàm crucem Fideles alloquuntur. Quæ omnia de vera cruce, in qua Deus ipſe pependit, intelligenda ſunt.

Crux vt nobis Chriſtũ in ea fixum repræſentat, adoranda eſt latriâ.

Inſuper aliæ cruces vel ex ligno, vel ex lapide, vel ex auro, vel ex argento, vel alia ex materia fabricatæ, primæ & veræ crucis effigiem referentes, etiam à Fidelibus eo modo quo imagines Chriſti ſunt adorandæ, nempe adoratione latriæ, per accidens, analogicè, & reductiuè; hæc enim adoratio non propter crucem præciſè, ſed propter Chriſtum crucifixum, qui tanquam exemplar repræſentatur, exhibetur, & ad ipſam Chriſti adorationem reducitur. 329.

Quæ doctrina apertè colligitur ex S. Thoma *3. p. quæſt. 25. art. 4. & ſequentibus*, & tum Scripturæ, tum Patrum teſtimoniis roboratur. Primò etenim non caſu, ſed ingenti prouidentiâ crucis ſupplicium à Chriſto ad redimendum genus humanum electum eſt; nam *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, vt dicitur *Iſai. 53. 7.* & contra ipſum *in ciuitate Ieruſalem conuenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus, & filiis Iſraël facere quæ manus & conſilium Dei decreuerunt fieri*, vt dicitur *Act. 4. 28.* Vnde & crux gloriæ Chriſti veluti thronus extitit; in illa etenim exaltatus, omnia ad ſeipſum traxit, ſicut ille promiſerat *Ioan. 12. 32.* & in ea Sacerdos in altari apparuit, cruentum corporis ſui Deo ſacrificium offerens; vnde & ſanguine ſuo mundum Deo reconciliauit, vt dicitur Coloſſ. 1. 20. *Pacificans per ſanguinem crucis eius.* Et ideo à Sancto Leone ſerm. 8. de paſſione: *Crux Chriſti non templi ara, ſed mundi* appellatur. In ea inſuper mortem occidit, peccatum deleuit, dæmones ſubegit ac triumphauit, vt dicitur Coloſſ. 2. 15. *Tollens chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & affigens illud cruci, exſpolians principatus, & poteſtates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in ſemetipſo.* Crux etenim triumphalis Chriſti extitit currus, in cuius ſuperiori parte Chriſtus victor ac triumphator viſibiliter, ad tempus & ſpontaneè; in inferiori verò Diabolus victus ac captiuus, immò & inuitus alligatus, inuiſibiliter in ſempiternum eius opprobrium affixus eſt. Ergo & Chriſtus in cruce, & ipſa crux thronus, ara, tribunal, ac currus triumphalis Domini debent à Fidelibus ſummo honore coli ac revereri. 330.

Aliæ cruces ex quacũque materia, vt imagines Chriſti, ſunt adorandæ adoratione latriæ.

S. Thom.

Ex ſpeciali prouidentia Chriſtus crucifixus eſt.

S. Leo.

Crux thronus, altare, tribunal & currus triũphalis Chriſti.

Hinc mirabilis à Domino ligno crucis virtus collata eſt, vt non ſolùm dæmones pelleret, & omnes morbos curaret, ſed etiam mortuis vitam reſtitueret, vt de facto contigit, dum ſanctiſſimum, in quo Chriſtus pependit, lignum, Helena Conſtantini matre agente, è terra erutum fuit: tunc demortui hominis cadauer ipſi applicatum extemplò vitam recuperauit, vt inter alios refert S. Paulinus *epiſt. ad Seuerum.* Vnde & Helena inuictam Conſtantino Filio cupiens fortitudinem, & ab hoſtibus ſecuritatem, clauum crucis 331.

Dæmones pellit, & mortuos ad vitam reuocat.

Illam è terra eruit S. Helena Conſtãtini mater.

Domini

D. Ambroſ. Clauum crucis in filij galea collocauit, vt ſuperatâti Principis caput adoraretur.

Domini in eius galea collocauit, vt etiam ſupra tanti Principis caput adoraretur; quod notauit Ambroſius orat. in Theodoſium: *Sapienter* (inquit) *Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit, vt crux Chriſti in Regibus adoretur.* Vnde & VI. Synodus *can.* 73. & VII. Synodus *act. vlt.* & ſimiliter VIII. Synodus *act. vltima*, de crucis veneratione canones ediderunt.

Imperatoris vexillum milites adorāt.

332. Etenim ſi Imperatoris vexillum milites adorant, vt teſtatur Sozomenus *lib.* 14. *hiſt. cap.*4. crux Chriſti, quæ Regis regum vexillum eſt, cur non adorabitur? Illa enim *Filij hominis ſignum* appellatur, *Matth.* 24. vt omnes Sancti Patres exponunt. Hinc Conſtantinus Magnus labarum in Romanorum exercitu geſtari ſolitum in formam crucis redegit, vt milites crucem venerari aſſueſcerent, vt ſcribit Sozomenus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 4. Deuictoque Maxentio, Romæ in loco celeberrimo idem Conſtantinus crucem erexit cum hac epigraphe, HOC SALVTARE SIGNVM. Ac inſuper in manu dextera ſtatuæ ſuæ crucem apponi præcepit, cum hac inſcriptione, *Hoc vno vera fortitudinis ſigno vrbem veſtram liberaui.* Alludens ſcilicet ad miraculoſam illam apparitionem, quâ crux luciſſima in aëre cum illis verbis, *ἐν τούτῳ νίκα*; ideſt, in hoc vince, ei planè vigilanti, ac cum toto exercitu iter facienti monſtrata eſt, vt refert Euſeb. *lib.* 1. *de vita Conſtantini.* Huiuſque Imperatoris tempore ab omnibus lignum crucis adorabatur; quod colligitur ex Lactantio Criſpi Cæſaris, filij Conſtantini præceptore, qui *carm. de cruce*, inquit:

Labarum ad formam crucis redegit Cōſtantinus.

In dextera ſtatuæ ſuæ crucem poſuit.

Crucem in aëre fulgentem, cum inſcriptione *In hoc vince*, aſpexit.

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

333. Immò & ante tempora Conſtantini Tertullianus, qui ſecundo Eccleſiæ ſeculo vixit, *in apologet. cap.* 16. Gentilium obiectioni de crucis ligneæ adoratione reſpondet: quod idem præſtat Minutius *in Octauio.* Vnde liquet, ab ipſo Eccleſiæ exordio etiam ante veræ crucis inuentionem crucis imaginem habere ac venerari Chriſtianos conſueuiſſe. Si enim lignum illud, in quo crucifixus eſt Dominus, felix à Sibylla appellatum eſt, *lib.* 6. *Carm. Sibyllin. prope finem*, his verbis,

Tertull. Min. Felix.

Adorabatur tempore Tertulliani.

In proceſſionibus Chryſoſtomus cruces præferre jubebat cum facibus ardentibus.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit;

Chriſtiani rectè illud venerantur, omnemque ſuam felicitatem ab illo, hoc eſt à ſanguine Chriſti in cruce effuſo, deriuari cognoſcunt. Vnde Ioan. Chryſoſt. in publicis ſupplicationibus argenteas cruces cum ardentibus facibus præferre jubebat, vt ſcribunt Socrates *lib.* 6. *cap.* 8. & Sozomen. *lib.* 8. *cap.* 8. Et Cyrillus *lib.* 6. *in Iulianum*, Iuliano Chriſtianos reprehendenti, quòd lignum crucis adorarent, eiúſque figuram ante domos ſuas depingerent, reſpondet. Et D. Auguſtinus *tract.* 36. *in Ioan. & in pſal.* 36. de honore quem Deus cruci reddi voluit, ſic loquitur: *Qui tantum honorem tribuit ſupplicio ſuo, quid ſeruat fidelibus ſuis?* Quod cum tanta pietate à fidelibus ſemper ſeruatum fuit, vt publico edicto Imperatores prohibuerint ſignum crucis in ſolo aut pauimento ſculpi, ne ſcilicet pedibus calcaretur crux, quæ à fidelibus debet adorari, vt jam ſuprà retigimus. Vnde & Tiberius optimus Imperator, cùm in palatio humi crucem in marmore inciſam vidiſſet, Theodoſij legem, de qua ſuprà, ſequutus mox erigi juſſit, inquiens: *Cruce Domini frontem & pectus munire debemus, & nos eam pedibus terimus?* vt ſcribit Paulus Diaconus *lib.* 18. *rerum Roman.* addens ſub illo marmore ingentem theſaurum repertum, amplius centum mille aureorum, quaſi in religioſi Principis pietatis mercedem.

Cyril.

D. Auguſt.

Tyberius Imp. crucem è pauimento ſuſtulit, & theſaurum inuenit.

Paul. Diac.

334. Verùm non ſolùm Chriſtianiſſimorum Imperatorum edicto, ac praxi, ſed etiam Eccleſiaſtico decreto crucem in pauimento vel ſolo ſculpi prohibitum eſt, cùm ei magna ſemper reuerentia fuerit exhibita, vt patet ex canone 73. Concilij in Trullo, vbi ſic legitur: *Quamobrem & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, crucis figuras quæ à nonnullis in ſolo ac pauimento fiunt, omninò deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuriâ afficiatur. Eos igitur qui deinceps crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari decernimus.* Quæ omnia perpetuam in Eccleſia crucis venerationem apertè demonſtrant.

Can. Trul.

335. Neque contra hanc veritatem militant Ambroſij *orat. de obitu Theodoſij*, à Nouatoribus adducta verba, ſcilicet: *Inuenit ergo Helena crucem Domini; Regem adorauit, non lignum, vtique quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum: ſed adorauit illum qui pependit in ligno, ſcriptum in titulo crucis.* Non, inquam, hæc contra quam propugnamus doctrinam militant, quia tantùm vult Ambroſius, Helenam crucem non adoraſſe, vt eſt quoddam lignum inſenſibile, & inanimatum, ac ſi in eo quædam ineſſet diuinitas, quia hoc modo Gentiles infidelitatis tenebris obuoluti lignum & lapides adorant. Sed nequaquam intendit crucem vt vnitam Chriſto, eius ſanguine decoratam, & ipſum crucifixum repræſentantem, ab Helena minimè fuiſſe adoratam, cùm mox ipſe Ambroſius crucis adorationem inſinuet: *Sapienter* (inquit) *Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit, & locauit, vt crux Chriſti in Regibus adoretur: non inſolentia iſta, ſed pietas eſt, quæ defertur ſacræ redemptioni.* Nec ſolius crucis, ſed etiam quibus Redemptoris noſtri pedes transfixi ſunt, clauorum adorationem docuit Ambroſius; ibidem enim ſubdit: *Ferro pedum Chriſti Reges inclinantur, Reges adorant, & Photiniani diuinitatem eius negant? Clauem crucis eius diademati ſuo præferunt Imperatores, & Ariani poteſtatem eius imminuunt?* Non igitur lignum in cruce, ſed Chriſtum in ea fixum adoramus, nullamque ei, niſi in ordine ad Chriſtum, venerationem exhibemus, vt ſæpe à nobis inculcatum eſt. Sic enim nobiliſſima illa ac beatiſſima fœmina Paula crucem venerabatur, de qua Hieronymus in eius vita, *tom.* 1. ſcribit: *Proſtrata ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

D. Ambroſ.

Crux non præcisè, ſed vnita Chriſto adorāda.

Helena crucem in diademate filij collocauit, & etiam clauum.

D. Ambroſ.

336. Sileant ergo Nouatores, nec ſolito contra crucis venerationem furore debacchentur. Cruces omnes, quas maiorum noſtrorum pietas variis in locis erexerat, vel frangere, vel comburere, vel delere conati ſunt: aliquas fregerunt, vel incenderunt in Gallia, Germania, Anglia, Suecia, &c. verùm adhuc ſuperſtites remanſerunt cruces, & deletarum loco aliæ in ligno, lapide & marmore erectæ ſunt, vt ſemper *ſupra firmam petram* fundata Eccleſia, omnium aduerſantium expugnationes oppugnet, & crux Domini, quæ orcum vicit, mundum debellauit, peccatum deleuit, etiam hæreſum impetus frangat, ipſoſque hæreticos ſuperet, & triumphet.

Caluiniſtæ crucem abhorrent.

Quidam tamen hæretici veritatis ſplendore ac vi crucis venerationem & antiquiſſimā in Eccleſia fatentur, & illam tanquam ritum verè Chriſtianum

Angeli hæretici crucem venerantur.

Digitized by Google

ſtianum amplectuntur. Sic enim in pſeudoſynodo Londinenſi Anglicani Nouatores ab Eccleſia Catholica ſegregati ſtatuerunt; nã *can.* 30. dicitur: *Honorem, & dignitatem crucis à tempore Apoſtolorum, ſignum ipſius in magna exiſtimatione & pretio poſuiſſe, ita vt Chriſtiani ab illo tempore eo vſi fuerint in omnibus actibus, &c.* Et *can.* 18. eiuſdem pſeudoſynodi præcipitur, *Vt quoties in diuinorum celebratione officiorum ſacrum Ieſu profertur nomen, omnes reuerenter ſe inclinent, vt moris eſt, externâ reuerentiâ internam teſtificantes humilitatem erga Dominum Ieſum, quem verum Filium Dei confitentur.* Ex quo loco deducitur, quod etiam cruci Dominum crucifixum exhibenti reuerentia exhibenda eſt, cùm idem qui à voce IESV ſignificatur, à cruce in qua pependit repræſentetur. Vnde & Iacobus Anglorum Rex, Anglicanæ Eccleſiæ caput, vt à ſuis appellatur, ſignum crucis in Baptiſmatis adminiſtratione retineri voluit, ac conſequenter quamdam reuerentiam ſigno crucis exhibendam arbitratus eſt.

337. *Lutherani cruces ſeruant.* Lutherani etiam in templis ſuis crucis figuram, vel erectam, vel pictam in templis ſuis habent, & ſigno crucis in Sacramento Baptiſmi vtuntur; vnde & ipſe Catholicæ Religionis infenſiſſimus hoſtis Lutherus, in omnibus, quos contra Fidem Catholicam edidit, libris ante imaginem Crucifixi genuflexus voluit depingi, vt videre eſt in omnibus ſuorum operum voluminibus editionis Senæ.

338. *Signo crucis veluti clypeo muniuntur Chriſtiani.* Cæterùm pro coronide quam propugnamus veritatis, placet hîc antiquiſſimum ab ortu Eccleſiæ Chriſtianorum morem, quo non ſolùm crucem, & eius effigiem venerati ſunt, ſed inſuper eius ſigno, tanquam clypeo contra omnia imminentia hoſtium inuiſibilium & viſibilium pericula ſunt muniti, ſubjicere, & obiter illuſtrare: hoc etenim *ſanguine agni in poſtibus domorum*, Exod. 12. & *ſigno Thau in frontibus gementium*, Ezech. 9. figuratum, *Apoc.* 7. verbis illis, *quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*, inculcatum, à primis Chriſtianæ Religionis cultoribus in praxim reductum fuit, vt apud Tertull. *lib. de corona militis* teſtatur, dum (*Tertull.*) ait: *Quandocumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus*, Cyprianus *lib.* 4. *ep.* 6. & *lib. de lapſis in principio.* Cyrillus Catech. 4. (*Cyrill.*) *Non pudeat* (inquit) *nos crucis Chriſti: quod ſi aliquis id occultè, tu manifeſtè ſigna te cruce in fronte.* Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.* 37. inter primas (*D. Baſil.*) Apoſtolicas traditiones ponit, *ſignare ſe ſigno crucis.* S. Ephrem lib. de pœnit. cap. 3. *Pingamus* (*S. Ephrem.*) (inquit) *in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum ſignum: armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armaturâ.* Et *lib. de armatura ſpirituali, cap.* 2. ait: *Scuti vice crucis ſigno teipſum muni; validiſſima enim armatura eſt.* Ipſeque Auguſtinus hoc luculento comprobat teſtimonio tract. 118. in Ioan. *Quid eſt* (inquit) *quod omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? Quod ſignum, niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, quâ regenerantur, ſiue oleo, quo chriſmate inunguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum* (*D. Auguſt.*) *ritè perficitur.* Idemque Auguſtinus *lib.* 1. *confeſſ. cap.* 11. ait: *Signabar jam ſigno crucis, & condiebar ſale Chriſti.* Ex quibus manifeſtè apparet, crucis effigiem, eiuſque ſignum ab initio Eccleſiæ Fideles fuiſſe veneratos. Nec hoc diffiteri va-(*Fatetur Molineus*)lent Nouatores, cùm ipſe Molineus *in ſuo clypeo fidei, ſect.* 121. diſertè fateatur, veteres Chri-(*Chriſtianos tẽpore Tertulliani, in fronte ſignũ crucis efformaſſe.*)ſtianos à tempore Tertulliani, hoc eſt ducentis à natiuitate Chriſti annis, in fronte ſignum crucis efformaſſe, vt ſe crucem non erubeſcere demonſtrarent; ac poſtea eius figuram ab illis pluribus in locis fuiſſe depictam, ipſoſque Chriſtianos Principes in nummis ac pecuniis, quæ ab omnibus adamantur, crucis ſignum impreſſiſſe.

SECTIO IV.

De Sanctorum, eorumque imaginum veneratione.

VT omni ex capite catholicæ circa adoratio- 339.
nem, ſeu venerationem veritates firmæ pateant, ac rectè contra hæreticorum petulantiam ſtabilitæ; ideo poſtquam Sanctiſſimæ Eochariſtiæ, ac imaginis, & crucis Chriſti adorationem contra Nouatores in præcedentibus probauimus; Sanctorum, qui cum Deo regnant, hominum & Angelorum, eorumque imaginum venerationem modò ſtabilire debemus.

Sanctiſſima igitur Deipara ac Virgo perpetua 340. (*B. V. Maria infra Deum & ſuper omnes Sanctos debet honorari hyperduliâ.*)
& immaculata Maria, quæ *Angelos vicit puritate*, vt ait S. Bernardus, & *regina totius extitit caſtitatis*, vt loquitur Chryſologus, ac Sanctis ſupereminet vniuerſis, ſpeciali honore debet reuereri, minori quidem illo qui Deo Opt. Max. exhibetur, ſed maiori aliis omnibus, qui cæteris Sanctis à Fidelibus redduntur: qui honor *Hyperdulia* appellatur. Cùm enim honor Reginæ judicium diligat, vt loquitur Bernardus *ep.* 174. *ad Canon Lugdun.* ipſaque licèt ſanctiſſima, tamen ſit pura creatura, à Deo dependens, ipſique ſubiecta; & nihilominus propter inæſtimabilem matris eius dignitatem, ipſi cæteris Sanctis ſit propinquior & coniunctior, Filius enim Dei corpus ex eius puriſſimo formatum ſanguine in ſanctiſſimo eius vtero ſibi hypoſtaticè cum anima rationali copulauit: ideo non adoratione latriæ, quæ ſoli Deo debetur; ſed hyperduliâ, hoc eſt cultu maiori, quo aliqua rationalis poteſt coli creatura, debet honorari.

Porrò eiuſdem ſanctiſſimæ Dei Genitricis 341. (*Eius imagini debetur honor idem cũ cum proportione.*)
imaginibus, quæ in Eccleſiis à tempore quo illa inter homines verſabatur, magno in honore ſunt habitæ, vt patet ex imaginibus illius à Sancto Luca Euangeliſta depictis, debetur etiam analogicè, ſeu cum proportione idem cultus hyperduliæ, qui non in imagine ſiſtit, ſed ad exemplar ſeu prototypum, nempe Beatam Virginem reducitur. Sic enim in VII. Synodo (*VII. Synod.*) *act.* 7. definitum eſt, vbi poſtquam ſtatutum eſt, venerabiles & ſanctas imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque intemeratæ ac ſanctæ Genitricis, aliorumque Sanctorum adorandas & honorandas eſſe, non tamen verâ latriâ, quæ ſoli Deo debetur, ſubditur: *Imaginis enim honor ad primitiuum tranſit; & qui adorat imaginem, adorat & eius hypoſtaſin, quem in illa depictum intuetur.*

Itaque *hyperdulia* adoratio, ſeu veneratio, quæ 342.
ſanctis Deiparæ Virginis imaginibus à Chriſtianis ab initio Eccleſiæ vbique terrarum exhibita eſt, & etiamnum exhibetur, non abſoluta, ſed relatiua dicenda eſt, quia & immediatè ad prototypum, nempe Mariam Virginem, & mediatè in ipſum, qui *mirabilis eſt in Sanctis ſuis* Deum,

Honor exhibitus imaginibus B. Mariæ, ad illam refertur, & ab illa ad Deum.

Deum, & qui in ipſis & ſpernitur, dum ſpernuntur; & colitur, dum reuerentur, refertur. Vnde ſacrarum cùm Deiparæ, tum aliorum Sanctorum imaginum venerationem approbaſſe ac confirmaſſe videtur Deus ingentibus, quæ per illas patrare voluit miraculis, quorum meminit jam citata VII. à Synodus *act.* 4. quæ breuitati conſulentes reticemus.

343. Sancti inſuper Angeli & homines æternâ beatitudine jam donati, ac in cœlis cum Chriſto regnantes à Fidelibus honorandi ſunt, ſeu adorandi (adorare enim latè ſumptum idem eſt ac honorare, ſicuti dum Reges honorantur & reuerentur à ſubditis, adorari dicuntur) veneratione quæ *Dulia* appellatur, & quæ à latria quâ Deum tanquam primam omnium cauſam, & finem vltimum, ipſi omninò ſeruientes & ſubditi colimus & adoramus, valde differt. Eſt autem dulia, honor exhibitus creaturæ rationali Dei ſimilitudinem poſſidenti, & ei per gratiam & gloriam coniunctæ, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. & 4. Cùm ergo, vt idem Sanctus Doctor loquitur 3. p. quæſt. 25. art. 6. *manifeſtum ſit, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios & amicos, & noſtros interceſſores*; hinc ſequitur, quod illos duliæ veneratione debemus colere ac venerari.

Sancti Angeli & homines in cœlis regnātes honorandi ſunt duliâ.

D. Thom.

Sanctos honoramus, vt membra Christi, Dei filios, & amicos, noſtroſque interceſſores. Eorum imagines eodem modo honorandæ, cum proportione.

344. Sanctorum autem imagines, vt formaliter tales, hoc eſt vt ipſos Sanctos nobis exhibent ac repræſentant, eadem veneratione, quâ ipſos Sanctos debemus honorare, ita vt ipſa veneratio ad illos Sanctos ſemper dirigatur, & imago non per ſe, ſeu propter ſe, ſed propter prototypum honoretur, & tandem in prototypo Dominus noſter Ieſus Chriſtus illos ſanctificans colatur, & adoretur. Omnis enim qui ab Eccleſia Sanctis & eorum exhibetur imaginibus honor, relatiuus eſt, & ad ipſum qui infinitâ bonitate & miſericordiâ cunctos condidit Sanctos, terminatur. Quod Sacroſancta Tridentina Synodus apertè declarat *ſeſſ.* 25. vbi poſtquam præcepit omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus gerentibus, vt juxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, doceant non modò corpora Sanctorum a Fidelibus veneranda eſſe, ſed & imagines in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur ineſſe eis aliqua diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; ſubdit: *Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ repræſentant, ita vt per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Quæ Nouatores propter ſanctarum venerationem imaginum calumniantes, ac idololatras Catholicos appellantes jugulant & confodiunt. Nulla enim creatura à nobis, ſed ſolus Deus veræ latriæ cultu colitur, quamvis Sanctos pro dignitatum ac meritorum diuerſitate, ac variis, quas à Deo acceperunt gratiis & dotibus, variis honoribus veneremur.

Honor Sanctis, & eorū imaginibus exhibitus, ad Chriſtum Deum terminatur.

Concil. Trid.

Confutantur Nouatores.

345. Quamobrem nullus verè Chriſtianus & Sanctis, & ſacris eorum imaginibus cultum & honorem deneganit; primi enim iconomachi, qui ſacras imagines abolere omninò conati ſunt, fuerunt Iudæi, vt patet ex eorum Thalmud, qui prodiit anno Chriſti 476. vbi *ord.* 2. *tract.* 1. *diſt.* 2. dicitur, *Chriſtianorum Eccleſias eſſe domos idololatriæ*, ſcilicet propter imagines, quæ in eis viſuntur. Ab Hebræis igitur Chriſtianæ Religionis hoſtibus infenſiſſimis bellum in ſacras imagines primò indictum eſt: vnde Iuſtino juniore imperante Samaritani quidam irruperunt in aliquam Eccleſiam, & in Chriſti ac Sanctorum imagines ferociſſimè ſunt graſſati, vt conſtat ex epiſtola Simeonis Eremitæ ad Iuſtinum Imperatorem, quæ habetur in VII. Synodo, *act.* 5. Vnde Leo Iſaurus impius Imperator à Iudæis in ſacras actus imagines, eas publico edicto è templis deleri juſſit. Cui Gregorius Papa ſecundus, & Germanus Conſtantinopolis Patriarcha apertè reſtiterunt, vt videre eſt apud Baronium anno Chriſti 726. Eiuſque filius Conſtantinus, Copronymus inde dictus, quòd in futuræ improbitatis præſagium, dum baptizaretur, ſacrum fontem ſtercore fœdauit, paternæ impietatis hæres, eundem errorem amplexus, propugnare ac illum propagare conatus eſt, omneſque qui ſacras imagines vel frangere, vel delere voluerunt, ab iſtis impuris ac impiis Principibus ſuam impietatem hauſerunt: nam Leo Armenus, Michaël Balbus, & Theophilus Imperatores Orientales, Leonis & Copronymi veſtigia ſequuti ſunt; immò & Claudius Hiſpanus Epiſcopus Taurinenſis, Felicis Vrgelitani diſcipulus, qui tempore Ludouici Pij, Caroli Magni filij, in Occidente eaſdem imagines impugnauit. Illis coniuncti ſunt Andreas Carolſtadius, qui primus inter Lutheranos, teſte Cochleo in vita Lutheri, anno 1522. imagines è templis abſtulit: Zuingliani, Caluinus, omneſque eius aſſeclæ, qui Hebræorum contra ſacras imagines odium per impiiſſimos Principes ab Eccleſia Catholica damnatos, veluti per manus tranſmiſſum libenter hauſerunt.

Nullus verus Chriſtianus Sanctis, & eorū imaginibus honorem denegauit.

Iudæi primi iconomachi, Chriſti & Sanctorum imagines vaſtantes.

VII. Synod.

Leo Iſaurus à Iudæis in ſacras actus imagines.

Cōſtantinus Copronymus paternæ impietatis hæres.

Leo Armen. & alij ſacrarum hoſtes imaginum.

Carolſtadius, Caluinus, eiuſque ſequaces iconomachi.

Verùm ſemper firma, inconcuſſa, immò & victrix in ſanctarum veneratione imaginum Catholica permanſit Eccleſia, & illo qui in imaginibus colitur, adiuuante Saluatore, impietatis fautores, & Sanctorum imaginum impugnatores proſtrauit ac deuicit, eadem docens vltimis his ſeculis, quæ in primis docuit, tenuit, ac in praxim redegit. Vnde & Chriſtus Dominus inter Apoſtolos Petrum & Paulum à primis Chriſtianis depingebatur, vt ſcribit D. Auguſtinus *lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſt. cap.* 10. & Chryſoſtomus *orat. in S. Meletium* ait, *Meletij imagines adeo frequentes fuiſſe inter fideles, vt etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, atque vbique alibi conſpicerentur.* Et tandem Theodoretus in vita Simeonis Stylitæ ait, *Romæ in omnibus officinis pro foribus pendere conſueuiſſe imagines Sancti Simeonis.* Quare rectè Gregorius Magnus reprehendit Serenum Maſſiliæ Epiſcopum, quòd ſacras Sanctorum imagines è templis ſuæ Diœceſis ablatas, igne comburendas tradiderat, quia ſcilicet Gentiles ad fidem Chriſti conuerſi eas tanquam numina adorabant, & juſſit eidem Epiſcopo, vt ſacras imagines reſtitueret, eaſque non cultu latriæ adorari, ſed minori reuerentiâ coli debere populum doceret. Quod patet ex eodem Gregorio *lib.* 9. *ep.* 9. vbi eidem Epiſcopo ſic loquitur: *Frangi non debuit, quod non ad adorandum, ſed ad inſtruendas ſolummodò neſcientium mentes fuit in* 346.

D. Auguſt.

Chriſtus inter Apoſtolos Petrū & Paulum, initio Eccleſiæ pingebatur.

Serenus Maſſiliæ Epiſcopus à S. Gregorio reprehenſus, quòd ſacras imagines abſtulerit.

Eccleſia collocatum. Et infrà: *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare vero imagines modis omnibus deuita.* Quod ſic intelligendum eſt, vt ipſis imaginibus, vt res quædam ſunt, putà ligna, lapides, & huiuſmodi; nullo modo aliqua adoratio, ſeu veneratio, quæ rationali dumtaxat creaturæ competit, exhibeatur. Qui ſenſus genuinus eſt Gregorij, qui ibidem ait, *Imagines ſeruandas fuiſſe, non tamen adorandas: quatenus,* inquit, *& literarum neſcij haberent vnde ſcientiam hiſtoria colligerent, & populus in pictura adoratione non peccaret.* Et infrà ſubdit, *Serenum Epiſcopum populo ſignificare debere, vt commotionem ſuam in frangendis imaginibus excuſaret, quia picturas imaginum ad ædificationem factas, tranſiiſſe in adorationem viderat, &c. ſibique diſplicuiſſe, non viſionem ipſam hiſtoriæ, quæ picturà teſte pandebatur; ſed adorationem, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita.*

Non ſunt adorandæ imagines, vt ſunt res quædam, putà lignum, &c. ſed vt repræſentant.

347\. Vel ad ſummum Gregorius intendit, ne Serenus permittat imagines adorari ſummâ & magnâ adoratione, quæ ſoli Deo exhibetur: cumque laudat quòd illam adorationem prohibuerit, ac propterea voluit populum admoneri, vt in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternatur. Quod tamen non impedit, quin adoratione duliæ relatiuâ, ſeu adoratione dicta ſecundùm quid, propter quod exhibent exemplar, valeant adorari.

Vt imagines Sanctorum ſunt, non debent adorari adoratione latriæ.

348\. Quo etiam modo eorundem Sanctorum ſacra corpora, ſeu reliquias poſſumus, ac debemus adorare. Vnde vt refert S. Thomas 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 6. *in arg. Sed contrà, in lib. de Eccleſ. dogmat.* qui inter opera Auguſtini circumfertur, cap. 73. *Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum reliquias, ac ſi membra Chriſti, ſynceriſſime honoranda credimus.* Non quidem latriæ, ſed duliæ cultu, ſemper minori eo, quem Deo reddimus. Quod expreſsè docuit Hieronymus contra Vigilantium hæreticum, *epiſt. ad Riparium,* vbi ait: *Nos non dico Martyrum reliquias, ſed nec Solem, nec Lunam, nec Angelos adoramus,* ſcilicet adoratione latriæ: *Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum cuius ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum.* Et hæc de adoratione imaginum Chriſti, Crucis, & Sanctorum dicta ſufficiant.

S. Thom.

Corpora SS. Martyrum ſunt adoranda cultu duliæ.

D. Hieron.

Chriſtus in Sanctis honoratur.

TEXTVS XXII.

In figuris præſignatur,
Cùm Iſaac immolatur,
Agnus paſchæ deputatur,
Datur manna patribus.

EXPOSITIO TEXTVS.

349\. POSTQVAM Doctor Angelicus in ſuperioribus textibus ea omnia quæ ad ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti naturam, ſeu eſſentiam, effectus, dignitatem, ac venerationem pertinent, explanauit; nunc ad aliquas, eaſque celebriores eius figuras progreditur deſcribendas.

350\. Dixi *aliquas*, quia non omnes hîc tanti Sacramenti commemorauit, ſed tres dumtaxat adduxit adumbrationes; quæ quidem celeberrimæ in ſacris Literis recenſentur. Huiuſmodi autem ſunt Iſaac Abrahæ vnigeniti ad præceptum Domini oblatio, ſeu immolatio incruenta; voluntate enim filium dilectiſſimum, ſed reipſa arietem iugulauit; vnde cruenta fuit arietis oblatio, & incruenta Iſaac immolatio. Agni paſchalis inſuper ſacrificium, eiuſque complementum, nempe manducatio: ac tandem mirabilis illius è cœlo præſtiti cibi, qui ex rei inſolitæ ſingularitate manna appellatus eſt, conceſſio. Sed præter iſtas aliæ in ſacris paginis Euchariſtiæ figuræ occurrunt notandæ, quas inter panis & vini à Melchiſedech Rege Salem oblatio, de qua *Gen.* 14. 18. potiſſima fuit figura huius Sacramenti, vt loquitur S. D. 3. *p. quæſt.* 73. *art.* 6. Similiter panes propoſitionis, qui ſuper menſam in conſpectu Domini ſemper debebant manere, vt dicitur *Exod.* 25. 30. Euchariſtiæ typus extiterunt: ipſumque lignum vitæ, quod Deus in medio paradiſi collocauit, vt legitur *Gen.* 2. 9. Sacramentum hoc non obſcurè ſignificauit. Verùm his omnibus adumbrationibus prætermiſſis, aliarum trium dumtaxat meminit Sanctus Thomas, dum ait:

Tres illuſtriores Euchariſtiæ figuræ.

Immolatio Iſaac.

Agni paſchalis ſacrificiū, & manna.

Oblatio Melchiſedech, panes propoſitionis, & lignum vitæ in medio Paradiſi, figuræ Euchariſtiæ.

In figuris præſignatur. Ac ſi diceret, cibus iſte, qui panis Angelorum eſt, & qui in Euchariſtiæ Sacramento viatorum hominum cibus effectus eſt, eoſque tanquam Dei filios cœleſti ac diuinâ eſcâ, nempe vnigeniti Filij Dei corpore & ſanguine reficit, & ad cœleſtem hæreditatem veluti manuducit, à Deo ante ſecula præordinatus, variis ex eius prouidentia à condito ſeculo figuris deſignatus, ſignificatus, ac declaratus fuit. 351.

Cùm enim Chriſtus Dominus, eiuſque Sponſa dilectiſſima Chriſtianorum Eccleſia, variis per longa ſecula cùm Prophetarum vaticiniis, tum diuerſarum adumbrationibus figurarum in ſacris Literis contentarum, immò & Sibyllarum carminibus fuerint expreſſi, vt quamplurimis orbis admonitus oraculis ad Chriſtum, eiuſque fidem ſuſcipiendam quodammodò diſponeretur; conſentaneum maximè fuit, vt ſacroſancta Euchariſtia paſſionis Domini perenne memoriale, ac epilogus, corporis ac ſanguinis eius ſedes regalis, ac thronus, cæterorumque cùm Sacramentorum, tum myſteriorum Chriſtianæ Religionis auguſtiſſimum ac nobiliſſimum, etiam ſingularibus figuris, quæ in Iſraëlitico populo veri Dei cultore patratæ ſunt, exprimeretur. Non ſolùm autem diuinis Euchariſtia promiſſa ac prænuntiata eſt ſermonibus, vt in ſacris veteris Teſtamenti codicibus paſſim legitur, verùm etiam præclaris, quæ in illis narrantur, actionibus, ac inſolitis, quæ ibidem referuntur, vel hoſtiis, vel alimentis præſignata eſt ac figurata. Vnde & S. Thomas præcipuas huius Sacramenti figuras compendioſe perſtrinxit tribus, eiſque admirandis in ſacra pagina relatis actibus, dum ſubdit: 352.

Chriſtus, & eius Eccleſia variis modis prænunciata.

Euchariſtia etiam variis debuit figuris præſignari.

Cùm Iſaac immolatur. Vbi Iſaac Abrahæ vnigeniti incruentam immolationem, Chriſti Filij Dei vnigeniti in Euchariſtia oblationem ſignificaſſe demonſtrat. Etenim vtriuſque, & parentis erga Deum, & filij erga parentem obedientiam Chriſtus in ſe complectens, corpus ſuum in cruce cruentâ immolatione obtulit, & in Euchariſtia incruentâ oblatione donauit. 353.

Iſaac immolatus Chriſtum oblatū deſignabat. Iſaac & Abrahæ obedientiam Chriſtus in ſe complexus eſt.

Sanè multa ſunt, quæ vt in Abrahæ filij immola 354.

immolatione Euchariſtia præſignaretur, conducunt. Primò quidem ipſum Dei præceptum, quo Abrahæ imperauit, vt vnigenitum, quem vehementer diligebat, ſibi in holocauſtum offerret.

Obedientia Abrahæ vnigenitum immolantis, Deum ad filium ſunt dandum hominibus incitauit.

Hoc enim juſſit, vt ob promptiſſimam obſequentiſſimi famuli ſui obedientiam, quâ filium ſuum affectu mactauit, proprium, conſubſtantialem, ac dilectiſſimum Filium mutuâ vice non ſolùm Abrahæ, ſed & cunctis hominibus rependeret, ac illum in cruce & in Euchariſtia immolatum, nobis tradens, incruentam Iſaac oblationem, Chriſti in paſſione cruentâ, & in Sacramento incruentâ immolatione compenſaret.

D. Chryſoſt.

Quod innuit Chryſoſtomus, dum *hom.* 48. *in Gen. & hom.* 25. *in Ep. ad Hebr.* aduertit, ideo Deum ab homine, nempe Abraham, filium ſuum in holocauſtum poſtulaſſe, vt ille vnigenitum ſuum pro hominibus etiam in holocauſtum tradere teneretur. Petit enim Deus ab homine, vt hominem à ſe bona doceat poſtulare. Quod etiam colligitur ex verbis Domini Abraham alloquentis, Gen. 22. 16.

Promiſſio Meſſiæ ex ſemine Abrahæ.

Per memetipſum juraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Quibus verbis Filij ſui incarnationem ex ſemine Abrahæ pollicitus eſt, idque optimè intellexit fideliſſimus credentium pater, ac intelligendo lætatus eſt, vt atteſtatur Dominus, Ioan. 8. 56. *Abraham*, inquit, *exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.*

Quomodo Deus aſſumpſit Abraham in exemplū.

Vnde cùm Deus Filium ſuum vnicum ac dilectiſſimum hominibus tradiderit, vt morte ſuâ illos ab æterna morte liberaret, ac re ipſa in Filio ſuo fecerit, quod in Iſaac Abraham præſtitit affectu; non veritus eſt Apoſtolus dicere, quod Deus *illum in parabolam accepit*, Hebr. 11. 19.

D. Chryſoſt.

ſeu vt exponit Chryſoſtomus, *in exemplum.* Quia ſcilicet ſancti Abrahæ filium ſuum immolantis, Deus proprium Filium pro nobis tradens, imitatus eſt actionem.

Lyppom.

Vnde & Lyppomanus *in Catena*, Deum ſic loquentem inducit: *Quia Abraham non peperciſti filio tuo propter me, viciſſim tibi tradam, ait Dominus, Filium vnigenitum meum propter te, & non parcam ei: vt enim melior ſum, ſic tibi amoris ſignum maius præſtabo.* Cùm igitur paſſionis, mortis ac immolationis Chriſti memoriale, ac jugis expreſſio ſacroſancta ſit Euchariſtia, ipſumque Chriſtum Dominum paſſum, immolatum ac rediuiuum realiter contineat, nobiſque tanquam alimentum ac ſacrificium conferat, rectè per Iſaac immolationem ex ſpeciali Dei mandato fuit præfigurata.

355. Secundò, locus in quo juſſus eſt Abraham dilectum filium immolare: hic enim mons fuit Moria, qui mons latriæ, ſeu adorationis interpretatur, vt notat Franciſcus de Mendoza *tom.* 1. *in lib. Reg. cap.* 2. *num.* 18. *annot.* 11. *ſect.* 3.

Iſaac immolatus fuit in mōte Moria, ſeu latriæ & adorationis.

Ad hunc feſtinanter perrexit Abraham, & ſummâ diligentiâ ad iter eiuſdem ſe accinxit: *De nocte enim conſurgens, abiit ad locum, quem præceperat ei Dominus; die autem tertio eleuatis oculis, vidit locum*, vt dicitur *Gen.* 22. 3. & 4. Quæ omnia planè Euchariſtiæ inſtitutionem non obſcurè exprimunt; nam & cœnaculum magnum ſtratum, in quo primùm Dominus corpus & ſanguinem ſuum dilectiſſimis manducandum & bibendum præbuit diſcipulis, in monte Sion, qui Moriæ monti coniunctus eſt, vt in vtroque magnificum à Salomone templum conſtrueretur, vt initio huius operis oſtendimus, ſitum eſt: & ardens, quo vt Sacramentum hoc inſtitueret, ipſumque cum Apoſtolis ederet, concepit deſiderium, juxta illud Luc. 22. 15.

Cœnaculum vbi Chriſtus Euchariſtiā inſtituit, ſupra montem Sion & Moria ſitum eſt.

Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, Abrahæ feſtinatione ac diligentiâ deſignatum eſt. Sicut enim Abraham *in mortem filij piâ crudelitate feſtinat*, vt Melliſluus loquitur Bernardus *ſerm. de gradibus obedientiæ*;

S. Bernard.

ita & Chriſtus ad propriam mortem, & ad eius perennem in Euchariſtia memoriam relinquendam immenſâ charitate properauit. Vbi etiam notatu dignum eſt, quod quemadmodum Abraham ad montem pergens, vt in eo filium immolaret, & oculis, & affectu priuſquam corpore, ad illum peruenit, ac deſiderij alis veluti delatus ſeipſum mente præceſſit; nam *eleuatis oculis vidit locum procul*, vt ſacer narrat textus *Gen.* 22. 4.

Abraham aſpiciens montem vbi immolare debebat, ſeipſum mēte præcedebat.

ita & Redemptor noſter moriturus, ac ſeipſum immolaturus, in Ieruſalem cum diſcipulis veniens, *præcedebat eos, & ſtupebant*, Marc. 10. 32. Nec ſolùm promptiori gradu comitantes antecedebat, ſed & oculis, & affectu ante ſeipſum in Ieruſalem tranſvolabat.

Chriſtus veniens in Ieruſalem, Apoſtolos & ſeipſum præceſſit deſiderio, affectu & oculis.

Quod & Lucas *cap.* 9. 51. diſertè teſtatur, dum ait: *Factum eſt dum complerentur dies aſſumptionis ſuæ, & ipſe faciem ſuam firmauit, vt iret in Ieruſalem*: hoc eſt, vultu, oculis, & mente, antequàm corpore & pedibus, in Ieruſalem properabat, jam mente cernens, ac procul ipſis oculis intuens locum, in quo & mortem obire, & mortis ſuæ perenne in Euchariſtia monumentum volebat relinquere.

D. Ambroſ.

Vnde Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham*; *cap.* 8. eius oculos eleuatos, vt locum in quo immolare volebat filium à longè aſpiceret, demiratus: *Sollicitè explorat*, inquit, *qui properat implere.* Ac ſtatim ſubdit: *Quamvis ſenilem ſtudio celeraret gradum, tamen hoc ſerum putans, præcedebat oculis: vigebant ſingulorum officia membrorum, licèt ſenilia membra non poſſent vigere. Solet hebeſcere viſus ſenum, vt etiam propinqua non facilè conſpiciant. Hic non ſolùm vidit locum, ſed etiam longè poſitum aſpexit.* Hæc Ambroſius.

Viſus Abrahæ, etſi ſenis, acutiſſimus.

356. Planè hæc omnia præſtitit Chriſtus, Euchariſtiâ & morte ſeipſum immolaturus, dum in Ieruſalem venit: omnes enim ſecum venientes præcedebat, & tamen hoc ſerum putans, præcedebat oculis. *Firmauit* enim, hoc eſt direxit, *faciem ſuam contra Ieruſalem*, ac ſtrictum in illum locum mortis ſuæ vibrauit aciem oculorum.

Vbi oculus, ibi amor.

Vbi errat oculus, ibi errat affectus.

Nec mirum; nam *vbi amor, ibi oculus*, vt loquitur Philoſophus: & *vbi errat oculus, ibi errat affectus*, vt ait Ambroſius. Cùm ergo ex ſumma charitate pro hominum ſalute, ac propria gloria mortem oppeteret, ac corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini in mortis ſuæ memoriam tradere vehementer deſideraret; illi in quo & amorem, & deſideria compleret, loco figebat occulos, & ad illum faciem firmabat, vt ſeipſum oculis, affectu, ac mente præcederet, & factum Abrahæ in ſemetipſo conſummaret. Hinc etiam poſtquam ad locum acceſſit, ingrato ac traditori diſcipulo ſuam in agendo tarditatem exprobrans, ac propriæ charitati indulgens, inquit: *Quod facis, fac citiùs*, Ioan. 13. 27. Vbi infinitum ſuum & amorem manifeſtauit, & ſummam vt pateretur, diligentiam declarauit. Nullam quippe contra proditorem

Diligentiam Chriſtus ſuaſit proditori, vt citiùs amori ſuo moriens pro hominibus faceret ſatis.

D. Auguſt.

Baſil. & Theod.

Deſiderium quo Chriſtus ad mortem feſtinauit, vicit diligentiã quâ eum Iudæi morti tradebant.

Cur ramis palmarum ac oliuarum ſtipatus Chriſtus in Ieruſalem venit.

iram habuit, ſed vt pro mundi redemptione citiùs immolaretur, ardenti deſiderio flagrauit. Quod Auguſtinus docuit præfata exponens verba: *O verbum*, inquit, *libentiùs parati, quàm irati! Dixit, Quod facis fac citiùs, non tam in perniciem perfidi ſæuiendo, quàm ad ſalutem fidelium feſtinando.* Quare optimè quadrant Saluatori ad mortem feſtinanti verba Pſalmiſtæ, pſal. 61. 5. *Cucurri in ſiti*, vti eſt in editione vulgata. Quamvis enim Baſilius & Theodoretus legant: *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurrerunt in ſiti*, vt eodem teſtimonio ſæuientium in Chriſtum Iudæorum malitiam, & eorum ad eius mortem procurandam feſtinationem præcipitem exprimant; attamen eorum diligentiam ad mortem inferendam vicit ardentiſſimum in Chriſto moriendi deſiderium, ita vt citiùs ad mortem ſuſtinendam, quàm illi ad inferendam, cucurrerit. Nam & ſitim, quæ ex ſummo calore in illis qui citiſſimè currunt, aduenit, dum ad crucem Chriſtus properaret, vehementem tolerauit. Hinc eſt, quod triumphaos, palmarum & oliuarum ramorum venuſtate decoratus, Hieroſolymam ingredi voluit, vt inuidiam frementium Iudæorum huius pompæ fulgore aduersùm ſe concitaret. Quod notauit Chryſoſtomus hom. in Matth. 21. *Ideo*, inquit, *cum tanta gloria eſt ingreſſus, vt ampliùs eorum* (Iudæorum) *aduersùs ſe excitaret inuidiam, quia jam tempus paſſionis eius inſtabat, & non mors eum vrgebat, ſed ipſe magis aduersùs ſe compellebat mortem.*

357. Poſt tres dies filium ſuum immolat Abraham, & quare.

D. Hieron.

Chriſtus tertio à proditione ſua die in crucẽ actus.

357. Tertiò tempus quo filium Abraham voluntate jugulauit: non enim ſtatim, ſed poſt tres dies voluit Dominus, vt Iſaac immolaretur, vt expreſsè ſacer narrat textus: nam *die tertio eleuatis oculis vidit locum procul*, Gen. 22. 4. Non ſolùm vt per illos tres dies, tres naturæ, legis, & gratiæ ætates, in quarum vltima immolatus eſt Chriſtus, vt notat D. Hieronymus; ſed etiam, vt ipſum Chriſtum Dominum, qui tertio à ſua proditione die in crucem actus, hoſtia viua, vera, ac ſancta, morte ſuá holocauſtum conſummauit, ſignificaret, vt Gloſſa interlinearis ibidem aduertit. Cúmque ſacra mortem Domini & præuenerit, & repræſentet Euchariſtia, rectè Iſaac immolatio Sacramentum hoc præfigurauit.

358. Perfectiſſima Abrahæ & Iſaac obedientia.

D. Hieron.

Abrahã filiũ voluntate jugulauit.

D. Chryſoſt.

Deus Iſaac pepercit propter Abrahæ obedientiam.

Mira Iſaac obedientia lignum portantis, & ſe alligari permittentis.

358. Quartò perfectiſſima cùm Abrahæ, tum Iſaac obedientia. Ille enim ſemel audito Dei de immolando filio mandato, ita firmum obtemperandi animum induit, vt naturalem affectum exuiſſe videretur; ac ita ad filij perdilecti mortem exequendam promptus fuit, vt eius vitam nullo modo dilexerit; affectu enim eam illi eripuit, quia vt loquitur Hieronymus epiſt. 34. ad Iulianum, *illum voluntate jugulauit.* Vnde & Chryſoſtomus hom. 47. in Gen. *Quantum*, inquit, *ad voluntatem attinet, cruentauerat dexteram Patriarcha, & per ceruicem pueri immiſerat gladium, perfectumque obtulerat ſacrificium. Idcirco & Dominus, quaſi ſacrificio conſummato, laudat juſtum: Tu quidem non pepercisti propter meum mandatum; ego autem peperci propter tuam obedientiam.* Nec minor Iſaac fuit obeditio, quâ in omnibus patris paruit voluntati, ipſumque lignum, quo holocauſtum conſummaretur, cùm propriis humeris ad montem geſtaſſet, ſe manibus, pedibuſque alligari, ac in altari vt immolaretur reponi, abſque aliqua repugnantia permiſit, *nulloque impatientia doloris victima calcitrauit*, vt ait Auguſtinus *ſerm. 73. de temp.* Quæ patientiſſimi ac obedientiſſimi Domini Ieſu paſſionem, quam ex obedientia pertulit, non obſcurè exprimunt. Vnde cùm in tremendo Altaris myſterio, quam ſemel Dominus patri obediens ſubiit mortem, jugiter repræſentet, necnon cruentum corporis, & ſanguinis ſui in cruce peractum ſacrificium incruento modo perſeueret, rectè Abrahæ & Iſaac obedientiâ deſignatum eſt Euchariſtiæ Sacramentum.

Qui Ieſu obedientiam in paſſione deſignauit.

359. Abraham, & Iſaac gaudẽtes pergunt ad immolandum.

S. Zeno.

Chriſtus in paſſione lætatus.

Triſtis fuit vſque ad mortem, non metu mortis ſuæ, ſed ex morâ redemptionis noſtræ.

359. Quintò denique alacritas, ſeu lætitia vtriuſque, nempe Abrahæ, & Iſaac: forti etenim mente, & contentâ alacritate, vt mandatum Dei impleret, feſtinauit Abraham; gaudenſque Iſaac cum patre ad ſacrificium perrexit. Quod eleganter proſequitur Sanctus Zeno Veronenſis Epiſcopus *ſerm. 1. de Abraham*, dum ait: *Lætatus eſt puer patre fideli ipſe quoque fidelior; nec recuſabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Lætatus eſt pater, filio quoque gaudente: & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret.* Vbi Chriſti Domini gaudium, quo & mortem petiit, & in ſuæ mortis memoriam corpus & ſanguinem ſuum hominibus eſt elargitus, mirificè figuratum fuit. Nam triſtis vſque ad mortem eius anima fuit, non timore patiendi, quia ad hoc venerat vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat; ſed ex dilatione mortis ſuæ. Vnde Ambroſius *in Luc.* ait: *Mæſtitiam prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ redemptionis aſſumpſerat.* Quo pacto enim Tobiæ mater flebat vſque ad aduentum filij ſui, & in eius aduentu eſt lætata; ita & Chriſtus vſque ad mortem mœſtus, in morte quam vehementiſſimè cupiebat, gauiſus eſt: *Deſiderium enim ſi compleatur, delectat animam.* Prou. 13. 19. Quare & in ſacroſanctæ inſtitutione Euchariſtiæ, in qua immensâ charitate mortem, quam nondum paſſus fuerat, & præuenit, & concluſit, incruentâ corporis & ſanguinis ſui immolatione magnâ jubilatione exultauit, immò & cordis ſui gaudium ſuauiſſimo cantu demonſtrauit. Cecinit enim tanquam cygnus, & vitæ ſuæ eximm melodiâ coronauit. Quod Matthæus eſt atteſtatus cap. 26. 30. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.* Tunc enim quod ab initio conditi ſeculi in ſuis paſſus fuerat, voti ſui compos effectus in ſe patiebatur, ac ſuam omninò expectationem complebat. Vnde ore Pſalmiſtæ dixerat: *Improperium expectauit cor meum, & miſeriam.* Pſal. 68. 21. *Crucem quippe expectauit anxiâ expectatione*, vt ibidem exponit Hugo Cadinalis. Angebatur enim, ac in corde torquebatur, donec in illa tolleretur: *Agnus namque*, nempe Chriſtus, *qui occiſus eſt ab origine mundi*, vt dicitur *Apoc.* 13. 8. hoc eſt, *in Abel interfectus, in Noe irriſus à filio, in Abraham peregrinatus, in Iſaac oblatus, in Iacob famulatus, in Ioſeph venditus, in Moyſe expoſitus & fugatus, in Prophetis lapidatus & ſectus*, ſicut proſequitur S. Paulinus *ep. 27. ad Aprum*, in proprio corpore pati voluit, & triumphare, ac conſequenter mors, quâ omnes ſubegit hoſtes, & immortalem ſibi, ſuiſque gloriam comparauit, gratiſſima illi fuit, ac non modicam illi præſtitit delectationem. Quare Hilarius verba pſalmi 138. 12. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*, de amantiſſimo exponit Redemptore, qui noctem paſſionis acerbiſſimæ

Iubilauit in Euchariſtiæ inſtitutione, quia mortem quam cupiebat, hoc Sacramento præuenit, & in illo concluſit.

Cecinit tunc tanquam cygnus.

Hugo Card.

Ab origine in aliis paſſus fuerat, vnde in ſe patiens Chriſtus lætatur.

S. Paulin.

S. Hilarius.

Paſſio Chriſti eius deliciæ.

biſſimæ ſplendidiſſimum ſibi accepit diem, quo delicias immenſas eſt aſſequutus. Sic enim habet Hilar. *Domino paſſio iſta deliciæ ſunt, dum portas æreas confringit, dum vectes ferreos conterit, dum omnem poteſtatem diſpoliat, dum de his in ſe triumphat, dum eum, quem ad imaginem ſuam fecerat, redimit, dum deliciis paradiſi reſtituit.* Cùm ergo omnia, quæ in paſſione geſſit, ac in morte pertulit, ingenti miraculo in ſacra recludantur Euchariſtia, quæ eandem paſſionem & mortem nobis exhibet, & confert reali immolati corporis, effuſique ſanguinis ſumptione, gaudens, hilarique animo illam Chriſtus inſtituit, & Abrahæ ac Iſaac in oblatione lætitiâ adumbrata eſt, & prænuntiata. Deinde inſtitutum proſequens S. Thomas ſubdit:

360. Agnus in feſto paſchæ immolari & manducari iubetur.

Agnus paſcha deputatur. Hoc eſt, adhuc præſignata eſt Euchariſtia, dum *agnus paſcha deputatur*, hoc eſt, dum à Domino agnus quotannis in ſolenni Paſcharis feſto immolari, ac à populo Iſraëlitico manducari juſſus eſt; cuius præcepti tenor deſcribitur *Exod.* 12. *à num.* 3.

361. In typum Euchariſtiæ.

Præſtantiſſima autem Paſchalis Agnus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ extitit figura; omne enim quod in Euchariſtia reperitur, ab illo, eiuſque immolatione ac manducatione expreſſum eſt. Etenim in Euchariſtia tria poſſumus conſiderare. Primò quidem id quod eſt Sacramentum tantùm, nempe ſenſibiles ac viſibiles panis & vini ſpecies. Secundò id, quod eſt res & Sacramentum, ſcilicet corpus Chriſti verum panis accidentibus obuolutum. Tertiò denique id quod eſt tantùm res, ſeu effectus huius Sacramenti, ſcilicet collatio gratiæ per modum ſpiritualis refectionis, quâ anima roboratur, & vt loquitur Tertull. *lib. de reſurr. carnis, cap.* 8. de Deo ſaginatur. Quæ omnia in Agno Paſchali præſignata ſunt.

Omnia quæ in Euchariſtia reperiuntur, ab agno paſchali exprimebantur.

362. Species panis Euchariſtiæ in azymis agni paſchalis.

Illud enim quod eſt dumtaxat Sacramentum, nempe panis ſpecies, in agni manducatione reperitur; nam carnes eius cum panibus azymis ex Domini præcepto comedebantur, vt habetur Exod 12. 8. *Et edent carnes nocte illâ aſſas igni, & azymos panes.* Illud inſuper quod eſt res & Sacramentum, nempe corpus Chriſti verum, etiam expreſſum fuit in mactatione agni, qui immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſraël quartadecimâ lunâ primi menſis, qui ab Hebræis Niſam vocabatur, & menſibus Martio & Aprili reſpondet; nam figura extitit paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam ac manſuetudinem *Agnus* à Ioanne Baptiſta appellatus eſt, *Ioan.* 1. & quartadecimâ die eiuſdem menſis Niſam ad veſperam corpus ſuum & ſanguinem, Agno Paſchali à ſe, & à diſcipulis manducato, ſub ſpeciebus panis & vini immenſâ charitate hominibus donauit, & craſtinâ die, nempe decimaquintâ eiuſdem Niſam, in crucis ara agnus immaculatus occiſus eſt, & immolatus. Tandem ipſa res dumtaxat, ſeu effectus huius Sacramenti, præfiguratur in Agno Paſchali, cuius ſanguine à deuaſtante Angelo protecti ſunt filij Iſraël, & ex ſeruitute Ægyptiaca educti; nam corpus Chriſti manducantis animus ex hac ſacra refectione roboratur, & contra omnes munitur hoſtium incurſiones, & à cunctorum crudelium dominatione vitiorum liberatur, vt tranſeat hoc cibo in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quæ omnia notauit Doctor Angelicus 3. *p. quæſt.* 73. *art.* 6. vbi Agnum Paſchalem præcipuam Sacramenti Euchariſtiæ figuram docet, quia ſecundùm omnia ipſum repræſentat.

Corpus Chriſti in carne agni mactati.

Et res, ſeu effectus Euchariſtiæ, ſcil. vel gratia, vel gloria in ſocietate Sanctorum, in protectione quam Iudæi per ſanguinem agni ab Angelo vaſtatore receperunt, exprimebatur.

363. Agni Paſchalis immolatio Euchariſtiã verum ſacrificium præſignabat.

Prætetea Agni Paſchalis immolatio, quæ verum extitit ſacrificium manducatione conſummatum, ipſam Euchariſtiam verum, & incruentum Chriſtianorum ſacrificium, & à Fidelibus in hoſtiæ complementum manducandum, non obſcurè ſignificauit. Vnde peracto Agni Paſchalis ritu, Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, vt figuræ veritas ſuccederet, & typum res deſignata compleret. Quod S. Leo *ſerm.* 7. *de paſſione*, eleganter proſequitur: *Vt ergo* (inquit) *vmbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo excluditur Sacramento: hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Huc procul dubio reſpexit Apoſtolus, dum nomen Paſchæ, quod Agno Paſchali tribuebatur, Chriſto Domino attribuere voluit 1. Cor. 5. 8. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Vnde cùm Agni Paſchalis ceremonia in ipſius agni manducatione terminaretur, rectè per illam Euchariſtia fuit adumbrata: per illam enim, & in illa Agnum verum in cruce immolatum ac rediuiuum, omnia mundi peccata tollentem veraciter manducamus. Quod docuit S. Auguſtinus *lib.* 2. *contra literas Petiliani, cap.* 37. vbi inquit: *Aliud eſt Paſcha, quod Iudæi de oue celebrant; aliud, quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus.* Hinc Sancti Patres Agnum Paſchalem præcipuam Sacramenti altaris fuiſſe figuram docuerunt: Tertullianus *lib.* 4. *in Marcion.* Eſichius *in cap.* 23. *Leuit.* Hieronymus *in cap.* 26. *Matth.* Chryſoſtomus *hom. de prod. Iudæ*, & Cyprianus *lib. de vnit. Eccleſiæ.*

S. Leo.

Nomen Paſchæ Chriſto attributum.

D. Auguſt.

Tertull. Eſichius. D. Hieroni. D. Chryſoſt.

364. Manna figura Euchariſtiæ.

Datur manna patribus. Tertiam his verbis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Angelicus Doctor proponit figuram; vult enim hoc Sacramentum præfiguratum fuiſſe mirabili illo cibo è cœlis à Deo Iudæis præſtito in deſerto, ob rei inſolitæ nouitatem, & Iudæorum illum recipientium ſtuporem, *Manna* appellato, dum ait: *Datur manna patribus*; hoc eſt, dum conceditur cibus ille mirabilis & cœleſtis Hebræis in ſolitudine verſantibus: Iudæi enim Chriſtianorum patres dici poſſunt, eo modo quo Synagoga Eccleſiæ mater dicitur, non quidem dignitate, ſed antiquitate, & origine. Sicuti enim ex Iudæis natus eſt Chriſtus, qui filius Dauid, & Abraham vocatur, *Matth.* 1. & vt loquitur Apoſtolus Hebr. 7. 14. *ex Iuda ortus eſt*: ita ex eiſdem Iudæis Chriſtiani orti ſunt, nam *ſalus ex Iudæis eſt*, vt dicitur *Ioan.* 4. 22. Vnde fides Synagogæ idem obiectum habuit, ac fides Eccleſiæ, nullumque diſcrimen, quàm in maiori explicatione ac claritate, quæ Chriſtianæ Fidei obiecto ex Chriſti reuelatione conceſſæ ſunt, inueniuntur. Cuncta enim quæ Chriſtianorum Eccleſiæ perſpicua ſunt & reuelata, Iudæorum Synagogæ typorum velaminibus obuoluta præſtita ſunt. Ideoque de Hebræis loquens Apoſtolus 1. Cor. 10. 11. *Omnia* (inquit) *in figura contingebant illis.* Synagoga igitur quodammodò Eccleſiam peperit, dum Chriſtus ex illa, & in illa ortus eſt; omneſque Chriſtianos videtur effudiſſe, quia Chriſto adhærentes, cum illo ex veteri in nouam legem, ac ritum tranſlati ſunt. Eo igitur modo Iudæi Chriſtianorum patres dici poſſunt, quo diei nox parens extat; quo lucis tenebræ origo cenſentur; quo roſas ſpinæ proferunt; & quo pretioſas vilia oſtrea producunt margaritas. Chriſtiani etenim ſexcentis dotibus, fauoribus, gratiis, luminibus, & Redemptoris cunctorum ore

Iudæi patres Chriſtianorum.

Synagoga mater Eccleſiæ.

Et quomodò.

Eccleſiæ ortus Synagogæ interitus.

Prophetarum prænuntiari Chriſti Domini ſuſceptione, adoratione & confeſſione Iudæos veteres vincunt: vnde Eccleſiæ ortus Synagogæ fuit interitus; nam vt notauit Rupert. *lib.* 8. *in Gen. cap.* 15. Rachel in partu obiit, quia Synagoga tunc mortua eſt, quando Chriſtum, & eius Apoſtolos emiſit.

365. Manna igitur priſcis Iudæis in deſerto ingenti Dei bonitate conceſſum, vt legitur *Exod.* 16. *à num.* 4. Euchariſtiam deſignauit, in qua panem viuum de cœlo deſcendentem Chriſtum Dominum realiter ſuſcipimus & manducamus: & ſicut Iſraëlitæ inſolitâ hac eſcâ cibati cœleſtem panem Angelicâ diſpenſatum miniſtratione manducaſſe dicti ſunt, pſalm. 77. 24. *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo*; Chriſtiani rei veritate donati, ipſum cœli Conditorem, Angelorum Dominum, ac panem cibum factum in ſacra Euchariſtia viatorum ſuſcipiunt & manducant.

Iudæi manna manducantes, panẽ cœli manducarunt.

Chriſtiani cœli conditorem in Euchariſtia ſuſcipiunt.

Cæterùm alias inter manna & Euchariſtiam conuenientias, immò & Euchariſtiæ ſupra illum mirabilem Iſraëlitarum cibum excellentiam ſequenti elucidatione proſequemur.

ELVCIDATIO IV.

De ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſupra eius figuras dignitate & excellentia.

366. NOctem dies non ſolùm eliminat, ſed etiam ſplendidâ luce coruſcus excedit. Vmbram etiam veritas fugat, & ſuperat. Cùm ergo figuras, quæ in ſacris recenſentur paginis, Euchariſtiæ Sacramentum, veluti dies noctem eliminauerit, & tanquam veritas vmbram fugauerit; illas etiam debet dignitate, & excellentiâ ſuperare. Vnde ſi corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia vel tanquam Sacramentum, vel tanquam ſacrificium præſignantes, illius ſigna extiterunt; ſacroſancta Euchariſtia, quæ res eſt ab eis ſignificata, ipſum corpus & ſanguinem Chriſti debet non ſolùm ſignificare, ſed etiam realiter continere. Quod hac elucidatione conabimur, auxiliante Domino, demonſtrare.

Sectio Prima.

Ex antiquis Euchariſtia figuris conuincitur, corpus & ſanguinem Chriſti in hoc Sacramento realiter exiſtere.

367. SIcut corpus ſuâ vmbrâ, & homo ſuâ imagine nobilior eſt: ita res figurata figurâ ſuâ præſtantior exiſtit. Vnde S. Thomas *in cap.* 10. *ep.* 1. *ad Cor. lect.* 2. notat, quod ſicut in bonis longè melius eſt quod figuratur, quàm ipſa figura, vt regnum cœlorum, quàm terra promiſſionis: ita in malis longè peius eſt quod figuratur, quàm figura ſignificans, ſicut illa ſupplicia quæ in deſerto Iſraëlitæ ſuſtinuerunt, de quibus ibidem loquitur Apoſtolus, quæ fuerunt figura gehennæ, quæ omni pœnâ maior eſt.

Res figurata figurâ præſtantior. *D. Thom.*

368. Hinc Chriſtianorum Eccleſia, quæ à Synagoga Iudæorum præſignata eſt, illam omni ex parte vincit, & ſuperat. Quæ enim obſcuris obuoluta velaminibus Iudæi habuerunt, reuelatâ veritate ſub Euangelij ſplendore Chriſtiani aſſequuti ſunt. Omnia enim, quæ *in figura contingebant illis*, vt dicitur 1. *Cor.* 10. 11. nobis in rei veritate euenerunt: & quorum vmbrâ illi gloriabantur, nos in fide Chriſti *legis finis*, vt ipſum vocat Apoſtolus *Rom.* 18. realitate gaudemus. *Vmbram enim habuit lex futurorum bonorum.* Hebr. 10. quæ plenâ Eccleſia poſſidet veritate.

Eccleſia nobilior Synagogâ.

Quæ igitur apud Iudæos ſacram Euchariſtiam typicè figurarunt, corporis & ſanguinis Chriſti ſigna fuerunt; & dum ab illis manducatione orali ſumpta ſunt, Sacramenti Eccleſiæ communionem exprimentia, figuram dumtaxat corporis Domini eis præbuerunt, vt patet in Agni Paſchalis, & admirandi cibi manna noncupati comeſtione. Iudæi enim Agnum Paſchalẽ, & manna manducantes, non ipſum corpus Chriſti verum, quod nondum ex Mariæ Virginis puriſſimo ſanguine, cooperante Spiritu ſancto formatum erat, ſed eius typum comederunt. Cùm ergo res figuratas vincat figura, Euchariſtia ab Agno Paſchali & manna præſignata, non tantùm corpus Domini verum ſignificat, ſed etiam realiter includit: & dum à Chriſtianis ſumitur, corpus Chriſti in illa realiter exiſtens ab illis ore corporis veraciter manducatur: maximè cùm Euchariſtia ſit nouæ legis Sacramentum, præſtantius & Agno Paſchali, & mannâ; ac conſequenter corpus Chriſti, quod ab illis figurabatur, realiter contineat, ac per modum alimenti ſpiritualis Chriſtianam animam reficientis & ſaginantis, ſumentibus concedatur. 369.

Iudæi Euchariſtiæ typum manducauerunt.

Chriſtiani ore corporis corpus Chriſti in Euchariſtia ſuſcipiunt.

Adde quod niſi Euchariſtia ſub ſpecie panis verum Chriſti corpus Chriſtianis præberet manducandum, à figuris veteris legis, v. g. ab Agno Paſchali, & manna omninò vinceretur, illiſque ignobilior in ratione ſigni exiſteret. Etenim vera, & ſenſibilis agni caro, Chriſti carnem; vera eiuſdem agni mors, veruſque eiuſdem ſanguis, Chriſti mortem & ſanguinem veriùs quàm ſolus panis, vel panis fractio ſignificabant. Similiter manna de cœlo cadens, miniſterio efformatum Angelorum, omnem in ſe ſaporem mirabiliter complectens, vt dicitur *Sap.* 16. æqualiter ab omnibus ſumptum, licèt inæqualiter collectum, vt patet *Exod.* 16. & die Sabbathi incorruptum permanens, præſtantiùs ac perfectiùs corpus Chriſti puriſſimum, ſanctiſſimum, incorruptum, ac eodem indiuiſibili modo ab omnibus in modum cibi ſumptum repræſentat, quàm panis communis, quo Chriſtiani in Euchariſtiæ Sacramento vtuntur. Quod nequaquam dici poteſt, cùm lex noua, & eius Sacramenta tantò veterem, & eius Sacramenta ſuperent, quantò Chriſtus, qui & Eccleſiam, & eius inſtituit Sacramenta, Moyſe qui vetera promulgauit, dignior eſt atque præſtantior. 370.

Agnus & manna Euchariſtiam ſuperarent, niſi ipſa corpus Domini realiter contineret.

Chriſtus Moyſe præſtantior.

Neque audiendi ſunt Nouatores dicentes, Euchariſtiam, etſi tantùm corporis Chriſti ſignum exiſtat, & figura, præſtatiorem eſſe in ratione Sacramenti Agno Paſchali, & mannâ, quia Chriſtum jam exiſtentem ſignificat, & vſque ad fine ſæculi eſt duratura: quod non conuenit veteris legis Sacramentis. Etenim nulla ex hoc ei præſtantia ſupra figuras communicatur; non enim maius eſt futurum quàm præteritum, & præteritum, vel præſentem, quàm futurum hominem repræſentare. Si autem ex hoc aliqua præſtantia tribueretur, omnes depictæ Chriſti imagines illum in cœlis exiſtentem repræſentantes, omnibus legis Moyſi Sacramentis præſtantiores, 371.

Nouatores refellantur.

tiores, & Euchariſtiæ æquales eſſent; quod falſum eſt. Nec duratione vſque ad finem ſeculi, niſi accidentaliter, figuris eminet Euchariſtia: cùm tamen ſubſtantialiter, & in ratione Sacramenti debeat excellere, ac conſequenter non tantùm corpus Domini ſignificare, ſed inſuper & veraciter continere. Vnde ſupra manna, & cæteras huius Sacramenti figuras Sancti Patres ſacram extollunt Euchariſtiam, eo modo quo rei veritas ſupra vmbram eleuatur. Nam Origenes hom. 7. in lib. Num. *Tunc*, inquit, *in ænigmate erat manna cibus; nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus.* Et Hieronymus in cap. 1. ep. ad Titum: *Tantùm* (inquit) *intereſt inter panes propoſitionis, & corpus Chriſti, quantum inter vmbras, & corpora; inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria verorum, & ea ipſa quæ exemplaria præfigurabant.*

Vt Euchariſtia manna ſuperet, debet corpus Chriſti realiter continere.
Orig.
D. Hieron.

372. Contra tamen prædicta adducunt aduerſarij verba Pauli 1. *Cor.* 10. 3. vbi loquens de Iudæis inquit: *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt*; ideſt, eandem eſcam ſpiritalem, ac typicam, & figuratiuam corporis Chriſti manducauerunt. Ergo & Euchariſtia nihil habet ſupra Agnum Paſchalem, vel manna.

Inſtant Nouatores.

373. Reſpondeo Apoſtolum in verbis adductis non loquutum fuiſſe de Chriſtianis & Hebræis eandem eſcam ſpiritualem manducantibus, vt voluit Caluinus; ſed de omnibus, vt patet contextum eius legenti, ait enim: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, &c. & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt*; hoc eſt, omnes Hebræi, tam boni, quàm mali, eandem eſcam ſpiritalem, ideſt idem manna comederunt, & tamen non omnes Deo placuerunt. Manna autem licèt corporeum fuerit, vocatur hîc *eſca ſpiritualis*, ideſt *myſtica*, ſeu *typica*, quia erat figura, & typus corporis Chriſti, quod ſpiritualiter ſignificabat. Vnde quando D. Auguſt. *tract. 26. in Ioan.* & D. Thom. *in cap. 10. ep. 1. ad Cor. lect. 1.* dicunt Hebræos eandem nobiſcum eſcam ſpiritualem manducaſſe, tantùm volunt, eandem eſcam analogicè, & cum proportione, quia Hebræi in ſigno receperunt quod nos reipſa. Nam licèt eandem eſcam ſpiritalem ac nos, maiores in Chriſtum venturum credentes manducauerint, manducabant enim Chriſtum ſpiritualiter, ſecundùm illud Auguſtini, *Crede, & manducaſti*: attamen non eandem eſcam corporalem, ideſt idem Sacramentum ore corporis ſumpſerunt ac nos: illi enim manna mirabilem cibum, corporis Chriſti ſignum dumtaxat acceperunt; nos autem panis ſub ſpecie corpus & ſanguinem Domini ore corporis realiter ſumimus: nam Euchariſtia non ſolùm corporis & ſanguinis Domini ſignum eſt, ſed etiam ſedes, & thronus: nam illâ verè corpus Domini continetur.

Refelluntur.
Manna eſca ſpiritalis, quia corpus Chriſti ſignificabat.
D. Thom.
Iudæi candẽ eſcam ac nos ſpiritaliter, ſed non ſacramẽtaliter manducauerunt.
D. Auguſt.

374. Opponunt inſuper SS. Patrum teſtimonia, quibus Euchariſtia corporis Chriſti ſignum, figura & repræſentatio nominatur. Nam Tertullianus *lib. 1. contra Marcion.* loquens de Euchariſtia, vocat illam *Panem in quo corpus ſuum repræſentat.* Et *lib. 4. cap. 40.* verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, exponens: *Acceptum panem*, inquit, *& diſtributum diſcipulis, corpus ſuum fecit dicendo, Hoc eſt corpus meum, ideſt figura corporis mei.* Ambroſius *lib. 1. de officiis, cap. 48.* aſſerit Chriſtum hîc offerri *in imagine, in cœlo in veritate.* S. Auguſt. *in enarrat. pſalmi 3.* inquit: *Chriſtus adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram commendauit, & tradidit diſcipulis.* Et lib. contra Adimantum, cap. 12. *Non dubitauit*, inquit, *Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.*

Vrgent ex Patribus.
Tertull.
D. Ambroſ.
D. Auguſt.

375. Reſp. Sanctos Patres Euchariſtiam interdum appellare ſignum & figuram corporis Chriſti, non quòd idem corpus excludat, ſed ſignificando per externas panis ſpecies quid in ſe contineat, & includat: non enim ſignum vacuum eſt, ſed plenum re quam ſignificat; ſicut nubes denſa & ſubobſcura pluuiam includit, quam ſignificat: nec inanis eſt figura rem abſentem ſignificans, vt imago Herculis v. g. ſed plena, rem quam repræſentat in ſe complectens; quo pacto Filius Dei figura ſubſtantiæ Patris dicitur ab Apoſtolo *Hebr.* 1. & tamen Patrem repræſentat ſubſtantiâ quam realiter poſſidet. Quæ reſponſio patet ex dictis ſuprà.

Refelluntur.
Euchariſtia ſignum eſt plenum re ſignificatâ, nempe corpore Chriſti.

376. Secundò Euchariſtia, vt eſt totum conſtitutum ex corpore Chriſti & ſpeciebus, dicitur ſignum corporis Chriſti, non ſimpliciter ſumpti, ſed vt patientis & morientis in cruce: cuius paſſionis & mortis commemoratio, ſeu repræſentatio eſt Euchariſtia: quod nequaquam implicat, poteſt enim idem Rex victoriam olim à ſe reportatam ludo publico v. g. ita exprimere, vt ipſemet ſui perſonam gerat & repræſentet: vnde & idem Chriſtus ſeipſum olim paſſum & mortuum jugiter in Euchariſtia repræſentat. Cur non ita? cùm & ipſe Saluator adhuc annorum duodecim à parentibus amiſſus, & poſt triduum in templo ab eiſdem repertus, ſeipſum triduo mortuum, & poſt tres dies calcatâ morte rediuiuum expreſſerit, ſicut notauit Ambroſius *lib. 2. in Luc. cap. 2.* vbi: *Poſt triduum*, inquit, *reperitur in templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis in ſede cœleſti, & honore diuino fidei noſtræ ſe reſurrecturus efferret, qui mortuus credebatur.* Immò ipſe Chriſtus baptizatus ſeipſum morientem ac reſurgentem ſignificauit, cùm Baptiſmus mortis & reſurrectionis ſit figura. Ipſeque Dominus in monte Thabor coram diſcipulis electis transfiguratus, ſeipſum in cœlis glorioſum ac immortalitate donatum expreſſit. Ac tandem cùm poſt reſurrectionem ſuam à duobus diſcipulis, vt in Caſtello Emmaus cum illis permaneret, rogaretur, *finxit ſe longius ire*, Luc. 24. 28. ſeipſum proximè in cœlum aſcenſurum figurauit, vt notat Auguſt. *lib. cont. mendac. cap. 13.*

Eſt etiam ſignũ Chriſti patientis, ac pro nobis morientis.
Chriſtus ſæpe ſeipſũ repræſẽtauit.
D. Ambroſ.

377. Quare licèt aliquando Euchariſtia ſignum vel figura corporis Chriſti appelletur à Patribus, tamen ex hac nomenclatura nec ſuam dignitatem, nec realem in ſeipſa Chriſti præſentiam amittit; ſemper enim in ſe corpus Domini realiter continet: quod patet ex Auguſtino citato à Gratiano *can. Vtrum ſub figura, de conſecr. diſt.* 2. vbi ſic loquitur: *Corpus Chriſti, & veritas, & figura eſt. Eſt veritas, dum corpus Chriſti, & ſanguis ex panis & vini ſubſtantia efficitur. Figura verò eſt id quod exteriùs ſentitur.* Inſuper *ead. diſtinct. can. corpus Chriſti*, deſumpto ex Hilario Papa Leonis primi ſucceſſore, dicitur: *Corpus Chriſti, quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum videtur extrà; veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interiùs creditur.*

D. Auguſt.
Euchariſtia eſt figura & veritas: figura in ſpeciebus exterioribus: veritas in corpore Chriſti ſub illis latente.

378. Appellatur etiam figura Sacramentum Euchariſtiæ, quia gloriam noſtram futuram, & diuinæ fruitionem eſſentiæ, cuius pignus quodammodò exiſtit, repræſentat. Vnde & S. Thomas in officio corporis Chriſti: *O ſacrum conuiuium*, inquit, *in quo Chriſtus ſumitur, &c. & futuræ gloriæ nobis*

pignus

Eſt etiam figura gloriæ cœleſtis, cuius pignus corporis Chriſti manducatio nobis præbet.

pignus datur. Et in oratione quam Poſtcommunionem vocant: *Fac nos, Domine, diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis & ſanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Vbi Doctor Angelicus antiquorum Eccleſiæ Patrum ſententiam eſt ſequutus: illi enim gloriam in reali corporis Chriſti manducatione præfigurari docuerunt. Vnde S. Proſper de corpore Domini ait: *Qui corpus Chriſti ſumit, eſcam ſalutis accipit, & æternitatis poculum bibit.* Et Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 14.* ait: *Figuræ porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quòd non verè corpus & ſanguis Chriſti ſint; ſed quod nunc quidem diuinitatis Chriſti per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per ſolum aſpectum.*

S. Proſper.

D. Damaſc.

379. Ex quibus liquet, teſtimonia Patrum adducta nihil contra realem corporis Domini in Euchariſtia præſentiam præſtare: nam dum Tertullianus ait, Chriſtum in pane corpus ſuum *repræſentare*, omninò vult ſub ſpecie panis Chriſtum nobis corpus ſuum realiter *exhibere*: ſic enim verbum *repræſentare* ab illo ſumitur. Quo pacto *lib. 4. contra Marcion. cap. 22.* dixit: *Patrem repræſentantem Filium dixiſſe, Hic eſt filius meus dilectus*; hoc eſt, Patrem Filium præſentem exhibentem, ac demonſtrantem, dixiſſe: *Hic eſt filius, &c.*

Tertullianus explicatur, & eius mens aperitur.

380. Nec in ſecundo teſtimonio realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam negat idem Tertullianus, ſed potiùs docet & confirmat, & tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti aſſeuerat, dum inquit: *Acceptum panem corpus ſuum fecit dicendo, Hoc eſt corpus meum.* Non poteſt autem panis fieri corpus Chriſti, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ illius in ſubſtantiam corporis Chriſti, vt ſuprà fusè docuimus, dum de tranſubſtantiatione. Verba autem quæ ſubjicit, *ideſt figura corporis mei*, realitatem præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia minimè lædunt, quia particula, *ideſt*, non explicat prædicatum propoſitionis, nempe *corpus meum*; ſed ſubiectum, ſcilicet particulam *hoc*; & faciunt hunc ſenſum, *hoc, ideſt figura corporis mei*, nempe panis, *eſt corpus meum.* Quod patet ex antecedentibus, vbi Tertullianus docet, Chriſtum non veniſſe ex improuiſo, ſed longè antea fuiſſe prophetatum, omneſque impleuiſſe legis figuras ſubſtituendo veritatem pro figura. Inter autem figuras, quas rei veritate compleuit, illa quâ per panem corpus Chriſti figuratum fuit, Ierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius*; hoc eſt, *crucem in corpus eius*, adimpleta à Tertulliano affertur, dum panem in corpus ſuum Chriſtus mutauit, & veritatem figuræ ſubſtituit. Quare ſtatim ſubjicit: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis corpus eſſet.* Quod apertè indicat, ipſum loqui de pane, qui in lege veteri corporis Chriſti erat typus; non verò de pane Euchariſtico: nam panis corporis non fuiſſet figura, niſi corpus verum illi ſuccederet, tanquam vmbræ corpus, & veritas figuræ.

Per metatheſin & tranſpoſitionem, ſtylo inuoluto loquebatur.

381. Modus autem loquendi per metatheſin, ſeu ſeu tranſpoſitionem ſtylo Tertulliani conciſo & inuoluto familiaris eſt. Vnde & *lib. cont. Praxeam, cap. 29.* inquit: *Chriſtus mortuus eſt, ideſt vnctus.* Vbi particula, *ideſt*, non refertur ad prædicatum, *mortuus*; ſed ad ſubiectum, nempe *Chriſtus*: non enim mortuus idem eſt ac vnctus; ſed Chriſtus, qui ab vnctione dicitur. Vnde cùm dixit: *Panem corpus ſuum fecit dicendo, Hoc eſt corpus meum, ideſt figura corporis mei*; planum eſt, particulam *ideſt*, ſupra ſubiectum *hoc*, & non ſupra prædicatum, *corpus meum*, applicare.

Alio Tertulliani loco eius mens magis patet.

382. Ambroſius autem, dum ait *Chriſtum hîc offerri in imagine, in cœlo in veritate*, non opponit imaginem ſubſtantiæ & veritati, ſed tantùm claræ & intuitiuæ notitiæ; quia hîc obuelatum ſpeciebus panis Chriſtum per fidem adoramus, in cœlo autem intuitiuè, & reuelatâ facie contemplabimur. Offertur autem Chriſtus in imagine, quia in aliena ſpecie panis & vini, quæ corporis, & ſanguinis eius imago exiſtit, & vtrumque veraciter continet. Vnde & realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam ab vmbra, quæ in veteri lege offerebatur, diſtinguit Ambroſius, dum ſubdit: *Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus; nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo recipiens paſſionem.*

Ambroſius explicatur.

Realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia ſub ſpeciebus docuit.

383. Auguſtinus denique Euchariſtiam *corporis Domini ſignum & figuram* appellans, non excludit eiuſdem corporis realem præſentiam, quia ſignum plenum ac perfectum eſt hoc Sacramentum, rem ſignificatam, nempe corpus, veraciter & realiter includens; quod patet ex iam dictis. Nec Catholicam de reali præſentia corporis Domini in Euchariſtia impugnauit Auguſtinus ſententiam, dum *in pſal. 98.* Chriſtum ſic loquentem inducit: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendaui vobis, &c.* Ibi enim tantùm vult, carnem illam non eſſe viſibiliter, & corporaliter manducandam eo modo, quo carnes in macello expoſitæ laniantur, dum manducantur; ſed alio modo, nempe inuiſibiliter, & ſpiritualiter; ita vt fractis ſpeciebus Sacramenti, corpus Chriſti in ipſis deliteſcens non frangatur, nec lanietur, nec conteratur, ſed integrum, & indiuiſibile ad modum cibi ſpiritualis ſumatur, vt ſuprà jam expoſuimus. Quo modo ſeipſum rectè explicat idem Auguſtinus *ep. ad Irenæum*, & refertur *de conſecr. diſt. 2. cap. 45.* ibi: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Ipſum quidem, & non ipſum. Ipſum inuiſibiliter, & non ipſum viſibiliter.*

Auguſtinus explicatur.

Tantùm voluit corpus Chriſti in propria ſpecie & viſibiliter non eſſe manducandum: benè autem inuiſibiliter, & ſub ſpecie panis.

Species Sacramenti ſunt ſignum corporis ſub eis incluſi.

384. Dum autem idem Auguſtinus *lib. 2. de peccator. meritis, cap. 26.* ait: *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum tamen eſt, quoniam Sacramentum*; non loquitur de Euchariſtia, ſed de pane qui catechumenis diſtribuebatur, qui latâ, & impropriâ ſignificatione dicitur Sacramentum, ſeu ſacrum ſignum vel ipſius Euchariſtiæ & corporis Chriſti, vel vnitatis inter fideles. Immò illis verbis innuit, Euchariſtiam verè corpus Chriſti eſſe, cùm diſtinguat ab illa catechumenorum panem, qui non eſt corpus Chriſti; & tamen ſanctus dicitur.

Panis catechumenorũ diſtinctus ab Euchariſtia.

385. Non ergo vacua, & inanis figura corporis Domini ſacra cenſenda eſt Euchariſtia, ſed figurarum perfectio & complementum, ita vt verè & realiter cibum ſpiritualem animarum, quem dumtaxat ſignificabant Agnus Paſchalis, & manna, nempe carnem Chriſti, complectatur. Vnde & Dominus illam, tanquam rem ſignificatam ſuo ſigno Agno Paſchali ſubſtituit. Quod notauit Cyprian. *ſerm. de cœna Domini*, vbi inquit: *Cœnâ diſpoſitâ, inter ſacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.* Vbi Cyprianus Agnum Paſchalem non cum pane, qui ſicut & agnus

Quod ſignificabatur ab Agno Paſchali & manna, verè & realiter continetur ab Euchariſtia.

S. Cyprian.

agnus in cœna conſumitur; ſed cum Chriſti confert corpore, quod ita in hoc Sacramento ſumitur, vt ſemper integrum remaneat.

386. Præceptum manducatio nis Agni Paſchalis integrè non fuit adimpletum à Iudæis, ſed à Chriſtianis corpus Chriſti integrum ac indiuiſibile in Euchariſtia manducantibus.

Cæterùm adeo Agni Paſchalis cæremoniam ſacra compleuit Euchariſtia, vt illam omni ex parte conſummauerit. Illud enim, quod ex præcepto Domini in Agni manducatione obſeruandum erat, difficilè à Iudæis, & facillimè à Chriſtianis in huius ſuſceptione myſterij cuſtoditur. Agnus enim aſſus igni à Iudæis manducari, eius caput cum pedibus & inteſtinis vorari debebat, nec illius oſſa debebant frangi, vt videre eſt *Exod.* 12. 10. & 46. quod non tantùm admodum difficile, ſed etiam impoſſibile erat: quomodo enim vorarent Iudæi caput cum pedibus, & inteſtinis agni, abſque aliqua oſſium illius fractione? Sanè nec integrum agnum deglutire poterant, nec illum manducare, & dentibus non terere; ac conſequenter & carnes lacerabant, & oſſa illius conterebant. Verùm hæc juſſio figuralis in Sacroſanctæ Euchariſtiæ manducatione ad vnguem obſeruata eſt; ibi enim Chriſtum Dominum, agnum immaculatum, charitatis immenſæ igne aſſum in cruce, integrum omninò ac indiuiſum abſque vlla oſſium eius fractione manducamus, eiuſque caput cum pedibus & inteſtinis ſimul voramus, quia eius diuinitatem ſimul cum corpore & anima vnicâ comeſtione ſumimus, totumque Chriſtum in hoc Sacramento realiter exiſtentem ore corporis ad noſtram reficiendam animam deguſtamus.

Sectio II.

Ex manna Euchariſtiæ figura, rectè colligitur corpus Chriſti hoc in Sacramento realiter exiſtere.

387. Qvamvis ex his quæ ſectione præcedenti diximus, ſatis liqueat, in Sacramento Euchariſtiæ veterum complemento figurarum, ſacrum Domini corpus realiter reperiri; placet tamen ad exuberantiam doctrinæ, & maiorem Catholicæ veritatis confirmationem, ex manna tanti huius myſterij typo præſentiam corporis Chriſti realem hoc in Sacramento adhuc comprobare.

388. Manna figura Euchariſtiæ.

Apud omnes in confeſſo eſt, manna Sacramenti Euchariſtiæ, rei in illa contentæ, ac eius effectus figuram extitiſſe: ipſeque Caluinus Nouatorum anteſignanus expreſsè inquit, *Manna fuiſſe typum corporis Chriſti*. Idque euidenter colligitur ex verbis Chriſti Ioan. 6. 49. & 59. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

389. Cùm ergo figura non rem inanem, fictitiam, aut imaginariam, ſeu chimæricam, ſed verè & realiter exiſtentem debeat ſignificare, aliàs nobilior eſſet re figuratâ, & non vmbra, ſed res ipſa diceretur; & res ſignificata vmbra eſſet, & vacua imago, quod rei figuratæ, & figuræ naturam omninò inuerteret, quod eſt impoſſibile: in Sacroſancta Euchariſtia à manna figurata verum Chriſti corpus realiter debet exiſtere, & à fidelibus verè & realiter ore corporis in ſpiritualem animæ refectionem manducari. Adde quod ex verbis Chriſti jam allatis euidenter colligitur, aliquid ampliùs manducari in Euchariſtia à Chriſtianis, quàm manducatum ſit à Iudæis in manna. Vnde & *ibid.* 33. dixerat Chriſtus, *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Et verſ. 48. 49. & 50. *Ego*

In Euchariſtia figurata à manna corpus Chriſti debet exiſtere.

ſum, inquit, *panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de cælo deſcendens, &c.* Exponens autem, quiſnam ſit iſte panis, ait Dominus ibidem 56. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Cùm Ergo Chriſtiani in Euchariſtia aliquid amplius manducent, quàm Iudæi, cùm iſti manna, tanquam figuram corporis Chriſti, & ipſum corpus Chriſti ſpiritualiter, & per fidem manducauerint; vnde & ab Apoſtolo manna appellatum eſt, *Eſca ſpiritualis*, 1. Cor. 10. 3. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt*, hoc eſt corpus Chriſti ſpiritualiter ſignificantem: manifeſtè ſequitur, in Euchariſtia non figuram corporis, ſed ipſum corpus Chriſti verum realiter manducari: & ideo appellatur hoc Sacramentum, *panis verus, panis viuus, & panis vitæ*, quia verè & realiter Chriſtum panem verum, viuum ac vitam largientem ſpiritualem ac æternam continet, & verè manducantibus præbet.

Id liquet ex verbis Chriſti.

Si autem in Euchariſtia ſignum tantùm, & figuram corporis Chriſti Chriſtiani manducarent, 390.
vt falsò docent Sacramentarij, nobiliori modo in deſerto paſti fuiſſent Iudæi, quàm in Eccleſia Chriſtiani. Primò, quia manna (quod etiam ſignum, & figura corporis Chriſti extabat,) miraculoſa erat eſca Angelorum miniſterio efformata. At panis Euchariſtiæ communis eſt, ac è clibano arte piſtorum prodiens. Secundò, quia manna omnem in ſe cibum veluti complectens, omnem ſaporem præſtabat manducantibus: quod colligitur *ex Sap.* 16. 20. vbi dicitur: *Angelorum eſcâ nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuauitatem.* Quod non contingit in Euchariſtiæ pane, qui tantùm panis communis ſapore gaudet.

Si corpus Chriſti non eſſet realiter in Euchariſtia, Iudæi nobiliori modo paſti fuiſſent quã Chriſtiani, propter duo.

Præterea Iudæi ſub vmbra viuentes, præſtantiori figurâ corporis Chriſti nobilitati & ditati 391.
fuiſſent, quàm Chriſtiani ſub Chriſto, legis fine ac conſummatore militantes: nam & agni abſque macula caro & ſanguis, & manna panis mirabilis, abſque ſemine, abſque aratione, vel alio humano opere ab Angelis factus, & veluti de cœlo deſcendens; vnde & *pſal.* 77. 23. & 24. dicitur: *Ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis*; Chriſti corpus & ſanguinem, eiuſque mortem, ipſumque Chriſtum de cœlo deſcendentem, ex pane Angelorum factum cibum viatorum, meliùs, congruentiùs, ac perfectiùs quàm modica panis portio, ac vini communis libatio exprimebant & repræſentabant. Cùm ergo noua Euangelij lex veterem conſummauerit, & vacuas futurorum bonorum figuras Chriſti Redemptoris præſentiâ, ac ſplendore fugauerit; Iudæos debent vincere Chriſtiani, & ceſſantibus omnibus adumbrationibus, corpus Chriſti à manna præſignatum, realiter in Euchariſtia contentum veraciter ſumere, deguſtare, manducare.

Iudæi agnũ & manna manducãtes præſtantiorẽ figuram corporis Chriſti manducauerunt, quàm Chriſtiani: ergo debet corpus Chriſti realiter ſub ſpeciebus panis contineri.

Planè ſemper ita tenuit, *quæ columna eſt, & fir-* 392.
mamentum veritatis, vt illam vocat Apoſtolus 2. Tim. 3. 15. Eccleſia Catholica, quæ Sponſi ſui verbis mirabiliter erudita, non figuram, non ſignum, non typum, vt olim Iudæi in manna; ſed ſanctiſſimum eius corpus in Euchariſtia veraciter manducari à Fidelibus ſemper docuit. Huius rei teſtes ſunt, qui primis ſeculis vixerunt ſacri Antiſtites, & Doctores, quorum teſtimoniis hoc in Opere præſentia realis corporis Domini in hoc Sacra-

Patet ex ſententia Eccleſiæ Catholicæ.

mento à nobis non ſemel eſt confirmata: vnde & breuitati ſtudentes, vnius, aut alterius hîc io huius quam propugnamus veritatia robur verba addocemus. Primus loqoetur acerrimos ille ac indefeſſus veritatis propugnator, ac in Chriſtianæ Religionis zelo nulli ſecundus, Eccleſiæ non ſolùm Mediolanenſis, ſed & Catholicæ decus Ambroſius. Hic qui à Nouatoribus tanquam non orthodoxus, vtpote qui quarto ſeculo vixit, nam obiit anno Chriſti 397. nequit rejici, inſtitutum noſtrum proſequens libro 4. de Sacram. cap. 4. *Magnum quidem* (inquit) *& venerabile, quod manna Iudæis pluit de cœlo. Sed intellige quid eſt ampliùs, manna de cœlo, an corpus Chriſti, vtique qui eſt author cœli? Deinde manna qui manducauit, mortuus eſt: qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum, & non morietur in æternum.* Et libro de iis qui initiantur, cap. 9. *Conſidera* (inquit) *vter præſtantior ſit, panis Angelorum, an caro Chriſti quæ vtique eſt corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſeruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religioſè guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit.* Proſequens autem in eodẽ loco diſcrimen inter Iudæos manna manducantes, & Chriſtianos Euchariſtiam ſumentes, inquit: *Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horam aqua ſatiauit, te ſanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & ſitit: tu cùm biberis, ſitire non poteris. Et illud in vmbra, hoc in veritate.*

Confirmatur ex Ambroſio.

393. Alter erit Gallicanæ Eccleſiæ honor, Maſſilienſis Antiſtes Saluianus, qui *lib. 2. ad Eccleſiam,* Chriſtianorum ſupra Iudæos in Euchariſtiæ manducatione felicitatem in hoc ſitam eſſe declarat, quòd vmbram & figuram Iudæi, Chriſtiani verò rem & veritatem, nempe corpus Domini verè & realiter ſuſcipiant. Sic enim loquitur: *Iudæi quidem habebant quandam vmbram, nos veritatem: Iudæi manna manducauerunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli.* Vbi veram & realem corporis Domini in Euchariſtia manducationem apertè, & luculenter docet, & præcipuè illis verbis: *Iudæi carnes auium, nos corpus Dei.* Ac ſi dicat, non ſolùm mannæ manducatione corporis Domioi à nobis manducationem Iodæi præfigurarunt, ſed etiam coturnicis à Deo miſſæ comeſtione carnis Chriſti in Euchariſtia realem ſuſceptionem figurarunt, de quibus *Exodi* 16. 12. dicitur: *Veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus.* Et pſal. 104. 40. *Petierunt, & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos.* In hoc ergo Chriſtiani Iudæis feliciores ſuot, quòd iſti auium carnes realiter manducaoerunt, illi verò catnem Dei realiter in Eochariſtia manducant. Si aotem corpus Deĩ non realiter, ſed tantùm typicè, & figuratiuè, ac per fidem, vt volunt Nouatores, manducarent, peioris conditionis Iſraëlitis eſſent Chriſtiani, quia iſti panem tantùm manducarent, illi verò non ſolùm panem Angelorum, hoc eſt manna, ſed etiam coturnicum carnes realiter manducauerunt.

Ex Saluiano cõprobatur.

Iudæi panes & carnes, vt figuras Euchariſtiæ manducauerunt: ergo Chriſtiani, vt habeant in re figuratã id quod fuit in typo, debent ſub ſpecie panis corpus Domini manducare.

394. Inſuper perfecti, ac præſtantiſſimi Iudæorum manna manducantes, non ſolùm cibum iſtum typicum & figuralem ore corporis ſuſceperunt, verùm etiam rem figuratam, nempe corpus Chriſti venturi mente & fide ſuſceperunt, ipſumque Chriſtum ſpiritualiter manducauerunt: quod docuit Auguſtinus tract. 26. in Ioan. *Manducauit,* inquit, *manna & Moyſes, manducauit manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtauerunt, vt ſpiritaliter ſatiarentur.* Cùm ergo Chriſtiani aliquid ſupra Iudæos debeant habere in Euchariſtiæ manducatione, non ſolùm Chriſtum Dominum debent ſpiritualiter, hoc eſt fide & charitate recipere, ſed etiam eius corpus in hoc myſterio realiter exiſtens, ore corporis realiter, & ſacramentaliter manducare.

Maiores Iudæi corpus Chriſti in manna ſpiritaliter manducarunt: ergo Chriſtiani debent illud ſub ſpecie panis ſacramẽtaliter & realiter manducare.

Hinc ſequitur, Nouatores Caluiniſtas, qui panem dumtaxat in Euchariſtia agnoſcunt tanquam ſignum corporis Chriſti, Iudæos Chriſtianis æquales aſſerere, & nihil amplius à Chriſto Domino in vltima cœna dilectis fuiſſe conceſſum diſcipulis, quàm Iudæis in deſerto verſantibus. Quod adeò verum eſt, vt quidam ex illo Caluiniano grege miniſter hoc omninò conceſſerit, vt refert Cornelius à Lapide *in cap. 10. Ep. 1. ad Cor. n. 3.* idque affirmare veritus non fuerit Theodorus Beza Caluini ſucceſſor & aſſecla, in Colloquio Mompelgartenſi: quod non minimum ſtuporem audientibus, ac præſertim Vvittembergenſi Principi præſtitit. Siqoidem omninò eſt impoſſibile, Chriſtianos qui è manu Domini corpus & ſanguinem eius ſub panis & vini ſpeciebus, illo ſolenni voce id aſſerente, recipiunt, non alio modo illa recipere quàm ſpiritualiter & per fidem, eo modo qoo Hebræi manna manducaotes illa receperunt: aliàs falſum pronuntiaſſet ipſa increata & incarnata Veritas, dum dixit Matth. 26. 26. *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Et ibidem 27. *Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, &c.* Et dicere debuiſſet, *Hoc eſt ſignum corporis mei, hoc eſt ſignum ſanguinis mei, &c.* 395.

Caluiniſtæ realem corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia negãtes, Iudæos Chriſtianis æquales, imo & nobiliores faciũt. Theod. Beza.

Porrò vrgentur Nouatores, manducationem corporis Chriſti in Euchariſtia fide tantùm fieri aſſerentes, Apoſtoli verbis, quibus eoidenter liquet, alio modo quàm fide corpus Domini hoc in Sacramento manducari. Nam 1. *Cor.* 11. 29. *Qui manducat* (inquit) *& bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quod verum non eſſet, ſi ſolâ fide & ſpiritualiter corpus Chriſti manducaretur. Nullus enim credens in Chriſtum, & per fidei ſuæ actum illum mente recipiens & manducans, indignè illum ſumeret, cùm ſolâ fide juxta aduerſariorum ſententiam ſumatur. Si autẽ ille qui panem Euchariſtiæ manducat, non credit in Chriſtum, & fidei ſuæ actum non exercet, non Chriſtum, ſed ſolum panẽ manducat; vnde non poteſt eſſe reus corporis & ſanguiois Domini. Attamen cùm Apoſtolo atteſtante, qui manducat, & bibit indignè, reus ſit corporis & ſanguinis Domini, non diiudicans, ſeu diſcernens corpus Domini, firmiter tenendum eſt, non ſolùm ſpiritualiter Chriſtum in Euchariſtia manducari, ſed etiam ſacramentaliter, & ore corporis, dum hoc Sacramentum, in quo ſub ſpecie panis eſt realiter corpus, & ſub ſpecie vini realiter ſanguis Chriſti reperitur, ore corporis ſumitur: ita vt ſi ab homine probato, & purgato, ac fide, ſpe, & charitate exornato ſumatur hoc Sacramentum, tunc & ſacramentaliter, & ſpiritualiter manducetur corpus Chriſti, hoc eſt ore corporis in ſpiritualem animæ refectionem ſumatur. Si autem ab homine peccatore, hoc eſt peccatorum ſordibus inquinato, non probato, neque purgato, licèt fideli, recipiatur Euchariſtia, tunc corpus Chriſti manducatur ſacramentaliter, ideſt ore corporis ſub ſpeciebus Sacramenti recipitur; ſed non ſpirituali 396.

Vrgentur Nouatores verbis Pauli.

Quia corpus Domini indignè interdum manducatur à non probato, ſeu non purgato, non ſola fide, ſed ore corporis verè manducatur, eſtque realiter ſub ſpecie panis, quæ ore corporis ſumitur.

ſpiritualiter, quia virtus carnis Chriſti propter peccati obicem, & recipientis indiſpoſitionem, in eius animæ non tranſit vegetationem, nec paſſionis Chriſti fructum ei effundit. Vnde & ſic indignè ad menſam Domini accedens, *reus eſt corporis & ſanguinis Domini, judiciumque ſibi manducat & bibit*, eo quòd ſacrum Chriſti corpus à reliquis profanis alimentis non diſcreuerit, ad illud manducandum veniens, ac ſi ad panem communem acceſſiſſet.

397. Id docent SS. Patres.

Quare ex hoc loco Sancti Patres realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia colligentes, eiuſque realem ac ſacramentalem ore corporis manducationem docentes, peccatum indignè manducantium multùm exaggerant.

S. Cyprian.

Cyprianus ſerm. de lapſis: *Vis*, inquit, *infertur corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinquitur.* Quod dixit inclytus ille Martyr, quia Euchariſtia manibus à Fidelibus recipiebatur, & à manibus in os ferebatur.

D. Ambroſ.

Ambroſius *in cap. 10. ad Hebr.* ait, *quod hoc peccato conculcatur corpus Domini.*

D. Chryſoſt.

Et Chryſoſt. in hunc locum: *Reus eſt* (inquit) *talis cadis Dominica, ac ſi Dominum occidiſſet, & Chriſti ſanguinem effudiſſet.* Quibus loquutionibus apertè demunſtratur, corpus Chriſti verè & realiter in Euchariſtia ſub ſpecie panis exiſtere; non enim nudum ſignum, & vacuam figuram ſuſcipiens poteſt eſſe reus corporis, & ſanguinis Domini, nec manibus & ore in Chriſtum delinquere, nec eius corpus conculcare, nec tandem cædis Dominicæ reus eſſe, ac ſi Dominum occidiſſet, & eius ſanguinem fudiſſet.

Reſpondent aduerſarij.

Nec reſpondeant aduerſarij, iniuriam factam ſigno in rem ſignatam redundare, & contemptu figuræ rem figuratam contemni, ac conſequenter indignè panem Euchariſtiæ manducantes, reos eſſe corporis Domini per talem panem figurati.

Confutantur primò.

Primò, quia talis indigna manducatio in ſententia Nouatorum eſt omninò impoſſibilis; cùm enim ſolâ fide manducetur corpus Chriſti in pane figuratum, vel nullo modo à non credente manducatur, vel dignè à credente ſumitur.

Secundò.

Secundò, quia Iudæi indignè manna manducantes, & mortem incurrentes, *quia quod videbant, credebant; quod non videbant, non intelligebant*, vt loquitur Auguſt. *tr. 26. in Ioan.* quamvis indignè figuram corporis Domini ſumpſerint, nuſquam tamen dicti ſunt rei corporis & ſanguinis Domini.

Tertiò.

Tertiò, quia ſi indigna receptio panis tanquam figuræ corporis Chriſti, ex irreuerentia talis ſigni peccatum mortale inducit, & reum corporis & ſanguinis Domini facit: ergo imagini Chriſti debetur honor & reuerentia; & Caluini aſſeclæ, qui ſacras Chriſti imagines fregerunt & combuſſerunt, rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, & aliorum Sanctorum, quorum etiam icones immani crudelitate flammis vaſtauerunt. Ergo omnibus Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum imaginibus honor & cultus exhibendus eſt: quod tamen omninò negat Caluinus, eiuſque aſſeclæ, qui Catholicos ex huiuſmodi veneratione idololatras appellare non verentur.

398. Non ſibi conſtat Caluinus.

Cæterùm ludit Caluinus in terminis, & quamvis doceat panem Euchariſtiæ nudum ſignum & vacuam figuram corporis Chriſti in cœlo exiſtentis; attamen illud corpus ſe jactat recipere, & vt loquutionis Chriſti ac expoſitionis Sanctorum Patrum vim effugiat, ſub ſymbolis panis & vini corpus & ſanguinem Domini realiter ſumere gloriatur. Nam *lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 32.* inquit: *In ſacra ſua cœna jubet me Chriſtus ſub ſymbolis panis & vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere: non dubito quin & Chriſtus verè porrigat, & ego recipiam.* Et §. 33. ait: *Falsò jactant, quia docemus ſpiritualem eſſe manducationem, non eſſe veram & realem.* Vbi vafer & callidus Hæreſiarcha in veſtimentis ouium lupinum abſcondens cor, verum corpus Domini in Euchariſtia manducare fatetur; & tamen veram hanc, realem ac ſpiritualem manducationem ſoli fidei adſcribit, & non ore corporis, ſed mente & ingenio fieri perpetuò profitetur.

Caluiniſtæ realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia fatentur, & ſtatim negãt.

Quod etiam liquet ex illa, quam Caluiniſtæ eius diſcipuli, fidei ſuæ confeſſionem dederunt. Nam *art. 17.* de præſentia reali corporis Domini in Euchariſtia ſic loquuntur: *Præſentiam veram realem Chriſti Domini confitemur; at illam, quam fides nobis offert, non autem quam excogitata docet tranſubſtantiatio.*

Verùm ea, quæ dicit Caluinus, nulla & vana ſunt, vel ipſum corpus Domini realiter per tranſubſtantiationem in Euchariſtia continetur, vt Fidei Catholicæ profeſſores perpetuò docuerunt. 399.

Caluinus confutatur.

Nulla, inquam, ſunt & vana, quia de facto nihil fideli ſumenti Euchariſtiam, niſi nudum & communem panem præbent.

Impoſſibilia aſſerit.

Primò, quia in ſententia Caluini corpus Chriſti eſt tantùm in cœlo verè, realiter & ſubſtantialiter; non autem in Sacramento. Quomodo ergo Chriſtus jubebit corpus & ſanguinem ſuum ſub ſymbolis panis & vini ſumi, ſi neutrum ibi exiſtat. Si autem non dubitat Caluinus, *quin & Chriſtus verè porrigat corpus ſuum, & ipſe recipiat*, cur non fatetur corpus Chriſti ibi eſſe præſens? Quomodo enim porrigitur homini viatori adhuc in terris verſanti corpus Chriſti glorioſum in cœlis ad dexteram Patris aſſidens, & ſub ſymbolo panis nequaquam exiſtens? Quomodo autem recipit in terra corpus, quod in cœlo eſt, & ibidem vſque ad finem ſeculi commoratur? An res diſtans tanto ſpatio, quantum eſt inter Empyreum cœlum, & terram, in qua viuunt homines, ipſi poteſt cum tanta diſtantia porrigi, & verè recipi à fideli? Nunquid porrigere aliquid alicui, non eſt illud præſens alicuius manibus tradere?

Vel terminis ludit, & contra mentem loquitur.

Quomodo enim res abſens verè porrigeretur & reciperetur, niſi recipienti appropinquaret, & illius inter manus poneretur? Vel igitur ludit Caluinus, & contra mentem propriam loquitur, vt dum ſe Catholicum ſimulat, erroris ſui venenum ſub ſpecie veritatis ſimplicibus ac idiotis commodiùs propinet: vel rem omninò impoſſibilem & inauditam, & communi ac antiquiſſimæ Eccleſiæ fidei oppoſitam docet.

400. Manducatio quam docet Caluinus, non eſt realis, nec ſacramentalis, ſed imaginaria.

Secundò, quia dum queritur Caluinus falsò Catholicos dicere, *manducationem quam docet corporis Chriſti, non eſſe veram & realem, ex eo quod ſit ſpiritualis*, etiam ſe catholicum ſimulat: ac ſi doceret, corpus Chriſti verè & realiter, & tamen ſpiritualiter manducari; cùm tamen hoc non intendat. Verum quidem eſt, manducationem corporis Chriſti ſub ſpecie panis in Euchariſtia ſubſtantialiter, & realiter exiſtentis eſſe ſpiritualem; & tamen eſſe veram & realem eo modo quo eam docent Catholici in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum matris & magiſtræ fide militantes. Spiritualis igitur, & tamen realis eſt manducatio corporis Chriſti in Euchariſtia, quia venerabile Domini corpus hoc in Sacramento realiter exiſtens, non modo carnali, cruentum, diſſectum ac maſticatũ; ſed modo ſpirituali, ac ſi ſpiritus eſſet, inuiſibiliter, & indiuiſibiliter integrũ comeditur.

Manducatio quæ docetur ab Eccleſia Catholica eſt ſacramẽtalis, realis, & ſpiritualis.

Attamen hæc comeſtio, licèt ſpiritualis ſit, eſt etiam ſacramentalis, & ore corporis fit, quia corpus Chriſti glorioſum, ac ſpirituale, ſub ſpecie panis latens (ex qua ſpecie & corpore hoc Sacramentum reſultat) ore corporis à Chriſtianis ſumitur, juxta præceptum Domini Matth. 26. 26. *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.*

401. Vt manducatio ſit realis, res manducata debet cum manducante realiter coniungi.

At manducatio corporis Chriſti, quam docet Caluinus ſpiritualem, vera & realis eſſe nequit: nam ad hoc vt vera, & realis ſit manducatio, res manducata debet realiter, & verè cum manducante coniungi; manducare enim eſt rem per modum cibi intra ſe ſumere, & ex ea, tanquam ex alimento nutriri; in ſubſidium etenim naturæ manducamus, & vt eſſe, quod natiuitate poſſidemus, conſeruetur. Hinc apud Philoſophos tritum eſt, *quod alimentum conuertitur in ſubſtantiam aliti*: & ipſe Philoſophorum Princeps Ariſtoteles inquit, quod *ex eiſdem ſumus, ex quibus nutrimur.* Vnde cum *gratia ſupponat naturam*, eamque imitetur; & anima rationalis corpori ſit coniuncta, ingenti prouidentiâ factum eſt, vt Dominus Ieſus, immenſo charitatis ardore in noſtratum alimentum animarum corpus ſuum & ſanguinem præbens, ea ſub ſpeciebus panis & vini, quæ frequentiores & vſitatiores cibi hominum ſunt, concederet; vt dum mirabile hoc Sacramentum corpus ſuum, & ſanguinem veraciter complectens ore corporis ſumitur, anima ſpiritualiter reficiatur; quod ſemper ſancta tenuit Eccleſia. Vnde qui ſecundo vixit Chriſtianæ Fidei ſeculo Tertullianus hoc teſtatur *lib. de reſurrect. carnis, c.* 8. dum inquit: *Caro Chriſti corpore & ſanguine veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* Cùm ergo illa corporis Chriſti manducatio ſpiritualis, quam aſtruit Caluinus, fiat tantùm per intellectum, quia dum corpus purum & commuuem panem cœnæ, vt ipſe appellat, homo comedit, per apprehenſionem intellectus, ſeu per fidem, vt eius exponunt diſcipuli, anima manducat carnem Chriſti in cœlo exiſtentem, verà & realis nequaquam eſſe poteſt. Quomodo enim verè & realiter manducabitur ab anima corpus Chriſti, niſi verè & realiter vniatur? Quomodo autem verè & realiter vnietur corpus Chriſti in cœlo cum anima, quæ corpus mortale in terris informat? Vel à quo fiet illa vnio, à corpore Chriſti, an ab anima? Si corpus Chriſti hanc faciat vnionem: ergo debet è cœlis ad terram deſcendere, ſaltem inuiſibiliter: quod tamen negant aduerſarij. Si ab anima, ergo debet anima ad corpus Chriſti accedere, & ad cœlos aſcendere, vt corpori Chriſti ibidem exiſtenti coniungatur; quod tamen falſum eſt. Si autem gratis concedatur, animam ad corpus Chriſti aſcendere, vt illud ſumat, eoque reficiatur, quæro an aſcendat ſine ſuo corpore quod informat, vel cum ſuo corpore? Si reſpondeas primum, ergo quoties homo communicat, moritur, quia eius anima à corpore ſeparatur; & peractâ communione reſurgit, quia eius anima denuò corpori vnitur: quod tamen omninò falſum, immò & ridiculum eſt. Si ſecundum, ergo ſolâ apprehenſione intellectus, & ad ſummum actu fidei anima corpori Chriſti vnitur: hæc autem vnio non eſt vera, & realis, ſed intentionalis duntaxat. Siquidem vnio realis, & vera non ſolùm præſupponit realem exiſtentiam extremorum, ſed etiam vtriuſque realem coniunctionem. Cùm ergo corpus Chriſti non coniungatur animæ realiter & ſubſtantialiter, propter maximam vtriuſque diſtantiam, vt jam diximus, vnio illa, quæ per Euchariſtiam in ſententia Caluini fit, non eſt realis, nec conſequenter manducatio corporis Chriſti poteſt eſſe realis: manducatio enim importat vnionem cibi cum manducante, ſeu indiſtantiam & contignitatem manducati cum manducante.

Tertull.

Caro, ideſt corpus fidelis, Chriſti corpore veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur.

Manducatio Caluini impoſſibilis, quia vnio non poteſt fieri nec à corpore Chriſti, nec ab anima fidelis.

402. Reſpondent Caluiniſtæ.

Nec valet reſponſio Caluiniſtarum, quod ſicut oculus hominis in terra exiſtentis, & aſpicientis Solem, in ſe recipit Solem à quo illuſtratur, & cum quo vnitur, licèt Sol è cœlo non recedat: ita & panem Euchariſtiæ recipiens, mente & intellectu recipit corpus Chriſti in cœlo exiſtens.

403. Refelluntur.

Quia ille qui in terra exiſtens Solem aſpicit, nec Solem, nec eius ſubſtantiam, ſed tantùm ſpeciem ſolis in oculo recipit, per quam cum Sole accidentaliter duntaxat vnitur; ſpecies enim quâ oculus ſoli vnitur, accidens eſt, & non ſubſtantia Solis. Vnde hæc ſolutio contra aduerſarios militat: ſicuti enim qui reſpicit Solem, non hoc ſydus, nec eius ſubſtantiam recipit, nec illi realiter & ſubſtantialiter vnitur: ita & qui in ſententia illorum panem Euchariſtiæ manducat, nec corpus Chriſti, nec eius ſubſtantiam recipit, nec illi realiter, & ſubſtantialiter vnitur. Immò ſicuti Sol exiſtens in cœlo diſtat ab oculo, & illi minimè contiguus eſt, aut coniunctus, niſi ſuo ſplendore: ita nec corpus Chriſti in cœlo exiſtens contiguum aut coniunctum eſſe poteſt homini in terris verſanti, nec cum eo niſi accidentaliter, & per ſuam virtutem coniungi poteſt, nec per conſequens ab illo verè & realiter manducari.

Subſtantia Solis non vnitur cum oculo.

Nec ſubſtantia corporis Chriſti cum anima credentis.

404. Præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſecundùm Caluiniſtas eſt tantùm per fidem; vnde Chriſtus non realiter ab illis manducatur.

Hinc Caluini diſcipuli præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia fatentur, *quam fides docet, non autem quam excogitata docet tranſubſtantiatio*: ac ſi clariùs dicerent, ſe non verè & realiter, ſed tantùm per fidem ac per operationem intellectus corpus Chriſti in Euchariſtia ſumere. Quod quidem non eſt realiter ſumere, ſed tantùm intentionaliter. Quod nullo modo poteſt dici manducatio, aliàs omne obiectum fidei, vt ſunt diuinarum Trinitas perſonarum, Verbi Diuini incarnatio, & alia huiuſmodi, verè & realiter manducaretur, dum apprehenditur; quod tamen nuſquam à Chriſtianis dictum eſt.

405. Diſcrepant Caluiniſtæ à Caluino.

Inſuper adeo inanis & vacua eſt Caluiniſtarum communio, & à verbis Caluini ſuprà allatis diſcrepat, vt etiam fieri doceant nullâ panis manducatione, ſed verbi Dei prædicatione; quod antea apud Chriſtianos omninò fuit inauditum, quippe in Caluiniſtarum catechiſmo, Dominica 15. Miniſter ſic puerum interrogat: *Hæc communio fitne tantùm in Cœna?* Et puer reſpondet: *Nequaquam, habetur enim per Euangelij prædicationem.* Subditque Doctor: *Quid ergo ampliùs habemus in Cœna?* Et reſpondet diſcipulus: *Communio noſtra cum Chriſto ampliùs in ea confirmatur.*

Docent enim communionem corporis Chriſti fieri prædicatione Verbi Dei.

406.

Sed parum eſſet Caluiniſtas ab anteſignano in re adeo graui diſſentire, niſi ipſe Caluinus à ſeipſo diſcreparet. Ipſe enim *qui*, vt ipſe loquitur, *jubetur à Chriſto ſub ſymbolis panis & vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere,* eodem loco, nempe *lib.* 4. *inſtit. cap.* 17. apertè profitetur, *vnionem cum Chriſti corpore, qua fit in Euchariſtia, non differre ſpecificè & ſubſtantialiter ab ea, qua eſt in Baptiſmo, vel in Euangelij acceptatione per fidem.* Hæc autẽ vnio fidei, quamvis ſit realis operatio animæ, non eſt vnio realis cum Chriſti corpore, propter maximam diſtantiam extremorum, & quia aliquando cum obiectis nondum exiſtentibus, & adhuc

Ipſe Caluinus à ſeipſo diſſentit.

futuris

futuris facta fuit, vt patet in fide Patriarcharum & Prophetarum, qui in Chriſtum venturum credebant, & corpus eius antequam à Spiritu ſancto ex Maria Virgine formaretur, ſpiritualiter manducabant, dum manna & alias ſimiles illius figuras comedebant.

407. Ex verbis Caluini præſentia realis corporis Chriſti, immò & tranſubſtantiatio ſequitur.

Si autem Caluini verba vera ſunt, & prout iacent ſignificant, ſequitur quod corpus Chriſti in Euchariſtia per tranſubſtantiationem realiter continetur. Si enim *ſub ſymbolis panis & vini, iubente Domino, Caluinus corpus & ſanguinem eius ſumit, nec dubitat quin de facto Chriſtus ipſum porrigat*, vt ipſe Caluinus recipiat, verè & realiter ibi latet corpus Chriſti: nullo autem modo poteſt ibi eſſe, vt verè & realiter porrigatur à Chriſto, & accipiatur ab homine fideli, niſi per tranſubſtantiationem, vt ſuprà fusè contra Lutherum oſtendimus. Nec me latet Caluinum tranſubſtantiationem impugnare, ac tanquam commentum Pontificorum irridere. Sed ita mentes Deus diſponit hominum, vt velint nolint, Catholicæ Fidei veritates quas deſtruere conantur, ſtabiliant & confirment. Sic enim *mentitur iniquitas ſibi*, & os ſuum propriis verbis oppilat, dum ad confirmationem veritatum quas odit, illa in medium profert.

408. Quod vt clariùs pateat, Caluini verba ſuprà allata accuratè examinanda & diſcutienda ſunt.

Patet ex contextu verborum illius.

Ait igitur: *In ſacra ſua cœna iubet me Chriſtus ſub ſymbolis panis & vini corpus & ſanguinem ſuum ſumere; nec dubitò quin & Chriſtus verè porrigat, & ego recipiam.* Vnde ſic argumentor.

Contra illum verba eius detorquentur.

Quod ſub ſymbolis panis & vini iubet Chriſtus ſumere, ſub eiſdem ſymbolis realiter reperitur; quomodo enim ſub ſymbolis panis & vini reciperetur aut ſumeretur, ſi verè ſub eis non exiſteret? Nam quemadmodum nemo dat quod non habet, nemo ſumit ſub ſymbolo panis, quod ibi non eſt; res etenim abſentes, ac moltùm ab vna re diſtantes, non poſſunt ſub illa, vel cum illa ſumi. Sed Chriſtus iubet vt Caluinus ſub ſymbolis panis & vini corpus ſuum, & ſanguinem ſumat, & diſertis verbis fatetur idem Caluinus: ergo ſub ſpeciebus, ſeu ſymbolis panis & vini corpus & ſanguis Chriſti realiter continentur: ſed non poſſunt ibi verè & realiter contineri, niſi per tranſubſtantiationem; quod idem Caluinus fatetur in defenſione

Caluinus præfert ſententiam ſuæ ſubſtantiationis impanationi.

2. piæ & orthodoxæ de Sacramentis fidei, *tom. 7. pag. 773. col. 1. edit. Geneua 1617.* vbi loquens de ſimplici ſignificatione verborum Chriſti dicentis, *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, inquit: *Non conſiſtet eſſe verborum ſimplicitas, niſi panis conſletur in corpus.* Et ibidem ſubdit: *Papiſtas meliùs à neceſſitate tropi eximeret ſua tranſubſtantiatio.* Vbi infenſiſſimus tranſubſtantiationis hoſtis illam omninò concedit, ſi corpus Chriſti non figuratè, ſed realiter in Sacramento exiſtat, & ſi verba Chriſti in ſenſu literali intelligantur. Cùm ergo in verbis quæ nunc diſcurimus, expreſsè dicat, Chriſtum iuſſiſſe, vt ſub ſymbolis panis & vini corpus & ſanguinem ſuum ſumat, & Chriſtum corpus ſuum realiter porrigere, neceſſariò ſequitur, corpus & ſanguinem Chriſti, quæ ſub ſymbolis præfatis verè & realiter porriguntur & recipiuntur, ibidem realiter eſſe per tranſubſtantiationem. Quare idem Caluinus in admonitione vltima ad Vueſtphalum Lutheranum, *tom. 7. pag. 829. col. 1.* ſententiam Catholicorum admittentium tranſubſtantiationem, Lutheranorum impanationem docentium ſententiæ præfert; ait enim: *Craſſiùs eos* (Lutheranos) *de corporali præſentia, quàm Papiſtas ſentire & loqui arguimus.* Vnde Beza Caluini diſcipulus & ſucceſſor, apertè fatetur realem præſentiam corporis Chriſti omninò à tranſubſtantiatione dependere. Nam de cœna Domini contra Vueſtphalum, *pag. 215.* ait: *Non poſſe vrgeri τὸ ῥητὸν in his verbis Chriſti: Hoc, id eſt hic panis, eſt corpus meum, quin Papiſtica tranſubſtantiatio conſtituatur.* Et pag. 216. *Hoc ſæpe diximus, quod nunc quoque repetam, retineri non poſſe τὸ ῥητὸν in his Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum, quin tranſubſtantiatio Papiſtica ſtatuatur.* Et pag. 217. *Vel tranſubſtantiatio ponenda eſt, vel tropus.* Sic igitur cum reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia tranſubſtantiationem fatentur duo Caluiniſtarum anteſignani.

409. Mens Caluini magis patet.

Sed mens Caluini ampliùs dignoſcetur ex iis quæ ſcripſit *in cap. 11. epiſt. 1. ad Cor. verſ. 24.* vbi expreſsè admittit, ſymbolo panis in Euchariſtia rem ſignificatam, nempe corpus Chriſti, verè exhiberi, & cum illo eſſe coniunctam: immò diſcrimen ponit inter nuda ſigna rem ſignificatam non includentia, & Sacramenti huius ſymbolum rem ſignificatam includens; ait enim: *Hic reſpondeo, non ideo tantùm ſigno imponi nomen rei ſignatæ, quoniam ſit figura, ſed magis quia ſymbolum ſit, quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis aut terrenis, quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuerſum, non admitto. Vocatur Hercules ſtatua Herculis; ſed quid eſt præter nudam inanemque figuram? Columba autem Spiritus vocatur, quia certa ſit teſſera inuiſibilis Spiritus præſentiæ. Ergò panis eſt Chriſti corpus, quia certò teſtatur exhiberi nobis corpus illud, quod figurat, vel quia Dominus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo vnà dat etiam nobis ſuum corpus; neque enim fallax eſt Chriſtus, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controuerſiam, veritatem hic cum ſuo ſigno coniunctam eſſe.* Hactenus Caluinus, qui eadem ferè repetit *lib. de cœna Domini*, vbi ſic loquitur: *In communione, quam in Chriſti corpore & ſanguine habemus, dicendum eſt, myſterium ſpirituale eſſe, quod nec oculis conſpici, nec ingenio humano comprehendi poteſt. Figuris igitur & ſignis, quæ ſub oculorum ſenſum cadunt, vt naturæ noſtræ imbecillitas requirit, oſtenditur: ita tamen vt non ſit figura nuda & ſimplex, ſed veritati ſuæ & ſubſtantiæ coniuncta. Meritò igitur panis appellatur corpus, cùm id non modò repræſentet, verùm etiam nobis offerat. Itaque facilè concedemus, corporis Chriſti nomen ad panem transferri, quòd eius ſacramentum & figura ſit. Sed hoc adiungemus, Sacramenta Domini nullo modo à ſubſtantia & veritate ſua ſeparari oportere, &c.* Subditque: *Quod ſi Deus nec fallere, nec mentiri poteſt, conſequens eſt, ipſum omnia quæ illic ſignificat, reipsà implere & præſtare. Neceſſe eſt igitur nos in cœna verè corpus, & ſanguinem Chriſti recipere, cùm vtriuſque communionem nobis Dominus repræſentet.* Hæc Caluinus.

410. Ex quibus verbis contra illum, eiuſque ſequaces tranſubſtantiatio ſtabilitur: nam ſi in hoc Sacramento panis eſt ſymbolum, quo res, nempe corpus Chriſti, exhibetur; ſi Chriſtus non fallax eſt, qui vacuis figuris nos ludat; & ſi Caluino extra controuerſiam eſt, veritatem hic cum ſuo ſigno coniunctam eſſe, hoc eſt, corpus Chriſti pani, ſeu ſpeciei panis eſſe coniunctum, ita vt panis non ſit figura nuda & ſimplex, ſed veritati

Præſentia corporis Chriſti, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia ex verbis Caluini magis ſtabiliuntur.

ſuæ, & ſubſtantiæ coniuncta; vnde & meritò appellatur corpus Chriſti, quia non modò illud repræſentat, ſed etiam illud nobis offert. Ergo cum pane, vel ſub pane verè, realiter, & ſubſtantialiter eſt corpus Chriſti: ergo in ſenſu proprio & literali verba Chriſti corpus ſuum nobis in cibum, & ſanguinem in potum nobis concedentis intelligenda ſunt. Ergo verè & realiter cum ſymbolis etiam ore corporis carnem & ſanguinem Chriſti recipimus. Ergo verè panis in corpus, & vinum in ſanguinem conuertuntur, & tranſubſtantiantur. Quæ omnes conſequentiæ veræ ſunt, & neceſſariò illatæ ex doctrina Caluini, qui vt ſuprà diximus, realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, & ſenſum proprium & literalem verborum Chriſti dicentis, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, &c. non admittit, niſi tranſubſtantiatio admittatur. Vel enim in eius ſententia corpus Chriſti cum pane non eſt verè & realiter, ſed tantùm à pane ſignificatur; vel ſi eſt, conuerſio panis in ipſum omninò ſequitur, & tranſubſtantiatio ſtabilitur. Cùm ergo dixerit Caluinus duobus vltimò adductis teſtimoniis, *corpus Chriſti cum pane verè & ſubſtantialiter eſſe coniunctum*, tanquam res ſignificata cum ſuo ſigno verè coniungitur, quia *panis non eſt figura ſimplex & nuda*, *ſed res ſignata coniuncta*; corpus enim Chriſti non tantùm repræſentat, ſed offert; quia Chriſtus non fallax eſt, nec poteſt mentiri, aut fallere; & ideò re ipſa implet & præſtat quæ promiſit, & verè dat corpus & ſanguinem ſuum: ideo rectè ſequitur, quod ibi eſt corpus & ſanguis Chriſti, non quidem cum ſubſtantia panis; hoc enim impoſſibile videtur Caluino, qui ex hoc carpit Lutheranos; ſed ex conuerſione panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti, ac per conſequens ex vi tranſubſtantiationis, quam verba Chriſti omnipotentis ibidem operantur.

Sectio III.

Realis præſentia corporis Domini in Euchariſtia adhuc firmatur, & contra hæreticos propugnatur.

411. QVia quæ ſuprà retulimus de Caluino circa veram & realem corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſymbolis panis & vini in Euchariſtia ſumptionem, ab eo gratis dicta eſſe patet, cùm & ipſe pluribus aliis locis doceat, nudum & ſimplicem panem, tanquam ſignum corporis Chriſti, non in Sacramento, ſed in cœlo exiſtentis manducari, & ipſum Chriſti corpus fide tantùm, & per intellectus operationem à fideli ſumi; eiuſque ſequaces hoc in errore pertinaciſſimi realem corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia præſentiam negant, in hoc Caluini aſtutiam & ingenium imitantes, & Zuinglij Sacramentariorum principis veſtigiis adhærentes: ideo vt ſacroſanctæ Euchariſtiæ ex reali in ipſa corporis & ſanguinis Chriſti præſentia maieſtas magis eluceſcat, & veritas catholica firmiùs ſolidetur; placet hic verum corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter ſub ſymbolis ſeu ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia eſſe demonſtrare, & aduerſariorum contra fidem hanc iniecta tela retundere, obiectaſque difficultates enodare; vt ſic ex omni capite conſtet, veteres omnes figuras Euchariſtiam vincere, & Agnum Paſchalem, ac

Vera mens Caluini, & ſequacium contra realē præſentiam corporis Chriſti, & tranſubſtantiationem, in Euchariſtia.

manna ab hoc Sacramento ſuperari, quia futurum Chriſti, quod illa præſignabant corpus, iam exiſtens, paſſum, mortuum ac rediuiuum in ſe ſub ſpeciebus panis & vini realiter continet ac concludit.

Primò igitur ex verbis Chriſti, qui cùm Deus & homo ſit, nec fallere potuit, nec mentiri, vt etiam fatetur Caluinus, liquet corpus eius ac ſanguinem ſub ſymbolis, ſeu ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia verè & realiter exiſtere. Ille enim ſolenni voce pollicitus eſt ſe carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum daturum hominibus: promiſſionem ſuam iuramento confirmauit, & tandem ea quæ pollicitus fuerat, in vltima quam cum dilectis diſcipulis habuit, cœna adimplens, ſumpto pane ac benedicto dixit, *Hoc eſt corpus meum*: & ſumpto calice vino aquâ mixto repleto dixit, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, *noui & æterni teſtamenti*, *qui pro vobis funditur*. Ergo verè & realiter ſub ſpecie panis corpus ſuum, & ſub ſpecie vini ſanguinem ſuum hominibus immenſa charitate donauit. 412.

Verba Chriſti docent corpus eius verè, & realiter eſſe in Euchariſtia.

Promiſſio eius *Ioan.* 6. 52. his verbis eſt expreſſa: *Panis quem ego dabo*, *caro mea eſt pro mundi vita.* Si ergo *promiſſio boni viri eſt obligatio*, vt tritum eſt; Chriſti Dei & hominis pollicitatio ipſum aſtrinxit, vt de facto quod pollicitus fuerat, adimpleret. Illis autem verbis non communem panem carnis ſuæ typum, ſed carnem ſuam verè & propriè in cibum promiſit hominibus. Cùm enim verba ſigna ſint mentis, & loquentis declarent voluntatem, aliàs loquens mentiretur, ſiquidem ex Auguſtino *mentiri eſt contra mentem ire*; quod de Chriſto opinari eſſet impium, cùm ipſe ſit veritas, vt ſeipſum appellat *Ioan.* 14. 6. ideò dum dixit, *Panis quem ego dabo caro mea eſt*, verè & propriè carnem ſuam, & non illius ſignum, figuram, aut typum promiſit. Si enim figuram tantùm dare voluiſſet in cibum, dicere debuiſſet, *Panis quem ego dabo carnis meæ ſignum vel figura eſt pro mundi vita.* Quod vtique facillimè potuiſſet; cùm non ignoret Verbum quomodo ſit loquendum, nec Veritas quomodo verum pronuntiandum ſit. Vnde verba Chriſti non licet de figura ſeu ſigno corporis ſui exponere, cùm in illis nulla figuræ, vel ſigni, ſed tantùm carnis ſuæ fiat mentio: nam *verba*, vt à Iuriſperitis *l. Labeo* 7. §. 2. *D. de ſupellectili legata*, dicitur, *non ex opinione hominis exaudiri oportet*, *ſed ex communi vſu.* Cúmque ex communi vſu caro non ſignum aut figuram carnis, ſed veram & realem carnem ſignificet, non de figura, ſed de vera & reali carne ſua loquutus eſt Dominus. 413.

Promiſſio boni viri eſt obligatio.

Verba Chriſti non ſignū carnis ſuæ, ſed ipſam carnem in cibum promiſerunt.

Quod adeo verum eſt, vt circumſtantes Iudæi loquentem Chriſtum audientes, hoc modo, ideſt in ſenſu proprio & formali verba præfata intellexerint. Si enim de figura & typo carnis Dominicæ intellexiſſent, non inuicem litigaſſent de modo, quo caro Chriſti ad manducandum danda erat: nulla enim eſt difficultas, quod panis communis tanquam ſignum carnis Chriſti manducetur. Quare ſtatim poſt præfata Chriſti verba ſubdit Ioannes 6. 53. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes*, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Verùm quid reſpondit Dominus? Numquid Iudæorum commotionem ſedauit, & litigium reſoluit, mentem ſuam exponens, aſſereoſque ſe loquutum non de vera carne ſua, ſed de ſigno & figura illius? Nequaquam 414.

Audientes verba Chriſti illa de vera eius carne intellexerūt, & ideo ad inuicem litigabant.

Google

quam: immò verba ſua ampliauit, & cibo potum adiungens, ſe carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum daturum aſſeuerauit, ſuamque pollicitationem geminato iuramento firmauit; ſiquidem *ibid.* 54. ſubditur: *Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Quæ omnia verba veram & propriam carnem, verum & proprium ſanguinem Chriſti, non eorum figuram, vel typum ſpondent, ac promiſſæ rei infallibilem certitudinem Chriſti duplici iuramento confirmant.

Nec Chriſtus prauam illorum dixit eſſe intellectionem, immò verbis ſuis firmauit.

415. Iuramentum Chriſti inſuper promiſſioni ſuæ geminâ voce coniunctum, verum corpus & ſanguinem eius ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia realiter & ſubſtantialiter exiſtere ſuadet. Etenim in veritatis confirmationem iuramentum adhibetur, & vt loquitur Apoſtolus Hebr. 6. 16. *Omnis controuerſia hominum finis ad confirmationem, eſt iuramenentum*; quod à Iuriſperitis *lib. 1. D. de iureiurando*, Maximum expediendarum litium remedium appellatur. Cùm ergo ad tollendam omnem Iudæorum altercationem ac dubitationem de carne ſua, quam Chriſtus cibum pro mundi vita promittebat, iurauerit Dominus, & geminata prolatione *Amen*, vocis Hebraïcæ, quæ veritatem, ſeu verum ſonat, ſecundùm Auguſtinum, affirmauerit nullum ex hominibus vitam ſpiritualem habiturum, niſi carnem eius manducauerit, & ſanguinem eius biberit; ac ſubiunxerit, carnem eius verè eſſe cibum, & ſanguinem eius verè eſſe potum; firmiter tenendum eſt de vera & propria carne, de vero & proprio ſanguine, non autem de figuris eorum fuiſſe loquutum, & illa verè & realiter ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtiæ Sacramento hominibus contuliſſe. Cur etenim Iudæis altercantibus, de vera & propria manducatione corporis ſui reſpondens Dominus affirmat iuramento, illos vitam in ſe non habituros, niſi corpus ſuum manducauerint, & ſanguinem ſuum biberint, ſi de facto & realiter nec corpus, nec ſanguinem, ſed eorum dumtaxat figuram tradere cogitabat?

Iuramentum Chriſti promiſſioni adiunctum illā conſirmauit.

416. Sanè ſicuti *Deus volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iuramentum*, vt dicitur *Hebr.* 6. 17. ita vt promiſſionis ſuæ veritatem, & ſe verè ac realiter carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum præbiturum oſtenderet, verba ſua Chriſtus gemino iuramento firmauit. Quomodo enim qui iurare prohibuit *Matth.* 5. 34. dicens, *Ego autem dico vobis, non iurare omninò*, os ſuum iuramento aperuit, vt audientes vanis corporis & ſanguinis figuris luderet? Planè ſignum, aut figuram pronuntiaſſet, non carnem, ſi typum, & non rem dare voluiſſet. Quod autem Saluator iurauerit gemina *Amen* prolatione, dum dixit: *Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem, &c.* liquet ex Auguſtino *tract.* 41. *in Ioan.* vbi ait: *Quale eſt Domini noſtri dicere, Amen amen dico vobis, multum commendat, quod ita pronuntiat, & quodammodo (ſi dici fas eſt) iuratio eius eſt, Amen amen dico vobis.* Hæc ille. Notatu autem dignum eſt, vocem *Amen*, nec Græcam, nec Latinam, ſed Hebræam, tantam ore Domini prolatam venerationem apud omnes Euangelij Interpretes aſſequutam eſſe, vt intacta in omnibus verſionibus remanſerit: & quamvis verum ſignificet, non legitur in præfatis & ſimilibus verbis, *Verum verum dico vobis*; ſed, *Amen amen dico vobis*; quod non paruam in voce ore Chriſti pronuntiata emphaſim deſignat. Quod etiam Auguſtinus notauit: *Sic manſit* AMEN, *non eſt interpretatum* (inquit) *vt honorem haberet velamento ſecreti; non vt eſſet negatum, ſed ne vileſceret nudatum. Nec ſemel tantùm, ſed bis à Domino dictum eſt, Amen amen dico vobis. Iam quantùm hoc commendatum ſit, ex ipſa geminatione cognoſcite. Quid eſt ergo commendatum? Verum verum dico vobis, Veritas dicit. Quæ vtique etſi non diceret, Verum dico, mentiri non poſſet. Tamen commendat, tamen inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult.* Hactenus Auguſtinus. Cuius verbis inhærentes commendantem iuramento corpus ſuum & ſanguinem Dominum audiamus, infallibilem veritatem inculcantem intelligamus, ipſique toto corde ac intellectu ſimus intenti, nec typicâ, aut figuratiuâ verborum Dei expoſitione Dominum contemnamus, ſed verum & proprium eius corpus, verumque ac proprium eius ſanguinem ſub panis ac vini ſpeciebus in Euchariſtia nos recipere firmiſſimè teneamus. *Omnia enim, quæ promiſit Deus, potens eſt facere*, vt dicitur *Rom.* 4. 21. quia *cælum & terra tranſibunt, verba autem Chriſti non præteribunt*, Matth. 24. 35.

Cum carnē, & non ſignū carnis, in cibum ſe daturum promiſerit ac iurauerit, nō potuit Chriſtus niſi carnem ſuam in cibū præbere.

D. Auguſt.

Omnia quæ promiſit Deus, potens eſt & facere.

417. Poſtremò verba, quibus Chriſtus promiſſionem ſuam in vltima cœna adimplens vſus eſt, veram & realem corporis ſui ſub ſpeciebus panis, & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus vini præſentiam demonſtrant. Nam *Matth.* 26. 26. panem accepit, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Idem refertur à Marco *cap.* 14. & ab Apoſtolo 1. *Cor.* 11. Immò Syrus Interpres peculiari emphaſi tranſtulit Marci 14. verſ. 22. *Hoc eſt ipſum corpus meum*, id eſt, verum & proprium corpus. Ergo non figuram, non typum, ſed verum corpus & ſanguinem ſuum realiter diſcipulis ſuis tunc exhibuit. Quod breuiter ex præfatorum verborum tenore firmabo.

Ipſa verba Chriſti realē corporis ſui præſentiam in Euchariſtia demonſtrant.

418. Primò quia Chriſtus loquebatur ſecundùm propriam mentem, & verè cogitationem ſuam & affectum ſermone promebat, aliàs fallax fuiſſet, & mendax: quod negare debet omnis Chriſtianus, ipſeque negat Caluinus. Ergo volebat Dominus quod loquebatur. Ergo fecit quod loquutus eſt: *Omnia enim quæcumque voluit Dominus, fecit*, vt dicitur *pſal.* 134. 7. Ergo de facto corpus ſuum & ſanguinem in cibum & potum diſcipulis erogauit. Ergo non panem nudum typum corporis, nec vinum figuram inanem ſanguinis ſui, vt voluere Caluinus, Zuinglius, eorumque ſequaces. Nam cùm iuxta D. Auguſtinum tract. 25. in Ioan. *dum Chriſtus loquitur, non fas ſit alia opinari quam loquitur*; cur quando Redemptor noſter ſolenni ſuæ de danda carne ſua, quam *Ioan.* 6. 52. fecerat, promiſſioni ſtans, eamque de facto adimplens, dixit: *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum: Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, &c.* non de vero eius corpore & ſanguine, ſed de eorum ſigno illius verba interpretauit? An non potuit dicere, Hoc eſt ſignum corporis mei, Hic eſt typus ſanguinis mei, ſicut dixit, *Hoc eſt corpus*

Secundùm propriam mentem loquebatur, & volebat id quod loquebatur.

D. Auguſt.

Digitized by Google

corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, Et vt verbis acerrimi Chriſtianæ fidei contra Arrianam perfidiam defenſoris Pictauienſis Epiſcopi Hilarij *lib. 8. de Trinitate*, contra Sacramentarios vtar, *Fortè qui Verbum eſt, & qui Veritas eſt, loqui vera neſcinit? Et qui ſapientia eſt, in ſtultiloquio errauit? Et qui virtus eſt, in ea fuit infirmitate, ne poſſet eloqui, quæ vellet intelligi.* Sciuit ergo, & voluit Chriſtus præfata verba pronuntiare, potuitque omnipotens Dei virtus ea præſtare, quæ ab illo ſermone verè & propriè ſignificabantur. Ergo verè & propriè corpus ſuum, & ſanguinem, & non eorum figuras tunc donauit.

Hilarius.

419. Secundò, in illa vltima ſua cœna teſtamentum ſuum condidit Chriſtus, & nouum, æternumque cum perdilectis diſcipulis fœdus inſtituit, ac præfatis verbis declarauit. Ergo verè & realiter corpus & ſanguinem ſuum donauit; verba etenim teſtatoris, & eius ore prolata, ac deinde ſcriptis exarata, in ſenſu proprio, formali, & literali, non verò metaphorico, typico, ſeu figuratiuo debent intelligi, ex communi ac recepto omnium vſu. Vnde ſi quis in teſtamento ſuo centum nummos alicui legauerit, vel equum, vel annulum, vel ſcyphum aureum; non harum rerum ſymbola ſeu ſigna, ſed ipſæmet res intelliguntur conceſſæ, & à judice damnaretur, qui rerum legatarum imagines, non autem ipſas res legatas vellet tradere legatariis. Cùm ergo Chriſtus teſtamento ſuo corpus ſuum & ſanguinem, quæ anteà dare promiſerat, tradiderit, hancque traditionem verbis formalibus & propriis declarauerit, eandemque ſcriptis exarari voluerit à tribus Euangeliſtis, & à Paulo Apoſtolo; nemini licet illius verba in ſenſu typico & metaphorico, ſed tantùm proprio & formali interpretari. Etenim in teſtamentis pleniùs quàm in contractibus voluntates teſtantium interpretantur; hoc eſt, in ſenſu proprio & formali accipiuntur, vt in Iure legitur *l. 12. D. de regulis juris.* Minimè igitur audiendi ſunt, qui & teſtamentum Domini, & eius voluntatem inuertentes, ſigna & figuras pro corpore & ſanguine Chriſti in ſacra ponunt Euchariſtia: ſed aduocandi ſunt, vt verbis Domini fidem præbeant, & nullam in adeo perſpicua loquutione metaphoram vel figuram admittant. Quippe ore Chriſti trucidantur omnes illæ typicæ interpretationes; & tales ad ſenſum myſticum ac figuratiuum Chriſti verba detorquentes, ex eo quod quomodo corpus ſuum & ſanguinem in ſacra concedat Euchariſtia, intelligere non valent, Iudæorum imitantur inſcitiam, dicentium Ioan. 6. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Immò ex ouium Chriſti grege non ſunt; *oues etiam Chriſti vocem eius audiunt*, Ioan. 10. *Audiunt quidem, non diſputant, non diſcutiunt*, vt loquitur S. Baſilius *hom. 26. de martyr. Mamante.* Nec Chriſtiani dicendi ſunt, quia Chriſti diſcipuli eſſe nequeunt, cùm eius ſermonibus non credant. Vnde & Dominus Ioan. 8. 31. *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli eritis.* Manere autem in ſermone Chriſti, eſt ei firmiter credere, ac fideliter adhærere. Hinc Hieronym. epiſt. 1. ad Heliodor. *Qui in Chriſtum credis, & eius crede ſermonibus.*

Teſtamentū condidit Chriſtus, dū Euchariſtiā inſtituit; & ideo verè & realiter, & non in ſigno donauit ea quæ pronuntiauit.

Ore Chriſti trucidantur omnes typicæ interpretationes.

Non ſunt oues Chriſti qui de verbis Chriſti diſputant.

D. Baſilius.

D. Hieron.

420. Tertiò præfatis verbis Chriſtus Dominus Sacramentum omnium præſtantiſſimum inſtituit, & dogma pariter ac myſterium Chriſtianæ Religionis nobiliſſimum fundauit, & exhibuit. Ergo in ſenſu proprio, literali & formali loquutus eſt, aliàs liceret verba iſtis ſimilia, tum ad myſteria fidei, tum ad Sacramenta pertinentia in ſenſu metaphorico, typico, & figuratiuo exponere; quod omninò falſum eſt, & contra perpetuum Eccleſiæ morem. Nam hæc verba Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, propriè & formaliter ſunt intelligenda, & non metaphoricè. Vnde Marcion hæreticus ab Eccleſia pronuntiatus eſt, quia illa figuratiuè, & typicè exponebat, dicens, *Verbum caro factum eſt*, ideſt figuram carnis, & non propriam & veram carnem aſſumpſit. Similiter hæc verba Matth. vlt. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c.* debent intelligi de vera, propria, & reali ablutione corporis, ſiue per immerſionem, ſiue per aſperſionem realem aquæ, cum debita verborum pronuntiatione, & inuocatione Trinitatis; & qui illa typicè & figuratiuè intelligerent, hæretici dicerentur. Ergo à pari, hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, &c.* verè, propriè, formaliter, & in ſenſu literali, & non typicè intelligenda ſunt. Quod adeò verum eſt, vt Philippus Melanchton Catholicæ Eccleſiæ hoſtis, vtpote Lutheranus, ad Fredericum Myconium dixerit: *Si pro corpore figuram corporis accipias, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam Religionis formam transformare.* Etenim ſic licebit cum Serueto dicere, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tria tantùm eſſe nomina vnius Dei, non tres perſonas; & cum Manichæis, Chriſtum aſſumpſiſſe carnem, ſed phantaſticam; paſſum, mortuumque, ſed tantùm per imaginem & phantaſma; & omnes alias, quæ in Euangeliis narrantur veritates, non realitates eſſe, ſed tropos & figuras, quod Chriſtianorum Religionem penitus profligaret.

Sacramentū & dogma fidei debuit inſtitui à Chriſto, verbis in propria & litterali ſignificatione intellectis.

Non licet pro corpore figuram corporis ex verbis Chriſti intelligere.

Philip. Melanc.

Quartò, ſemel auditâ voce Patris in Chriſti transfiguratione, dicentis de Chriſto, *Hic eſt filius meus dilectus*, Petrus firmiter credidit Chriſtum eſſe verum realiter & propriè Dei Filium; & quamvis illum hominem manducantem & bibentem cerneret, tamen exiſtimabat Verbum Dei inuiſibiliter viſibili humanitati coniunctum; Chriſtumque non typicè & metaphoricè, ſed propriè Dei Filium credebat. Vnde idem Apoſtolus, vt Chriſtum Filium Dei eſſe oſtenderet, eiſdem quæ à Patre audierat, verbis vſus eſt 2. Pet. 1. 17. 18. *Accipiens*, inquit, *à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsâ ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Cùm ergo Chriſtus ſit filius Dei, Patri in omnibus coæqualis & conſubſtantialis, eandemque in loquendo veritatem, & in agendo potentiam habeat, dum ſolenni voce ſupra acceptum panem ac benedictum hæc verba protulit, *Hoc eſt corpus meum*, veritatem infallibilem pronuntiauit. Ergo nos audientes hanc vocem vnigeniti Dei Filij, debemus abſque omni dubitatione credere, in Euchariſtia verum & proprium eius corpus veraciter & realiter exiſtere. Similia etenim ſunt hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, iſtis, *Hic eſt filius meus*, à duobus perſonis eiuſdem eſſentiæ, eiuſdem virtutis ac potentiæ prolata. Ergo etſi panis appareat, non amplius panis credendus eſt, ſed corpus Chriſti verè, realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie panis incluſum. Ergo ſicuti non licet verba Patris dicentis, *Hic eſt filius meus dilectus*, typicè intelligere; ita nec licet verba Filij dicentis, *Hoc eſt corpus meum*, metaphoricè & figuratiuè interpretari. 421.

Sicuti Apoſtoli audientes, *Hic eſt filius meus dilectus*, ſtatim crediderunt.

Ita quando dixit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meū*, abſque vlla dubitatione, debemus credere.

Quintò, quoties Chriſtus verba ambigua protulit, 422.

Digitized by Google

Verba ambigua Chriſti ab Euangeliſtis declarata ſunt, ne aliquis ex illis erraret.

tulit, ne ex illis audientes errarent, mentem ſuam per ſeipſum aperuit, vel per Euangelij ſcriptores declarandam curauit. Vnde cùm *Ioan.* 2. expulſis è templo vendentibus & ementibus, dixit: *Soluite templum hoc, & poſt triduum reædificabo illud:* ne quis putaret, de templo Salomonis Chriſtum fuiſſe loquutum, ſubiunxit ſtatim Euangeliſta, *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui*, Ioan. 2. 21. Similiter dum *Ioan.* 4. diſcipuli eius illum cum muliere Samaritana loquentem inueniſſent, & rogaſſent vt manducaret, dixit eis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Sed quia illos de quo cibo loqueretur, anxios vidit, ſtatim mentem ſuam aperiens, ait: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. 34. Dum autem Chriſtus accepto pane dixit, *Hoc eſt corpus meum*; & accepto calice, *Hic eſt ſanguis meus, &c.* nihil poſtea ſubiunctum fuit, vel ab ipſo, vel ab Euangeliſtis, ad mentem eius aperiendam, & ad declarandum quod non de proprio corpore ac de proprio ſanguine, ſed de figuris eius loquebatur: immò id quod in vltima cœna dedit verbis præfatis, omninò conforme eſt promiſſioni quam longè anteà fecerat, *Ioan.* 6. dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et ibidem: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, &c.* Ergo nihil ambiguum in præfatis verbis protulit. Ergo non in ſenſu metaphorico & typico, ſed formali & proprio intelligenda ſunt prædicta verba. Aliàs infinitæ ſapientiæ ſuæ ac prouidentiæ derogaſſet; nam de facto præuidit quamplurimos hoc myſterium impugnaturos, ac de figura & ſigno corporis ſui, & non de proprio corpore expoſituros: & tamen nullum verbum de ſigno vel protulit, vel ab Euangeliſtis ad mentem ſuam declarandam, & omnem ambiguitatem tollendam, ſcribendum mandauit. Ergo de facto verbis eius in ſenſu proprio ac formali ſtandum eſt. Ergo nulla figura vel typus à corpore Domini diſiunctus, ſed ipſum corpus ſub ſpecie panis, & ipſe ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini in Euchariſtia realiter continetur.

Dum dixit, *Hoc eſt corpus meum*, nihil ſubiunctum eſt vel à Chriſto, vel ab Euangeliſtis, quia hæc loquutio in proprio & formali ſenſu debet intelligi.

423\. Sextò dum in aliqua propoſitione eſt aliqua ambiguitas vel æquiuocatio, ſequentia vel antecedentia loquentis verba illam omninò, dum explicant, tollunt, vt quando dico, *Dum eſſem Romæ, vidi ſummum Pontificem*; vltima enim verba, quæ ambigua eſſe poſſunt, quia & de perſona, & de imagine Summi Pontificis valent intelligi, ab omni ambiguitate liberabuntur, ſi eis attribuatur aliquid, quod vnam tantùm patitur ſignificationem claram & perſpicuam, & in aliam naturaliter non valet detorqueri. Vnde ſi dicam, *Vidi ſummum Pontificem, qui veniit decem nummis*; per hæc vltima verba tollitur omnis æquiuocatio, ſiquidem hæc vox, *Summus Pontifex*, quæ de perſona, vel imagine Summi Pontificis poterat intelligi, determinatur per id quod ei attribuitur, ad imaginem Summi Pontificis, & præfata verba reddunt hunc ſenſum clarè & diſtinctè, Vidi imaginem Summi Pontificis quæ veniit decem nummis. Si autem præfatæ propoſitioni aliquid addam per modum attributi, quod ipſi dumtaxat perſonæ Pontificis poteſt competere, vt ſi dicam, *Vidi Summum Pontificem facientem ſacrum in altari Beati Petri Apoſtoli*, planum eſt prædicta verba propriè & formaliter de perſona Pontificis eſſe intelligenda; nam per id quod ipſis additum eſt, reddunt hunc ſenſum, Vidi ipſam perſonam Summi Pontificis, &c. nam ſacrum facere, eſt actio, quæ non imagini aut figuræ, ſed ipſi tantùm Pontificis perſonæ competit.

Æquiuocatio alicuius propoſitionis vel tollitur, vel declaratur per aliquid vel antecedens, vel ſubſequens.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Cùm ergo Chriſtus Dominus in vltima cœna accipiens panem, benedicens ac frangens, diſcipuliſque præbens dixit, *Hoc eſt corpus meum*, huic voci, *corpus meum*, quæ aliquam poterat pati ambiguitatem vel æquiuocationem, & ſumi vel pro ſigno ſeu figura corporis ſui, vel pro ipſomet corpore, addiderit per modum attributi aliquid, quod non ſigno, ſeu figuræ corporis, ſed ipſi dumtaxat corpori poteſt conuenire; nam ſubiunxit, *quod pro vobis tradetur*; ſimiliter & illis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſubiunxit, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*: neceſſariò ſequitur, verba præfata non de ſigno, figura, ſeu typo, ſed de proprio & vero eius corpore & ſanguine eſſe intelligenda: nam proprium, & verum corpus pro nobis traditum eſt, ac in cruce oblatum. Similiter verus & proprius eius ſanguis pro nobis fuſus eſt, aliàs non verè paſſus pro nobis eſſet Chriſtus, ſed tantùm in ſigno, & in imagine; quod falſiſſimum & impium eſt. Inſuper niſi in calice verus eius ſanguis reperiretur, ſed tantùm vinum, illius ſanguinis typus, ſequeretur vinum tantùm, & non eius ſanguinem in noſtrorum remiſſionem peccatorum fuſum fuiſſe. Quod tamen omninò falſum eſt. 424.

Nihil additũ fuit ante vel poſt verba Chriſti, quod declaret æquiuocationẽ, immò quod additũ eſt oſtendit verè loquutũ fuiſſe de proprio corpore.

Denique hæc loquutio, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, eſt practica, vtpote Sacramentalis, & nobiliſſimi nouæ Legis Sacramenti operatiua. Ergo de facto panem in corpus, & vinum in ſanguinem mutat; ita vt ſub ſpecie panis, tanquam ſub ſigno, corpus vt res ſignificata; & ſub vini ſpecie, veluti ſub ſigno, ſanguis vt res figurata verè & realiter reperiatur. Cùm enim Sacramenta nouæ Legis, non vacua & inania, vt illa quæ in veteri lege habebantur, ſed plena ſigna exiſtant, vnde dicitur apud Theologos, quod efficiunt quod figurant: ſub præfatis ſpeciebus, tanquam ſub ſignis, res ſignatæ, nempe corpus & ſanguis Domini, debent realiter contineri: Sacramentum etenim eſt ſignum viſibile rei inuiſibilis, quam cauſat, efficit, & continet. Sicut ergo dum dicitur, *Ego te baptizo*, ideſt abluo, non eſt ſenſus, Ego tibi do ſignum, vel figuram ablutionis, ſed propriè ego animam tuam abluo à ſordibus peccatorum: & cùm dicitur, *Ego te abſoluo, confirmo, &c.* non ſignificatur figurata, ſed ſacramentalis, ideſt realis & propria abſolutio, confirmatio, &c. ita dum dicitur in Euchariſtia, *Hoc eſt corpus meum*, non ſignificatur tropus, aut ſignum corporis, ſed ipſum verum, & proprium corpus Chriſti: Sacramentum enim eſt ſignum rei veræ & præſentis, non falſæ & abſentis. Vnde ſicut fumus eſt ſignum ignis præſentis; & halitus in corpore vitam ibidem indicat: ita ſpecies ſacramentales verum corpus Chriſti, quod ſignificant, complectuntur. 425.

Loquutio Chriſti in inſtitutione Euchariſtiæ eſt practica & operatiua.

Firmatur exemplo formæ Baptiſmi.

Sacramentũ eſt ſignum rei veræ, & præſentis.

Sectio IV.

Eadem veritas præſentiæ realis corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia magis illuſtratur.

Secundò ratione theologica, ſuppoſitâ fide, probatur corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia exiſtere, præcipuum fundamentum hæreticorum deſtruendo. Non eſt impoſſibile quod corpus 426.

Non eſt impoſſibile corpus Chriſti eſſe realiter in Euchariſtia.

Chriſti verè & realiter ſub ſpecie panis; & ſanguis ſub ſpecie vini hoc in Sacramento exiſtant. Ergo verè & realiter ibi ſunt; ſi enim potuit hoc Chriſtus præſtare, & voluit: ergo de facto fecit. Eius voluntas tum promiſſione, tum verbis inſtitutionis conſtat: potentia autem, quæ ab aduerſariis negatur, ſic probatur. Non repugnat corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia poni: ergo non eſt impoſſibile. Si repugnaret, vel hoc eſſet ex eo, quod conuerſâ omni ſubſtantiâ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, accidentia panis & vini ſine ſubiecto remanerent; vel ex eo quod totum corpus Chriſti contineretur ſub minima quantitate, non occupans locum, ſed modo indiuiſibili ſub ſpeciebus exiſtens; vel tandem ex eo, quod corpus Chriſti remanens in cœlo, eſſet tamen ſimul in pluribus aliis ac diſtantibus locis: ſed ex nullo horum trium repugnat.

427. Primò quidem non repugnat ex primo capite, quod patet ex myſterio Incarnationis, in quo quamvis natura humana Chriſti poſtulet ex natura ſua per ſe, & propriâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtere; attamen diuinâ virtute ſubſiſtit ſubſiſtentiâ alienâ, nempe Verbi Diuini; & alieno ſuppoſito, nempe Verbi Diuini, ſuſtentatur, ita vt Chriſtus, qui verus homo eſt, & verus Deus, nullam perſonalitatem humanam habeat, ſed eadem diuina perſona Verbi in duabus naturis, diuina ſcilicet & humana, perfectè ſubſiſtit. Ergo à pari, quamvis natura accidentis ſit inhærere ſubſtantiæ, exigatque vt ab aliquo ſubiecto fulciatur & ſuſtentetur, tamen de potentia Dei extraordinaria & ſupernaturaliter poterit per ſe ſubſiſtere, ſeu exiſtere ſine ſubiecto in Euchariſtia. Siquidem non magis poſtulat accidens inhærere ſubſtantiæ tanquam ſubiecto, quàm ſubſtantia & natura completa per ſe ſubſiſtere, & propriâ ſubſiſtentiâ terminari.

Accidentia diuinitus poſſunt eſſe ſine ſubiecto.

428. Nec inſuper repugnat ex ſecundo capite; quod etiam liquet ex eodem Incarnationis myſterio, in quo Deus, ſeu Verbum Diuinum immenſitatem ſuo paruulo corpore concluſit; immò & in Virginis Immaculatæ anguſtia vteri, quem cœli non capiunt, incluſit; quod Eccleſia admirans, & ſacram Deiparam alloquens expreſſit, *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Similiter Eliſeus corpus ſuum paruuli corpori aptauit, vt ipſi vitam reſtitueret, vt legitur 4. *Reg.* 4. 34. Ergo corpus Chriſti cum ſuis dimenſionibus poterit virtute diuinâ ad punctum redigi, & carere extenſione locali, maximè cùm occupatio loci, ſeu extenſio partium corporis in ordine ad locum, ſit dumtaxat ſecundarius effectus quantitatis, & conſequenter extra eius eſſentiam. Quare & corpus Chriſti ex Virgine, clauſo ſcilicet matris vtero, natum eſt, de tumulo lapide obſerato ſurrexit, & clauſis ianuis ad diſcipulos in cœnaculum eſt ingreſſum.

Patet corpus Chriſti poni ſub minima quantitate hoſtiæ, ſine extenſione in ordine ad locum.

429. Tandem non repugnat ex tertio capite; etenim corpus Chriſti optime poteſt eſſe in duobus locis, & in pluribus aliis inter ſe diſtantibus: nam in cœlo circumſcriptiuè, localiter, & ſecundùm corpoream extenſionem, in Sacramento autem eſt inextenſum in ordine ad locum, quamvis extenſum in ordine ad ſe, & conſequenter non eſt ibi circumſcriptiuè, ſeu localiter, ſed ſacramentaliter, indiuiſibiliter, & inextensè, ita vt totum corpus Chriſti ſit in tota hoſtia conſecrata, & totum in qualibet parte hoſtiæ: eſt enim ibi per modum ſubſtantiæ, & loco ſubſtantiæ panis, quæ locum non occupabat. Quod nullo modo implicat, quia de eſſentia corporis non eſt extenſio illa actualis, & diſpoſitio partium in loco ſecundùm quandam correſpondentiam ad illum; ſed tantùm extenſio in ordine ad ſe, quæ multitudinem partium tribuit entitati, illamque aptat, vt loco coëxſtet, & ſpatio diuiſibili, quamvis de facto non ponat in loco. Quare etſi in Euchariſtia corpus Chri careat extenſione locali, & ponatur in indiuiſibili; non tamen deſinit habere duos oculos, duo brachia, duos pedes, aliaque ſua membra: collumque eius quod caput ſuſtinet, vnitur humeris & pectori, & non pedibus, licèt hæc omnia ſecundùm locum ſimul ſint, & vnico ſpatij puncto correſpondeant.

Poteſt corpus Chriſti eſſe in duobus locis, in vno circumſcriptiuè, & in alio ſacramentaliter.

430. Rectè autem poteſt Deus virtute omnipotentiæ corpus à locali extenſione liberare, vnde & *Matth.* 19. 24. dixit Chriſtus: *Facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Et tunc mirantibus diſcipulis, inquit ibidem 26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deũ autem omnia poſſibilia ſunt.* Atqui Deus poteſt abſolutè diuitem ad cœlum ducere: ergo & camelum per foramen acus: ſed nequit camelus per foramen acus tranſire, niſi locum non occupando; alioquin maius eſſet minus ſuo minori, quod implicat. Ergo. Adde quod ſicut magnitudo ſuâ mole locũ replet, & aliud corpus extrudit; ita corpus graue ſuâ ponderat grauitate, & alia deprimit corpora. Sed diuinitus corpus graue poteſt ſuâ grauitate non ponderare, & alia ſibi ſubiecta corpora non deprimere; quod de facto contigit, dum Chriſtus ambulauit ſuper aquas. Ergo de potentia Dei abſoluta poteſt corpus priuari extenſione partium in ordine ad locum, quamvis illam retineat in ordine ad ſe. Denique difficilius eſt è nihilo corpus creare, vel in nihilum redigere, quàm in punctum ſpatij illud contrahere. Cùm ergo Deus id poſſit facere, idque fides doceat, vtique & tertiũ præſtabit.

Poteſt Deus auferre extenſionem localem à corpore.

Corpus graue poteſt diuinitus liberari à pondere, & ſuper aquas ambulare.

431. Tertiò realis præſentia corporis Chriſti ſub ſpecie panis in Euchariſtia, eiuſque ore corporis manducatio, & non fide tantùm, patet contra Nouatores teſtimoniis antiquorum, ac Sanctorum Patrum, quibus antiquiſſima, ac perpetua circa hoc myſterium Eccleſiæ fides manifeſtatur. Nam S. Auguſt. *lib. 2. contra aduerſar. Legis & Prophetarum, c. 9.* ait: *Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde & ore ſuſcipimus.* S. Leo *ſerm. 6. de ieiunio 7. menſis*, idem ſentit: *Sic,* inquit, *ſancta menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis; hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.* Similiter & S. Greg. Magnus *hom. 23. in Euang.* alludens ad verba Exodi 12. *Sanguis Chriſti* (inquit) *ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* Ex quibus euidenter ſequitur, corpus & ſanguinem Chriſti realiter ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia exiſtere, aliàs ore corporis non ſumerẽtur.

Realis præſentia corporis Chriſti, & eius manducatio à fideli ore corporis, patet ex SS. Patribus.

D. Auguſt.

S. Leo.

Greg. Mag.

432. Vnde Chryſoſtomus realem corporis Domini præſentiam in hoc Sacramento apertè docet, dum *lib. de Sacerdotio*, ſic exclamat: *O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, eodem articulo temporis omnium manibus pertractatur.* Vbi S. D. ad antiquum Eccleſiæ morem, quo in manibus Fidelium ſacra dabatur Euchariſtia, vt ab illis manducaretur, alludit. Si ergo manibus omnium pertractatur Chriſtus, qui cum Patre ſurſum ſedet: ergo verè, & realiter ſub ſpecie panis reperitur. Quod etiam liquet ex eodem Chryſoſtomo

D. Chryſoſt.

hom. 2.

hom. 2. *ad populum in fine*, vbi inquit : *Elias melotem diſcipulo reliquit ; Filius autem Dei aſcendens carnem ſuam dimiſit : ſed Elias quidem exutus ; Chriſtus autem & nobis reliquit , & ipſam habens aſcendit.* Et *hom.* 3. *in Matth.* de Chriſto in Euchariſtia loquens : *Semetipſum* , inquit, *nobis commiſcet, & non fide tantùm, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus.* Quia ſcilicet ipsâ re & ore corporis carnem eius hoc in Sacramento manducamus.

Chriſtus non ſolùm fide, ſed re ipſa nobis commiſcetur.

433. D. Hieron.

Idem docet Hieronymus *in epiſtola ad Hedibiam , quæſt.* 2. vbi ait : *Nos audiamus , panem quem fregit Dominus, deditque diſcipulis , eſſe corpus Domini Saluatoris.* Et infrà: *Nec Moſes dedit nobis panem verum , ſed Dominus Ieſus, ipſe conuiua & conuiuium , ipſe comedens & qui comeditur.* Ergo verè & realiter Chriſtus ſub ſpecie panis in Euchariſtia reperitur ; aliàs non eſſet conuiua & conuiuium , comedens & qui comeditur. Hinc Auguſtinus de Chriſto expoſuit, quod de Dauide 1. *Reg.* 21. juxta Septuaginta Interpretes legitur : *Ferebatur in manibus ſuis.* Nam *in pſal.* 33. præfata verba exponens , inquit : *Quomodo hoc intelligatur in ipſo Dauide ſecundùm literam , non inuenimus ; in Chriſto autem inuenimus : ferebatur enim in manibus ſuis , quando commendans ipſum corpus ſuum, ait : Hoc eſt corpus meum ; ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* Vnde neceſſariò infertur , corpus Chriſti realiter ſub ſpecie panis exiſtere, aliàs non potuiſſet corpus ſuum Chriſtus in manibus ſuis ferre : dum enim panem conſecratum præ manibus habebat, corpus ſuum ſub illa ſpecie geſtabat. Quod quidam metricè expreſſit , dicens :

D. Auguſt.

Chriſtus corpus ſuū tulit in manibus.

Rex ſedet in cœna turbâ cinctus duodenâ.
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

Quamplurima alia aliorum Sanctorum Patrum teſtimonia in catholicæ , quam propugnamus, veritatis confirmationem adducere admodum nobis eſſet facile : verùm conſultò ampliora non congerimus, paucis adductis ad probandum intentum omninò ſufficientibus.

434. Quartò denique contra Sacramentarios omnes , cùm Zuinglij , tum Caluini aſſeclas realem corporis Domini ſub ſpecie panis in Euchariſtia præſentiam pertinaciter negantes , etiam S. R. E. hoſtium infenſiſſimorum teſtimonia placet afferre , vt hæreſis à ſemetipſa , vel ſaltem à germana confodiatur & juguletur , & veritatis propugnatrix Eccleſia Catholica , etiam ab aduerſariis ad immortales ex partis de omnibus erroribus victoriis exaltetur triumphos. Loquentur igitur ad veritatis quam tuemur declarationem Lutherani , & Caluiniſtas cum quibus non ita pridem fœdus inierunt , ore pleno damnabunt.

Præſentia realis corporis Chriſti in Euchariſtia docetur ab hæreticis.

435. Primus omnium accedit Lutherus , qui licèt conatus fuerit Chriſtum à Sacramento Euchariſtiæ deturbare, attamen verborum Chriſti veritate ac virtute conuictus , coactus eſt fateri, corpus & ſanguinem Domini (quamvis cum pane & vino, quod omninò falſum eſt) realiter hoc in myſterio exiſtere. Sic enim ſcribit ad Argentinenſes: *Quod ſi Carolſtadius mihi perſuadere potuiſſet , in Sacramento præter panem & vinum eſſe nihil, magno beneficio me ſibi deuinxiſſet ; hac enim re valde Papatum incommodaſſem. Verùm ego me captum video, nullâ elabendi viâ relictâ : textus enim Euangelij nimis apertus eſt & potens , qui facilè conuelli non poteſt ; multò minùs verbis aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis ſubuerti.* Hæc Lutherus, *qui in ſerm. de Euchariſtia , tom.* 7. in Sacramentarios corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia negantes inuehitur hoc modo : *Sathanas haud dubiè author eſt eis huius Sacramenti labefactandi ac euertendi. Contendunt planè epoto ouo , nobis tantùm relinquere putamina , hoc eſt Chriſti corpus & ſanguinem è pane & vino tollere , vt præter ſimplicem panem à piſtore confectum , nihil reliquum remaneat.* Similiter in apologia de cœna Domini : *Rogamus* , inquit , *Sacramentarios , ne petant à nobis , vt illum textum probemus, Hoc eſt corpus meum. Poſſunt enim ea de re conſulere pueros vix ſeptem annos natos, qui in ſcholis iſtorum verborum ſyllabas colligere diſcunt: ſiquidem Biblia Græca , Hebraica , Latina , & Germanica extant. Aut hoc ipſi agant , oſtendant Biblias in quibus ſcriptum ſit , Hoc eſt corporis mei ſignum. Quod ſi non poſſunt præſtare , imponant aliquantiſper ſuo ori ſilentium , & imperent ſtylo ſuo quietem , donec eiuſmodi Biblias in medium offerant.* Et infrà omnes malas & figuratas eorum interpretationes verborum , illarumque authores refert , & reprobat. Et tandem *lib. de abroganda Miſſa* , ſe longam cum Dæmone narrat habuiſſe diſputationem , quâ conabatur mendax ſpiritus ſophiſticis rationibus Luthero ſuadere , ſub ſpeciebus Euchariſtiæ Chriſtum non adeſſe ; à quo tamen nequaquam conuictus eſt.

Lutherus voluiſſet realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia negare , ſed non potuit verbis Chriſti conuictus.

Sathanas author Sacramentariorū.

Secundus ex hæreticorum coborte, qui Sacramentariorum ſententiam de typica ac figurata manducatione Chriſti in Euchariſtia proſcribit, eſt Philippus Melanchton, qui *lib. de veris corporis & ſanguinis Domini* , contra realem præſentiam corporis Domini in hoc Sacramento negantes ſic loquitur: *Si ob rationes humanas neges Chriſtum eſſe in Euchariſtia, quid dicet in tentatione conſcientia? Quam afferet cauſam diſcedendi à recepta ſententia in Eccleſia ? Tunc iſta verba* , HOC EST CORPVS MEVM, *fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta ? Quibus ſcripturis, quâ voce Dei ſe muniet, ac ſibi perſuadebit , neceſſariò hic fuiſſe interpretandam metaphoram, cùm verbum Dei præferri debeat judicio rationis.* 436.

Philip. Melanchton præſentiam corporis Domini in Euchariſtia docet, & negantes arguit.

Tertius adiungetur Eraſmus, vir ancipitis fidei , & Lutheri præcurſor ; oua enim quæ fouit Eraſmus , Lutherus excluſit , ſicut notauit quidam : vnde & alter dixit, *Vbi innuit Eraſmus , irruit Lutherus.* Hic tamen realem præſentiam corporis Domini in Euchariſtia ſemper credidit , ac propugnauit. Vnde Conrado Pelicano , à quo ad Zuinglianiſmum ſolicitabatur , ita reſcribit : *Ad id* (ſcilicet non eſſe verum corpus Chriſti in Euchariſtia ,) *negaui ſemper me poſſe animum inducere , præſertim cum Euangelica , atque Apoſtolica litera tam euidenter nominent corpus quod datur , & ſanguinem qui effunditur.* Et infrà: *Si tibi perſuaſum eſt, in Synaxi nihil eſſe præter panem & vinum ; ego membratim diſcerpi malim , & omnia perpeti , quam profiteri idem, quod tu profiteris: nec patiar vt tu iſtius dogmatis me authorem facias , vel comitem. Ita mihi contingat, nunquam à Chriſto ſeiungi. Amen.* Ita Eraſmus, qui etiam ad Ludouicum Berum ſic ſcripſit : *Nunquam mihi perſuaderi potuit, neque poterit, Chriſtum qui veritas eſt, & charitas, tandiu paſſum fuiſſe dilectum Sponſam ſuam hærere in errore tam abominando, vt cruſtulum farinaceum pro ipſo adoraret.* Tandem idem Eraſmus ad Conradum Pelicanum: *Hactenus* , inquit , *cum omnibus Chriſtianis adoraui Chriſtum pro me paſſum in Euchariſtia , nec adhuc video quidquam , cur ab hac opinione debeam recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi ſententia Chriſtiani orbis : plus enim valent apud me quinque illa verba , In principio creauit Deus cælum & terram , quam omnia Ari-*

Eraſmus eandem approbat , tuetur & confirmat.

Vult membratim diſcerpi potiùs, quàm mutare ſententiam.

ſtotelis cæterorumque Philoſophorum argumenta, quibus docent mundum carere initio. Sic hic literas diuinas habemus : Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur : Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur, &c. In qnibus omnibus locis eleganter ſanè,& neruoſè Eraſmus Sacramentarins ennfutat, & tealem præſentiam cnrpnris Domini io Euchariſtia confirmat,eamque perpetuò ab Eccleſia fuiſſe creditam deelatat.

437. Ex quibus omnibus liquer, quàm iniuſtè, quàm ſtolidè egerint buins ac præteriri ſeculi Nouatnres, qui perſpicua ac formalia Chriſti Domini verba metaphnricè, ac figuratè, contra expreſſam eius mentem exponentes, communem totius Eecleſiæ conſenſum turbauerunt, & Berengarij errorem tertiò à Conciliis damnatum, & ab ipſo reuocatum ab inferis ſuſcitatunr. Faxit Deus, vt *hi rebelles lumini*, ſuo obediant Euangelin, ſuamqne vocem audiant; & qui Berengarium errantem ſequuti ſunr, etiam pœnitentem imitentur, ac cum ipſomet Berengario, *cap. Ego Berengarius*, fateantur, *panem & vinum conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnem, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & poſt con-*

Nouatorum obiecta. *ſecrationem eſſe verum corpus quod natum eſt de Virgine, & verum ſanguinem Chriſti qui de latere effluxit, non tantùm per ſignum, ſed etiam in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ.*

§. Vnicvs.

Hæreticorum obiectiones contra veritatem Euchariſtiæ confutantur.

Nihil ergo ſupereſt ad præſentiæ realis corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia veritatem omninò & inconcuſsè ſtabiliendam, niſi vt Nouatorum contra illam obiecta rejiciamus : qnod mox præſtare conamur.

438. Inſtant primò. Primò igitur objiciunt : Litigantibus Iudæis de manducatione carnis Chriſti, reſpondit Dominus Inao. 6. 64. *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Ergn nnn carnem ſuam ptnpriè & realiter, ſed panem tantùm ſpiritualiter intellectum, in ſignum & typum carnis ſuæ tradidit Chriſtus. Sic Zuinglios *lib. de vera & falſa Relig. cap. de Euchariſtia*, vbi murum æneum, & adamantem infractum appellat hoc argumentum.

439. Refelluntur. Sed fallitur vir apoſtata, oec æneum vel adamantium, ſed vitreum, fragile ac debiliſſimum eſt argumentum; nam vt Auguſtini *ſerm. 11. de verbis Apoſtoli*, vtar expreſſinne, *Lucet quidem vanitate, ſed frangitur veritate.* Quod pater.

440. Primò non negat Chriſtus carnem ſuam verè manducari, ſed corporeo & viſibili modo, ita vt lanietur & frangatur. Manducatur itaque ore corporis ſub ſpecie panis, vbi caro illa realiter & ad modum ſubſtãtiæ latet. Primò quia in verbis allatis oon negat Chriſtus, carnem ſuam verè eſſe cibum, illamqoe verè & ptnpriè in Euchariſtia manducandam : ſed tantùm vult, manducationem carois Chriſti nnn fieri modo carnali, eam inſtar carnis animaliom dentibus laniando; ſed modn ſpirituali & ſpiritur accommodatn, ſcilicet nceultè, ſacramentaliter, inuiſibiliter, ac indiuiſibiliter. Nam cnntrarium putabant materiales & craſſi Iudæi ex verbis Chriſti malè intellectis : quare dixit eis, *Verba quæ loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita*, hoc eſt ſpiritualia *ſunt*, & ſpiritualiter intelligenda, quia carnem meam non laceratam, maſticatam, ac diuiſam; ſed integram, indiuiſam, modo ſpirituali, ac ſi ſpiritus eſſet, indiuiſibiliter, & inuiſibiliter in Sacramento manducabitis : ſicque verba mea vita ſunt, ideſt vitalia ſunt, & audienti, credenti, ac carnem meam mandueanti vitam ennferunt. Quæ ſolutio à nobis ex Auguſtinn *tract. 27. in Ioan.* deprompta eſt, vbi Sanctus Doctor inquit : *Caro non prodeſt quidquam; ſed quomodo illi* (Iudæi) *intellexerunt : carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur : non quomodo ſpiritu vegetatur. Accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum : nam ſi caro non prodeſſet, Verbum caro non fieret.* Et infrà : *Sicut illi intellexerunt carnem, non ſic ego do ad manducandum carnem meam.*

Secundò quia io verbis allatis Chriſtus cùm jam dixiſſet, Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, &c.* nnn dixit, *Caro mea non prodeſt quidquam*, ſed tantùm *caro non prodeſt, &c.* vt innueret hoc vltimo locn non loqui de carne ſua, quæ multùm prnfuit & prodeſt, vtpote Verbo Diuino hypoſtaticè vnita; nam *inimicitias ſoluit in carne ſua*, vt dicitur Eph. 2. 14. *& reconciliauit nos in corpore carnis eius*, vt legitur *ad Coloſſ.* 1. 22. ſed de myſtica carne audientium & diſcipulorum, hoc eſt de carnali intelligentia, & naturali ac humana ratiocinatiooe. Hæ etenim non proſunt, nec valent, ſeu ſufficiunt ad intelligendum immenſum Dei beneficium, qun carne Chriſti paſcimur, & ſanguioe potamur. Nam nec ſenſus carnis diſcipulnrum, oec viſio corporalis, nec tactus, oec guſtus, nec ipſa humana imaginatin, immò nec ipſa naturalis ratio ad tam excelſum ac ſublime myſterium attingendum ſufficit, ſed omninò requiritur ſpiritus, hoc eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis intelligentia fidei, quæ eſt doonm Dei, & à Spiritu ſancto fidelium cordibus infunditur, & ad hnc intelligendum myſterium ſufficit. Quæ expnſitio nnn ſine maximn in ſacris literis fundamento à nnbis datur; ipſe enim Dominus noſter ſenſum & rationem humanam nomine carnis, hoc eſt carnales appellauit : nam quando Petrus corporea ſuperans, & humana tranſcendens, diuinitatem in ipſn agnouit, ac ſolenni voce confeſſus eſt dicens : *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, Matth. 16. 17. ſtatim reſpondens Ieſus dixit ei : *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c.* vbi oomine carnis & ſanguinis ſenſum humanum, carnalem cngnitionem, & naturalem rationem intellexit. Qun pacto etiam Apoſtolus ſenſum carnalem, & cnrpnream cognitinnem nomine carnis; & animæ intelligentiam carnalem ſuperantem, nomine ſpiritus expreſſit, Gal. 5. 17. *Caro*, inquit, *concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem.*

441. Dũ Chriſtus ait, *Caro non prodeſt quidquam*, non loquitur de carne ſua, quæ multùm prodeſt, ſed de carne, ſeu de ratione naturali & cognitione ſenſitiua diſcipulorum, quæ nihil proſunt ad hoc myſterium.

Opponunt ſecundò : Chriſtus poſtquam dixit, *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur*, ſtatim ſubdidit : Hoc facite in meam commemorationem. Atqui commemoratio non eſt rei præſentis, ſed abſentis : ergo Chriſtus non eſt præſens in Euchariſtia. 442. Inſtant ſecũdò.

Reſp. negandn minnrem; optimè enim poteſt fieri commemnratio, ſeu memoria rei præſentis diuerſo modo conſideratæ. Sic igitur Chriſtus in Euchariſtia inuiſibilis & impaſſibilis ſumitur in memoriam eiuſdem viſibiliter & ſenſibiliter paſſi & mnrtui in cruce. Vnde Euchariſtia non eſt præciſè memoria Chriſti ſecundùm ſe, & abſnlutè ſumpti; ſed Chriſti patientis & mnrientis, ſeu paſſionis & mnrtis Chriſti. Quod & Apoſtolus docuit 1. *Cor.* 11. 26. dicens : *Quotieſcumque* 443. Refelluntur.

manduca

Digitized by Google

manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Sicut igitur Rex, qui aliquam ex ſibi ſubditis ciuitatem ab hoſtium furore defendens ac liberans, grauiter læſus eſt ac vulneratus, rectè poteſt illius ciuibus dicere, Quoties in veſtram ingrediar ciuitatem, vulnerum quæ in prælio ob liberationem veſtram ſuſcepi, & victoriæ quam de hoſtibus reportaui, memento; licèt dum de facto in illam ingreditur vrbem, ibi verè & realiter præſens ſit, quamvis hic ingreſſus fortitudinis ſuæ, victoriæ, ac vulnerum ſit commemoratio, nec aliquis ſanæ mentis eum abſentem poſſet dicere, qui hic ingreſſus eſt in memoriam ſui ipſius præliantis ac vincentis: ita à pari Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui paſſione, effuſione ſanguinis, ac morte ſuâ eripuit nos à poteſtate tenebrarum, hoc eſt ab omnium hoſtium inuiſibilium furore, & à *maledicti fauce draconis*, vt canit Eccleſia in Litaniis, in noſmetipſos mirabili Euchariſtiæ Sacramento ingrediens jubet, vt quoties intrauerit, & à nobis reali manducatione receptus fuerit, hæc manducatio, & hic ingreſſus in memoriam paſſionis, vulnerum, mortis, ac conſequenter inſignis, quam reportauit, victoriæ fiant; licèt vere & realiter præſens ſit, & quamvis mortem & paſſionem ſuam jam præteritam, cuius nos vult meminiſſe, repræſentet, nec ex hoc aliquis ſanæ mentis eum ab hoc Sacramento abeſſe dicere valet.

Commemoratio paſſionis & mortis Chriſti, quæ fit in Euchariſtia, nõ impedit quin ipſe Chriſtus ſit ibidem realiter præſens.

444. Quare Caluinus aduerſariorum anteſignanus, *in cap. 11. ep. 1. ad Cor.* verba nobis obiecta, *Hoc facite in meam commemorationem*, exponens inquit: *Quantum ad id quod inferunt ex hoc aliqui, Chriſtum non eſſe in cœna, quia non fit commemoratio niſi abſentis. Reſponſio eſt facilis; nam ſecundùm reſpectum quo cœna eſt commemoratio Chriſti, Chriſtus non eſt in cœna, quia non eſt ibi viſibiliter, nec oculis poteſt videri, ſicut ſigna quæ memoriam noſtram excitant illum figurando.* Hæc Caluinus, quibus liquet illum docuiſſe commemorationem eſſe rei præſentis, dummodo non ſit viſibilis aut ſenſibus cognoſcibilis, ſicuti Chriſtus eſt in Euchariſtia.

Quod fatetur Caluinus.

445. Vnde quamvis Deus vbique ſit, noſque *in illo viuamus, moueamur, & ſimus*, vt ait Apoſtolus *Act.* 17.28. tamen jubemur illius reminiſci. Eccl. 12. *Memento Creatoris tui.* Et Dauid *pſal.* 76. 4. inquit, *Memor fui Dei*; quia ſcilicet Deus non viſibiliter, aut ſenſibiliter eſt apud nos, vel in nobis; & ideo ſæpe illius obliuiſcimur, & rebus exterioribus indigemus, vt illum in memoriam reuocemus. Non ergo rei abſentis eſt memoria, nec Chriſtus abeſt à Sacramento, quamvis hoc in mortis eius memoriam ſumatur, & illius commemoratio appelletur; hoc enim nomine inſignitur Euchariſtia ad eum modum, quo ſepulchra Martyrum, quæ eorum abſcondunt corpora, & Martyres, eorumque pro fide Chriſti paſſiones in noſtram memoriam reducunt, *Memoria Martyrum* appellantur: & communiter illuſtrium virorum tumuli, in quibus eorum corpora requieſcunt, monumenta vocitantur, eo quòd *moneant mentem, id eſt admoneant*, vt loquitur Auguſtinus *in Enchiridio*, *cap.* 18. & illorum vitam, actiones, dotes, ingenia, fortitudinem, mortem, imò & corporalem venuſtatem nobis quodammodò repræſentent, dum cogitationes noſtras, vt in ipſis immorentur, excitant.

Quamvis Deus vbique ſit, jubemur illius reminiſci.

Sepulchra Martyrum dicuntur memoria Martyrum, & tamen eorum corpora continent.

446. Opponunt tertiò: Chriſtus *accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, vt dicitur *Matth.* 26.26. Ergo id quod dedit, erat panis ſimul & corpus Chriſti. Panis quidem realiter; corpus autem ſacramentaliter, & ſignificatiuè; hoc eſt, erat tantùm ſignum, & figura corporis Chriſti.

Inſtant tertiò.

Reſpondeo negando conſeq. ex veritate enim narrationis Euangeliſtæ liquet, quod id quod Chriſtus accepit & dedit, fuit verè & realiter panis, & corpus Chriſti; non quidem ſimul, ſed ſucceſſiuè: nam Dominus verum panem accepit, quem benedictione ac conſecratione, quæ verborum ſuorum prolatione facta eſt, in corpus ſuum conuertit: ſicque quod dedit diſcipulis ſuis, fuit verum ac proprium corpus ſuum alienâ panis ſpecie occultatum. Quod eleganter expreſſit author ſermonis de cœna Domini apud S. Cyprianum. *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.* Vnde Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap.* 5. ait: *Antequam conſecretur, panis eſt; vbi autem Chriſti verba acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem, Accipite, & edite ex eo omnes, hoc eſt corpus meum.* Et cap. 4. eiuſdem libri: *Panis iſte* (inquit) *panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* 447.

Refelluntur.

Chriſtus accepit panem, quem benedictione & conſecratione in corpus ſuum tranſmutauit, & dedit illud diſcipulis ſuis.

S. Cyprian.
D. Ambroſ.

Vnde liquet ineptam fuiſſe conſequentiam ab aduerſariis illatam. Quamvis enim Chriſtus panem acceperit; quia tamen dixit, hoc eſſe corpus ſuum, verè fuit corpus eius, aliàs mentitus fuiſſet, quod eſt impoſſibile. Sicuti enim quando dixit Ioan. 2.7. *Implete hydrias aquâ*, verè aquam ponendam juſſit, & tamen quando ibidem 9. dixit, *Haurite nunc, & ferte architriclino*, hauſerunt & tulerunt vinum, quod ex aqua ſecretâ & infinitâ ſua poteſtate fecerat, & omnes illud vinum optimum probauerunt; & nemini dicere licet, non fuiſſe vinum, ſed aquam dumtaxat, quam Dominus fundere juſſerat: ita quia Dominus accepto pane, benedicto ac fracto, dedit dicens, *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*; non panem quem accepit, ſed corpus ſuum, in quod panem loquendo conuertit, diſcipulis porrexit, & nemini fas eſt contrarium dicere, maximè cùm verba Chriſti conflent propoſitionem practicam, & operatiuam rei ſignificatæ, vnde ſufficit quod in fine illius hoc quod Chriſtus demonſtrabat, ſcilicet *panis*, in corpus Chriſti per tranſubſtantiationem tranſierit. Nam ſi Chriſtus aquam, quam in vinum conuertit, in ipſa conuerſione accepiſſet, & dixiſſet, *Hoc eſt vinum*, pronomen *hoc*, non ſignificaſſet aquam quæ erat in initio propoſitionis, ſed vinum quod fuiſſet in fine. Similiter ſi Moyſes quando aquas Nili conuertit in ſanguinem, dixiſſet, *Hoc eſt ſanguis*, ly *hoc*, non ſignificaſſet aquam, quæ erat initio propoſitionis, ſed ſanguis qui fuit in fine. Quo ſenſu mulier Loth in ſalis ſtatuam verſa, dicitur fuiſſe ſtatua ſalis Hebraïcè, *Gen.* 19. 26. & aqua Nili in ſanguinem verſa, dicitur fuiſſe ſanguis in textu Hebraïco, *Exod.* 7. 19. Quare præceptum comedendi, quod ore Chriſti prolatum eſt ante verba conſecrationis, non cadit ſupra panem, quem tunc præ manibus habebat, ſed ſupra id in quod panis ille mutatus eſt, nempe corpus Chriſti, quod in fine propoſitionis completâ ſignificatione verborum verè fuit ſub ſpecie panis, aliàs non eſſet præceptum manducandi 448.

Illuſtratur ſolutio exẽplo conuerſionis aquæ in vinum.

Præceptum Chriſti prolatũ ante cõſecrationem de comedendo, cadit ſupra corpus Chriſti, in quod panis verſum eſt.

Sacramentum Euchariſtiæ, ſed ſolum panem; quod omninò falſum eſt.

449. Quartò inſtant.

Opponunt quartò: Chriſtus qui dixit, *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, Matth. 26. 26. dixit etiam Ioan. 10. 9. *Ego ſum oſtium.* Et Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera.* Et Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus.* Immò & Apoſtolus 1. *Cor.* 12. 27. inquit: *Vos eſtis corpus Chriſti.* Sed omnes iſtæ loquutiones ſunt metaphoricæ, & figuratæ. Ergo & illa. Ergo, &c.

450. Refelluntur.

Maxima eſt diſparitas inter allatas propoſitiones, & verba conſecrationis.

Reſpondeo negando conſequentiam propter maximam diſparitatem; nam in omnibus illis propoſitionibus ſunt duo termini diſtinctæ omninò, ac diuerſæ naturæ; & ideo prædicatum non poteſt propriè conuenire ſubiecto, ac conſequenter ſunt metaphoricæ & figuratæ. In hac autem propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, nihil ſignificatur, quod repugnet naturæ, vel ſubſtantiæ corporis Chriſti. Pronomen enim *hoc*, non, ſignificat panem, neque ſubſtantiam vagam & indeterminatam, ſed *corpus Chriſti*, ex applicatione prædicati: quo pronuntiato, & completa ſignificatione propoſitionis, corpus Chriſti realiter reperitur ſub ſpecie panis, ex reali conuerſione ſubſtantiæ panis in ipſum.

451. In illis inſuper locutionibus eſt aliquid oſtendens illas eſſe figuratas, non autem in verbis conſecrationis.

Secundò, quia in omnibus illis loquutionibus reperitur aliquid quod indicat illas eſſe metaphoricas & figuratas, & non proprias, vt in iſta, *Ego ſum oſtium*, ſtatim ſubditur, *per me ſi quis introierit, ſaluabitur, &c.* Vbi ſicuti fideles metaphoricè intrant in ouile Chriſti, in ipſum credendo, ac ſperando, & ipſum diligendo: ita Chriſtus eſt janua, in quantum per ipſum credimus, ſperamus, &c. Vnde D. Auguſtinus tractatu 45. in Ioan. *Phariſæi*, inquit, *jactabant ſe inter videntes, hoc eſt inter ſapientes, & negabant Chriſtum, & non intrabant per oſtium.* In illa autem, *Ego ſum vitis*, ſtatim ſubditur, *& vos palmites.* Sicuti ergo non propriè, ſed metaphoricè nos palmites ſumus, in quantùm nec viuimus, nec fructum facimus, niſi maneamus in Chriſto, ſicuti palmites non fructificant niſi manſerint in vite, vt etiam *Ioan.* 15. 5. & 6. oſtenditur: ita & Chriſtus non propriè, ſed figuratè & metaphoricè dicitur vitis. Nec obſtat quod Chriſtus dixerit, *Ego ſum vitis vera*, Ioan. 15. 1. Quia hoc addidit, vt ſe vineam diſtinctam à falſa vinea, quæ domus Iſraël eſt, oſtenderet. Vnde Auguſtinus tract. 80. in Ioan.

D. Auguſt.

Quid eſt, inquit, *Ego ſum vitis vera? Nunquid vt adderet*, VERA, *hoc ad eam vitem retulit, vnde iſta ſimilitudo tranſlata eſt? Sic enim dicitur vitis per ſimilitudinem, non per proprietatem; quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis, & cætera eiuſmodi, quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus ducuntur iſtæ ſimilitudines, non proprietates. Sed cùm dicit: Ego ſum vitis vera, ab illa vtique ſe diſcernit, cui dicitur: Quomodo conuerſa es in amaritudinem, vitis aliena? Nam quo pacto eſt vitis vera, quæ expectata eſt vt faceret vuas, fecit autem ſpinas.* Hæc Auguſtinus. At in verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, nihil ſubditur, quod figuram aut metaphoram innuat. Immò id quod ſubiungitur, nempe, *quod pro vobis tradetur*, veritatem & proprietatem corporis Chriſti deſignat: illud enim quod pro nobis traditum eſt, eſt verum, phyſicum, & proprium eius corpus in ara Crucis pro nobis oblatum.

452. Locus autem adductus ex Apoſtolo 1. Cor. 12. 27. *Vos eſtis corpus Chriſti*, nihil vrget; etenim loquutio illa eſt merè ſpeculatiua, & nullo modo rem de qua loquitur operatur, vel tranſmutat: loquutio autem Chriſti dicentis, *Hoc eſt corpus meum*, eſt practica & operatiua, etiam ſecundùm aduerſarios; facit enim panem ſacramentalem, ac conſequenter exhibitiuum rei ſignificatæ, vt docet Caluinus *in cap.* 11. *ep.* 1. *ad Cor.* ſuprà à nobis adductus. Et libro 4. Inſtit. cap. 17. §. 11. *Dico igitur* (inquit Caluinus) *in cœna myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum verè nobis exhiberi, adeoque corpus & ſanguinem eius.* Si autem corpus & ſanguis Chriſti per ſymbola panis & vini in Euchariſtia nobis verè exhibentur, ſequitur contra eundem Caluinum & ſequaces, corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter eſſe præſentia ſub ſpeciebus panis & vini: exhibitio quippe rei præſentiam rei ſemper indueit; nam ex jure ciuili, *l. plus eſt* 22. *D. de verborum ſignificatione*, exhibere eſt *præſentiam corporis præbere.*

Verba Apoſtoli, *Vos eſtis corpus Chriſti*, ſunt merè ſpeculatiua, verba autem conſecrationis ſūt practica. Caluinus.

Exhibere eſt præſentiam corporis præbere.

Inſuper in illis verbis termini diuerſæ omninò ſunt naturæ; quod oſtendit rem ſignificatam per prædicatum, non propriè, ſed metaphoricè tantùm conuenire ſubiecto. Terminus enim ille qui ſubiecti vicem gerit, *Vos*, fideles deſignat, qui nequeunt verè & propriè eſſe corpus Chriſti: vnde quando id illis in prædicato attribuitur, metaphoricè dumtaxat, & non propriè attribuitur. At in verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, termini diuerſæ naturæ non reperiuntur: nam *Hoc*, ſignificat corpus Chriſti in fine prolatæ propoſitionis ſub ſpecie panis exiſtens, ex conuerſione panis vi verborum Chriſti in ipſum. 453.

Opponunt quintò: Chriſtus aſcendit in cœlum, vbi ad dexteram Patris ſedet, & inde non veniet niſi ad judicandum orbem terræ in fine ſeculorum. Vnde Petrus de ipſo loquens *Act.* 3. 21. inquit: *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium.* Ergo non eſt realiter in Sacramento Euchariſtiæ. Vnde & ipſe Dominus *Ioan.* 12. 8. inquit, *Me autem ſemper non habetis.* 454. Inſtant quintò.

Reſpondeo negando conſeq. ad cœlos enim aſcendit Chriſtus viſibiliter, vt ibidem ad dexteram Patris regnaturus ſedeat; & tamen remanſit inuiſibiliter, & inextensè in Euchariſtiæ Sacramento, vt Fidelium vſque ad finem ſeculi ſub ſpeciebus panis & vini alimentum eſſet. Quod eleganti ſtylo proſequutus eſt Chryſoſtomus *hom.* 2. *ad pop.* vbi, *Helias*, inquit, *melotem diſcipulo reliquit; Filius autem Dei aſcendens ſuam carnem dimiſit: ſed Helias quidem exutus; Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Poteſt autem optimè idem corpus Chriſti in cœlis ſedere ad dexteram Patris cum tota ſua corporea extenſione, & viſibiliter, immò & locum occupare, & verè ac realiter eſſe in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis inextensè in ordine ad locum, indiuiſibiliter, & inuiſibiliter, locum non occupando, abſque aliqua repugnantia, ex nullo capite. Vnde teſtimonia omnia Scripturæ, quæ aſſerunt Chriſtum in cœlo manere vſque ad diem judicij, in quo venturus eſt judicare viuos & mortuos, non ſuadent Chriſtum non eſſe in Euchariſtia, ſed tantùm probant Chriſtum non eſſe apud nos ſecundùm communem & viſibilem modum viuendi, quo manducabat, bibebat, ambulabat, & cum hominibus viſibiliter conuerſabatur. Quo pacto intelligendus eſt, dum dixit Ioan. 12. 8. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*; hoc eſt, ſecundùm communem & viſibilem modum viuendi, vt mihi exhibeatis charitatis officia.

455. Refelluntur.

Aſcenſio Chriſti ad Cœlum non impedit eius præſentiā in Euchariſtia, vbi eſt inuiſibiliter & inextensè, & ad modum ſubſtantiæ. D. Chryſoſt.

456. Quæ ſolutio ex ipſis verbis Chriſti depromitur : nam poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis apparens, & cùm eis loquens, verè erat cum ipſis : nam ſe videndum ac palpandum præbuit, ac cum illis verè & realiter manducauit : & tamen dixit ad eos Luc. 24. 44. *Hæc ſunt verba, quæ loquutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum, &c.* Vnde conſtat, Chriſtum dixiſſe, non eſſe cum diſcipulis ſuis, quando non communem & mortalem cum eis ducebat vitam, quamvis à morte redíuiuus, & glorioſus verè eſſet cum eis. Sic igitur poſt reſurrectionem cum diſcipulis erat, quia cum illis loquebatur, ſe tangendum præbebat, immò & manducabat : & tamen cum illis non erat modò paſſibili ac mortali ; & ideo dicit, *Cùm adhuc eſſem vobiſcum*, hoc eſt, cùm adhuc mortalis eſſem, & omnibus corporeis neceſſitatibus ſubditus, &c. Non igitur paſſibiliter, viſibiliter, mortalis, & vt pauper indigens alimentis Chriſtus eſt in Euchariſtia, ſed in hoc Sacramento verè & realiter exiſtit impaſſibilis, inuiſibilis, immortalis, & omnium fidelium cibus ſpiritualis animarum. Vnde idem qui dixit, *Me autem non ſemper habebitis*, Ioan. 12. 8. dixit Matth. 28. 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Quæ verba falſa eſſent, niſi Chriſtus in cœlum aſcendens adhuc verè remaneret in terra, ſcilicet in venerabili Euchariſtiæ Sacramento : quo pacto etiam idem Chriſtus dixit Ioan. 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, quamvis in Patre ſemper remanſerit, & in mundo ſemper fuerit : ſed non fuit ſecundùm præſentiam viſibilem & corporalem, niſi per incarnationem, de qua dixit Propheta Baruch 3. 38. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Vnde quamvis Chriſtus in Sacramento realiter, & inuiſibiliter in cibum noſtrum maneat, verè dicitur reliquiſſe mundum, & iuiſſe ad Patrem, quia reliquit mundum ſecundùm præſentiam communem, viſibilem & corporalem ; hoc eſt, ſecundùm corpoream extenſionem in ordine ad locum, quem non occupat præſentiâ reali & ſacramentali, quam habet in Euchariſtia.

Chriſtus poſt mortem rediuiuus, immortalitate donatus cum diſcipulis loquens, non erat cum eis eo modo quo erat ante mortem.

Quomodo Chriſtus exiuit à Patre & venit in mundum.

457. Cùm autem paſſibile & impaſſibile, mortale & immortale, ſenſibile & ſpirituale, ſint qualitates ſubſtantiam corporis non mutantes, corpus Chriſti quòd in Euchariſtia eſt impaſſibile, immortale & ſpirituale, eſt idem ſubſtantialiter quod natum eſt ex Maria Virgine, & quod in cruce paſſibile, mortale & ſenſibile fuit, & quod nunc in cœlis eſt impaſſibile, immortale & ſpirituale ; & tamen viſibile, & extenſum.

Paſſibile, & impaſſibile non mutant ſubſtantiam corporis.

458. Verùm non te moueat, Lector, quod corpus Chriſti ſpirituale in Euchariſtia & in Cœlis appellem : non enim propterea corpoream eius naturam deſtruere intendo, ſed ingentem eius gloriam ac ſplendorem ſignificare. Cur etenim corpus Filij Dei immenſâ gloriâ veſtitum, ſpirituale non appellabo, cùm & Apoſtolus noſtrum poſt reſurrectionem, etiam ſpirituale appellet ? Ait enim 1. Cor. 15. 43. *Seminatur* (corpus) *in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt : *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem : nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* Corpus igitur Chriſti à mortuis rediuiuum incorruptibile eſt ac ſpirituale, quia glorioſum. Et licet in cœlis, & in Euchariſtia eadem donetur qualitate ; attamen ſpecialiter in hoc Sacramento vocatur corpus ſpirituale, quia ibi præter gloriam, quam in propria ſpecie in cœlis obtinet, habet indiuiſibilitatem, & inextenſionem ſpiritus, cùm non habeat locum, ſed ad modum ſpiritus inextensè ad locum, indiuiſibiliter, & inuiſibiliter reperiatur ſub tota ſpecie panis, & ſub minima eius particula.

Corpus Chriſti ſpirituale adhuc eſt verè corporeū. ſplendore, gloriâ, & dotibus ſpiritinum, exornatum.

Vrgebis : Chriſtus *Matth.* 24. 23. dixit : *Si dixerint vobis, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.* Ergo Chriſtus non eſt in Euchariſtia. 459.

Vrgent.

Reſp. quod non credimus Chriſtum eſſe in Euchariſtia, ex eo quod nobis dicat aliquis ex hominibus, *Ecce hic eſt Chriſtus*, ſed ex eo quod Filius Dei, qui nec mentiri poteſt, nec fallere, id dixit teſtamentum ſuum condens, ac nobiliſſimum nouæ legis Sacramentum omnem figuram vacuam excludens inſtituens, ac promiſſioni quam fecerat *Ioan.* 6. dicens, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, ſatisfaciens. Dixit enim, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, &c.* Secundò in illo loco monet Chriſtus, vt impoſtores, qui ſe nomine Chriſti venditabunt, caueamus, vt patet ex verbis ſequentibus : *Surgent Pſeudochriſti.* Horum autem duas notas ponit, quarum prima eſt, quod clanculum, & non apertè venient, aut manifeſtè. Secunda eſt, quia venient viſibiliter, & more humano loquentes, ac tractantes cum hominibus in angulis & penetralibus : quæ repugnant Euchariſtiæ, in qua Chriſtus eſt inuiſibiliter, nec loquens, nec tractans cum hominibus, ſed illos paſcens, non in angulis aut deſertis, ſed in mediis vrbibus, in frequentiſſimis templis, ac publicis & conſpicuis altaribus, in quibus hoc Sacramentum cuſtoditur, colitur, & diſpenſatur. Quare locus ille nullo modo poteſt ad Euchariſtiam detorqueri.

Confutatur.

Chriſtus eſt qui dicit nobis, corpus ſuum eſſe in Euchariſtia.

Verba allata repugnant corpori Chriſti in Euchariſtia.

Opponunt ſextò, *Matth.* 15. ait Chriſtus : *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Sed corpus Chriſti non emittitur in ſeceſſum, ſed ſolus panis. Ergo corpus Chriſti non intrat in os, nec eſt realiter in Euchariſtia. 460.

Inſtāt ſextò.

Reſp. illa verba Chriſti tantùm intelligenda eſſe de partibus craſſioribus alimentorum, quæ in ventriculo corrumpuntur, non autem de purioribus, quæ in ſubſtantiam aliti, putà in carnem, oſſa, ſanguinem, & huiuſmodi conuertuntur : iſtæ enim in ſeceſſum non emittuntur, ſicuti nec aër, quem ſpirando per os intra corpus noſtrum recipimus. Vnde cùm corpus Chriſti in hoc Sacramento ſit glorioſum, incorruptibile, impaſſibile ac ſpirituale, nec dentibus teritur, nec calore natiuo conſumitur, nec corrumpitur, aut in ſeceſſum poteſt emitti. Sed ſpecies panis ſub quibus realiter continetur, frangutur, dentibus teruntur, digeruntur, & partes illarum craſſiores corrumpuntur ac ejiciuntur, abſque eo quod vlla ſacro corpori Domini iniuria inferatur, quia corruptis in ſtomacho ſpeciebus, ſine vlla ſui læſione deſiuit ibi eſſe, ſicut ante conſecrationem panis ſine vllo detrimento ibi non erat. Quamvis igitur verè corpus Domini in os intret panis ſpecie velatum, quia tamen manducatur non ad corpus nutriendum, ſed ad animam ſuſtentandam, nec corporaliter digeritur, nec in ſeceſſum poteſt emitti. Ipſeque Dominus qui poſt reſurrectionem ſuam verè manducauit, non vt corpus nutriret, ſed vt ſe verum ac viuum hominem probaret, cibos in ſeceſſum non emiſit.

Refelluntur.

Partes craſſiores dumtaxat alimentorum in ſeceſſum emittuntur.

Non verò corpus Chriſti, quod non corpus, ſed animam nutrit, licèt ſpecies panis corpus nutriant.

Cæterùm

Turpe præcedens argumentum ab homine Chriſtiano turpiter adducitur.

461. Cæterùm turpe & obſcœnum eſt, quod mox ſoluimos argumeotum, & non ab bomioe Chriſtiano, qui magna de Chriſto, eiuſque ſacro corpore debet ſentire; ſed ab animali homine, *qui non percipit ea quæ ſunt Dei*, vt loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 2. 14. videtur procedere. Simillimum etenim eſt iis, quæ ab impuris Gentilibus contra puriſſimum Incarnationis myſterium objieiebantur: nam vt Eraſmos *præfat. in libros Algeri*, loquutus eſt: *Deus qui juxta naturam non minùs eſt in cloacis, quàm in cœlis, non lædi poteſt*: ita nec *corpus Domini glorificatum* poteſt conſequeoter corrumpi, & in ſeceſſum emitti. Sed de his jam ſupra fusè egimus, quæ conſulat Lector.

Variis vètitas Euchariſtiæ miraculis comprobata.

462. Denique ad realis præſentiæ corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia confirmationem, poſt perſpicua Chriſti Domini verba hactenus tum in probationibus, tum in ſolutionibus præmiſſis allata, poſt Eccleſiæ Catholicæ, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, declarationem & perpetuam fidem, Sanctorumque antiquorum Patrum vnanimen conſenſum, placet hîc quædam miracula ad huius myſterij veritatem roborandam à Deo patrata ſubjicere. Refert enim

Pet. Damian.

Petrus Damiani Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, quod anoo Domini 1059. dum Berengarius contra diuiniſſimum hoc Sacramentum debaccharetur, mulier quædam zelotypa, habens virum ex adulterij fraude ſuſpectum, cùm ex conſilio vicinæ mulieris corpus Dominicum in palliolo reſeruaret, vt viro ſuo oon ſine quibuſdam maleficiis propinaret, accidit vt illa particula Euchariſtiæ inuenta ſit vſque ad medietatem in carnem conuerſa, altera verò medietas panis ſpeciem non mutarit. Additque idem Cardinalis, Amalphitanum Epiſcopum, cùm ad menſam Domini ſacrificaturus acceſſiſſet, ſed ſuper Sacramento Dominici corporis incredulus hæſitaret, in ipſa ſalutatis hoſtiæ fractione vidiſſe rubtam ac perfectam caroem, quæ inter digitos eius apparuit, ita vt illos cruentarit. Ita Petrus Damiani ad Deſiderium Abbatem Caſſineoſem. Sed modernum prodigium antiquis portentis ſubnectere liceat, vt ſcribeodo Patremfamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera, vt dicitur *Matth.* 13. 52. imitemur.

Hoſtia conſecrata vſque ad medietatem in carnē conuerſa.

Alia ſanguinem emittit, quo digitos Epiſcopi cruentauit.

463. Accidit iſtud hac tempeſtate, ſcilicet die 2. Iunij, quæ fuit Sabbathum poſt Feſtum Corporis Chriſti, aono 1668. in vico quodam Diœceſis Andegauenſis, vulgò Vlmi Sancti Florentis, Gallicè *les Vlmes de Saint Florent* nominato. Nam cùm omnes ad ſalutem decantandam de more conueniſſent, & hymnus *Pange lingua*, *&c.* ante Benedictionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ populo concedendam decantaretur, Parocho elatâ & elatâ voce hichoante, *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*, viſa eſt loco hoſtiæ integra ſpecies hominis. Vidit Parochus, viderunt omnes circumſtantes, & figuram, & vultus lineamenta notarunt. Vir erat capillis ſubnigris, & ad humera defluentibus, fulgenti facie, maieſtate ſupra humanam, inſertis in modum crucis manibus, quarum ſiniſtra dexteræ ſuppoſita erat, totumque corpus caodida veſte tegebatur. Quartam per partem horæ adſtantes omnes viderunt ac probauerunt miraculum: moxque ſpecies hæc hominis paruâ nube inuoluta, & ab oculis intuentium ſubducta eſt, ac nube io aëra abeunte priſtinam formam hoſtia recuperauit. Teſtatus eſt portentum epiſtolâ paſtorali Andegauenſis Epiſcopus, qui ad præfatum locum acceſſit, & rei veritatem ex Parocho ac cæteris, miraculi oculatis teſtibus excepit. Ita refert Ioan. Bapt. Gooet in fine Tractatus de Euchariſtia, io Clypeo Theologiæ Thomiſticæ, *tom.* 14. Audiant hæc Nouatores, & digitum Dei illis corpus & ſanguinem Chriſti verè & realiter ſub panis & vini ſymbolis in Euchariſtia miraculis ac prodigiis oſtentantem agnoſcant, nec ampliùs tantum myſterium audeant impugoare, cùm ineſtimabile corporis & ſanguinis ſui dooum, quod ex intimo corde amoris igne flagrante nobis præſtitit, ac perſpicuis oris ſui ſermonibus declarauit Dominus, crebris manuum ſuarum portentoſis operationibus varia per tempora comprobarit. Sanè vltimum his noſtris temporibus, quod io Diœceſi Andegauenſi accidit prodigium, congruo loco ac tempore factum eſt, nempe prope Salmurium Caluiniſtarum famoſum habitaculum, ac literarium lyceum, & infra Octauam feſtiuitatis Corporis Chriſti, dum Nouatores ad pſeudoſynodum dicti Salmurij conuenirent; vt ſcilicet Chriſti effigies, quæ in hoſtia conſecrata in loco duabus tantùm leucis diſtanti apparebat, non credentes verbis eius ad fidem reduceret, & corpus ac ſanguinem ſuum impugnantes, ad debitum cultum & venerationem reuocaret.

Loco hoſtiæ integra ſpecies hominis viſibiliter apparet, & per quartam partem horæ à pluribus hominibus videtur.
Andegau. Epiſcopus.

TEXTVS XXIII.

Bone paſtor, panis vere,
Ieſu noſtri miſerere,
Tu nos paſce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viuentium.

EXPOSITIO TEXTVS.

HIc incipit totius huius Operis ſeu Sequentiæ epilogus, in quo S. Thomas explanatis omnibus in præcedentibus textibus, quæ cùm ad Chriſtum in hoc Sacramento incluſum, tum ad hoc Sacramentum, eius vſum, effectus, dignitatem, venerationem, & figuras attioent; breue qualitatum, quas Chriſtus hoc io myſterio exercet, ſummarium præſtat, atque ad optimum Paſtorem, ſuauiſſimumque panem ſermonem dirigens, ſummam eius implorat miſericordiam, quatenus quos ſuo corpore & ſanguine paſcit, ab hoſtium furore protegat, ac tandem ſacro hoc paſtos conuiuio ad æternæ gloriæ epulas huius ſumptione Sacramenti deſignatas perducat: hic enim finis eſt omnium Sacramentorum, ac præſertim Euchariſtiæ, vt Chriſtianos homines, quibus conferuntur, Deo per gratiam ſanctificantem io via vniant, & tandem in patria perennis poſſeſſione vitæ, ac diuinæ viſione eſſentiæ in æternum coniungant. Ait ergo, 464.

Huius operis epilogus.

Finis Euchariſtiæ eſt homines Deo per gratiam in via, & per gloriā in patria vnire.

Bone paſtor, panis vere, Ieſu noſtri miſerere. Ac ſi diceret, Saluator optime Ieſu Chriſte, qui infinitâ bonitate in mirabili Euchariſtiæ Sacramento optimus paſtor es & pabulum, tuo enim corpore & ſanguine nos paſcis & reficis, omnes alios paſtores vincis: hi enim alienâ à ſeipſis ſuis ouibus præbent paſcua; tu verò teipſum omnia 465.

Chriſtus in Euchariſtia paſtor & pabulum.

bona

bona complectentem præbes in pabulum. Vnde temporibus Tertulliani, vt ipſemet refert, in pede ſeu baſi calicis argentei, in quo diuinum ſanguinis Domini myſterium celebrabatur, viſebatur inciſa, vel ſculpta Chriſti Domini imago in paſtoris forma ouem perditam in humeris ſuis eum gaudio geſtantis; vt ſcilicet innueretur, eodem ſanguine Saluatoris hominem perditum inuentum fuiſſe & recuperatum, ac poſteà paſtum ac ſaginatum. Sanctuſque Remigius Rhemenſium Epiſcopus, qui Clodoueum Francorum Regem baptizauit, ob idque Francorum Apoſtolus meritò appellatus eſt, Eccleſiæ ſuæ Rhemenſi calicem reliquit aureum cum hac inſcriptione:

Cur imago Chriſti in forma paſtoris olim in ſacris calicibus viſebatur.

S. Remig.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro.

466. Paſtor igitur optimus in Euchariſtia Chriſtus eſt, omnium Paſtorum erga proprias oues amorem infinitâ ſuâ charitate ſuperans: non enim ſatis illi fuit animam ſuam pro ſuis onibus ponere, & totum in cruce fundere ſanguinem. Voluit inſuper corpus, & ſanguinem eis in ſuarum refectionem animarum alimenta præbere. Quod demiratus Chryſoſtomus hom. 60. ad pop. Ant. *Hoc* inquit, *nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore?* At non mirum, cæteros paſtores alienis paſcuis, & non ſeipſis oues paſcere, cùm paſtores duntaxat ſint, & non parentes: Chriſtus autem & pater, & paſtor eſt ouium ſuarum: & quas proprio ſanguine genuit, & è ſuis in cruce moriens vulneribus mirabiliter effudit, priſcum Adamum imitatus, è cuius latere filia ſimul & ſponſa Eua prodiit, corpore ac ſanguine paſcit, tuncque veri parentis officium præſtat. *Pater* quippe à *paſcendo* dicitur: nec hoc nomine veraciter poteſt inſigniri, niſi quos genuit, alat, & quod generatione incboauit, nutritione conſummet.

D. Chryſoſt.

Chriſtus non ſolùm paſtor ſed parens.

Pater à paſcendo.

467. Ardens, miruſque eſt Pelicani in pullos amor; hic etenim nedum illis ſuo ſanguine vitam reddere dicitur, vt notat D. Auguſtinus *in pſalm.* 101. ſed etiam proprium femur roſtro vellicat, vt eoſdem pullos excuſſo ſanguine paſcat; ac inſuper ad ſobolem liberandam, per furenus ignis vortices ſe cruciabili tormento immittit. Vicit planè Chriſtus pelicanum, qui non ſolùm homines peccatis mortuos ſuo ſanguine abluit, & ad melioris vitæ immortalitatem excitauit; vnde & in Caluariæ loco, vbi primus hominum & peccatorum Adamus ſepultus eſt, voluit crucifigi, & vitam ſimul cum ſanguine fundere, vt illius cruore irrigati cineres reuiuiſcerent, omneſque cum primo parente, tanquam rami cum ſtipite, homines ad vitam redirent: ſed etiam ſemetipſum acerbiſſimis cruciatibus expoſuit, immania ſupplicia tolerauit, & ipſam in illorum liberationem mortem ſubiit, ac in tantæ charitatis & tolerantiæ memoriam corpus ſuum ac ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, vſque ad conſummationem ſeculi, vt illos ſpiritualiter nutriat, largiri non dubitauit. Verùm quia initio huius commentarij Chriſtum omnium paſtorum præſtantiſſimum, ex eo quod paſcat nos verbo, exemplo, ac proprio corpore, oſtendimus; ampliora nunc non congerimus, iis quæ ibidem diximus ad elucidandam paſtoris optimi dotem, omninò ſufficientibus.

Amor pelicani in prolem à Chriſti amore ſuperatus.

Crucifixus eſt Chriſtus, vbi Adamus ſepultus eſt, & quare.

468. Addit autem Doctor Angelicus, *Ieſu noſtri miſerere.* Quibus verbis Redemptoris noſtri infinitam implorat miſericordiam: quod vt fructuosè & efficaciter præſtet, poſtquam Chriſtum bonum paſtorem, & panem verum appellauit, atque ex duobus titulis, paſcentis & pabuli, illum ad miſerendum illorum, quos paſcit, rogauit, ſubdit tertium, dum ait, *Ieſu noſtri miſerere*; hoc eſt, quia Ieſus, ideſt Saluator, ac conſequenter miſericors es, erga nos hanc exerce miſericordiam. Cùm enim vnumquodque ſit propter ſuam operationem, vt loquitur Ariſtoteles, & fatentur omnes Philoſophi; omne enim ens creatum, vel imago, vel ſimilitudo eſt entis increati, nempe Dei, vel eius habet veſtigium; nam creaturæ intellectuales, vt Angelus & homo, ad Dei imaginem factæ ſunt, aliæ autem quæ ratione carent, imperfectam Creatoris habent ſimilitudinem, quæ veſtigium appellatur: ideo cùm Deus ſit actus purus, & abſque motu inceſſanter operetur, ſuamque deitatem, maieſtatem, potentiam, bonitatem, &c. operationibus tum ad intra, tum ad extra manifeſtet; omnis etiam creatura debet agere, ſeu operari, vt ſeipſam prodat, & propriæ dignitatem naturæ manifeſtet. Hinc Angeli debent ſine diſcurſu intelligere, homines cum diſcurſu ratiocinari, animalia ſenſitiua juxta propriam cuiuſque naturam operationes producere. Vnde nec ipſa inſenſibilia operationibus carent: florent, frondent, ac fructificant arbores; germinant plantæ, turgeſcunt in gemmas, producuntur in frondes, expanduntur in flores, & dureſcunt in ſemina. Deorſum tendunt lapides, & dum ſuâ mole grauitant, in fundamenta ſolidantur, ac ſibi inuicem ſuperpoſiti in ædificia eriguntur. Humectat aqua, & refrigerat: ignis calefacit & ſiccat: Sol orbem illuminat, ſtellæ per noctem ſplendeſcunt, ipſique cœli motu perpetuo motum & quietem in ſublunaribus producunt. Vno verbo nihil eſt quod juxta naturam ſuam non operetur.

Ieſu, ideſt Saluator, miſericors eſt.

Omnis creatura veſtigio, vel imagine Dei decorata.

Bonus igitur non eſt, qui bonitatem ſuam non diffundit; nam ex Dionyſ. cap. 4. de diuin. nominib. *Ad rationem boni pertinet, vt ſe aliis communicet.* Nec Saluator dici poteſt, qui neminem ſaluat, vel liberat. Cùm ergo Chriſtus optimus paſtor ſit IESVS, hoc eſt Saluator, homines debet ſaluare: vnde & Angelus dixit Ioſeph, Matth. 1. 21. *Vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Cùmque nullus à peccatis ſaluetur, ſeu liberetur, niſi ex ſumma Dei miſericordia, vt innuit Apoſtolus *ad Titum* 3. 5. vbi ait, *ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*: dum S. D. Chriſtum Saluatorem vocat, miſericordem vocat; & ideo rectè poſtulat, vt miſereatur, hoc eſt vt propriam Saluatoris operationē exerceat, dum dicit: *Ieſu noſtri miſerere.* 469.

Bonus non eſt, qui ſuam non diffundit bonitatem.

Propria Saluatoris operatio eſt miſereri.

Sanè diuinum auxilium efficaciter poſtulatur, dum diuina miſericordia humiliter imploratur; etenim & diuina bonitas, potentia, maieſtas, ac beneficentia, ſimulque hominis dependentia, ſubiectio, impotentia, ac miſeria exprimuntur, dum diuina miſericordia exprimitur ac poſtulatur. Cùm enim miſeriam ſubleuare, in Deo potentiam, bonitatem, cæteraſque jam allatas dotes; ac in homine maximam indigentiam notet ac dependentiam, & miſericordiæ proprium ſit omnem ſubleuare miſeriam, ideo ſumma hominis humilitas, ſummaque Dei maieſtas ac ſublimitas, dum dicitur, *Ieſu noſtri miſerere*, declarantur. 470.

Dei miſericordia diuinam potentiam, & humanam deſignat infirmitatem.

Aptiſſimè autem nomine IESV vtitur S.Thom. 471.
& non alio, vt miſericordiam Saluatoris obtineat. Nam vt loquitur Caſſiodorus epiſt. 9. *Decet quemque*

Honor, qui nomine geritur, debet moribus exhiberi.

Summa in nomine Ieſu bonitas.

que honorem, quem geris nomine, moribus exhibere. Nomina enim rerum fulgentia quædam ſunt ſpecula, in quibus earum ſplendent qualitates. Vnde & cùm Iesv nomen ſuauiſſimum ac dulciſſimum, optimum ac beneficentiſſimum declaret eum à quo geritur, & in quo pretioſiſſima veluti bonitatis corona refulget, ideo rectè profertur, ac veluti præmittitur, vt ille qui rogatur, illius ſuauitate, dulcedine, ac bonitate ad ſummam exercendam manſuetudinem miſerendo, hoc eſt parcendo ac ſaluando, incitetur.

473. Planè hoc agnouit manſuetiſſimus ille Rex, à quo ſecundùm carnem Chriſtus mitis ac manſuetus originem traxit. Nam eum quaſi jam natum, antequam naſceretur, in ſpiritu præuidens, exclamauit, pſalm. 47. 10. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Verùm quomodo ſuſceperimus, ſtatim ſubdit: *Secundùm* (inquit) *nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ.* Effuſa enim eſt cum Chriſto diuina miſericordia; ſed ad eum modum, quo nomen eius effuſum eſt: effuſa eſt, inquam, non tantùm vt ſumma bonitas, ſed etiam vt immenſa gloria, & laus infinita, in omnes orbis partes: omnes enim, qui hanc miſericordiam ſuſceperunt, & gratias egerunt, & agendo gratias laudauerunt. *Viderunt enim omnes fines terræ Salutare Dei noſtri*, vt dicitur *pſal.* 93. 3. Hoc attigit Petrus, inclytus Abbas Cellenſis *ep.* 4. præfata verba, *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua*, exponens: *Quæ*, inquit, *eſt iſta laus? Saluabit Dominus populum ſuum à peccatis eorum. Reuerà hic* Iesvs, *hic virtutem non inferiorem nomini ſuo implet.* Hæc ille. Igitur juxta nomen optimi Saluatoris noſtri eius miſericordiam ſuſcipimus, quâ vndequaque perfuſi, in eius laudem ora noſtra laxamus, & virtutem eius nomini ſuo non inferiorem prædicamus. Etenim dum Ieſum nominamus, ſalutare Dei dicimus, ſalutem noſtram profitemus, & omne bonum noſtrum in ſuo fonte pronuntiamus. Hinc Origenes *præfat. in Ioannem*, verba Iſaiæ 52. 7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis pacem, annuntiantis bonum*, ſeu *bona* in plurali, vt vertit Apoſtolus LXX. Interpretes ſequutus, *Rom.* 10. 15. legit, *Annuntiantis* Iesvm, vt oſtendat cum Ieſu omnia bona annuntiata, ac recepta fuiſſe; ait enim: *Nec miretur quiſquam, ſi nomine bonorum, numero multitudinis expoſuerimus, Annuntiantis Ieſum. Facilè enim intelliges, quomodo multa bona ſit Ieſus. Vita bonum eſt: Ieſus eſt vita. Reſurrectio bonum eſt: Ieſus eſt reſurrectio. Lux mundi bonum eſt: Ieſus eſt lux vera, veritas, via, ſapientia, potentia: theſaurus denique omnium bonorum Ieſus eſt.* Hæc Origenes. Cùm ergo cuncta includat in nomine ſuo bona Dominus noſter Ieſus Chriſtus, rectè ſanctiſſimum hoc præmiſit nomen D. Thomas, vt illum ad miſerendum flecteret, & ad bona nobis neceſſaria eroganda incitaret.

Miſericordia Chriſti cum eius nomine effuſa eſt.

Pet. Cell.

Dum Ieſum pronuntiamus, omne bonum in ſuo fonte nominamus.

Origen.

Omnia bona in Ieſu.

474. At dum Ieſum rogat S. D. præfatis verbis, potiùs inquit *Miſerere*, quàm parce, vel indulge. Primò, quia & in ſacris literis, qui ingentes à Chriſto Domino gratias acceperunt, eodem modo poſtularunt, & ſine mora petitionis ſuæ effectum ſunt conſequuti. Cæcus quippe ille, qui in Iericho ſedebat ſecus viam mendicans, cùm audiſſet Dominum tranſeuntem, & clamaſſet, *Ieſu fili David miſerere mei*, & in hac oratione perſeueraſſet, quamvis à prætereuntibus increparetur, vt taceret, multò magis clamando, *Fili David miſerere mei*, viſum non ſolùm corporis, quem poſtulauit accepit, ſed etiam mentis, & ad glorioſam Domini ſequelam, ipſum magnificans admiſſus eſt, vt legitur *Luc.* 18. *à num.* 35. Mulier inſuper illa Chananæa, quæ magna ex pietate filiæ miſeriam propriam reputabat, quia ex intimo ac humili cordis affectu clamauit ad Dominum, *Miſerere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur*, Matth. 15. 22. filiæ liberationem, ac propriam ſanctificationem ab optimo Saluatore conſequuta eſt. Similiter & qui Chriſto, dum quoddam caſtellum ingrederetur, decem viri leproſi occurrerunt; atque à longe ſtantes, leuauerunt vocem dicentes, *Ieſu præceptor, miſerere noſtri*; quam poſtulabant miſericordiam, mox ſunt aſſequuti: & dum ad Sacerdotes ex mandato Domini irent, *mundati ſunt*, vt dicitur *Luc.* 17. *à num.* 12.

Dum à Deo miſericordia verbo *Miſerere*, poſtulatur, obtinetur, vt patet in cæco.

Chananæa.

Et leproſis.

Secundò, quia vbi ſumma Dei miſericordia exhibetur, & veluti propalatur, ibi expreſsè & publicè ipſa miſericordia eſt inuocanda. Deus enim, *qui dives eſt in miſericordia*, vt loquitur Apoſtolus *Eph.* 2. 4. dum eiuſdem miſericordiæ theſauros aperit & exponit, illos magno in pretio à nobis vult haberi, ac poſtulari. Vnde quia in Filij ſui incarnatione maximam hominibus exhibuit miſericordiam, juſſit Chriſtus vt in nomine eius gratias à Patre homines poſtularent. Ait enim Ioan. 16. 23. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, &c.* Cùm ergo in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento non ſolùm amoris ſui diuitias Chriſtus effuderit, vt inquit Concil. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. ſed etiam miſericordiæ ſuæ theſauros collocauerit, ex perpetua ac jugi mortis ac paſſionis ſuæ in hoc Sacramento repræſentatione: ideo dum Chriſtus hoc in myſterio veraciter exiſtens inuocatur, tanquam miſericors debet inuocari, & eius miſericordia expreſſo nomine rogari. Hoc nomine donatus eſt à Pſalmiſta, qui magnificum corporis Domini conuiuiũ adhuc futurum, veluti præteritum commemorans, ipſum Dominum miſericordem, & hoc epulum miſericordiarum ſuarum, quas nomine mirabiliũ exprimit, appellans, *Memoriam* (inquit) *fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Pſalm. 110. 4. & 5. Quare & in huius tremendi celebratione myſterij inter alias quæ cùm à Sacerdote, tum à Clero preces funduntur, celeberrima illa eſt, quæ Græco idiomate etiam ab Eccleſia Latina decantatur, quæ Dei miſericordiam magnâ, & altâ voce requirit. Illa hæc eſt, *Kyrie eleiſon*, quæ ſonat, *Domine miſerere.* Hanc à primis Eccleſiæ ſeculis apud Latinos à Græcis tranſiiſſe conſtat tempore S. Syluestri Papæ primi, vt notat Durandus *in Rationali diuinorum offic. lib.* 4. *cap.* 12. *in fine.* Vnde in Concilio Vaſenſi, ſeu Vaſionenſi, quod annis centum & quinquaginta ante S. Gregorij Magni ætatem celebratum eſt, *can.* 3. jubentur Sacerdotes in Gallijs ad Miſſam dicere, *Kyrie eleiſon*, eo quòd in Sede Apoſtolica, hoc eſt in Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum matre ac magiſtra, necnon per omnem Italiam ſupplicatio illa ad Miſſas diceretur. Hæc autem precatio Græco ſermone in Eccleſia Latina recepta eſt, vt notat B. Albertus Magnus *tract.* 1. *de ſacrificio Miſſæ, c.* 2. multiplici ratione. Primò, quia ſapientia apud Græcos primùm floruit. Secundò, quia leges apud eoſdem primò viguerunt, vnde & Romani duodecim Tabularum leges ab Athenienſibus acceperunt. Tertiò, quia ex Gentilibus Græci primi Euangelium audierunt 475.

475.

Quod in nomine Ieſu poſtulatur, à Deo recipitur.

Concil. Trid.

Chriſtus miſericordia: Euchariſtia miſericordiarum epulum.

Miſericordia à Deo in celebratione Euchariſtiæ ſolemniter poſtulatur voce Græca kyrie eleiſõ.

Conc. Vaſenſe.

Et quare.

dicerunt

dierunt. Quartò, quia ex illis ad nos fides ac Religio Chriſtiana deriuata eſt.

476. Nouies autem hæc ſupplicatio pronuntiatur, ita vt ter à Patre, ter à Filio, & ter à Spiritu ſancto miſericordia poſtuletur, vt ſcilicet ſimul & ſanctæ Trinitatis maieſtatem confiteamur, & ex eius infinita miſericordia gratiæ nobis neceſſariæ obtineantur. Secundò vt ordo humanus ex hominibus Dei miſericordiâ reparatus, nouem aſſocietur ordinibus Angelorum, ipſoſque in Dei laudibus decantandis imitetur, & tandem vt ad nouem ordinum Angelorum ſocietatem mereatur peruenire. Tertiò, vt ex diuina gratia, quæ imploratur, contra nouem peccatorum genera Chriſtianus præmuniatur; peccatum quippe aliud eſt originale, veniale, & mortale: cogitationis, loquutionis, & perpetrationis: fragilitatis, ignorantiæ, & malignitatis. Ex quibus vltimis peccatum fragilitatis, contra Patrem, cui potentia attribuitur; ignorantiæ, contra Filium, qui Dei ſapientia dicitur; & malignitatis, contra Spiritum ſanctum, cui infinita bonitas competit, vergit & militat: & ideo priùs ad Patrem *Kyrie eleiſon*, ad Filium *Chriſte eleiſon*, & ad Spiritum Sanctum *Kyrie eleiſon*, triplicatâ voce vota noſtra ac ſuſpiria humiliter diriguntur.

Cur nouies kyrie eleiſon in Miſſa pronũtiatur.

Magnam autem efficaciam hæc deprecatio habere dicitur; nam vt refert Guilhelmus Durandus *loc. cit.* dum B. Baſilius *Kyre eleiſon* clamaſſet, portæ Ticinenſis, ſeu Papienſis Eccleſiæ apertæ ſunt: & B. Geminiano *Kyrie eleiſon* clamante, in fugam acti ſunt quinque Reges. Vnde non ſolùm ad diuinam juſtitiam flectendam, & eius miſericordiam impetrandam; ſed & ad hoſtes viſibiles & inuiſibiles repellendos, atque ad patranda miracula efficax eſt illa precatio, quâ Deum rogamus, vt noſtri miſereatur.

Efficacia huius deprecationis.

477. Subdit præterea Doctor Angelicus, *Tu nos paſce.* Quibus verbis ſigillatim incipit exponere, quænam ſit illa miſericordia, quam ab optimo Paſtore ac Saluatore Ieſu Chriſto verbis immediatè præcedentibus poſtulat; triplex etenim eſt. Prima quidem, vt ſacramentaliter corpus eius in Euchariſtia recipientes, etiam illud ſpiritualiter manducemus; & gratiam tanquam effectum huius ſacramentalis ore corporis manducationis, nempe ſpiritualem refectionem, ac pinguedinem in noſtris recipiamus animabus. Secunda miſericordia, ſeu miſericordiæ effectus, quem Chriſtianis cupit S. D. eſt diuina protectio, quâ in gratia ſanctificante, ſeu ſpirituali pinguedine, quam ex corpore Domini ſpiritualiter manducato recipimus, conſeruemur, & auxilio diuino cuſtodiamur; quod exprimit, dum dicit, *Nos tuere.* Tertia denique eſt, vt in hac gratia per totum mortalis huius peregrinationis curriculum conſeruati, in eius perfectionem ſeu conſummationem poſt hanc vitam introducamur, in patria ſcilicet diuinam viſionem aſſequentes, quæ æterna felicitas eſt, & omnis gratiæ viæ integra ac perfecta conſummatio. Quod exprimit dum ait: *Tu nos bona fac videre, &c.* Ait ergo, *Tu nos paſce*; hoc eſt, optime Paſtor & Saluator, qui in Euchariſtia corpus & ſanguinem tuum in noſtrarum nutritionem animarum mirâ charitate donaſti, fac vt tanta cum pietate, purgatione delictorum, conſcientiæ puritate, cordis probatione, ac feruore deuotionis accedamus, vt dum corpus tuum cum ſpeciebus ſacramentaliter ore corporis recipimus, etiam ſpiritualiter manducemus; ita vt cœleſti hoc pane, qui corpus tuum eſt, in mente paſcamur, & noſtræ ſpiritualiter nutriantur animæ. Cùm enim non ad vegetanda corpora, ſed ad animas reficiendas Sacramentum hoc inſtitutũ ſit, qui indignè, & abſque debita ſui ipſius probatione corpus Domini edit, licèt corporis ore Sacramentum hoc manducet, & in ſtomachum ſub ſpecie panis veraciter corpus Domini traducat; tamen illo non dicitur paſci, quia eius virtutem, gratiam & ſanctitatem in anima non recipit. Sicque dum corpus Sacramento reficitur, anima culpis onuſta ab eius fructu & effectibus jeiunat, atque inediâ laborans, in mortis periculum vergit. Sed quid dico mortis periculum? De facto moritur, quia dum vitam ex voluntaria indiſpoſitione ex vita, hoc eſt Euchariſtia, quæ à Chriſtianis Punicis vita antonomaſticè appellatur, vt in præcedentibus aliquando tetigimus, non recipit, mortem incurrit: nam hoc Sacramentum *mors eſt malis, & vita bonis*, vt ſuperiùs fusè oſtendimus: & vt loquitur Apoſtolus 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, &c.*

Triplex à Deo miſericordia poſtulatur. Primò vt dignè Euchariſtia, & eius effectus recipiantur. Secundò vt in hac gratia conſeruentur fideles. Tertiò, vt in ea perſeuerantes æternam felicitatem aſſequantur.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Euchariſtia ad nutriendas animas inſtituta.

Indignè cõmunicantes ab ea non paſcuntur.

Vt dignè igitur, diuinâ adiuuante gratiâ, corpus & ſanguinem Domini recipiamus, petit Author, 478.
dum inquit, *Tu nos paſce.* Quid enim prodeſt corporis Domini Sacramentum ore recipere, & corde non manducare? Carnem Chriſti ſpecie panis obuolutam carni noſtræ coniungere, dum ab anima omninò elongatur? Sanè hoc non eſt paſci carne Chriſti, ſed lædere corpus Chriſti: hoc non eſt Chriſto nutriri, ſed Chriſtum cibum factum viatorum contemnere, calcare, immò & iterum crucifigere, vt innuit Apoſtolus *Hebr.* 6. 6. Vnde Chryſoſt. hom. 60. ad pop. Antioch. *Conſidera*, inquit, *quantùm aduersùs proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt. Itaque conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis, & ſanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum corpus jugularunt: tu verò pollutâ ſuſcipis animâ poſt tot beneficia.* Quare diuina poſtulanda eſt miſericordia, vt omnium peccatorum noſtrorum miſeriam expellat, quatenus ſic à criminum ſordibus emaculati dignè ad ſacra corporis Domini myſteria accedamus, & illa ſacramentaliter recipiendo, etiam ſpiritualiter illis paſcamur, & nutriamur. Si autem prima hæc dignè communicandi gratia miſericorditer nobis conceſſa ſit, vt in illa perſeueremus, Dei adiutorium, quo roboremur, & cuſtodiamur, non remiſsè implorandum eſt. Et hoc eſt quod præſtat D. Thom. dum addit,

D. Chryſoſt.

Nos tuere; hoc eſt, ab omnibus, quibus à fru- 479.
ctu ex digna Communione conſequuto, retrahi poſſumus inimicis, ſiue inuiſibiles, ſiue viſibiles hoſtes ſint, potenti protectione defende, ac conſequenter in gratia ſanctificante, cuius augmentum ſpirituali refectione à corpore Domini animæ donatur, conſerua. Vnde patet, verbis illis ſecundam miſericordiam, nempe in bono perſeuerantiam, de qua jam breuiter diximus ſuprà, poſtulari. Diuino etenim auxilio indiget homo, non ſolùm vt è malo eripiatur, & juſtus fiat; ſed etiam vt juſtificatus in juſtitia maneat vſque in finem, ac tandẽ juſtitiæ fructum, nempe vitam æternã aſſequatur. Quod docuit Auguſtinus libro de bono perſeuer. c. 7. *Poſt caſum hominis*, inquit, *non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo, quo ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur.* (Eph. 1. 11.) *Ac per hoc ſicut operatur vt accedamus; ſic operatur ne*

Vt in gratia ſtemus, diuino egemus auxilio, quod orationibus implorandum eſt.

D. Auguſt.

diſcedamus. Ac deinde exponens verba pſalmi 79. 18. *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ,&c.* & virum illum, Chriſtum cum omnibus membris ſuis, nempe Fidelibus, interpretatus, ſic concludit: *Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, vt non diſcedamus à Deo. Manus, inquam, eius eſt iſta, qui dixit, Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant,* Hierem. 32. 49. Hæc Auguſtinus. Cùm igitur donum Dei ſit à Deo non recedere, & in eius gratia ſtare, à Deo enixè ac humiliter poſtulandum eſt, vt *quod in nobis incæpit, ipſe perficiat vſque in diem Chriſti*, vt dicitur *Philip.* 1. 6. recteque S. Thomas pro Chriſti fidelibus hoc in Cantico poſtulauit, dicens, *Nos tuere.*

480. Ille enim qui ad tremenda myſteria purgatus ac probatus acceſſit, & corpus Domini non ſolùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter manducauit, ac ſpiritualem animæ ex gratia Dei recepit pinguedinem, ad illam conſeruandam totis viribus debet inſudare, diuinum ad hoc adiutorium inceſſanter petere, & gratiæ amiſſionem ac receſſum ſuum à Deo ſemper timere. Nam vt ait Apoſtolus 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Diuus enim Auguſt. *lib. de bone perſeu. cap.* 8. ait: *Voluntate ſuà cadit, qui cadit: & voluntate Dei ſtat, qui ſtat. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Rom. 14. 4. *Non ergo ipſe ſeipſum, ſed Deus,* ſcilicet ſtatuit. Hæc Auguſtinus. Sicut enim legitur pſalm. 126. 1. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Quæ verba, & immediatè præcedentia, nempe, *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam,* exponens Auguſtinus in præf. pſalmi 126. *Laboramus nos,* inquit, *tanquam operarij; ſed niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nos loquimur foris, ille ædificat intus.* Et poſteà ſubdit: *Laboramus in cuſtodiendo, ſed vanus eſt labor noſter, niſi ille cuſtodiat, qui videt cogitationes veſtras.* Ac deinde concludit: *Nemo ſibi arroget aliquid, nemo habet aliquid boni, niſi ab illo acceperit, qui ſolus bonus eſt.* Hæc ille.

D. Auguſt.

Voluntate ſua cadit, qui cadit: voluntate Dei ſtat, qui ſtat.

481. Vnde liquidò conſtat, diuina nos indigere protectione, vt in bono, in quo Deo donante ſumus, firmiter ſtemus, & à ſanctificante gratia, cuius augmentum à ſacroſancta Euchariſtia recepimus, non deficiamus. Quamdiu enim Deo plenà obedientiâ, ac ſuorum obſeruatione mandatorum adhæremus, ex eius diuina præſentia, ac ſpirituali cordis noſtri coniunctione vberes fructus recipientes gratiam eius non amittimus, ſed illa in nobis augetur, & ſpiritualium multiplicatione donorum mens noſtra magis impinguatur. Hinc Abrahamum non ſolùm ſpiritualibus gratiis plenum, ſed etiam temporalibus bonis refertum, ac in poſſeſſione auri & argenti valde diuitem ſacræ commemorant paginæ, *Gen.* 13. 2. quia nec ille à Domino, nec Dominus ab illo recedebat. Nam vbi in vulgata editione legimus Deum Abrahæ dicentem, *Ego protector tuus.* Gen. 15. 1. Philo *de migratione Abrahæ* legit, *Ego ero tecum.* Dum enim eſt, protegit: & non protegit à peccatorum caſibus, ac mortalium lapſu culparum, niſi ſit.

Abraham ditiſſimus, quia ab illo Dominus non recedebat.

482. Dum ergo rogamus Chriſtum, vt quos ſuo corpore & ſanguine paſcit, tueatur, petimus vt gratiam ſpiritualis refectionis, quam hoc Sacramento recipimus, ſuà protectione firmet, ſuà præſentiâ confirmet, & nos in illa ſpeciali adiutorio cuſtodiat. Si enim ex prauis noſtris affectibus diuinum ſubtrahatur adiutorium, *neminem quippe deſerit Deus, niſi priùs ab eo deſeratur,* vt loquitur Concilium Trident. alienati à Deo in malorum omnium barathrum deturbamur. Quod expreſſiſſe videtur Pſalmiſta pſal. 103. 28. & 29. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient,* &c. Vnde & ipſorum malorum caput Diabolus, nec in præſentia Domini ſanctiſſimo viro Iob malum inferre eſt aggreſſus, ſed vt ſanctum hominem læderet, *egreſſus eſt à facie Domini,* vt legitur Iob 1. 12. Vbi Olympiodorus in Catena Græca: *Egreſſus eſt,* inquit, *Sathan à facie Domini, quia omne malum eſt extra Dominum.* Satagamus igitur, vt protegente Chriſto, in eius gratia maneamus, vt vſque ad finem in eius dilectione perſeuerantes, ſalutem in patria plenâ veritate conſequamur.

Omne malũ eſt extra Dominum.

483. Addit deinde Sanctus Doctor, *Tu nos bona fac videre in terra viuentium.* Vbi tertiam miſericordiam duarum priorum conſummatricem, & mercedem poſtulat. Primò enim poſtulauit gratiæ ſanctificantis augmentum, ad modum refectionis ſpiritualis ex receptione ſacramentali, & ſpirituali corporis Chriſti, quando dixit, *Tu nos paſce.* Secundò petiit in illa gratia, ſeu poſſeſſione effectûs manducationis ſpiritualis corporis perſeuerantiam, dicens, *Nos tuere.* Meritò igitur in verbis quæ nunc exponimus, rogat, vt gloria quæ eſt conſummatio, & perfectio gratiæ, necnon & perſeuerantiæ præmium, atque omnium Chriſtianarum actionum merces & corona, concedatur, ait ergo, *Tu nos bona fac videre*; hoc eſt, concede nobis vt poſt hanc peregrinationem in patria, hoc eſt in cœlis, qui patria noſtra dicuntur, quia ad illos tanquam ad ciuitatem permanentem & æternam tendimus, viſione diuinæ eſſentiæ gaudeamus: formalis enim ratio, ſeu eſſentia beatitudinis, quam vt virtuoſarum operationum noſtrarum præmium expectamus, in viſione clara & intuitiua diuinæ eſſentiæ ſita eſt, vt docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 3. *art.* 8. & alibi ſæpè, & colligitur ex verbis Chriſti Ioan. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, &c.* & ex 1. Ioan. 3. 2. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Vnde D. Auguſtinus inquit, *quod viſio Dei eſt tota merces.*

Tertia miſericordia, ſcil. aſſecutio vitæ æternæ.

Formalis beatitudo in viſione diuinæ eſſentiæ conſiſtit.

484. Quamvis autem Doctor Angelicus non dixerit, *Tu nos Deum fac videre,* ſed *Tu nos bona fac videre, &c.* per *bona* Deum ſignificauit: & notanter dixit *bona* in plurali, non verò *bonum* in ſingulari, vt innueret omnia bona in Deo, qui ſummum bonum eſt, tanquam in ſuo fonte reperiri. Vnde & Deus Moyſi loquens, cùm iſte dixiſſet, *Oſtende mihi gloriam tuam:* Reſpondit, *Ego oſtendam omne bonum tibi,* Exod. 33. 19. omnis boni nomine eſſentiam ſuam deſignans, cuius viſionem eidem Moyſi etiam in via obiter, tanquam Iudæorum Duci ac Magiſtro conceſſit, vt docent Auguſt. 12. *ſuper Gen. cap.* 26. & *in libro de videndo Deum,* & S. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 11. *ad* 2.

Deus eſt omnia bona.

485. Rectè autem S.D. Deum hîc bonorum nomine ſignificauit. Primò, quia cùm bonum ſit quod omnia appetunt; & Chriſtiani homines vehementi deſiderio æternam felicitatem, quæ in intuitiua Dei viſione conſiſtit, cupiant, & nunquam internam habeant quietem, niſi in ipſa Dei viſione ac fruitione; vnde & Dauid inter regales delicias, ac glorioſas de cunctis hoſtibus victorias cor ſuum ſemper dirigebat ad Dominum, ac ad eius viſionem ſuſpirans clamabat pſal. 16. 15.

Cur Deus à D. Thoma bonorum nomine ſignificatur.

Satiabor

D. Auguſt.

Satiabor cùm apparuerit gloria tua: ſimilique angebatur deſiderio Auguſtinus dicens, *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; ideo Deum beatitudinis noſtræ obiectum, & authorem, immò & ipſam obiectiuam beatitudinem, bonorum nomine meritò appellauit.

486. Boet. Quid ſit beatitudo.

Secundò, quia juxta Boëtium, Beatitudo eſt *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; ita vt omne hominis deſiderium perfectè pleneque ſatiet & compleat. Quod expreſſit Propheta pſalm. 72. 24. & 25. *Quid enim*, inquit, *mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vbi nullum bonum vel in terra, vel in cœlo exiſtere, quod non in Deo perfectiùs ac nobiliùs repetiatur, profitetur; ac ſtatim & carnem ſuam, & cor ſuum in tantorum conſideratione bonorum declarat, quæ tamen etſi nequeat exprimere, valet tamen ex Dei gratia poſſidere, quod fatetur, dum ait, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*; hoc eſt, Deus in corde meo, veluti pars mea, portio mea, merces mea, corona mea, ac beatitudo mea in æternum manebit. Vnde Auguſtinus *lib. 22. de ciuit. cap.* 30. æternam hominum felicitatem omnibus bonis ex ipſa viſione ac fruitione Dei redundantem ſic deſcribit: *Præmium* (inquit) *virtutis erit ipſe qui virtutem dedit, & qui ſeipſum, quo melius & maius nihil poſſit eſſe, promiſit. Quid eſt enim aliud, quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs: ego ero quæcumque ab omnibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, Erit Deus omnia in omnibus; ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum.* Hæc Auguſtinus eleganter. Quibus ſanè liquet, quàm aptè S. Thomas Deum beatitudinis noſtræ obiectum bonorum nomine appellarit.

Omne bonū quod eſt in creaturis, in Deo nobiliùs exiſtit.

D. Auguſt.

Præmium virtutis Deus ipſe.

487. Tertiò dixi, in his verbis, *Tu nos bona fac videre*, S. Thomam tertiam miſericordiam à Chriſto poſtulare, nempe adeptionem gloriæ: quia etſi non inficiet, æternæ felicitatis hominum conſequutionem, vtpote ex meritis noſtris procedentem, rationem habere juſtitiæ in promiſſione Chriſti (quæ quædam obligatio eſt) fundatæ, vnde & Apoſtolus gloriam, quam in laborum ac paſſionum ſuarum præmium expectabat, coronam appellauit juſtitiæ, 2. Tim. 4. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, &c.* quod etiam docuit Auguſtinus, ſcilicet Deum ex mera liberalitate promittentem bonis operibus mercedem, ex quadam juſtitia commutatiua ſe ad præmiandum obligaſſe: vnde *ſerm. 16. de verbis Apoſtoli*, ſic loquitur: *Debitorem ſe fecit, non tantùm ſibi, ſed & Chriſto, & nobis, vt illi dicere poſſimus: Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti.* Attamen quia gratia Dei quæ ex eius miſericordia nobis conceditur, eſt principium meriti, quo adulti beatitudinem merentur; ideo jus quod habemus ad gloriam, in ſuo principio, ac veluti radice ex miſericordia Dei procedit. Hinc tritum eſt apud S. Thomam & Theologos, quod gratia eſt ſemen gloriæ; & gloria eſt gratia conſummata. Cùm autem S. Thomas hîc poſtulet Dei viſionem hominibus, qui adhuc viatores exiſtunt, & qui vt ad illam valeant peruenire, diuinâ gratiâ indigent, cùm ad merendum, tum ad perſeuerandum finaliter; hoc eſt, vſque ad finem vitæ in bono: non abs re expoſui D. Thomam tertiam miſericordiam in his verbis modò ſuprà expoſito poſtulare.

Gloria eſt corona juſtitiæ.

D. Auguſt.

Ius ad gloriā fundatur in miſericordia Dei.

488. Adde quod ipſa actualis collatio gloriæ hominibus etiam adultis ex ſumma Dei miſericordia dicitur procedere. Tum quia boni à Deo præmiantur vltra condignum, hoc eſt magis quàm eorum meritis debitum ſit: ſicut mali puniuntur citra condignum, hoc eſt, mitioribus cruciantur tormentis, quàm eorum exigant delicta, vt colligitur ex illo pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*: & docent communiter Theologi. Tum quia ex S. Auguſtino, Cœleſtino Papa *ad Epiſcopos Galliæ cap.* 12. & ex Concilio Trid. *ſeſſ. 6. cap.* 16. Deus *cùm coronat noſtra merita, quid aliud coronat, quam ſua dona?* Vnde merita manant ex gratia, quaſi ex ſemine & radice, ac conſequenter ipſa vocari poſſunt, & reipſa ſunt gratia, vt ex S. Auguſtino *epiſt.* 105. apertè colligitur. Sicque collatio gloriæ tanquam mercedis meritorum ex gratia procedentium, & quæ gratia ſunt, optimè miſericordiæ nomine poteſt inſigniri. Quo ſenſu à Pſalmiſta dictum eſt pſal. 102. 4. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Nam vt loquitur Auguſtinus lib. 2. confeſſ. cap. 4. *Deus reddit debita nulli debens.*

Boni præmiantur vltra condignum, & mali puniuntur citra condignum.

D. Auguſt. Cœleſt. Pap. Concil. Trid.

D. Auguſt.

489. Addit inſuper S. Thomas, *In terra viuentium.* Quibus verbis deſignat locum, in quo poſtulat æternam felicitatem viſione diuinæ eſſentiæ, & ipſa ſummi boni fruitione nobis concedi. Hic autem eſt cœlum Empyreum, quod Apoc. 21. 16. *Ciuitas in quadro poſita* appellatur; & tantæ pulchritudinis extat ac ſplendoris, vt ibidem 18. *Aurum mundum ſimile vitro mundo*, hoc eſt fulgentiſſimo, nominetur. Quamvis autem hæc beatorum Angelorum, & hominum ſedes, Deique thronus terrenis careat qualitatibus, vtpote omninò cœleſtis, & incorruptibilis; tamen appellatur *Terra viuentium*, ex communi modo loquendi, & vſu hominum, qui cùm terræ ſint incolæ, in qua laborantes ac perpetuò militantes ad cœleſtem patriam anhelant, tanquam ad terram ſeu regionem quietis, victoriæ & pacis; dum cœlum ingrediuntur, in terram vitæ ex terra mortis intrare dicuntur. Hunc autem loquendi modum deprompſit Doctor Angelicus ex pſalmo 41. 6. vbi Propheta Deum alloquens ait: *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.* Vbi ſpem ſuam vocat ipſum Deum, quem in cœlis aliquando videre ſperat, & quem tanquam portionem ſuam, hoc eſt, hæreditatem ſuam, *in terra viuentium*, hoc eſt in immortalitatis regione cupit poſſidere. Ipſe enim jam antea dixerat pſalm. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* Meritò autem cœlum terra, hoc eſt regio viuentium appellatur, vt magnum quod inter ipſum, & terram in qua habitamus diſcrimen eſt, oſtendatur. Hæc enim *Terra morientium*, immò & mortuorum verè dicitur, quia omnes qui in ea ſunt homines, mortis imperio ſubditi, citiſſimâ velocitate currunt ad interitum. Vnde vt dixit Cicero in Tuſculan. *Vita quidem mors eſt*, quia vt loquitur Auguſtinus, *eſt curſus ad mortem.* Qui verò cœlorum ſunt incolæ, mortem neſciunt, ſed ſempiternâ vitâ donantur. Quare à Chriſto regnum cœlorum vita ipſa appellatum eſt, Matth. 19. 17. *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi*, hoc eſt in regnum cœlorum intrare, *ſerua mandata.* Ipſamque æternam, quam viſione Dei intuitiuâ juſti conſequentur felicitatem, idem Saluator

Quid ſit terra viuentiū.

Cœlum Empyreum eſt.

Mundus iſte eſt terra morientium, vel mortuorum.

Cic.

D. Auguſt. Vita præſens eſt curſus ad mortem.

Google

optimus vitam ſimpliciter, & ſine addito nominauit; nam roganti Legiſperito, Luc. 10. 25. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* cùm ex eius ore præcipuum legis mandatum, nempe dilectionem Dei & proximi audiiſſet, ait: *Hoc fac, & viues*, ibid. 29. vbi non addidit, *viues vitam æternam*; ſed tantùm dixit, *viues*, vt oſtenderet, temporalem huius ſeculi vitam non verè & propriè vitam eſſe, ſed potiùs interitum; illamque, quam in cœlis nuſquam finiendam recipiont Beati, veram ac propriam vitam eſſe, & propriè ac abſolutè nomine vitæ inſigniri. Notauit hoc Auguſtinus *ep. 121. ad Probam*, vbi ait: *Illa eſt vera vita, in cuius comparatione vtique iſta, quæ multùm amatur, nec vita dicenda eſt, &c.* Subditque: *Illa vita eximet animam noſtram de morte, vnde inquit Propheta*, pſal. 114. 9. *Placebo Domino in regione viuorum, vbi tunc erimus; non in deſerto mortuorum, vbi nunc ſumus.* Hactenus Auguſtinus.

Æterna felicitas dat verè viuere.

D. Auguſt.

490. Sanè hoc agnouit Apoſtolus, qui vitam ſuam, quamvis plurimis pro Chriſto ac eius Eccleſia laboribus conſpicuam, reſpectu æternæ illius, quæ electis Dei præparata eſt, vitæ mortem appellauit: *Quotidie morior*, inquit, *per veſtram gloriam, &c.* 1. Cor. 15. 31. & Rom. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vnde cùm vita, quam hoc in ſeculo ducimus, vitæ tantùm ſimulachrum exiſtat, *fugit enim velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*, vtpote *vapor ad modicum parens, qui exterminabitur*; rectè æterna, & beata, ac immortalis illa, quæ Sanctis in patria datur, vera & perfecta vita dicitur; & cœlum Empyteum, in quo illa gaudentes collocantur, regio viuorum, ſeu terra viuentium appellatur.

Vita præſens mors dicitur ab Apoſtolo.

ELVCIDATIO V.

De Chriſti Domini miſericordia.

491. CHriſtum Dominum in venerabili Eochariſtiæ Sacramento immensâ charitate realiter inclusum, cuius laudes hac in Sequentia cecinit D. Thomas, verum Saluatorem, optimum Paſtorem, ac panem viuum in ſuperioribus elucidationibus fusè demonſtrauimus: ſupereſt igitur ad pleniùs Autoris noſtri Doctoris Angelici mentem aſſequendam, vt infinitam eius miſericordiam, quam inuocauit S. Thomas in textu jam expoſito, paucis illuſtremus.

SECTIO PRIMA.

Ex ſanctiſſimo nomine Ieſu ſumma in Chriſto effulget miſericordia.

492. RErum eſſentiæ proprietatibus, proprietates nominibus manifeſtantur, vt apud omnes communiter receptum eſt. Hinc vt loquitur Plato in Cratillo, *oportet pulchrum nomen habeat id, quod pulchrum eſt.* Magna crenim magnis vocibus exprimuntur; nobilia titulis nobilibus decorantur; & ſancta ſanctis nominibus pronuntiantur. Cùm ergo miſericors & miſerator Dominus hominem, quem condidit, dæmonis arte, ac propriâ ipſius culpâ deformatum reformaturus in terram deſcenderit, vt ſummam, quam venerat erga perditum hominem exercere, miſericordiam omnibus indicaret, recèns ex intemerata Virgine natus, ac juxta legem octauo die circumciſus, nomine proferente miſericordiam voluit inſigniri: *Vocatum* quippe *eſt nomen eius* IESV, vt dicitur *Luc.* 2. hoc eſt, Saluator optimus, optimam & æternam ſalutem miſerrimis hominibus præſtans appellatus eſt: nam vt Angelus Ioſeph ſanctiſſimo Chriſti nutritio, *Matth.* 1. loquutus eſt, IESV vocatur, *quia ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum.* Hoc autem eſt veram miſericordiam exhibere; nam cùm misereri nihil aliud ſit, quàm miſeriam ſubleuare, ſeu depellere, vt docet S. Thomas 1. *p. quæſt.* 21. *art.* 3. nullaque miſeria maior ſit, quàm peccatum, quod hominem ita lædit, vt ipſum Deo, qui eſt ſummum bonum, priuet; & rationem, quæ eſt bonum hominis, obnubilet, vnde *Prouerb.* 14. 34. dicitur, *juſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*: & peccatori ſeipſum ignoranti, & vulnus peccati non ſentienti dicitur Apoc. 3. 17. *Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper:* ipſeque Dauid Rex iniquitatem ſuam agnoſcens, quamvis temporalibus bonis abundaret, vtpote regni ſui diuitiarum poſſeſſor & dominus, verè tamen ſe miſerum reputauit: *Miſer*, inquit, *factus ſum, & curuatus*, pſalm. 37. 7. ideo ſaluare homines à peccatis eorum, ſeu illos ab omni iniquitate redimere ac liberare idem eſt ac ſummam miſericordiam exercere, & optimam illis præſtare ſalutem. Vnde & ſanctiſſimum nomen IESV, quo ſalus hæc homines à peccatis liberans exprimitur, mirâ fulget bonitate, ac infinitâ miſericordiâ coruſcat.

Plato.

Nomen Ieſu profert miſericordiam.

D. Thom.

Miſereri eſt miſeriam ſubleuare.

Peccatum, maxima miſeria.

493. Quod vt pleniùs pateat, ac faciliùs capiatur, obſeruandum eſt, duplici modo miſericordiam ineſſe alicui. Primò ineſt cum effectu, abſque tamen affectu; hoc eſt, aliquis dicitur miſericors, dum vel potentiâ, vel bonitate, vel liberalitate alienam propulſat miſeriam, abſque eo quod eandem miſeriam vel ſuſtineat, vel ſentiat, vel participet. Quo pacto miſericordia competit Deo ante incarnationem conſiderato; tunc enim egenis ſuccurrebat, ægrotos curabat, omneſque alios miſeros ſubleuabat; nec tamen ipſe miſerias quas depellebat, experiebatur. Quo etiam modo Reges, Principes, & Magnates pauperum & captiuorum liberalitate & clementiâ miſerias intuentur & ſubleuant, non tamen ſentiunt. Secundò ineſt alicui miſericordia, non tantùm ſecundùm effectum, verùm etiam ſecundùm paſſionis affectum. Quod de facto contingit dum aliquis, nedum alienam propriâ authoritate propulſat miſeriam, ſed etiam ingenti bonitate eadem miſeriâ afficitur, & calamitatem, à qua liberat, voluntariâ in ſe ſuſcipit charitate: ita vt alterius miſeriam quaſi propriam reputans, ex ea triſtetur. Tuncque huiuſmodi competit propriè nomen miſericordis; nam vt ait S. Thomas *loc. cit.* miſericors dicitur aliquis, quaſi habens *miſerum cor.* Quod etiam docuit Auguſtinus *lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 5.* vbi ait: *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio.*

Miſericordia dupliciter eſt in aliquo, vel ſecundũ effectum, vel ſecundùm affectum.

Ante incarnationem in Deo erat miſericordia ſecundũ effectum, poſt incarnationẽ fuit etiam ſecundùm affectum.

D. Auguſt.

494. Vt igitur homo redimeretur, & à peccatis ſaluaretur, neceſſaria fuit Dei miſericordia, non ſolùm ſecundùm effectum, ſed etiam ſecundùm paſſionis affectum; neceſſarium enim fuit Deum incarnari, vt in aſſumpta humanitate diuinæ juſtitiæ pro nobis rigoroſè ſatisfaceret, vt docent Theologi poſt S. Thomam 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 2. vnde infirmitates noſtras in ſe ſuſcepit, miſerias

Ad liberationem hominis Deus factus eſt miſericors ſecundùm paſſionis affectũ.

S. Thom.

noſtras

Digitized by Google

noſtras expertus eſt, dolores noſtros ſenſit, & vulnera noſtra (vno excepto peccato, & ignorantiâ) in ſe habuit, vt ſcilicet ex malorum noſtrorum in corde & carne ſua compaſſione propriam etiam ſecundùm affectum miſericordiam poſſideret. Quod ex Apoſtolo Hebræor. 2. 17. euidenter colligitur: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit; vnde & debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret.* Nam vt notat S. Thomas *ibid. lect.* 4. ante incarnationem per ſolam apprehenſionem, & ſine vlla paſſione miſeriam noſtram apprehendit; nam *ipſe cognouit figmentum noſtrum*, vt dicitur *pſalm.* 102. 14. Sed poſt incarnationem illam experientiâ agnouit, & potiſſimùm in paſſione ſua miſeriam noſtram Christus expertus eſt, ac conſequenter verè, & propriè ſecundùm rigorem nominis miſericors factus eſt. Quod ſanè conuenientiſſimum fuit;

D. Chryſol.

nam vt loquitur Chryſologus ſerm. 50. *Medicus qui non fert infirmitates, curare neſcit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* Quia dum Deus in ſe miſerias noſtras ſuſcepit, vt ſecundùm affectum miſericordiam haberet, ex noſtrorum paſſione dolorum vehementer ſuam miſericordiâ ampliauit. Ita Spiritu ſancto inſpirante Dauid cecinit, pſal. 144. 8. *Miſerator, & miſericors Dominus, patiens & multùm miſericors.* Ille enim, qui ante vnionem hypoſtaticam in ſe miſerator eſt, & miſericors, dum ſemel poſt aſſumptam humanitatem incœpit nobiſcum ac pro nobis pati, multùm, hoc eſt maximè miſericors factus eſt: quod illis verbis deſignatur, *Patiens, & multùm miſericors.* Vnde Mellifluus Abbas

Patiendo pro nobis Deus ſuam miſericordiam ampliauit.

D. Bernard.

Bernardus exponens illud Apoſtoli Hebræor. 5. 9. *Didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam*, ſubiungit: *Vtique & miſericordiam; Saluator enim noſter pati voluit, vt compati ſciret; miſer fieri, vt miſereri diſceret.* Hæc Bernard. *de gradib. humilit.* vbi addit: *Non quod antè miſereri neſciret, cuius miſericordia ab æterno, & vſque in æternum; ſed quòd naturâ ſciebat ab æterno, temporali didicit experimento.*

495. Huiuſmodi autem noſtrarum experimentum miſeriarum in ſua nequiuit Diuinitate, quæ omninò impaſſibilis & immortalis eſt, Christus habere: in noſtra, quam aſſumpſit, humanitate nobis omninò ſimilis factus illud accepit. Illis igitur carnis ſuæ, immò & noſtræ paſſionibus actionibuſque, à natura humana in ipſo diuino increati Verbi ſuppoſito ſubſiſtente elicitis, *pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſoluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit*, vt loquitur Gregorius

D. Gregor.

Magnus in benedict. Cerei Paſchalis, diuinæque juſtitiæ pro delictis noſtris in toto rigore ſatisfecit. Quod euidenter indicat, tantam ad hominum perfectam liberationem & ſalutem miſericordiam fuiſſe neceſſariam, vt potentiæ Deitatis, quæ authoritate omnem expellit miſeriam, humanitatis compaſſionem, quæ ipſas expellendo miſerias experitur & patitur, indiſſolubiliter copulari in ipſa Filij Dei incarnatione oportuerit. Quo in myſterio, ſicut loquitur S. Leo ſerm. 1. de natiu. Domini: *Saluâ diuinæ & humanæ proprietate naturæ, & in vnam coëunte perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; vt quod noſtris remediis congruebat, vnus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. Niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium: niſi verus eſſet homo, non præberet exemplum.* Hæc ille.

Miſericordia compatiens debuit in Christo vniri miſericordiæ ſubleuanti.

496. Cùm ergo ſanctiſſimum Iesv nomen, Deo per Angelum mandante, Chriſto impoſitum, illum ſignificet Saluatorem ac liberatorem perfectiſſimum, homines à cunctorum miſeriis peccatorum ſubleuantem, & conſequenter eius paſſionem, ac Deo, eiuſque juſtitiæ integram ac rigoroſam illius effuſione ſanguinis exhibitam ſatiſfactionem; ſummam à Iesv nomine miſericordiam deſignari quis inficiabitur? Quæ enim maior miſericordia illâ, quæ non ſolùm miſeros ſubleuat, ſed inſuper miſerenti miſerias imponit? Felices fecit homines ſanctiſſimi ſui virtute nominis amantiſſimus Saluator, & ſeipſum peccatorum noſtrorum ponderibus onuſtum miſerum fecit. Etenim numquid non miſer eſt, qui omnem in ſe noſtrarum pœnam culparum ſuſtinuit, qui à proprio parente percuſſus, vt populi ſui ſcelus expiaret, dum peccata deleret, & peccatores juſtificaret, ipſe quodammodo peccatum effectus eſt? *Eum*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 5. 21. *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Vbi S. Thomas *lect.* 5. notat Chriſtum tripliciter pro nobis factum fuiſſe peccatum. Primò, quia fuit hoſtia, victima, & ſacrificium pro peccato noſtro. Vnde in Scriptura ſacrificium pro peccato peccatum appellatur. Oſeæ 4. *Peccata populi mei comedent*, ideſt, oblata pro peccato. Secundò, quia ſimilitudinem peccati habuit, & pœnam pro peccato pertulit. Rom. 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem peccati.* Vnde dum Apoſtolus dicit, *Fecit eum peccatum*; id eſt, fecit eum aſſumere carnem mortalem & paſſibilem. Tertiò, quia aliquis dicitur eſſe id quod reputatur, & opinantur homines illum eſſe, quamvis de facto non ſit. Tuncque ſenſus eſt, *Fecit eum peccatum*; ideſt, fecit eum reputari peccatorem. Vnde *Iſai.* 53. 12. de eo dicitur, *Cum iniquis reputatus eſt.* Quoquo autem modo peccatum accipiatur, ſiue pro victima, ſiue pro ſimilitudine, ſiue pro exiſtimatione peccati, ſumma fuit in Chriſto miſericordia pro peccatoribus peccatum fieri; ſed inæſtimabilis ac prorſus infinita fuit in eo erga homines miſericordia ac dilectio charitatis tres illos peccati modos in ſe accipere.

Vtramque miſericordiam nomen Ieſu ſignificat.

Quomodo Chriſtus factus ſit peccatum, tripliciter oſtenditur. D. Thom.

Nam verè fuit victima puriſſima pro peccatis noſtris, quæ in ara crucis oblata immaculato cruore vulnera noſtra ſanauit, & omnia noſtra delicta deleuit. Similitudinem peccati inſuper habuit, & in carne paſſibili ac mortali ſimilis nobis ambulauit, & cum publicanis ac peccatoribus non ſemel voluit cibum ſumere, vt externâ peccati ſimilitudine ad ſe peccatores alliciens, eos peccatis eriperet, & gratiæ ſuæ vbertate donatos ſanctificaret. Exiſtimationem denique peccati habuit, & tantâ pro nobis flagrauit charitate, vt parum illi fuerit in peccati victimam præparato in carne paſſibili ac mortali, peccati ſimilitudine notatâ viuere: etiam in ſua voluit quodammodo fama vulnerari, & quamvis innocentiſſimus, peccator reputari. Vnde & *Ioan.* 9. 16. de eo dicitur: *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Et ibidem 24. *Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Vt ſcilicet in omnibus pro nobis miſer ac patiens, omnem noſtram miſeriam depelleret, & nos in omnibus, etiam in ipſa fama ſanaret. 497.

Verùm etiam initio vitæ ſuæ tria hæc in ſe, vt meritum nomini reſponderet, copulauit; octauo enim à ſua natiuitate die legem ſubiens circumciſionis, & ſimul veteri præcepto obtemperans, 498.

nouumque

In circumciſione Chriſtus apparuit victima pro peccato. Similis peccatoribus, & peccati charactere ſignatus.

nouumque cruore ſuo ſacrificium offerens, ſe peccati victimam, peccato ſimilem, ao peccati charactere ſignatum exhibuit. Verus homo tunc probatus eſt carnis ſuæ paſſibilitate, immò & paſſione: ſemetipſum pro peccatis noſtris hoſtiam viuentem ac patientem exhibuit, & legi circumciſionis obtemperando, notâ peccatorum inſignitus omnibus apparuit, ac peccatoribus annumeratus peccator reputatus eſt.

499. *Tantam ac compatientẽ miſericordiã nomine Ieſu declarauit.*

Quamobrem vt tantam, quam tunc exercebat, miſericordiam declararet, illam nomine IESV Saluatorem ſonante manifeſtauit, ſimulque in ſe Seruatoris optimi meritum & nomen copulauit. Vnde hoc expreſſit Apoſtolus Hebr. 10. 4. & 5. *Impoſſibile*, inquit, *eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata; ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Seu, vt ex Hebræo *pſal.* 39. ex quo textus hic depromptus eſt, verti poteſt, *perforaſti mihi.* Quibus verbis non ſolùm perfectam Chriſti obedientiam, & ſummam corporis eius, vt pro nobis immolaretur, aptitudinem deſignat Paulus, ſed etiam quodammodo indicat vulnus, qnod in circumciſione vitæ ſuæ initio accepit, & ſanguinem, quem tunc pro nobis effudit, ac tanquam cruorem victimæ innocentiſſimæ Deo Patri in hominum redemptionem, quæ tunc incœpta eſt, obtulit. Nam vt notauit Guillielmus Durandus in Rationali diuin. Offic. lib. 6. cap. 15. num. 15. *In Circumciſione incipit paſſio Domini, quando primum ſanguinem ſuum fudit.* Hinc Chriſtus ore Prophetæ *pſal.* 87. inquit: *Pauper ſum ego, & in laboribus a iuuentute mea*; ſeu, vt ex Hebræo legit Caietanus, *& obiens à puero.* Quod exponens Gregorius Papa: *Eius enim* (inquit) *vita continua mors fuit, nec vllum fuit momentum, in quo non moreretur.*

Paſſio Chriſti incœpit in circumciſione.

D. Gregor.

500. Cùm igitur Redemptor noſter non ſolùm miſerias noſtras, vt à miſeriis nos eriperet, ſuſceperit, ſed etiam ſanguinem ſuum in pretium noſtrum octauo vitæ ſuæ die effuderit, tuncque, immò & ab exordio natiuitatis ſuæ labores, immò & mortem ſummo pro nobis moriendi deſiderio ſuſtinuerit; infinitam nobis ab initio apparitionis ſuæ miſericordiam abſque omni dubitatione monſtrauit, ipſumque glorioſiſſimum IESV nomen labore, ſanguine, immò & morte juſto titulo comparauit. Vnde *Iſai.* 62. 2. dicitur: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit*; ſeu, vt ex Hebræo legunt aliqui, *quod os Domini perforabit.* Vbi quamvis per nomen perſona nominata intelligatur, nomina enim ſupponunt pro rebus, vt apud omnes receptum eſt; attamen ipſum nomen nouum à Deo impoſitum perforari dicitur, hoc eſt lædi & vulnerari; quia ex læſionibus ac vulneribus, quæ ſuſtinuit Dominus, præſertim in circumciſione, ſanctiſſimum IESV nomen tanquam juſtam mercedem, fulgidamque coronam eſt aſſequutus. Sicque nomen læſiones & vulnera ad humanam redemptionem, & ſalutem neceſſaria manifeſtans, & præmians, lædi, vulnerari, ac perforari meritò dicitur. Vnde Ambroſius libro 5. in Luc. cap. 6. *Chriſtus* (inquit) *ad vulnera noſtra deſcendit, vt vſu quodam, & copiâ ſuæ naturæ comparticipes nos faciat eſſe regni cæleſtis.*

Paſſionibus nomen Ieſu comparatur.

D. Ambroſ.

501. Porrò ſicuti circumciſio Chriſti initium fuit effuſionis ſanguinis eius, quæ in cruce cum eius vita conſummata eſt: ita & meritorum eius inchoatio ſenſibilis dici poteſt (nam à primo vitæ ſuæ inſtanti Chriſtus illam Patri, & ſemetipſum offerens meruit) & notabilis; ac per conſequens in paſſione ſua Chriſtus Dominus omninò integrè, ac perfectè gloriam nominis ſui meruit, eius in circumciſione impoſitionem ſibi mereri incœperat; hoc eſt, gloriam nominis IESV, quâ omnes Chriſtum Saluatorem omnium agnoſcunt, colunt, celebrant, ac tanquam verum inuocant, morte ac paſſione ſuâ promeruit. Vnde Apoſtolus Philip. 2. 9. *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus vſque ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c.* Hoc autem nomen IESV, quod idem eſt ac Saluator, ſuper omne nomen eſſe dicitur, quia deſignat vnam & eandem perſonam, quæ verè Deus & homo eſt. Deitas enim & humanitas omninò requirebantur in Saluatore hominum; Deus enim eſſe debebat, vt dignitatem ac valorem actionibus ſuis præſtaret: homo debuit eſſe, vt ſe humiliare valeret, & infirmitatibus, laboribus, ac tolerantiis infirmitates ſanaret humanas, omneſque noſtros labores portans, nos ab omnibus doloribus liberaret. Vnde & juxta Dionyſium actiones, quibus nos redemit Dominus, ac noſtris à peccatis ſaluauit, *theandrica*, hoc eſt Dei & hominis, appellantur. Eliciebantur ſiquidem à Diuino Verbi ſuppoſito, quod in Chriſto etiam humanam ſuſtentabat naturam; ita vt Diuinum Verbi ſuppoſitum fuerit principium *quod*, & humanitas principium *quo* operationum Chriſti. Etenim actiones ſunt ſuppoſitorum, & non naturarum, ſecundùm Philoſophos.

Gloriam nominis ſui in cruce moriẽs cõſummauit.

D. Dionyſ.

Ex quibus euidenter ſequitur, & humanitatem, & Deitatem Chriſti mirum in modum hominibus vtiles fuiſſe; vtraque enim illarum ſalutem eorum operata eſt, & ex vtroque Chriſtus nominis IESV gloriam adeptus eſt. Quod eleganter attigit S. Bernardus ſermone ad Milites Templi, cap. 11. *Totum*, inquit, *nobis de Chriſto valuit, totumque ſalutiferum, totum noſtrum fuit; nec minùs profuit infirmitas, quàm maieſtas; quia etſi ex Deitatis potentia peccati jugum jubendo ſubmouit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concuſſit.* Hæc Abbas Mellifluus. At non longè diuerſa ante ipſum ſcripſerat Fauſtus Rhegienſis in Gallia Narbonenſi Epiſcopus *tom.* 3. *Biblioth. SS. PP. epiſt. vltima*, vbi loquens de Chriſto: *De noſtro*, inquit, *eſt quod appendit, de ſuo eſt quod donauit: de noſtro habuit vnde caderet, de ſuo vnde conſurgeret: de noſtro habuit, vnde pro nobis ſolueret, de ſuo vnde penitus in nullo debitor appareret: de noſtro obtulit ſacrificium, de ſuo contulit præmium: homo infirmitatibus agnoſcitur, Deus virtutibus approbatur.* Sic Fauſtus Chriſtum Deum & hominem oſtendit, & illius humanitatem ac Diuinitatem ſimul ad noſtram contuliſſe ſalutem, non ineleganter demonſtrat. 502.

Ex deitate & humanitate nominis ſui gloriam, & ſalutem noſtram Chriſtus cõſummauit.

D. Bernard.

Fauſtus Rheg.

Quæ omnia in Chriſto mirabiliter concluſa, in eius nomine IESV, tanquam in epitome redacta, ac fulgenti veluti in ſpeculo exhibita omnibus vndeque coruſcant, & à cunctis ſummoperè reuerentur. Hinc eſt, quod prolato nomine IESV inter publicas Eccleſiæ preces, vel in ſacrorum celebratione myſteriorum, tanquam Deo, & homini Deitate & humanitate ſua mundum ſaluanti, & hac in voce apparenti caput inclinatur & aperitur, ex decreto Concilij Lugdun. *can. Decet, de immunit. Eccleſ. lib.* 6. vt refert Nauar. 503.

lib. 1.

Nomini Ieſu in publicis precibus caput inclinatur, & aperitur.
Conc. Lugd. Conc. Mog.

lib. 1. de orat. cap. 4. n. 5. Immò ex Concilio Moguntino §. a. *Dum aliquis codices perluſtrans, ad venerabile & tremendum nomen* Iesv *deuenerit, caput aperiat, inclinet, & reſpirans in cœlum oculos attollat.* Quod vtique rationabiliter, ſanctéque ſancitum eſt, & piè ſanctéque ab omnibus de Saluatore noſtro rectè ſentientibus exercetur. Redemptus enim Redemptorem debet venerari, & in priſtinam libertatem, immò & maiorem reuocatus, ſuum tenetur agnoſcere ac colere liberatorem, ipſique vel in propria perſona, vel in imagine apparenti honorem & reuerentiam exhibere: idem enim motus eſt in imaginem, & in rem cuius eſt imago, vt ſuprà ex S. Thoma & Ioan. Damaſc. oſtendimus. Cùm autem vbicumque ſanctiſſimum Iesv nomen effulget, ſiue in auribus vocis prolatione reſonet, ſiue in oculis ſcriptionis characteribus micet, ſemper in eo Christi Seruatoris, hoc eſt Dei & hominis venerabilis imago reſplendeat, ſummaque illius in nos miſericordia ſignificetur; meritò & interno cordis affectu, & externâ corporis ſubiectione, quæ capitis cùm apertione, tum inclinatione manifeſtatur, à nobis colitur & reueretur.

Gratitudo erga nomen Ieſu.

504. Hinc Abulenſis *q. 7. in c. 20. Exodi*, nomen Iesv maius, ſanctius ac venerabilius exiſtimauit, quam ſit nomen Dei tetragrammaton, Iudæis ineffabile, vulgò *Iehoua*; & abſolutè, quàm ſit nomen Dei. Cuius quidem ratio eſt, quia Deus ſignificat Deum Dominum & Creatorem; Ieſu verò eundem Redemptorem ac Saluatorem deſignat. Cùm ergo maius beneficium ſit opus Redemptionis, quàm creationis, *nihil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*, vt in benedictione Cerei Paſchalis ex S. Gregorio canit Eccleſia: ideo nomen Iesv, quod redemptionem, ac Redemptorem ſignificat, maius eſt, quàm Dei nomen, quod tantùm creationem & gubernationem deſignat. Adde quod in nomine Iesu nomen Dei includitur, redemptio enim præſupponit creationem, & Creatoris poteſtatem includit: non verò *Iehoua*, ſeu nomen Dei præcisè ſumptum; ſiquidem prius in poſteriori, & non poſterius in priori continetur. Deinde Deus & Iehoua ſignificant authorem naturæ, & orbis in eſſe naturali ſpectati opificem; Iesv verò authorem gratiæ, ſanctitatis principium, dotium ſupernaturalium collatorem, redemptorem ac glorificatorem, quæ munia nobiliora ſunt illis quæ in nomine Dei importantur, deſignat. Quare vt notat Cornel. à Lapide *Num. 13. 17. & in c. 2. ep. ad Philip.* nomen Iesv in nomine *Iehoua* repræſentabatur, & *Iehoua* erat quaſi ænigma Iesv; hocque nomen Iesv eſt declaratio nominis *Iehoua*: immò ſi literæ ſpectentur, nomen *Iehoſcua*, ſiue *Ioſüe*, quod idem eſt cum nomine Iesv, omnes nominis *Iehoua* literas includit, aliaſque proprias ſuperaddit.

Abulenſi. Nomen Ieſu ſanctius nomine Iehoua, & quare
D. Gregor.
Iehoua ænigma Ieſu.

505. Maiorem itaque Dei bonitatem & amorem, immò & ampliorem nobis exprimit miſericordiam nomen Iesv, quàm nomen Dei: indeque haud dubium accidit id, quod etiam notauit idem Abulenſis paulò ante quæſtionem 7. citatam, quod ex communi ac laudabili Eccleſiæ conſuetudine magis honoratur nomen Iesv, quàm nomen *Deus*. Cùm enim hominum amor maioribus beneficiis excitetur, ac ex maiori amore maior reuerentia, maiorque honor exhibeatur; nomen Iesv, hoc eſt Saluatoris, indulgentis, parcentis, redimentis ac infinite miſerentis, maiori reuerentiâ proſequimur, quàm nomen Dei creantis, gubernantis, tonantis & punientis. Deus enim vltionũ Dominus magis timetur: Deus autem pacis, & miſericordiæ, immò & pater miſericordiarum magis amatur. Vnde & Bernardus Deum hominem factum, & Ieſum magis amabilem prædicauit. Sic enim de Deo paruulo inter homines nato *ſerm. 48. in Cant.* loquitur: *Fateor, parua laus, quoniam parui laus; non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis; ſed paruus Dominus, & amabilis nimis.* Verùm ſi nimis, hoc eſt multùm amabilis eſt, multùm etiam laudabilis eſt, ſummoque honore proſequendus: ſi autem parua laus à Bernardo dicatur, parua eſt ob noſtram exiguitatem, parua eſt ob noſtram inſufficientiam, parua eſt ob noſtram debilitatem; ſed magna exigitur laus, ſicuti & maximus amor deſideratur ex magnitudine miſericordiæ, & ex immenſitate charitatis, quam pro nobis habuit magnus Dominus pro nobis paruus effectus. Vnde Ambroſ. *præfat. in pſalm. 35.* Deum incarnatione paruulum admirans, ait: *Magnus Dominus, & magnus puer, nec in carne magnitudinis ſuæ nomen amittit, cuius magnitudinis non eſt finis.* Cui concinit Auguſt. *in pſal. 95.* vbi de Chriſto paruulo recèns nato, ait: *Noli contemnere paruum, ſed intellige magnum. Paruus factus eſt, quia parui eratis. Intelligatur magnus, &c.*

Magis honoratur nomen Ieſu, quam nomen Dei
D. Bernard.
Deus homo factus eſt paruus Dominus, & amabilis nimis.
D. Ambroſ.
Eſt magnus Dominus, & eſt magnus puer.
D. Auguſt.

Paruus igitur pro hominibus Dominus natus eſt, ſed hac in paruitate magnum ſe exhibuit, quia magnam erga homines voluit miſericordiam exercere, factus ipſe non ſolùm miſericors, ſed etiam ipſa miſericordia. Vnde & hoc nomine à Pſalmiſta inſignitur, *pſal. 58. 18.* vbi Deum adiutorem ſuum ac ſuſceptorem, conſequenter & Redemptorem ſic alloquitur: *Deus meus miſericordia mea.* Quâ nomenclaturâ Deum pro nobis paruum factum, maximum appellauit; nullo etenim alio titulo Deum Liberatorem, Redemptorem, ac cuncta bona largientem valuit exprimere, quia nec ſapientiæ, nec potentiæ, nec juſtitiæ, nec alterius attributi appellatio ſummam, quæ in Deo eſt erga homines, bonitatem deſignare potuit; ſoli enim miſericordiæ hoc erat reſeruatum. Vnde Auguſt. in pſal. 58. *Non inuenit*, inquit, *impletus bonis Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſi miſericordiam ſuam.* Eodem etiam nomine Chriſtum vocauit Vates Euangelicus Iſaias 45. 8. dum eius in carne apparitionem poſtulauit. *Rorate*, inquit, *cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; ſeu vt alij legunt, *& germinet miſericordiam.* Cùm ergo non ſolùm miſericors, ſed etiam ipſa miſericordia Redemptor noſter amantiſſimus & nominetur, & ſit; eumque omnia alia diuina hæc miſericordia ſuperet attributa, adeo vt proprium Dei, & eius naturæ intimum cenſeatur miſereri, juxta illud Eccleſiæ, *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*; ſummamque, quâ pollet, potentiam miſericordia declaret, juxta illud, *Omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerendo manifeſtas*; nomine Iesv, quod ipſam miſericordiam ſonat, Deumque miſericordiam factum ſignificat, Saluator noſter maximus, optimus, ac potentiſſimus declaratur, nobiſque multùm amabilis & laudabilis, immò ex ſumma potentia terribilis, perhibetur. 506.

Eſt ipſa miſericordia.
D. Auguſt.
Nomen Ieſu miſericordiã ſignificat.

Hinc eſt quod cùm in culparum noſtrarum remiſſione, ac hominum peccatorum juſtificatione ſumma Dei potentia, bonitas, ſapientia ſimul cum infinita miſericordia eluceant, vt notat S. D. 1. 2. *q. 113. art. 6. 7. & 9.* peccati ſui remiſſionem, ac propriam juſtificationem à Deo propter nomen 507.

Dauid pro ſuo peccato à Deo propitiationem poſtulat, propter nomen ſuum.

ſuum Dauid enixè poſtulauit, pſal. 24. 11. *Propter nomen tuum*, inquit, *Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Vbi peccati ſui grauitatem Pſalmiſta exaggerat, vt maiorem miſericordiam excitet, & vberiorem à Redemptore indulgentiam obtineat. Dum enim ait, *multum eſt enim*, rationem oſtendit, cur ad nomen ſuum, hoc eſt ad ſalutem infinitam & ampliſſimam miſericordiam, vt veniam conſequatur, recurrat, dum dicit: *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis, &c.* quaſi dicat, vt inquit S. Thomas, propter bonitatem ſuam remitte mihi peccatum, ideſt ex ſumma bonitate, quâ Saluator optimus etiam indignis non vulgaria bona concedit, grauiſſimo peccato meo, quod minimè indulgentiam ſeu veniam meretur, propitiabitur, ſeu vt ibidem Dionyſij Carthuſiani gloſſa loquitur, *Propter nomen tuum*, ideſt *propter teipſum, & vt oſtendas diuitias miſericordiæ tuæ in me.* Vnde patet nomen infinitæ Saluatoris noſtri bonitati reſpondens nihil aliud quàm miſericordiam cæteras eius perfectiones includentem ſignificare. Cùm enim Saluatoris nomen proprium ſit IESV, quod omnem Incarnationis œconomiam declarat, & perfectam ſalutem deſignat, maximam etiam debet includere miſericordiam, & propter illam, ſeu ex illa, magnam miſeriam ſobleuare; hoc eſt, ingens ſcelus remittere. Sic enim tanto digna nomine præſtabit, & dum magna, ac ſe omninò digna patrabit hoc venerabile nomen, ab omnibus magnificabitur, coletur, adorabitur. Vnde & præfata Pſalmiſtæ exponens verba Card. Caietanus: *Decet enim*, inquit, *tuum nomen magna facere, & illud magnificari ex condonatione magni ſceleris.*

Dion. Carth.

508. Omnis creatura nomini Ieſu inclinatur, quia in illo ſolo ſalus hominis.

·Meritò ergo ante ſanctiſſimum, nobiſque ſaluberrimum Saluatoris nomen omnis inclinatur cum homine creatura, & vt loquitur Paulus Philip. 2. 10. *In nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*: quia ab illo ſolo omnis ſalus, & ſine illo nulla prorſus ſalus poteſt haberi. *Non enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, vt dixit Apoſtolorum Princeps *Act.* 4. 12. Cúmque omnibus perditis ſalutis author, & captiuis perfectæ libertatis aſſertor ſit gratiſſimus; nomen illum ſignificans, ac repræſentans ſi proferatur, vel audiatur, vel in codicibus exaratum videatur, non modicam confert lætitiam. Id teſtatus eſt Bernardus ſerm. 15. in Cant. *Ieſus*, inquit, *mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Etenim ſuauiſſimum hoc, ac venerabile nomen, dum profertur, dulceſcit in ore; dum auditur, modulatam harmoniam fundit in aure; & dum videtur ac legitur, inenarrabile gaudium in corde producit, quia ſcilicet vbique, & omni quo ſentitur modo ſalutem annuntiat, libertatem offert, & infinitam hominibus exhibet miſericordiam.

D. Bernard.

Ieſu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.

SECTIO II.

Chriſti Saluatoris miſericordia verè eſt vniuerſalis.

509. MIſericordiam in Chriſto ſecundùm effectum, néconon ſecundùm paſſionis affectum verè & formaliter reperiri, ſufficienter hactenus ex ſanctiſſimo eius nomine oſtendimus: debemus igitur doctrinæ ordine eiuſdem miſericordiæ veluti quantitatem explanare. Cùm enim ex dictis conſtet, qualis illa ſit, nempe vera, propria, & ſecundùm paſſionis affectum miſericordia, nunc ſupereſt, vt quanta ſit, oſtendatur; hoc eſt, an iſta, quam Saluator optimus ſuſcepit, miſericordia, quâ flagella non reſpuit, opprobria ſuſtinuit, ſpinas ſenſit, crucem pertulit, & mortem guſtauit, particularis ſit pro quibuſdam tantùm hominibus, vel vniuerſalis pro omnibus; & an omnes homines in hanc poſſint ſperare miſericordiam? Pro cuius reſolutione quæſtionis

510. Dico Chriſtum Dominum infinitam, & vniuerſalem habere miſericordiam in omnes & ſingulos homines, quorum IESVS, hoc eſt Saluator voluit appellari, illamque ſummam ad liberandos & ſaluandos homines bonitatem extendiſſe ad omnia loca & vniuerſas regiones, immò & ad omnem ætatem, omniaque vſque ad conſummationem ſeculi tempora. Tres partes complectitur hæc propoſitio, nempe miſericordiam Chriſti eſſe vniuerſalem in omnes homines, in omnia loca, in omne tempus. Singulæ ſingulis paragraphis patebunt.

Chriſtus Saluator omnium hominum, omnibus, omni tempore, omni loco miſericordiam offert.

§. I.

Chriſtus in omnes homines eſt miſericors.

511. MIſericordiâ Domini plena eſt terra, vt loquitur Pſalmiſta *pſal.* 32. 5. Ergo vbicunque diffunditur, ergo orbem replet, ergo ad omnes homines ſubleuandos & ſanandos extenditur: nullum enim reſpuit, qui omnes condidit, & vt omnes ſaluaret, è cœlis in terram deſcendit. Omnibus ſalutem attulit, immò & obtulit, omneſque qui illum, eiuſque gratiam recipiunt, ſalutem de facto conſequuntur. Vnde & *Ioan.* 1. 12. dicitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Hinc aduentus eius in carne Soli comparatur, quia ſicuti Sol omnibus indiſcriminatim luminis ſui pandit fulgorem, & ab illis tantùm qui claudunt oculos, non percipitur: ita & Chriſtus nulli hominum gratiæ ſuæ denegat claritatem, ſed cunctis ſpiritualis luminis, & vitæ ſupernaturalis ſubſidia profert. Sic enim Spiritus ſanctus Prophetæ calamo eius ex Virgine deſcripſit natiuitatem, Malachiæ 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Vbi Meſſias, ſeu Chriſtus, Sol juſtitiæ appellatur, non vt in illo ſeueritas, vel rigor juſtitiæ notetur, ſed vt illius in omnes æqualitas, immò & beneficentia innuatur. Iuſtitia enim ex Philoſophis, immò & Iuriſperitis, *virtus eſt ad alterum*, quæ proprium non reſpicit ſubiectum, ſed alienum, ad quod omninò ordinatur. Quod & Ambroſius attigiſſe videtur, dum ait: *Magnus juſtitiæ ſplendor alijs oritur, non ſibi.* Vnde ſicuti Chriſtus non ſibi, ſed nobis mortuus eſt, vt morte ſuâ perfectam nobis vitam largiretur: ita non ſibi, ideſt pro ſe, ſed pro nobis natus eſt, & lucidiſſimus veluti juſtitiæ Sol, ex intemeratæ Virginis vtero nobis exortus eſt, vt nobis infinitam miſericordiam exhiberet. Quare non ſolùm *Sol juſtitiæ*, ſeu vt Chaldæus vertit, *Sol puritatis*, ſed etiam vt quidam Interpretes legunt, *Sol benignitatis, Sol clementiæ, & Sol miſericordiæ* nobis natus eſt. Nam in pennis, hoc eſt in radiis ſuis ſanitatem omnibus attulit, & ſummam dum apparuit, omnibus benignitatem demonſtrauit. Nemini igitur ex ſe Chriſtus noxius exurit, nemini lethalis aduenit; ſed omnibus ſalubris & vitalis, omnibus ſanitatem, quam in pennis geſtauit, expandit diuinus ille Sol miſericordiæ.

Nulli Chriſtus hominē reſpuit, qui omnes condidit.

Sol juſtitiæ Chriſtus eſt appellatus, & quare.

D. Ambroſ.

Non ſibi, ſed nobis natus: non ſibi, ſed nobis mortuus eſt.

Sol eſt puritatis, & Sol clementiæ.

512. Hoc ipsũ docet Apoſtolus ad Titũ 2. 11. *Apparuit*, inquit,

inquit, *gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus*. Vbi nullum penitus à gratia, quam Saluator mundo attulit, excludit, ſed omnes tantæ miſericordiæ obiectum ac ſubiectum fuiſſe demonſtrat: omnibus enim patuit, & à nemine ſe ſubtraxit. Vnde non in propria domo, nec in propria vrbe, ſed extra mœnia Bethlehem ciuitatis Dauid: nec etiam in hoſpitio, ſed in ſtabulo omnibus, ac præſertim pauperibus & egenis peruio, ex puriſſima Virgine naſci voluit, ac in præſepio nemini ignoto, ſed vnicuique expoſito reclinari, vt ab omnibus facilè videretur, agnoſceretur, probaretur. Vnde & ſe florem non in horto concluſum, nec in angulo occultatum, ſed in medio agro omnibus notum ac reuelatum pronuntiauit, Cant. 2. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Nam vt loquitur Bernardus ſerm. 48. in Cant. *In horto flos clauditur, qui in campo exponitur*. Omnibus igitur expoſitus eſt pulcherrimus & ſuauiſſimus flos campi Christus Dominus, vt omnes vel tranſeuntes, vel ſuſpicientes & alliciat venuſtate, & odore ſuauiſſimo compleat, & delectet. Magnis peruius eſt, ac puſillis: Regibus pater ac ſubditis: Iudæis exponitur, ac Gentilibus: viris præſto eſt, ac mulieribus; nulluſque in orbe eſt, qui ad hunc florem non accedat, ſi vocationi, quam odore & pulchritudine vbique diffundit, obtemperet.

Omnibus benignitas eius apparuit, & ideo extra mœnia Bethlehem in ſtabulo cōmuni & omnibus peruio naſci voluit.

D. Bernard.

Eſt flos campi, & nō horti, quia non clauſus, ſed omnibus eſt expoſitus.

513. Floris titulo, quo ſe prophetico ſermone voluit Dominus inſigniri, optimè reſpondet quod à loco conceptionis ſuæ cognomen eſt aſſequutus; parum enim illi fuit IESV, hoc eſt Saluatoris nomine decorari: *Nazareni*, hoc eſt floridi, cognomine ſacratiſſimum ſalutis nomen voluit exornari, vt ſcilicet ſalus nominis flori cognominis coniungeretur; & ſicuti omnibus patet flos campi, & lilium conuallium, cunctis etiam manifeſtetur miſericordia Saluatoris, nullumque lateat ſalus, quæ in campo germinat, & in agro publico frondet, effloreſcit, & fructificat.

Alia occurrit ratio cognominis Nazareni: hac enim voce è Nazareth oriundus manifeſtatur, illamque ciuitatem Redemptoris fuiſſe patriam omnibus notum fit. Verum cur vt in vtero conciperetur Virginis, Nazareth elegit, qui vt ex illa naſceretur, Bethlehem Dauid ciuitatem aſſumpſit? Cur inſuper omnibus inuiſum oppidū Nazareth, vnde & Ioan. 1. 46. Nathanaël dixit, *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Bethlehem gratiſſimæ omnibus Dauid ciuitati prætulit: & quamvis in Bethlehem natus, non Bethlehemites, ſed Nazarenus voluit appellari. Sanè hoc fecit, vt omnibus hominibus in duas veluti turmas diuiſis, nempe Iudæis & Gentilibus, communem bonitatem oſtenderet, & vniuerſalem miſericordiam propalaret. Cùm enim Galilæa promiſcuè à Gentilibus & Iudæis habitaretur; nam dum Iudæi ab hac regione tranſlati captiui in Babyloniam ducti ſunt, à Perſide in Galilæam Gentiles, vt illam incolerent, à Rege victore Iudæorum miſſi ſunt: vnde ſucceſſu temporis factum eſt, vt ſimul Iudæi poſt reditum in Galilæam cum Gentilibus, qui in ea remanſerunt, habitarent. Hinc eſt quod Galilæa Gentium appellatur, Iſai. 9. 8. *Trans Iordanem Galilæa Gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, &c.* Vt ergo omnibus innoteſceret ſalutē ex eius aduentu omnibus hominibus, & Iudæis, & Gentilibus afferri, in prouincia vtrique nationi communi voluit incarnari, & ſtatim ex vtero Virginis in omnes miſericordiam effundere. Quod notauit S. Antoninus 4. *p. Theol. tit. 15. c. 9. §. 15.* *R. P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.* ex B. Alberto Magno: *In regione communi* (inquit) *concipi voluit, qui pro omnibus naſci voluit: non enim eſt Iudæorum Deus tantùm, ſed & Gentilium.*

In Nazareth incarnatus eſt.

Quia Nazareth Galilææ Gentibus & Iudæis communis eſt: & Christus pro omnibus, nēpe pro Gētibus, & pro Iudæis veniebat.

S. Antonin.
B. Alb. Mag.

514. Eandem ob rationem ſtatim atque in Bethlehem Christum Deum & hominem naturâ admirantæ virginalis partus effudit, paſtores adiit Angelus, & Saluatoris ortum eis ſignificans, gaudium non modicum, nec vulgare, non illis tantùm, vt ſingulare, ſed & omnibus vniuerſale annuntiauit. *Euangelizo* inquit Luc. 2. 10. *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid.* Vbi ſicut notat B. Albertus Mag. ibidem, diſcrimen ponit Angelus inter Chriſti & eius Præcurſoris natiuitatem; eadem enim angelicâ reſonante tubâ, pluribus in ortu Ioannis, omnibus autem in ortu Chriſti lætitia prænuntiatur. *Non enim* (inquit Albertus) *multi tantùm in natiuitate eius gaudebunt, ſicut in natiuitate Præcurſoris; ſed omni populo erit gaudium.* Verùm non tantùm omnes homines, ſed etiam omnes creaturæ ex Filij Dei Incarnatione, ac ex vtero Virginis aduentu incredibili exultatione lætantur. Quod Dauidis oraculo prænuntiatum eſt, *pſal. 95.* 11. Eccleſiæ vſu de primo Chriſti aduentu expoſito. Nam in officio natalis Domini, in 3. nocturni antiphona 2. præfata Pſalmiſtæ verba ſic diſponuntur: *Lætentur cœli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.* Vbi cœlorum nomine omnes ſpirituales, cœleſtes ac ſuperiores; terræ autem vocabulo, omnes ſublunares, inferiores, terrenæ, & corporeæ creaturæ intelliguntur. Rectè quidē; cùm enim vniuerſus in homine, qui eius compendium eſt, & *microcoſmos* appellatur, per Chriſtum reſtauretur orbis; ante eius faciem, dum in mundum, ipſum reparaturus aduenit, ſingulæ lætari debent, & exultare creaturæ.

Chriſto nato Angeli gaudium omni populo annuntiant, & quare.

B. Alb. Mag.

In Natiuitate præcurſoris multi, ſed non omnes gauiſi ſunt.

515. Hinc Doctor Angelicus 3. *p. q.* 1. *art.* 4. animaduertit, Chriſtum Dominum, quamvis ad delendū omne delictum in terram venerit, attamen principaliùs incarnatum fuiſſe ad tollendum peccatum originale, quod totius humanæ naturæ culpa eſt, & in omnes homines pertranſiit; quàm ad tollendum peccatum actuale, quod ſingularis perſonæ vitium eſt, vt ſcilicet in mundum veniens, præſertim ad deſtruendum peccatum vniuerſale, & omnibus cōmune, omnibus communiter bonitatem oſtenderet, & in omnes miſericordiam exerceret. Vnde & ſanctiſſimus eius Præcurſor, dum indice Chriſtum demonſtrauit, vt illius officium omnibus manifeſtaret, ipſum victimam puriſſimam, & innoxiam pro communi ſalute hominum immolandam appellauit, Ioan. 1. 29. *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Vbi Gloſſa ordinaria ex Beda deprompta dicit, *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi.* Hoc autem Saluatoris noſtri dignitatem non parum commēdat, eiuſque miſericordiam multùm extollit: nam cùm peccatum originale ſit maius extenſiuè, quàm actuale, quia in omnes homines propagatur, vt perfectior eſſet Chriſti miſericordia, eiuſque ad liberandum jugo peccati onuſtos charitas ardentior eſſet, debuit principaliùs ad delendum peccatum originale, quod eſt malum commune omnes inficiens, quàm ad deſtruendam culpam actualē, quæ malum eſt ſingulare, in terram deſcendere, ſicque maiorem charitatem exhibuit, & excellentiorem miſericordiam præparauit, quia illam in omnes communem diſpoſuit. Bonum enim commune, ſeu gentis, diuinius eſt & eminentius, quàm bonum particulare, ſeu vnius, vt docet Ariſtoteles

D. Thom.

Principaliùs venit Chriſtus ad delēdum peccatū originale, quia communius & vniuerſalius, quā actuale.

Gloſſa.

Bonum commune eſt diuinius bono particulari.

S. Thom.

lib. 1. Ethic. cap. 2. Ideoque vt notauit idem S. Thomas *ead. 3. p. quæſt. 40. art. 1.* non ſolitariam, ſed familiarem cum hominibus vitam Chriſtus debuit ducere, vt ſcilicet & veritati, ad quam manifeſtandam venerat, teſtimonium perhiberet, & homines à peccato liberaret, & omnes, ſicut paſtor oues perditas, quæreret, & ſicut infirmos medicus viſitaret, ac tandem vt omnibus fiduciam daret ad ſe accedendi. Vnde non ſolùm ipſe ad peccatores, ſed etiam peccatores ad ipſum abſque omni difficultate accedebant, ſicut legitur Matth. 9. 10. *Factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius.* Quia vt exponit Sanctus Hieronymus in Matth. cap. 9. tom. 9. *videbant publicanum à peccatis ad meliora conuerſum, locum inueniſſe pœnitentiæ, & ob id etiam ipſi non deſperant ſalutem.* Quare murmurantibus Phariſæis de vocatione Matthæi à telonio ad Chriſti ſequelam, reſpondit Dominus ibidem 13. *Euntes diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Quibus vtique verbis communem omnibus miſericordiam manifeſtat; iuſti enim ab ipſo iuſti ſunt, etſi à peccatis ad iuſtitiam non vocentur, quia ab eius miſericordia in iuſtitia conſeruantur, & vt in illa proficiant, adiuuantur: peccatores autem ab eo & à peccatis ad pœnitentiam, & ab iniquitate ad iuſtitiam vocantur, & in eius conſortium, immò & menſam, ac Apoſtolatum, in exemplum aliorum admittuntur.

Non ſolitariam ſed familiarem cũ hominibus Chriſtus vitã duxit, & quare.

D. Hieron.

Communem omnibus miſericordiam Chriſtus oſtendit.

516. Quis enim Solis in hæc inferiora non ſentit influxum? Quis eius ſplendore non colluſtratur? Quis eius virtute non viuit? Quis denique eius calorem fugit? Sol eſt Chriſtus Dominus, & Sol verus, intellectualis, benignus, qui lucem ſplendidam, & calorem purum ſanctumque omnibus longè latèque diffundit: nam eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt dicitur Ioan. 1. 9. Quis ergo ſpirituales eius influxus non recipit, aut eius fulgore non gaudet, vel denique eius calore non fouetur? Nullus vtique, niſi is qui & hanc lucem reſpuit, & eius ſplendorem rejicere non veretur. Vnde nullus eſt qui de Saluatoris bonitate conqueri poſſit, cùm miſericordiam ſuam, tanquam lucem omnibus exhibeat. Vnde Auguſtinus illud quod de corporali Sole ſcripſit Dauid, pſal. 18. 7. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, ad Chriſtum ſpiritualem miſericordiæ Solem traducens, in præfat. pſalm. inquit: *Cùm autem Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit vllum mortalium excuſare ſe de vmbra mortis; ipſum enim penetrauit verbi calor.*

Sicut Sol, omnibus cõmunis eſt Chriſtus.

D. Auguſt.

517. His omnibus addendum eſt, mortem Chriſti Saluatoris, quam ex ſumma erga homines miſericordia, & erga Patrem obedientia pertulit, pro omnibus hominibus ab eodem Saluatore amantiſſimo fuiſſe oblatam. In cruce etenim victima ſalutaris pro omni humano genere immolatus eſt, & fuit *propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, vt dicitur *1. Ioan. 2. 2.* quare Innocentius X. in conſtitutione quam edidit anno Domini 1653. pridie kalendas Iunij, hanc inter alias quatuor propoſitionem, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, falſam, temerariam, ſcandaloſam, immò & hæreticam declarauit. Cùm enim ex antiquiſſimo & communi Eccleſiæ vſu Chriſtus in hymnis Natiuitatis, Aſcenſionis, & feſtiuitatis omnium Sanctorum, Redemptor omnium appelletur, & ab Apoſtolo 1. Tim. 4. 10. *Saluator omnium hominum* nominetur, & paſſim in ſacris Literis hac decoretur nomenclaturâ, neceſſariò dicendum eſt, illum pro omnibus hominibus ex ſumma miſericordia natum, paſſum, ac mortuum fuiſſe.

Semetipſum in cruce pro omnibus obtulit Patri.

Innoc. X.

Pro omnibus mortuus eſt.

518. Quam veritatem, licèt de fide definitã à præfato Pontifice, non abs re hîc à nobis breuiter operæpretium eſt ſtabiliri. Primo quidem ex ſacris paginis, vbi Chriſtus pro omnibus & traditus & mortuus perhibetur. Rom. 8. 32. *Qui proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et 1. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt.* Quæ verba non tantùm pro generibus ſingulorum, ideſt pro aliquo ex quocunque genere, ſtatu, & conditione; ſed etiam pro ſingulis generum, hoc eſt pro ſingulis in indiuiduo, & in particulari, intelligenda ſunt; ita vt Chriſtus pro ſingulis in particulari mortuus ſit, & pro ſingulis in particulari mortem ſuam obtulerit. Quod ex modo loquendi Apoſtoli conſtat, ait enim: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, &c.* Vbi probat Apoſtolus, quod omnes, & ſinguli homines mortui ſunt, hoc eſt moriendi debitum contraxerunt in Adamo, ex eo quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ſed omnes in indiuiduo, & ſinguli generum in Adamo fuerunt, & debitum moriendi contraxerunt: ergo & Chriſtus pro omnibus in particulari, & ſingulis generum mortuus eſt. Quæ ratiocinatio notata eſt ab Auguſtino *lib. 6. aduerſùs Iulian. c. 4.* ad confirmandam veritatem, quæ nunc à nobis probatur.

Chriſtũ pro omnibus mortuum docet Scripturæ.

Pro ſingulis generum etiã mortuus eſt Chriſtus.

D. Auguſt.

519. Colligitur inſuper, pro omnibus & ſingulis mortuum fuiſſe, ex illo pſalm. 73. 12. *Deus rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Vbi Chriſtus à Propheta iuſtiſſimis ac conuenientiſſimis titulis decoratur: nam Deus dicitur, & Neſtorius qui illum creaturam dicebat, confutatur. Rex vocatur, & confunduntur Hebræi, qui Pilato reſponderunt, *Non habemus regem niſi Cæſarem*, Ioan. 19. 15. Illum teſtatur Propheta Deum ante ſecula, hoc eſt ab æterno, contra Arrium, qui illum incœpiſſe aſſeuerabat in tempore. Tandemque addit, *operatus eſt ſalutem*, vt illum Saluatorem prædicet, & Manichæum, qui ſalutem à Chriſto negabat, iuguler & confodiat. Verùm *in medio terræ* ſalutem operatum fuiſſe pronuntiat, vt ab eo, tanquam à centro ad omnem circumferentiam, in omnes homines ſalutem diffuſam fuiſſe ac propagatam demonſtret. Igitur *in medio terræ*, hoc eſt in Iudæa, quæ medium terræ dicitur, vt exponit ibidem S. Hieronymus; vel in Hieruſalem, vel etiam *in medio terræ*, ideſt, in communi, vt ibidem interpretatur Hugo Cardinalis, ſalutem operatus eſt, hoc eſt, cruci affixus Chriſtus, in ea omnem ſanguinem ſuum fudit, & mortem pertulit, vt pro omnibus & ſingulis illam mortem, tanquam redemptionem communem offerret; vniuerſum enim genus humanum in medio terræ crucifixus Dominus aſpiciebat (qui enim in medio poſitus eſt, æqualiter ab extremis diſtat, & iiſdem æqualiter appropinquauit,) & ſingulis hominibus ſalutem offerebat: vnde nomine terræ homines intelligit inclytus ille Carthuſiani Inſtituti author S. Bruno, qui *loc. cit.* ſic exponit, *in medio terræ*, ideſt hominum, qui terræ nomine ſignificantur.

Chriſtus operatus eſt ſalutem in medio terræ.

D. Hieron.

Variæ & pulchræ rationes & expoſitiones horũ verborum.

Hugo Card.

S. Bruno.

Sicut

In medio terræ, ideſt in medio hominum omnibus ſalutē offerens.

Sicut igitur Sol in medio cœli omnem aërem, immò & omnem terram illuminat; & in medio corporis poſitum cor omnibus animalis partibus motum, ſenſum, & vitales ſpiritus æqualiter elargitur: ita Chriſtus in medio hominum pro hominibus crucifixus, omnibus æqualiter ſalutem per ſuum ſanguinem obtulit, & morte ſua communem omnibus miſericordiam exhibuit. Quod enim in medio poſitum eſt, non alicui ſingulare, ſed omnibus circumſtantibus commune perhibetur. Quare & ipſe Deorum Dominus non judicat niſi in medio, vt eius juſtitia perfecta, æqualis, & omnibus communis oſtendatur. Vnde *pſalm.* 81. 1. dicitur: *In medio autem Deos diiudicat.* Quod S. Remigius exponens ait: *Nota quod dicit; nam qui eſt in medio, æqualiter à circumſtantibus videtur: & quia Deus communis eſt omnibus, rectè in medio poſitus dicitur.*

S. Remig. In medio Deus diiudicat, & quomodo.

520. Hinc Dauid, qui in commune aliorum bonum Rex ſtatutus eſt, in medio fratrum ſuorum à Samuele regalem excepit vnctionem: Saül autem, qui in proprium lucrum, in angulo vnctus eſt, ſicut notauit Gregor. Magnus *in lib.* 1. *Reg. cap.* 16. exponens hæc verba: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius,* 1. Reg. 16. 13. *In medio vngitur* (inquit) *vt ſe priuato amore non diligat, ſed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat. Vnde & Saül ſolus in extrema parte ciuitatis vnctus fuiſſe perhibetur. Quid eſt ergo, quod ſolus à ſolo inungitur, niſi quia de culminis poteſtate per amorem priuatum debebat intumeſcere?* Hæc Gregorius. Chriſtus igitur, qui in medio terræ paſſione ſuâ operatus eſt ſalutem, non priuatam aliquorum, ſed communem omnium & ſingulorum deſiderauit, & vt illam omnes aſſequerentur, labores omnes exantlauit. Quare mortem quâ moriturus erat ſignificans optimus Redemptor, dixit Ioan. 12. 32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Attraxit quidem omnia, licèt omnia non fuerint attracta: in quantum enim ex parte ſua eſt, omnes homines ad ſe vocauit, & accerſiuit; ſed non omnes vocationi obtemperarunt: qui enim peccatorum pondeꝛibus aggrauati importabile jugum non excuſſerunt, ſerui peccati remanſerunt, juſtitiæ reſpuentes libertatem: hi etenim illi ſunt, de quibus *Iob* 24. 13. dicitur: *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et Prou. 1. 24. *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.*

Greg. Mag.

Cur Dauid in medio fratrum, & Saül ſolus in extrema parte ciuitatis in Regem vnctus eſt.

Chriſtus attraxit omnia, licèt omnia non fuerint attracta.

521. Quamvis ergo multi pereant, & omnes de facto non ſaluentur homines; ex hoc tamen non ſequitur, Chriſtum pro omnibus non fuiſſe mortuum, & quorumdam dumtaxat eſſe Saluatorem, quia ex parte ſua omnia ad ſalutem ſingulorum requiſita ſuperabundanter præſtitit; *copioſa* enim *apud eum* fuit *redemptio*, vt dicitur pſalm. 129. 7. vnde Auguſt. *tract.* 14. *in Ioan.* exponens illud Ioan. 3. 17. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt judicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum: Ergo* (inquit) *quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſeruare non vult. Venit Saluator in mundum. Quare Saluator dictus eſt mundi, niſi vt ſaluet mundum, non vt judicet mundum? Saluari non vis ab ipſo? Ex te judicaberis.* Hæc Auguſtinus, qui *lib.* 2. *de Symbolo ad catechumenos, cap.* 8. expreſsè docet, Chriſtum pro omnibus reprobis, immò & pro crucifixoribus mortuum fuiſſe; ſic enim Dominum in die judicij loquentem inducit: *Videte vulnera, quæ infixiſtis; agnoſcite ìd latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen voluiſtis intrare.* Præterea Sancti Patres vno ore docent, Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum fuiſſe. Ambroſius *ſerm.* 8. *in pſalm.* 118. verſu 64. *Chriſtus* (inquit) *Redemptor, myſticus Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit.* Auguſtinus *in pſalm.* 108. de Iuda proditore loquens, ait: *Non agnouit pretium quo ipſe à Domino redemptus erat.* D. Epiphanius *hæreſi* 55. de Chriſto Domino inquit: *Pro toto quippe mundo ſe obtulit, ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe altare, ipſe Deus, ipſe homo, ipſe Rex, ipſe Pontifex, ipſe ouis, omnia in nobis pro nobis factus eſt, vt nobis omnibus omnibus modis vita fieret.* Itaque noua omninò doctrina, atque ideo falſa eſt dicere, Chriſtum non pro omnibus mortuum fuiſſe hominibus, cùm primi & antiquiſſimi Eccleſiæ Patres contrarium omninò doceant. Vnde & S. Leo *ſerm.* 8. *de paſſ.* Chriſtum non in templo, nec intra ſepta ciuitatis, ſed extra caſtra crucifixum docet, *vt noua hoſtia nouo imponeretur altari, & crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi*; hoc eſt, vt omnibus, qui in mundo ſunt, commune eſſet crucis Chriſti ſacrificium. Et *ſerm.* 11. *de paſſione*, inquit: *Pro omnibus impiis mortuo Domino, etiam Iudas in eo potuiſſet conſequi remedium, ſi non feſtinaſſet ad laqueum.*

521. Licet multi pereant, Chriſtus omnium Saluator pro omnibus mortuus eſt.

D. Auguſt.

Etiam pro crucifixoribus mortuus eſt.

Id docent Sancti Patres.

D. Ambroſ.

D. Auguſt.

D. Epiph.

S. Leo.

Denique ex Apoſtolo *Rom.* 5. 18. ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem. Nam vt *ibid.* 20. ſubditur: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Ergo ſicuti per delictum Adæ omnes homines morti addicti ſunt, ita & per gratiam, & mortem Chriſti omnes homines viuificati ſunt; vel efficaciter, vt electi; vel ſufficienter, vt reprobi. Ergo pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus, omneſque voluit Redemptor omnium ad ſalutem perducere. Contrariaque ſententia ab Eccleſia proſcripta maximè derogat immenſæ charitati Chriſti, qui vt loquitur Apoſtolus Rom. 4. 25. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: & conſequenter omnem aliorum hominum charitatem ſuperauit. Cùm autem erga omnes Chriſtiani viri debeant habere charitatem, & omnium hominum ſalutem deſiderare, atque illis velle bonum vitæ æternæ, vt docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 25. *art.* 2. & 6. poſt D. Auguſt. *lib.* 1. *de doctrina Chriſtiana, cap.* 30. vbi inquit, quod *cum dicitur, Diliges proximum tuum, manifeſtum eſt, omnem hominem proximum eſſe reputandum*: vnde Apoſtolus Philip. 1. 8. *Teſtis eſt* (inquit) *mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti*: & Auguſtinus ſerm. 60. de temp. *Si boni* (inquit) *tantummodò amandi ſunt, quid dicimus de Deo noſtro, de quo ſcriptum eſt, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret? Quid enim boni fecerat mundus, vt eum ſic dilexerit Deus? Omnes enim homines non ſolum malos, ſed etiam impios & originali peccato mortuos in anima Chriſtus inuenit; & tamen cùm tales eſſemus, dilexit nos.* Hæc Auguſtinus. Conſequenter igitur tenendum eſt, omnes & ſingulos homines dilectos fuiſſe à Chriſto, illumque pro omnibus mortuum fuiſſe, aliàs nec in illum rectè omnes homines ſperarent, nec illum diligerent. Quomodo enim in Chriſtum

522. Quod patet etiam ex Paulo.

Contraria ſententia damnata eſt ab Eccleſia, & derogat charitati Chriſti.

S. Thom. D. Auguſt.

Etiam malos & impios dilexit Chriſtus.

Alioquin non poſſent omnes in Chriſtum ſperare.

ſperabit,

ſperabit, & eius auxilio ſe adepturum vitam æternam credet, ſi nullum pro illo à Chriſto ei paratum ſit adiutorium? Si autem pro illo Chriſtus non eſt mortuus, nec vllum ei auxilium ad ſalutem præparauit. At quomodo Redemptorē diliget homo, niſi certò credat illum verum, ac perfectum liberatorem? Si autem pro aliquo non eſt mortuus Chriſtus, nec illius Redemptor dici poteſt: immò ex illa ſententia ſequitur, neminem debere Chriſtum pro ſe traditum diligere, nec eius auxilio vitam æternam ſperare, niſi ei fiat ſpecialis reuelatio, illum pro eo paſſum fuiſſe ac mortuum; quod planè impium eſt, & hæreticum: ſiquidem ex communi reuelatione facta Eccleſiæ, & ex atteſtatione ſacrarum Scripturarum tenemur omnes Chriſtum pro nobis incarnatum, paſſum ac mortuum diligere, & eius adiutorio ad vitam æternam conſequendam laborare, ac diuina mandata ſeruare: Vnde meritò Apoſtolus ſine vlla reſtrictione Corinthiis ſcripſit, 1. Cor. 6. 20. *Empti eſtis* (hoc eſt redempti eſtis) *pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

Nec deberēt omnes Chriſtum diligere.

523. Quare Doctor Angelicus, qui pluribus in locis Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum eſſe docuit, & præſertim *in 3. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. ad 2.* & *diſt. 20. quæſt. 5. art. 1. ad 1.* & *3. p. quæſt. 39. art. 5. ad 3.* & *qu. 46. art. 5. ad 3.* eadem *3. p. quæſt. 48. art. 2. in corpore*, ait: *Paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans fuit pro peccatis generis humani, ſecundùm illud 1. Ioan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi.* Vnde ingenti prouidentiâ mortem crucis elegit Dominus, non ſolùm vt in ligno quidquid Adam perdidit, Chriſtus inueniret, hoc eſt vniuerſum genus humanum, quod Adam peccato infecerat, morte ſuâ liberaret; ſed vt moriens in aëre, qui nemini priuatus aut ſingularis, ſed omnibus vbique extat communis, omnibus vniuerſale remedium ſanguinis ſui effuſione, & mortis tolerantiâ exhiberet, omniumque communis Saluator diceretur. Hinc S. Thomas *3. p. quæſt. 46. art. 4.* inter alias, quibus probat conuenientiſſimum fuiſſe Chriſtum in cruce mori, rationes quintam aſſignat, vniuerſalem ſaluationem mundi. *Quinta* (inquit) *ratio eſt, quia hoc competit vniuerſali ſaluationi totius mundi. Vnde Greg. Nyſſen. dicit, quod figura crucis à medio tractu in quatuor extrema partita, ſignificat virtutem & prouidentiam eius, qui in ea pependit, vbique diffuſam. Chryſoſt. etiam dicit, quod in cruce expanſis manibus moritur, vt alterâ manu veterem populum, alterâ eos, qui ex Gentibus ſunt, trahat.* Hæc S. Thomas qui *ead. 3. p. qu. ead. art. 10. ad 3.* in fine, ait: *Magis autem Ieſus crucifigendus erat in loco communi damnatorum, quàm iuxta ſepulchrum Adæ, vt oſtenderetur, quod crux Chriſti non ſolùm erat in remedium contra peccatum perſonale ipſius Adæ, ſed etiam contra peccatum totius mundi.* Quibus verbis Ianſenianum dogma, quod impugnamus, omninò confoditur.

Pluribus in locis expreſsè docet S. Thom. Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe.

Chriſtus pendens in cruce mortuus eſt in aëre, & quare.

Expanſis manibus moritur, vt alterâ manu Iudæos, alterâ Gentiles ad ſe trahat.

§. II.

Chriſtus Dominus miſericordiam ſuam in omnem locum effudit.

524. GLoriâ Domini plenum eſt opus eius. Eccl. 42. 16. Verùm quæ maior illius gloria, niſi eius miſericordia, quæ dum eius infinitam vbique bonitatem communicat, illuminet, cuius eſſentia eſt bonitas, longè lateque diffundit. Deus ergo miſericordiâ diffunditur in omnia opera ſua; quia in omnibus operibus ſuis, illa à miſeriis quibus premuntur eripiens, ſuam clementiam ac benignitatem oſtendit. Maxima autem Dei noſtri ex ſummo eius amore effuſio in verbi Dei incarnatione, & ad diuinam ac hypoſtaticam vnionem naturæ humanæ aſſumptione effulſit; tunc enim totus Deus in homine, & totus in Deo homo mirabili commercio, *non commixtionem paſſus, neque diuiſionem*, fuit; ita vt ex ineffabili hac vnione Chriſtus *perfectus Deus, perfectus homo in humana carne ſubſiſtens*, vbique fluuium pacis effuderit, ſuamque miſericordiam in omnem locum dilatarit.

Miſericordia maxima gloria Dei.

Vbique diffuſa, præſertim in incarnatione refulſit.

525. Planè *oleum effuſum nomen eius*, vt dicitur Cant. 1. 2. ſed vt loquitur Bernardus ſerm. 15. in Cant. *Quouſque? De Cœlo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Eccleſia, Oleum effuſum nomen ſuum. Effuſum planè, quod non ſolùm cælos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeo vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & dicat, Oleum effuſum nomen tuum. Ecce Chriſtus, ecce Ieſus: vtrumque infuſum Angelis, vtrumque effuſum in homines, & illos homines, qui computruerant tanquam iumenta in ſtercore ſuo; homines & iumenta ſaluans, quemadmodum multiplicauit miſericordiam ſuam Deus.* Et poſt pauca ſubdit: *Et quid mirum, ſi Sponſi effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? Nam ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Denique ait: Sicut aqua effuſus ſum. Effuſa eſt plenitudo diuinitatis habitans ſuper terram corporaliter, vt de illa plenitudine omnes qui corpus mortis geſtamus, caperemus, ac vitali odore repleri diceremus, Oleum effuſum nomen tuum.* Hæc Bernardus eleganter.

D. Bernard.

Nomen Chriſti Oleū effuſum, & quare.

Ipſe Chriſtus effuſus eſt.

Maxima igitur & Chriſti nominis, & perſonæ effuſio ex ſumma eius miſericordia vbique eius benignitatem effudit, ſimulque gloriam in omnia opera ſua mirabiliter dilatauit. Sed quam gloriam? Illam vtique, de qua ſcriptum eſt Oſeæ 14. 7. *Erit quaſi oliua gloria eius.* Etenim quaſi oliua Saluatoris gloria eſt, quia dum bonitatem, manſuetudinem, ac ſalutem, tanquam olei riuulos in omnem locum emiſit, tunc ſibi magnum ac glorioſum Saluatoris miſericordis titulum meritò comparauit. Vnde cùm apud omnes oliua miſericordiæ ac benignitatis typus exiſtat, & olei, & oliuæ nomine in ſacris paginis indifferenter Saluator inſignitur. *Ego*, inquit pſalm. 51. 10. *ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Verùm ne aliquis miſericordiam ſuam intra Dei domum, & non alibi putaret incluſam, ſe elegantem agrorum omnibus expoſitorum dicit oliuam, Eccl. 24. 19. *Ego*, inquit, *quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Cùm igitur oliuæ gloria ſit oleum abundanter effundere, ac per illud mirabiles, ac hominibus non ſolùm vtiles, ſed neceſſarios operari effectus; ſumma Chriſti gloria, quâ omnia eius opera replentur, eſt olei ſui, hoc eſt benignitatis, dulcedinis, ac ſalutis abundantes riuulos in omnes orbis partes longè lateque dilatare. Notat autem Abbas Mellifluus *ſerm. 15. iam citato*, in tribus olei & nominis, immò & ipſius Redemptoris conformitatem. *Eſt*, inquit, *proculdubio inter oleum & nomen Sponſi ſimilitudo. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, paſcit, & vngit: fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina.* 526.

Gloria Chriſti quaſi oliua, quia ex maxima eius miſericordia in omnes effuſa.

Chriſti & olei conformitates.

medicina, *&c.* quæ proſequitur mirabili ſtylo Bernardus, & in fonte videnda ſunt. Ex quibus liquet, Chriſtum Dominum miſericordiam ſuam, tanquam lucem, cibum, & medicinam vbique diffundere.

527. Vt autem in omnibus locis Chriſti Domini miſericordiam demiremur, illam in cœlis, in terra, & in inferis diffuſam eſſe, breuiter demonſtrabimus.

Miſericordia Chriſti in cœlis, & in inferis.

Miſericordia Chriſti in cœlis.

In cœlis igitur Saluatoris noſtri miſericordia effulſit, non ſolùm erga Angelos, quorum caput etiam Chriſtus eſt, vt docet S. Thom. 3. *p. q. qſt.* 8. *art.* 4. & quibus gratiam in creatione cum eſſe naturali conceſſit, & poſt elicitos erga Deum amoris & ſubiectionis actus, gloriam tanquam mercedem impertiit; & quorum inſuper ruinas in hominum liberatione, vt rebellibus ac è ſuo principatu deiectis Angelis ſuccederent, reparauit: ſed inſuper erga homines, quos ex ſumma miſericordia in cœleſtem patriam perpetuò regnaturos introduxit. Quamvis enim ex juſtitia immarceſcibilem æternæ vitæ coronam adulti homines conſequantur, vt ſuprà in expoſitione textus, quem illuſtramus, tetigimus, & innuit Apoſtolus 2. *Tim.* 4. 8. dum inquit, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex:* attamen hac in retributione Chriſti miſericordia maximè refulget. Tum quia omnia hominum merita, quæ in cœlis præmiantur, in gratia Chriſti fundantur, & ab ea procedunt. Tum quia omnes humanos conatus excedit copioſa bonorum operum merces; Deus enim præmiat vltra condignum, hoc eſt maiorem, & omnia merita excedentem coronam tribuit.

528. Similiter in inferis diuina lucet miſericordia, non ſolùm quia viuentes peccatores ex timore

Et in inferis.

gehennæ peccata fugiunt, & virtutem ſectantur; vnde & *pſalm.* 9. 18. dicitur: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum*, vt ſcilicet ex hac conuerſione ad æterni locum ſupplicij, & ex attenta tantarum conſideratione pœnarum meliores euadant, & prudentiores: vnde & idem Propheta pſalm. 54. *Deſcendant*, inquit, *in infernum viuentes*, ne ſcilicet deſcendant morientes, vt exponit Bernardus: nam vt loquitur Baſilius in cap. 11. Iſaiæ: *Timor judicis pædagogus eſt ad pietatem; timor inferni ducit ad cœlum.* Quo ſenſu etiam *pſal.* 57. legitur: *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Quod exponens S. Greg. *lib.* 18. *Mor. cap.* 13. ait: *In peccatorum morientium ſanguine juſti lauant manus ſuas, quia dum eorum pœna conſpicitur, conſpicientis vita mundatur.* Verùm etiam quia reprobi, & damnati mitioribus torquentur ibi pœnis, quàm eorum exigant peccata, quæ malitiam habent infinitam ex infinita dignitate obiecti, nempe Dei, contra quem ſunt perpetrata: in inferis etenim damnati citra condignum puniuntur, ſicuti Beati in cœlis vltra condignum ex Dei miſericordia præmiantur. Quod expreſſit Auguſtinus, ſiue quicunque ille author ſerm. 6. ad fratres in eremo. *Iuſtis*, inquit, *& iniuſtis, beatis & damnatis miſericordiam, & juſtitiam ſemper agit omnipotens Deus. Beatis cum dat gloriam, quam non merentur habere, quibuſcumque bonis commiſſis: & malis dat pœnam, quam maiorem merentur habere de malis commiſſis.* Vnde & ipſi damnati in mediis tormentis à diuina miſericordia conſeruantur. Nam vt dicitur pſal. 138. 8. *Si deſcendero in infernum, ades: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit dextera tua.* Vbi nomine manus, juſtitia; & per dexteram miſericordia Dei intelligitur: illa enim reprobum in præteritorum pœnam peccatorum in inferos mittit; hæc verò illum in inferis tenet, protegit & cuſtodit. Quare qui ibi aſperis torquentur pœnis, à miſericordia veluti ſuſtentantur, ita vt dicere poſſint: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Thren. 3.

D. Bernard.
D. Baſil.
S. Grego.
Quomodo juſti manus lauant in ſanguine peccatoris.
D. Auguſt.
Manus Dei juſtitiam, dextera miſericordiam deſignat.

529. Adde quod Chriſtus non paruam in inferis exercuit miſericordiam, dum ex illa iſtorum regione, quæ Lymbus Patrum dicitur, fideles omnes, qui ibidem tenebantur incluſi, magnâ potentiâ liberauit. At non tantùm potentiâ, ſed etiam præſentiâ ſuâ illos ex tenebroſo ac horrendo illo carcere eripuit; nam conſummato morte ſuâ Redemptionis humanæ opere, ad inferos deſcendere non recuſauit, vt juſtos, qui in aliquam illorum regionem deſcenderant, vſque ad cœlos exaltaret. Hanc deſcripſit miſericordiam Auguſtinus ſerm. de paſſione: *Clauis*, inquit, *corpus ſuum perforari non renuit, animam ponendo mortem ſuſtinuit, & carnem in ſepulchro repoſuit: & comitante ſecum animâ ad inferna deſcendit tenebrarum, & mortis principem colligauit, legiones illius perturbauit, portam inferni, vectes ferreos confregit, & omnes juſtos, qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſoluit, captiuos in libertatem reuocauit priſtinam, peccatorum tenebris excæcatos ſplendidâ luce perfudit.* Et poſt pauca ſic pergit Auguſtinus: *Ecce ſubitò innumerabiles Sanctorum populi, qui tenebantur in morte captiui, Saluatoris ſui genibus obuoluti lachrymabili cum obſecratione depoſcunt, dicentes: Aduéniſti Redemptor mundi: aduéniſti, quem deſiderantes quotidie ſperabamus: aduéniſti, quem nobis venturum lex nuntiauerat, & Propheta: aduéniſti, donans in carne viuis indulgentiam peccatoribus mundi, ſolue defunctos captiuos inferni. Deſcendiſti pro nobis ad inferos, &c.* Vbi ſummam Redemptoris noſtri miſericordiam etiam in inferis effuſam teſtatur.

Patres è lymbo miſericordiâ Chriſtus liberauit.
D. Auguſt.
Saluatori gratias agit in lymbo detenti.

530. Denique in cœlis, & in inferis Redemptoris noſtri ſplendet miſericordia, quia dum ſanguine ſuo cœlum per peccatum omnibus clauſum hominibus reſerauit, infernum illis in punitionem delictorum apertum obſerauit; nam cùm ex S. Thoma 3. *p. quæſt.* 39. *art.* 5. *ad* 3. per paſſionem Chriſti aperiatur cœlum omnibus, ſicut per communem cauſam apertionis cœlorum: ita per eandem paſſionem tanquam per communem redemptionem, & generalem à poteſtate diaboli liberationem infernus clauſus eſt, & obſeratus, nemini que paſſionem Chriſti ſibi per Sacramenta, & bona opera applicanti, ac in eius gratia perſeueranti aperitur. Vnde & Manaſſes Rex Iuda in oratione, quam captus in Babylone edidit: *Concluſiſti* (inquit) *abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo.* Nomen autem Dei laudabile & terribile eſt nomen IESV, ſeu Saluatoris: quod ſicut Angelos, & homines quos liberat, ſummopere lætificat, & eos ad diuinas laudes canendas excitat: ita & dæmones, quos vincit, & à terrarum orbis expellit imperio, vehementer terret & torquet.

Sanguine Chriſti cœlũ apertum, & infernus clauſus eſt.

Miſericordia Chriſti in Terra.

531. Præterea in terra Saluatoris noſtri miſericordia enituit: nec enim illam omnem cœli capere valent,

Digitized by Google

Chriſti miſericordia in terra micat.

valent, nimiſqne anguſti ſunt inferi, vt illam concludant. In terram vniuerſam extendit illam Dominus, & in ea illius ſedem collocaſſe videtur, dum & ipſe in terram deſcendit. Terræ coniunctus eſt, & *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis*, vt dicitur *Ioan.* 1. 14. immò & plenum miſericordiæ; non enim Chriſtus gratiæ & veritatis plenus eſſet, niſi & miſericordiâ eſſet repletus: gratia enim, ac veritas eius, ſiue pro iuſtitia, ſiue pro eius ſanctitate interpretentur, miſericordiam inuoluunt, quia dum gratia, quam in nos effundit abundè, nos à peccatis liberat, & iuſtitiâ, ſeu ſanctitate exornat, omnem in nobis ſubleuat miſeriam, & omni nos ſpirituali bono ditat, ſiquidem impij iuſtificatio, quæ nobis ab eius gratia conceditur, maximæ eius miſericordiæ munus ac donum extat. Hinc eſt, quod Euangeliſta *ibid.* 16. ſubdit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quo loquendi modo ſummam in Chriſto miſericordiam indicat Ioannes, cùm ex illa nos miſeri à miſeriis euacuati replemur, & gratiam non modicam, non vnicam, ſed multam ac multiplicatam recipimus.

Iuſtificatio impij, maxima Dei miſericordia.

D. Bernard.

Vnde Bernardus *ſerm.* 5. *de Aſſumpt. B. Mariæ*, præfata verba exponens, inquit: *Ex quibus verbis innuitur, quod triplicem gratiam diuinitus accepimus; vnam quâ conuertimur, aliam quâ in tentationibus adiuuamur, tertiam quâ probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: ſecunda prouehit, quâ iuſtificamur: tertia conſummat, quâ glorificamur. Et prima quidem beneplacitum eſt: ſecunda meritum, tertia præmium.* Hæc Abbas Melliſtuus. Si ergo triplicem ex Chriſti plenitudine gratiam accipimus, & per illam à triplici miſeria ſubleuamur; per primam enim à peccati tum originalis, tum actualis, immò & ab infidelitatis miſeria eripimur; per ſecundam ab impugnationibus, tum exterioribus, à dæmone, à peruerſis hominibus, à ſeculo, à diuitiis, &c. inflictis, necnon interiori pugnâ à fomite, & concupiſcentia liberamur, ſicut etiam à propria indigentia ac egeſtate ſpirituali, dum per illam gratiam recipimus, aduerſarios vincimus, & meritis cumulamur; ac tandem tertia nos à mortalitate, & præſentis fallaciſque vitæ periculis, labore, & dolore eripit, & ad vitam inducit æternam: euidenter oſtenditur Chriſtum miſericordiâ & gratiâ ſimul plenum eſſe, cùm ex eius plenitudine noſtræ euacuentur miſeriæ, & ſpirituales diuitiæ in noſtris cordibus infundantur.

Triplex gratiâ Chriſto nobis miſericorditer collata. Prima eſt vocatio. Secunda iuſtificatio. Tertia glorificatio.

532. Verùm quid immoror, vt Chriſtum miſericordiâ plenum, ex illa mundum & hominem repleuiſſe aſtruam? Cùm ipſe ex ſacris Literis ipſa etiam miſericordia appelletur; ſic enim ſub nomine miſericordiæ à Pſalmiſta poſtulatus eſt, *pſal.* 84. 8. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Et *pſalm.* 47. 10. venturam Chriſti natiuitatem, tanquam præteritam idem Propheta proſpiciens, inquit: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Vbi Filium Dei in carne noſtra in templo aliquando offerendum ſecundùm legem Moyſis, ac ſi jam oblatus fuiſſet, *Dei miſericordiam* antonomaſticè nominauit. At in medio templi ſuſceptam fuiſſe commemorat, vt illam omnibus patêre, & neminem latêre demonſtret, quod obſeruat Bernardus ſerm. 1. de Purific. *In medio* (inquit) *templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diuerſorio;*

Chriſtus miſericordia in medio tépli ſuſcepta, quia in omnes partes ſe effudit.

D. Bernard.

quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum: in communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit. Hæc ille. Verùm tanta eſt, tantæque efficacitatis bonitas Saluatoris, vt non ſolùm vnam miſericordiam, ſed multiplicem nobis attulerit, ad multiplicem noſtram ſubleuandam miſeriam; vnde non ſolùm miſericordiæ, ſed miſericordiarum nomine decoratur. Et dum gentium Doctor Deum *Patrem miſericordiarum* appellauit, 2. *Cor.* 1. 3. non modò illum totius bonitatis fontem & originem ex intimo ſuæ eſſentiæ intellexit, ſed etiam genitorem Chriſti, qui in ſe omnem bonitatem collegit, omnemque complexus eſt miſericordiam, expreſſit: quod notaſſe videtur idem Bernardus ſerm. 5. de natali Domini: *Quare*, inquit, *Pater miſericordiarum? Apoſtolus nobis in vno Verbo, in Filio vno ipſam quoque duplicem miſericordiam commendat, Patrem dicens, non vnius miſericordiæ, ſed miſericordiarum; & Deum non vnius, ſed totius conſolationis, qui conſolatur nos non modò in hac, vel illa, ſed in omni tribulatione. Miſericordia Domini multa, ait quidam; quia videlicet multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Vnus eſt Dei Filius, vnum Verbum, ſed miſeria noſtra multiplex, non modò magnam miſericordiam, ſed multitudinem quæris miſerationum.* Hæc Bernardus.

Deus Pater miſericordiarum, ideſt Chriſti.

D. Bernard.

Omnem itaque miſericordiam attulit nobis optimus Saluator, & omnia ſubleuandi genera in ſe concluſit, qui verus veluti Sol ex immaculatæ Virginis vtero procedens, omnibus hominum languoribus perfectam in pennis ſuis portauit ſanitatem, ſuamque mirabilem curandi, ſubleuandi, ac benefaciendi virtutem vbique effudit, extendit, propagauit. Vnde & de eo legitur Luc. 6. 19. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Etenim ad eum, tanquam ad animarum & corporum medicum, immò & veluti ad omnium bonorum ſcaturiginem, & malorum omnium peremptorem accedebant; ipſeque verus bonitatis ac miſericordiæ Sol, radios ſuos in omnes vibrabat. Quod teſtatus eſt Petrus, dum de illo dixit Act. 10. 38. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* In hoc Solis corporei naturam & curſum imitatus: hic enim licèt rapidiſſimâ moueatur velocitate, ea quæ reſpicit, fouet, illuſtrat, ac fœcundat. Et quamvis in orbe terrarum velociter tranſierit Dominus, & breuiſſimo tempore inter homines fuerit conuerſatus; attamen omnibus, quos inter pertranſiit, & ſuo aſpectu eſt dignatus, ſpiritualia lumina fudit, gratiam obtulit, diuina myſteria reuelauit, eoſque ingenti miſericordiâ à dæmonis poteſtate, errorum tenebris, ac importabili peccati jugo voluit liberare. Quod etſi toto vitæ curſu, ac præſertim tribus circiter vltimis vitæ ſuæ annis præſtiterit; in paſſione ſua tamen abundantiùs ac copioſiùs id eſt operatus: tunc enim à terra exaltatus omnia ad ſe attraxit, qui vt omnibus benefaceret, & redemptionem daret, patiebatur. Hanc aſpiciebat Saluatoris paſſionem, eamque tempus miſerendi appellauit Propheta *pſalm.* 101. 14. dum dicebat: *Tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.* Cùm enim tunc Dominus omnem noſtram miſeriam in ſuo corpore ſuſceperit, maximam proculdubio nobis miſericordiam manifeſtauit. Verè enim languores noſtros in cruce ferens, & dolores noſtros portans, vtroſque in ſuo ſanguine extinguens, nos ab illis 533.

Omnem nobis Chriſtus attulit miſericordiam.

Omnibus benefecit Chriſtus, dum in mundo viueret.

In cruce omnia ad ſe traxit, quia tunc tempus erat miſerendi.

miſericor-

miſericorditer liberauit. Sed quia pro omnibus omninò paſſus eſt hominibus, qui in omnibus terræ partibus erant, vel fuerunt, vel erunt; ideo in omnē locum ſuam miſericordiā dicitur effudiſſe.

534. Agnouit hoc myſterium Rex ille, ex cuius ſemine ſecundùm carnem ortus eſt Chriſtus, & cuius filius non dedignatus eſt appellari. Diem enim paſſionis eius mente præuidens, exclamauit pſal. 118. 64. *Miſericordiâ tuâ Domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.* Quod exponens Ambroſ. ſerm. 8. in eund. pſalm. num. 8. *Quomodo* (inquit) *miſericordiâ Domini plena eſt terra, niſi per paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam futuram præuidens, quaſi præmiſſam Propheta concelebrat? Prophetis autem ea quæ ventura ſunt præuidentibus moris eſt, vt quaſi iam decurſa memorentur, quæ poſterioris ætatis ſunt. Plena eſt ergo terra miſericordiâ Domini, quia omnibus eſt data remiſſio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur; & hic quidem Sol quotidie ſuper omnes oritur: myſticus autem Sol ille iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, omnibus reſurrexit. Ideo autem paſſus eſt, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe defraudat, vt ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat, non ideo Sol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudauit; ſed quod Solis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat; quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit. Super omnes pluuia eſt, & hoc diuinæ miſericordiæ deputatur, quia pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Hactenus Ambroſius.

D. Ambroſ.

Chriſtus Sol omnibus venit, paſſus eſt, & reſurrexit.

535. Cùm ergo paſſionis ſuæ virtutem in omnem locum Saluator extenderit, eamque vbique terrarū annuntiandam mandauerit, quod & Sancti Apoſtoli, aliique Euangelici Prædicatores magno charitatis ardore præſtiterunt, vbique diuinam Chriſti miſericordiam fuiſſe effuſam nemo non videt. Hinc omnes orbis partes, quæ antea idolis & dæmonibus ſeruiebant, eliminato inanium Deorum cultu, Deum viuum & verum adorauerūt, & chriſtianæ fidei ſplendoribus colluſtratæ, Chriſtiano nomine inſignes euaſerunt, & Chriſti miſericordiā ſuſceperunt; nullusque orbis, vel in terra, vel in mari eſt angulus, nullàve regio, vel inſula, quæ Chriſtum Saluatorem, crucifixum ac paſſum pro hominibus non audierit. Etenim in omnem terrā Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum exiuit ſonus, & in fines orbis terræ verba eorum: omneſque gentes, populi & nationes illos audierunt prædicantes Chriſtum crucifixum, Dei virtutem & ſapientiam, immò & miſericordiam; ita vt non ſolùm Iudæi, ſed etiam Gentiles omnes, etiam ipſi Barbari & Scythæ, aliique feri, agreſtes & immanſueti populi magnam Dei in Chriſto miſericordiam, benignitatem, & humanitatem cunctis apparuiſſe didicerint. Verùm quis hoc inficiabitur, cùm Chriſtus Dominus ſit *ſpes omnium finium terræ, & in mari longè*, vt legitur *pſal. 64. 6.* Etenim non ſolùm in vniuerſa terra, ſed etiam in omnibus maris inſulis nomen eius annuntiatum eſt, & fides propagata. Quare Chriſtum per crucem ſuam, tanquam per ſignum in nationibus eleuatum, ex omnibus orbis partibus Eccleſiam ſuam ex omnibus populis congregaturum vaticinatus eſt Iſaias c. 11. 12. de Saluatore ſic loquutus: *Leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Vbi D. Baſilius per illud ſignum intelligit Domini crucem, quæ quatuor partibus diſtincta, orbem quatuor partibus diſtinctum per crucem ſaluandum exprimit. Leuauit ergo Chriſtus ſignum, hoc eſt crucem, in nationes, *vt hac ſignificatione* (inquit Baſilius) *omnes mundi partitiones per eas ſanctæ crucis partes ad ſalutem diſpenſentur.*

In omnem orbis partem Euangelij prædicatione Chriſti miſericordia effuſa eſt.

Chriſtus ſpes omnium finium terræ.

D. Baſil.

536. Nulla igitur natio, nulluſve populus, quantumvis ſceleribus ac criminibus contaminatus, ab infinita morientis Redemptoris miſericordia excluſus eſt: qui enim non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, vt omnes ſaluaret reos, crucis patibulū aſcendere, ac mortem in eo ſubire non dubitauit. Hinc eſt, quod mox natus à Iudæis ad Ægyptios Herodis ſæuitiam fugiens declinauit, vt ſcilicet ſalutem non vni tantùm Iudæorum genti, ſed & cunctis nationum populis, inter quos maioribus implicabantur criminibus Ægyptij, ex ſumma miſericordia attuliſſe manifeſtaret, ipſoſque peccatores ſuis ſceleribus pertinaciter adhærentes, ſicque à Domino fugientes ipſe fugiens homines ad ſe inæſtimabili bonitate reuocaret. Quod eleganter attigit Petrus Chryſologus ſerm. 150. *Sicut*, inquit, *natus eſt Chriſtus, vt repararet hominem; ſic vt fugaces reuocaret, aufugit: & ſi vt reuocet errantē ouem in montibus ipſe errat, quomodo ipſe non fugiet fugientes populos vt reducat?* Et infrà ſubdit ad Chriſti miſericordiam commendandam: *Rerum refugium fugit, auxilium lateſcit omnium, formidat fortitudo cunctorum, ſeſe vniuerſorum defenſio non defendit.* Hæc ille, quibus oſtendit Chriſtum Dominum ſummâ diligentiâ ac zelo peccatores quæſiiſſe, ac fugientes fuiſſe ſequutum, qui vt eorum miſereretur, ſui ipſius non eſt miſertus: & vt illos ad ſe, & ad bonam frugem reduceret, ſeipſum in eorum vtilitatem omninò donauit.

Cur Chriſtus mox natus in Ægyptum fugit.

Chryſol.

Fugit, vt fugientes populos reducat.

Vt hominum miſereretur, ſui ipſius non eſt miſertus.

537. Verùm cur primùm ad Ægyptios, quàm ad cæteros Gentiles Dominus properauit? Vt ſcilicet indignioribus benefaceret, grauioribus ſceleribus maculoſis indulgeret: & iis, qui ſemetipſum in plebe ſua Iudaïca cruciauerant, maiorem miſericordiam impertiret. Induratum Pharaonem, & populum ſuum ad ſacrificandum in deſertum non dimittentem, immò proteruè retinentem cum tota ferè Ægypto flagellauerat: adhuc plagis illis regio illa dum Chriſtus naſcebatur, languebat. Quid faciet optimus Medicus, & miſericors omnium Saluator? In Ægyptum mox natus mādante cœlo proficiſcetur, vt illam decem plagis vulneratam præſentiâ ſuâ ſanet in corpore, & illius incolis gratiam ad animarum ſpiritualem curationē offerat, ſicut notauit Chryſoſtomus, dum ait: *In Ægyptū mox natus, vt illam à decem plagis curaret, properauit.*

Cur primùm ad Ægyptios quàm ad cæteros Gētiles Chriſtus venit.

D. Chryſoſt.

In Ægyptū mox natus fugit, vt illā magis infirmam ſanet.

538. Sed non mirum, Chriſtum ad Ægyptios infenſiſſimos & ſui, & populi ſui hoſtes, vt illos ab omnibus plagis curaret, etiam in infantia properaſſe, cùm & ad proprios ſanctificandum crucifixores in mundum venerit, & omnem eum vita ſua fuderit in cruce cruorem. Magnus Medicus, qui de cœlo deſcendit, vt magnum in terra iacentem ſanaret ægrotū. Tantaque eius in omnes homines, etiam ſceleſtiſſimos, fuit charitas, & miſericordia, vt illis ſanguinem ſuum, veluti contra periculoſiſſimos morbos obtulerit medicamentum. Nam vt loquitur Auguſtinus in pſalm. 58. *Chriſtus ſic voluit mori, vt ſanguine ſuo effuſores eiuſdem ſanguinis redimeret.* Et in pſalm. 109. *Hoc etiam* (inquit) *valuit ad ægroti medicamentum, quod medicum occidit ægrotus. Venit viſitare, occiſus eſt, vt ſanaret.* Quod etiam proſequitur *ſerm. de verbis Apoſtoli*, vbi de Iudæis loquutus: *Illi*, inquit, *perditâ mente ſæuiebant, & medici ſanguinem ſæuiendo fundebant: hic autem etiam de ipſo ſanguine ſuo ægrotis medicamenta faciebat.* Hæc Auguſtinus.

D. Auguſt.

Sanguinem ſuum crucifixoribus obtulit medicamentū.

539. Si igitur in illorum, qui immaniter in eum ſæ-

uierunt, vtilitatem Chriſtus ſanguinem in cruce cum vita profudit, qui erunt homines, quos tanta fugit miſericordia? In quem locum copioſi tantæ bonitatis riuuli non effunduntur? Quam regionē, quamve orbis partem tam immenſa latebit redemptio? Nullam prorſus, & vbique Chriſtus ſummus animarum medicus & Saluator benignitatē ſuam expandit, vbique fidem ſuam propagauit, ac tandem vbique ex immenſa miſericordia regnū ſuum collocauit. Vnde ſicut omnes terrenos Principes clementiâ ac benignitate vicit; ita & poteſtate, & regni amplitudine ſuperauit. Illi enim in priuatis orbis regionibus, & ſupra ſingulares regnauerunt nationes: Chriſtus autem Saluator omnium hominum in vniuerſa terra dominatur, & omnes homines ſibi ſubiecit. Quæ ſubiectio licèt quotidie creſcere videatur in nouorum regnorum, ac populorum Eccleſiæ Chriſti aggregatiooe, quæ à tempore quo Luſiani ſub Henrico & Ioanne II. eorū Regibus, eorumque ſucceſſoribus, incognitis antea & gentibus & populis fidem Chriſti intulerunt, & à Chriſtophoro Columbo Ianuenſi, & Americo Veſpuccio Florentino, aliiſque nouæ inſulæ, nouaque regna inuenta, & à Regibus Hiſpaniarum, Angliæ, & Galliæ ſubacta, ac Chriſtianæ Religionis doctrinâ erudita, ac Fide illuſtrata ſunt, multùm aucta eſt; attamen primis Chriſtianæ Eccleſiæ ſeculis, & ipſo quo Tertullianus viuebat tempore, nempe anno Chriſti 202. toto orbe diffundebatur, vt ipſe teſtatur Tertullianus *lib. cont. Iudæos*, vbi Chriſti regnum omnium Regum, & populorum regnis confert, & ita præfert. *Salomon* (inquit) *regnauit, ſed in finibus Iudææ tãtùm à Dan vſque ad Berſabée: Babyloniis & Parthis regnauit Darius, non vltrà: Ægyptiis Pharao, ſed illis tantùm: Nabuchodonoſor ab India vſque ad Æthiopiam habuit regni ſui terminum. Alexander Macedo nunquam Aſiam vniuerſam, & cæteras regiones, poſtquā deuicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, Imperij ſui habent terminos. Chriſti autē nomen & regnū vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gẽtibus colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus, & Dominus eſt.* Hactenus Tertull. Cui concinit S. Hieronymus, qui *ep. 3. ad Heliod.* docet nomen Chriſti per vniuerſum orbē longè, latéque diffuſum, etiā apud feras ac barbaras nationes ſuauiſſimè reſonare. *Nunc* (inquit) *paſſionem Chriſti, & reſurrectionē cunctarū gentium & voces, & literæ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quos ſuæ crucis titulo Dominus dedicauit. Beſſorum feritas, & Pellitorum turba populorum ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi vna vox Chriſtus eſt.* Ita Hieronymus.

Omnes Reges vicit Chriſtus, quia vbique miſericordiæ ſuæ effuſione dominatur.

Tertull.

Chriſti regnum vbique diffuſum anno 202.

S. Hieron.

540. Planè non caſu, ſed ingenti prouidentiâ factum eſt, vt ſuper caput in cruce pendentis Saluatoris cauſa ipſius literis Hebræis, Græcis, & Latinis exarata poneretur, & in ea Rex Iudæorū, hoc eſt confitentium, diceretur; vt ſcilicet oſtenderetur, per paſſionem non ſolùm Hebræis, Græcis & Latinis Chriſtum dominari, vt jam ex Hieronymo notatū eſt; verùm etiam omnibus mundi gentibus ac nationibus, in illis tribus præcipuis linguis, cæterarū linguarum radicibus, magiſtris, ac matribus, adumbratis. Quod obſeruauit Cyrillus Alexandr. *lib. 12. in Ioan. c. 30.* vbi ait: *Diuinitus, vt ego puto, crucis titulus ſcriptus erat: omnium enim gentium regnum Chriſto attributum eſſe ſignificauit, vt omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruiant.* Daniel. 7. 14. *Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Phil. 2. 11. *Titulus igitur iſte per præcipuas linguas, omnium linguarum Ieſum futurum Principem prædicebat.* Hæc ille. Cùm autē Chriſtus populorum non ſit Princeps per paſſionem ſuam, niſi ſaluando, miſerendo, parcendo, indulgendo, immò & renouando; ita vt illos vitiis purgatos, ac ab erroribus liberatos fide illuſtret, gratiâ juſtificet, virtutibus exornet, ſpe roboret, & accendat, muniatque charitate; nam vt inquit Auguſtinus *tract. 50. in Ioan.* in fine: *Rex Iſraël Chriſtus eſt, quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quòd in regnum cælorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat*; quæ omnia ſummam Chriſti & charitatē & miſericordiam deſignant: ideo in omnem locū, omnemque orbis partem, etiam remotiſſimā, ſuam paſſionis virtutem ac miſericordiam Saluatorem effudiſſe certum omninò eſt, ac indubitatum.

Cur ſuper caput Chriſti in cruce Latinis, Græcis, ac Hebræis literis titulus exaratus eſt.

Cyrill.

D. Auguſt.

541. Huius rei teſtis eſt etiam illius iniqui Præſidis, qui nomine Cæſaris territus, relinquens judicium proprium, & in crimen tranſiens alienum, inſontē Chriſtum crudelium tradidit voluntati Iudæorū, mortique addixit, Pontij Pilati domus. In hanc enim vberem Dominus effundens miſericordiam, non ſolùm & illi iniuſto judici, & vxori eius ſe juſtum manifeſtauit; ſed etiam vxorem eius ad fidē vocauit, ac in fide firmauit, ipſamque Chriſtianis virtutibus exornatam, ad æternam vitam perduxit. Licèt enim viſio illa, quâ vxor Pilati tempore paſſionis Domini perterrefacta, immò & cruciata eſt, vnde & *Matth.* 27. 19. dicitur: *Sedente autem illo* (Pilato) *pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & juſto illi; multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*: à quibuſdā Expoſitoribus à dæmone immiſſa dicatur, vt mortem Chriſti ac ſalutem hominū, præcipua eius detrimenta impediret; vnde *intelligẽs Diabolus* (vt inquit Rabanus) *ſe per Chriſtum ſpolia amiſſurum, illum vult per mulierem liberare.* Nihilominus omnes ferè Sancti Patres, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, aliique, & Ianſenius in Concordia Euangel. contrariū cenſent, hancque viſionem à Spiritu ſancto, ad mentem mulieris huius illuſtrandā, immiſſam docent, ex qua illuſtratione poſteà in Chriſtum credidit, & æternam ſalutem eſt aſſequuta, vt docent Hilarius, Ambroſius, & Auguſtinus. Hinc eſt, quod Flauius Dexter in Chronico, *an. 34. n. 2.* de fide ac ſalute præfatæ mulieris luculentū profert teſtimonium. *Chriſtus*, inquit, *Saluator mundi reus apud Pilatum agitur: Claudia Procula vxor Pilati admonita per ſomnum in Chriſtum credit, & ſalutem conſequitur.* Et Græci in Menologio eiuſdē mulieris tanquā Sanctæ honorabilem faciunt mentionem; immò aliqui putauerunt hanc mulierē fuiſſe illam Claudiam, cuius meminit Paulus 2. *Tim.* 4. 21. dum inquit: *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.* Hi enim omnes Romæ, vbi hanc Paulus ſcripſit epiſtolam, commorabantur.

Chriſti miſericordia in domum Pilati.

Raban.

Viſio vxoris Pilati tēpore paſſionis Chriſti, à Spiritu ſancto.

D. Ambroſ.
D. Auguſt.
D. Hieron.
Ianſenius.

Hæc Pilati vxor ſalutē æternam fide conſequitur.

Flau. Dexter.

Illius mulieris meminit Apoſtolus.

542. At non in ſolam Pilati vxorem Chriſti miſericordia effuſa eſt: etiam in ipſum Pilatum transfudit eam Dominus, & ei à quo mortem accepit, vitam etiam æternam largiri voluit. Fidem enim, & gratiam eidem obtulit, ipſeque ſecundùm Auguſtinum illas accipere non recuſauit. Et quamvis Baronius *an. 41. num. 20.* exiſtimet, Pilatum ſibi propriâ manu mortem intuliſſe, dum exul Viennæ in Gallia ad ripam Rhodani ageret, vt etiam Ado Viennenſis Epiſcopus in Chronica id teſtatur: tamen S. Auguſtinus *ſerm. 21. de tempore*, qui eſt 3. de Epiphania, exponens illud Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.* docet Pilatum per fidem Chriſto inſertum, ac conſequenter Chriſtiaoum fuiſſe; ſic enim loquitur poſt præfata verba Matth. 8.

Pilatum fidē accepiſſe, & gratiam Chriſti, exiſtimauit Auguſtinus.

Nam

Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Vnde illi oriente, hoc eſt naſceme: ille autem occidente, hoc eſt moriente, atteſtabantur Regi Iudaorum, vt cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, ex quibus Iudai ducebant originem, recumberent in regno cælorum: non ex eis propagati per carnem, ſed eis inſerti per fidem. Hactenus Auguſtinus, cuius non leue eſt autboritatis pondus, & eoi ſi de præmiſſis fides detur, magnum profectò in Pilato Dei miſericordiæ miraculum coruſcauit, in hoc præcipuè, quod qui iniquè pium innocētis Ieſu cruorem fundendum iniuſto judicio mandauit, eiuſdē cruoris virtute à propriis delictis ablutus, in Chriſti myſticum corpus Chriſtianæ profeſſione doctrinæ inſeri meruerit. Tantam ergo Domini miſericordiam liceat nobis demirari, & cum D. Cypriano libello de bono patiētiæ exclamare: *Quid poteſt patientius, quid benignius dici? Viuificatur Chriſti ſanguine etiam qui effudit ſanguinem Chriſti.*

Mora Chriſti miſericordia.
D. Cyprian.

543. Nec tantùm in eis qui Chriſtum Dominum vel cruci addixerunt, vel fixerunt, Chriſti bonitas eluxit: etiam ſuper eos qui illum jam in cœlis regnantem in membris ſuis, putà Sanctis Martyribus, cruciauerunt, & ſuper eorum domos ac familias Saluatoris miſericordia copioſè fuit effuſa. Sæuiſſimos etenim & immaniſſimos Chriſtiani nominis perſequutores, bonorum & inſontium occiſores, ſuæque Eccleſiæ deſtructores quamplurimis beneficiis cumulauit, ipſiſque diuitias, corporis valetudinem & robur, immò & temporalium dignitatum culmina, Regna, Principatus, & Imperia tradidit, ſpiritualibuſque adiutoriis cùm Sanctorum Martyrum exemplo, patientiâ, ac innocentiâ, tum miraculorum oſtenſione, ac internis inſpirationibus eos ad bonum reducere, & à malo reuocare eſt conatus. Singulos quibus adeo magnam miſericordiam Chriſtus eſt elargitus, non vacat hîc referre: vnum aut alterum commemorabo, Decium nempe Cæſarem, & Diocletianum Auguſtum, crudeliſſimos Religionis Chriſtianæ hoſtes, quos veriùs carnifices Sanctorum, aut innocentium tortores, quàm Romanorum Imperatores dixerim. Primus namque, qui Eccleſiam dirè vexauit, & in eam ſeptimā perſequutionem, omnium præteritarum crudeliſſimam mouit, domum ſuam Chriſti fauoribus habuit cumulatam: eius etenim vxor Triphonia gratiâ diuinâ præuenta in Chriſtum credidit, omnibuſque chriſtianis dotibus exornata, mortalis huius vitæ curſu feliciter conſummato, migrauit in cœlum, cuius meminit Romanum Martyrologium ad diem 18. Octobris, bis verbis: *Roma Sancta Tryphonia, vxoris quondam Decij Cæſaris, qua in crypta juxta Sanctum Hippolytum ſepulta eſt.* Nec diſſimili fauore ſæuiſſimū, impiumque Diocletianum, qui per totum Romanum Imperium ferè toto orbe diffuſum Chriſtianos exagitauit, occidit, trucidauit, Dominus eſt proſequutus: dum enim crudeliſſimus Imperator Chriſtianam Religionem, quam ſuperſtitionem dictitabat, omninò delere vellet & laboraret, vxorem propriam immanis Principis Chriſtianæ fidei & Eccleſiæ ſuæ Chriſtus aggregauit. Serena hæc vocabatur, & Chriſtianorum Religioni addictiſſima, per eam quam eius vir penitus delere cogitauit, æternam & nullo fine perituram vitam & coronam adepta eſt. Vnde & in Eccleſiæ tabulis æternâ gloriâ donata perhibetur. In Romano Martyrologio die 16. Auguſti de ea ſic legitur: *Roma Sancta Serena vxoris quondam Diocletiani Auguſti.*

Infenſiſſimis ſui & Eccleſiæ ſuæ hoſtibus miſericordiam præſtat Chriſtus.

Triphonia vxor Decij, Chriſtiana & Sancta.

Serena Diocletiani coniux æternâ gloriâ donatur.

544. Quis ergo tantam Dei ac Redemptoris noſtri miſericordiā non demirabitur? Quis tantam non laudabit benignitatem? Fugientes ſequitur, odientes diligit, torquentes fouet, omne malum ſibi, ſuiſque, hoc eſt Eccleſiæ ſuæ inferentibus, bona etiam ſpiritualia exhibet: & dum iſti naturæ peruerſitate, & diabolicâ pertinaciâ bonum reſpuunt, malo immobiliter adhærentes, eorum vxoribus, tanquam virorum partibus, immò & corporibus, nam ſunt duo in carne vna, *Matth.* 19. 5. & jam non ſunt duo, ſed vna caro, *ibid.* 6. gratiæ ſuæ vbertatem infundit. Nec mirum, vbi enim eſt maior miſeria, ibi maior à Deo debet immitti miſericordia: vnde cùm Chriſtiani nominis hoſtes, & Sanctorum occiſores, Chriſti Domini redemptionem reſpuentes in fæcibus jaceant peccatorū, membra ſint Diaboli, à quo captiui tenentur, vt eius pareant voluntati: ideo magnam exigunt miſericordiam, & non vulgarem, vt liberentur, benignitatem requirunt. Cùmque *ſapientiam non vincat malitia*, vt dicitur *Sap.* 7. 30. hoc eſt, omnem humanam malitiam ſuperet diuina bonitas, nullumque ſit ita immane ſcelus, quod Chriſti ſanguine non diluatur, & cui eius infinita miſericordia non indulgeatur; ideo tyrannis, carnificibus, deſtructoribus, ac perſequutoribus Eccleſiæ redemptionem ſuam obtulit Dominus, & ſanguine, quem pro omnibus in cruce fudit, eorum domos aſperſit.

Vbi eſt maior miſeria, ibi eſt maior miſericordia.

545. Mirabilis planè fuit Regis Dauid erga filium Abſalon dilectio. Rebellis hic parenti, in quem maximam eius ſubditorum partem armauerat, à parente amabatur, & cunctis audiētibus curabatur, ac commendabatur hac voce, *ſeruate mihi puerum Abſalon*: 2. Reg. 18. Erat tunc inter patrem & filiū non paruus conflictus: ſed variis, ac omninò oppoſitis aggreſſionibus. In patrem filius inſaniâ, furore, ambitu ac crudelitate pugnabat: at contra filium ſapientiâ, manſuetudine, patientiâ & miſericordiâ bellabat pater. Notauit hoc Chryſoſtomus hom. de Abſalon: *Inde*, inquit, *furor, hinc pietas operatur: inde inſania, hinc miſericordia interponitur: inde crudelitas, hinc bonitas oſtentatur.* Hæc ille. Dauidem, à quo traxit Chriſtus ſecundùm carnē originem, perfectiſſimè imitatur: & licèt impij ac rebelles homines Abſalonis partes tenēres, contra optimum Redemptorem, eiuſque corpus myſticū fideles omnes, crudeliter inſurgant, incredibilique furant inſaniâ, attamen illos ſapientiâ, patientiâ, manſuetudine ac miſericordiâ ſeruare, & ad ſe reuocare conatur, ita vt cum Tertulliano *lib. 4. contra Marc. c. 5.* liceat exclamare: *O Deum non naturâ, ſed æmulatione beneficum.* Quod non dixit Tertullianus, quaſi Deus naturâ nobis non benefaciat, cùm eius natura ſit bonitas; ſed vt innuat, Deum non ſolùm ex natura ſua eſſe beneficum, ſed etiam ex æmulatione, ita vt qnories in eum homines peccant, & ex peccatis redduntur eius indigni muneribus, tunc prouocetur ex quadam æmulatione, vt quantò maioribus homines peccatis implicantur, tantò ab eo maioribus beneficiis cumulentur: maior enim in nos eſt Dei miſericordia, quàm noſtra in eum ſit malitia; nec enim vincitur à malo, ſed vincit in bono malum.

Abſalon in parentem malitiâ pugnabat: Dauid in ipſum bonitate bellabat
D. Chryſoſt.

Tertull.

Ita Chriſtus in peccatores.

546. Planè ita contigit in domo Caïphæ, vbi Chriſtus ligatus ante iniquum Sacerdotem ſiſtebatur: nam ibi Petrus ſui ac Domini oblitus, trinâ Chriſti negatione non parum deliquit; ſed ſtatim Dominus æmulatione beneficus, maiori miſericordiâ columnam titubantem erexit, petram ſicut ceram fluentem firmauit, ſolidauitque, & errantē

Mira Chriſti in Petrum negantem miſericordia.

Apoſtolum non ſolùm internâ gratiâ, ſed & exteriori aſpectu ad ſe reuocauit. Nam *reſpexit Dominus Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, &c. & egreſſus foras Petrus fleuit amarè*, vt legitur *Luc.* 22. 61. Nec minor Coapoſtolo eius Paulo miſericordia exhibita eſt; dum enim ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini Damaſcum pergeret, vt non parua mala Chriſti membris inferret, *ſubitò circumfulſit eum lux de cælo*, & tantâ Domini æmulatione benefici miſericordiâ repletus fuit, vt ex lupo agnus, ex Saulo Paulus, ex Chriſtianorum perſequutore Chriſtianorum Doctor & protector, ac denique ex Chriſti hoſte immaniſſimo, Chriſti dilectus diſcipulus & fideliſſimus aſſecla factus ſit.

Et in Saulũ perſequentẽ miſericordia.

547. Nec minùs ad æmulationem beneficus extitit Saluator erga alios, qui vel Chriſtianæ Fidei myſteriis illudebant, vel Chriſtianæ Religionis profeſſores vexabant: illos enim ſubitâ vbertimæ gratiæ infuſione, ac inſperatâ miſericordiâ ad ſe traxit, & tandem ad vitam æternam vocauit. Teſtis eſt ille Geneſius, apud Gentiles mimus, qui cùm Romæ in theatro, ſpectante Diocletiano Imperatore, myſteriis Chriſtianorum illuderet, à Deo inſpiratus, repentè conuerſus ad fidem & baptizatus eſt, ac mox quamvis Imperatoris juſſu fuſtibus crudeliſſimè cæderetur, aliiſque diriſſimis tormentis excruciaretur, conſtans in fide perſiſtens, ac magnâ & publicâ voce Chriſtum Regem & Deum confitens, capitis abſciſſione martyrio coronatus cœlum victor intrauit: cuius mẽtio habetur in Romano Martyrol. die 25. Auguſti. Teſtis etiam eſt Chriſtianorum ille tortor Cyriacus nomine, qui cùm Sebaſtæ Sancti Antiochi Medici ſub Hadriano Principe caput obtruncaſſet, & ex eo pro ſanguine lac manaret, & ipſe carnifex conuerſus eſt ad Chriſtum, & in eo diuinâ agente gratiâ martyrium ſubiit, vt in eodem Martyrolog. ad diem 15. Iulij refertur. Sed hoc antea teſtatus fuerat quiſque ille eſt, qui Pauli Apoſtoli Romæ ſub Nerone ceruicem abſcidit. Cùm enim eiuſdem Apoſtoli ſanguinem lactis ſpecie ſua in tunica excepiſſet, fidelis cum ſociis factus eſt. Quod eleganter expreſſit Chryſoſtomus *ſerm. de SS. Apoſt. Petro & Paulo*, apud Metaphraſtem menſe Iunio, Paulum Apoſtolum ſic alloquens: *Quiſnam locus tuum ſanguinem excepit, lactis ſpecie in eius, qui te percuſſit, tunica apparentem, qui animam illius Barbari ſupra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum ſociis.*

Chriſtiana myſteria irridentes miſericordiâ cumulantur, vt Geneſius.

Tortores Chriſtianorũ miſericordiâ Chriſti fideles & martyres effecti.

548. Quàm ergo immenſa Chriſti miſericordia, quæ nullum locum fugit, nullum hominem deſpicit, & ad omnes vbique exiſtentes ſe extendit. *Qui aliquando eratis longè, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti*, Eph. 2. 13. Quia ſcilicet paſſionis Domini & ſanguinis in cruce fuſi pro communi redemptione hominum virtus vbique diffuſa eſt, & remotiſſimos omnes, à Chriſto peccatorum auerſione ſegregatos, ad Chriſtum reducere tentauit, nullique niſi reluctantes ab hac gratia excluſi ſunt. Omnem locum per Apoſtolos, alioſque Euangelicos Concionatores peragrauit Dominus, vt in omnibus illis ouem perditam recuperaret, & omnibus notum ſit, nullum locum à Chriſti diſtare miſericordia, & cœlum omni parti vniuerſi æqualiter eſſe proximum, ita vt in ſolitudinibus remotiſſimis, & in omnibus vel terræ, vel maris angulis miſericordiam Domini omnibus præſto eſſe, optimumque paſtorem vbique diſperſas oues quærere, & vbique inuenire ſit certum. Quod aliquando expreſſit Gregorius Nyſſenus lib. 3. de pœnit. *Ad ouem* (inquit) *requirendam profectus, multas valles, ſaltuſque ſuperauit, magnos atque arduos montes tranſcendit in ſolitudinibus peragrando: multo cum labore tamdiu perueſtigauit, donec errantem inuenit: inuentam autem non verberauit, nec vrgendo vehementius ad gregem compulit: ſed humeris ſuis impoſitam, & leniter tractans ad gregem geſtauit.* Hæc ille. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, in omni loco Dei miſericordiam inueniri, & nullum in orbe hominem, vbicumque reperiatur, ad propriam ſalutem neceſſaria non habere. Vnde & Pſalmiſta inquit: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Pſal. 8. 2. vbi Græcè habetur, *quàm magnum eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Magnum autem nomen Dei eſt magna eius miſericordia: vnde 1. *Reg.* 12. 22. dicitur: *Non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum*; hoc eſt, propter ſuam miſericordiam. Vnde & Dauid pſal. 78. 9. *Propitius* (inquit) *eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.* Itaque in vniuerſa terra magnum nomen Dei admirabile eſt, quia vbique eius miſericordia reperitur; vbique enim miſeriam ſubleuat, peccatoribus indulget, errantes reuocat, contritos ſanat, & gratiæ ſuæ vbertatem rectis corde largitur.

Nullus locus à Chriſti diſtat miſericordia.

Greg. Nyſſ.

In vniuerſa terra magnũ eſt nomen Chriſti.

§. III.

Diuina Chriſti miſericordia in omne tempus extenditur.

Miſericordias Domini in æternum cantabo, pſal. 88. 2. Ergo & in omni tempore ſunt celebrandæ: ergo & in omni tempore à Deo effunduntur, & ab hominibus recipiuntur. Cùm enim æternitas ſit duratio tota ſimul, & ambiat omne tempus, omneſque eius differentias includat, vt docet S. Thomas, quæ in æternum, hoc eſt in perpetuum, laudantur & celebrantur miſericordiæ, in omni differentia temporis, & in præterito, & in præſenti, necnon & in futuro ſunt exaltandæ, ac canticis & laudibus proſequendæ, & conſequenter in omni tempore recipiuntur: non enim ab homine in omni tempore laudaretur diuina miſericordia, niſi ab eo omni tempore reciperetur: nam miſericordiam laudare ſpecialis Dei noſtri eſt miſericordia. Cùm enim non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo ſit, vt loquitur Apoſtolus 2. *Cor.* 3. 5. quomodo ex nobis abſque ſpeciali Dei adiutorio, & ſingulari miſericordia eius miſericordias celebrabimus. Hinc eſt quod Propheta os ſuum à Deo aperiri poſtulabat, vt eius laudes pronuntiaret: *Domine* (inquit) *labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Pſal. 50. 17. Nec tantùm labia ad Deum laudandum reſerari, ſed etiam laude repleri idem Propheta poſtulauit. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam.* Pſal. 70. 8. vel vt legit Eccleſia in introitu Miſſæ feriæ 6. infra Octauam Pentecoſtes, *Repleatur os meum laude tuâ, vt poſſim cantare.* Etenim nihil ſine prima poteſt cauſa ſecunda, quæ ab illa & in eſſe, & in operari dependet. Vnde ſine ſpeciali Dei concurſu nihil poſſumus, & eius miſericordiâ perpetuò indigemus. Quod apertè ex verbis Domini colligitur. *Sine me* (inquit) *nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. 5. Quod exponens Auguſt. in pſal. 30. inquit: *Domine, ſi ſine*

549.

Æternitas ambit omne tempus.

Miſericordiã Dei laudare magna eſt miſericordia.

Nihil ſine Deo poſſumus.

te

Digitized by Google

te nihil: ergo tecum omnia poſſumus. Homn etenim in ſe præcisè conſideratus, ſecluſo Dei auxilio, ad nihilum, ex quo diuinâ potentiâ eductus eſt, tendens in nihilum reducetur, & principio paſſiuo, ex quo prodiit, non diſſimilis, nec habet, nec poteſt aliquid. Si autem Deo omnis bonitatis fonti, immò & omnis entitatis oceano, vt à Damaſceno appellatur, coniungatur, eius cui coniungitur, virtutem participans, multùm, immò omnia poteſt. Quod & Paulus docuit, dum dixit: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Philip. 4. 13. Cùm ergo vt in æternum, hoc eſt in omni duratione temporis vſque ad ſeculorum conſummationem, cum qua & ipſum tempus finietur; & in omni duratione æternitatis à parte poſt miſericordiæ Domini laudibus ſint exaltandæ, illas à Deo in omni duratione temporis largiendas eſſe quis inficiabitur?

Omni tempore miſericordiâ fundit Dominus.

550. In omne igitur tempus diuina Chriſti extenditur miſericordia, quia & in omni præterito tempore à lapſu Adami vſque ad ipſam Chriſti incarnationem omnibus hominibus ſeſe obtulit, venturi Saluatoris fidem inſinuans, ſiue oraculis Prophetarum, ſiue myſticis Patriarcharum geſtis, ſiue externâ & publicâ, ſiue internâ & ſecretâ reuelatione, ſiue hoſtiarum pro cuiuſque ſoſpitate immolationibus, ſiue oraculis Sibyllarum, aliiſque pluribus, quibus non ſolùm Hebræos, ſed vniuerſum mundum docuit, futurum Redemptorem inter homines, ad omnem hominem liberandum. Vnde ſicuti poſt Incarnationem nullus ſaluatur niſi in fide Chriſti incarnati, ex Virgine nati, paſſi, &c. & omnis in hac fide poteſt ſaluari: ita ante Verbi incarnationem nullus ſaluabatur, niſi per fidem Chriſti venturi, omneſque vbique exiſtentes homines hanc fidem habere poterant. Vnde & Iob Gentilis in Chriſtum credidit; ait enim cap. 19. 25. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Aliique quamplurimi ex omni natione in venturum Meſſiam, ſeu Saluatorem credentes, eius miſericordiam receperunt, & per eam æternam ſalutem ſunt aſſequuti, vt docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. *ad* 3.

Omnibus hominibus fidem Chriſti venturi obtulit.

Iob Gentilis in Chriſtum credidit.

551. A tempore autem Incarnationis in omnem hominem, & mundi plagam Chriſti miſericordia effuſa eſt; vbique enim, & ipſo mandante diſcipuli illius, eorumque ſocij, ac ſucceſſores euntes in mundum vniuerſum, prædicauerunt Euangelium omni creaturæ, omnique homini viam ſalutis annuntiauerunt, & oſtenderunt Iudæis & Gentilibus, Græcis & Barbaris, Romanis & Scythis, cæteriſque omnibus Chriſtum Dominum Saluatorem miſericorditer pro omnibus paſſum, crucifixum & mortuum, vt paſſione & morte ſuâ impaſſibilem & immortalem vitam omnibus compararet. Ex quorum prædicatione in omnes mundi partes Dei miſericordia effuſa eſt, & omnis in Eccleſiam Chriſti mundus intrauit. Quod notauit Ambroſius ſerm. 12. in pſalm. 118. 90. *Verè*, inquit, *orbis terrarum in Eccleſia, in qua non Iudæus tantummodò, aut Græcus, non Barbarus, aut Scytha, non ſeruus, aut liber, ſed omnes in Chriſto vnum ſumus.*

Omnibus hominibus factâ incarnatione, fides Chriſti prædicatione Euangelij oblata eſt.

D. Ambroſ.

552. Ab hoc autem tempore vſque ad conſummationem temporis, & finem ſeculi, miſericordia Chriſti in omnes nationes per fidem Eccleſiæ ſuæ, quæ immobilis ſupra firmam petram fundata, omnes impetus inferorum deſpiciens, & ſuperans permanebit, longè latéque propagabitur. Propter hoc enim *clamabat* Chriſtus *in die magno feſtiuitatis, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ioan. 7. 37. Vbi notandum eſt, in die feſto, eoque maximo, nempe paſchali ſolennitate coram maxima multitudine clamaſſe Dominum, vt omnes, nullo dempto, vocaret, & ad bibendum inuitaret; ſed ad bibendum flumen aquæ viuæ, per tale flumen dulcedinem Spiritus ſancti intelligens, vt notat Euangeliſta, hoc eſt diuinæ gratiæ vbertatem, & maximæ ſuæ miſericordiæ affluentiam, ad quas à ſe tanquam à fonte hauriendas omnes incitabat. Vnde communem erga omnes in clamore Chriſti notauit Chryſoſtomus miſericordiam. *Clamat*, inquit, *propter turbæ multitudinem, vt ſcilicet ab omnibus audiretur.* Verba autem quæ clamando protulit Dominus, ponderans Caietanus: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Nemo excipitur*, inquit, *ſed cuilibet ſitienti ſpirituale bonum monſtratur fons, monſtratur iter ad fontem.* Fons autem Chriſtus eſt, & iter ad fontem bona eſt ad eum veniendi voluntas. Vnde Auguſtinus: *Si ergo ſitimus*, inquit, *veniamus non pedibus, ſed affectibus; nec migrando, ſed amando.* Quare non in principio, ſed in fine feſtiuitatis magnæ, cùm jam Dominus ferè per totam diem prædicaſſet, vocem eleuans clamabat, *Si quis ſitit, &c.* vt illis qui domos proprias, celebratâ feſtiuitate reuertebantur, altiùs in cordibus ſuis verba ſua imprimeret, & fortiùs ad ſalutem reuocaret. Immò tunc eis diſcedentibus ſpirituale quoddam ſermone ſuo viaticum præbuit. Quod etiam obſeruauit Chryſoſtomus, dum ait: *Cùm receſſuri eſſent domum, celebratâ feſtiuitate Dominus dat eis viatica ad ſalutem.*

Cur Chriſtus in magno feſtiuitatis die, clamãdo homines ad ſe inuitabat.

D. Chryſoſt.

Caiet.

D. Auguſt.

In fine feſti clamabat Chriſtus, vt proprias domos reuertentes altiùs in cordibus ſuis verba eius imprimerent.

Non ſolùm autem eos, qui clamantem Dominum in magna feſtiuitate audierunt, ad ſe vocauit, ſed omnes alios, qui vbique terrarum erant diſperſi, & ad finem vſque ſeculorum diſpergentur: ad omnes etenim loquutus eſt, loquitur, & loquetur, ſiue per ſe, internâ loquutione; ſiue externâ verbi ſui propalatione per Euangelicos Concionatores, ac diuinarum Scripturarum libros. Vnde Eccleſiam ſuam, quam vineæ contulit, per Apoſtolicos viros viſitare vſque ad mundi finem non deſinet. Sicuti enim ad excolendam vineam illam omni horâ, etiam vndecimâ, quæ vltima eſt diei, operarios miſit paterfamilias, vt legitur *Matth.* 20. ita ad Eccleſiam propagandam, & diuinam in fines orbis terræ miſericordiam diffundendam, omni tempore, omni ætate per diuini verbi ſatores, tanquam per fideliſſimos interpretes Chriſtus loquetur. Nam vt notat D. Greg. Magnus hom. 19. in Euang. *Vinea eſt vniuerſalis Eccleſia, quæ ab Abel iuſto vſque ad vltimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot Sanctos protulit, tot palmites miſit.* Et infrà ſubdit: *Ad erudiendam igitur Dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam ſuam, nullo tempore deſtitit operarios mittere, &c.* immò nec mittere deſinet, vt *oſtendat in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ*, quas incarnatione, paſſione, morte, ac reſurrectione in omnem terram effudit, & per Sacramenta tanquam per aptiſſima organa, & præſtantiſſima ſanguinis ſui, ſeu eius virtutis vaſa nunc effundit, & vſque ad conſummationem ſeculi omnibus non reſpuentibus effundet. Sicque in omnem differentiam temporis Chriſti miſericordia dilatatur; & ſicuti nullo loco clauditur, ita nec vllo tempore coarctatur. 553.

Omni horâ ad vineam ſuam, nempe Eccleſiam operarios mittit Dominus, & quare.

Greg. Mag.

§. IV.

Diuina miſericordia in omne tempus, & omnem cuiuſcumque hominis ætatem extenditur.

554. QVemadmodum autem in omnem mundi durationem, & omne, quo orbis vſque ad finem ſuum menſurabitur, tempus ampliſſima Saluatoris miſericordia extenditur; ita & in omnem cuiuſcumque priuati hominis ætatem, omneque cuiuſlibet tempus porrigitur; ita vt quilibet homo in omni duratione vitæ ſuæ, ſiue in infantia, ſiue in adoleſcentia, ſiue in iuuentute, & virili ætate, ſiue etiam in ſenectute, huius immenſæ miſericordiæ benignitatem poſſit recipere, & per eam, relicto veteris Adami piaculo, nouo adiuuante, in nouam transferri creaturam. Sicut enim in nulla ætate, nullóve tempore poteſt homo reperiri, quin ſemper omninò ſubdatur Deo, ſicuti cauſa ſecunda primæ ſubditur, filius patri, ſubditus Regi, & redemptus liberatori: ita nulla eſt ætas, in qua non poſſit Deus in hominem ſuam benignitatem effundere, eo modo quo cauſa prima poteſt ſemper influere in cauſam ſecundam, pater filium ſemper diligere, Rex ſubditum ſemper protegere, & liberator redempti libertatem aſſerere & conſeruare. Vnde Deus poteſt ad ſe gratiæ ſuæ infuſione ex ſumma miſericordia hominem adhuc infantem à peccato originali abluere, eiuſque animam ſanctitate ac virtutibus chriſtianis exornare: poteſt etiam adoleſcentem ardore ſanguinis ebullientem, venuſtate florentem, indomitatum feruori paſſionum, ac ſeculi pompæ fallaci inſeruientem, ſtillâ miſericordiæ ſuæ omninò mitigare, & ad amorem ſuum, & odium ſeculi omninò reuocare: quod etiam in virili ætate, ac ſenectute, quando ex carnis ac paſſionum debilitate humana ratio magis inualeſcit, abſque omni dubitatione præſtare poterit. Itaque nulla ætas Chriſto immatura, nullum tempus Chriſti miſericordiæ eſt ineptum, nulla adoleſcentia feruidior Saluatori, qui *imperauit mari, & ſtetit à feruore ſuo*: nulla iuuentus, nullaque ſenectus gratiæ obſiſtunt Redemptoris, qui iuuenum, & ſenum Dominus, humanam à ſenectute purgans naturam, eam in Spiritu renouauit. Omnis igitur ætas, omniſque hominis duratio diuinâ purgari poteſt miſericordiâ, atque Chriſto Domino Regi ſeculorum, aliquando mortali & viſibili, nunc autem immortali; viatoribus, dum in Eccleſia militant, inuiſibili; ſed Beatis in patria, immò & omnibus in die judicij viſibili, puro corde ac ſincera mente ſeruire.

In omnem cuiuſque hominis ætate Dei miſericordia porrigitur.

Poteſt Deus hominem ſemper diligere, & illius ſemper & in omni ætate miſereri.

Omnis ætas hominis Chriſto ſubditur, & eius poteſt miſericordiâ liberari.

555. Hinc eſt, quod *pſalm.* 22. 6. Dauid dicebat Domino: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ac ſi dicat, non tantùm vno die, vel vno anno, ſiue vna vitæ meæ ætate, hoc eſt, vel in pueritia, vel in adoleſcentia, vel in virili ætate, vel in ſenectute miſericordia tua ſubſequetur me, ita vt ſemel in me vno tempore effuſa, alio tempore à me recedat; ſed omnibus diebus vitæ meæ, hoc eſt omni tempore, omni horâ, omni inſtanti ego à tanta bonitate non deſerar, & ſemper me tua immenſa miſericordia ſubſequetur. Vnde Hieronymus præfata Pſalmiſtæ verba exponens, inquit: *Miſericordia Dei & præuenit, & ſubſequitur omnibus diebus vitæ meæ, quamdiu in hoc corpore dego.* Quod vtique beneficium non ſolùm Dauidi, ſed & omnibus conceſſum eſt hominibus; ita vt omnes omnibus diebus vitæ ſuæ, & omni quo in mortali corpore peregrinautur, tempore diuina miſericordia ſubſequatur.

Hominem Dei miſericordia ſubſequitur omnibus diebus vitæ ſuæ.

D. Hieron.

Mirabilis planè eſt humani corporis fabrica, quam in aluis maternis diuina manus operatur: ſed mirabilior animæ infuſio, vitæque communicatio intellectualis, quâ immortalis animus in carcere mortali conclusus diuina rimatur, cœleſtia penetrat, ſpiritualia ſcrutatur, inuiſibilia attingit, omniaque terrena moderatur. Sed à quo tanta collata ſunt homini, niſi à diuina miſericordia, quæ ſicuti vitam tribuit, ita & viuentem perpetuò comitatur, vt quam præbuit vitam, protegat & conſeruet. Expreſſit hoc patientiſſimus ille Princeps, qui Deum ſic alloquebatur: *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me: oſſibus & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi.* Iob 10. 10. & 11. Quid enim pellis & caro, oſſa & nerui, optimè in corpore humano diſpoſita & ordinata, ſine vita? Et quid vita ſine Dei miſericordia? Nihil prorſus, & vel in nihilum ſine illa tendunt hæc omnia, vel in puluerem corpus reuerteretur, ipſaque vita hominis euaneſceret, niſi à miſericordia omni tempore cuſtodiretur. *Sic enim oportebat*, inquit Gregorius lib. 9. Moral. cap. 29. *Niſi enim miſericordia ſubroget, ſeruari non valet vita, quam præbet.* Cùm ergo nec ipſa humana vita ſine diuina poſſit ſubſiſtere miſericordia, nullum hominis erit tempus, nullum vitæ illius inſtans, quod huic miſericordiæ non pateat, à qua poteſt homo à miſeria ſubleuari, & ad ipſum Dominum miſericordiæ fontem reuocari. 556.

Vita noſtra, & omne bonum eius à Dei miſericordia.

S. Gregor.

Sine Dei miſericordia nec vita noſtra ſubſiſtit.

Planè ita in omni humana ætate accidit, & de humano corde omnibus vitæ temporibus diuina miſericordia mirabiliter triumphauit, glorioſumque tantis victoriis non vnicum erexit trophæum. Placet hoc in ſingulis ætatibus oſtendere, & diuinæ miſericordiæ in infantes, adoleſcentes, viros, immò ſenes effuſionem breuiter demonſtrare; ita vt omnes homines, *iuuenes* ſcillcet *& virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen* Saluatoris; in eis, & *ſuper eos confirmata eſt miſericordia eius*, vt dicitur *pſal.* 148. 13. & 116. 2. 557.

In ſingulis hominis ætatibus Dei miſericordia lucet.

Ab infantibus exordiar, & in hanc primam vitæ humanæ ætatem diuinam effuſam miſericordiam haud difficile erit probare. Verùm taceo quod in Ieremia diuina operata eſt benignitas, quæ Prophetam antequam formaretur, agnouit; & antequam naſceretur, ſanctificauit, vt legitur *Ierem.* 1. 6. Taceo inſuper vberem Ioanni adhuc in vtero matris gratiam diffuſam, quâ coram Chriſto exultans, non ſolùm *illum antè geſtiuit nuntiare quàm viuere, antè rapuit arma, quàm membra; antè aciem petiit, quam lucem, & vt vinceret mundum, vicit ante naturam*, vt loquitur Chryſolog. *ſerm.* 91. ſed etiam *cùm eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem*, vt inquit Ambroſius *lib.* 2. *in Luc. cap.* 1. vt eos commemorem, qui in pueritia diuino miſericordiæ rore conſperſi fructus vberes protulerunt, & ad æternam vitam etiam martyrio pro Chriſto coronati peruenerunt. Inter quos, omnes illos, quos Herodis crudelitas Chriſtum volens occidere, trucidauit, prætermitto; nec immoror oſtendere, quod *profanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio.* 558.

Infantes Dei miſericordiâ ad Deum vocati.

D. Chryſol.

odio. Nam quantùm contra beatos paruulos iniquitas abundauit, tantùm in eis gratiæ benedictionis refudit, vt loquitur Auguſtinus *ſerm.* 10. *de Sanctis.* Hos enim tranſmiſit infantes *infans Chriſtus ad cœlum: noua xenia Patri, primitias fructuum exhibuit genitori, oſtendit futuram fœcundiſſimam meſſem, dum ſemine tantam martyrum exhibuit vbertatem*, vt ait Chryſoſtomus *hom.* 3. *in varios Matthæi locos.*

559\. Primus igitur, quem in infantia miſericordiâ Dei præuentum recenſebo, ille erit puer, qui apud Homeritas in ciuitate Nagran, cùm matrem ob fidem Chriſti ab impio Dunaao Iudæo tyranno incendio traditam videret, Chriſtum & ipſe balbutiendo, cùm tantùm quinque eſſet annorum, tanto animi ardore confeſſus eſt, vt nec blanditiis, nec minis potuerit retineri, quin & ipſe in ignem vbi mater ardebat, ſe præcipitem daret, in quo combuſtus martyr cum genitrice cœlum intrauit, vt teſtatur Martyrolog. Rom. die 24. Octobris.

Puer in ciuitate Nagran Spiritu ſancto inſtigante in ignem, vbi mater pro Chriſto ardebat, ſe dedit præcipitem.

560\. Cui ſubnectere licebit germanos illos, qui gemina veluti ſydera fidei firmitate, charitatis ardore, ac martyrij fortitudine Eccleſiam Chriſti in Hiſpania adhuc pueri illuſtrarunt. Vocantur hi Iuſtus & Paſtor, ex eiſdem carnalibus progeniti parentibus: ſed illos eadem fides & paſſio veriùs fecit eſſe germanos. Nam vt in eodem refertur Martyrolog. die 6. Auguſti, cùm adhuc pueri Compluti literis imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt: & mox à Daciano Præſide teneri juſſi, & fuſtibus cædi, cùm ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra ciuitatem perducti, à carnifice jugulati coronam juſtitiæ ex diuinæ vbertate miſericordiæ ſimul cum laurea martyrij receperunt. Similis gratiâ donatus eſt ſimilis nominis alius in Gallia puer Iuſtus: hic enim in territorio Beluacenſi in perſequutione Diocletiani ſub Rictio Varo Præſide cæſus, martyrij coronam promeruit, vt in eodem Rom. Martyrolog. die 18. Octobris narratur. Mitto alios quamplurimos pueros, & puellas, quos ingenti miſericordiâ in infantia ad ſe vocauit Chriſtus, alios ad ſeculi delicias, & carnis illecebras fugiendas inducens, alios ad martyrium roborans, alios ad virginitatem conſectandam, & carnem macerandam mouens, alios aliis viis ac modis mirabilibus attrahens: inter quos Agnes tredecim annorum virgo & martyr Romæ: Catharina octodecim annorum Alexandriæ, etiam virginitate, doctrinâ ac martyrio decorata; aliæque alibi innumeræ, Chriſti miſericordiæ affluentiâ irrigatæ ſeipſas & ſeculum vel ignorauerunt, vel reliquerunt, vel vicerunt, vt ſe totas Chriſto traderent.

Iuſtus, & Paſtor germani fratres martyrio coronati.

Alius puer Iuſtus nomine martyr.

Puellæ, Agnes, Catharina, & aliæ martyrio coronatæ.

561\. Adoleſcentes etiam diuina miſericordia ſubſequitur; nec feruida ætas Chriſti charitatis obſiſtit ardori. Plures hac in ætate viſitauit Dominus, eoſque *in manu potenti, ac brachio extento*, ſuâ agente miſericordiâ, è ſeculi turbinibus, errorum tenebris, ac paſſionum impetu eripiens, ſibi, ſuæque Eccleſiæ aggregauit. Multi ſunt, quibus tanta illuxit miſericordia: omnes illos longum eſſet recenſere. Vnus ponetur pro omnibus, & quod in iſto diuina operata eſt benignitas, aliis in omnibus ab illa patrari poſſe patebit. Verùm quis ille eſt, quem Dei vicit clementia, & miſericordia ſuperauit? Ille hic eſt, qui in Chriſtum, eiuſque aſſeclas toto pectore virus efflabat, qui Sanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat, qui à Principe Sacerdotum literas accepit, vt omnes, ſiue viros, ſiue mulieres Chriſti fidem ſectantes vinctos perduceret in Ieruſalem. Ille hic eſt adoleſcens, ad cuius pedes Stephanum lapidantes veſtes ſuas depoſuerunt, vt *qui omnium veſtimenta ſeruabat, tanquam in manibus omnium ipſum lapidare videretur*, vt ait S. Auguſt. Ille, inquam, eſt Saulus, qui cùm legis Moſaïcæ æmulatione Chriſti Eccleſiam deuaſtaret, à Chriſto de cœlo vocatus, & in terram proſtratus, ex perſequutore Chriſtianorum annuntiator factus eſt Chriſti, ex leone agnus, ex hoſte ferociſſimo manſuetiſſimus Chriſti diſcipulus, ac vas electionis euaſit, vt portaret nomen eius coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël. Hunc in ipſo ardore juuentutis (nam trigeſimum quartum ætatis ſuæ annum agebat, licèt adoleſcens vocetur *Act.* 7. quia Pythagoras ab anno vigeſimo vſque ad quadrageſimum extendebat adoleſcentiam, & Cicero *lib. de ſenect.* vſque ad ipſam ſenectam protendebat,) & indolis ferocientem, actuque furentem, in ipſo æſtu furoris diuina miſericordia inundauit, fregit & immutauit, vt ſicut loquitur Chryſoſt. hom. in acta Ap. *Oſtenderet potentiam ſuam, vincens & ſuperans perſequutorem in media inſania.* Sic enim medicum maximè admiramur, quando febrim, cùm infeſtior, & flammam morbi, cùm vehementior eſt, extinguere, & penitus abolere poteſt. De tenebris ergo ad admirabile lumen Chriſtianæ fidei, vt illam tanquam Doctor gentium nationes doceret, ingenti miſericordiâ tranſiuit Paulus: quod ipſe expreſsè profitetur 1. Tim. 1. 15. & 16. *Fidelis ſermo* (inquit,) *& omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Quod exponens Auguſtinus *ſerm. 9. de verbis Apoſtoli*, præfatis verbis Pauli ſubdit: *Vt dicant ſibi omnes, ſi Paulus ſanatus eſt, ego quare deſpero? Si tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego cur meis vulneribus illas manus non optabo, ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc dicerent homines, ideo Saulus factus eſt ex perſequutore Apoſtolus.* Hæc Auguſtinus, qui ea quæ hoc loco ſcripſit, non ſolùm dixit ac pronuntiauit, ſed etiam moribus, & vitâ comprobauit: nam & ipſe diuinâ agente miſericordiâ, non ſolùm ab erroribus Manichæorum, ſed etiam ab obſcœno delictorum juuentutis ardore ereptus, & ad fidem Chriſti & ſanctos Chriſtianorum mores conuerſus, trigeſimoquarto ætatis anno, Paſchali tempore Mediolani à S. Ambroſio baptizatus eſt, anno Chriſti 388. Valentiniano II. & Theodoſ. I. imperantibus, vt notat Cardinalis Baronius *an. Chriſti* 388.

Adoleſcentes diuinâ gratiâ cumulati.

Saulus adoleſcens potenti miſericordiâ ad Chriſtū conuerſus.

S. Chryſoſt.

D. Auguſt.

Paulo ſanato nemo deſperet.

Auguſtinus 34. ætatis anno, ad Chriſtum conuerſus.

Sexcenti alij ſunt, immò & innumeri, quos in juuentutis ardore, feruore ſanguinis, horrendis vitiis implicatos, ac multorum criminum labe maculoſos diuina Chriſti miſericordia vocauit, purgauit, ſanctificauit. Non recenſeo, breuitati ſtudens, ſed facilè ſigillatim patebunt Eccleſiaſticos annales & hiſtorias euoluenti. Sic enim diuina miſericordia fugientes ſequitur, vt illos ad Chriſtum reuocet, nec vſquam illis bona largiri prætermittit. Quod vtcumque expreſſum videtur in illis contra Dominum in deſerto murmurantibus, qui quantò maioribus diuinæ bonitatis 562.

afficiebantur

Digitized by Google

afficiebantur muneribus, tantò magis contra illorum bonorum largitorem ora laxabant, nec tamen propterea à Domino deſerebantur, ſed ab eo maioribus bonis cumulabantur. Vnde de eis ſcripſit Apoſtolus 1. Cor. 10. 4. *Bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petrâ; petra autem erat Chriſtus.* Vbi notandum eſt, ingratos, ſceleſtos, ac rebelles Iudæos à Chriſto ſpiritualiter potatos, tanquam à bonorum omnium fonte, non petram Chriſtum typicè repræſentantem ſequutos fuiſſe, ſed illos à petra, ſcilicet Chriſto, vel eius figura conſequutos fuiſſe, vt innuatur diuinam Chriſti miſericordiam etiam in fugientes, ingratos, ac ſceleſtos infundi. Vnde D. Ambroſius *in pſalm.* 36. inquit: *Illos igitur querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen non deſerebat Dominus, ſed ſequebatur.* Hæc Ambroſ. Quod vtique idem amantiſſimus Redemptor quotidie præſtat, gratiam ſuam hominibus omni vitiorum genere in iuuentutis ardore inquinaris offerens, ita vt omnes ſint inexcuſabiles, & Saluatoris noſtri benignitas & humanitas cunctis hominibus appareant.

D. Ambroſ.

Iudæos querulos & murmurantes diuina miſericordia non deſerebat.

563. At viris, ſenibuſque diuina Chriſti non deeſt miſericordia: Redemptor enim eſt iuuenum, & ſenum; illumque quem pro hominibus effudit ac obtulit in cruce cruorem, ac ſeipſum, communem pro omnibus hoſtiam ſalutarem immolauit. Virilis ergo ætas, ac ſenilis communi Chriſti Saluatoris miſericordiæ ſubiacent, & ab ea frequentiùs irrigantur. Vir erat Euſtachius, qui & Placidus, genere, opibus ac militari gloriâ inter Romanos inſignis, dum ſeſe in venatione exerceret: at dum fugientem miræ magnitudinis ceruum inſequeretur, vidit repentè inter conſiſtentis feræ cornua excelſam atque fulgentem Chriſti Domini è cruce pendentis imaginem, cuius voce ad immortalis vitæ prædam inuitatus, vnà cum vxore ac liberis Chriſtianæ fidei adſcriptus, cum illis poſtea pro Chriſto glorioſum, in taurum æneum coniectus, martyrium ſubiit. Vbi ſumma ſanè Redemptoris noſtri effulſit miſericordia, quâ hominem nihil de ſe cogitantem inuiſit, vocauit, juſtificauit, ac tandem per multas tribulationes cum domo ſua glorificauit.

Viri, & ſenes à Chriſto ſaluati.

Euſtachius dux ad fidem conuertitur mirabili modo.

564. In eadem ætate, at non diſſimili modo Chriſti miſericordiam expertus eſt Procopius Dux clariſſimus, qui adhuc Gentilis Neania vocabatur. Hic enim à Diocletiano Alexandriæ præfectus crudeliter in Chriſtianos ſæuiebat; & dum vt illos torqueret, iter faceret, inter fulgura, tonitrua, ac terræmotum ſplendidiſſimam inſpexit crucem, è qua pendebat Chriſtus, è cuius ore hanc reſonantem audiuit vocem, *Ego ſum Ieſus crucifixus Dei filius:* ac ſtatim tantam in eum gratiarum copiam miſericors Dominus effudit, vt etiam illum propriis manibus viſibiliter baptizarit, Procopij nomine impoſito, & tandem martyrio coronatum ad cœlum extulerit die 8. Iulij, anno 308. vt Romanum Martyrolog. Baron. ibidem, & anno citato, Metaphraſtes & Surius 8. Iulij teſtificantur; immò & Nicephorus *lib.* 7. *cap.* 15.

Procopius dux à Chriſto vocatus, & baptizatus.

565. Nec minorem in illum Andream Pariſienſem, Henrici Francorum Regis Ludouici VII. germani familiarem ſuæ miſericordiæ vbertatem effudit Dominus: cùm enim Deo inſpirante, S. Bernardi, eiuſque Clareuallis monachorum precibus ſubitò & ex inſperato, ſpretâ Regalis domus ac ſeculi pompâ, Henricus ad Chriſtum conuerſus, Ciſtercienſis habitum Ordinis ab ipſo Bernardo ſuſcepiſſet; id ægrè ferens Andreas, Henricum vocauit inſanum, conuitiis, & blaſphemiis nequaquam parcens. Cúmque Bernardum, vt pro ſimili Andreæ conuerſione oraret, Henricus obſecraret, ſanctuſque Abbas illum de Andreæ conuerſione certiorem faceret, id audiens Andreas, Bernardum falſum Prophetam appellauit, & eius falſitatem verborum ſe coram Rege, totaque Aula comprobaturum affirmauit. Attamen poſtquam alterâ die Andreas è Clareuallenſi monaſterio, in quo dominum ſuum relinquebat, non ſine malis precationibus diſceſſiſſet, ita illum Chriſti miſericordia ſubſequuta eſt, vt illum reluctantem, ac veluti contra ſtimulum calcitrantem omninò immutarit: nam ſequenti nocte victus, & quaſi vinctus, trahente ſe & vim faciente ſpiritu Dei, diem expectare non potuit, ſed exurgens ante diluculum, velociterque rediens ad monaſterium, alterum monachis Saulum, vel magis de Saulo altero Paulum alterum exhibuit, vt narratur *lib.* 5. *vita S. Bernardi*, *cap.* 3.

Mirabilis Andreæ Pariſini cõuerſio.

Porrò etiam ſenibus Chriſti offertur miſericordia. Maximam ſanè Simeoni glorioſo ſeni, dum ab illo in vlnis ſuis exceptus eſt, Saluator gratiam effudit; vnde & hic mortem lætus aſpiciens, cygneâ voce cecinit, *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, &c.* vt legitur *Luc.* 2. *à num.* 28. Nec diſſimilem Redemptoris noſtri ſenſit benignitatem *Anna Prophetiſſa*, quæ vidua vſque ad annos octoginta quatuor tantâ miſericordiâ donata eſt, vt Dominum Ieſum in templo oblatum viderit, ipſique magnâ voce confitens, de eo *loquuta ſit omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael*, vt dicitur *ibid. à num.* 36. Ab his ergo duobus ſenibus diuinâ miſericordiâ vbertimè perfuſis, ad omnes alios Chriſti benignitatem dilatari rectè colligitur; omnes enim homines redemit Dominus, nec tantùm in iuuentute, aut virili ætate, verùm etiam in ſenectute redemptionis ſuæ eis virtutem profert, maximè illis qui citiùs de eo non audierunt. Quamvis enim omni tempore diuina poſſit hominem juſtificare miſericordia; attamen qui ſemel eius benignitatem reſpuerunt, & obſtinatâ mente eius piis motibus contradicunt, non ſine magno labore in ſenectute ac fine vitæ ad eum veniunt. Vnde à Spiritu ſancto dictum eſt Eccl. 15. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum.* Quod hîc animaduertendum cenſuimus, ne quis ex doctrina noſtra errandi occaſionem arripiat. Dum enim dicimus, miſericordiam Dei adeſſe ſenibus, & vitam finientibus præſto eſſe, non vt otioſis, negligentibus, ac conuerſionem vſque ad extremum vitæ differentibus blandiamur, ſed vt infinitam, & nullo termino concluſam Chriſti miſericordiam demonſtremus, id aſſerimus. Vnde nulla huius conceſſionis miſericordiæ exempla conſultò proferimus, ne aliquis ex illis decipiatur, præſertim cùm hic noſter commentarius videndus ſit & euoluendus ab hominibus Chriſtianis, ſacro renatis ab initio vitæ fonte Baptiſmatis, & fidei veritatibus ab infantia illuſtratis, qui tenentur ad Deum quamcitiùs ſeſe conuertere, declinare à malo, & facere bonum, dum ſemel eis rationis vſus conceſſus fuerit; nec per conſequens ſenectutem expectare, vt Dei miſericordiam conſequantur, & à Deo ad meliorem frugem reuocentur. 566.

Senes gratiâ Chriſti cumulati.
S. Simeon.

Anna Prophetiſſa.

Difficilè in ſenectute cõuertũtur, qui in iuuentute noluerunt.

Tenentur Chriſtiani quamcitiùs ad Deum ſeſe conuertere, ſi ab eo defecerunt.

Tamen

Senes peccatores ne deſperent, ſed ſperantes diligentiſſimè vitam mutẽt, & ad Deum conuertãtur.

567. Tameo ſi aliqui etiam apud Chriſtianos inueniantur, qui in aliis ætatibus diuinâ miſericordiâ vocati, immò & juſtificati, ac deinde in peccatum lapſi in ſenectute conſtituti ſunt, hos in quantum poſſumus hortamur, ne propter commiſſa delicta deſperent, ſed omninò ſperent in Domino eius miſericordiam cum lachrymis enixè poſtulantes, eiuſque ad bonum inſtigationibus pareant, vt abjicientes opera tenebrarum, & induentes arma lucis, non ſicut in nocte, ſeu in ſenectute, ſed ſicut in die, hoc eſt in ſpirituali juuentute renouati ſpiritu mentis ſuæ honeſtè ambulent, currant, & ad ipſum æternæ gloriæ brauium feliciter perueniant. Miſericordia etenim Dei nunquam deficit, & ſenium fouet, ſimul & juuentutem. Hoc poſtulauit propheta, dum dixit pſalm. 70. 18. *Vſque in ſenectam, & ſenium Deus ne derelinquas me.* Quod & ſe aſſequutum fuiſſe teſtatur dum inquit pſal. 91. 11. *Et ſenectus mea in miſericordia vberi.* Cùm enim miſerias debeat miſericordia ſubleuare, vbi magnæ ſunt miſeriæ, ad illas tollendas diuina properat miſericordia. Cúmque ipſa ſenectus, quæ morbus eſt, non ſolùm corporis, ſed etiam animæ, quæ in actionibus, quandiu verſatur in corpore, ab organis pendet corporeis, non parua ſit miſeria, illi proculdubio dubio diuina ſuccurret miſericordia.

Sectio III.

Vtrum diuina in homines miſericordia menſuretur.

568. AMpliſſimam hactenus Dei miſericordiam in omnes homines, in omnia loca, & in omnem temporis durationem vidimus: ſupereſt nobis oſtendere, an vaſtiſſima hæc, vniuerſaliſque miſericordia certis quibuſdam menſuræ cancellis contrahatur, & limitetur; hoc eſt, an gratiæ, quas Deus ex ſumma hominibus concedit miſericordia ita ſint numeratæ ac menſuratæ, vt ad certum numerum redactæ conferantur hominibus, & illis ſemel collatis, homioes adhuc in mortali vita ſuperſtites nullas alias à Deo valeant expectare, quia jam gratiarum illis præparatarum numerus omninò eſt exhauſtus. Vnde liquet, nos loqui de gratia actuali, quâ à Deo excitamur per illuminationem externam & ioternam intellectus, & motionem ſupernaturalem voluntatis, v. g. ad credendum, vel diligendum Deum, non quidem motiooe efficaci quæ datur ad agere, & infallibiliter actum producit; ſed motione ſufficienti, quæ datur ad poſſe, & actum non producit, niſi motio efficax ſuperaddatur. Quamvis enim gratia, ſeu auxilium ſufficiens ſit efficax reſpectu illius actus, ad quem efficiendum ex decreto abſoluto diuinæ voluntatis deſtinatur; non tamen eſt efficax reſpectu præcipui actus, ad quem ex voluntate anteeedenti ordinatur. V.g. auxilium ſufficiens ad actum contritionis, producit efficaciter in homines pœnarum inferni, vel bonitatis diuinæ conſiderationem, attritionem, & alios actus imperfectos, qui regulariter contritionem antecedunt; non tamen ipſam contritionem, niſi auxilium efficax ex decreto abſoluto Dei ſuperaddatur, vt doeent Theologi *in tract. de Gratia.* Etenim gratia ſufficiens eſt auxilium ſufficiens ſimpliciter, & tantùm ſecundùm quid efficax. Senſus ergo difficultatis eſt, vtrum auxilia ſufficientia, quæ ex generali miſericordia, & voluntate antecedenti præparauit Deus omnibus, ita ſint menſurata & numerata, vt omninò à quibuſdam hominibus exhauriantur ante finem vitæ, vt ſemel illis exhauſtis, nequeant illi homines in Deum ſperare, tanquam eos penitus deſeruerit, & nulla ipſis valeat ad ſalutem auxilia tribuere.

Senſus quæſtionis.

Auxilium ſufficiens datur ad poſſe; auxilium efficax datur ad agere.

Dico igitur primò, miſericordiam diuinam eſſe infinitam & immenſam, nulloque termino concludi, ac conſequenter ex parte Dei auxilia ſufficientia præparata eſſe omnibus hominibus, vt poſſint omni tempore vitæ ſuæ ad Deum redire, & propriam ſalutem operari, ſi velint: nullamque in miſericordia Dei ponendam eſſe menſuram, quaſi peccatorum vita ipsâ Dei miſericordiâ ſit longæuior; ſed in omnibus inſtantibus vitæ peccatoris adhuc ei diuinam miſericordiam exhiberi. 569.

Miſericordia Dei eſt infinita, nullaque mẽſurâ clauditur, ſed ſẽper, & in omni tempore exhibetur.

Probatur primò ex Scriptura, pſalm. 22. 6. *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et pſalmo 135. 1. & per omnes illius verſus, qui numero ſunt vigintiſeptem: *Quoniam in æternum miſericordia eius*, hoc eſt, in omni duratione, in omni tempore, ac in omni inſtanti vitæ hominum diuina miſericordia eis ſuccurrere eſt parata. Et alibi ſæpe in aliis Scripturæ locis, quos longum eſſet recenſere, miſericordia æterna, & ab æterno vſque in æternum ſuper homines dicitur effuſa, ac conſequenter nullum tempus eſt vitæ hominum, in quo miſericordia Dei illos non protegat, & auxilia ad ſalutem ſufficientia exhibeat. Vnde Eccleſia in oratione pro gratiarum de acceptis beneficiis actione nullum numerum, nullamque menſuram in Dei miſericordia profitetur: *Deus*, inquit, *cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus.* Et *Iſai.* 55. 7. de Deo dicitur: *Multus eſt ad ignoſcendum.* Si autem perpetratis certis criminibus ac peccatis exhaurirentur omnes gratiæ ſufficientes, & nullam aliam à Deo poſſet homo ſperare per reliquum vitæ ſuæ tempus, non multus eſſet Deus ad ignoſcendum; nam eius bonitas ac miſericordia ab hominum peccatis vinceretur, & plura eſſent peccata, ſeu maiora, quàm eius ad ignoſcendum benignitas: ergo nullo numero, nullaque menſura eius miſericordia debet concludi. Vnde Fulgentius *epiſt. 7. ad Venant. cap.* 4. præfata verba exponens, inquit: *In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors.* Deeſſet autem aliquid, nempe potentia, & bonitas ad grauiſſima illa peccata delenda, & ad auxilia præbenda, quibus poſſit homo è profunda ſcelerum abyſſo emergere, ſi aliquod eſſet tempus menſurans eius miſericordiam, ita vt illo tranſacto, nulla gratia ab eo eſſet largienda, nec ab homine deſideranda, vel expectanda. 570.

Patet ex Scripturis.

In æternũ, & omni tẽpore eſt miſericordia Dei.

Miſericordiæ Dei non eſt numerus.

Bonitas Dei à malitia hominum vinci non poteſt.

Fulgent.

Probatur ſecundò ex illo *Matth.* 18. 21. vbi Petrus accedens ad Chriſtum dixit, *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dicit illi Ieſus: Non dico tibi, vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Quod exponens S. Thomas docet, hæc verba, *Septuagies ſepties*, poſſe exponi, vel aggregatiuè, ſicut expoſuit Auguſtinus, & tunc ſignificant ſeptuaginta ſeptem vicibus peccantibus, nihilominus eſſe dimittendum: vel multiplicatiuè, & tunc ſignifi- 571.

S. Thom.

S. Auguſt.

Septuaginta ſeptem vicibus peccantibus adhuc debemus remittere ex mandato Chriſti, vel ſepties ſeptuagies, ideſt quadringentis & nonaginta vicibus.

cant ſepties ſeptuagies, hoc eſt quadringentis & nonaginta vicibus peccantibus adhuc eſſe dimittendum. *Verumtamen*, inquit Doctor Angelicus, *non eſt hic ſenſus verborum Chriſti, ne ponatur terminus diuinæ miſericordiæ, quæ terminum neſcit. Sed proprius ſenſus eſt, vt quoties peccauerit frater, toties ei dimittatur abſque vlla numeri determinatione; nam in illis verbis, Septuagies ſepties, ponitur numerus finitus pro infinito*, vt loquitur S. Thomas, cui ſuffragatur Ioan. Chryſoſt. homilia 62. in Matth. *Cùm dicit* (inquit) *ſeptuagiès ſepties, non numerum determinatum ponit in numero, vt concludat remiſſionem; ſed quod continuè, & ſemper eſt, ſignificauit.* Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus ſic poteſt ratiocinari.

D. Chryſoſt.

Maior eſt miſericordia Dei quàm hominum: ergo dimittet Deus quoties peccabimus, abſque numero vel menſura.

Maior eſt bonitas, miſericordia, & indulgentia Dei, quàm bonitas & indulgentia hominum. Deus enim eſt primum ens, & primum ac ſummum bonum, à quo omnis entitas, & bonitas hominum deriuatur. Vnde eſt exemplar, quod debent homines imitari, juxta illud Luc. 6. 36. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* Atqui homines ex mandato Chriſti debent ſemper aduerſùm ſe peccantibus dimittere, nec vllo termino, aut menſurâ eorum indulgentia concluditur in delinquentes in ipſos, vt jam expoſuimus. Ergo à fortiori Deus abſque numero & menſura hominibus peccantibus miſerebitur, & indulgebit, nullùmque erit tempus vitæ humanæ, in quo Deus peccatorem ad ſe reuertentem non ſuſcipiat. Si enim cum certo numero miſericordias exhiberet, ita vt illo adimpleto, nullæ poſſent aliæ à Deo expectari; non ſolùm Dei bonitas à peccantium malitia vinceretur, contra illud Sap. 7. 30. *Sapientiam non vincit malitia:* Sed etiam ab indulgentia humana, quæ ſemper debet ignoſcere delinquentibus, ſuperaretur, contra illud Luc. 11. 13. *Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.*

Ex Scriptura liquet Deum bonitate vincere homines.

Vbi maior bonitas, & indulgentia ſemper in Deo innuitur, quàm in homine; ſicuti maior eſt aqua in mari & fluminibus, quàm in riuulis inde procedentibus, & maior ac fulgentior in ſole, quàm in ſtellis lux reperitur. Non deſperent ergo peccatores, quaſi nulla pro illis reperiatur miſericordia; ſed toto corde ad Deum redire conentur, eiuſque gratiam gemitibus, oratione, ac ſummâ animi humilitate poſtulent.

Ioan. Clim.

Vnde & S. Ioannes Climacus gradu 26. *Quoties*, inquit, *pro peccatis noſtris mœremus, & triſtes ſumus, præceptum Domini ad Petrum reuocare non deſinamus, indulgendi ſcilicet ſeptuagies ſepties peccanti. Quod enim alteri mandauit, ipſe multò magis implebit.*

572. Probatur tertiò. Chriſtus pro omnibus hominibus ſemetipſum obtulit Deo in cruce oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis; & redemptionem generalem, & communem omnibus exhibuit hominibus, vt virtutem paſſionis ſuæ fide & charitate, necnon & Sacramentorum receptione ſibi applicantes, poſſent illam redemptionem & ſalutem conſequi. Ergo debuit pro omni tempore, omni hominum ætate, & ſine vlla limitatione temporis auxilia ſufficientia per voluntatem Dei antecedentem præparata eis exhibere, abſque vlla menſura, vel limitatione. Etenim ſi tantùm ſecundùm aliquam menſuram & tempus eidem menſuræ correſpondens illa auxilia pro omnibus haberet præparata, non autem poſt illud tempus, hoc eſt immediatè ſubſequenti, & reliquo, in quo homo ſuperſtes manet, vſque ad mortem; ſequeretur quod tunc non eſſet redemptor omnium, quia illis quibus menſura gratiarum exhauſta eſt, remanente vitâ corporali, non remaneret poteſtas emergendi à peccatis, nec auxilium ſufficiens ad fugiendum malum, & virtutem inquirendam: quod tamen omninò falſum eſt, & maximè derogat vniuerſalitati redemptionis, quam omni loco, omni tempore, omnique ætate obtulit Chriſtus omni populo, hoc eſt omnibus hominibus, juxta illud Prophetæ pſalm. 110. 9. *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternum*, hoc eſt omni tempore, *teſtamentum ſuum.* Vnde Chriſtus omni tempore Redemptor eſt, juxta illud Hebr. 13. 8. *Ieſus Chriſtus heri, hodie, ipſe & in ſecula.*

Chriſtus ſemetipſum obtulit hoſtiam, & redemptionem generalem pro omnibus.

Omni tempore Chriſtus eſt Redēptor omnium.

Præterea, ſi diuina erga hominem eſſet menſurata miſericordia, ita vt exhauſto gratiarum numero ab illa præparato, non poſſet ampliùs conuerti ad Dominum ex defectu gratiæ, à qua recipit homo poteſtatem ad agendum ſupernaturaliter, eſſet aliquod tempus vitæ hominis, in quo nec poſſet, nec deberet ſperare in Domino, nempe illud quod ſupereſt vſque ad mortem, exhauſto illo gratiarum numero: nam ſpes habet pro obiecto æternam beatitudinem, tanquam bonum futurum, arduum, poſſibile haberi per diuinum auxilium, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 1. & 2. Cùm autem illa beatitudo ſit bonum infinitum, non eſt nobis poſſibilis, niſi per auxilium ſupernaturale Dei adiuuantis, nec per conſequens abſque tali auxilio illam poſſumus ſperare: atqui hoc eſt falſum; homo enim quamdiu eſt in via, quâ ad patriam pergit, ſemper ad patriam peruenire debet ſperare, non quidem per proprias vires, quæ ex ſe præcisè ad hoc ſunt inſufficientes, ſed per auxilium Dei, quod debet ſemper, quantumvis criminibus ac peccatis onuſtus, expectare, ac lacrymis, gemitibus, & oratione poſtulare. Sicuti enim homo Chriſtianus, quamvis peccator maximus, tenetur ſemper credere, hoc eſt habitum fidei retinere, & ſæpiſſimè actus fidei, vt Deum Redemptorem, Saluatorem, ac præmiatorem confiteatur, elicere: ita debet ſemper habitum ſpei retinere, & ſæpiſſimè actus ſpei proferre, æternamque beatitudinem per auxilium Dei, paſſionis & ſanguinis Chriſti virtutem, ac propriam cooperationem ſperare. Et ſicut nec debet, nec licitè poteſt homo peccator actus contrarios fidei, quibus credendis diſcredat, elicere: ita nec debet, nec poteſt actus contrarios ſpei producere, hoc eſt, in deſperationem cadere, ad quam tamen ex gratiarum numero exhauſto maximè conduceretur. Vnde & *pſalm.* 129. 6. dicitur, *à cuſtodia matutina vſque ad noctem* (hoc eſt ab initio vſque ad finem diei, ideſt ab inſtanti natiuitatis vſque ad mortem; nam nox in Scriptura mortem ſignificat: ſicut enim nox eſt finis diei, ita mors eſt terminus vitæ; vnde & Chriſtus de morte loquutus *Ioan.* 9. 4. ait: *Venit nox, quando nemo poteſt operari*,) *ſperet Iſraël in Domino.* Et ſtatim Propheta huius perpetuæ ſpei reddens rationem, ſubiungit ibidem 7. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa* (non numerata) *redemptio:*

573.

homo debet ſemper in Domino ſperare.

Non poteſt homo actus contrarios ſpei elicere, nec in deſperationem cadere.

&

Digitized by Google

Copioſa, non numerata apud Dominum redemptio.

& ipſe redimet Iſraël ex omnibus (non ex quibuſdam) *iniquitatibus eius.* Quamobrem idem Propheta omni tempore, & omni ſtatu vitæ ſuæ ſe in Deo ſperare profitetur. *Ego autem*, inquit, *ſemper ſperabo , & adjiciam ſuper omnem laudem tuam*, pſal.70. 14. hoc eſt, ſuper omnem miſericordiam tuam ; laus enim, & gloria Dei eſt illius potentiæ ac bonitatis manifeſtatio, quæ miſerendo, indulgendo, ac parcendo refulgent. Hinc canit Eccleſia in oratione Dominicæ 10. poſt Pentecoſt. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè , & miſerando manifeſtas.* Et *pſal.* 47. 11. dicitur, *Secundùm nomen tuum Deus*, hoc eſt ſecundùm miſericordiam & bonitatem tuam , quæ in nomine tuo, hoc eſt in nomine Saluatoris & Redemptoris coruſcant vbique ; *ita* & gloria, & *laus tua in fines terræ* extenduntur , vt jam ſuperiùs tetigimus. Semper igitur in Deo ſperare vult Propheta , & ſuper omnem laudem eius adjicere ; quia ſemper eius miſericordia ſuper illum effunditur, & conſequenter Dei laus in omne vitæ eius inſtans extenditur, & dilatatur.

Laus Dei eſt illius bonitatis manifeſtatio.

574. Deinde, nullum peccatum etiam grauiſſimum irremiſſibile dicitur in hac vita reſpectu diuinæ omnipotentiæ & miſericordiæ, niſi finalis impœnitentia, quæ peccatum in Spiritum ſanctum dicitur : & cùm in hoc peccato vſque ad mortem homo perſeueret, & conſequenter non remittatur per pœnitentiam, nec etiam in futuro, hoc eſt poſt mortem, dimittetur. Quod expreſsè docuit S. Thomas 2. 2. q. 14. *art.* 3. vbi ait : *Peccatum in Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibile ſecundùm ſuam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remiſſio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & ſanandi omnipotentiæ & miſericordiæ Dei , per quam aliquando tales quaſi miraculosè ſpiritualiter ſanantur.* Atqui ſi daretur menſura in miſericordia Dei, & numerus determinatus gratiarum, non adæquans totam vitam hominis ; ſequeretur omne peccatum, quod vltimæ gratiæ reſponderet , eſſe irremiſſibile, etiam in ordine ad diuinam miſericordiam : quia vt ſupponit contraria ſententia , exhauſto illo gratiarum numero, nulla alia dabitur à Deo gratia peccatori , etſi adhuc per longum tempus vitam mortalem ducat : & cùm *peccatum, quod pœnitentiâ non deletur , pondere ſuo in aliud trahat* , vt loquitur Gregorius Magnus , & *qui in ſordibus eſt , ſordeſcat adhuc* , vt dicitur *Apoc.* 22. 11. multa aggregarentur in homine delicta omninò irremiſſibilia ipſi etiam omnipotentiæ & miſericordiæ Dei, quod tamen falſum eſt, & immenſæ ac infinitæ Dei miſericordiæ maximè derogat. Tunc enim obliuiſceretur miſereri Deus , contra illud pſalm. 76. 10. *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus , aut continebit in ira ſua miſericordias ?* Et *Iſai.* 49. 15. vbi Deus ſic loquitur : *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum , vt non miſereatur filio vteri ſui ? Etſi illa oblita fuerit , ego tamen non obliuiſcar.* Quod exponens S. Hieronymus, Deum ſic ſantem inducit : *Etſi illa oblita fuerit , vincens mentis duritiâ jura naturæ ; ego tamen non obliuiſcar naturam meam.* Natura autem Dei maximè ad miſerendum ac indulgendum procliuis eſt ; vnde & viſcera illius miſericordiâ repleta in Scriptura perhibentur, Luc. 1. 78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.* Et à Paulo Deus dicitur *pater miſericordiarum*, 2. Cor. 1. 13. quia vt ibidem exponit Anſelmus : *Ex viſceribus eius proueniunt in nos miſericordiæ eius.* Vnde & Philo libro de mundi opificio : *Deus*, inquit, *ad benefaciendum naturâ propenſus eſt.* Vnde & 3. *Ioan.* 11. dicitur , *qui benefacit , ex Deo eſt.* Ergo nulla datur menſura miſericordiæ Dei , nec numerus determinatus gratiarum , qui ante finem vitæ peccatoris ita exhauriatur, vt ſuperſtes remanens peccator , nullam omninò à Deo gratiam valeat expectare.

Nullum peccatum in hac vita irremiſſibile, exceptâ finali impœnitentiâ.

D. Thom.

S. Gregor.

Non obliuiſcitur miſereri Deus.

D. Hieron.

Natura Dei ad miſerendum inclinatur.

D. Anſelm.

Philo.

Immò hæc ſententia ſtatuens terminum gratiarum, & numerum omninò exhauſtum à peccatore, vt nullam ampliùs ad propriam conuerſionem poſſit expectare , quodammodo fauere videtur errori Nouatianorum, qui lapſis pœnitentiam denegabant, ſi ſemel jam poſt Baptiſmum eis conceſſa fuiſſet. Vnde & intrepidus Fidei, & catholicarum veritatum defenſor S. Ioannes Chryſoſtomus non parum in ſe Nouatianorum concitauit inuidiam, & præcipuè Siſionij illorum Epiſcopi, qui etiam ſtylum in Chryſoſtomum acuit, & aduerſus ipſum commentarium ſcripſit , eo quòd ſanctiſſimus Antiſtes pro concione populum docens, non ſemel dixerit Dei miſericordiam erga peccatores admodum commendans, *Si millies lapſus pœnitentiam egeris, in Eccleſiam ingredere*, vt refert Baron. *tom.* 5. *Annal. an.* 407. *n.* 19. Verùm & Chryſoſtomi doctrina tanquam veridica , & ſacris literis conformis ab Eccleſia Catholica recepta eſt : at verò Nouatianorum proſcripta , & tanquam erronea eliminata. Nullus ergo gratiarum numerus admitti debet , quo exhauſto non relinquatur pœnitentiæ locus ; ſed cuilibet etiam ſæpiſſimè peccanti dicenda ſunt ea , quæ idem Chryſoſtomus dixit hom. 2. in pſal. 50. *Peccaſti ? Pœnitere. Millies peccaſti ? Millies pœnitere. Vulneratus es ? Adhibe tibi curam. Dum ſpiras, etiam in ipſo lecto poſitus , etiam ſi dici poteſt , animam efflans , etiamſi ex hoc mundo exeas, non impeditur temporis anguſtiâ miſericordia Dei.* Hæc Chryſoſtomus : quibus omnem gratiarum menſuram longo tempore ante mortem exhauſtam apertè oppugnat, cùm ſuadeat peccatori in vltimo vitæ ſuæ inſtanti, dum animam efflat, ac dum ex hoc mundo egreditur , pœnitere , & ad Deum conuerti , quia ſcilicet *non impeditur temporis anguſtiâ miſericordia Dei.* 575.

Contraria ſententia fauet errori Nouatianorum.

S. Chryſoſt.

S. Chryſoſt.

Semper poſt peccatum pœnitendũ.

Non impeditur temporis anguſtiâ miſericordia Dei.

Nec ſolius Chryſoſtomi authoritate ſententia noſtra fulcitur : etiam aliorum Sanctorum Patrum teſtimonio roboratur ; nam S. Cyprianus in ſermone de cœna Domini idem prorſus docet. *In eodem* (inquit) *articulo temporis , cùm jam anima feſtinet ad exitum , & egrediens ad labia ſpirantis emerſerit , pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur : nec ſerum eſt , quod verum ; & quæcumque neceſſitas cogat ad pœnitudinem , nec quantitas criminum , nec breuitas temporis , nec horæ extremitas (ſi vera contritio , ſi pura fuerit voluntatum mutatio) excludit à venia.* Hæc Cyprianus, vbi vt patet , expreſsè docet nec quantitatem criminum , nec breuitatem temporis , nec horæ extremitatem pœnitentiæ obſtare , nec illam quoquo ex illis modo fiat , Dei benignitatem aſpernari : ergo nulla eſt menſura miſericordiæ Dei , vel gratiarum , ita vt Deus centum indulgeat peccatis v. g. & gratiam tribuat peccatori , vt ex illis centum emergat delictis ; & non ignoſcat centeſimoprimo , & ſubſequentibus , nec auxilia ſufficientia tribuat peccatori adhuc viuenti , vt ad ſe poſſit conuerti & pœnitere , cùm ex S. Cypriano , *animæ è corpore exeuntis , & ad labia ſpirantis jam egredientis pœnitudinem clementiſſimi Dei benignitas non aſpernetur.* 576.

D. Cyprian.

Horæ extremitas non excludit à venia.

Animæ è corpore exeuntis pœnitentiam Deus non ſpernit.

577. Sed firmiùs, ac expreſſiùs ſententiam noſtram ſtabiliunt verba S. Cœleſtini Papæ, quæ in Decretalibus, 26. *queſt.* 6. agnouimus, & à S. Antonin. 2. *p. hiſt. tit.* 11. *c.* 1. §. 2. referuntur. *Salutem* (inquit Cœleſtinus) *homini adimit quiſquis mortis tempore pœnitentiam ſibi denegauerit; & deſperauit de miſericordia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere vel in momento non credidit poſſe. Perdidiſſet latro præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non juuiſſet. Cùm eſſet in pœna, pœnituit, & pro vnius juſſione ſermonis, habitaculum paradiſi eo promittente promeruit.* Hactenus Cœleſtinus. Non ergo plurimis ſceleribus perpetratis debet homo, etiam ætate grandæuus, in peccatis manere, quaſi non ſuperſit illi auxilium Dei ad pœnitendum, & exhauſtus ſit ab eo omnis gratiarum numerus: ſed totis viribus ad pœnitentiam debet properare, Dei adiutorium enixè poſtulare, & vitam omninò à præcedenti diſtinctam inſtituere. Et quamvis vltimum vitæ eius tempus inſtet, adhuc poteſt verè pœnitere, nec debent Eccleſiæ miniſtri vlli peccatori, etiam ſceleſtiſſimo, petenti ac pœnitenti, etiam in fine vitæ, beneficium abſolutionis, & Eccleſiæ Sacramenta denegare: multi etenim in extrema ſenectute à via ſua mala, Deo adiuuante, conuerſi ſunt, & gratiam, immò & gloriam ſunt aſſequuti. Vnde & S. Ambroſius veterem Romam grauiſſimis diuerſorum ſcelerum ponderibus onuſtam, & tamen pœnitentem, ſic loquentem inducit lib. 5. ep. 31. *Pœnitet lapſus, & vetuſta canities pudendi ſanguinis traxit ruborem. Non erubeſco cum toto orbe longæua conuerti: verum certum eſt, quia nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe non poteſt; non annorum canities eſt laudanda, ſed morum: nullus pudor eſt ad meliora tranſire.* Hactenus ſtylo Ambroſij Roma ad Chriſtum in ſenectute conuerſa.

S. Cœleſtin. P. S. Antonin.

Pœnitentia etiam in fine vitæ bona eſt.

Eccleſiæ miniſtri nulli peccatori, etſi ſceleſtiſſimo, Sacramenta petenti denegare debent.

D. Ambroſ.

Roma canoſa & annoſa pœnitentiam criminũ exercuit.

578. Nulla etenim hominum peccatorum ætas diuinæ gratiæ inepta eſt, ſed ſemper diuinæ miſericordiæ virtuti aptiſſima, vt conuertatur. Anima quippe rationalis, quæ immortalis, & incorruptibilis eſt, multo temporum ſucceſſu ſeneſcit, & in omni, quo corpus informat, inſtanti gratiæ diuinæ poteſt vbertate renouari, quia & nouâ poteſt natiuitate donari. Quod docuit S. Thomas 3. *p. q.* 72. *art.* 8. vbi ait: *Anima, ad quam pertinet & ſpiritualis natiuitas, & ſpiritualis perfectio, immortalis eſt; & poteſt ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem natiuitatem conſequi, ita tempore iuuentutis & pueritiæ conſequi perfectam ætatem, quia huiuſmodi corporales ætates anima non præiudicant.* Hæc D. Thomas. Vnde ſicuti ſapiens ille paterfamilias omni horâ diei operarios ad vineam ſuam excolendam miſit, & tandem plurimis in foro manentibus dixit: *Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam*, vt dicitur *Matth.* 20. 6. ita in omni ætate vitæ humanæ peccatores à vitiis ad virtutes, & ad ſe reuocat, nullumque inſtans eſt, in quo illos non vocet. Vnde & S. Thom. *comment. in Matth.* 20. docet, quod *hora vndecima poteſt dici ſenium, ſiue decrepita ætas; quia quidam in peccato perdurant vſque ad ætatem decrepitam.*

Anima rationalis non ſeneſcit.

D. Thom.

Etiam horâ vndecimâ, quæ ſenium deſignat, Deus vocat homines.

579. In hac ſiquidem non ſolùm in vinea Domini laborare, ſed & pro comparando, ſeu vt ita dicam, debellãdo regno cœlorum militare poteſt. Adumbratum fuit hoc in illis Chaldæis, qui vrbem Ieroſolymam expugnare conabantur. Iſti enim qui illuceſcente die non pugnauerant, nocte in illam irruere decreuerunt. *Sanctificate* (dicebant Chaldæi) *ſuper eam bellum. Conſurgite, & aſcendamus in meridie: væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi. Surgite, & aſcendamus in nocte.* Ierem. 6. 4. Hos imitantur peccatores, qui cœleſtem Ieruſalem, vt eam ingrediantur, expugnare debent. Etenim *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, vt dicitur *Matth.* 11. 12. Qui enim in meridie, hoc eſt in iuuentutis flore, ac vigore virili variis implicati vitiis, otioſi, & ſine actione permanſerunt, nec vllo modo militarunt, in nocte, hoc eſt in ſenectute, ac ætate decrepita bellum mouere ſtatuunt, & contra vitia pugnantes, diuino ſuccurrente præſidio, calcant ſeculum, terram linquunt, cœlum rapiunt, & paradiſum victores ingrediuntur. Nox illis ſufficit diuinâ illuſtrata luce, quæ ſine menſura effunditur à miſericordia infinita, vt cœlum videant: & ſenilis ætas, immò & decrepita, robuſta & fortis euadit, vt immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam aſſequatur.

Figurâ hæc doctrina illuſtratur.

In nocte, hoc eſt in ſenectute, contra vitia pugnandum, & pœnitentiâ cœlum debellandum.

Denique firmatur noſtra ſententia inconcuſſâ Angelici Doctoris S. Thomæ doctrinâ qui 3. *p. queſt.* 86. *art.* 1. expreſsè aſſerit, erroneum eſſe dicere, quod in hac vita ſit aliquod peccatum, de quo quis pœnitere non poſſit. *Primo quidem* (inquit S. Thomas) *quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundò quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri poteſt cor cuiuſcumque peccatoris ad pœnitendum, ſecundum illud Prouerb.* 21. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, vertet illud.* Quibus verbis inſinuat S. D. quemcumque peccatorem, quocumque tempore, ex Dei adiutorio & arbitrij ſui libertate, de quocumque peccato poſſe pœnitere. Subdit autem ibidem S. D. eſſe etiam erroneum dicere, eſſe aliquod peccatum, quod non poſſit per pœnitentiam remitti. Quod probat duplici ratione. Primò, quia repugnat diuinæ miſericordiæ, de qua dicitur Ioël. 2. 13. *Quod benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitiâ.* Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundò, quia hoc derogaret virtuti paſſionis Chriſti, per quam Pœnitentia operatur, ſicut & cætera Sacramenta; cùm ſcriptum ſit 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi. Vnde* (inquit S. Thomas) *ſimpliciter dicendum eſt, quod omne peccatum in hac vita per pœnitentiam veram deleri poteſt.* Atqui hæc omnia non poſſunt cohærere cum menſura miſericordiæ, & numero gratiarum exhauſto longo tempore ante mortem peccatoris; quia tunc ex defectu gratiæ non poterit peccator pœnitere, nec Deus gratiam tribuere; quia illæ, quas decreuit dare, jam exhauſtæ ſunt. Ergo, &c. 580.

Nullum eſt peccatum, quod non poſſit pœnitentiâ in hac vita deleri.

D. Thom.

Vinceretur Deus ab homine, ſi homo peccatũ vellet deleri, quod Deus delere non vellet.

Dico tamen ſecundò, quod licèt Deus infinitam, & abſque numero erga homines habeat miſericordiam, omnibuſque hominibus ſemper auxilia ad ſalutem ſufficientia præparata offerat; attamen non omnes homines de facto recipiunt hæc auxilia, immò peccatoribus obcæcatis & induratis, in pœnam præcedentium peccatorum Deus aliquando ſubtrahit omnia auxilia ſupernaturalia. 581.

Peccatoribus obduratis & excæcatis, in pœnam præcedentium peccatorum Deus interdum hæc auxilia ſubtrahit.

Patet primò veritas huius propoſitionis ex illo Eccl. 7. 14. *Conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* Et Ioan. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* 582.

Patet ex Scripturis.

eorum. Et de Pharaone, *Exod. 4. 21. & 7. 3.* dixit Deus: *Ego indurabo cor Pharaonis. Cor* autem *durum malè habebit in nouiſſimo,* vt dicitur *Eccl. 3. 27.* hoc eſt, non conuertetur, ſed in malo erit obſtinatum. Sicuti ergo induratum cor omni gratiæ auxilio emolliente ac conuertente priuatum nequit conuerti, ita mens excæcata, omni lumine gratiæ carens, non poteſt ſupernaturaliter videre, ac de ſua ſalute vtiliter cogitare, & ad Deum conuerti.

Cor durum habebit malè in nouiſſimo.

583. Hæc autem & cordis induratio, & mentis excæcatio primò & per ſe cauſantur à peccatore, qui ex plurimis ſæpè repetitis actibus peccaminoſis in peccato ſic obſtinanter, & pertinaciter mergitur, & *contra omnipotentem roboratur,* ſicut dicitur *Iob. 15. 25.* vt omninò ab illo recedens omnem ſupernaturalem ad pœnitendum poteſtatem amittat. Quo ſenſu dicitur Sap. 2. 21. *Excæcauit eos malitia illorum.* Et juxta D. Thomam. 2. 2. qu. 15. art. 1. *Priuatio luminis gratiæ eſt cæcitas, quæ eſt pœna præteritorum peccatorum.* Secundò autem, & indirectè cordis duritiam, & mentis cæcitatem cauſat Deus, etiam io pœnam peccatorum, *non quidem immittendo malitiam, ſed non apponendo gratiam,* vt loquitur Angelicus Doctor *in cap. 9. epiſt. ad Rom. lect. 3.* prope finem. *Neminem enim deſerit Deus, niſi prius ab eo deſeratur,* vt ex Auguſtino libro de natura & gratia docet Concil. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 11.* Immò & aliquando non ſolùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè peccatorum corda indurat Dominus, vt de facto cor Pharaonis poſitiuè indurauit, ſed occaſionaliter, non autem propriè, & directè, vt docet D. Auguſt. *lib. de gratia & lib. arbitr. cap. 20. & 21.* & proſequitur S. Thomas *lect. 3. citata, in cap. 9. ad Rom.* Deus enim operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſiue ad bonum pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum. Quod probat D. Thomas duplici exemplo. Primò Danielis, quem Deus ad bonum excitauit, juxta illud Daniel. 13. 45. *Suſcitauit Deus ſpiritum pueri junioris.* Secundò exemplo Medorum, quos ad malum excitauit. Iſai. 13. 17. *Suſcitabo Medos, qui ſagittis paruulos interficiant.* Verùm aliter ad bona, & aliter ad mala excitat: ad bona ſiquidem directè, & per ſe voluntates inclinat hominum, tanquam actor bonorum; ſed ad malum tantùm occaſionaliter homines inclinare, vel ſuſcitare dicitur, in quantum ſcilicet Deus aliquid proponit homini vel interiùs, vel exteriùs, quod quantum eſt de ſe, eſt inductiuum ad bonum, ſed homo propter ſuam malitiam peruersè vtitur ad malum, juxta illud Rom. 2. 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſauriſas tibi iram in die iræ.* Et Iob 24. 23. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Similiter quantùm eſt de ſe Deus interiùs inſtigat hominem ad bonum, putà Regem ad defendendum jura regni ſui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc inſtinctu bono malus homo abutitur ſecundùm malitiam cordis ſui. Quod patet *Iſai. 10. 6.* vbi dicitur de Aſſur: *Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi vt auferat ſpolia, &c.* Et poſteà ſubditur: *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita æſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius.* Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cùm à Deo excitaretur ad Regni ſui tutelam, abuſus eſt hac excitatione ad crudelitatem. Ita S. Thomas. Vnde & D. Auguſt. *lib. de gratia & lib. arbit. cap. 23.* notat Pharaonem cor ſuum propriè, directè, & per ſe voluntariè indurasse, & Deum ad eius indurationem occaſionaliter, necnon per ſuam juſtitiam concurriſſe. Quod vtrique patet *ex cap. 9. Exod. 34.* vbi dicitur: *Videns autem Pharao, quod ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum eſt cor eius, & induratum nimis.* Quare Auguſt. loc. cit. *Nec ideo,* inquit, *auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego indurabi Pharaonem; vel indurabi, vel indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea non indurauit cor ſuum; nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomia, dicente Scriptura,* Exod 8. 32. *Et ingrauauit Pharao cor ſuum & in iſto tempore, & noluit dimittere populum: ac per hoc & Deus indurauit per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.* Hæc Auguſtinus.

Cordis durities, & mentis cæcitas primò, & per ſe à peccatore cauſantur.

A Deo autẽ ſecundariò & indirectè, non apponendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam.

Immò & aliquando poſitiuè occaſionaliter. D. Thom.

Deus inſtigat homines ad bonum, & ipſi ſe ad malum excitant, & Dei bonitate abutuntur.

Deus indurauit Pharaonem per juſtum judicium, & Pharao ſeipſum indurauit per liberum arbitrium.

584. Secundò, gratia ſufficiens, juxta diſcipulos D. Thomæ, conſiſtit in quadam motione diuina, ſeu qualitate ſupernaturali applicante potentias animæ ad actus ſupernaturales antecedentes actum præcipuum: v. g. gratia ſufficiens ad contritionem applicat mentem humanam ad timorem Dei, pœnarum inferni, &c. vel ſecundùm alios Theologos in quibuſdam ſanctis cogitationibus intellectus, & piis affectibus voluntatis. Atqui, vt liquet experientiâ, multi peccatores excæcati & obdurati, quando legem Dei tranſgrediuntur, & noua peccata committunt, non habent, nec ſentiunt bonas illas cogitationes in mente, nec pios affectus in corde, nec conſcientiæ morſibus ac ſtimulis ſemper excitantur, immò potiùs ſibi complacent in peccatis, ac de criminum vulneribus ſæpe gloriantur. *Lætantur enim cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis,* vt dicitur *Prouerb. 2. 14.* Ergo tunc omni gratiâ carent, quæ juſtiſſimè à Deo ipſis denegatur. Vnde S. Thomas *3. cont. gentes, cap. 62.* docet, *peccatores interdum priuari in pœnam peccati, non ſolùm infuſione gratiæ, ſed etiam exteriori cuſtodiâ, per quam occaſiones peccandi homini ex diuina prouidentia tolluntur, & prouocantia ad peccatum comprimuntur.* Et Gregorius Magnus *lib. 11. Moral. cap. 5.* aſſerit, interdum Deum ita derelinquere hominem propter eius culpam, vt licèt vox ſonet exteriùs, interiùs tamen non tangat. Quare D. Auguſtinus *ſerm. 12. de verbis Apoſtoli, cap. 2.* loquens de peccatore obdurato: *Cùm vult* (inquit) *non poteſt, quia quando poterat, noluit: ideo per malum velle perdidit bonum poſſe.* Et S. Iſidorus *lib. 2. de ſummo bono, cap. 15.* ait: *Nonnulli ita deſpiciuntur à Deo, vt deplorare mala ſua non poſſint, etiamſi velint.*

In quo conſiſtat gratia ſufficiens.

S. Thom.

Greg. Mag.

D. Auguſt. Dum vult peccator, non poteſt, quia dum potuit, noluit.

S. Iſidor.

585. Denique ex D. Auguſtino *lib. 4. contra Iulianum, cap. 8.* Deus non eſt benignior ſceleſtiſſimis & impiiſſimis hominibus propriâ voluntate repugnantibus, quàm paruulis qui propriâ voluntate non repugnant ſaluti, etſi culpâ originali ſint coinquinati: ergo ſi in pœnam peccati originalis Deus aliquando negat paruulis remedia ad ſalutem ſufficientia pro illis inſtituta, vt patet in pueris abſque Baptiſmo decedentibus; etiam aliquando adultis, in pœnam multitudinis peccatorum ab illis propriâ voluntate commiſſorum denegat auxilia, quibus ſalutem poſſint adipiſci. Vnde Auguſtinus *loc. cit.* inquit: *Si dixeris mihi, cur ergo non conuertis omnium nolentium voluntates?* Reſpondebo, *Cur non omnes morituros adoptat lauacro regenerationis infantes?* Et ibidem alloquens

Paruulis aliquando auxilia ſufficientia Deus denegat in pœnam peccati originalis.

Et adulcis in pœnam peccati, vel originalis, vel actualis.

Pelagianos, ſubdit: *Vobis ora obſtruunt, & linguas premunt, qui loqui nondum valent.* Sed de hac materia fuſiùs Theologi cum D. Thoma tum 1. *p. qu.* 19. *in tract. de Voluntate Dei:* tum etiam 1. 2. *qu.* 109. *in tract. de Gratia.*

Sectio IV.

Diuina Chriſti miſericordia ab eius juſtitia non ſeparatur.

586. V*Niuerſæ via Domini miſericordia & veritas*, pſalm. 24. 10. Etenim in omnibus Dei operibus bonitas eius, & juſtitia ſplendent, vt docet S. Thomas 1. *p. q.* 21. *art.* 4. Cùm enim omnem defectum è ſuis euaeuet Deus operibus, *Dei enim perfecta ſunt opera*, vt dicitur *Deuter.* 32. 4. conſequenter omnem aufert miſeriam, & miſericordiam præſtat. Cumque omni rei à ſe productæ tribuat omnia, quæ ipſi juxta naturam ſuam, vel proprietates, vel etiam vſum debentur, in illis juſtitiam videtur exercere, quæ vnicuique jus ſuum tribuit.

S. Thom. Miſericordia & juſtitia in omnibus operibus Dei fulgent.

587. Duo hæc in ſe copulauit attributa Chriſtus Dominus: & qui *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ex alto oriens* viſitauit miſeros in terra jacentes, ita ſe diuinæ propter nos ſubdidit juſtitiæ, vt ab illa percuſſus ſanguinem ſuum, vt ſimul & illi rigoroſè ſatisfaceret, & nos ab omni iniquitate redimeret, in cruce fuderit. In illo igitur *miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, vt dicitur *pſalm.* 84. 11. Hinc eſt, quod dum ſuam in homines profert redemptionem, juſtitiam ſimul cum miſericordia illis infundit. Vnde & Apoſtolus dum nobis Chriſtum liberatorem exhibet, ſtatim illum judicem, immò & juſtitiam vocat. *Qui factus eſt nobis* (inquit) *ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*, 1. Cor. 1. 30. Vbi licèt juſtitia communiter accipiatur pro ſanctitate, quam in nos effudit Chriſtus, dum eius gratiâ, & meritis, ac paſſione juſtificati ſumus: attamen poteſt ſumi pro juſtitia jus ſuum vnicuique tribuente. Sic enim Chriſtus nobis factus eſt ſapientia, vt ſapientiam nobis præberet, & ab eo omnes actus noſtros & vitam rectè ordinare in finem diſceremus, eius ſapientiam imitantes (nam ſapientis eſt ordinare) vt etiam nobis factus ſit juſtitia, ſeu Iudex æquiſſimus; vt dum ſcilicet gratiam redemptionis nobis infundit, hinc ſtatuatur Iudex noſter, vt redemptionem eius ſuſcipientes, ac in ea proficientes præmietur, & coronet; illam verò conculcantes, vel ea abutentes condemnet & puniat. Nam *Pater omne judicium dedit Filio, quia filius hominis eſt*, vt dicitur *Ioan.* 5. 22. Et juſtitiæ ac judicis nomine illum expreſſit Vates Euangelicus Iſaias, dum dixit cap. 45. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & juſtitia oriatur ſimul.* Et Ierem. 23. 6. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus*: vel vt alij legunt, *Iudex noſter*. Et ibidem numero 6. *Suſcitabo Dauid germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terra.*

In Chriſto miſericordia & juſtitia vnitæ.

Quomodo Chriſtus nobis factus ſit juſtitia.

588. Iuſtus igitur ac miſericors Chriſtus, ſimul Iudex eſt ac Pater, ſimulque paterna miſericordiæ dum viſcera exhibet, etiam æquiſſimi Iudicis ſeueritatem tenet. Spem noſtram ac confidentiam ſumma eius bonitas excitat, ſed timorem incutit ſumma illius juſtitia: & vt ſimul illum diligamus, & timeamus, miſerendo ſimul ac judicando ſe noſtrum perhibet Redemptorem. Vnde dum in terris apparuit, juſtitiæ ſimul, ac bonitatis ſuæ fulgorem longè, latéque diffudit, vt teſtificatur Iſaias 62. 1. *Donec*, inquit, *egrediatur vt ſplendor juſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Vbi idem Chriſtus juſtus vt ſplendor egredi dicitur; & Saluator, hoc eſt miſericors, tanquam lampas dicitur accendi, quia ſimul dum per eum juſtitia reſplenduit, etiam miſericordia coruſcauit. Non ergo illum dumtaxat juſtum, vel dumtaxat bonum credamus; ne ſi tantùm juſtum, nimis timeamus; vel ſi tantùm bonum ac miſericordem, nimis confidamus: ſed ſimul eum miſericordem ac juſtum, parentem ac judicem exiſtimemus, vt ſimul ipſum diligentes, ac formidantes, & in eius bonitatem ſperemus, & ab eius juſtitia metuamus. Ex his ergo, quæ ſuprà fusè docuimus, dum maximam & vniuerſalem Chriſti miſericordiam latè oſtendimus, in optimum ſperet quiſque peccator Saluatorem: ſed ex eo, quod etiam æquiſſimus Iudex eſt miſericors hic Saluator, & ſuam ſimul cum miſericordia coniunxit juſtitiam, timeat illum omnis homo, nec à peccato in peccatum ruat; quia ille qui omnibus ex parte ſua, ex generali miſericordia media, ſeu auxilia ſufficientia ad ſalutem exhibet, ex juſtitia ſua multùm peccantibus aliquando illa ad conuerſionem & ſalutem neceſſaria adiutoria non confert.

Chriſtus ſimul Pater, & Iudex.

Vt juſtus timendus, vt miſericors diligendus.

Agnouit hoc prudentiſſima illa mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Cùm enim ſe multorum criminum ſenſit vulneribus ſauciam, ad Chriſtum medicum feſtinauit, non eius ſolam ſperans benignitatem, ſed & formidans æquitatem: & ſimul ex eius amore ac timore inter miſericordiam eius incedens, ac juſtitiam, ſuarum ex ingenti cordis dolore lacrymarum imbre, quam excitauerat in ſe, diuinam placauit iracundiam, gehennæque ardentiſſimas extinxit flammas, atque ſuorum omnium indulgentiam conſequuta eſt delictorum. At modus, quo remiſſionem cunctorum promeruit peccatorum planè mirabilis eſt; nam *ſuper conuiuantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lacrymas obtulit*, vt loquitur Gregor. *hom.* 33. *in Euang.* Sed priùs fudit lacrymas cordis, & lauit Domini pedes obſequio confeſſionis, capillis ſuis terſit, oſculata eſt: *Tacita loquebatur, non ſermonem promebat, ſed deuotionem oſtendebat*, vt inquit Auguſtinus *lib.* 50. *homil. hom.* 23. 589.

Amore & timore ad Chriſtum acceſſit Magdalena.

D. Gregor.

D. Auguſt.

Verùm cur geminos Domini oſculata eſt pedes? An non vnum dumtaxat ſufficiebat oſculari? Vnica Seruatoris optimi dextera leproſum tangens extemplò mundauit, *Matth.* 8. 3. Loculum, in quo defunctus filius vnicus matris ſuæ ad ſepeliendum efferebatur, dum tetigit, mortuum ad vitam reuocauit, *Luc.* 7. 14. Cæci à natiuitate oculis lutum imponens illuminauit, *Ioan.* 9. 6. Aures & linguam ſurdi & muti attingens auditum reſtituit, & loquelam, *Marc.* 7. 35. Et non poterit vno pede animæ præſtare Magdalenæ, quod aliorum corpori & animæ contulit vnâ manu? Poterat vtique, & viuifica Chriſti Domini Dei & hominis caro eadem vnico contactu partis ſuæ poteſt patrare miracula, quæ totius corporis amplexu valet. Vtumtamen myſterium tenet duorum Redemptoris pedum à Maria pœnitente deoſculatio: in his enim gemina, eaque inſeparabilia Domini attributa, miſericordia ſcilicet, 590.

Cur geminos Chriſti pedes Maria eſt oſculata.

&

In pedibus Chriſti miſericordia, & Juſtitia adũbrantur.

& juſtitia adumbrata fulgebant: vtrumque conſiderauit Magdalena, vtrumque amplexata eſt, & oſculata, vt in vtroque fitmata, amore & timore peccatorum veniam ex diuina indulgentia obtineret; ne ſi vnum tantùm fuiſſet oſculata, & in eo vnicum ex illis duobus attributis aſpexiſſet, vel præſumptione caderet, vel deſperatione in abyſſum præcipitaretur. Quod obſeruauit S. Bernardus *ſerm. 6. in Cant.* vbi duos pedes Chriſti, miſericordiam eius, & juſtitiam exhibere demonſtrat: *Pedes Domini* (inquit) *alterum miſericordiam, alterum judicium nominemus. Felix mens, cui ſemel Dominus Ieſus vtrumque infixerit pedem. A duobus ſignis cognoſcite eam, quæ huiuſmodi eſt, quæ ſecum neceſſe eſt referat diuinitùs impreſſa veſtigia: ipſa ſunt timor, & ſpes: ille judicij, iſta miſericordiæ repræſentans imaginem. Meritò beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Curato vt neutro fraudetis illorum, alioquin alterum ſine altero oſculari non expedit, quia & recordatio ſolius judicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem.* Hactenus Abbas Melliſluus, qui *ſerm. in feſto B. Mariæ Magdalenæ* ſimilia pronuntiauit, ait enim: *Pedes iſti ſunt miſericordia, & judicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda.* Et infrà: *Vide*, inquit, *Mariam judicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis, & laſciua mulier conuiuantium faciem non attendit, ſed extenſo corpore prouoluitur pedibus maieſtatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & miſericordiæ pedem labiis impreſſioribus oſculatur, in cuius ſpe firmiter inhæret veſtigiis Redemptoris, donec audiat, Remittuntur tibi peccata tua.* Hæc Bernardus.

D. Bernard.

Alterum ſine altero pede Chriſti oſculari non expedit, & quare.

Doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata Magdalena ad pedes Chriſti.

591\. *D. Thom.*

Hinc Angelicus Doctor 1. *p. qu.* 21. *art.* 4. *ad* 1. duorum Chriſti Domini pedum, miſericordiæ ſcilicet, & juſtitiæ veſtigia in omnibus operibus Dei impreſſa notauit, & præſertim in reproborum damnatione, ac impij juſtificatione, exemplum pro iſta in Magdalenæ conuerſione afferens: *Et tamen* (inquit) *in damnatione reproborum apparet miſericordia, non quidem totaliter relaxans, ſed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum: & in juſtificatione impij apparet juſtitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipſe miſericorditer infundit, ſicut de Magdalena legitur*, Luc. 7. cap. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ita S. D. Cùm ergo non vno, ſed duobus pedibus & innitatur, & ambulet Dominus, hoc eſt, juſtitiam ſemper & miſericordiam in omni ſuo exerceat opere; nuſquam in illo vnam ſine altera cogitemus, ſed ſemper miſericordiam & juſtitiam, quæ non ſolùm oſculatæ ſunt, ſed indiuiſibili fœdere copulatæ, ſimul conſideremus, vt ex vtraque Dei amorem ſimul & timorem concipientes, ſpe & timore ſalutem noſtram operemur, & Dominum, quem vt optimum parentem debemus diligere, ſimul etiam vt æquiſſimum judicem formidemus.

In reproborum damnatione & impij juſtificatione miſericordia, & juſtitia Dei elucent.

Spe & timore ſalus noſtra operanda.

592\. Planè vniuerſum genus humanum proſtrauit diuinæ juſtitiæ obliuio, & nimia diuinæ miſericordiæ cogitatio. Cùm enim Adamus, quem ad imaginem ſuam, immò ad æternam felicitatem ex infinita Deus bonitate creauit, in peccatorum caderet abyſſum, à Deo juſtitiâ ſuâ ac timore fuiſſet vallatus, præcepto ſimul & prohibitione, vt legitur Gen. 2. 18. *Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; aſtutiâ ſimul & inuidiâ hanc legem obliterare conatus eſt calliduſſimus hoſtis, & Dei timorem ab hominis corde eripere, impudenti mendacio verborum Dei veritatem oppugnans, & fallaci promiſſione Deitatis conſortium ac ſcientiam ſpondens. *Nequaquam* (inquit) *moriemini, ſed in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*, Gen. 3. 5. vt ſcilicet pœnæ mortis timore penitus ablato, & inani Deitatis ſpe illatâ, omninò ad peccatum in corde primi hominis aditus pateret. Quod notauit Baſilius Seleuciæ Epiſcopus *orat.* 3. vbi inquit: *Poſtquam his duobus Adamum vidiſſet munitum, mortis metu, ac vitæ promiſſis, quibus ipſum munire Deus occupauerat; eadem imitatur & dæmon, & morti quidem illud obiicit, Nequaquam moriemini; at pro ligno vitæ, vanâ ſpe diuinitatis ſubitò erigit, vt ſoluto metu, eaque ſpe propoſitâ, mandati vim prorſus extenuet, ſitque paradiſus officina præuaricationis.* Hæc ille. Vnde formidine validiſſimo primi hominis firmamento ablato, facilè in peccatum lapſus eſt; immò & diuinæ æquitatis, quæ ſe in latione præcepti ac prohibitionis prodiderat, obliuio Adamum, & in eo omnes eius poſteros in peccati barathrum deturbauit. Quod notauit S. Thomas 2. 2. *q.* 163. *art.* 4. vbi docet, *quod primus homo peccauit cogitans de diuina miſericordia.* In cuius rei confirmationem teſtimonium adducit Auguſtini *lib.* 11. *de Geneſi ad literam*, vbi Sanctus Doctor de Adamo loquens ait, *quod inexpertus diuinæ ſeueritatis credidit illud peccatum eſſe veniale, id eſt de facili remiſſibile.* In hoc autem maximè errauit, & nimis in diuina bonitate confidit, illam omninò in mente habens, vel nihil, vel parum de Dei juſtitia cogitando, quia ſcilicet eius ſeueritatem nondum fuerat expertus; cùm tamen eius benignitatem ingenti beneficiorum, bonorumque & naturalium, & ſupernaturalium in ſe profuſione cognouiſſet. Cùm ergo malorum omnium, quibus affligimur etiam hac in vita mortali, origo ab illo primi hominis procedat delicto, iſtudque ex diuinæ juſtitiæ vel ignorantia, vel obliuione, & nimia Dei miſericordiæ conſideratione ſit ortum; ſemper mentes noſtras occupet juſtitiæ & miſericordiæ Dei cognitio, corque noſtrum ex vtraque, ſpe ſimul & timore moueatur, vt vel nuſquam peccati labe inquinetur, vel inquinatum diuinâ gratiâ adiuuante, ac ſuccurrente juſtitiæ & bonitatis Dei cogitatione, citiùs emaculetur.

Iuſtitiæ Dei obliuio, & nimia eius miſericordiæ cogitatio nocent.

Timorem abſtulit dæmon, & ſpem erexit, vt Adamum in peccati barathrum deturbaret.

Baſil. Seleuc.

S. Thom.

Primus homo peccauit cogitans de diuina miſericordia.

D. Auguſt.

Iuſtitia Dei ſimul cum miſericordia cogitanda.

Etenim Deus imperfectè cognoſcitur, ſi vel tantùm juſtus, vel miſericors duntaxat agnoſcatur; maléque de eius prouidentia ſentiret, vniuerſamque Chriſtianam Religionem ſubuerteret, qui à Deo alterum ex his attributis remoueret. Omnia autem alia, quæ Deum hominibus vel præbent, vel negant, vel appropiant, vel ab eis remouent, in his duobus includuntur; hæc enim duo ſunt illius oculi lucidiores ſuper ſolem, quibus orbem vniuerſum illuminat, cunctos homines jugiter aſpicit, & omnibus inceſſanter inuigilat. Hæc ſunt inſuper duo illius vbera meliora vino, quæ dulciſſimum lac in ſpiritualem animarum nutritionem copioſè & abundanter effundunt. Hæc ſunt præterea duo eius brachia, quibus nos omnes amplexatur, duæque illius manus, quæ fecerunt & plaſmauerunt nos; quæque juſtis æternæ gloriæ coronam, & impiis perennis 593.

Malè Deus cognoſcitur, ſi vel juſtus tantum, vel duntaxat miſericors cognoſcatur.

Miſericordia & juſtitia duo Dei oculi, duo brachia, duæ manus, duo latera, & duo pedes.

cruciatus

cruciatus pœnam retribuent. Hæc ſunt præterea duo cordis eius latera, quæ ardorem ac ſplendorem diuinæ maieſtatis mitigantia ſuauem in nos halitum emittunt. Hæc denique duo illius pedes ſunt, quibus ad noſtram ſuſtinendam infirmitatem velociter currit. Vnde gemina hæc attributa & proprio ſermone, & duobus ſacrorum librorum, veteris ſcilicet & nouæ Legis ordinibus, & ipſa Lege & Prophetis Deus voluit ſemper hominibus manifeſtari. *Semel loquutus eſt Deus: duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*, inquit Propheta *pſalm. 61. 1x.* Quæ verba licet pugnare videantur cum eo quod ſcripſit Apoſtolus Hebr. 1. 1. *Multifariam, multiſque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis*: attamen maximè conueniunt, quia quoties Deus patribus ac Prophetis loquutus eſt, poteſtatem ſuam, ſeu juſtitiam, necnon & miſericordiam ſuam declarauit: & cùm pluries loquutus eundem de eadem re ſermonem habuerit, ſemel loquutus à Pſalmiſta perhibetur, vt miſericordiam ſuam & juſtitiam, nec in ipſo, nec erga homines ſeparari nos doceret. Quod attigit Auguſtin. præfata Pſalmiſtæ verba exponens: *His duobus* (inquit) *continentur prope omnes Scripturæ, propter hæc duo Prophetæ, propter hæc duo Patriarchæ, propter hæc Lex, propter hæc ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, propter hæc Apoſtoli, propter hæc annunciatio omnis, & celebratio verbi Dei in Eccleſia: propter hæc duo, propter poteſtatem Dei, & miſericordiam. Poteſtatem eius timete, miſericordiam eius amate: nec ſic de miſericordia eius præſumatis, vt poteſtatem contemnatis: nec ſic poteſtatem timeatis, vt de miſericordia deſperetis.* Hæc Auguſtinus.

Multifariam Deus locutus, ſemel locutus dicitur, quia juſtitiā ſuam & miſericordiam, quæ omnibus eius verbis expoſitæ ſunt, ſemper copulauit. *D. Auguſt.*

594. Hinc eſt quod ipſe idem Pſalmiſta, vt animam ſuam à peccatorum oexibus eriperet, Deum obſecrans, eius miſericordiam juſtitiæ copulatam commemorauit ac rogauit, vt ſcilicet ab optimo patente ſpem ſalutis conciperet, & tamen ab æquiſſimo Iudice jugiter formidaret. *O Domine*, inquit, *libera animam meam: miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.* Pſalm. 114. 5. Vbi miſericordem, & juſtum Deum nominat, vt oſtendat ſe & in miſericordia ſperare, & ſimul ab eius juſtitia timere. Quare Hieronymus præfata Pſalmiſtæ verba exponens, inquit: *Erige aures peccator, miſericors eſt Dominus, ſed noli eſſe negligens, ſequitur enim, Et juſtus. Si multùm peccator es, audi: Miſericors eſt Dominus. Si negligens es, audi: Et juſtus eſt.* Hæc Hieronymus.

David miſericordiam ſimul & juſtitiam Dei inuocauit.

S. Hieron.

595. Hinc etiam Redemptor noſter, qui manſuetus & mitis eſt, vt etiam ſe tenere ſeueritatem demonſtraret, per apem voluit adumbrari, Eccl. 11. 3. *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Quæ verba de Chriſto exponit Bernardus *ſerm. 2. de aduentu.* Sicut enim apis, & mellis producit dulcedinem, & pungentem aculeum infigit: ita & Chriſtus Dominus miſericordiæ benignitatem, & juſtitiæ ſeueritatem profert. Si ergo in Chriſto manſuetudinem & bonitatem demiramur & amamus, juſtitiæ æquitatem reuereamur & timeamus. Apis eſt, & in eodem ore mel gerit, & aculeum: vngit, & pungit: præmiat, & caſtigat: vulnerat, & ſanat, & omnium hominum ſaluator & judex conſtitutus eſt. Vnde & Bernardus *ſerm. citato*, miſericordiam Chriſti, & juſtitiam ſimul illuſtrans: *Apis* (inquit) *habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò eſt, quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde & ad ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi inſedit, illi adhæſit. Huius apis mel & aculeum non ignorat, qui miſericordiam, & judicium ei cum Propheta decantat.* Et poſt pauca ſubdit: *ſed nolite ſperare in iniquitate, nolite peccare in ſpe; habet enim apis noſtra quandoque aſſumere aculeum ſuum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum.* Hæc de melle, & aculeo Chriſti, apis myſticæ, Mellifluus Abbas, ſuauiter quidem & eleganter. Sed mihi fas erit addere, non tantùm in die judicij apem noſtram Chriſtum Dominum in medullas aculeum acriter infigere peccatorum, ſed illum etiam in homines ante mortem vibrare, non quidem vt illos feriat & judicet; ſed vt illis medeatur, & ſaluet. Simul enim cordibus hominum timorem incutit, & ſpem fundit, vt illum judicem metuentes, & in illum Saluatorem miſericordem ſperantes, timore & ſpe æternam ſalutem conſequantur.

Cur Chriſtus per apē voluit adumbrari.

In eodem ore apis mel gerit, & aculeum: Chriſtus Saluator eſt, & Iudex. *D. Bernard.*

In Chriſtum ſperandum, & à Chriſto timendum.

Porrò adeo juſtus & miſericors Chriſtus eſt, vt etiam in cruce, quæ gratiæ ac miſericordiæ eius thronus eſſe videtur, juſtitiam ſimul cum miſericordia demonſtrauerit, ne ſolam miſericordiā intuentes homines præſumerent, ſed vt illam juſtitiæ copulatam agnoſcentes, ſpe & timore in viam ſalutis greſſus dirigerent, & Chriſtum non tantùm miſericordem diligerent, ſed inſuper & juſtum formidarent. Ex duobus etenim, qui cum Chriſto pendebant, latronibus alter maximâ miſericordiâ paradiſum accepit, alter ſummâ juſtitiâ gehennam intrauit, vt ſcilicet ex conuerſione latronis non deſperarent homines, & non præſumerent ex alterius ad latus Chriſti pendentis damnatione. Nam *Luc.* 23. 39. dicitur: *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, &c.* Et de eius ſocio *ibidem* 42. ſcriptum eſt: *Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, &c. Et dixit illi Ieſus: Hodie mecum eris in paradiſo.* Vbi non ſolùm hominis cum Chriſto patientis, eiuſque ſanguine veluti irrigati, & Dominum nihilominus blaſphemantis æquiſſima damnatio omnibus peccantibus formidinem immittit; ſed etiam latronis confitentis ac obſecrantis benigna & gratuita ſaluatio. Nam quamvis Dei miſericordia in illum omnium peccantium ſpem ſuſcitet, quia vt inquit Ambroſius in pſalm. 39. *Nemo eſt qui poſſit excludi, quando receptus eſt latro.* Attamen quia ex duobus cum Chriſto pendentibus vnicus tantùm miſericordiam accepit, & ſalutem conſequutus eſt, nulluſque alius in fine vitæ parem gratiam eſt aſſequutus, ideo maximum timorem omnibus peccantibus incutit, ne gratia ſimilis illi, quæ cariſſima & ſingulariſſima extitit, illis denegetur. Quod attendens Auguſtinus, inquit: *Latro eſt, ne deſperes: vnus eſt, ne præſumas.* Vnde & Bernardus *ſerm.* 38. ex paruis: *Si benè memini* (inquit) *in toto canone Scripturarum vnum latronem inuenies ſic ſaluatum. Noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum.* 596.

In cruce Christus juſtitiam cum miſericordia oſtendit, & quare.

E duobus latronibus in cruce vnus ſaluatur, vt ſperemus: vnus damnatur, vt timeamus.

D. Ambroſ.

D. Auguſt.

D. Bernard.

Verba quippe Saluatoris crucifixi ad latronem ſingulariſſimam illi gratiam oſtendunt fuiſſe conceſſam, & homines admonent, ne ſimilem à Deo benignitatem expectent; ait enim: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. 42. Vbi ſermonem ſuum à juramento veritatem confirmante inchoat Chriſtus, ne quis de re ſingulari ac inſolita dubitaret, de qua dubitandi locus fuiſſet, niſi Dominus ſimili modo loquendi, quo & myſteria admodum difficilia confirmauit, vſus fuiſſet. 597.

Verba Chriſti ad latronem nobis timorem incutiunt.

fuiſſet. Illud etiam ad nullum alium, qoàm ad latronem direxit, per hæc verba, *Dico tibi*, vt nemo præter ipſum ſibi & hoe fuiſſe dictum, & ſimilem gratiam fore concedendam exiſtimatet. Addit, *hodie*, quo in throno miſericotdiæ ſedeo, Dei iram omninò morte meâ placo, eius juſtitiæ rigoroſè cruoris mei effuſione ſatisfacio, pro omnibus hominibus meipſum hoſtiam offero, & cunctis peccaroribus copioſam redemptionem exhibeo, ac conſequenter omnium delicta deleo, & chitographum decreti, quod aduersùs peccatores erat, tollo, omoemque benignitatis abundantiam cum vita & ſanguine meo lubentiſſimè profundo, maximam & ſingularem miſeticordiam cooſequeris: alio die, aliâ horâ non haberes, quod in hora mortis meæ ex diuina, eaque maxima indolgentia tibi conceditur. Vnde & coouerſio miraculoſa omninò extitit; & quo tempore Sol obſcurabatur, terra motibus quatiebatur inſolitis, & omnia ſuum elementa ex eorum tranſmutatione lugebant Creatorem, rranſmutatus & conuerſus eſt latro. Vnde Chryſoſt. hom. 48. in Ioan. *Latronem*, inquit, *in cruce conuertere, & in paradiſum inducere, non minus fuit, quàm concutere petras*. Deinde addidit Chriſtus, *Mecum eris in paradiſo*, vt oſtenderer gratiam latroni collatam ex eius ſocietate fluxiſſe: quia enim ſimilem pœnam, quam Dominus, patiebatur, & ſimol cum illo in ligno mortem ſubibat, eiuſdem paſſionis copioſam virtutem primus accepir, & lattocinij pœnam fecit martyrium: nam vt loquitur S. Auguſtinus lib. de anima & eius orig. cap. 9. *Pœna incœperas in latrone, & nouo genere conſummatur in martyre*. Vnde & Ambroſius *ſerm. 1. de Latrone*, illius ſalutem ſocietati paſſionis Chriſti attribuit; ait enim: *Qui conſortio paſſionis vtitur, conſortio paradiſi donatur*. Ex quibus omoibus liquet, nullum ex conoerſione latronis in vltima vitæ ſuæ hora poſſe in diuina miſericordia confidere, & ad extremum vitæ ſuæ inſtans ſuam pœniteotiam differre. Sicut enim *vna hirundo non facit ver*, vt ex Ariſtotele vulgò dicitur; ita ex vnius conuerſione ſingulariſſima nequit colligi omnibus, vel etiam pluribus Dominum ſimilem miſericordiam conceſſurum. Nam vt *in regul. juris in 6. 74.* dicitur, *Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*. Sicuti enim *aliquis non præſumit hoſtes inermis inuadere, quia Samſon cum mandibula aſini multos hoſtium peremit*, vt loquitur Auguſtinus *lib. de bono coniugali, c.* 22. & refert S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 4. *ad* 2. quia ſcilicet hoc à Deo Samſoni ſpecialiter fuit conceſſum, & miraculoſa fuit eius victoria: ita nullus ex latronis in hora exitus conuerſione, quæ viâ extraordinariâ accidit, & miraculoſa extitit, eandem gratiam poteſt expectare, maximè cùm nullus io nullis circumſtantiis in verbis Chriſti expreſſis, & ſuprà à oobis expoſitis reperiatur.

Côuerſio latronis miraculoſa, & ſingularis.

D. Chryſoſt. Latronem illum conuertere, & ad paradiſum deducere, non minus fuit, quàm concutere petras.

D. Auguſt.

D. Ambroſ.

Ex ſingulari latronis conuerſione nemo confidat, vel inaniter ſperet.

D. Auguſt. S. Thom.

598. Quare idem Auguſtinus eiuſdem latronis conuerſionem eiſdem circũſtantiis, ſeu occaſionibus, ac deuotioni eximiæ, fideique maximæ illius furis attribuit: quæ omnia cùm in nullo hominũ iouenianturr, nullus debet ea, quæ in fine vitæ hie conſequutus eſt, ſperare. Sie enim *ſerm. 120. de temp.* loqoitur: *Primùm conſiderandum in latrone illo, non ſolùm credulitatis compendium, ſed deuotio, ſed temporis illius, ſub quo hæc agebantur, occaſio, quo juſtorum legitur titubaſſe perfectio. Deinde autem mihi fidem latronis oſtende, & tunc in latronis beatitudinẽ pollicere*. Hæc Auguſtinus. Vnde quamvis fur iſte ex ſpeciali Dei miſericordia æternam beatitudinem ſit aſſequutus, & nunc in cœlis cum Chriſto regnet: attamen nullum ei feſtum inſtitutum eſt, nullum altare erectum, nullus dies conſecratus, nullæ eius imagines in templis Chriſtianorum expoſitæ, quia nulli in exemplum ab Ecclesia poſitus eſt, ne ſcilicer aliquis errandi anſam arripiat, & dum vſque ad finem vitæ, vt declinet à malo, & faciat bonom, in miſericordia Dei confidens præſtolatur, pœoitentiæ locum non inueniat, & à Dei benignitate, quam ſpreuit, exploſus juſtitiæ dumtaxat ſeueritatem experiatur. Nullus igitur ex latronis conuerſione inaniter confidat, vel præſumat, ſed potiùs formidet; cùm furis beati ſocius, qui ferè in omoibus allatis circumſtantiis extitir, atque ad latus Redemptoris pependir, nec pœnitentiam habuerit, nec ſalutem æternam ſit aſſequutus. Quod vtique non paruum, aut leue Chriſtianis hominibus eſt terriculamentum; & ideo Athanaſius ſerm. de paſſ. *Vides*, inquit, *latrones, ſed non ambo in eiſdem: alter regnum hæreditauit, alter in gehennam dimiſſus eſt*.

Circũſtantiæ conuerſionis latronis ſingulares nemini præbẽt anſam ſperandi.

Latroni beato nec dies feſtus, nec imagines, nec altaria eriguntur, & quare.

S. Athan.

599. Non igitur ſolam Chriſti in confitentem furem miſericordiam, verùm etiam illios in blaſphemantem ſocium æquitatem attentè conſideremus; illique optimo Saluatori, æquiſſimoque Iudici miſericordiam & judicium cum Pſalmiſta *pſal.* 100. 2. decantemos, vtriuſque ſemper & protectionem, & adiutorium poſtulantes, vt timore & ſpe exagitati, à peccatis quantocyùs, omni morâ ſeclusâ, reſurgamus. Iuxta enim oraculum Spiritus Sancti in ſacris paginis exaratom, eadem velocitate peccatum debemus deſerere, quâ & à ſerpentibus venenum ſuum in nos emittentibus fugere conamur. *Quaſi*, inquit Eccl. 25. 2. *à facie colubri fuge peccatum*. Quibus verbis vtitur S. Thomas, vt doceat hominem ſtatim teneri à peccato recedere: ait enim 2. 2. q. 42. art. 8. in corp. *Manifeſtum eſt, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere, ſecundùm illud Eccl. 21. quaſi à facie colubri fuge peccatum*. Hæc. S. Doctor. Quibus docet hominem bonum alterius iniuſtè occupantem, ſtatim & ſine mora teneri ad reſtitutionem, quia & ſine mora, & maxima cum feſtinatione peccatum debet deſetere. Quæ cùm vera ſint, ooo ſolùm in reſtitutione bonorum, quæ inuito domino retinemus, ſed etiam in reparatione honoris, gloriæ & famæ, quæ à nobis vel læſa, vel ablata ſunt, quia hæc bona moralia pluris æſtimantur, quàm boua merè naturalia & temporalia, vt ſunt diuitiæ & huiuſmodi, etiam in otdine ad Deum debent verificari. Cumque omne bonum, quod habemus, ab illo ad nos deſcendat; & dum peccamus, corpus noſtrum, vitam, voluntatem, immò & ipſam animam, quæ potiora bona illius nobis collata ſuot, iniuſtè, & illo tanquam domino inuito retineamus, & ſeruire iniquitati ad iniquitatem faciamus, ac inſuper eius gloriam & honorum, quantùm in nobis eſt, vitiorum noſtrorum turpitudioe obſcuremus, immò & rapiamus; ideo ſemel cognito prauo cooſcientiæ noſtræ ſtatu, ſubitò debemus illa omnia Deo reſtituere verâ ad Deum conuerſione, ac peccatorum noſtrorum deteſtatione, atque ſine mora veræ pœniteotiæ omoinò iocumbere. Quod ſuadet Apoſtolos, dum inquit Rom. 6. 19. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem, ita* NVNC (oon io poſterum) *exhibete membra veſtra ſeruire juſtitia in ſanctificationem*.

Iuſtitia Chriſti in malum latronem attendenda.

A peccato tenetur homo ſtatim recedere, S. Thom.

Tenetur homo ſtatim reſtituere bona alterius quæ iniuſtè occupat.

Conuerſio peccatoris ad Deum quædam eſt reſtitutio.

Non debet differri.

tionem. Quod ſummâ diligentiâ præſtitit Magdalena; vt enim cognouit, maximam Chriſti Redemptoris juſtitiam & miſericordiam, ad ipſum ſtatim cucurrit, vt quod à Deo iniuſtè peccando rapuerat, juſtè per pœnitentiam ei reſtitueret. Nam vt de illa loquitur Gregorius hom. 33. in Euangel. *Quod ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum numerum criminum, vt ſeruiret Deo in pœnitentia quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Hæc Gregorius. Nec in futurum tempus, nec in ſenectutem, immò neque in diem craſtinum pœnitentiam & acceſſum cum lacrymis ad pedes Chriſti diſtulit mulier juuenis & peccatrix; ſed ſtatim dolore, & amore in corde ſaucia, ad medicum non tantùm cucurrit, ſed vt ita dicam, volauit animarum, vt citò veniam poſtulans, citò veniam reciperet, & perfectam animæ ſanitatem. Sic enim illam loquentem inducit S. Paulinus epiſt. 4. *Vel in Digni, vel in domo Pharifæi audiam Dominum veniſſe, contendam præripere hoſpitis gratiam, præripere ſi poſſem regnum cœlorum.* Vnde & Cæſarius Arelatenſis *hom.* 7. huius mulieris in florida, roſeaque ac feruida juuenta, & ad primam vocationem pœnitentiam demitatus eſt, generoſumque illius animum obſeruauit in hoc, quod ſenectam non expectauit, ne neceſſitate potiùs quàm voluntate videretur pœnitere. *Nec ipſa* (inquit) *ſe reſeruauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiam ageret; ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, vt illam de adulteriis ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed voluntas.* Hæc Cæſarius.

D. Gregor.

Magdalena citò ad Deũ conuerſa eſt, & ad virtutũ numerum conuertit numerum criminum.

S. Paulin.

Cæſar. Arel.

Dum adhuc poterat peccare, à peccato ceſſauit Magdalena.

600. Sanè æquum omninò eſt, vt juſtitiam ſimul & miſericordiam Domini cupientes, velociter ex noſtris reſurgamus iniquitatibus, & ad ipſum Redemptorem celeriter feſtinemus. Cùm enim *nuſquam poſſit purgari mora*, vt tritum eſt apud Iuriſperitos, & ſemel deperditum, nuſquam valeat recuperari tempus; niſi ſubitò auditâ voce Domini vocantis, & ad pœnitentiam incitantis ad illum cucurrerimus, janua ſalutis nobis forſitan obſerabitur, & alio tempore aditus nobis ad æternam vitam non patebit. Nulli niſi vincenti corona gloriæ tribuitur, vt habetur Apoc. 21. 7. *Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Nemo autem vincit ſine pugna, in iſta autem celeritas, & diligentia admodum neceſſaria eſt; non enim tempore alio differendum eſt prælium, ſed extemplò militandum eſt, dum inſtant, vrgentque hoſtes validiſſimi: niſi enim fortiter expellantur, ab illis ſuperari neceſſum eſt. Vnde & Latinus Pacatus in panegyrico ad Theodoſium, ob ſummam in expellendis, ſuperandiſque hoſtibus velocitatem, hunc mirificè extollit Imperatorem, laudatque ac approbat pictorum inuentum ac Poëtarum, qui *victoriam finxere pennatam, quòd hominum cum fortuna euntium, non curſus eſt, ſed volatus.* Hinc Chriſtus Dominus vt mundum vinceret, dæmonemque, mortem, cæteroſque nobis infenſos hoſtes ſuperaret, ad crucem non ſolùm ambulauit, & cucurrit, ſed etiam quodammodo volauit, omnemque moram, quâ retardabatur, non modicam pœnam exiſtimauit. Eapropter proditori ſuaſit diſcipulo, vt ad votum implendum feſtinaret. *Quod facis*, inquit, *fac citius*: Ioan. 13. 27. Ipſeque non ſolùm antequam traderetur coarctatus eſt, magnamque ſenſit anguſtiam, juxta illud Luc. 12. 50. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſquedum perficiatur*: ſed etiam poſtquam à Iuda proditus fuit, breuem illam vſque ad obitum moram minimè ferens, mœſtitiam ac triſtitiam maximam accepit. Quod inſinuatur Matth. 14. 33. vbi dicitur: *Cœpit tædere, & pauere, & ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Quæ verba ad rem præſentem exponens Ambroſius lib. 7. in Luc. *Cùm in ſe* (inquit) *nihil habuerit, quod doleret; noſtris tamen angebatur ærumnis, & ſub tempore mortis mœſtitiam prætendebat, quam non ex metu mortis ſuæ, ſed ex mora noſtræ redemptionis aſſumpſerat.* Hæc Ambroſius.

Nuſquam poteſt purgari mora.

Latin. Pac.

Victoriam pennatam finxere Poëtæ, & quare.

D. Ambroſ.

Cùm ergo omnis victoria de imminentibus hoſtibus à diligentia & fortitudine oriatur, ipſeque Chriſtus ſummam ad redimendum homines diligentiam attulerit; debet omnis Chriſtianus quantocyùs quod malè geſſit, pœnitentiâ expiare, & nequaquam conuerſionem ſuam ad vltimum vitæ ſuæ tempus differre, maximè cùm Dei juſtitia, quæ miſericordiam nuſquam deſerit, negligentiam noſtram gratiarum toties ſpretarum denegatione in fine vitæ ſæpiſſimè puniat. Ergo *dum tempus habemus, operemur bonum*, vt dicitur Gal. 6. 10. Nuncque miſericordiam, & juſtitiam Domini præ oculis habentes, *emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus; ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus*, vt canit Eccleſia in 3. Reſponſorio Matutini officij Dominicæ primæ Quadrageſimæ: alioqnin nuſquam victores erimus, nec æterna præmia viuentibus præparata poſſidebimus: ſed victi, non ſolùm à Dæmone, ſed etiam à prauis & inordinatis animæ noſtræ motibus, in barathrum æternæ damnationis à diuina juſtitia deturbabimur, & in illo ab eius miſericordia in perpetuum detinebimur, juxta illud pſalm. 138. 10. *Illuc* (in infernum) *manus tua*, ideſt juſtitia, *deducet me*: & *tenebit me dextera tua*; hoc eſt, miſericordia tua. Hæc enim duo attributa duæ manus Dei ſunt, quarum dextera eſt miſericordia, quæ damnatos in igne conſeruat; ſiniſtra eſt juſtitia, quæ illos ignis ſupplicio, ac diuinæ priuatione viſionis torquet. 601.

Non debet ad finem vitæ differri pœnitentia.

Sectio V.

Vt diuina ſuper nos miſericordia effundatur, orationibus debemus à Deo poſtulare.

QVamvis nuſquã à juſtitia Dei eius miſericordia diuidatur; attamen debet homo non ſolùm in miſericordia Dei ſperare, verùm etiã vt hæc ſuper illũ effũdatur, jugiter & enixè Deum rogare.

Duplex autem in ſacro eloquio Dei miſericordia commemoratur: alia quæ peccata hominum diſſimulat, vt ea ſeueriùs puniat; & hæc videtur eſſe derelictio hominis à Deo in pœnam peccatorum, vt adhuc noua peccata committat, & tandem pro illis pœnâ æternâ donetur. De iſta dicitur Iſai. 26. 10. *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.* Quod exponens Bernardus *ſerm.* 42. *in Cant.* ait: *Vides quia tunc Deus magis iraſcitur, cùm non iraſcitur? Miſereamur impio, inquit, & non diſcet facere juſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miſeratio iſta, ſepiens mihi vias juſtitiæ. Satius profectò mihi juxta Prophetæ conſilium apprehẽdere diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereã de via juſta. Volo iraſcaris mihi, Pater miſericordiarum: ſed illâ irâ, quâ* 602.

Duplex miſericordia Dei, alia quæ peccata diſſimulat, vt ea ſeueriùs puniat.

D. Bernard.

Tunc Deus magis iraſcitur, cùm non iraſcitur.

corrigis

corrigis deuium, non quâ extrudis deuia. Et ſermone in illud, *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* eadem verba Iſaiæ rurſus exponens Bernardus, & præſertim illa, *In terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini*, ait: *Quid igitur cætera vidiſſe præſtat? Hiccine totus miſericordiæ finis? Hanc ego miſericordiam nolo, procul fiat miſeratio tam crudelis, ne veniat in eorum conſortium anima mea.* Hæc Bernardus. Vnde hæc miſericordia non debet à Deo poſtulari.

603. Alia eſt, quæ peccata hominum remittit, & ab eis ſummam miſeriam expellit. Hanc poſtulabat Dauid *pſalm.* 50. 1. dicens: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Vbi Propheta maximam Dei miſericordiam in remiſſione, & deletione peccatorum, ac conſequenter gratiæ ſanctificantis infuſione docet conſiſtere. Cùm enim culpa lethalis, quæ hominem in ratione, quæ præcipuum illius bonum naturale eſt, lædit, & ipſum gratiâ ſanctificante, quæ eſt maximum bonum ſupernaturale, vtpote diuinæ naturæ formalis participatio, exſpoliat, ſumma hominis miſeria meritò nuncupetur; ideo illa Dei benignitas, quæ illam culpam delet & obliterat, rectè magna Dei miſericordia nominatur. Hæc autem præcipue neceſſaria eſt his, qui voluntariè, & ex certa ſcientia peccauerunt, ſicut de facto peccauit Dauid quando Vriæ abſtulit vxorem. Cùm enim peccatum hoc modo perpetratum maius ſit, maiorem miſericordiam, vt deleatur, requirit. Vnde Auguſtinus in præfata verba Pſalmiſtæ inquit: *Quærant paruam miſericordiam, qui neſciendo peccauerunt.* Notanter autem addidit Propheta, *tuam*, dum dixit, *ſecundùm magnam miſericordiam tuam*: nulla enim alia miſericordia, niſi Dei, tantam miſeriam, nempe peccatum, expellere poterat, vel ſubleuare. Hanc debemus enixe poſtulare, vt verè poſſimus pœnitere, & veniam noſtrorum conſequi delictorum: nullumque in nobis poteſt eſſe peccatum, etiam atrociſſimum, quod hac miſericordiâ non poſſit obliterari. Verbum enim Cain dicentis Gen. 4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, reprobatur, vt aduertit S. Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 10. qui ibidem ait: *Miſericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet abſque vllo termino: vnde dicitur* 2. *Paralip. vltimo: Immenſa & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, ſuper malitiam hominum.* Vnde & Iudas, qui Chriſtum tradidit, potuit etiam in eius miſericordia ſperare; & ſanguine, qui ex eius cum Iudæis pactione à Chriſto in cruce fuſus eſt, illius potuit iniquitas emundari: ideoque vt notauit Hieronymus *in pſalm.* 108. explicans illa verba, *Et oratio eius fiat in peccatum*, ait: *Magis ex hoc offendit Iudas Dominum, quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit.* Etenim ſemper debet in Dominũ ſperare peccator, & ſuis precibus eius miſericordiam implorare. Quamvis enim juſtitiam Dei ſemper debeamus formidare, etiam in eius benignitate debemus ſemper confidere. Vnde licèt ex nimia confidentia, ſeu ſpe in miſericordia Dei poſſit peccare Chriſtianus, ſicut ex nimio timore eius juſtitiæ: attamen minus peccatum eſt præſumptio in Dei miſericordia, quàm deſperatio ex eius juſtitia. Quod docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 21. *art.* 2. vbi ait: *Præſumptio eſt peccatum, minus tamen quam deſperatio; quoniam magis proprium eſt Deo miſereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem. Illud enim ſecundum*

R.P. Cat. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Alia quæ peccata remittit, & ſummam expellit miſeriam.

Magna miſericordia quid ſit.

D. Auguſt.

Nullum peccatum, etiam atrociſſimũ, quod non poſſit à Dei magna miſericordia deleri.

S. Thom.

D. Hieron.

Magis peccauit Iudas ſua deſperatione, quàm Chriſti proditione.

D. Thom.

Minus peccatum eſt præſumptio ex miſericordia, quàm deſperatio ex juſtitia.

ſe Deo conuenit, hoc autem ſecundùm noſtra peccata.

Spectantes igitur in diuina miſericordia debemus illam enixè ac humiliter poſtulare, nulluſque hominum ab hoc petendi munere eximitur. 604. Cùm enim Dei benignitas non ſolùm à miſeriis peccata relaxando liberet, ſed etiam à lapſibus præſeruando juſtificantem gratiam cuſtodiat; ſi peccatorum ſordibus aliquis inquinetur, diuinam, vt emaculetur, roget miſericordiam: ſi autem mundatus à culpis juſtitiam ex gratia teneat, vt in ea conſeruetur, exoret: ſicque & peccatoribus, & juſtis omninò incumbit diuinam miſericordiam implorare. Quod & ſecundum Concilium Arauſicanum docuit *can.* 10. vbi dicitur: *Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Et *can.* 14. habetur: *Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordiâ præuenitur*, ſicut dicit Pſalmiſta pſalm. 118. *Citò anticipet nos miſericordia tua, Domine.* Et illud: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Pſal. 58.

Conc. Arauſ.

Diuinum auxilium eſt implorandũ ad ſtandum in bono, & ad reſurgendum à malo.

Vt autem diſtinctè pateat, & omnibus perſpicuum ſit, diuinam miſericordiam à peccatoribus, & à juſtis humilibus precibus fore implorandam; ab illis, vt à peccato ſurgant; ab iſtis, vt in bono ſtent ac perſeuerent, de vtriſque ſigillatim paucis demonſtrare conabimur.

§. I.

Peccator vt veniam peccatorum obtineat, & ab illis omninò ſurgat, frequentibus orationibus diuinam debet implorare miſericordiam.

Etſi *omnia nuda & aperta ſint oculis Dei*, & imperfectum noſtrum videant oculi eius, ac ingenti bonitate noſtris velit ſuccurrere neceſſitatibus, quas vigili prouidentiâ jugiter intuetur; attamen cupit Dominus, vt mala quæ hìc nos premunt, & ærumnas quibus fatigamur, ipſi exponentes, ab eo benignitatem ac miſericordiam humiliter poſtulemus. Hinc orationis, quâ & Dei excellentiam, maieſtatem, omnipotentiam, ac bonitatem, noſtramque ſimul miſeriam, paruitatem, immò ſi ſic loqui fas eſt, nihilitatem exhibemus, origo trahitur. Sicuti enim ſe dominum, prouiſorem ac continuum benefactorem à nobis vult corde & ore agnoſci; ita vt noſtram indigentiam ac neceſſitatem, quæ eius bonitate ac liberalitate ſubleuantur, publicè confiteamur, exoptat. Hæc orationum ac precum noſtrarum origo eſt, & precandi præceptum, quod ore ſuo Chriſtus nobis ſignificarum emiſit & protulit: *Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Matth. 7. 7. 605.

Miſeriam noſtram Deo debemus exponere.

Neceſſaria igitur homini Chriſtiano eſt oratio, & neceſſitate præcepti, quia Dominus orationem imperauit, *Matth.* 7. 7. & *Luc.* 18. dum loquit, *Oportet ſemper orare, & non deficere*: & neceſſitate medij, quia oratio eſt medium neceſſarium, quo ad Deum liberatorem, benefactorem, ac Saluatorem accedimus. Cùm enim ſit *aſcenſus mentis in Deum*, vt inquit Damaſcenus *lib.* 3. *fid. c.* 24. ab imis terræ locis ad ſuperiora migrat, immò & ad ipſum Deũ erigitur, qui precibus & orationibus illum humiliter interpellat. Speciali autẽ modo ad Deum homo orationibus accedit reuerentiam ei exhibẽdo, quæ primo enti, & ſummo omnium Domino jure debetur. Vnde & D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3. *Per orationẽ* (inquit) *homo Deo reuerentiam exhibet, in quantum* 606.

Oratio nobis eſt neceſſaria neceſſitate præcepti & neceſſitate medij.

D. Damaſc.

D. Thom.

ſcilicet ei ſe ſubjicit, & profitetur orando ſe eo indigere, ſicut authore ſuorum bonorum. Cùm autem nemo ſaluti ſuæ poſſit ſtudere, niſi hoc modo ſe Deo ſubjiciat, ſequitur perſpicuè orationem cuilibet neceſſitate medij fore neceſſariam. Quare D. Auguſtinus neminem ad ſalutem, niſi per orationem venire docet, dum inquit: *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante venire; nullum inuitatum, niſi Deo auxiliante operari; nullum niſi orantem auxiliari.* Hæc Auguſtinus.

D. Auguſt. Ad finem nemo venit, niſi vocatus: nemo vocatur, niſi oret.

607\. Debet ergo homo peccatorum ſuorum pondere prægrauatus, toto corde & affectu Deum liberatorem inuocare, & humilibus ac ardentibus precibus ad Deum in fortitudine clamare, vt ſuper ipſum effundat Dominus gratiam ſuam, & ingenti miſericordiâ ab iniquitate ad perfectam juſtitiam transferat & ſanctitatem. Hine eſt, quod Dominus orandi modum omnibus præſcribens, peccatorum remiſſionem à Deo docuit poſtulare *Matth. 6. & Luc.* 11. dum in noſtris præcepit orationibus, vt dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra*; hoc eſt, peccata à nobis commiſſa, quibus tibi debitores ſumus, propitiatus abſolue, & omnia quibus grauamur, delicta remitte. Ab omnibus autem in oratione Dominica, ſiue juſtis, ſiue reis hæc petitio, mandante Domino, pronunriatur, vt nullus ſe à quibuſdam quotidianis immunem credat offenſis, ſicut optimè notauit Martyr Cyprianus præfata explicans verba. *Quàm neceſſariò* (inquit) *quàm prouidenter, & quàm ſalubriter admonemur, quod peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia à Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur: ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur, & docetur ſe peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Hæc Cyprianus.

Chriſtus docuit nos peccatorum remiſſionem oratione poſtulare.

D. Cyprian.

608\. Verùm qui lethalibus premuntur culpis, frequentioribus, ac feruentioribus Deum debent orationibus obſecrare, vt iram eius in eos juſtè accenſam mitigent, & extinguant, atque eius miſericordiam citiùs ac faciliùs obtineant, ac ſuorum veniam conſequantur delictorum. Quamvis enim horum ex eo, quod & gratiâ & charitate ſunt orbati, oratio non ſit meritoria; attamen ex miſericordia Dei impetrat, quod ex juſtitia ei non debetur, præſertim cùm peccatores pro ſe neceſſaria ad ſalutem piè & perſeueranter ſuis deprecationibus petunt, vt docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 16. & D. Auguſtinus *tract.* 44. *in Ioan.* vbi ait: *Si peccatores non exaudiret Deus, fruſtra Publicanus dixiſſet, Domine propitius eſto mihi peccatori.* Et Chryſoſt. hom. 18. in Matth. *Omnis* (inquit) *qui petit, accipit; id eſt, ſiue juſtus ſit, ſiue peccator.*

Oratio peccatorum non eſt meritoria, ſed impetratoria.

D. Thom.
D. Auguſt.

S. Chryſoſt.

609\. Quamvis autem oratio dicatur quaſi *oris ratio*, vt notat Caſſiodorus *in pſalm.* 18. attamen etiam ex corde, & affectu intimo debet proficiſci. Cùm enim ſit actus rationis, non purè ſpeculatiuæ, ſed practicæ, neceſſariò affectum & actum voluntatis includit. Voluntas autem, quæ mouet rationem ad ſuum finem, mouet orationem hominis ad Deum, vt ab ipſo neceſſaria & decentia petat, & vt ipſi tanquam fini vltimo, & ſummo bono vniatur, ſicut docet S. Thom. *quæſt.* 83. *cit. art.* 1. Vnde qui vt à peccatis exurgat, Deum obſecrat, toto cordis affectu debet intellectum ſuum ad Deum dirigere, eiuſque ſimul gratiam, & indulgentiam poſtulare: dumque ſe ad Deum deprecatione conuertit, à peccato, eiuſque occaſionibus ſeu cauſis voluntate ſimul, & re tenetur recedere, adoleſcentem illum imitatus, qui cùm omnem ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè diſſipaſſet, & vrgente fame ad paternam domum redire decreuiſſet, vt illius in ſe miſericordiam exoraret, ſtatim iter arripuit, & ad patrem veniens, ab omni luxuriæ inquinamento declinauit. Quod adeo parenti optimo placuit, vt etiam ante filij redeuntis acceſſum ad illum cucurrerit, & poſtulanda ipſam ante poſtulationem fuerit elargitus. Nam vt dicitur Luc. 15. 20. *Cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Quod demiratus Petrus Chryſologus *ſerm.* 3. inquit: *Tardam miſericordiam pater neſcit*; hoc eſt, velociorem redeunti filio benignitatem exhibet, quàm poſtularit; nam ad patrem nondum venerat, vt eius amplexus poſtularet, & gratiam indulgentiæ obtineret: & tamen ad illum accurrens genitor, ſe totum ſumma ex miſericordia proli committit. Quod eleganter expreſſit S. Hieronymus epiſtola 146. ad Damaſum: *Antequam* (inquit) *dignis operibus, & verâ pænitentiâ ad patrem rediret antiquum, Deus ad eius præcurrit aduentum, & reditum filij ſui junioris anticipat.*

Oratio quaſi oris ratio.

Ab intimo corde debet procedere.

Oranti & venienti peccatori ſe Deus magna velocitate præbet.

D. Chryſol.

D. Hieron.

610\. Nec diſſimili modo erga redeuntes Deus ſe gerit peccatores. *Citò illos anticipat miſericordia eius*; & ſimul ac peccatum deſerere, ad Deum redire, & eius miſericordiam ſuis obtinere precibus decreuerunt, illis occurrit, & quam cupiunt benignitatem, antequam poſtulent, elargitur, tanta eſt Dñi noſtri clementia, ac in homines gratias ſuas effundendi propenſio. Hanc ineffabilem Dei bonitatem mirè deſcripſit S. Ephrem Syrus *ſerm. de anima afflicta*, in hunc modum Deum alloquens: *Priuſquam peccator pertingat ad januam, tu ei aperis: antequam tibi procidat, manum ei præbes: antequam lachrymas profundat, tuas ſuper illum miſerationes effundis. Charitas tua noſtræ ſalutis cupidiſſima ſeipſâ ad nos inclinat.* Hæc ille. Vnde non ſolùm oris noſtri audit Dominus orationes, ſed etiam noſtrorum exaudit voces deſideriorum, juxta illud pſalmi 10. 17. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Quod exponens Doctor Angelicus *quæſt.* 83. *jam citata, art.* 1. *ad* 1. ait: *Hoc dicitur ad oſtendendam exauditionis velocitatem, quia ſcilicet dum adhuc aliquid in deſiderio pauperum eſt, Deus exaudit antequam orationem proponant*, ſecundùm illud Iſai. 65. 24. *Eritque antequam clament, ego exaudiam eos.*

Peccatores anticipat miſericordia Dei.

Ephrem.

S. Thom.

611\. At mirum non eſt, venientem peccatorem Dei miſericordiam præuenire, & ipſum pauperum deſiderium, necdum vocibus oris expreſſum exaudire: ipſos etiam fugientes diuina benignitas ſequitur, & reluctantes adeò eius gratia irrigat, vt etiam in deſiderantes tranſmutet: ſiquidem *ex nolentibus volentes facit*, vt loquitur Auguſtinus. Hinc fugientes ſequitur, & ipſos deuios manu ſuâ Dominus tenet, vt in rectam æternæ ſalutis viam deducat. Sic prorſus fecit ex ſumma benignitate Vnigenitus Dei, qui *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, vt dicitur *Hebr.* 2. 16. hoc eſt naturam humanam peccatis ſauciam, reluctantem, & veluti fugientem tenuit, occupauit, ac hypoſtaticè ſibi copulauit: indeque vt cum ſingulis hominibus fœdus iniret, ad ſingulos etiam legatos deſtinauit. Id teſtatus eſt Paulus 2. Cor. 5. 20. *Pro Chriſto*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obſecramus pro Chriſto, reconciliamini*

Fugientes ſequitur diuina miſericordia, vt deſiderantes faciat.

D. Auguſt.

Digitized by Google

conciliamini Deo. Quod perpendens, ac ineffabilem Dei benignitatem admirans Gregorius hom. 32. in Euangel. *Ecce inter nos* (inquit) *& Deum diſcordiam peccando fecimus; & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, vt nos ipſi, qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus, & ipſe qui offenſus eſt, legatis interuenientibus obſecrat Deus.* Hæc Gregorius. Maxima igitur ac proſſus ineffabilis miſericordia Dei noſtri, qui non ſolùm peccatores ſalutem cupientes audit, non ſolùm fugientes ſequitur, ſed etiam omninò auerſos per ſuos legatos ad pacem hortatur. Quis inter homines Rex rebellem ſubditum rogauit, vt ſibi reconciliaretur? Quis vnquam Princeps hominem maieſtatis reum, & pœnæ mortis addictum liberauit, & vt liberari vellet, obſecrauit? Quis vnquam Rex contumaci ſeruo dixit, ſimus amici, & dabo tibi vnam prouinciam? Et tamen optimus hominum Redemptor, Angelorum, Apoſtolorum, ac verbi Dei Concionatorum miniſterio, ac legatione vtitur, vt peccatores diuinæ maieſtatis reos, pœnæque mortis æternæ addictos ſibi reconciliet; ipſeque amantiſſimus ac clementiſſimus Dominus cuilibet contumaci ſeruo dicit, ſimus amici, & dabo tibi, non vnam prouinciam, nec vnum quod cum tempore finiatur regnum, ſed regnum cœlorum in æternum duraturum. Ad tantam Dei benignitatem obſtupuit Tertullianus *lib. de pœnit. cap.* 8. dicens: *Inauditum miſericordiæ genus eſt, quod cum ſummo Dominus jure miſericordiam, & veniam negare poſſet, non modò non neget, ſed ipſe etiam & velit, & roget, & minetur, niſi ad eum reuertaris, tanto ſalutis noſtræ amore tenetur. Tam pater nemo, tam pius nemo.* Hæc ille.

D. Gregor.

Peccatores per ſuos legatos obſecrat Deus, vt ad illum redeant.

Immenſa Dei erga peccatorem bonitas.

Tertull.

612. Cùm ergo peccatores vt conuertantur, roget Dominus, & illos vt ſibi reconcilientur, per legatos deprecetur; ſine vlla prorſus dubitatione, dum & ipſi frequentibus ac feruentibus, pro ſalute, ac ſuorum remiſſione peccatorum Deum precibus obſecrabunt, exaudientur. Siquidem *voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet illos*, vt dicitur *pſalm.* 144. 19. ſuam etenim adimplet voluntatem; nam *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt dicitur 1. *Tim.* 2. 4. & vt idem Apoſtolus 1. *Theſſalon* 4. 3. inquit, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, dum hominum peccatorum pro conuerſione propria, & culparum ex gratia diuina deletione, frequentia ac feruentia vota offerentium exaudit. Sic dum peccatricem mulierem lacrymis, ſuſpiriis, ac maximis pro vitæ laſciuæ mutatione votis onuſtam ſuſcepit, ac illius peccata publicâ voce dimiſit, & pœnitentis deſiderium, & propriam Chriſtus adimpleuit voluntatem. Ille etenim gratiæ ſuæ vbertate in corde illius mulieris effuſæ, & optima ad ſalutem vota produxerat, & vt veniret in domum Phariſæi indulgentiam receptura, inſtigarat. Vnde & Gregorius Chriſtum Dominum peccatricem non ſolùm benignè ſuſcipientem, ſed etiam miſericorditer attrahentem celebrauit *hom.* 33. *in Euang.* vbi ait: *Quid igitur miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam, an trahentem? Sed meliùs dicam trahentem, & ſuſcipientem; quia nimirum ipſe eam per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris.* Hæc ille.

Deum rogantes pro propria ſalute exaudiuntur.

Magdalena culparũ ſuarum veniam poſtulans lacrymis ac ſuſpiriis à Chriſto publicam indulgentiam accepit.

S. Gregor.

613. Verùm qui errantem traxit miſericorditer Magdalenam, & venientem ad ſe non ſolùm benignè ſuſcepit, ſed etiam ab omnibus delictis clementer abſoluit, errantes etiam trahit peccatores, & non paruâ miſericordiâ, vt mente ad ipſum redeant, ad precandum excitat & inuitat. Si enim *nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*, vt inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 12. 3. hoc eſt, nemo poteſt ſalutem à Chriſto nobis paratam conſequi, niſi à Spiritu ſancto moueatur ad ipſum Redemptorem; vnde & ipſe Dominus dixit Ioan. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Quomodo ad ipſum orationibus poterunt redire, vt ab illo peccatorum ſuorum veniam conſequantur, & gratiam? Ille igitur eſt, qui non ſolùm nos orare docuit, ſed etiam vt oremus, per Spiritum ſanctum ſuum clementer inſtigat, ita vt & principium noſtræ conuerſionis ab eius gratia oriatur, & omnes actus noſtros, vt verè pœniteamus, ipſe dirigat, & perficiat. Quod Apoſtolus docuit *Rom.* 8. 26. dum ait: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod D. Thom. exponens *lect.* 5. inquit: *Exponendum eſt, Poſtulat, ideſt poſtulantes nos facit: ſicut & Gen.* 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum, ideſt, cognoſcere feci. Facit autem nos Spiritus ſanctus poſtulare, in quantum in nobis recta deſideria cauſat. Nam poſtulatio eſt quædam deſideriorum explicatio. Deſideria autem recta ex amore charitatis proueniunt, quam in nobis Spiritus ſanctus facit.* Hæc D. Thomas.

Deus peccatores ad precandum excitat.

D. Thom.

Qui igitur mouente ac inſtigante Spiritu ſancto preces Deo effundunt, vt peccatorum veniam, & diuinam obtineant miſericordiam, quod poſtulant conſequuntur. *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini* (cum debita contritione, fide, ſpe, & charitate) *ſaluus erit*, vt dicitur *Ioel.* 2. *& Rom.* 10. 13. Etenim qui *diues eſt in miſericordia Deus*, vt dicitur *Eph.* 2. 4. etiam *diues eſt in omnes qui inuocant eum*, vt dicitur *Rom.* 10. 12. ſuæque theſauros miſericordiæ in omnes qui illum inuocant, lubenter effundit. Quod etiam *pſalm.* 85. 5. teſtificatus eſt Propheta, dum inquit: *Quoniam tu Domine ſuauis, & mitis, & multa miſericordia omnibus inuocantibus te.* Attamen miratur Auguſtin. miſericordiam Dei omnibus illum inuocantibus generaliter promitti, cùm & ipſe Dominus ſæpe in ſacris Paginis dicat: *Non exaudiam.* Et *Iacob. cap.* 4. 3. dicat: *Petitis, & non accipitis.* Sed admirationem mirabiliter ſoluit idem Auguſtinus *in pſalm.* 85. vbi inquit: *Certe miſericors Dominus omnibus inuocantibus ſe; ſed tamen quidam inuocantes non inuocant ipſum, de quibus dicitur pſalm.* 52. 6. *Deum non inuocauerunt. Inuocas, ſed non Deum inuocas, inuocas quidquid amas, inuocas quidquid vis, vt veniat ad te. Si Deum inuocas, vt veniat ad te pecunia, vel hæreditas, vel ſecularis dignitas, illa inuocas, quæ vis, vt veniant ad te; ſed Deum tibi petis adiutorem cupiditatis, non exauditorem deſideriorum.* Hæc Auguſtinus. Qui autem Deum rogat, & ab eo miſericordiam humiliter poſtulat, vt delictorum indulgentiam & ſalutem acquirat æternam, ipſum ſolum inuocat, quia ipſum ſolum Saluatorem ac Redemptorem agnoſcit, & conſequenter verè exauditur, & in ſe diuinæ benignitatis fluenta recondit. 614.

Magna Dei miſericordia omnibus inuocantibus eum.

D. Auguſt.

Qui res temporales poſtulãt à Deo, res illas inuocant, non Deum.

Sanè Deum inuocauit, & ab eo, quam poſtulabat, accepit miſericordiam Publicanus ille, qui à longè ſtans, & peccatorum ſuorum pondere preſſus, nec ad cœlum audebat pupillas erigere; ſed pectus ſuum percutiens, corde & ore clamabat, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. 13. 615.

Qui veniam ſuorum petebat delictorũ Publicanus, Deum inuocabat.

Digitized by Google

Cùm enim hic pro delictorum ſuorum venia Deum humiliter precaretur, & ab eo nihil aliud quàm miſericordiam, ac per eam propriam ſalutem efflagitaret, quod cupiebat, eſt aſſequutus: nam *juſtificatus in domum ſuam deſcendit*, ſuperbo illo Phatiſæo, qui dum orabat, ſe laudabat, & oranti Publicano inſultabat, repulſo

D. Auguſt.

& reprobato. Nam vt notat Auguſtinus *ſerm. 36. de verbu Domini*, quia ſe publicanus peccarorem agnouit, & Dei propitiationem petijt, ideo Deus illi ignouit, ait enim: *Quid miraris, ſi Deus ignoſcit, quando ipſe ſe agnoſcit?* Ac ſi diceret, homines ſe peccatores veraciter agnoſcentes, de peccatis dolentes, ac ad eorum remiſſionem Dei propitiationem inuocantes, ſemper à Deo exaudiri, ſuorumque veniam conſequi delictorum. Etenim Deus *ſanat contritos corde, & alligat omnes contritiones eorum*, vt dicitur *pſalm.* 146. 3. nec illorum orationes rejicit, cùm & ipſe *cor contritum & humiliatum non deſpiciat*. Pſalm. 50. 19. Hinc Ber-

D. Bernard.

nardus mirabilem in oratione, & modo orandi huius Publicani virtutem obſeruauit: licèt enim ſummam cordis ſui contritionem, atque humilitatem externâ oculorum demiſſione probaret, ita vt nec cœlum auderet reſpicere; tamen ex illa humilitate ac orationis feruore cœlum ad ſe quo-

Oratione ſua publicanus cœlum inclinauit.

dammodo inclinauit. *Non audet*, (inquit Bernardus ſerm. de 4. mod. orat.) *Publicanus oculos ad cœlum leuare, & ipſum cœlum potuit ad ſe inclinare*. Sed non mirum, quod prece ſuâ cœlum inclinet, cùm & ipſa cœlum penetrarit: nam vt legitur Eccl. 35. 21. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.*

616. At non cœlum tantùm, ſed & Deum ipſum

Deum attingit, & penetrat oratio humiliati.

penetrat oratio humiliati, dum attingit. In ipſum enim directè fertur, & ab eo quod precatur, exorat, & ipſum Dominum in cor orantis adducit. Hoc docuit nos æterna ipſa Veritas ore Prophetæ *pſalm.* 90. 15. dicentis: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Vbi fructum, & efficaciam orationis hominis contriti & humiliati mirè deſcripſit Pſalmiſta; nam & huius oratio exauditur, & Deus ad ipſum hominem contritum ſuæ gratiæ vbertate deſcendit, vt illum à peccatorum vinculis eripiat, & tandem ei gloriam ſuam

Iſaac Presb.

largiatur. Hoc attigit Iſaac Presbyter *lib. de mundi contemptu*, vbi gloriam Dei in corde humiliati ipſi homiliato à Deo oſtendi demonſtrat, dum ait: *Vilipende teipſum, & videbis gloriam Dei in temetipſo. Vbicumque enim humilitas naſcitur, ibi gloria oritur Dei. Quod ſi habueris humilitatem in corde tuo, oſtendet tibi Deus gloriam in corde tuo.* Hæc

D. Ambroſ.

ille. Nec diſcrepat Ambroſius, dum inqoit: *Quiſquis diuinitatis cupit tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur.* Cùm ergo oratione ſuâ, coorritione, & humilitate feruidâ Poblicanus gratiam Dei, quâ juſtificaretur, quantocyùs obtinerit, hunc imitari totis viribus ſtudeamus, & à cordibus noſtris contritis & humiliatis frequentes ac feruidæ aſcendant ad Deum precationes, quibus eius indulgentiam promereamur. In hoc enim dum rogabat, pectus ſuum Publicanos percutiebat, vt à fracto

A fracto pectore vt cor contritionis, fervrntiores ad Deum aſcendunt orationes.

pectore, & corde doloribus triro orationes peccatorum ad diuinam miſericordiam conſequendam efficaces oriri debere demonſtraret. Quod obſeruauit Theophilactus *in cap.* 18. *Luc.* 13. vbi orationem & actionem Publicani, qui percutiebat pectus ſuum, dum rogaret, perpendens, inquit: *Docuit Phariſæum percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipuè curandum, nimirum cordis contritionem & affectum. Percutit ergo pectus, quaſi manu deſignans vnde oratio germana procedat, & vt cor ipſum, quod obdormierat, excitet Deo.* Hæc ille. Omnis igitur precatio, quam Deo effundimus, vt eius propitiationem impetremus, ex intimo ac contrito procedat corde, vt ipſum cor Dei valeat attingere, & ab illo in corda noſtra copioſa miſericordiæ fluenta deriuare. Nam quæ à contrito corde non procedit, nec diuinam gratiam facilè obtinebit.

Publicanom viſus eſt imitari Andronicus Im- 617.

Baron.

perator, qoi cùm è ſolio, ex quo Alexium Comnenum ſtrangulando deturbarat, vt illud aſcenderet, & ipſe juſto Dei judicio deiectus fuiſſet, ac catenis ferreis collo iniectis, & compedibus oneratus ad Iſaaciom Angelum Imperij inuaſorem perductus, ab eoque contumelioſis verbis acceptus, non ſolùm alapas ipſi impactas, nares pulſatas, barbam auulſam, dentes excuſſos, capillos euulſos patienter ſuſtinuit, ſed etiam ludibria viliſſimæ plebis, carceris ſqualorem, dexteræ abſciſſionem, muliercularum ictus & iram, per ciuitatem in camelo ſcabioſo traductionem, ſpongiarum excrementis hominum & pecudum con-

Mira Andronici Imper. patientia, & oratio.

ſpurcatarum in faciem expreſſionem, ollæ feruenti aquâ plenæ, è culina raptæ ab impudentiſſimè ſcorto in vultum effuſionem, aliaque ſexcenta tormenta, ærumnas, & clades conſtantiſſimè tolerauit, hac oratione iratum Numen placare ſolicitus, *Kirie eleyſon*; hoc eſt, *Domine miſerere*: nullumque contra immaniter ſic torquentea verbum vel effutiit, niſi iſtud: *Quid calamum contritum infringiſtis?* Quibos verbis iniquè à ſe geſtorum, & à Deo veniam poſtolabat, & coram populo, à qoo immaniter torqoebatur, ſe reum profitebatur. Itaque cùm tot tantaque ludibria & tormenta ſine vllo murmure ſuſtinuerit, & in illorum perpeſſione iteratis vocibus, & corde contriro, vti fas eſt credere, Dei miſerationem humiliter implorauerit, ac in eadem oratione animam emiſerit, diuinam miſericordiam ipſi fuiſſe conceſſam, piè eſt exiſtimandum: erat enim Andronicus Catholicæ Fidei tenaciſſimus, & S. Paulo Apoſtolo, è cuius ſtatua abundè lachrymante imminentis cladis prænuntium accepit, ſtudioſiſſimus, vt refert Baronius anno Chriſti 1185.

§. II.

Peccatorum Dei miſericordiam poſtulantium oratio lachrymis roboratur.

COrde, & labiis non tantùm Deum rogat 618.

Etiam oculis à peccatore Deus rogandus.

homo peccator: illum etiam oculis deprecatur, & quas affectu producit, & vocibus exprimit, lacrymis exhibet, offertque precationes. Tribus his nobilitatæ principiis, nempe affectibus, vocibus, & lacrymis, Deo placebunt orationes, & ab eo miſericordiam abſque vlla dubitatione recipient: immò quæ labia ſolùm, &

Lacrymæ ſuas voces habent.

cor præbent, adhuc debiles cenſentur, & imbecilles, ab oculis profluuio lacrymarum roborandæ. Habent etenim voces ſuas lacrymæ, quæ ad aures diuinas pertingunt, Deumque ad miſerandum non ſolùm excitant, ſed compellunt.

Hinc audacter Deum interpellabat Propheta 619.

dicens, *auribus percipe lacrymas meas*, pſalm. 38. 13. Quo

Deum rogabat propheta vt ſuas lacrymas auribus perciperet.

Quo loquendi modo quandam in oculis linguam agnouit Pſalmiſta, & ſonoram, acutamque in lacrymis vocem deſignauit, vt notauit S. Petrus Damiani *lib. 3. de perfect. monach. cap. 12.* dum inquit: *Qui non oculis attendi, ſed auribus percipi lacrymas poſtulat, vocem ineſſe lacrymis manifeſtè deſignat.* Hinc etiam idem Propheta vocem ſuarum à Deo auditam eſſe lacrymarum declarat, dicens: *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, pſalm. 6. 9.

Pet. Damia.

S. Thom.

Quod exponens S. Thomas ibidem: *Gemitus*, inquit, *Sanctorum vocem habent apud Deum.* Quod confirmat ex illo Eccl. 35. 7. *Non deſpicies preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus.*

Lacrymarum loquela altior eſt, quàm labiorum.

Hæc autem lacrymarum gemituumque loquela altior eſt, quàm labiorum; iſta enim dum verba pronuntiant, non procul audiuntur: at lacrymarum voces, vel etiam in corde prolatæ cœlos aſcendunt, & ab ipſo cœlorum opifice intelliguntur. Dixi *in corde prolata*, quia lacrymæ compunctionis, ſeu contritionis, de quibus hîc loquimur, priùs à corde dolore peccatorum fracto, & diuini ignis ardore feruido fluunt, quàm ab oculis manent: immò niſi à corde profluuium proſiliret fletuum, ab oculis non proditet copia lacrymarum.

Priùs à corde quã ab oculis fluant lacrymæ.

Quod Propheta agnouit, dum inquit: *Effundite coram illo corda veſtra.* Pſal. 61. 9. Quod exponens S. Hieronymus, ait: *Effundit ſicut aquam cor ſuum, ante conſpectum Domini, qui ex intimo cordis producit lacrymas compunctionis.*

D. Hieron.

620. Vnde & id, quod legitur 1. Reg. 7. 6. *Et conuenerunt in Malphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jeiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi, Peccauimus Domino*, ad rem præſentem adducit Gregorius, & in illa aqua hauſta, & effuſa coram Domino, ſimul ac Iudæi proprias culpas confitentes diuinam pietatem obſecrabant, lacrymas compunctionis ex intimo cordis promanantes interpretatur. *Quid eſt* (inquit) *aquam haurire, niſi de profunda anima pœnitentis confuſione lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum quàm profundâ iniquitate cecidimus, conſiderantes plangimus. Quam profectò aquam in conſpectu Domini effundimus, ſi eum pœnitendo compungimur, de eiuſdem compunctionis fletu non quærimus fauorem ſeculi, ſed ſolum fructum diuinæ placationis.* Hæc Gregor. cuius interpretatio maximè conſonat Chaldæo Interpreti, qui præfata verba transferens, inquit: *Effuderunt cor ſuum in pœnitentia ante Dominum*, ſcilicet in lacrymas reſolutum.

Cum lacrymis compunctionis cor effundendũ.

D. Gregor.

Sicuti enim ex vulneribus corporis cum cruore anima funditur & emittitur, ipſaque corporis mors ad hanc ſequitur effuſionem: ita ex vulneribus quæ compunctio noſtrorum in corde producit delictorum, cum lacrymis, quæ ſanguis animæ ſunt, ſpirituale cor hominis effunditur liquefactum; illaque mors animæ, quæ culpam necat, ſtatim ſequitur, vt noua vita gratiæ ipſi animæ tribuatur. *Exiſtimate vos quidem mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo*, peccatoribus ad Chriſtum conuerſis, imbreque lachrymarum perfuſis dixit Apoſtolus *Rom. 6. 11.*

Lacrymæ ſãguis animæ.

621. Veram pœnitentiam veram eſſe juſtitiam, quâ dum culpis noſtris ablata à Deo, contritione, humilitate, ipſius Dei timore, amore ac ſubiectione, necnon & peccati deteſtatione conamur reſtituere, animam diuinæ maieſtatis ream corripimus, & caſtigamus, docuit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 85. *art.* 3. quod probat ex Auguſtino *lib. de pœnit. cap.* 8. dicente: *Pœnitentia eſt quadam dolentis vindicta, ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.*

Pœnitẽtia eſt vera juſtitia.

D. Thom.
D. Auguſt.

Cùm autem in perſonam Principis commiſſa delicta pœnâ mortis corrigantur, in ipſum Regem regum crimina perpetrata delinquentis ſanguine debent expiari. Cui forſitan alludens Scriptura: *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, ipſa morietur.* Ezech. 18. 20. Pœnitentia igitur, quæ in diuinæ reos Maieſtatis juſtitiam exercet, peccatorem deſtruit & occidit, ipſumque peccatum dum delet, interficit. At quâ ratione? Animam voluntate ſuâ præcipuam, omnemque delicti cauſam lædens, vulnerans, immò jugulans ac confodiens, eiuſque lacrymis fundens cruorem, vt ſcilicet dum pœnitentiâ mortem ſubit, vitam recuperet; & dum medio lacrymarum oceano mergitur, ſordes proprio abluat ſanguine, ac purior, vegetiorque reuiuiſcat.

Anima peccatrix, mortis rea, cõtritione moritur, & lacrymis ſanguinem fundens, in vitam reſurgit meliorẽ.

Agnouit hoc Auguſtinus *lib. 50. hom. hom. vlt.* vbi ait: *Adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor: inde ſanguis animæ confitentis per lachrymas fluat.* Vbi S. D. pœnitentiæ juſtitiam in corde peccatoris rogantis ac plorantis perſpicuè declarat, omniaque ad judicium reorum neceſſaria, ipſamque ſanguinis effuſionem, quæ peccantium vitam ſimul cum crimine abſoluit, ibidem reperiri demonſtrat.

D. Auguſt.

622. Ex quibus liquet, animam ſpirituali morte punitam, dum contra vitæ ſuæ authorem ſcelus admiſit, feliciori nece lacrymarum, cruoriſque in pœnitentia profuſione caſtigatam, mortem perdere, & vitam inuenire, vt verè ſurgens à morte per gratiam Chriſti, in nouitate vitæ valeat ambulare. Nec deſunt ſacri eloquij textus ad hanc roborandam veritatem: paſſim à voluentibus ſacros libros reperientur, vnumque ex eis dumtaxat adducam, eumque luculenter ſuadentem quod intendimus. Nam *Luc.* 15. 24. de adoleſcentiore, qui ſubſtantiam ſuam cum meretricibus diſſipauerat, & tamen diuinâ agente clementiâ in domum patris, eius miſericordiam abundè recepturus redierat, dixit pater alteri filio: *Hic filius meus mortuus erat, & reuixit.*

Peccato mortui, pœnitentiâ reuiuiſcunt.

Itaque peccato ille mortuus erat, ſed pœnitentiâ reuixit: mortuus erat à patre recedendo, quia longiùs abierat ab illo mente, quàm loco; & non ſolùm à patre, ſed à ſeipſo migrauerat, ab homine totus tranſiens in beſtiam, vt loquitur Chryſol. *ſerm.* 1. ſed redeundo ad patrem, & ad ſe reuixit. Mortuus erat obſcœnis voluptatibus, ſed reuixit animæ ſuæ amaritudine. Mortuus erat ſecularibus gaudiis, ſed reuixit pio, chriſtianoque dolore. Mortuus erat luxuriâ, & comeſſatione; ſed reuixit abſtinentiâ, & contritione.

D. Chryſol.

Vnde & Bernardus eundem textum ad exprimendam vitam, quam pœnitentia & reditus ad Monaſterium erranti & transfugæ Roberto dare poterat, applicat. Nam ad eundem Robertum ſibi ſecundùm carnem nepotem, qui à Clareuallenſi Monaſterio, in quo illum Chriſto genuerat, Ciſtercienſi Ordini adſcribens, ad aliud alterius Ordinis tranſierat, inſignem illam in medio imbre, ſine imbre ſcripſit epiſtolam, quæ ab illo miraculo inter cæteras eiuſdem Abbatis primum ſibi locum vendicauit, in qua adhibitis omnibus charitatis & eloquentiæ viribus, vt Robertum fugientem reuocaret, ſic tandem illum alloquitur: *Non igitur quæro, cur abieris, ſed quòd jam non redieris, queror. Non cauſas diſceſſionis, ſed moras cauſor regreſſionis. Veni tantùm, & pax erit. Reuertere, & ſatisfactum eſt. Redi, inquam, redi; & lætus cantabo: Mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* Hæc Bernardus *ep.* 1.

D. Bernard.

Mira vis charitatis S. Bernardi.

Cùm

623. Cùm ergo lacrymis ex oculis & corde manantibus ſanguis profluat animarum, illarum cum fletibus vita effunditur: vita, inquam, noxia; vita maculoſa, vita rea, quæ dum emittitur & amittitur, nouam dat Dei gratia vitæ rationem. Nam vt inquit Auguſtinus in pſal. 121. *Charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus.* Ergo preces quas Deo pro conuerſione noſtra, noſtrorumque indulgentia delictorum offerimus, contritioni, & lacrymis coniungamus, vt gratiam, nouamque vitam faciliùs impetremus.

Lacrymis noxia vita funditur, & ſalubris recuperatur.

D. Auguſt.

624. Qui coram condiſcipulis, æterno reuelante Patre, Chriſtum Dei viui Filium glorioſâ voce confeſſus fuerat, in domo Caïphæ eundem Dominum pro ſe, cæteriſque hominibus pati incipientem, ad viliſſimæ ancillæ vocem, trinâ loquutione, adhibito etiam juramento negauit. Planè tunc peccauit Petrus, & non ſolùm in eo Eccleſiæ fundamentum concuſſum eſt, ſed etiam columna Fidei titubauit. Verùm vacillantem diſcipulum miſericors Dominus non deſpexit, & quem ambulantem in fluctibus propriâ manu, dum mergeretur, erexit; errantem in atrio iniqui Sacerdotis aſpectu reuocauit. Nam *conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini. Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè*, vt legitur *Luc. 22. à num. 61.* At cur Petrus, qui aſpectu Domini in ſe reuerſus commiſſam à ſe agnouit culpam, de ea in eodem loco non pœnitet? Cur Dominum Ieſum magnâ voce coram illis, ante quos negauerat, non confitetur, vt ex eodem ore ſibi proferat medicamenta, vnde accepit vulnera? Cur idem membrum, quo negauit Dominum, non exhibet ſeruire juſtitiæ, vt illum publicè confiteatur? Cur denique ad genua IESV prouolutus, de trina negatione ſupplex veniam non poſtulat. Sanè hoc fecit Petrus, vt lacrymis compunctionis admiſſum ſcelus ablueret, & priùs corde & oculis Chriſtum confiteretur, quàm linguâ; ſicque contritione, & fletibus ad veniam poſtulandam, eamque impetrandam ſe diſponeret ac præpararet. Etenim ſi abſque contritione ſtatim Domini indulgentiam petiiſſet, non ſolùm non obtinuiſſet, ſed etiam denuò Dominum in ſe irritaſſet. Quod notauit Ambroſius *lib. in Luc. 22.* vbi inquit: *Inueni cur tacuit Petrus, ne tam cita petitio veniæ plus offenderet. Antè flendum eſt, quàm petendum.*

Petrus negãs Chriſtum, ab ipſo aſpectu reuocatur.

Egreditur vt lacrymis delictũ abluat, & ne petens veniam ante fletum, plus offendat.

625. Aliam ſilentij Petri poſt negationem rationem præbet idem Ambroſius, quia ſcilicet oculis voluit reſtituere, quod ore rapuerat; & coram multis extra domum Caïphæ Chriſtum, quem verbis negauerat, lacrymis maximam vocem emittentibus confiteri: loquuntur enim oculi, & vociferantur, dum lacrymas, tanquam acutas & ſonoras voces emittunt. Quod etiam teſtatur Ouid. *lib. 3. de Ponto, eleg. 1.* dum ait:

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Vnde Ambroſius *ſerm. 46. de pœnit. Petri*, ait: *Petrus mauult cauſam ſuam flere, quàm dicere; & quod voce negauerat, lachrymis confitetur.* Et ſtatim quæ à lacrymis emolumenta recepit deſcribens, ſubdit: *Antequam fleret, lapſus eſt; poſtquam fleuit, erectus eſt: & qui ante lachrymas prævaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit.* Hæc Ambroſius. Vbi docet, quod ex lacrymis, quas Petrus Domino aſpiciente, ac miſerante profudit, non ſolùm negationis ſuæ culpam abluit, & deleuit, ſed etiam diuinæ gratiæ exuberantiam ita promeruit, vt omnium fidelium paſtor à Chriſto ſit inſtitus. Lacrymæ igitur Petrum lapſum erexerunt, inquinatum abluerunt, titubantem firmauerunt, firmatumque non ſolùm Eccleſiæ fundamentum ſolidauerunt, ſed etiam caput & Paſtorem præfecerunt. Itaque vniuerſa totius Eccleſiæ fabrica in Petro fundata, à Petro gubernata, per Petrum erudita, & tandem à Petro cœleſti Ieruſalem coniungenda, & in regnum cœlorum introducenda, omne quod modò à Petro recipit, & in poſterum cupit ac ſperat habere, eiuſdem lacrymis debet, & ab illis, veluti gratiæ fluentis, ingentia bona ſe recipere profitetur. Quod vtique non obſcurè ſignificat ſpiritualem totius orbis ſtatum in lacrymis Petri veluti fundatum, ſtabilitum fuiſſe ac ſolidatum, ac conſequenter de eo dici poteſt quod legitur pſalm. 23. 2. *Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.*

Quod lacrymis Petrus voce negauerat, lacrymis confitetur.

Spiritualis totius orbis ſtatus lacrymis Petri fũdatus, ac ſtabilitus.

Quod vtique non ſine fundamento à me dictum volo. Cùm enim gratia ſupponat naturam, eamque quodammodò imitetur, non abs re dixi ſpiritualem orbis ſtatum lacrymis pœnitentis Petri inniti, quia & totius mundi machina à lacrymis ſuſtentatur. Cùm enim ex ſceleribus hominum inquinatus mundus ſuam à juſtitia Dei ſubuerſionem meruiſſet, ſubmerſis omnibus, octo duntaxat exceptis, diluuio hominibus, Dei miſericordia per lacrymas ad futura ſecula orbem ſuſtentauit: vnde clementiæ ſuæ, & futuræ conſeruationis orbis ſignum poſuit arcum in nubibus, *Gen. 9.* aquis vtique non ſolùm madidum, ſed plenum, & mox in pluuiam reſoluendum, vt ſcilicet ex lacrymis roridæ nubis fœdus inter Deum & homines ſtabilitum, ac ſeruans mundum, homines ad lacrymas pœnitentiæ fundendas inuitaret. Quamobrem D. Auguſtinus *lib. contra aduerſarium Legis & Prophetarum*, orbis ſtabilitatem ad lachrymas docet eſſe referendam. Illud enim ſignum dedit Deus in principio orbis, quo certi eſſent homines periturum jam non eſſe orbem; arcum enim poſuit in nubibus cœli, eundemque roridum ad inſtar lacrymarum, vt certò noſcerent, non poſſe cadere orbem, quem lacrymæ ſuſtentabant. 626.

Gratia ſuppõit naturã.

Totius orbis machina lacrymis ſuſtentatur.

D. Auguſt.

Si ergo petitionibus, quibus homo peccator diuinam implorat miſericordiam, compunctionis adiungat lacrymas, quod poſtulat impetrabit, maximè cùm & totius orbis, ſiue in eſſe naturali, ſiue in ſtatu ſpirituali conſiderati, conſeruationem ſuis fletibus repræſentet, & diuinæ clementiæ ſuæ, & in orbem indulgentiæ ſpecimen exhibeat. Nam ex antiquis, quas propter lacrymas in mundum, & Eccleſiam exercuit Deus, miſericordiis, illas homini, qui paruus mundus dicitur, & magna, ac Eccleſiæ non contemnenda pars exiſtit, non denegare inducitur, mouetur, excitatur. Vnde & Chriſtus Dominus lugentes appellauit beatos. *Beati*, inquit, *qui lugent.* Matth. 5. 5. qui ſcilicet miſerationem Dei, ac ſuorum veniam delictorum poſtulantes, luctus precibus annectunt, ſicut notauit Chryſoſtomus hom. 22. ad populum. *Qui lugent*, inquit, *non mortuum, non jacturam, ſed peccatum.* Cuius quidem ratio eſſe videtur, quia mortuum lugentes, illum ad vitam non reuocant: & jacturam flentes, eius damna non reſarciunt, ſicque inutiles ac infructuoſæ pro his fuſæ ſunt lacrymæ: at dum peccatum ex compunctione deflent, & corde contrito eiuſdem petunt à Deo remiſſionem, id obtinent, quod requirunt, diuinaque clementia lacrymis pœnitentis excitata, 627.

Quod lacrymis poſtulatur, obtinetur.

S. Chryſoſt.

In fletibus ob peccatum beatitudo.

Digitized by Google

excitata, veniam præbet, gratiam confert, peccatum obliterat, & ipſam in corde contriti initiat beatitudinem. At cur non ita? Cùm ipſe Spiritus ſanctus ad flendum ſimul & poſtulandum cor inciter pœnitentis. *Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis* (hoc eſt poſtulare facit) *gemitibus inenarrabilibus*, vt dicitur *Rom.* 8. 26. Cor etenim gratia ſancti Spiritus, dum emundat, accendit; & dum accendit, vulnerat, atque ex hoc vulnere lacrymas & tanquam ſanguinem animæ, & tanquam vocem emittit. Hæc eſt illa vox turturis, de qua dicitur Cant. 2. 12. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Quamvis multi lugeant, multique mouente Spiritu ſancto, propria delicta fleant, non tamen plures ſunt gementes turtures, ſed vna vox turturis gementis. Ideoque Bernardus ſerm. 59. in Cant. *Si multi* (inquit) *gementes, quid ſibi vult vnius expreſſio? Vox turturis, inquit: quare non turturum.* Et ſtatim reſpondet: *Fortè Apoſtolus id ſoluit, vbi ait, quod ipſe Spiritus poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. Ita eſt: ipſe inducitur gemens, qui gementes facit; & quantumlibet multi ſint quos ita gemere audias, vnius per omnium labia vox ſonat.* Hæc Bernardus.

Spiritus ſanctus mouet nos ad poſtulandum, & ad flendum.

Omnes flentes habent vnam vocem turturis.

D. Bernard.

628. Verùm rei præſentis illuſtrius aut præſtantius non reperitur exemplum, quàm in illa peccatrice muliere, cuius cor ita gratiâ ſancti Spiritus peruaſit, vt illud omne feruore contritionis in lacrymas reſolutum, ſupra pedes Domini viſa fuerit effudiſſe, ſimulque ſuorum delictorum veniam, fletuum vocibus poſtulaſſe. Expreſſit hoc Eccleſia in officio diei feſti B. Mariæ Magdalenæ, in 6. reſponſorio ad Matutinum, in Breuiario FF. Prædicatorum, qui eiuſdem ſanctiſſimæ Pœnitentis ſacras apud S. Maximinum cuſtodiunt exuuias, his verbis: *Flauit auſter, & fugauit aquilonem, quando lauit cor Mariæ pœnitentis imber Sancti Spiritus: liquefecit, & refecit reſolutam in lamenta verbum miſſum cœlitus.* Cui conuenit Auguſtinus *lib.* 50. *homil. hom.* 23. vbi de Magdalena inquit: *Prius fudit lacrymas cordis, & lauit Domini pedes obſequio confeſſionis, capillis ſuis terſit, oſculata eſt, vnxit. Tacita loquebatur, non ſermomonem promebat, ſed deuotionem oſtendebat.* Hæc Auguſtinus. Vbi notanda ſunt illa verba, *tacita loquebatur.* Quia enim cor eius Spiritus ſanctus imbre gratiæ ſuæ perfuderat, illam ad poſtulandam Dei miſericordiam incitabat: ſed quâ ratione? Illâ quâ omnes pœnitentes mouet, vt petant gemitibus inenarrabilibus. Petiit ergo veniam Maria, ſed lacrymis: poſtulauit, ſed gemitibus: tacita loquuta eſt, quia nec labiis, nec linguâ, nec ore, ſed oculis, lacrymis, ac gemitibus Redemptorem interpellauit. Altum ore ſeruabat ſilentium, ſed magnam fletibus vocem emittebat. Tacebat lingua, loquebatur oculis, quia loquebatur corde, quod in lacrymas liquefactum ad oculos tranſmiſerat, & ab oculis cum lacrymis in Chriſti pedibus collocarat. Quare exaudita eſt Magdalena, & non ſolùm peccatorum ſuorum remiſſionem, ſed inſuper gratiarum vbertatem & copiam aſſequuta eſt ſanctitatis: quod liquet ex verbis Chriſti Luc. 7. 49. & 50. *Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* At mirum non eſt, Mariam diuinam miſericordiam fletibus impetraſſe, quia & gratiâ Dei, à qua præuenta erat, & à Spiritu ſancto, à quo ad flendum ac pro admiſſis ſceleribus conterendum mouebatur, immò & à Chriſto trahebatur interiùs, dum ab illo exteriùs ſuſcipiebatur, vt ſuprà ex D. Gregorio vidimus. Vnde & eius lacrymæ Chriſto multùm placuerunt, & ab eo cum gaudio exceptæ ſunt.

Magdalena cor ſuum lacrymis reſolutum in pedes effudit Chriſti.

D. Auguſt.

Quomodo Magdalena tacita loquebatur.

Non parui momenti quæſtio eſt, cur Dominus IESVS, qui ſummâ humilitate diſcipulorum ſuorum lauit pedes, ſuos ab illis viciſſim lauari non permiſit? Cùm enim Magiſter ipſe virtutis omne virtutis officium impleuerit, ſuoſque docuerit vt implerent, dum dixit: *Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, &c.* Ioan. 13. 14. Mirum videtur, quod Chriſtus à ſuis diſcipulis pietatis hoc ſimul, & humilitatis officium non receperit. Variæ de hac re, myſticæque poſſunt afferri rationes. Primò enim videtur, Chriſtum noluiſſe pedes corporis ſui phyſici & naturalis aquâ ſuis à diſcipulis lauari, vt ab illis, cæteriſque Fidelibus myſtici ſui corporis, quod eſt Eccleſia, pedes, nempe pauperes, lauarentur, vngerentur, ac tergerentur; hoc eſt, pietatis, charitatis, & humilitatis officiis afficerentur. Debemus enim ſupra ærumnas ac calamitates pauperum, qui pedes Chriſti ſunt, lacrymas fundere, eorum miſerias ſubleuare, eorum neceſſitatibus ſubuenire, ipſiſque copioſas eleemoſynas præbere. Quod vtcumque Auguſtini roboratur authoritate; hic enim ſanctus Doctor tract. 50. in Ioan. *Vnge*, inquit, *pedes Ieſu benè viuendo: Dominica ſectare veſtigia. Capillis terge: ſi habes ſuperflua, da pauperibus, & Domini pedes terſiſti.* Secundò quia ablutio pedum minorum ſignificat purgationem delictorum, ſcilicet venialium, quæ etiam ab introitu Regni cœlorum homines alioquin juſtos remorantur. Vnde & Chriſtus dixit Petro, totum corpus vt lauaret offerenti: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet.* Ioan. 13. 10. Et tamen ipſi Petro antea dixerat: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, ibidem 8. Quod perpendens Bernardus *ſerm. in cœna Domini*, inquit: *Veniales igitur culpas nemo contemnat, aut paruipendat: impoſſibile eſt enim cum eis ſaluari; impoſſibile eſt eas dilui, niſi per Chriſtum Ieſum, & à Chriſto. Nemo, inquam, pernicioſâ ſecuritate dormitet.* Hæc ille. Cùm ergo Dominus nullius peccati, vel etiam minimi venialis labe fuerit inquinatus, ſed ad delendum omne peccatum ipſe ſanctiſſimus, & juſtiſſimus, immò & ipſa ſanctitas ac juſtitia venerit, diſcipulorum pedes lauare debuit, pedes autem eius à diſcipulis nequaquam ablui debuerunt. 629.

Cur Chriſtus ablutis diſcipulorum pedibus, ab illis proprios non permiſit lauari pedes.

Veniale peccatum timendum.

D. Bernard.

Tertiò quia juxta Ambroſium, lauit diſcipulorum pedes Chriſtus, vt eos in bono ſolidaret, & à peccati caſu futuri eriperet; immò ab iniquitate calcanei, hoc eſt, à praua ad concupiſcendum inclinatione liberaret. Quâ iniquitate Dauid ſe circumdatum ingemiſcebat, *pſal.* 48. 6. nam in eundem pſalmum Ambroſius inquit: *Reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem noſtri eſſe delicti. Lauemus pedes, vt calcanei lubricum poſſimus auferre, quo fida ſtatio poſſit eſſe virtutum, &c.* Cùm autem Chriſtus Dominus fuerit omninò ab omni praua inclinatione immunis, nec antiqui ſerpentis ſtimulum perſenſerit, qui illum penitus conculcauit, eiuſque venenum extinxit, pedes ſuos lauari non debuit permittere. 630.

D. Ambroſ.

Diſcipulorũ pedes lauit Dominus, vt eos in bono ſolidaret, & à peccati eriperet caſu.

Quartò idem Ambroſius *lib.* 6. *in Luc. cap.* 2. 631.

D. Ambroſ. Noluit ſuos à diſcipulis lauari pedes Chriſtus, vt noſtræ compunctionis lacrymis lauarentur.

docet Chriſtum noluiſſe pedes ſuos à ſuis diſcipulis aquâ elementari & communi ablui, vt à noſtris compunctionis lacrymis lauarentur. *Et fortaſſè*, inquit Ambroſius, *ideò non lauit pedes ſuos Chriſtus, vt eos lacrymis nos lauemus.* Noluit ergo Dominus vel à ſeipſo, vel à diſcipulis ſacratiſſimos ſuos ablui pedes, vt vnuſquiſque ſuorum tactus dolore peccatorum, ad tantum honorem eueheretur, vt lachrymis ſuis illos non ſolùm rigaret, ſed ablueret. Verùm fallor; nihil propriè abluitur, niſi vt mundetur, & à ſordibus ablutione liberetur. Chriſtus autem mundiſſimus, & puriſſimus eſt, nullamque vel in pedibus ſuis mundитiem à profuſione noſtrarum valet accipere lachrymarum. Non igitur pedes eius à noſtris fletibus abluuntur, ſed irrigantur, noſque ſupra illos flendo abluimur, & nouâ conſcientiæ puritate donamur; ſi enim *vulnerum animæ tanquam ſanguis lachrymæ ſunt*, vt loquitur Gregor. Nyſſen. *orat. de puſillan.* & ſi juxta Philonem Hebræum, *lacrymæ ſunt liquefacta deſideria*; dum illas ſacratiſſimos ſupra Domini IESV pedes fundimus, noſtrarum animarum ſanguinem ac deſideria, in carne Redemptoris non ſolùm purgamur, ſed conſecramur, & eius agente gratiâ ita abluimur, vt in nouas transferamur creaturas, quatum mens & animus in ipſo Saluatore per lacrymas permanent transmutata.

Lacrymæ ſanguis vulnerũ animi.
Greg. Nyſſ.
Liquefacta deſideria.
Philo.

632\. Hinc exiſtimo, Redemptorem noſtrum ſuorum ablutionem pedum vel à ſe, vel à diſcipolis ſuſtinere noluiſſe, ne ſcilicet à diuinis veſtigiis Magdalenæ, quibus illa rigauerat, lachrymæ tollerentur. Illas exceperat beatis plantis, nedum vt ſanguinem, & deſideria peccatricis ad meliorem frugem conuerſæ, & diuini igne amoris ſuccenſæ; ſed etiam veluti pretioſiſſimas margaritas, & ſplendidiſſimos adamantes, quibus fulgentiſſima victricibus pedibus corona nectebatur. Gaudebat ergo, quia ad pedes ſuos flentem peccatricem adduxerat, viceratque; & lacrymas eius pulcherrimas veluti gemmas congelatas ſedulò conſeruans, noluit ſuos ablui pedes, *ne hac lotione pretioſa iſta vniones vel liqueſierent, vel tollerentur.* Verùm qui aquæ ablutionem ſuis pedibus denegauit, illos copioſo, ex ſuis vulneribus, manante cruore perfudit, vt pretioſum ſanguinem ſuum mundum redimentem pœnitentis lacrymis coniungeret, & indiſſolubili fœdere Redemptoris ſanguinem animæ pœnitentis ſanguini copularet, ſimulque lacrymæ Chriſti ſanguini ſociatæ magnam cum illo vocem emitterent, & copioſam miſericordiam impetrarent. Hinc Bernardus relatus à B. Paex *ſerm. 2. in Sabb. ſancto*, notauit è latere Chriſti in cruce pendentis, lanceâ militis perforato aquam & ſanguinem ſimul exiiſſe, vt dicitur Ioan. 19. *Vt oſtenderetur, lacrymas noſtras ſanguini Chriſti perpetuò adiungendas.* Vnde Auguſtinus, ſeu author quicumque ille eſt ſermonis ad fratres in Eremo, apud Auguſtinum *ſerm. 11.* ait, quod *lacryma paſſionis Domini eſt vicaria.* Etenim ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum, cui coniungitur, conſcientiæ applicat peccatorum, vt illam ab operibus mortuis emundet, & voci eius donet vocem virtutis, quâ indulgentiam ſuorum, quam poſtulat delictorum, à Deo conſequatur. Sicuti enim Chriſtus *in diebus carnis ſuæ preces, & ſupplicationes cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*, vt dicitur *Hebr.* 5. 7. ita & de admiſſis dolens offenſis, diuinâ in eo agente miſericordiâ, dum orationibus quas Deo offert, contritionis adiungit lacrymas, ſanguini Domini nedum junctas, ſed veluti deſponſatas, haud dubium exaudietur pro reuerentia, quæ ſacro Redemptoris cruori debetur. Vt enim ait Bonauentura in ſtimulo diuini amoris, *non poteſt Deus ſe negare ſanguine Chriſti perfuſo.* Notat autem D. Thomas *lect. 1. in cap. 5. ep. ad Hebræos*, quod Chriſtus non fleuit pro ſe, ſed pro nobis, quibus paſſio ſua profuit, & vt oſtenderet quæ ad efficaciam orationis requiruntur; duo enim oranti neceſſaria ſunt, ſcilicet feruens affectio, item dolor & gemitus; quæ cùm pœnitentis orantis & flentis in oratione reperiantur, illam eſſe efficacem nemini dubium eſſe poteſt. Si autem Chriſtus paſſioni ſuæ preces & lacrymas coniunxit; nonne qui adimplent ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua, lacrymas ſuas ac orationes ſanguini Chriſti ſociatas offerre debent, vt redemptionis effectum aſſequantur?

Lacrymæ Magdalenæ vniones & gemmæ, ne ſuot coronâ pedibus Saluatoris.
A Chriſto ſuo ſanguini dum copulãtur, conſecrantur.
D. Auguſt.
Lacryma paſſionis Domini vicaria.
Peccatores Chriſtũ imitãtes, preces & lacrymas eius ſanguini copulatas offerant.
D. Bonauent.
Duo oranti neceſſaria.
S. Thom.

Luctabatur olim per totam noctem Iacob cum viro, vel potiùs cum Angelo, immò & cum Deo. Præliabatur, & non ſuperabatur, immò & ſuperabat; Deum enim cum quo luctabatur, ad illi benedicendum quodammodò coëgit. Vnde & ipſi dictum fuit: *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. 28. Verùm quibus armis pugnauit vicitque ſanctiſſimus Patriarcha? Ea accipe ab Oſea Propheta, cap. 2. 3. *Inualuit*, inquit, *ad Angelum*, ſeu vt legunt Septuaginta, *præualuit Deo, & confortatus eſt: fleuit & rogauit eum.* Itaque fletus & oratio, lacrymæ & preces, arma fuerunt quibus ea quæ petebat, obtinuit, & obtinendo ſuperauit. Nam vt ibidem ait Hugo Cardinalis, *hæc ſunt duo brachia, quibus tenetur Angelus magni conſily à bono luctatore.* 633.

Iacob cum Deo lacrymis & precibus pugnauit, & ſuperauit.
Hugo Card.

Si autem magni conſilij Angelus, ipſeque cœlorum creator precibus & lacrymis tenetur, conſtringitur, poſſidetur, ipſum etiam regnum cœlorum orationibus & fletibus obtinebitur. Sed quid dico, obtinebitur? Cùm juxta verbum Domini, rapi debeat & expugnari? *Regnum*, inquit, *cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 12. At quâ vi, quâ violentiâ, & quâ rapinâ cœlum adipiſcitur? Non aliâ vtique quàm fletuum & lacrymarum, quæ dum ab oculis fluunt, non in terram cadunt, ſed in cœlum, vt ipſum rapiant, & expugnent, aſcendunt. Planè hoc attigit Ambroſius ſerm. 15. *Cogimus*, inquit, *regnum cœlorum, & quodammodo vim facimus, non compellendo, ſed flendo; non prouocando iniuriis, ſed lacrymis exorando. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordiâ condonatur! Quiſquis violentior Chriſto fuerit, religioſior habetur à Chriſto.* Hæc Ambroſius. Tanta quippe eſt precum & lacrymarum efficacia, vt illis copioſa Dei miſericordia obtineatur, & ipſum cœlorum regnum promereatur. 634.

Regnum cœlorum vi lachrymarum expugnatur.
D. Ambroſ.

Peccatum aliud ad mortem, aliud non ad mortem, diſtinxit dilectus Domini diſcipulus, 1. *Ioan.* 5. 15. Pro illo qui non ad mortem delinquit, orare præcipit Apoſtolus: at pro ad mortem peccante non ita. *Qui ſcit* (inquit) *fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccantis non ad mortem: eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Illud autem quod ad mortem Ioannes appellat peccatum, 635.

Peccatum aliud non ad mortẽ, aliud ad mortem.

Digitized by Google

D. Bernard.

catum, D. Bernardus non omne lethale delictum intelligit, ſed tantùm illud quod ex frequenti ac iterata perpetratione habituale dicitur: nam *ex frequentatis actibus generantur habitus*, vt communiter docent Philoſophi. Quia autem habitus, juxta eoſdem Philoſophos, eſt *qualitas difficilè mobilis permanenter inhærens ſubiecto*; ideo peccatum longâ conſuetudine inueteratum, & veluti habituale, eſt maximæ adhærentiæ ac tenacitatis, & conſequenter difficilè curatur: non quod Chriſto optimo, præſtantiſſimoque animarum medico vllum ſit immedicabile vulnus; ſed quia læſus, qui propriâ voluntate ſæpiſſimè in ſe lethalia vulnera renouauit, ſpernere videtur medicum, eius remedia calcare, ſeque eius curatione ac bonitate præſtat indignum. Nunquid ergo pro inueterato peccatore orare, vt ad reſipiſcentiam veniat prohibitum eſt? Nunquid non licet diuinæ illuſtrationis radium, & cœleſtis gratiæ adiutorium, vt illos in manu potenti, & brachio extento à diaboli laqueis eripiat, exoptare? Licet vtique, immò & maximæ charitatis officium eſt, pro eorum conuerſione non ſolùm orare, ſed & totis viribus laborare. Sed tantùm pro illis orare non ſufficit, etiam pro illis expedit plorare, & cordis contriti, ac in lacrymis liquefacti ſuſpiria Deo offerre, vt & ipſis gratiam contritionis largiatur. Ita ſentit D. Bernardus *tract. de gradib. humil. gradu* 12. vbi oſtendit non omnem hominem aptum eſſe, nec omnem orationem ſufficere pro peccantis ad mortem vita obtinenda. *Gemat* (inquit Bernardus) *qui illum amat: non præſumat orare, nec deſiſtat plorare*; quia ſcilicet gemitibus & lacrymis pro ipſo fuſis impetrabit, quod oratione tantùm ſperare eſſet præſumptio. Vnde idem Bernardus ibidem ſubdit: *Si contigerit* (*quod Deus auertat*) *aliquem de fratribus noſtris non in corpore, ſed in anima mori, quamdiu adhuc apud nos erit, pulſabo & ego qualiſcumque peccator, pulſabo & Fratrum precibus Saluatorem. Si reuixerit, lucrati erimus fratrem: ſin verò non mereamur exaudiri, vbi jam vel tolerare viuos, vel tolerari à viuis non poterit, ſed incipiet efferri, ſemper quidem fideliter gemo, ſed jam non ita fiducialiter oro: non apertè audeo dicere, Veni Domine, ſuſcita mortuum noſtrum; corde tamen ſuſpenſo, tremulus intus clamare non ceſſo, ſi fortè, ſi fortè, ſi fortè deſiderium pauperum exaudiet Dominus.* Et poſt pauca: *Poteſt* (inquit) *interim Saluator, ſi vult, inſperatè & impronisè occurrere nobis, lacrymiſque portantium motus, non precibus, mortuo vitam reddere, aut certè jam ſepultum reuocare à mortuis.* Hæc Bernardus. Cùm ergo id quod nequit oratio, obtineant lacrymæ, liceatque pro illis fructuosè lachrymas fundere, pro quibus Apoſtolus non auſus eſt præcipere orationes, nempe pro ad mortem, hoc eſt, ex inueterata conſuetudine peccantibus, nullus eſt qui fletus adiungens precibus, diuinam erga ſe non flectat miſericordiam.

Quid ſit habitus.

Pro peccato ad mortem cor lacrymis liquefactum Deo offerendum.

D. Bernard.

Pro fratribus in peccato exiſtentibus gemendum & flendum eſt.

636. Ergo pretioſæ, potenteſque ſunt lacrymæ pœnitentium, quæ maiorem ipſis orationibus emittunt vocem: nam vt loquitur Sanctus Ambroſius ſerm. de Magdalena, *Lingua pauca dicit, lacryma Deo omnia dicit.* Omnes etenim cogitationes & affectus cordis noſtri aperiuntur fletibus; vnde magno in pretio habendæ ſunt, magnâ ſolicitudine cuſtodiendæ, & non niſi ad iratum numen placandum, & delicta noſtra expianda fundendæ. Quare Petrus Abbas Cellenſis libro de panibus, cap. 12. *Sterilis*, inquit, *eſt omnis effuſio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum: inanes ſunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum extorquet temporale. Flendum ſolummodò eſt, aut pro peccatò commiſſo, aut pro amiſſo paradiſo.* Hæc ille. Hoc modo lacrymas fundere Apoſtolus Romanos monebat, dum *Rom.* 12. 21. dicebat: *Flere cum flentibus.* Quod exponens Sanctus Bernardus ſerm. in feſto B. Mariæ Magdalenæ: *Nunquid Apoſtolus*, inquit, *præcepit flere rerum amiſſionem, intermiſſionem voluptatum, filiorum mortes, morborum inſtantiam, grauitatem inopiæ, & potentiam fortiorum? Abſit, plorandi enim ſunt, qui taliter plorant: religioſa enim triſtitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium.* Quod planè intellexit Propheta, qui non rerum temporalium jactura, nec omnibus, quas à Saule, vel ab Abſalone regalis ſolij inuaſore paſſus eſt ærumnis, ſed pro ſpiritualibus damnis ex diuinæ inobſeruantia legis vberes lacrymas profudit. Nam Deum ſic alloquitur pſal. 118. 36. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Vbi à D. Ambroſio *ſerm.* 18. dicitur: *A ſancto viro plus culpa, quàm ærumna defletur.*

Maior vox lacrymarum quàm orationis.

D. Ambroſ.

Pet. Ab. Cel.

Flendum ſolummodò eſt pro peccato cõmiſſo, vel pro amiſſo paradiſo.

D. Bernard.

Non flendũ pro jacturis temporalibꝰ.

D. Ambroſ.

637. Lacrymas igitur pro noſtrarum expiatione culparum dumtaxat effundamus, & qui peccantem Dauidem ſequuti ſumus, pœnitentem imitemur: noſtræ etenim Dei miſericordiam inuocantes orationes lacrymis junctæ fortiores, diuinam indulgentiam obtinebunt; nam vt inquit S. Hieronymus: *Oratio Deum lenit, lacryma cogit; illa vngit, iſta pungit.* Et Ambroſ. ſerm. 46. de pœnit. Petri: *Lacrymæ*, inquit, *tacitæ quodammodò preces ſunt; veniam non poſtulant, & merentur: cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur. Vtiliores lacrymarum preces ſunt, quàm ſermonum; ſermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma ſemper totum prodit affectum.* Hæc Ambroſius. Hinc eſt, quod illa Clementiæ ara, quæ Athenis videbatur, vt refert Euſebius *lib.* 12. nullum aliud ſacrificium, nullamve aliam oblationem recipiebat, quàm gemitus, ſuſpiria, & lacrymas, quibus diuina juſtitia placatur, & clementia conciliatur. Felix ergo ille erit, qui ante diuinum altare clementiam imploraturus ſuſpiria, gemitus ac lacrymas offeret: infelix autem qui diuinam petens indulgentiam arido corde, & ſiccis ante altare ſtabit oculis, nulloque lacrymarum imbre irrigabitur. Hoc in ſe deplorauit Pſalmiſta dicens: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Pſal. 142. hoc eſt, arida ſterilis, atque omninò infructuoſa. Vnde Bernardus præfata exponens verba in ſerm. de fallacia præſentis vitæ: *Aquæ inopia* (inquit) *non modo aridum, ſed & ſordidum facit, dum non eſt quæ lauerit: & humanum cor lacrymas neſciens, non modò durum, ſed & impurum eſſe neceſſe eſt. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, ne in me fiat quod ſcriptum eſt, Natum aruit, quia non habebat humorem.* Hæc Abbas Mellifluus.

D. Hieron.

Oratio Deũ lenit, lacryma cogit.

D. Ambroſ.

In ara Clementiæ Athenis gemitus, ſuſpiria & lacrymæ offerebantur.

Flendũ ante Dei miſericordiã, quam imploramus. Cor ſine lacrymis non modo durũ, ſed impurum eſt.

§. III.

Iuſtus oret, diuinamque imploret miſericordiam, vt in gratia ſtet, & perſeueret.

638. *OMne bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Iacob. 1. 17. Nullum ergo à ſeipſo habet homo, ſed ſemper illud à Deo ſummo

luminum patre, omnis bonitatis ac perfectionis principio ac ſcaturigine recipit. Cùm ergo in gratia ſtare ſeu conſeruari, ac perſeuerare, quoddam bonum ſit, minimè contemnendum, immò maximè deſiderandum, vtpote ad æternam hominis ſalutem neceſſarium; nam *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, vt dicitur *Matth.* 10. 22. à Deo nobis concedi credendum eſt, ac conſequenter ab illo feruentibus & aſſiduis orationibus eſt poſtulandum.

Perſeuerare in bono magnum bonum eſt, debetque à Deo orationibus poſtulari.

639. Hoc nos docuit incarnata Veritas Chriſtus Dominus, dum orandi formam nobis præſcribens omnes orationum noſtrarum poſtulationes ſeptenario numero comprehendit, Matth. 6. 9. *Sic ergo vos orabitis* (inquit) *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c.* quâ in precatione, quæ ore Domini pronuntiata, oratio Dominica meruit appellari, in gratia ſtabilitatem, & in bono perſeuerantiam à Deo jugiter poſtulamus, ſicuti notauit Auguſtinus *lib. de bono perſeuerantia, cap.* 2. vbi oſtendit perſeuerantiam in fide & gratia Chriſti à Deo nobis concedi, & à nobis à Deo in oratione Dominica poſtulari. Doctrinamque ſuam roborat S. D. teſtimonio & authoritate glorioſiſſimi Martyris Cypriani, qui idem ſenſerat in expoſitione Dominicæ Orationis, & verbis illius primam petitionem ſic explicat: *Dicimus* (inquit) *ſanctificetur nomen tuum, non quòd optemus Deo vt ſanctificetur orationibus noſtris; ſed quòd petamus ab eo, vt nomen eius ſanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit, Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, id petimus & rogamus, vt qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus.* Et poſt pauca ex eodem Cypriano ait Auguſtinus: *Hac ſanctificatio, vt in nobis permaneat, oramus; & quia Dominus, & index noſter ſanctè à ſe viuificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & noctibus poſtulamus, vt ſanctificatio, & viuificatio, quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſeruetur.* Statimque addit Auguſtinus: *In ſanctificatione igitur perſeuerantiam, hoc eſt, vt in ſanctificatione perſeueremus, nos ab eo petere iſte Doctor intelligit, cùm ſanctificati dicimus: Sanctificetur nomen tuum. Quid eſt enim aliud petere quod accepimus, niſi vt id quoque nobis præſtet, ne habere deſinamus.* Hæc Auguſtinus, qui eodem libro, *cap.* 5. prope finem etiam illa verba Dominicæ Orationis, *Et ne nos inducas*, ſeu vt ipſe legit, *inferas in tentationem, ſed libera nos à malo*, ad noſtrum refert inſtitutum, & per illa in bono perſeuerantiam poſtulari demonſtrat, ait enim: *Iam verò cùm dicunt Sancti, ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo, quid aliud quàm vt in ſanctitate perſeuerent, precantur? Si ergo concedatur ei quod orat, vt non inferatur in tentationem, in ſanctificatione vtique, quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.*

Oratione dominicâ perſeuerantia poſtulatur.

D. Auguſt.

D. Cyprian.

640. Quod tamen non debet ſic intelligi, vt Deus oretur, quatenus nos non inferat, vel inducat propriè, & poſitiuè in tentationem; hoc enim falſum eſt: ſicuti enim neminem ad malum, ſeu peccatum, vt tale eſt, Deus mouet; ita neminem propriè & poſitiuè ad tentationem, quæ ad peccatum diſpoſitio eſt, & veluti illius occaſio, ac principium cenſetur, inducit. Vnde *Iacobi* 1. 13. dicitur: *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus autem intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat.* Sed permiſſiuè, quatenus Deus aliquando permittit nos tentationibus vrgeri grauiſſimis, quibus in peccatum trahimur, & deturbamur, in quantum ex ſubtractione gratiæ ſuæ, quam nemini debet, & cuilibet quando vult, denegat ex altitudine ſapientiæ ſuæ, ac judiciorum ſuorum profunditate, homo ſibi relictus facilè in barathrum cadit peccati. Vnde induci in tentationem, & tentationi ſuccumbere diuerſa non ſunt, juxta D. Cyprianum, qui præfata verba ſic exponit: *Et ne nos inducas*, ideſt, *non ſinas nos perduci in tentationem. Tentatio enim vtilis eſt, ſed ille inducitur in tentationem, qui tentationi ſuccumbit.* Hæc ille. Quare dum rogamus præfatis verbis Dominum, eius gratiæ adiutorium juge poſtulamus, ne ſcilicet eo orbati, permittat Dominus, vt arbitrij noſtri, primi Parentis peccato læſi, debiliſſimis viribus relicti, à tentatione facilè ſuperemur, & peccato conſentiamus. Illa ergo petitio, diuinæ gratiæ, vt in bono conſeruemur, aperta eſt poſtulatio. Diuinæ enim gratiæ opus eſt quidquid non delinquimus; & propterea ſolicitè recurramus ad Deum, vt gratiâ ſuâ cuſtodiendo, non inducat nos in tentationem, vt loquitur Cardinalis Caietanus in expoſitione præfatorum verborum. Non ergo ſolis naturæ viribus in bono ſtare, vel in culpam non cadere valet homo; ſed ad hæc duo diuino indiget auxilio, quod vtique jubente Domino debet implorare, dicendo, *Et ne nos inducas in tentationem.* Vnde errorem Pelagij, qui hominem ſolis naturæ viribus in bono poſſe perſeuerare docebat, his verbis confoſſum fuiſſe ac jugulatum, aſſeruit Sanctus Thomas, dum in illorum expoſitione inquit: *Per hoc amouetur error Pelagij, qui dicebat, quod homo poterat perſeuerare per liberum arbitrium.* Ipſeque Auguſtinus Pelagianæ perfidiæ perpetuus triumphator, peruerſum hoc dogma, ſcilicet abſque gratia poſſe juſtum hominem in juſtitia ſtare, omninò anathematizandum cenſuit *lib. de perfect.* omnem Pelagianorum ſectam ſic proſeribens: *Quis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem? Negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſolâ lege acceptâ, humanam ſufficere voluntatem: ab auribus omnium remouendum, & de omnium ore anathematizandum hoc eſſe non dubito.* Hæc Auguſtinus.

Non propriè & poſitiuè, ſed permiſſiuè dumtaxat inducit nos Deus in tentationem

Induci in tentationem, & tentationi ſuccumbere idem ſunt.

S. Cyprian.

Diuinæ gratiæ opus eſt, dum non delinquimus.

Caiet.

Error Pelagij jugulatus.

D. Thom.

D. Auguſt.

Etenim ab eodem recipit res eſſe, & in eo conſeruatur, juxta illud tritum apud Philoſophos, *Quod dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe.* Nihil autem ad eſſe magis ſequitur, quàm illius conſeruatio, quæ etiam continuata rei productio nuncupatur. Cùm autem juſtitia, ſanctitas, & ipſa gratia habitualis præſtantiſſimum ſint donum Dei homini ex ſua miſericordia infinita collatum, in eo nequit ſtare, ſeu conſeruari abſque ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio, ac conſequenter debet illud aſſiduis precibus à Deo implorare. Vnde *pſalm.* 103. 28. dicitur: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, &c.* Cuncta quippe bona ſupernaturalia, quæ ſunt in homine, diuinâ largitate conferente vel amittentur, vel annihilabuntur, ſi faciem ſuam auertat ab eo Dominus, benignumque ſpeciali protectione non impendat aſpectum. Hinc meritò dixit Apoſtolus 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Quod exponens Bernardus ſerm. 85. in Cantic. *Putaſne* (inquit) *ſtare per ſe poſſit, qui ſurgere per ſe non potuit? Non opinor.* 641.

Ab eo habet eſſe res, & conſeruatur.

Omnia bona hominis à Deo.

D. Bernard.

Quod

Nequit homo per ſe ſtare, qui per ſe ſurgere nō potuit.

Quid enim? Verbo Domini cœli firmati ſunt, & terra ſtabit ſine verbo? Cur ergo ſi ſtare per ſe poterat, orabat homo de terra, Confirma me in verbis tuis? Denique & probarat: eius ipſius illa vox fuit, Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Pſal. 117. *Quæris, quis ille impulſor? Non eſt vnus. Impulſor diabolus eſt, impulſor mundus, impulſor homo. Quis eſt iſte homo, ſi quæris? Quiſque ſui.* Et infrà: *Ergo* (inquit) *qui ſtat, ſi non vult cadere, non fidat ſibi, ſed nitatur Verbo. Verbum loquitur, Sine me nihil poteſtis facere. Ita eſt, nec ſurgere ad bonum, nec ſtare in bono poſſumus ſine Verbo. Tu ergo qui ſtas, da gloriam Deo, & dic: Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Cuius manu erigeris, ipſius neceſſe eſt virtute tenearis.* Hæc Bernardus.

Stare nō poſſumus ſine verbo.

D. Bernard.

641. Firmitas igitur in bono ab illo nobis præbetur, qui tribuit nobis bonum, & de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum, ſicuti loquitur Apoſtolus 1. *Petr.* 2. 9. vt omnis claritas, quæ dirigit pedes noſtros in viam pacis, ab illo ſuper nos effulgeat; & omnis caligo, quæ mentis noſtræ oculos virtuti claudit, & vitio aperit, à nobis oriri agnoſcatur. Ergo enixè rogandus à nobis eſt luminum Pater, vt ſemel illuminati, nequaquam rebelles ſimus lumini, ſed ſemitæ noſtræ quaſi lux ſplendens procedant, & creſcant vſque ad perfectum diem, qui eſt dies gloriæ, vt notat S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 8. Ita ſentit etiam immaculata Chriſti Sponſa, quæ ipſius ſanguine ac lauacro vitæ mundata, non habens maculam aut rugam, omnem ſuam venuſtatem ſibi à ſanctiſſimo Sponſo conceſſam gloriatur, & ab eo cuſtodiendam deprecatur in oratione Dominicæ poſt Pentecoſtem ſextæ: *Præſta in nobis*, inquit, *religionis augmentum, vt quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.* Nam etiam ſpiritualibus bonis ditati, ac gratià ſanctificante, chriſtianiſque virtutibus exornati, adhuc ſpeciali Dei cuſtodià indigent, vt in eis permaneant. Quod docuit Pſalmiſta *pſal.* 126. 1. dum inquit: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Vbi Auguſtinus: *Laboramus* (inquit) *in cuſtodiendo, ſed vanus eſt labor noſter, niſi ille cuſtodiat, qui videt cogitationes noſtras.* Vnde & idem Auguſtinus ſuam in bono firmitatem, & ab illis, quæ non commiſit delictis, abſtinentiam ſpeciali Dei ſupra ipſum vigilantiæ, quâ tentationum laquei contriti ſunt, & peccatorum occaſiones cauſæque ablatæ, attribuit in ſoliloq. cap. 15. *Quia*, inquit, *niſi tu hoc mihi feciſſes, ego omnia peccata mundi feciſſem; quoniam ſcio Domine, quod nullum peccatum eſt, quod vnquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit à quo factus eſt homo.* Et *lib.* 2. *confeſſ. cap.* 2. idem Auguſtinus eandem docet veritatem, Deum ſic alloquens: *Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem ſoluiſti: gratiæ tuæ deputo & quæcumque non feci mala, & omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Ex quibus verbis apertè colligitur, etiam juſtos Deo eſſe debitores de peccatis quæ non perpetrarunt, & à quibus ſpeciali diuinæ gratiæ protectione ſunt præſeruati. Vnde Auguſtinus ibidem concludit, eum qui à Deo à peccatis præſeruatus eſt, non minùs debere Deum diligere, quàm ille qui ab illis eſt liberatus; ſicuti non minùs diligit medicum, qui eius ope euaſit ægritudinem, quàm ille qui ab illa ſanatus eſt; ait enim: *Et ideo tantundem, immò verò amplius diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* Hæc Auguſtinus vnde in Concilio Arauſicano II. *can.* 10. dicitur: *Adiutorium Dei etiam renatis & ſanctis ſemper eſt implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Et Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 22. hæc edicit: *Si quis* (inquit) *dixerit juſtificatum ſine ſpeciali Dei auxilio perſeuerare poſſe, anathema ſit.*

Omne lumē à Domino.

Rogādus eſt vt lumina fundat.

S. Thom.

D. Auguſt.

Diuinâ egemus cuſtodiâ.

Multa peccata faceret homo, niſi à Deo conſeruaretur.

D. Auguſt.

Gratiæ Dei deputanda, quæ non fecimus mala

Hæc omnia agnouit ille ſecundùm cor Dei Propheta, qui & animæ ſuæ languores à Deo ſanari poſtulabat, pſal. 40. 5. *Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Et juſtitiam ſuam à Deo ipſi collatam, etiam à Deo ſedulò conſeruari precabatur, pſal. 16. 8. *A reſiſtentibus dextera tua* (hoc eſt ab impulſoribus ad peccatum) *cuſtodi me, vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me &c.* Sicuti enim pupilla oculi, in qua præſtantiſſimus omnium viget ſenſus, multis à natura præſidiis tutatur; nam variis tunicis inuoluitur, duabus palpebris operitur, ſuperciliis protegitur, ne vel à minimo puluere lædatur, & viſus acumen minuatur, vel corrumpatur: ita gratiam & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, qui Dei munere poſſidet, magnâ diligentiâ, ac vigilantiâ debet à Deo cuſtodiri, & veluti pupilla oculi eius gratiâ contra omnes hoſtes diuino auxilio præmuniri, ne vel minimo puluere offendatur, hoc eſt, ne minimæ ad peccandum ſuggeſtioni aſſentiat, vel tentationi ſuccumbat. Quod verè intelligens Propheta, poſtquam ſe igne examinatum dixit, nullamque in eo inuentam fuiſſe iniquitatem aſſeuerauit, à Deo enixè poſtulauit, vt tanquam pupilla oculi conſeruaretur, ne ſcilicet à reſiſtentibus dexteræ Dei ad peccandum impelleretur, & ſic impulſus in peccatum voluntariè caderet. Vt ergo puriſſima ab omni labe peccati vita Iuſtorum exiſtat, diuinâ gratiâ protegente, noſtriſque precibus fauente, pupillæ oculi nitidiſſimæ ac lucidiſſimæ debet eſſe ſimilis, vt notauit Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus *lib.* 3. *de prouid.* dum ait: *Perfectæ, & ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Saluator, juſſit ab his cautiſſimè etiam minima vitari; & vt quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani omnis vita: vt ſicut, ſaluâ intuitûs incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet, ſic vita noſtra labem in ſe penitus impudicitiæ non haberet.* Hæc ille. Sicut autem nec nitore, nec viſûs perſpicacitate pupilla gaudet oculi, niſi præſidio tunicarum & palpebrarum protegatur, & contra nocentia omnia citiſſimè claudatur: ita nec juſtorum pietas ſuo in fulgore durabit, vel nouum acquiret nitorem, niſi ab adiutorio diuinæ gratiæ, tanquam oculi pupilla cuſtodiatur, ideſt a tentationibus liberetur, ab impulſoribus protegatur, à peccandi occaſionibus eripiatur, & in bono firmetur ac ſolidetur. Quare D. Auguſt. *hom.* 23. Deum juſtos à peccatis protegentem ſic loquentem inducit: *Hæc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſeruabam te mihi, vt adulterium non committeres. Suaſor defuit, & vt ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: vt non conſentires ego ſerraui. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes & quod non amiſiſti. Nullum eſt enim peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.* Hæc Auguſtinus, quibus

643.

Homo à Deo cuſtodiendus vt pupilla oculi, & quare.

Saluian.

Chriſtiani vita pura ſit, vt pupilla oculi.

D. Auguſt.

Deus ſeruat hominem, & ipſi peccādi occaſionē eripit.

Digitized by Google

luculenter oſtendit, hominem juſtum, pupillam veluti oculi, ne peccati puluere inficiatur, à Deo ſedulò cuſtodiri, nec poſſe hominem ſine diuina protectione ſe à peccato immunem præbere.

644. Hinc dixit Pſalmiſta: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*, pſal. 145. 3. hoc eſt, in nullo alio præter Deum, vel confidentiam ſtatuas, vel ſpem ponas; ſalus enim ab hominibus nequit oriri, ſed à ſolo Deo, qui hominem à peccato eripit, & in bono cuſtodit: vnde idem Propheta inquit pſal. 39. 3. *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* Ideoque vt omne bonum hominis à Deo oriri, & ab illo conſeruari ac manuteneri demonſtret, ſubdit præfato pſal. 145. 5. *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius.* Etenim Deo adiuuante, & homine in eo ſperante virtus augetur, creſcit ſanctitas, gratia multiplicatur: ſi autem nec in Deo ſperet homo, nec à Deo adiuuetur, virtus minuitur, deficit gratia, & ipſa ſanctitas euaneſcit: non modicam quippe diuinus ſuper juſtos vigilans oculus habet virtutem; ab eius ſiquidem aſpectu vigent omnia in juſtificato, vernant, creſcunt, & ad conſummatam deueniunt perfectionem; ſic enim promiſit Dominus Leuit. 26. 9. *Reſpiciam vos* (inquit) *& creſcere faciam.* Quod exponens Origenes *hom.* 16. *in Leuit.* ait: *Tanquam ſi Sol reſpiciat ſegetem, & afferat fructus, quam vtique ſi non reſpexiſſet, infructuoſa manſiſſet: ita Deus ſegetem cordis noſtri reſpiciens, & radiis nos verbi ſui illuminans, auget nos & multiplicat, vt vltrà non ſimus paruuli, ſed magni efficiamur, ſicut magnus factus eſt Iſaac, & magnus Moyſes, & magnus Ioannes.* Hæc ille. Vbi virtutes & ſanctitatem diuino intuitu, ſeu diuinâ protectione augeri demonſtrat; vera enim hominis magnitudo à virtute, ſicut à vitio paruitas ſumitur, ſicut notauit D. Cyrillus Alexandr. *lib.* 12. *in Leuitic.* vbi inquit: *Peccatum hominem paruum facit, & exiguum; virtus eminentem præſtat, & magnum, &c.* Qui ergo in gratia permanere, vel in ea proficere cupiunt, in Deo confidant, ſperent, ac diuinum ſine intermiſſione implorent adiutorium. Si enim vel in propriis viribus confidant, non current in via juſtitiæ, ſed corruent. Expertus eſt hoc Auguſtinus, qui libro ſoliloquior. cap. 25. *Sperabam* (inquit) *aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus; & cùm ſic volui currere, vbi magis ſtare credebam, ibi magis cecidi. Quod magis credidi poſſe per me, minus ſemper potui; dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam: nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non erat voluntas, quam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine Deus meus, quia non in fortitudine ſua roborabitur vir; non eſt enim hominis velle, quod poſſit; aut poſſe quod velit; vel ſcire quod velit, & poſſit: ſed potiùs à te greſſus hominis diriguntur.* Hæc Auguſtinus.

Omne bonũ hominis à Deo oritur, & conſeruatur.

Origen. Oculi Domini fouent homines, ſicuti Solis aſpectus fouet terram.

Hominis magnitudo à virtute: paruitas à vitio. Cyrill. Alex.

D. Auguſt.

Fortitudo noſtra à Domino: à nobis infirmitas.

645. Quæ cùm ita ſint, etiam diuinâ gratiâ juſtificatus ſe debilem ac infirmum, viribus ſuis relictum debet agnoſcere, pauperrimumque exiſtimare; ſicque tam juſta de ſe ſentiens, diuinum auxilium aſſiduis precibus poſtulare, vt in juſtitia & ſanctitate Dei firmatus præſidio, ſtare valeat, ac perſeuerare. Vnde Auguſtinus libro ſoliloquior. cap. 15. *Scio*, inquit, *Domine, & confiteor, docente te, quoniam illi ſoli, qui cognoſcunt ſe pauperes, & confitentur tibi paupertatem ſuam, ditabuntur à te; quoniam qui ſe diuites exiſtimant, cum ſint pauperes, à tuis diuitiis inuenientur excluſi.* Hæc ille. Debet inſuper propriæ infirmitatis ac paupertatis conſcius timere timore magno, non ſeruili, ſed filiali, quo metuat à ſtatu gratiæ in profundum peccati barathrum deturbari. Ideo enim juſtus animam ſuam in manu Dei habere dicitur, vt ſemper metuat ex hac manu cadere, & confringi. Sicut enim vas luteum in manu figuli conſeruatur integrum, & ab illa cadens frangitur ac deſtruitur; ita & juſtus, quamdiu in manu Domini, à quo juſtificatus eſt, permanet, integer in ſua juſtitia cuſtoditur; ſi autem ab hac manu recedat, & in terram peccato conſentiendo corruat, vulnerabitur, lacerabitur, confringetur. Idem ferè notauit Rupertus, explicans illud Apoc. 1. 16. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Quæ ſcilicet ſeptem ſunt Epiſcopi ſeptem præcipuarum Eccleſiarum Aſiæ, vt ibid. 20. dicitur: *Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Ait ergo Rupertus, iſto dicto ſtellas einſmodi ſalubri timore conſtringi, quia videlicet ſic ſtellæ iſtæ in cœlo ſunt, vt eas teneri oporteat, ne cadant in terram; nam de cœlo plurimæ ſtellæ ceciderunt, & de ſtellis facti ſunt principes tenebrarum. Dicendo itaque, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, ſimul terribiliter innuit, vt qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat; non enim ſtat ſuâ virtute, ſed dexterâ Domini continente. Hæc ille. Timeat ergo juſtus, ne à juſtitia recedat, & timore Domini repletus, ac de ſua propria certus infirmitate, humiles porrigat omnipotenti Deo precationes, quibus miſericordiam ſuam ſuper ſe jugiter effundi imploret.

Etiam juſtificatus ſe infirmum reputet. D. Auguſt.

Et ſemper timeat ne cadat.

Rupert. Abbas.

Iuſtos in manu ſua tenet Deus: ſi ab illa cadant, vt vaſa lutea confringentur.

646. Hinc omnes juſti Dominum formidare jubentur, *Pſal.* 33. 10. vbi legitur: *Timete Dominum omnes Sancti eius.* Quod exponens D. Bernardus *ſerm.* 5. *de omnibus Sanctis*, inquit: *Illis dicit, quibus cuſtodia multiplex neceſſaria eſt pro multitudine periculorum: egent planè cuſtodiâ, qui tam multipliciter non modò cominus, ſed eminus appetuntur; & vbi tot pugnæ foris, non debent intus deeſſe timores.* Hæc ille. Dum igitur timens, & tremens, immò pauper ac infirmus clamat juſtus ad Dominum, haud dubium exaudit illum. Vnde & Propheta pſalm. 33. 7. *Iſte pauper*, inquit, *clamauit, & Dominus exaudiuit eum.* Vbi S. Auguſtinus ait: *Docet te, quomodo exaudiaris. Ideo non exaudiris, quia diues eſt. Inops clamat, & Dominus exaudiuit eum. Et quomodo clamabo inops? Vt etſi habes aliquid, non inde præſumas de viribus tuis: vt intelligas te indigentem, vt intelligas te tamdiu eſſe pauperem, quamdiu non habet illum, qui te fecit diuitem.* Hoc eſt, à Deo poſtulata obtinebis, & in gratia firmitatem habebis, ſi te nudum, miſerum, ac pauperem intellexeris, omneſque diuitias gratiæ & ſanctitatis ab eius miſericordia in corda hominum promanare agnoueris, ita vt etiam in bono firmari ac perſeuerare, illius eſſe donum à te credatur. Quod etiam ſuadet Bernardus ſerm. 4. de Aduent. *Vtile eſt nobis* (inquit) *chariſſimi, abſcondere magis, quam oſtentare, ſi quid habemus boni: ſicut & mendici, cùm eleemoſynam petunt, non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminuda membra, & vlcera, ſi habuerint, vt citiùs ad miſericordiam videntis animus inclinetur.* Ergo etiamſi homo polleat ſanctitate, & diuinis chariſmatibus exornetur, vt illa in ſe cuſtodiat, & nuſquam ab eis deficiat, roget Dominum, ſeque pauperem & trementem exhibeat, vt ſuam inopiam ſubleuet Deus, & timorem ſuum gratiæ ſuæ vbertate compenſet. Sic

Sancti ſemper timeant. D. Bernard.

S. Auguſt.

Dum pauperes & inopes clamamus ad Dominũ, exaudimur.

D. Bernard.

Mendicos qui petentes eleemoſynã vulnera & inopiam oſtendunt, dum oramus, imitemur.

precaba

precabatur Dominum Propheta, dum à diuina ſalute ſuſceptum ſe commemorat: *Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua ſuſcepit me*: pſalm. 68. 30. hoc eſt, quia paupertatem, & infirmitatem meam cum timore & dolore cognoui, & auxilium diuinum inuocaui, ideo miſericordiam tuam accepi, & ſalutem aſſequutus ſum. Etenim ſuper humilem, & trementem ad ſermones Domini, Spiritus Domini requieſcit. Verùm non ſolum miſericordiam Dei conſequutus eſt Pſalmiſta, paupertatem ſuam, doloremque ac timorem exponens, ſed etiam auxilium diuinum inceſſanter implorans; quod paſſim in eius pſalmis occurrit. *Deus*, inquit, *ne elongeris a me*, Pſalm. 70. 12. Abſente enim Deo, hoc eſt ſpeciali auxilio non protegente, ingruunt mala, virtutes euaneſcunt, naſcuntur vitia, & peccata committuntur. Et pſalm. 139. 9. *Ne tradas me, Domine, à deſiderio meo peccatori*; hoc eſt, ne permittas me tradi. Et *pſal.* 65. 9. ſicut legit Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 6. *Ne des ad mouendum pedem meum*: aliiſque pluribus in locis Dei adiutorium ſupplex homo ſecundùm cor Dei poſtulat, vt in bono ſtare poſſit.

Abſente Domino mala ingruunt, præſente bona veniunt.

D. Auguſt.

647. Quare & docens alios quod ipſe egerat, *pſalm.* 104. 4. ait: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.* Vbi S. Auguſtinus ait: *Quid eſt facies Domini, niſi præſentia Dei?* Præſentia autem Dei eius prouidentiam, vigilantiam, immò & ſpeciale adiutorium Dei ſupra quærentes eum importat. Hæc omnia deſiderantur, vt in bono firmetur homo, illaque precibus ac orationibus debet inueſtigare. Vnde & ardenter, humiliter, ac jugiter poſtulanda ſunt, ſicut dixit Baſilius apud D. Thomam 2. 2. quæſt. 83. art. 13. *Diuinum auxilium implorandum eſt non remiſsè.* Tunc enim auditur juſtus, quando enixè & ardenter poſtulat. Nam *oculi Domini ſuper juſtos, & aures eius in preces eorum*, vt dicitur *pſal.* 33. 16. Quod vt notat S. Saluianus *lib.* 2. *de proui.* non audientiam tantùm Dei, ſed quandam quaſi obedientiam deſignat; ita vt meritò cum Propheta quilibet Iuſtus humiliter rogans Dominum valeat dicere: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.* Pſalm. 65. 20. Etenim *voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos*, vt dicitur *pſal.* 144. 19. vbi Auguſtinus luculenter ſanè, & eleganter inquit: *Faciet, faciet; & ſi non faciet ad horam, tamen faciet. Certè ſi ideo times Deum, vt facias ipſius voluntatem, ecce & ipſe quodammodò miniſtrat tibi, facit voluntatem tuam.* Quibus verbis magnam timentibus Deum fiduciam, ac ſpem præſtat, non quidem in ſe, ſed in eo, qui ab illis timetur & amatur, qui prior dilexit illos, & tradidit ſemetipſum pro illis, vt morte ſuâ æternam vitam eis concederet, & auxilia ad illam aſſequendam, ſuis tamen precibus impetranda præpararet.

D. Auguſt.

Præſentia Dei ſemper eſt quærẽda, & diuinum auxilium jugiter implorandum.

D. Baſil.

D. Thom.

Non tantùm Deus audit preces noſtras, ſed & ipſis obedire videtur.

TEXTVS VLTIMVS.

Tu qui cuncta ſcis, & vales,
Qui nos paſcis hîc mortales,
Tuos ibi commenſales,
Cohæredes & ſodales
Fac ſanctorum Ciuium.

EXPOSITIO TEXTVS.

POSTREMAM totius huius Operis epilogi partem complectitur textus iſte, in quo Doctor Angelicus inuocationem Christi Paſtoris optimi, & 648.
panis veri, quam in textu præcedenti epilogum inchoante inceperat, feliciter abſoluit, æternam Chriſtianis ſacram Euchariſtiam ritè manducantibus, ac fructus eius ſuſcipientibus felicitatem exoptans. Et quia illa, quam cupit illis beatitudo, omnis vitæ Chriſtianæ, ac ſanctarum actionum, immò & ſacrorum omnium, quæ in Sacramentis nobis à Chriſto conferuntur, beneficiorum meta eſt ac terminus; ideo in illius poſtulatione huius Cantici finem conuenientiſſimè ponit, ait ergo:

Canticum hoc æternã felicitatem Chriſtianis Euchariſtiã manducantibus optans S. Thomas abſoluit.

Tu qui cuncta ſcis, & vales. Quibus verbis Chri- 649.
ſtum amantiſſimum Redemptorem noſtrum alloquitur, præſtantiſſima eius recenſens attributa, ſcientiam ſcilicet & potentiam; vt ſcilicet ex cognitione perfectiſſima fragilitatis noſtræ, & redemptionis, quam nobis ſuo ſanguine comparauit; & Sacramentorum applicatione nobis confert, potentiam ſuam ad glorificandum nos, ſuique commenſales, & ſanctorum Ciuium ſodales in patria efficiendum exhibeat. Dicit igitur, *Tu qui cuncta ſcis*; hoc eſt, Chriſte Fili Dei viui, quem in hoc Sacramento panis ſpeciebus velatum ſumimus, & in patria reuelatâ facie contemplari ſperamus, qui omnia cognoſcis; ipſum enim tanquam verum Deum & hominem alloquitur: Deus autem omnia penetrat, & nihil eſt in rerum natura quod ipſum poſſit latère; *omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius*, vt dicitur *Hebr.* 4. 13. vnde Eccleſia in oratione præparatoria ad Miſſam: *Deus*, inquit, *cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum.* Quod indicat auguſtiſſimum Dei nomen, quod omnia videntem ſonat: Θεὸς enim, ideſt, *omnia videns*, à verbo græco *θεᾶμαι*, hoc eſt *videre*, deriuatum. Quare Ægyptij Deum *oculum mundi* appellabant, ipſumque aperto oculo ſceptro inſidentem exprimebant; & in ſacris paginis *Scientiarum Dominus*, 1. Reg. 2. 3. hoc eſt, omnium cognitionum author, omniumque luminum pater vocitatur. Hinc *Eccleſ.* 24. 19. & 20. dicitur: *Cognouit Deus omnem ſcientiam, reuelans veſtigia occultorum: non præteribit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo.*

Chriſtus filius Dei omnia cognoſcit.

Deus græcè Θεὸς, ideſt videns.

Deus mundi oculus, ſcientiarum Dominus.

Cuius quidem ratio eſſe videtur, quia non ſo- 650.
lùm omnem locum, ſed etiam omne ens, diuinâ eſſentiâ ſuâ replet Deus. Cùm enim ſit infinitus, & immenſus, debet vbique realiter eſſe præſens, juxta illud Ierem. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo.* Cùm autem eſſentia diuina ſit ipſummet intelligere Dei, idem enim eſt in Deo intelligere, & eſſe, vt docet S. Thomas 1. *p. quæſt.* 3. *art.* 4. &

Cur Deus omnia cognoſcat.

Digitized by Google

Intelligere Dei eſt eſſe Dei, illudque eſſe conſtituit.
D. Thom.

& *quæſt.* 14. *art.* 4. & *quæſt.* 27. *art.* 1. immò & intelligere actualiſſimum per modum actus puriſſimi ſit conſtitutiuum diuinæ eſſentiæ, vt docent grauiſſimi Theologi ex D. Th. *ad quæſt.* 14. *primæ partis*, vt ſunt Ioannes à Sancto Thoma, aliique quamplurimi, quos ſequitur, & refert Collegij Salmanticenſis Carmelitarum Excalceatorum curſus Theologicus *in tract. de Scientia Dei, ad præſ. quæſt.* 14. *primæ partis*; ideo omnia intelligere, videre, & cognoſcere debet: vnde *pſalm.* 138. 6. dicitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; vbi aliqui legunt, *Embrionem meum viderunt oculi tui*; hoc eſt, initium omnium viarum mearum, ipſaſque abditiſſimas cogitationes meas in illarum initio, ideſt antequam perfectè formatæ fuiſſent à me, perfectiſſimè cognouiſti. Tantùm enim abeſt, quod reconditæ mentium noſtrarum cogitationes Deum lateant, quin immò antequam à nobis producantur, ab illo videntur. Etenim res omnes futuræ, noſtræque itidem cogitationes, antequam in ſcipſis ſint, Deo præſentes exiſtunt in æternitate omnem durationem ambiente, & ab ipſo pleniſſimè cognoſcuntur, vt docent Theologi 1. *p. quæſt.* 14. *art.* 13. Vnde meritò Auguſtinus hominem à peccato extrahere conatur ex infinita Dei ſcientia, quæ omnem locum, & omnem hominem in quocumque loco conſtitutum luſtrat, & intuetur. Sic enim illum admonet ſerm. 46. de verbis Domini: *Ipſe* (Deus) *timendus eſt in publico: ipſe in ſecreto. Procedis? videris. Lucerna ardet? videt te. Lucerna extincta eſt? videt te. In cubile intras? videt te. Ipſum time, cui cura eſt, vt videat te, & vel timendo caſtus eſto: aut ſi peccaueris, quære vbi te non videat, & fac quod vis.* Hæc Auguſtinus. Cui concinit Ambroſius *ſerm.* 1. *in pſalm.* 118. vbi ex eadem Dei præſentia ac cognitione ſic peccantem hominem redarguit: *Putas te ſolum eſſe cum fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini vident orbem terrarum? Putas, quod in lupanari Chriſtus te non videat, quem videt lupanar ingredientem? Putas, quod in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitantem? Et ſi verum audire vis, quomodo te in lupanari non vidit Chriſtus, quando te vidit, qui adulterando in corde tuo, teipſum lupanar eſſe feciſti?* Hæc ille.

Cogitationes noſtras antequam in ipſis ſint, Deus cognoſcit.

D. Auguſt.

Maxima Dei cognitio hominem à peccato debet retrahere.

D. Ambroſ.

Videt Chriſtus adulterium committentem, qui videt adulterium cogitantem.

651. Rectè ergo S. Thomas Chriſtum Dominum obſecrans, illum cuncta ſcientem vocat: cùm enim verè Deus ſit, de Deo ab æterno procedens, tanquam eius Verbum, Filius, ſplendor gloriæ, & figura, ſeu character, ideſt imago ſubſtantiæ illius, non ſolùm omnia ſciens, omnia proſpiciens dicitur, ſed etiam omnium rerum ſcientia & cognitio appellatur. Cùm enim Verbum Diuinum procedat ex cognitione omnium quæ neceſſariò & formaliter ſunt in Deo, nempe ex cognitione eſſentiæ, perſonarum, & attributorum, immò & creaturarum poſſibilium, quæ in ſinu diuinæ omnipotentiæ latitant & continentur, vt docent Theologi cum D. Th. 1. *p. quæſt.* 34. & 35. illorum omnium fulgentiſſima notitia eſt, & ſplendidiſſima repræſentatio, immò & lucidiſſimum ſpeculum illa perfectiſſimè exhibens, & cognoſcens: ideoque *candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*, Sap. 7. 26. nuncupatur: *Totum enim*, vt inquit Baſilius, *in ſe monſtrat genitorem.* Et cùm omnia in Patre æterno, cui rerum omnium creatio attribuitur (quamvis etiam Filio & Spiritui ſancto propter identitatem eſſentiæ, & operationis ad extra conueniat) tanquam effectus in cauſa contineantur, ab eodem Filio cuncta diſtinctè repræſentantur. Ex quibus liquet, rectiſſimè S. Thomam Filium alloquentem dixiſſe, *tu qui cuncta ſcis*: etenim omnia non ſolùm apprimè noſcit & penetrat, verùm etiam illorum notitia eſt, & cognitio, cùm ea pleniſſimè exhibeat, & repræſentet.

Chriſtus verbum Dei omnia debet perfectè cognoſcere.

D. Thom.

Eſt ſpeculum ſine macula rerum omnium.

652. Hinc etiam patet, hîc D. Thomam loquutum de ſcientia diuina & increata Chriſti Domini, quæ increatam & diuinam eius eſſentiam conſequitur, immò & eius eſſentia diuina eſt, Dei enim intelligere eſt ſua ſubſtantia, vt ex Philoſopho 12. *Metaph. text.* 39. docet idem S. Thomas 3. *p. quæſt.* 9. *art.* 1. *ad* 1. Quamvis enim Chriſtus ſecundùm quod homo triplicem habuerit ſcientiam, ſeu cognitionem, nempe Beatam, inditam, ſeu infuſam, & acquiſitam, ſeu experimentalem, vt docent Theologi cum Angelico Doctore 3. *p. quæſt.* 9. *jam citata*; attamen ex nulla trium harum ſcientiarum poteſt dici omnia ſcire, ſeu cognoſcere cognitione adæquatâ, & comprehenſiuâ, quæ cognoſcit rem in quantum cognoſcibilis eſt. Hæc etenim perfectiſſima rei comprehenſio ſoli ſcientiæ diuinæ, & increatæ competit. Illa enim omnia, non ſolùm exiſtentia & futura, ſed etiam poſſibilia perfectiſſimè, & comprehenſiuè attingit & penetrat. Adde quod omnia poſſibilia nequeunt comprehendi, niſi & ipſa Dei omnipotentia comprehendatur, & conſequenter ipſa diuina eſſentia, quæ idem realiter eſt cum omnipotentia; anima autem Chriſti diuinam eſſentiam, quam perfectiùs & clariùs omnibus Beatis intuetur, nequit comprehendere; nam duarum vnio naturarum, diuinæ ſcilicet & humanæ in perſona Chriſti ſic facta eſt, vt proprietas vtriuſque inconfuſa permanſerit, ita ſcilicet quod increatum manſerit increatum, & creatum manſerit intra limites creaturæ, vt inquit Damaſcenus *lib.* 3. *fid. orth. cap.* 3. & 4. Cùm ergo impoſſibile ſit diuinam eſſentiam ab aliqua comprehendi creatura, vt cum D. Thoma docent Theologi 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 7. nequeatque infinitum à finito comprehendi; anima Chriſti, quæ creatura eſt, non valet diuinam eſſentiam, nec omnia poſſibilia comprehendere.

De ſcientia diuina & increata Chriſti hic loquitur D. Thom.

Triplex in Chriſto hominae ſciẽtia

Beata, infuſa, acquiſita.

Nulla ex his tribus omnia poteſt ſcire.

Damaſc.

D. Thom.

Anima Chriſti eſt finita, & nequit infinita comprehendere.

653. Cum hoc tamen ſtat, quod ipſa anima Chriſti per ſcientiam beatam videat in Verbo omnem creaturam, & omnia quæ ab illa poſſibilia ſunt. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ eſſentiam, & per conſequens potentiam, & virtutem, & omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 10. *art.* 2. Nihilominus ſcientia increata, & diuina Chriſti vincit ſemper ſcientiam creatam, & beatam animæ ipſius, non ſolùm quantùm ad modum cognoſcendi, ſed etiam quantùm ad numerum ſcibilium. Quamvis enim anima Chriſti cognoſcat omnia, quæ Deus in ſeipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis, nempe exiſtentia; tamen non cognoſcit omnia quæ Deus in ſeipſo cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nempe omnia à Deo poſſibilia. Patet igitur D. Thomam loqui de ſcientia diuina Chriſti, quando illum inuocans ait, *Tu qui cuncta ſcis.*

Anima Chriſti ſcientiâ beatâ comprehendit in verbo omnia creaturæ eſſentiam.

Sed omninò maior eſt ſcientiâ increatâ, & infinitâ illius.

654. Addit autem, *& vales*, ac ſi diceret, & qui *omnia potes.* Quo loquendi modo manifeſtat, ſe in præcedentibus verbis, *tu qui cuncta ſcis*, de diuina ſcientia Chriſti fuiſſe loquutum; nam hæc particula, *& vales*, ſignificat diuinam omnipotentiam, quâ Chriſtus omnia poteſt. Quamvis

enim

Chriſtus eſt omnipotens.

enim ex mirabili, ac ineffabili diuinæ & humanæ naturæ in ſuppoſito, ſeu perſona Verbi Diuini vnione communicatio idiomatum facta ſit, vt ea quæ homini conueniunt, de Deo prædicentur, & ſimiliter ea quæ Deo competunt, de homine enuntientur; quo pacto verè dicitur, *Deus eſt homo: Deus natus eſt ex Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, mortuus, &c.* & ſimiliter, *Homo eſt Deus, Homo eſt omnipotens, &c.* attamen cùm omnipotentia ſit virtus infinita, non reperitur in natura humana Chriſti præcisè & ſecundùm ſe conſiderata; nam anima Chriſti non poteſt omnia facere, quod pertinet ad rationem omnipotentiæ; & inter cætera manifeſtum eſt, quod non poteſt creare ſeipſam, vt loquitur S. Thomas 3. *p. q.* 13. *art.* 5. *ad* 2. Vnde licèt Chriſtus ſit omnipotens, quia Deus & homo eſt, & natura humana Verbo eſt hypoſtaticè vnita, juxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra:* quod exponens Hieronymus ibidem: *Illi* (inquit) *poteſtas data eſt, qui paulò antè crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui poſteà reſurrexit*; ideſt Chriſto, ſecundùm quod homo, non præcisè; ſed quia eſt vna perſona Dei & hominis, & actiones ſunt ſuppoſitorum, ſeu perſonarum, vt tritum eſt apud Philoſophos. Quare Ambroſius *lib.* 1. *in Luc. c.* 1. docet quod potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ſcilicet ex vnione hypoſtatica naturæ ſuæ humanæ cum ipſa perſona Filij Dei, ex qua factum eſt, vt ſicut homo dicitur Deus; ita dicatur omnipotens, non quaſi ſit alia omnipotentia hominis, quàm Filij Dei, ſicut nec alia deitas; ſed eo quòd eſt vna perſona Dei, & hominis: nequaquam tamen humanitati eius præcisè & ſolitariè conſideratæ ſumma illa potentia conuenit. Itaque *virtus, quæ de Chriſto exibat, & ſanabat omnes*, vt dicitur *Luc.* 6. 19. & quâ miraculoſas poterat patrare operationes ad finem Incarnationis, nempe ad inſtaurandum omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, congruas, ab anima Chriſti, & eius humanitate, tanquam ab inſtrumento Verbi ſibi vniti procedebat.

Sed non præcisè vt homo. — *D. Thom.* — *Sed vt homo & Deus, hoc eſt, vt natura humana diuino Verbi ſuppoſito eſt hypoſtaticè vnita. D. Hieron.* — *D. Ambroſ.* — *Miracula Chriſti ab eius anima & humanitate, vt ab inſtrumento Verbi procedebant.*

655\. Rectè autem Doctor Angelicus pro nobis Chriſtum Deum & hominem interpellans, eius ſcientiæ diuinæ his verbis, *Tu qui cuncta ſcis*, expreſſæ adiunxit potentiam hac dictione, *& vales*, quia Dei omnipotentia eius ſcientiam immediatè ſequitur: immò ipſa omnipotentia rerum omnium factiua, non differt ab ipſa ſcientia Dei practica, ſed vno, & eodem actu ſcientiæ ſuæ practicæ cognoſcit Deus, & producit res. Vnde omnipotentia Dei, & eius ſcientia practica nullo modo differunt, ſed vnicam lineam ſimpliciſſimam in Deo conſtituunt; nam ſcientia Dei, adiuncta voluntate, eſt cauſa omnium rerum à Deo factibilium. Deus quippe per ſuum intellectum cauſat res, quia ſuum eſſe eſt ſuum intelligere. Cùm autem omnipotentia res producens ſit ipſamet virtus Dei cauſans illas, ſequitur quod hæc virtus eſt eius intelligere. Et cùm eius intelligere ſit eius ſcientia, & eius eſſe, hinc colligitur, diuinum eſſe eſſe idem cum diuina ſcientia, & cum diuina omnipotentia; & hanc omnipotentiam eſſe eandem formalitatem cum ipſa ſcientia Dei practica. Hinc eſt, quod creatio omnium rerum, quæ diuinæ omnipotentiæ, tanquam cauſæ attribuitur, vnde & in Symbolo Apoſtolorum dicitur, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*; etiam diuinæ ſcientiæ in ſacris Paginis, tanquam cauſæ præbetur. *Ipſe dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt.* Pſal. 148. 5. Vbi dicere, & præcipere, duo actus intellectus, ſeu ſcientiæ Dei, dicuntur cauſæ, & origines omnium rerum. Et pſalm. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sap. 3. 19. *Dominus ſapientiâ fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentiâ.* Quod etiam docet Apoſtolus Hebr. 11. 3. *Fide*, inquit, *intelligimus aptata*, ideſt perfecta, *eſſe ſecula verbo Dei.* Vnde & dilectus Domini Diſcipulus vnigeniti Filij Dei ſummam & æternam dignitatem deſcribens, poſtquam dixit illum eſſe Verbum, quod in principio erat, & apud Deum, & Deus ipſe, hacque inſigni Verbi nomenclaturâ, illum Dei ſapientiam & ſcientiam implicitè nominauit, ſtatim eius omnipotentiam commemorat: *Omnia*, inquit, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ioan. 1. 3. Ipſeque gentium Magiſter, vt ex Filij Dei dignitate ſcandalum crucis euacuaret, Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitiam, vocatis & fidei lumine colluſtratis appellat *Dei virtutem, & Dei ſapientiam*, 1. Cor. 1. 23. ſicque in Filio Dei omnipotentiam cum ſcientia Dei copulat; eadem enim ratione, quâ Verbum, & ſapientia, ſeu ſcientia Dei eſt, illius eſt etiam virtus, & omnipotentia: ſcientia quippe Dei non ſolùm eſt directiua, ſed operatiua, & factiua rerum; ipſumque Dei Verbum creaturas non ſolùm repræſentat, ſed efficit, & producit. Quapropter Filius Dei, qui & Verbum, manus Domini dicitur, pſalm. 143. *Emitte manum tuam de alto.* Et paſſim in Scripturis brachium eius appellatur, immò Apoſtolus *Hebr.* 1. 3. potentiam cum ſapientia Dei in Verbo ita coniunxit, vt docuerit, Filium qui cuncta creauit, verbo virtutis ſuæ, hoc eſt, ſapientiâ ſimul, & omnipotentiâ omnia portare, ſuſtinere, conſeruare. *Portans*, inquit, *omnia verbo virtutis ſuæ.* Vnde D. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſt. q.* 63. notauit, quod *in nomine verbi ſignificatur non ſolùm reſpectus ad Patrem, ſed etiam ad illa, quæ per verbum facta ſunt operatiuâ potentiâ.*

Cur D. Thomas ſcientiæ Chriſti adiunxit omnipotentiam. — *Scientia Dei practica, & omnipotentia non differunt.* — *Scientiâ Deus omnia creauit.* — *Verbo Dei omnia facta ſunt.* — *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia.* — *Manus Dei, & brachium Dei dicitur.* — *In nomine Verbi eſt reſpectus ad Creaturas ab ipſo productas.*

656\. Deinde pergit D. Thomas, *qui nos paſcis hic mortales.* Vbi inuocationem Chriſti proſequens, ſpecialem & inſignem illius ſapientiæ, ſeu ſcientiæ, ac potentiæ adducit effectum, ſcilicet nutritionem mortalium hominum in via. Cùm enim in verbis immediatè præcedentibus infinitam Chriſti ſcientiam, ac omnipotentiam commemorauerit, determinat modò iſtorum duorum attributorum ſingularem effectum: non enim vel ſibi tantùm ſapiens & omnipotens Chriſtus eſt, vel ſapientiæ & potentiæ ſuæ virtutem intra ſe ita continet, vt extra ſe illam nequaquam effundat: quinimmò nobis innumera ſapientiâ ſuâ, ac potentiâ beneficia confert, inter quæ non contemnendum illud eſt, quod Author hic recenſet, dum ait: *qui nos paſcis hic mortales.* Nam quamvis hæc verba poſſint exponi de generali & naturali nutritione, quâ Filius Dei cunctos homines infinitâ ſuâ prouidentiâ conſeruat, & quod illis potentiâ & ſapientiâ naturale eſſe conceſſit, in eis cuſtodit; immò & omnia animalia pabulo & alimento vnicuique proportionato reficit, juxta illud pſalmi 135. 25. *Qui dat eſcam omni carni:* attamen genuinus ſenſus S. Thomæ eſt de nutritione ſpirituali, quam nobis in via Chriſtus præbet ſanctiſſimo Euchariſtiæ myſterio, quo corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum nobis donat.

Nobis ſapiens, & potens eſt Chriſtus, qui ſapientiâ & potentiâ ſuâ paſcit nos etiam corpore ſuo in Euchariſtia.

657\. Quo in Sacramento infinitam ſapientiam ſimul

Chriſti ſapientia & potentia in Euchariſtia refulgent.

& potentiam apertiſſimè demonſtrauit. Sapientiam vtique, dum abſque ſui corporis diuiſione totum illud ſub ſpecie panis, inuiſibile, vt aptius eſſet manducationi, & neminem cruentâ carnis ſpecie à ſacra menſa tepelleret, nobis reliquit, & totum etiam viſibile, & extenſum, glorioſæ clatitatis ſplendore fulgidum ſupta ſydera ſubleuauit, cœlo intulit, & ad Patris dexteram æterno donatum triumpho mirabiliter collocauit. Potentiam itidem non vulgarem oſtendit, dum ſolâ prolatione verborum panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum mirâ celeritate tranſmutauit, externa illorum ſpecie, accidentibuſque intactis, ac ſine vllo ſubiecto remanentibus. Vbi ſanè omnis conuerſio naturalis vincitur, & ſuperatur. Nam in iſta forma corrumpitur, & inuiolatâ manente materiâ, quæ prima à Philoſophis appellatur, mutatur compoſitum, ipſaque accidentia omninò variantur. Vnde & hæc eſt *mutatio totius in totum, nullo ſubiecto ſenſibili remanente eodem*, vt ex Ariſtotele docetur in libris de ortu & interitu: at in conuerſione, quam Chriſti omnipotentia in ſacra Euchariſtia operatur, viſibili manente eodem, & ſenſibilibus inalteratis accidentibus, non ſolùm forma panis & vini, ſed & eorum materia, ac conſequenter omnis illorum ſubſtantia in ſubſtãtiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſeunt, & conuertuntur; quod mirabili huic conuerſioni à ſanctis Patribus, & Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. *Tranſubſtantiationis* nomen obtinuit. Quare ſingularem in Chriſto & eius ſermone reſpectu ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sancti Patres notauerunt potentiam; nam S. Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte* (inquit) *quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Et Guelricus Abbas ſerm. de Aſcenſ. *Sacramentum*, inquit, *corporis, & ſanguinis ſui tradidit, & celebrãdum inſtituit, neſcio virtute, an charitate mirabiliori.*

Tranſubſtãtiatio omnẽ naturalem vincit mutationem, & quare.

S. Cyprian.

Guelricus Abbas.

658\. Sapientiam præterea, ſimulque potentiam ſuam Chriſtus Dominus manifeſtat, dum mortales homines in via commorantes ſuo corpore & ſanguine paſcit: hoc enim præſtat, vt hominem à ſe auerſum ad ſe reuocet, & illius vulnera, quæ ex Dei elongatione ſuſceperat, curet. Homo etenim animâ conſtans & corpore, ad imaginem ſui conditoris efformatus, huius ſplendorem characteris obliterauit carni acquieſcens & ſanguini, ſpiritumque ſeu animam carni ſeruire cogens. Vnde ſicut loquitur Origenes, *totus homo caro factus eſt.* Et Deus Gen. 6. 3. *Non permanebit* (inquit) *ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Summâ igitur ſapientiâ ſimul & potentiâ vt hominem carne perditum Chriſtus recuperaret, carne ſuâ ſanctiſſimâ Diuino Verbo hypoſtaticè vnitâ peccanti carni ſalubria remedia præparauit: non enim tantùm in carne paſſus, crucifixus, & mortuus eſt, vt quod caro peccauerat, caro expiaret, ſicut in hymno Aſcenſionis canit Eccleſia,

Simul ſapiẽtia & potentia Chriſti hoc in Sacramento, & quomodò.

Culpat caro, purgat caro:
Regnat Deus, Dei caro.

Sed inſuper carnem, quâ paſſus fuerat, nobis in pabulum mirabili hoc in Sacramento donauit, vt ore corporis ſub ſpecie panis manducata, animæ & carni, totique integro homini ſpiritualem conferret vitam & ſanitatem. Receſſerat igitur Deus ab homine, quia caro erat, ſed peccatrix, ſed infecta, ſed maculoſa. Redit Deus ad hominem, & illum vt ad ſe reuocet, carne puriſſimâ, innocentiſſimâ, ac viuificatrice cibat, immò & in illam carnem conuertit, ſuper quam requieuit *ſpiritus Domini, ſpiritus ſapiẽtiæ, & intellectus, &c.* vt dicitur *Iſai. 11. à n. 2.* Quod docuit Chryſoſt. *hom. 45. in Ioan.* dum inquit: *Vt non ſolùm per dilectionem, ſed & reipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis* (Chriſtus) *largitus eſt.* Sic igitur magnam ſapientiam, dum carne carnem curat, & carneum hominem in ſpiritualem, & in nouam corporis ſui pabulo transfert creaturam, ſummamque potentiam demonſtrat, dum carne ſuâ crucifixâ, & propterea infirmâ firmitatem in bono tribuit homini & ſoliditatem. Vnde illud *pſal.* 110. quod in vulgata editione habetur, *Eſcam dedit timentibus ſe*, Hebraïcè legitur, *prædam dedit*, ſeu *carnem vi raptam & prædatam dedit*, vt notat Xantes Pagninus in theſauro linguæ ſanctæ, ex voce Hebræa *Tereph*: vel vt volunt alij, *carnem crucifixam* dedit. Quod Innocentium III. mouit, vt diceret: *Crux Chriſti eripuit nos à poteſtate peccati: Euchariſtia eripit nos à voluntate peccandi.*

Ab homine Deus receſſerat, quia homo caro erat maculoſa.

Hominem ad ſe reuocat carne puriſſima, & ſanctiſſima Chriſti.

Carnem crucifixam, & vi raptam dat Chriſtus, vt carnales curet homines.

Innoc. III. lib. 4. de myſteriis.

659\. Adde quod ſummam ſapientiam ſimul & potentiam adhuc in hoc Sacramento oſtendit Chriſtus, dum carne crucifixâ, quâ mortales alit homines, eis contra mortem vires tribuit, illoſque ad immortalitatem diſponit. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Ioan. 6. Ideoque Euchariſtiam appellat Ignatius, *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis.* Meritò igitur S. Thomas vt Chriſti ſapientiam & potentiam, dum inuocat, manifeſtet, ſacra quæ nobis contulit Euchariſtiæ alimenta recenſet, dicens, *Qui nos paſcis hîc mortales.*

Carne crucifixa dat Chriſtus hominibus vim contra mortem, & ad immortalitatem carnẽ noſtram diſponit.

660\. Subiungit autem, *tuos ibi commenſales, cohæredes, & ſodales fac ſanctorum ciuium.* Quibus verbis ſuam abſoluens inuocationem, tria à Chriſto poſtulat, nempe in cœleſti menſa ſocietatem, dum ait, *Tuos ibi commenſales*: in æterna hæreditate conſortium, dicens *Cohæredes*: & tandem gloriæ ſanctorum Angelorum & hominum participationem, quando inquit, *Et ſodales fac ſanctorum Ciuium.* Quæ tria in vnica felicitate æterna ac intuitiua Dei viſione continentur. Ille enim qui æternâ donatur beatitudine, & finem ſuum vltimum claro Dei intuitu aſſequitur, cœleſtis menſæ cum Chriſto fit particeps: illius eſt cohæres, cum eo quippe in æternum regnaturus cœlum poſſidet, & ſanctorum hominum, & Angelorum felicitatis conſors exiſtit. Hæc vnica hominum, & copioſa merces, quam tribus nominibus poſtulat Doctor Angelicus, nempe menſæ, hæreditatis, & ſanctorum Ciuium ſocietatis, & conſortij, quia tria hæc in ſe indiſſolubili fœdere coniungit.

Tria pro hominibus poſtulat D. Thom. menſæ cœleſtis participationem, æternæ hæreditatis conſortium, & Beatorum Angelorum & hominum ſocietatem.

661\. Gloria etenim æterna nomine conuiuij, & menſæ in ſacris literis inſignitur, vt patet Luc. 12. 37. *Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et c. 22. 30. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Et *pſal.* 67. 4. dicitur, *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Quod à multis de æterna felicitate ad modum epularum Beatis in patria exhibenda anagogicè exponitur: quod tamen non propriè intelligendum eſt, ita vt in patria ſit verum conuiuium corporale poſt diem iudicij, & Beati verè cibo & potu recreentur; hoc enim nec neceſſarium, nec conueniens eſt immortali & impaſſibili Beatorum cœtui. Comeſtio etenim hæc in vita mortali neceſſaria eſt ad reſtaurationem deperditi, & augmentum quantitatis:

Gloria æterna conuiuiũ appellatur.

Et quomodo.

Beati

Comeſtio hominibus in hac vita mortali neceſſaria, non autem in patria.

Beati autem reſurgent in debita quantitate, nec erit vlterius mors, vel aliqua deperditio fiet à partibus hominis. Comeſtio autem Chriſti Domini poſt ſuam reſurrectionem, quæ ab Euangeliſtis commemoratur, non fuit neceſſitatis, quaſi cibis indigeret humana natura poſt reſurrectionem; ſed poteſtatis, vt oſtenderet ſe veram naturam reſumpſiſſe, quam priùs habuerat in ſtatu illo, quando cum diſcipulis comederat, & biberat.

Quomodo, & cur Chriſtus manducauit poſt reſurrectionem.

Hæc autem oſtenſio non erit neceſſaria in reſurrectione communi, quia omnibus tale donum notum erit; & ideo dicitur, diſpenſatiuè Chriſtum manducaſſe, eo modo loquendi, quo Iuriſtæ dicunt, quod *diſpenſatio eſt communis juris relaxatio*; quia Chriſtus intermiſit hoc quod eſt communiter reſurgentium, ſcilicet non vti cibis. Ita S. Thomas *ſuppl.* 3. *p.quæſt.*81. *art.* 4. quod etiam docuit Auguſtinus *lib.* 13. *de ciuit. Dei*, *cap.* 22. vbi, *Saluator noſter* (inquit) *poſt reſurrectionem jam quidem in ſpirituali carne, ſed tamen vera, cibum & potum cum diſcipulis ſumpſit, non alimentorum indigentiâ, ſed eâ quâ hoc poterat poteſtate.*

D. Thom. D. Auguſt.

662\. Itaque impropriè tantùm, & metaphoricè æterna Sanctis in patria communicanda felicitas conuiuium appellatur. Primò quidem, quia non minori appetitu ab hominibus viatoribus, quàm cibus & potus deſideratur; ſic enim Dominum, hoc eſt Dei viſionem ac poſſeſſionem cupiebat Propheta pſal. 41. 2. & 3. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Et pſal. 62. 2. *Sitiuit in te anima mea.* Vnde æternam vitam ita cupientes, *ſitientes* vocat Dominus, Iſai. 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Et *Apoc.* 21. 6. hanc felicitatem æternam cupientibus promittit, dum inquit: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Quod vtique ingenti prouidentiâ factum eſt, vt ſcilicet vehementer beatitudinem eſurientes & ſitientes, in eius aſſequutione maiorem ex deſiderij maximi complemento ſuſcipiant delectationem. Nam vt loquitur Auguſtinus lib. 8. confeſſ. cap. 3. *Vbique maius gaudium moleſtiâ maiori præceditur: edendi, & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia: & ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio.* Vt enim apud omnes tritum eſt, *Optimum condimentum fames.* Quare etiam Chriſtus Dominus, qui à primo ſuæ conceptionis inſtanti ex vnione hypoſtatica Verbi diuinam viſionem eſt aſſequutus, & viator ſimul ac comprehenſor extitit, corporis ſui phyſici gloriam, & myſtici, nempe Eccleſiæ, ſalutem vehementer exoptans, deſiderium ſuum ardentiſſimæ ſiti comparauit: nam Pſalmiſtæ vaticinio dixit, *Pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti*: pſal. 61. 5. hoc eſt, ad mortem velociſſimè magno ardore feſtinaui. Vnde & proditori, *Ioan.* 13. 27. dixit, *Quod facis fac citiùs.* Quod exponens Bernardus *ſerm. in cœna Domini*, inquit: *Domine Ieſu vita mea, decus Angelorum, quantum eos diligebas, pro quibus mori cupiebas, nobis vitam, tibi mortem affectabas. O amor interminabilis, ô charitas inæſtimabilis, ô dilectio inſcrutabilis, &c.* Sed deſiderium ſuum adhuc euidentiùs manifeſtauit, dum jam cruci affixus exclamauit: *Sitio*, Ioan. 19. 28. quâ voce non ſolùm noſtram ſalutem ardenti ſtudio ſe proſequi declarat, ſicut notauit Auguſtinus, dum inquit, *Sitit nos Dominus, ſitiamus ſitientem*: & Gregorius Nazianzenus, dum ait,

Metaphoricè conuiuium dicitur æterna gloria, & quare.

Felicitas maiori appetitu, quàm cibus appetitur.

D. Auguſt.

Chriſtus deſiderium ſuum ſitim appellauit.

D. Bernard.

D. Auguſt. Quid volebat Chriſtus clamans in cruce Sitio.

Greg. Naz.

R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.

Sitit ſitiri à nobis: immò & Ambroſius dicens, *Benedicta Domini ſitis, quia pro nobis ſitiuit.* Verùm etiam gloriam ſui corporis morte ſua comparandam, ſe maximè exoptare deſignat. Nam cùm jam in corpore ſuo omnium tormentorum immanitates carnifices conſummaſſent, vltimum aceti ſupplicium quod præteribant, ſitis ſuæ declaratione Chriſtus eis in mentem reduxit, vt eius illatione citiùs interiret. Quod apertè colligitur *ex Ioan.* 19. 28. vbi dicitur: *Sciens quia jam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Quod exponens Auguſtinus *tract.* 119. *in Ioan.* notat, Chriſtum tortores ſuos admonuiſſe, vt acetum ei in potum præberent, ac ſi dixiſſet, *Hoc minùs feciſtis.* Vnde & accepto aceto vitam finiuit, vt *ibid.* 30. legitur: *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt, & inclinato capite tradidit ſpiritum.*

D. Ambroſ.

Aceti ſupplicium, quo citiùs interiret, Chriſtus deſiderauit, dum dixit Sitio.

D. Auguſt.

Cùm ergo gloria & animæ, & corporis ardenti deſiderio, quod fames quædam, vel ſitis ſpiritualis poteſt appellari, cupiatur, non ſolùm ab hominibus omninò viatoribus, ſed etiam ab ipſo Chriſto Domino, comprehenſore ſimul, & viatore, meritò conuiuio, & epulis in Scriptura comparatur. 663.

Secundò, quia in conuiuiis hominum ſatiantur appetitus, dum cibo & potu reficiuntur. Cùm enim fames ſit appetitus calidi & ſicci; & ſitis appetitus frigidi & humidi, vt ex Ariſtotele tritum eſt; cibi famem explentes, & potus ſitim extinguentes humano corpori conferunt id quod de quatuor humoribus erat deperditum, ipſumque & ad debitam prouehunt quantitatem, & in vita naturali manutenent. Cùm autem æterna beatitudo omnem ſpiritualem hominum ſatiet appetitum, & expleat deſiderium, quia Dei ſummè boni, & cuiuſcumque bonitatis ſcaturiginis viſio eſt, ac fruitio; vnde juxta Boëtium eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*, ideo nomine conuiuij in Scriptura ſignificatur. Quod etiam expreſſit Pſalmiſta pſal. 16. 15. *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Et *pſal.* 35. 9. de Beatis loquens ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hinc Eccleſia inclyti Doctoris Auguſtini gloriam refectionis nomine inſigniuit; in eius enim diei feſti officio, in antiphona quæ in ſecundis Veſperis ſuper *Magnificat* canitur, canit: *Hodie glorioſus Pater Auguſtinus diſſolutâ huius habitationis domo demum non manufactam accepit in cœlis, vbi jam quod ſitiuit internum guſtat æternum, decoratus vnâ ſtolâ, &c.* Et in officio Sancti Patris noſtri Dominici, in vltima antiphona tertij nocturni, in Breuiario FF. Prædicatorum canitur de eo: 664.

Gloria magis hominẽ ſatiat, quàm conuiuium.

Boëtius. Quid ſit beatitudo.

Gloria SS. Auguſtino, & Dominico ad modum conuiuij conceſſa.

Liber carnis vinculo
Cœlum introiuit,
Vbi pleno poculo
Guſtat quod ſitiuit.

Tertiò denique æterna Sanctorum gloria conuiuium appellatur, quia ſicuti cibus in comedentem ingreditur, & in eius ſubſtantiam tranſmutatur: ita & diuina eſſentia, quæ panis Angelorum appellatur, in ipſos Beatos ingreditur; nam eorum intellectui lumine gloriæ illuſtrato diuina eſſentia immediatè vnitur ad modum ſpeciei intelligibilis, per ſeipſam faciens intellectum beatum actu intelligentem, vt docet S.Thom. 1. *p.* *q.*12. *art.* 2. *ad* 3. & ibidem omnes illius diſcipuli; & tanquam præſtantiſſimus ac ſuauiſſimus cibus 665.

Gloria Beatorum mentes ingreditur, ſicut cibus & potus in ventriculũ comedentiũ ingrediuntur.

animam glorioſam conſolatur, nutrit, & impinguat, non quidem per conuerſionem ipſius diuinæ eſſentiæ in animam, ſed per quandam exaltationem animæ ad ipſam deitatem, ita vt Beati diuini euadant, & vt loquitur idem S. D. loco jam citato, ex prima parte, art. 5. fiant deiformes. Nam cibus ſpiritualis in alitſubſtantiam non vertitur, ſed alitum in ſe conuertit. Quo pacto Auguſtinus *lib. 7. confeſſ. cap.* 10. audiuit Deum dicentem ſibi: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Hanc eſſentiam diuinam intelligebat Raphaël Angelus, dum dicebat Tob. 12. 19. *Ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus* (intellige viatoribus) *videri non poteſt, utor.* Dum autem ipſe Deus clarè viſus Beatorum cibus ſuauiſſimus eſt, & conuiuium magnificentiſſimum, Beati ipſi Dei fiunt ſpirituale quoddam alimentum. Sicuti enim Deus in Beatos totus ingreditur, ita & Beati in Deum ingrediuntur. Deus in illis, & illi in Deo ſunt; & dum à Deo perfectè in ipſis exiſtente ſatiantur, Deus ipſe eos in ſinu ſuo complectens, & fouens, in ſeipſum ineffabili charitate quædam veluti alimenta conuertit. Vnde & *Apoc.* 21. 4. dicitur: *Ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, &c.* hoc eſt, Beati in Deum quodammodo transformati, nullis vel paſſionibus, vel tribulationibus, vel ærumnis, ſed Dei immortalitate, impaſſibilitate, claritate, agilitate, ac felicitate gaudebunt.

Beati fiunt deiformes.

Raphaël ſe vti cibo inuiſibili declarat.

Beati ſunt quodammodò alimentũ Dei.

667. Verùm nemini mirum videatur, Beatum in patria quodammodo cibum Dei effici, dum ibi illius viciſſim Deus cibus efficitur; cùm & homines adhuc in via exiſtentes etiam illius ſint pabulum, dum viciſſim ab ipſo paſcuntur. Quod animaduertit Abbas Mellifluus *ſerm. 71. in Cant.* vbi de Deo loquens ait: *Cùm paſcit, paſcitur; & paſcitur, cùm paſcit, ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de noſtro æquè ſpirituali profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ſalus mea, cibus eius ego ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, eius ſum, vt manducer ab eo. Mandor, cùm arguor: glutior, cùm inſtituor: digeror, cùm transformor: vnior cùm conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quo arctiùs illi aſtringamur. Non ſanè alias perfectè vnimur illi; nam ſi manduco, & non manducor, videbitur in me eſſe ille, ſed nondum in illo ego. Quod ſi manducor quidem, nec manduco, me in ſe habere ille, ſed non etiam in me eſſe videbitur: nec enim perfectu vnitio in vno quouis horum. Si enim manducet me, vt habeat me in ſe; & à me viciſſim manducetur, vt ſit in me, quatenus integra firmaque ſit connexio, cùm ego in eo, & nihilominus in me ipſe erit.* Hactenus Bernardus acutè ſanè & eleganter, quibus euidenter conuincitur, etiam in patria, vt perfecta, firmaque ſit Dei & Beatorum connexio, Deum illorum cibum ab illis ſpiritualiter manducari; & Beatos ipſos nobilem etiam Dei eſcam, ab illo quodammodo manducari: ex qua mutua manducatione Deus in Beatis, & in Deo Beati exiſtunt, nullâ vnquam diſſenſione ſeparandi. Sicque liquet in cœlis menſam poni, & conuiuium præparari Beatis Angelis & hominibus, non propriè & verè, ſed tantùm impropriè & metaphoricè, propter conformitates & analogias, quæ inter felicitatem & epulum reperiuntur.

D. Bernard.

Deus paſcit hominem, & ab homine paſcitur.

Deus in Beatis, & Beati in Deo.

Deinde Doctor Angelicus æternam beatitudinem vocat hæreditatem, dum illam nobis poſtulans, petit vt Chriſti *cohæredes* efficiamur, hoc eſt, vt illius hæreditatis participes ſimus. Meritò autem hæreditatem appellat gloriam, ſeu Dei viſionem, quæ vltimi finis nobis confert poſſeſſionem: quod debet intelligi reſpectu Chriſti Domini, qui cùm verus, & naturalis Dei Filius, etiam ſecundùm quod homo, exiſtat, bonis paternis, tanquam hæreditati debet ſuccedere, & illa integrè, & pleniſſimè poſſidere. Bona autem Patris æterni, & omnium diuinarum perſonarum, quibus Chriſtus ſecundùm quod homo ſubditur, ſunt ipſamet diuina eſſentia, increatæ & adorandæ hypoſtaſes, ſeu perſonæ, perfectiones, attributa, &c. quæ omnia cùm ſint ſpiritualiſſima, cùm videntur, poſſidentur: vnde Chriſtus vt homo ab inſtanti ſuæ conceptionis hanc hæreditatem conſequutus eſt clarâ & intuitiuâ diuinæ eſſentiæ, perſonarum, relationum, perfectionum, &c. viſione: quam quidem ſuo modo etiam eius corpus recepiſſet, niſi ex diuina prouidentia ad noſtræ opus redemptionis mortale & paſſibile, ærumniſque obnoxium ſeruatum fuiſſet; vnde & comprehenſor ſecundùm animam, & viator ſecundùm corpus extitit. Cùm autem omnes renati fonte Baptiſmatis Dei filij adoptiui euadant, diuinâ in eis agente gratiâ, quæ non ſolùm filiationis naturalis, ſed & diuinæ naturæ quædam participatio eſt; ideo ad diuinam vocantur beatitudinem, tanquam ad hæreditatem, primùm Chriſto hæredi, deinde Chriſtianis eius membris, filiis, & fratribus, tanquam cohæredibus debitam. Vnde & Apoſtolus Rom. 8. 17. *Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* 668.

Gloria hæreditas Chriſti.

Ab inſtanti ſuæ conceptionis aſſequuta.

Deinde Chriſtianorum.

Portò non eodem modo adultis hominibus diuina confertur hæreditas, ſeu viſio beatifica, quo Chriſto Domino collata eſt, hoc eſt, ſine præcedentibus meritis: nam cùm Chriſtus ex vnione hypoſtatica Verbi eſſet Filius Dei naturalis, ex hac vnione & filiatione beatitudo illi conceſſa eſt in primo inſtanti ſuæ conceptionis in vtero B. Virginis: adultis autem, qui tantùm adoptiui filij Dei cenſentur, non datur, niſi ad modum ſanctarum mercedis operationum, quia felicitas non niſi propriâ gratiæ cooperatione augentibus jus, quod ad illam Baptiſmate & gratiæ infuſione habent, confertur. Vnde & ipſa gloria, *corona juſtitiæ* ab Apoſtolo nominatur; & Chriſtiani ab eodem Chriſti cohæredes non dicuntur, niſi ei compatientes eandem cum eo mereantur glorificationem. Nam *Rom.* 8. 17. inquit: *Cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Cùm enim Chriſtus, qui eſt principalis hæres ad gloriam corporis, & nominis ſui non peruenerit, niſi per paſſionem, iuxta illud Luc. 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; æquum non eſt, vt homines, qui illius ſunt cohæredes, faciliori modo, & abſque tolerantia paſſionum æternam illam adipiſcantur hæreditatem. Vnde & *Act.* 14. 21. dicitur, *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Nam vt inquit Apoſtolus Rom. 8. 20. *Quos prædeſtinauit, hos elegit conformes fieri imaginis Filij ſui.* Debent enim omnes filij adoptiui Chriſtum Dominum Filium Dei naturalem, tanquam exemplar perfectiſſimum imitari, & patientiâ, charitate, humilitate, cæteriſque virtutibus gloriam ſibi æternam comparare. 669.

Chriſto ſine meritis gloria collata eſt ſequens ad vnionem hypoſtaticã.

Adultis Chriſtianis ex meritis, & tanquam corona tribuitur.

Gloria corporis & nominis Chriſti ex eius paſſione.

Pueris autem, & cæteris in Chriſto renatis, 670.

qui

Digitized by Google

Pueris abſque propriis meritis, ex Chriſti meritis gloria ad modum confertur hæreditatis.

qui ante vſum rationis ex hac mortali vita decedunt, abſque meritis, & propria eorum operatione æterna confertur hæreditas, ex meritis Chriſti illorum omnium capitis, ac ſpiritualis veluti genitoris, qui proprio ſanguine illorum lauit delicta, ipſiſque Regni Cœlorum januam reſerauit. Nec vllum in hoc eſt inconueniens, quia cùm paruuli abſque proprio actu peccatum originale contraxerint, & à regno cœleſti fuerint excluſi primi hominis culpâ; etiam abſque proprio actu ab eodem mundantur originali peccato, immò & in regnum cœlorum inducuntur miſericordiâ, & gratiâ Saluatoris, qui vt loquitur

D. Gregor.

Gregorius in benedictione Cerei Paſchalis, *pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſoluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit.* Nam vt ait Apoſtolus Rom. 5. 20. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Quamvis poſſit dici, infantes per actus Eccleſiæ, cuius ſunt membra, & gratiam Baptiſmatis recipere, & regnum cœleſte intrare. Nam vt loquitur Auguſtinus apud D. Thomam 3. p. quæſt. 69. art. 6. ad 3. *Paruulis mater Eccleſia aliorum pedes accommodat, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt fateantur.* Et ita pueri credunt, non per actum proprium, ſed per fidem Eccleſiæ, quæ eis communicatur.

D. Auguſt.
D. Thom.

671. Attamen quamvis adultis hominibus per modum præmij, ſeu coronæ juſtitiæ gloria conferatur æterna; adhuc tamen habet rationem hæreditatis. Tum quia Chriſtus, & Eccleſia, quæ omnes electos complectitur, vnicam veluti perſonam conſtituunt; & ipſa vita æterna, quæ Chriſti Filij Dei naturalis, Eccleſiæ Sponſi & Capitis eſt hæreditas, eandem reſpectu electorum, membrorum eius, ac cohæredum habet rationem: nam Chriſti & Eccleſiæ vna perſona æſtimatur, vt

Etiã adultorum hæreditas gloria eſt, & quare.

D. Thom.

docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 15. *art.* 1. *ad* 1. Tum quia primum jus quod ad æternam gloriam habemus, procedit ex regeneratione, quam in Baptiſmo aſſecuti ſumus, per quam filij Dei adoptiui, & Chriſti Domini cohæredes effecti ſumus: & omne meritum noſtrum, quo æternam vitam comparamus, fundatur in gratia Chriſti Domini, quæ nobis tanquam Baptiſmatis lauacro regeneratis conceditur. Nam vt inquit Auguſtinus lib. 50. homil. hom. 14. *Cùm Deus coronat merita noſtra, non coronat niſi dona ſua.* Itaque quocumque polleat merito vir Chriſtianus, & quibuſcumque de proprio corpore paſſionibus, cæteriſque infenſis hoſtibus fulgeat victoriis, quibus gloriam tanquam coronam ſibi videtur adeptus, ſemper illam adhuc vt hæreditatem Chriſti, cuius ſanguine perfuſus eſt, cuius gratiâ ditatus eſt, & cuius morte viuit, ſperet, illique dilectæ aſſimiletur Sponſæ, quæ aſcendere per deſertum deliciis affluens non valuit, niſi innixa ſuper dilectum ſuum, vt dicitur *Cant.* 8. 5. Nullus equidem in regnum cœlorum introiret, niſi illud nobis Chriſtus comparaſſet, & januam illius peccatis hominum obſeratam, ſanguine ſuo, qui clauis eſt cœli, vt loquitur S. Hieronymus *ep.* 129. *ad Dardanum*, reſeraſſet.

D. Auguſt.

Coronat dona ſua Deus, dum noſtra coronat merita.

D. Hieron.

672. Hinc ſanctiſſimus Abbas Bernardus ſanctitate, meritis ac glorioſis pro Chriſti Eccleſia exantlatis laboribus inſignis æternam beatitudinem, niſi tanquam hæreditatem ſibi à Chriſto Domino conceſſam non auſus eſt ſperare. Cùm enim grauiter morbo afflictus, ſibi ante tribunal Domini ſiſti videretur, ibique à Dæmone variis accuſationibus exagitaretur, nil propterea territus: *Fateor* (inquit) *indignum ſum regno cœlorum; ſed duplici jure obtinens illud Dominus meus, hæreditate Patris, & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donauit, cuius beneficio illud mihi vendicare non erubeſco.* Vbi planè Doctor Mellifluus id in praxim redegit, quod docuerat *ſerm.* 9. *in pſalm. Qui habitat*, exponens illud, *Quoniam tu es Domine ſpes mea*; ait enim: *Tu es Domine ſpes mea, hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio mea expectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei, & æſtus, jejunare bis in Sabbatho dicat, & ſe non eſſe ſicut cæteri hominum glorietur: mihi adhærere Deo bonum, ponere in Domino ſpem meam. Sperent in aliis alij, fortè hic in ſcientia literarum, hic in aſtutia ſeculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat. Propter te omnia detrimenta feci, & vt ſtercora arbitror, quoniam tu es Domine ſpes mea. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo. Si inſurgant aduerſum me prælia, ſi ſæuiat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. Fratres, hoc ſapere, ex fide viuere eſt; nec alius ex ſententia dicere poteſt, Quoniam tu es Domine ſpes mea.* Hactenus Bernardus elegantiſſimè, qui non ſolùm ab omnibus cœlum ingredi cupientibus ſummâ auiditate audiendus eſt, verùm etiam maximâ curâ & diligentiâ imitandus. Itaque & ad æternam beatitudinem coronam veluti juſtitiæ comparandam ſtrenuè laboremus; & ad illam tanquam Dei hæreditatem aſſequendam, in paſſione & meritis Chriſti perpetuò confidamus. Nam vt loquitur Auguſtinus ſerm. 19. de temp. *Vnam cum ſanctis Angelis ciuitatem habebimus, à Domino poſſidebimur, hæreditas eius erimus, & ipſe hæreditas noſtra erit, quoniam & modò dicimus, Dominus pars hæreditatis meæ: & de nobis dictum eſt, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Bernardus gloriam vt hæreditatem dumtaxat auſus eſt ſperare.

D. Bernard.

Tota ſpes noſtra in Deo ponenda.

D. Auguſt.

Homo Dei hæreditas, & Deus hæreditas hominis.

673. Poſtremò gloriam nomine ſocietatis Sanctorum ciuium nobis poſtulat Sanctus Thomas, dum ait, *Et ſodales fac ſanctorum ciuium.* Vbi notandum eſt, hanc Ciuium Beatorum ſocietatem non eſſe ipſam formalem beatitudinem, nec aliquid ad illius eſſentiam ſpectans; ſed aliquid ad ipſam conſequens, tanquam complementum extrinſecum. Sicuti enim creato homine, dedit ei Deus adiutorium ſimile ſibi, non ſolùm in adiutorium generationis, ad naturam humanam in futura ſecula propagandam, vt docet S. Thom. 1. *p. q.* 92. *art.* 1. ſed etiam in complementum gaudij, vt ſcilicet Adamus omnium rerum dominus à Deo conſtitutus, non ſine voluptate, ſed ex conſortis præſentia magnâ delectatione illas poſſideret; nullius etenim boni ſine ſocio poteſt eſſe jocunda poſſeſſio: ita non ſolùm ſeipſum videndum intuitiuè à Beato in cœleſti patria præſtat Deus, verùm inſuper Angelorum Sanctorum ac felicium animarum eadem gloria fruentium, ei ſocietatem, in delectationis & gaudij complementum concedit. Cùm enim cœleſtis patria, in qua Deus juſtos æternâ felicitate præmiatur, *Ciuitas* appelletur *Apoc.* 21. & in qualibet ciuitate multitudo ciuium repetiatur; nam ciuitas idem eſt ac *ciuium vnitas*: ideo plures debent eſſe in cœlis diuinam eſſentiam intuentes, & ex hac Dei viſione beatitudinem æternam poſſidentes. Hæc autem Sanctorum ſocietas nedum ex electis hominibus, ſed etiam ex ſanctis Angelis conſtat, qui licèt diuerſam ab illis naturam ſibi vendicent; tamen gratiam, & gloriam ſimilem habent. Vnde hæc

Societas ſanctorum eſt extrinſecum complementum gloriæ.

Societas ſanctorum ex Angelis & hominibus conſtatur.

ſocietas Angelorum & hominum ſimul in cœlis cum Chriſto tegnantium deſcribitur *Apoc.* 7. 9. vbi dicitur: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum.* Et *num.* 11. dicitur: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium, &c.* Stant autem Angeli in circuitu throoi, in quo Chriſtus Dominus, Sponſus & Caput Eccleſiæ aſſidet; quia vt loquitur Origeoes in prologo in 2. expoſit. in Cant. *ſunt ſodales Sponſi*, ideſt Chriſti, *illum perpetuò comitantes, & ipſi tanquam Regi ac Domino inſeruientes.*

Cur ſtent Angeli ante thronum Chriſti. Origen.

674. Nec multorum fruentium gloriâ numerus alterius vel minuit, vel adimit felicitatem ab vnoquoque: juxta proprium meritum totus Deus videtur abſque diuiſione, vel diminutione; & ſicuti idem refulgens ſol omnium oculos juxta cuiuſque aciem illuſtrat, ita ipſius Solis ſol illuſtrans ſenſibilem intelligibilis Deus ipſe, vt illum vocat Philo Hebr. *lib. de victimas offerentibus*, juxta cuiuſque Beati captum, ac lumen gloriæ meritis cuiuſque proportionatum maieſtatem ſuam clariſſimè & intuitiuè abſque ſeparatione exhibet contemplandam. Vnde Auguſt. in pſalm. 149. *Deus*, inquit, *erit hæreditas noſtra, quæ nec minuitur copiâ poſſeſſorum, non fit anguſtior numeroſitate cohæredum: ſed tanta eſt multis, quanta paucis: tanta ſingulis, quanta omnibus*; cùm in terrena hæreditate longè aliud eueniat. Et *in pſalm. 36. ſerm.* 1. idem Auguſtinus ait: *Deus tuus totum tibi erit: poſſidebis te totum integrè: totum habebis, & totum alius, quia tu, & ille vnum eritis.*

Felicitas Sanctorum multitudine non minuitur.

D. Auguſt.

675. Nec ſola Sanctorum Ciuium in gloriæ fruitione ſocietas attendenda eſt, etiam illa quâ ipſius Dei beatificantis nos, ſodales ſumus, maximè conſideranda eſt ac æſtimanda: illius enim beatitudinis participes efficimur, dum beamur, ſimulque cum illo in eodem throno regoaturi ſedemus. Quod admirans Chryſologus *ſerm.* 23. exponens illud Lucæ 12. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum: O bonitas*, inquit, *effuſa! ô inaudita pietas, & ineffabilis affectio! In ſocietatem regni paſtor oues aſſumit.* Vnde adeò magnum beatitudo & bonum, & munus eſt, cùm ipſius diuinæ felicitatis effuſio quædam ſit, vt illa non in hominem, ſed homo in illam ingredi dicatur; ſic enim habetur Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Quare S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 28. *art.* 3. *in corpore*, ait: *Quando jam ad beatitudinem perfectam peruentum fuerit, nihil deſiderandum reſtabit, quia ibi erit plena Dei fruitio, in qua homo obtinebit quidquid etiam circa alia bona deſiderauerit, ſecundùm illud pſal.* 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et infrà exponens quomodo ingens lætitia, quam Beati ſuſcipiunt ex felicitate, illos ſuperet, inquit: *Quia tamen nulla creatura eſt capax gaudij de Deo ei condigni, inde eſt, quod iſtud gaudium omninò plenum non capitur in homine, ſed potiùs homo intrat in ipſum, ſecundùm illud Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Quod etiam liquet ex illo Iſai. 35. 10. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* Vbi non in capite, ſed ſuper caput Beatorum lætitia ſempiterna dicitur, vt illorum felicitatis magnitudo, & cœleſtis gaudij exuberantia, quæ illorum caput etiam ſuperat, denotetur.

Beati Dei ſodales, & ſocij eiuſdẽ.

D. Chryſol.

Omne deſiderium hominis beatitudo ſatiat.

Cur homo dicitur intrare in gaudium Domini ſui.

676. Vel tandem poteſt dici, quod dum S. Thomas nobis Sanctorum Ciuium ſodalitatem cupit, & illam poſtulat, non petit præcisè Beatorum ſpirituum ſocietatem, ſed efflagitat nobis concedi id quod Beatis jam conceſſum eſt; hoc eſt, rogat vt eadem Dei viſione ac fruitione donemur, quâ jam illi donati ſunt. Tunc enim aliquis alterius ſodalis, ſocius, ſeu collega eſſe cenſetur, quando vel eandem poſſidet dignitatem, vel eiſdem diuitiis gaudet, vel eodem munere fulget. Etenim ad ſolam beatitudinem, & Dei poſſeſſionem, tanquam ad totum, & ſolum hominis bonum cætera bona minora complectens fertur deſiderium noſtrum, & Eccleſiæ orationes diriguntur. Hæc autem beatitudo in ſola Dei viſione formaliter conſiſtit, quamvis ad illius integritatem amor, & fruitio Dei deſiderentur, quæ ipſam claram Dei viſionem inſeparabiliter conſequuntur. Vnde ſocietas Sanctorum eſt quid ipſi merè extrinſecum, & ad illius eſſentiam, ſeu integritatem, minimè requiſitum, vt docet Angelicus Doctor 1. 2. *quæſt.* 4. *art.* 8. vnde vt *ibid. ad* 3. loquitur S. D. *Si eſſet vna ſola anima fruens Deo, beata eſſet, non habens proximum quem diligeret: ſed ſuppoſito proximo, ſequitur dilectio eius ex perfecta dilectione Dei, ac conſequenter gaudium ex ſocietate amicorum merè extrinſecum, & concomitanter ſe habens ad ipſam beatitudinem jam perfectam.*

Nomine ſodalitatis Sanctorum poſtulat D. Th. æternã felicitatem.

D. Thom. Si eſſet vna ſola anima videns Deũ, ipſa ſola eſſet beata, abſque ſociis.

ELVCIDATIO VI.

De Chriſti Domini, & Sanctorum eius inuocatione.

QVia in vltimo huius Cantici textu, quem modò illuſtramus, S. Thomas Chriſti inuocationem, quam in præcedenti incœperat, ſimul cum hac Sequentia abſoluit, & inter alia poſtulat, vt Sanctorum Ciuium ſodales efficiamur; ideo vt eius mentem quantùm in nobis eſt, aperiamus, debemus nunc Chriſti Domini inuocationem, & Sanctorum eius explanare, ſimulque Catholicam Eccleſiam, quæ Chriſtum, & Sanctos cum illo in cœlis regnantes, cùm in publicis, tum in priuatis precationibus inuocat, à Nouatorum calumniis propugnare. Quod fauente Deo præſtare conabimur, oſtendentes non eodem modo Chriſtum, & Sanctos jam glorioſos à Fidelibus inuocari, ſed magno cum diſcrimine viuentium Chriſtianorum ad mortuos Beatos, & ad Chriſtum beatitudinis & vitæ authorem, orationes dirigi. 677.

SECTIO PRIMA.

Chriſtus Dominus tanquam Redemptor, Saluator, & Diuinus bonorum omnium propriâ authoritate diſpenſator, à cunctis Fidelibus eſt inuocandus.

IMmaculatam Chriſti Sponſam Eccleſiam Catholicam culpant Nouatores poſt Caluinum eorum anteſignanum *lib. 3. inſtit. cap.* 20. §. 21. ſponſi ſui Chriſti Domini obliuiſci, & omnem confidentiam, omnem ſpem ſuam in Sanctis quos inuocat, ponere, dicere non verentur; immò in omnibus hymnis, & litaniis Papiſtarum nullam vnquam fieri Chriſti mentionem, non erubeſcunt aſſeuerare. Atrocem hanc calumniam nullo negotio refellemus, & Chriſtum Dominum ab Eccleſia tanquam optimum, & ſolum Redemptorem, ac Saluatorem bona cuncta largientem, & ab omnibus 678.

Eccleſia hæreticorum calumniâ oppetita.

omnibus malis eripientem, jugiter inuocari demonſtrabimus duplici viâ, primò ipſâ doctrinâ Eccleſiæ, quam ex ſacris literis, ac Sanctis Patribus eorum expoſitoribus haurit: ſecundò praxi eiuſdem Eccleſiæ.

679. Primò igitur Chriſtus Dominus verus Deus, & verus homo, pro hominibus paſſus & crucifixus, omniumque hominum Redemptor, quà Deus eandem cum Patre ac Spiritu ſancto diuinæ eſſentiæ, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis ac maieſtatis poſſidet vnitatem; vnde quodcumque à Patre & Spiritu ſancto in homines promanat beneficium, etiam ab vnigenito Dei Filio, ac conſequenter à Chriſto oriri cenſetur. Sicut ergo à ſolo Deo bonorum omnium nedum largitore, ſed authore, ſummâ potentiâ & bonitate, ac propriâ authoritate præfata bona in homines effundente, licet ea poſtulare, & illum propterea inuocare: ita & à ſolo Chriſto, vero Deo, & Dei Filio eadem bona licet petere, & ad hunc finem illum votis & ſupplicationibus inuocare. Cùm autem vera bona, quæ à Deo petimus, ſint ſpiritualia, & ad noſtram ſalutem conducentia; & hæc niſi à Chriſto, & per Chriſtum, eiuſque paſſionem ac merita recipiamus, ea ab illo ſolo poſtulare poſſumus, ac propter hoc tanquam Saluatorem Chriſtum dumtaxat inuocare. Etenim vt dicitur Act.4.12. *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

Omne bonū creaturarum à Deo & Chriſto procedit.

Illa à Chriſto licet poſtulare.

Et ipſum Chriſtum vt Saluatorem optimum inuocare.

680. Ad ſalutem quippe conſequendam ſalutis author inuocandus eſt, & vt gloria æterna, quæ finis vltimi fruitionem nobis tribuit, habeatur, illius poſtulandum eſt adiutorium, qui gratiæ, quæ ſemen eſt gloriæ, quæ & gratia conſummata dicitur, diſpenſator exiſtit. Cùm ergo Chriſtus *Salutis author* ſit, vt ab Eccleſia in hymno Natalis eiuſdem appellatur; & gratiam, gloriamque largiatur, juxta illud pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; & illud Ioan.1.17. *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; ideo ſolus Chriſtus tanquam Redemptor, Saluator, ac bonorum omnium largitor inuocandus eſt.

Chriſtus gratiæ author, & diſpenſator.

681. Quo ſenſu Apoſtolus *Rom.* 10. 12. ait: *Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum; omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Quod intelligendum eſt de inuocatione cum debita fide, ſpe & charitate, ac contritione, necnon & de inuocatione Dei, ſeu Chriſti, quaſi authoris ſalutis. Solus etenim Chriſtus eſt, qui mundum reconciliauit Deo, nobiſque gratiam, gloriam, & omnia neceſſaria ad ſalutem meruit, vt inſinuatur *Coloſſ.* 1. 19. vbi dicitur, quod *in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius quæ in terris, & quæ in cœlis ſunt.* Et 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Diues eſt in miſericordia.

682. Hinc *omne bonum, omneque donum perfectum deſurſum eſſe, & à Patre luminum*, hoc eſt à Deo, *ad nos deſcendere* dicitur *Iacobi* 1. 17. quia ſcilicet omne quod accipimus, etiam à Sanctorum precibus impetratum, nobis à Deo propriâ authoritate ex meritis Chriſti conceditur. Quare *pſal.* 120. 1. inquit Propheta, *Leuaui oculos meos in montes*, hoc eſt *in ſanctos homines*, vt ibidem exponit Auguſtinus. Et *tract.* 1. *in Ioan.* & *lib. de Paſtoribus, cap.* 8. ait: *Vnde veniet auxilium mihi?* hoc eſt, vt auxilium ſpirituale eorum precibus impetratum expectarem. Et ſtatim ſubditur: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*; hoc eſt, quamvis à montibus, ſeu à Sanctis auxilium expectem, attamen illud ſemper à Deo, tanquam ab authore ſalutis procedit.

Omnia bona nobis conceduntur à Deo ex meritis Chriſti.

Cùm autem Chriſtus verus Deus ſit, omnium bonorum, virtutum, & gratiarum, quibus vel à malo liberamur, vel in bono proficimus, vel tandem ad gloriam peruenimus, origo eſt, & fons inexhauſtus. Vnde & meritò Ioan. 10. 7. *Oſtium* dicitur: & Ioan.14.6. *Via* appellatur, quia vt ipſe ait, *Nemo venit ad Patrem, niſi per ipſum.* Itemque 1. Tim.2.5. *Mediator Dei, & hominum*: & 1. Ioan.2.1. *Aduocatus* apud Patrem vocitatur. Quare ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctores omnes preces noſtras per Chriſtum ad Patrem offerri, & ſine Chriſto caſſas & vanas eſſe docuerunt: nam Ambroſius libro de Iſaac, cap. 8. *Ipſe Chriſtus* (inquit) *eſt os noſtrum, per quod Patri loquimur; oculus noſter, per quem Patrem videmus; dextera noſtra, per quam nos Patri offerimus.* Et Auguſtinus *in pſal.* 108. exponens illud, *Oratio eius fiat in peccatum*, ait: *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit peccatum.* 683.

D. Ambroſ. Chriſtus orantium eſt os, oculus, & dextera.

D. Auguſt. Oratio quæ non fit per Chriſtum, fit peccatum.

Secundò ex praxi Eccleſiæ euidenter conſtat, Chriſtum Dominum, verum ſalutis noſtræ authorem, in omnibus tribulationibus, ac deſideriis noſtris inuocandum eſſe: etenim in omnibus eius precationibus, vel illius vota ad Deum & Chriſtum diriguntur, vel ſi aliquando ad Sanctos cum eo regnantes referantur, non in eis ſiſtunt, ſed per eos ad Chriſtum Deum tendunt: & quidquid à Beatis, tanquam ab interceſſoribus, & amicis petitur, à Chriſto, tanquam à Domino, & ſalutis authore, & bonorum omnium propriâ authoritate largitore poſtulatur. Immò nihil à Sanctis tanquam adiutoribus & opitulatoribus petitur, niſi per Chriſtum, eiuſque merita, & in quantum membra Chriſti, filij, & amici cenſentur. Vnde omnes Eccleſiæ orationes publicæ, quæ ſiue in ſolenni ſacratiſſimi Miſſæ ſacrificij celebratione, ſiue in aliis diuinis officiis, cum à Sacerdotibus, tum à miniſtris, & plebe offeruntur, ad Deum primitus diriguntur hoc modo, *Deus qui, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, &c. Adeſto Domine, &c.* Et terminantur, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Item in Litaniis, in quibus Sancti Angeli, & homines inuocantur, priùs Deus tanquam Dominus, & miſericordiæ propriâ authoritate largitor, inuocatur, his verbis: *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.* Quibus verbis à Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vno Deo miſericordia imploratur. Et ſtatim linguâ Latinâ ſupplex Eccleſia pronuntiat, quod Græcâ jam poſtularat, dicens: *Pater de cœlis Deus: Fili redemptor mundi Deus: Spiritus ſancte Deus: Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.* Dum autem Angelos beatos, & homines inuocat, poſtulat non quidem vt eius miſereantur, hoc eſt, vt ei miſericordiam propriâ authoritate impendant; ſed vt rogent, & orent Deum, quatenus ei eandem miſericordiam, ſeu propitiationem largiatur. Nam ſic ſanctos inuocat, *Sancta Maria, ora pro nobis. Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis. Sancte Michael, ora pro nobis. Sancte Petre, ora pro nobis.* 684.

Praxis Eccleſiæ eſt, omnia bona à Deo per Chriſtū poſtulare.

Sancti inuocantur, vt filij, membra & amici Chriſti.

In Litaniis miſericordia à tribus diuinis perſonis petitur.

Sancti vt interceſſores inuocantur.

Hoc autem diſcrimen, quod obſeruat Eccleſia in inuocatione Chriſti tanquam Redemptoris, 685.

&

& noſtræ ſalutis authoris; & beatorum Angelorum & hominum, tanquam intereeſſorum, debet ſemper eſſe in intentione orantis, & Eeeleſiæ, quamvis non exprimatur in verbis, & modo orationis. Suppoſitâ enim fide, & doctrinâ Eccleſiæ, quâ Chriſtus tanquam Dominus, Redemptor, & ſolus Saluator creditur, & inuocatur, & Beati tanqoam opitularores & interceſſores à nobis rogantur; quantumvis à Sanctis miſericordiam, protectioo em, & ſalutem poſtulemus, non petimus vt huiuſmodi ab illis propriâ authoritate recipiamus, ſed vt eorum precibus, ac interceſſionibus Dcos noſtri miſereatur, nos protegat, & ſaluet. Quo ſenſu intelligenda ſunt verba Eccleſiæ Beatiſſimam Dei Genitricem ſic deprecantis:

In Sanctorũ inuocatione ſemper intelligitur, illos non quaſi redemptores, ſed vt interceſſores inuocari.

Maria mater gratia,
Mater miſericordia,
Tu nos ab hoſte protege,
Et horâ mortis ſuſcipe.

Quod patet ex verbis Eccleſiæ ad Chriſtum in hymno feſtiuitatis omnium Sanctorum, vhi ſalutem, & in gratia conſeruationem à Chriſto Saluatore, & omnipotenti Redemptore, precibus & meritis Beatæ Mariæ Virginis, & aliotum Sanctorum poſtulat io hunc modum:

Sanctorum precibus Chriſtus rogatur, vt nobis miſericordiam largiatur.

Chriſte Redemptor omnium,
Conſerua tuos famulos,
Beata ſemper Virginis
Placatus ſanctis precibus.

686. Quæ omnia clariùs, & euidentiùs manifeſtantur in precatione, quam Eccleſia profert in antiphona ad *Magnificat*, in ſecundis Veſperis eiuſdem feſtiuitatis omnium Sanctorum, io Breuiario FF. Prædicatorum. In qua Eccleſia à Chriſto ſalutem, tanquam ab illius diſpenſatore poſtulat, & ſtatim Sanctam Mariam Virginem, alioſque Sanctos rogat, vt orent pro Fidelibus, quatenus à malis omnibus eruantur, & boois omnihus cumulentur; ſic eoim habet: *Saluator mundi, ſalua nos omnes. Sancta Dei Genitrix, Virgo ſemper Maria ora pro nobis. Precibus quoque ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum ſuppliciter petimus, vt à malis omnibus eruamur, boniſque omnibus nunc & ſemper perfrui mereamur.*

687. Non eſt igitur cur Nouatores contra Catholicam inclameot Eccleſiam, quaſi Sanctorum inuocatione Chriſti Domini Sponſi ſui & Capitis, ac Saluatoris crucem, merita, & authoritatem euacuauerit; cùm ſemper Chriſtum tanquam Magiſtrum, Dominum, ac gratiæ & ſalutis anthorem colat & inuocet; beatos autem non niſi vt interceſſores in Chriſto, & per Chriſtum (nam ex ſe nihil, & in Chriſto multa poſſunt) venereatur, & roget. Scit enim Catholica & Romana Eccleſia, ſe ſanguine Chriſti porificari; eius gratiâ ditari, eius auxilio roborati, eios protectione muniri, & eius miſericordiæ vbertate omnibus bonis cumulari. Vnde ad ipſum in tribulationibus & anguſtiis recurrit, tanquam ad conſolatorem: io gaudiis & lætitiis, tanquam ad authorem: in bellis, tanquam ad victorem: in pace, tanquam ad conſeruatorem: & in omni ſtatu, tanquam ad Caput, Spooſum, ac clementiſſimum Redemptorem accedit. Ita vt mihi dicere liceat, quod aliàs de Vniuerſo dixit Hieronymus, *Totius Eccleſia precationis vna vox Chriſtus eſt.* Semper enim vel ad ipſum, vel per ipſum, vel ex ipſo, vel in ipſo Eccleſia, dum rogat, loquitur. Etenim non ſolùm Chriſtus nobis cootra omnes hoſtiles impetus auxilium eſt & clypeus, ſed etiam turris fortiſſima, ad quam non ſolùm vt liberemur, ſed etiam vt vincamus, coronemur, & triumphemus, confugimus. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur*, inquit Sapiens *Prou.* 8. 10. vhi nomen pro re nominata ſupponit, ſcilicet pro Domino Ieſu Chriſto, qui nobis factus eſt *turris fortitudinis à facie inimici*, vt dicitur *pſal.* 60. 4. Quod exponens S. Auguſtinus ibidem: *Chriſtus*, inquit, *nobis factus eſt turris à facie inimici. Caue, ne feriaris à diabolo: fuge ad turrim, nunquam te ad illam turrim diabolica iacula ſequutura ſunt. Ibi ſtabis munitus, & fixus. Ante te eſt turris, recordare Chriſtum, & intra turrim.* Hæc Auguſtinus.

Inuſtè hæretici culpant Eccleſiã de inuocatione Sanctorũ, & quare.

Eccleſiæ orationum vna vox Chriſtus eſt.

Chriſtus turris Eccleſiæ.

D. Auguſt.

688. Nunquam autem meliùs Chriſti recordamur, quàm dum enixè precibus, votis & ſuſpiriis eius auxilium implorantes, illum humiliter inuocamus. Planè ad illum, tanquam ad turrim fortitudinis cucurrerat ille, qui ſic eum precabatur: *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi*, pſal. 142. 9. Sperabat enim à ſuis inimicis eripi, ſi ad Dominum toto corde & affectu confugeret. Ad illum autem confugiebat, à quo auxilium & ſalutem expectabat, & in quo omninò confidebat. In creaturis nec fidebat, nec ad illas confugiebat, quia omne adiutorium ſuum, & omnem ſalutem ſuam à Creatore ad ſe deſcendere ſciebat. Dixerat enim, *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem ſicut paſſer*, pſal. 10. 1. Et vt alios ſibi ſimiles faceret, illos ad in ſolo Deo confidendum hortabatur, dicens: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*, pſal. 145. 3. Nouerat enim omne adiutorium à Domino, omnemque ſalutem ab illo vno proficiſci; nihil enim à nobis vel habemus, vel poſſumus: nec ab aliis etiam præſtantiſſimis creaturis, quæ nobis in infirmitate ſunt ſimiles, & in indigentia, ac à Deo dependentia æquales. Vt enim inquit inſignis ille Theologus Gregorius Nazianz. orat. de ſeipſo: *Sine Chriſti ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viua, vt ita dicam, cadauera, ſceleribuſque fœtida: vt enim nec auis ſine aere volat, nec delphinus ſine aqua natat: ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem terrâ efferre poteſt.* Hæc ille. Ergo debemus omnes in Chriſto confidere, in illo ſperare, illum inuocare, & ad illum recurrere tanquam ad fontem miſericordiæ, gratiæ largitorem, noſtræque ſalutis authorem, & conſummatorem, maximè cùm ille nos ad ſeipſum non vulgari bonitate vocet, *Matth.* 11. 28. dum ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Chriſtus nos ab omnibus anguſtiis eripit.

Nihil in nobis à creaturis præcisè.

Greg. Naz. Sine Chriſti ope ludibria ſumus, & viua cadauera.

Sectio II.

Etiam Sancti in cœlis cum Chriſto regnantes ab Eccleſia ſunt inuocandi.

689. Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum, tanquam ſalutis noſtræ authorem, & propriâ authoritate ſupremum gratiarum, ac cœleſtium chariſmatum diſpenſatorem dumtaxat ab Eccleſia inuocandum ſufficienter oſtendimus. Verùm ſummæ eius dignitati & authoritati minimè derogat Sanctorum cum illo regnantium, tanquam apud illum & Patrem pro nobis ſupplicum, & interceſſorum inuocatio. Ille enim tanquam Dominus & Magiſter; iſti tanquam filij, diſcipuli, & amici inuocantur.

Chriſtus vt Dominus & magiſter, Sancti vt eius filij, diſcipuli, & amici inuocandi.

Digitized by Google

inuocantur. Ad cuius maiorem euidentiam aduertendum eſt, cultum & inuocationem Sanctorum non eſſe abſoluta, ſed relatiua. Etenim dum aliquis Sanctus in cœlis beatus ab Eccleſia vel colitur, ſeu honoratur, vel inuocatur: cultus, ſeu honor ei exhibitus non in eo ſiſtit, vel terminatur, ſed vlteriùs ad ad Deum, cuius imagine decoratur, cuius gratiâ ſanctificatur, cuius gloriâ beatur, refertur, & in illo tanquam in prototypo, in gratiæ authore, & in gloriæ largitore terminatur. Similiter inuocatio, quæ à nobis ad Sanctos dirigitur, relatiua eſt; nam in Sanctis non terminatur, ſed ad Deum tendit, in quo quieſcit. Inuocamus etenim Sanctos, vt ipſi pro nobis apud Deum intercedant, & eius propitiationem nobis ſuis precibus & meritis obtineant. Itaque Deus ipſe bonorum omnium largitor & aothor vel immediatè & præciſè ſolus ab Eccleſia inuocatur, vel in Sanctis ſuis, ſeu per Sancto ſuos, in quibus *mirabilis* à Propbeta pronunciatur *pſal.* 67. 36. & hæc inuocatio quamvis ſit immediata Sanctorum, & mediata Dei, qui à nobis mediantibus Sanctis inuocatur; nihilominus ad Deum, tanquam ad præcipnum venerationis, & inuocationis noſtræ obiectum vergit, & in eo terminatur.

Sanctorum inuocatio eſt relatiua, & ad Deum terminatur.

Sicque ſolus Deus in Sanctis inuocatur.

690\. Præterea inuocatio Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, Eccleſiæ, & omnibus Fidelibus ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria eſt: ſicut enim eius aoxilium cuilibet homini omninò neceſſarium eſt, vnde & *Ioan.* 15. 5. dixit, *Sine me nihil poteſtis facere:* ita & illius auxilij humilis imploratio, ſeu petitio, quæ illius inuoluit inoocationem. At Sanctorum inuocatio, non neceſſaria, ſed bona, & vtilis ſanctæ Dei Eccleſiæ adhuc in terris militanti dicitur. Vnde Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. *Mandat omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus, vt doceant, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre: bonum atque vtile eſſe ſuppliciter eos inuocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Saluator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Quibus poſitis,

Dei & Chriſti inuocatio neceſſaria.

Non autem Sanctorum, quæ tamen bona & vtilis.

Conc. Trid.

691\. Dico ſanctos Angelos, & homines æterna beatitudine donatos, & cum Chriſto in cœlis regnantes rectè, & vtiliter ab Eccleſia Militante, tanquam interceſſores, & opitulatores eius apud Deum inuocari.

Vtiliter SS. Angeli & homines beati ab Eccleſia inuocantur.

692\. Probatur primò ex ſacris Paginis, in quibus Sancti Angeli, & homines in cœlo beati, à viuentibus inuocati referuntur. *Gen.* 48. 16. Sanctiſſimus Patriarcha Iacob filiis Ioſeph filij ſui benedicens Angelum inuocauit: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Et *Iob* 5. 1. Eliphaz Iob ſuadet, vt ſanctum aliquem inuocet. *Voca*, inquit, *ſi eſt qui reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Vbi nomine Sanctorum intelligit *Angelos*, vt in annotationibus ad Iob exponit Auguſtin. qui etiam illud Iob 19. 21. *Miſeremini mei ſaltem vos amici*, ad Angelos dici putat. Vnde & *cap.* 33. 23. dicitur: *Si fuerit Angelus loquens pro eo vnus de millibus, miſerebitur eis, & dicet, Et libera eum.* Sancti etiam homines quodammodò inuocabantur ante Chriſti aduentum. Dixi *quodammodò*, quia tunc ſanctorum virorum animæ è corporibus egredientes, nec cœlorum regnum intrabant, nec eſſentiam Dei videbant, ſed paſſionem Chryſti cœlos reſerantem in illo loco, qui Lymbus Patrum dicitur, expectabant. Vnde quia preces ſupplicantium non valebant ordinariè cognoſcere, ideo non propriè dirigendo preces ad illos inuocabantur, ſed tantùm quodam modo, & impropriè, in quantum viuentes homines Deo offerebant, & exhibebant iuſtorum mortuorum merita & virtutes. Quo pacto Moyſes orauit Exodi 32. 13. *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum, &c.* Et Salomon per merita patris ſui Dauidis jam vitâ functi Deum orauit, vt patet 2. *Paralip.* 6. 42. protulitque illud pſal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Et *Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui*, ibidem 10. Et *Daniel.* 3. 35. ſic Azarias orauit: *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.*

Iacob Angelum inuocauit.

Eliphaz ſuadet Iob, vt Angelum inuocet.

D. Auguſt. Iob Angelos inuocauit.

Sancti homines ante Chriſti aduentum quodãmodo inuocabãtur, quare, & quomodo.

693\. At peractâ Chriſti paſſione, & eductis ex Lymbo Patrum animabus Iuſtorum, & januâ cœli eiuſdem Saluatoris ſanguine reſeratâ, beati homines Deum intuitiuè videntes, & in illo tanquam in ſpeculo neceſſitates noſtras, & vota intuentes, propriè inuocati ſunt, hoc eſt, preces ſuas ad illos, tanquam ad interceſſores direxit Eccleſia, vt per eos diuinam propitiationẽ faciliùs impetraret. Cùm enim certa fuerit, Beatos in cœlis orare pro Fidelibus adhuc in terra militantibus, orationes ſuas ad illos deſtinauit, vt per illorum interceſſionem, quod poſtulabat, obtineret: quod illam docuit Paſtor eius viſibilis Apoſtolorum Princeps, 2. Petr. 1. 15. vbi inquit: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos*, ſcilicet commendatos, ſiue in animo, *poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*; hoc eſt, in mente & memoria mea poſt mortem meam habebo vos, vt ſæpe veſtri memor ſim apud Deum, eumque pro vobis orem, vt monitorum meorum memoriam renouet. Vnde Sanctorum poſt obitum pro nobis interceſſio manifeſtè colligitur; & ideo Chryſoſt. *orat. in Princ. Apoſtol.* Sancti Petri inuocat opem, ex bis verbis, quæ ſic legit: *Succlamas enim, Beate Petre, ſic dicens, Studebo poſt meum obitum veſtri memoriam facere.* Et S. Clemens *epiſt.* 1. ait, *S. Petrum ſibi dixiſſe: Certus eſto, quod neceſſe eſt te ſuſcipere omne periculum, quia nec ego pro ſalute omnium obſecrando ceſſabo.*

Tranſactâ Chriſti paſſione homines beati Deum videntes propriè vt interceſſores inuocati.

Ex verbis Petri, qui poſt obitum ſuum fidelium memoriam ſe habere dixit, Sanctorum inuocatio colligitur.

D. Chryſoſt.

D. Clemens.

694\. Hinc à cunabulis, vt ita dicam, ſuis Sanctos homines in cœlo cum Chriſto regnantes, ac pro Fidelibus Viatoribus rogantes Catholica inuocauit Eccleſia. Vnus inter alios huius rei teſtis eſt Irenæus Apoſtolorum auditor, ac Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, qui creditam ſibi Eccleſiam non ſolùm ſanctitate ac doctrinâ mirificè illuſtrauit, ſed etiam proprio ſanguine purpurauit, martyrio coronatus ſub Seuero circa annum Domini 205. vt eodem anno teſtatur Baronius *tom.* 2. *Annal.* hic enim *lib.* 5. *contra hæreſes*, Mariam Virginem Sanctiſſimam Dei Genitricem, Euæ aduocatam, hoc eſt pro filiis Euæ, ideſt peccatoribus rogantem & intercedentem nominat; ſic enim habet: *Sicut illa* (Eua) *ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ſic hæc* (Maria) *ſuaſa eſt obedire Deo, vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.* Quod adeo omnibus Chriſti Fidelibus notum erat, vt omnes Mariam Virginem non ſolùm Euæ, ſed cunctorum peccatorum Euæ filiorum aduocatam, illam in omnibus anguſtiis inuocarent. Sic ad illam tanquam ad ſingularem patronam confugit Iuſtina Virgo, quæ cùm ob egregiam formam à Cypriano mago, qui ſuis magicis artibus eam dementare conabatur,

Ab initio Eccleſiæ Sancti inuocati.

D. Irenæus.

Maria Virgo Euæ aduocata.

Digitized by Google

Iuſtina virgo à Cypriano magopræſtigiis vexata, Mariã Virginem inuocat, & liberatur, magumque ad fidẽ, & martyriũ adducit.

Greg. Naz.

vehementer ſolicitaretur, ope Mariæ Virginis, quam inuocauit, non ſolùm omnes eius eluſit conatus, ſed etiam illum conuertit ad Chriſtum, cum quo poſtea martyrij coronam promeruit Nicomediæ ſub Diocletiano Imperatore, die vigeſimaſexta Septembris, vt in Romano refertur Martyrologio. Quare Gregorius Nazianzenus *orat. in Cyprianum*, de Iuſtina loqoens ait: *Virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini opem ferret.* Et infrà: *Vicit Virgo, vincitur Dæmon.* Hæc autem Sanctiſſimæ Virginis inuocatio, quæ jam frequens erat in Eccleſia, non paruum ſuſcepit incrementum anno

Conc. Epheſ.

Chriſti 431. dum Neſtorianâ impietate à Coocilio Epheſino confoſsâ & jugulatâ, Chriſtus ab omnibus Deus verus, & verus homo pronuntiatus eſt, Maria verò eius Genitrix, vera Dei mater prædicata eſt. Tunc enim incœpiſſe creditur additamentum illud Salutationis Angelicæ, *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen*: vt refert Cardinalis Baronius anno præfato, & Henricus Spondanus eius Compilator *ibid. n.* 23.

Maria vt Dei genitrix inuocata à patribus Conc. Epheſini, an. 431.

695. Nec ſolam Mariam Virginem, ſed etiam beatos Apoſtolos Catholica ab ioitio inuocauit Eccleſia: nam S. Cornelius Papa, qui Gallo & Voluſiano Imperatoribus, hoc eſt anno Chriſti 254. Pontificatum geſſit, & anno ſequenti martyrio temporalem, æternam percepturus, vitam finiuit, in prima epiſtola Saoctorum inuocationem & ioterceſſionem apertè teſtatur. *Orantes* (inquit) *Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt intercedentibus ſanctis ſuis Apoſtolis, maculas veſtrorum purget peccatorum, &c.*

S. Cornelius an. 254. Sanctorũ interceſſionis meminit.

696. Probatur ſecuodò ex Conciliis; nam in Concilio Chalcedonenſi ſub S. Leone Magno, anno Chriſti 451. & Marciano Imperatore, qui Synodum ſuâ cohoneſtauit præſentiâ, veterem praxim Eccleſiæ Patres confirmantes, Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ob fidem Catholicam ſtrenuè Epheſi propugnatam, ab impij Dioſcori factione pugnis & calcibus percuſſum, atque in exilium actum, ac ibidem poſt triduum mortuum inuocant *act.* 11. in hunc modum: *Ecce vltio, ecce veritas. Flauianus poſt mortem viuit: Martyr pro nobis oret.* Et in epiſtola Epiſcoporum Europæ, quæ habetur poſt Conciliom Chalcedonenſe, legitur: *Sanctiſſimum verò Proterium in choro, & ordine ſanctorum Martyrum ponimus, & eius interceſſione miſericordem ac propitium Deum habere poſtulamus.* Idem ſtatuit VI. Synodus generalis *act.* 6. *cap.* 7. vbi dicitur: *Solo Deo creatore adorato, inuocet Chriſtianus Sanctos, vt prò ſe intercedere apud Maieſtatem Diuinam dignentur.* Similiter in VII. Synodo generali, *actione* 6. ſub finem dicitur: *Cùm timore omnia agamus, poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ, item ſanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.* Quibus omnibus addere liceat, ſolennes, & publicas ſupplicationes, quæ quia à Fidelibus ab vno loco ad alium procedentibus celebrantur, proceſſiones appellantur, à primis Eccleſiæ ſeculis in praxi apud Chriſtianos fuiſſe: in iſtis autem ooo ſolùm diuina miſericordia inuocabatur prioribus illis verbis, quibus Inchoantur Litaniæ, *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon*: ſed etiam ſancti Angeli & homines, vt pro nobis orarent, & iotercederent, inuocabaotur. Vnde Tertullianus *ad vxorem lib.* 2. *cap.* 4. & Hieronymus *ep.* 22. *ad Euſtochium*, indicant Fideles procedeotes ad loca Martyrum, publico conueotu fundere ad Deum preces. Et Concilium Laodicenum *cap.* 17. proceſſiooum, quæ etiam à Patribus Litaniæ appellantur, meminit. Percelebres autem, & ab vniuerſa Eccleſia receptæ ſunt illæ ſeu proceſſiones, ſeu rogationes, quas in Gallia ſub Valentiniano III. S. Mamertus Viennenſis Epiſcopus vel inſtituit, vel reſtituit. Vnde & Gregorius Magnus, vt refertur *lib.* 1. *vitæ eius, cap.* 41. graſſante lue Litanias indixit. Sunt autem Litaniæ, vt notat Vualfridus Strabo *lib. de rebus Eccleſiaſticis, cap.* 28. Sanctorum inuocationes: etenim non ſolùm in Litaniis Sanctorum opem implorauit Gregorius, ſed & ſacram Deiparæ Virginis imaginem olim à B. Luca depictam magnâ veneratiooe deferendam curauit. Quo tempore cùm Gregorius vnà cum Clero, Monachis, & plebe ad Baſilicam Sancti Petri, publicè ſupplicando, procederet, ac ad molem Adriani Tyberi adiacentem perueniſſet, ſuper illam Angelum oudatum gladium in vaginam recondere vidit, eoque ſymbolo morbum ceſſaſſe intellexit, vt refert Cardinalis Baronius *tom.* 8. *Annal. anno* 590. Immò & juxta Deiparæ imaginem auditæ ſunt tres voces Angelorum caoentium, *Regina cœli lætare, alleluya: quia quem meruiſti portare, alleluya: reſurrexit ſicut dixit, alleluya.* Statimque Gregorius adiunxit, *Ora pro nobis Deum, alleluya*, vt ioter alios refert Guillielmus Durandus *lib.* 6. *rational. diuin. offic. cap.* 89. *num.* 3.

Conc. Chalc.

Flauianus martyr inuocatur an. 451.

VI. & VII. Synod.

Proceſſiones in Eccleſia à primis ſeculis.

Tertull. D. Hieron.

Conc. Laod.

Rogationes à S. Mamerto Vien. Epiſcopo inſtitutæ.

Greg. Mag.

Solennis ſupplicatio, in qua imago Deiparæ delata, & Angelus in mole Adriani à S. Gregorio viſus eſt.

Baron. Guillel. Durand.

Præterea tertiò probatur, Sanctos cum Chriſto regnantes ab Eccleſia inuocandos eſſe. Iuſti adhuc viueotes poſſunt inuocari, vt eorum precibus Dei adiutorium oobis vberiùs concedatur: immò amicis Iob, qui conſolatores oneroſi ipſi extiterant, præcepit Dominus, vt ad patientiſſimum illũ virum recurrerent, eius preces poſtulaturi. *Ite*, inqoit, *ad ſeruum meum Iob: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Iob vltimo 8. Ipſeque gentium Magiſter Paulus Fidelium adhoc viuentium orationes ſæpiſſimè poſtulauit, Rom. 15. 30. *Obſecro vos, fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Et 1. Theſſal. 5. 25. *Fratres orate pro nobis.* Nullamque Chriſto Saluatori noſtro, Aduocato, ac Mediatori optimo Apoſtolus intulit iniuriam, dum ſe Fidelium orationibus commendauit: ergo licet Sanctos cum Chriſto io cœlis regnantes inuocare, bonumque ac vtile eſt illos rogare, vt pro oobis apud Dominum bonorum omnium largitorem iotercedant. 697.

Iuſti adhuc viuentes abſque iniuria Redemptoris inuocantur: ergo & Sancti poſt mortem inuocandi.

Reſpondet Caluinus, Bearos preces noſtras, & iouocatiooes audire non poſſe. *Neque enim*, inqoit, *adeo longas habent aures, vt è cœlis orationes in terra à nobis fuſas valeant audire.*

Occurrit Caluinus.

Sed validè rejicitur, Sancti etenim cognitione beatâ & ſupernaturali, quâ diuinam eſſentiam intuitiuè contemplantur, vident in Deo, tanquam in ſpeculo fideles viuentes, eorum neceſſitates intuentur, eorumque preces, orationes, ac inuocatiooes intelligunt. Cùm enim ſint omnes in cœlis ſicut Angeli Dei, vt dicitur *Matth.* 22. 30. eiſdem dotibus Angelorum beatorum gaudent. Cùmque Angeli ſciant io cœlis hominum in terris viuentium neceſſitates, preces audiant, eaſque Deo offerant, vt patet ex ſacris Paginis; nam *Daniel.* 10. 12. Angelus in ſpecie hominis Danieli oranti apparuit, dixitque: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, &* 698.

Refellitur.

Beati in cœlis vidẽt neceſſitates noſtras, & vota noſtra ad illos directa.

ego

ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Vbi Angelus, qui orationes Danielis audierat, & nouerat in cœlis, affirmat verba illius ab initio trium hebdomadarum, per quas fleuit, jeiunauit, & orauit, fuiſſe exaudita, non tamen à Deo, qui ea tantùm exaudiuit tranſactis viginti & vno diebus; ſed ab ipſo Angelo loquente, qui ſtatim verba Danielis è cœlis audierat, exaudieratque.

Angelus in cœlo audit verba Danielis, videt eius actiones, & propter ſermones eius venit.

699. Similiter *Tob.* 12. 10. Angelus Raphaël ſeniori Tobiæ dixit: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Item *Apoc.* 8. 3. dicitur: *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Vbi Sanctorum, hoc eſt Fidelium adhuc in terra viuentium orationes ab Angelis in cœlis exiſtentibus Deo offerri perhibentur, ac per conſequens ab illis cognoſcuntur, & audiuntur. Quamobrem Sanctus Hilarius acerrimus Catholicæ Fidei contra Arrianam impietatem propugnator, qui quarto Eccleſiæ ſeculo vixit; nam Concilio Seleuciæ interfuit, & ſub Valentiniano & Valente obiit anno Chriſti 369. exponens illud Matth. 18. 10. *Videte, ne contemnatis vnum ex his puſillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, comment. in Matth. *can.* 18. inquit: *Ergo & Deum Angeli vident, & Angeli puſillorum præſunt Fidelium orationibus. Saluatorum igitur per Chriſtum orationes Angeli quotidie offerunt: ergo periculosè ille contemnitur, cuius deſideria ac poſtulationes ad æternum & inuiſibilem Deum, ambitioſo Angelorum famulatu ac miniſterio peruehuntur.* Hæc Hilarius.

Raphaël in cœlo videt actiones Tobiæ in terra.

Angelus offert Deo orationes Sanctorum in terra viuentium.

D. Hilar.

Angeli præſunt orationibus fideliū, & Deo offerunt.

700. Itaque Beati homines in cœlis cum Chriſto regnantes, eiuſdem cum Angelis beatitudinis & felicitatis conſortes, vident, ſciunt, & audiunt preces noſtras. Vnde Athanaſius, qui quarto ſeculo vixit, interfuit enim Concilio Nicæno adhuc Diaconus, cum Alexandro Epiſcopo Alexandrino, cui poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit, & ſub Valente obiit anno Chriſti 372. vt refert ibidem Card. Baronius, *ſerm. in Euangelium de Annuntiatione*, circa finem, ſanctiſſimam Deiparam Virginem Mariam ſic inuocat: *Inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui.* Et infrà: *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo.* Et deinde, *Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.* Et Sanctus Baſilius Athanaſij ſynchronos, ipſique amiciſſimus, qui obiit Kalendis Ianuarij anno Chriſti 378. *orat. in quadraginta Martyres*, Fideles hortatur, vt ad hos confugiant, eorumque in anguſtiis opem implorent. *Qui aliquâ*, inquit, *premitur anguſtia, ad hos confugiat: qui rurſum lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur; hic vt duret in rebus lætis.* Et tandem inſignis ille Theologus Gregorius Nazianzenus, qui eodem quarto ſeculo Eccleſiam ſanctimoniæ & doctrinæ præſtantiâ illuſtrauit, nam obiit ſub Valentiniano II. anno Chriſti 389. oratione in Athanaſium, ſanctiſſimum illum Antiſtitem ſic inuocat: *Tu*

Beati homines ſunt ſicut Angeli Dei, & preces noſtras vidēt, ſciunt, & Deo offerunt.

Athan. B. Mariā Virg. inuocat.

Et S. Baſil.

Greg. Naz. Athanaſium poſt mortem inuocauit.

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.

autem è ſupernis propitius nos reſpice, & populum hunc ſanctum dirige, & nos in pace quidem foue, & compaſce; in certamine autem dirige, & ſuſcipe, & cum teipſo ſtatue, & iis qui tales ſunt vt tu, etiamſi magna ſit petitio.

Quartò denique probatur, Sanctos in cœlis glorioſos pro nobis orare; ideoque inuocandos eſſe. Beati homines in patria volunt, ſciunt, & poſſunt nos ſuis precibus & meritis apud Deum adiuuare: ergo debemus ad illos tanquam ad adiutores confugere, & eos precibus noſtris inuocare. Tres partes antecedentis ſigillatim ſtatuemus. 701.

Beati in cœlis volunt, ſciunt & poſſunt precibus & meritis ſuis nos iuuare.

Primò quidem Beati volunt Fideles adhuc in terris militantes adiuuare; habent enim perfectiſſimam charitatem, quâ cupiunt bonum vitæ æternæ Chriſti Fidelibus, eorum fratribus, & cohæredibus, cum quibus myſticum Chriſti corpus, nempe Eccleſiam, conſtituunt: non enim diuerſa eſt eſſentialiter Eccleſia Chriſti in cœlis, ab ea quæ adhuc in terris verſatur, ſed vnica & eadem ſub diuerſis ſtatibus; vnica enim eſt Eccleſia quæ in cœlis glorioſa triumphat, quæ in terris adhuc militat, & quæ in purgatorio defectus quoſdam igne purgat. Vnde & in Symbolo Apoſtolorum profitemur *Sanctorum communionem*, hoc eſt omnium Fidelium, ſiue in cœlis, ſiue in terra, ſiue in purgatorio exiſtentium communem & generalem ſub Chriſto capite vnionem. Cùm ergo charitas, quæ *nunquam excidit*, vt inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 13. 8. ſit *vinculum perfectionis*, vt dicitur *Coloſſ.* 3. 14. omnes Beatos cum Fidelibus viuentibus in terra connectens, per illam illos diligunt, & tanto ardentiùs bonum vitæ æternæ in cœlis regnantes eis deſiderant, quanto charitas in patria ardentior ac perfectior eſt ſeipsâ in via. Vnde Sanctus Thomas 2. 2. *queſt.* 83. *art.* 11. inquit: *Quanto ſancti qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari poſſunt; & quanto ſunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes ſunt magis efficaces.* Et poſt pauca adducit authoritatem Hieronymi contra Vigilantium in epiſtola quæ incipit, *Multa in orbe*, tom. 3. vbi dicit: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, pro aliis orant, quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos?* 702.

Beati habent perfectiſſimam charitatem.

Quâ cum viuentibus nectuntur, & orant pro illis.

D. Thom.

D. Hieron.

Secundò ſciunt, & cognoſcunt Beati in cœlis ærumnas, quibus in via premimur, & orationes quas ad illos dirigimus, non quidem per naturalem, ſed per ſupernaturalem, & beatificam cognitionem, quâ diuinam eſſentiam intuitiuâ videntes, in ea cuncta, quæ ad illorum beatitudinem omnia eorum deſideria ſatiantem ſpectant, contemplantur; aliàs nec quieſcerent, nec ſatiarentur, nec conſequenter verè beati eſſent, contra illud pſal. 16. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et illud pſal. 102. 5. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Ad illorum autem pertinet beatitudinem, vt cognoſcant ea quæ ad ipſos pertinent, vt ſunt amicorum, parentum, & omnium ad illos recurrentium neceſſitates, orationes, & inuocationes: & ideò oportet, vt illas in verbo, ſeu eſſentia diuina cognoſcant. Inſuper ad eorum gloriam pertinet, vt auxilium indigentibus præſtent ad ſalutem; ſic enim *Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil eſt diuinius*, vt ait Dionyſius *cap.* 3. *cœl. hierarch.* Debent ergo vota, deuotiones, & orationes hominum ad 703.

Cognoſcunt beati ſtatum noſtrum.

Angeli in cœlis gaudēt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

illos confugientium cognoſcere. Si enim gaudium eſt in cœlis Aogelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam ageore, vt dicitur Luc. 15. 7. *Cognoſcunt Angeli pœnitentiam hominum viatorum;* conſequenter homines beati, qui in beatitudine Aogelis Dei ſimiles ſunt, nam ſimilem habent charitatem, viſionem, & zelum animarum, cognoſcunt ea quæ in terra à viatoribus fiunt hominibus, eorumque orationes non ignorant.

704. Deinde per viſionem beatificam Beati Deum intuitiuè videntes elariùs, & perfectiùs res attingont quàm homines viatores per prophetiam. Vnde & Paulus 1. *Cor.* 13. 9. & 10. loquens de Sanctorum felicitate, & cognitione, hanc cum prophetia comparat, ſicut perfectum eum imperfecto, ait enim: *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Et ibid. 12. *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Atqui homines viatores per lumen ptophetiæ poſſunt cognoſcere res abſentes, & quæ in locis multùm ab illis diſtantibus fiunt, ſicut de facto Elizæus 4. *Reg.* 5. cognouit quando Giezi ſeruus ſuus accepit duo talenta à Naaman Syro, licèt à loco, in quo illa accepit, abſens eſſet: ergo Beati per lumen gloriæ, ſeu viſionem beatificam poſſunt videra vota quæ ad illos à Fidelibus in terra exiſtentibus diriguotur.

Cognitio gloriæ perfectior prophetiâ, & per illam ea quæ in terris fiũt, Beati cognoſcunt.

D. Auguſt.

Vnde Auguſtinus ex facto Elizæi, qui abſens corpore coguouit ſpiritu, probat Sanctos in cœlo ſine oculis corporis Deum clarè videre, & homines viatores in Deo oculis mentis; nam *lib. 22. de ciuit. Dei, cap.* 29. ait: *Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda eſt illi vita, quaſi paruuli ad juuenem, vidit tamen Elizæus ſeruum ſuum accipientem munera, vbi ipſe non erat: ita cùm venerit quod perfectum eſt, nec jam corpus corruptibile aggrauabit animam, ſed incorruptibile nihil impediet, illi Sancti ad ea quæ videnda ſunt, oculis corporeis, quibus Elizæus abſens ad ſeruum ſuum videndum non indiguit, indigebunt.*

705. Adde quod aliquando Prophetis Deus reuelat ſecreta cordium, vt inſinuat Apoſtolus 1. *Cor.* 14. 24. dum ait: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifeſta fiunt.* Ergo & Deus beatis hominibus per viſionem beatificam concedit vt vota, & orationes Fidelium viatorum cognoſcant. Denique Stephanus per lumen fidei & gratiæ, erat enim plenus fidei & gratiâ, vt dicitur *Act.* 7. adhuc in terris exiſtens vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtaotem à dextris Dei, vt dicitur *ibid.* 55. Ergo & Beati in cœlis poſſunt per lumen gloriæ, quæ eſt gratia conſummata, ſeu per viſionem beatificam videre ea, quæ io terris ab hominibus geruntur, ac conſequenter eorum preces & inuocationes intelligere.

Secreta cordium interdum Deus Prophetis reuelauit. Ergo & poteſt Beatis reuelare.

706. Tertiò tandem Beati io cœlis regnantes poſſunt viatorum orationes exaudire, illoſque apud Deum commendare, ac in ſuis anguſtiis illis opem ferre. Etenim non ſolùm diuinæ felicitatis participes fiunt homines cœleſtem patriam iogredientes, ac in gaudium Domini ſui intrantes, ſed & illius potentiæ quodammodò conſortium recipiont. Vnde & Propheta de æterna, quam toto corde cupiebat, beatitudine loquens, ait, pſal. 70. 6. *Introibo in potentias Domini,* ſicut exponit Bernardus *epiſt.* 11. vbi ait: *Erit autem proculdubio cùm introductus fuerit ſeruus bonus & fidelis in gaudium Domini ſui, & inebriatus ab vbertate domus Dei. Quaſi enim ebrius miro quodam modo oblitus ſui, & à ſe penitus velut deficiens, totus perget in Deum; & deinceps adhærens ei, vnus ſpiritus erit. Arbitror hoc Prophetam ſenſiſſe cùm diceret: Introibo in potentias Domini, Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. Sciebat profectò cùm introiret in ſpirituales potentias Domini, exutum ſe iri vniuerſis infirmitatibus carnis.* Hæc Bernardus.

Poſſunt beati iuuare homines viatores.

D. Bernard.

Intrât in potentias Domini.

Poſſunt ergo Sancti in cœlis regnantes viuentes in terra homioes adiuuare, quia Chriſti non ſolùm gloriæ, ſed etiam regni, & poteſtatis conſortes ſunt, & ab illo, & cum illo conſtituti ſunt ſuper opera manuum eius, vt expreſſè dicitur Apoc. 2. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea* (hoc eſt, vſque ad mortem) *dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.* Vbi Chriſtus authoritatem Beatis vitâ corporali functis ſupra adhuc viuentes homines concedit. Nec regere *in virga ferrea*, puniendi, ſed regendi, paſcendi & protegendi authoritatem deſignat, quæ ſola vſque ad reſurrectionem generalem exercebitur. Nec illud, *Tanquam vas figuli confringentur*, ſignificat homines perdendos, ſed peccatores, Chriſto peccata conterente & delente, conuertendos. Figulus enim vas frangit, vt in meliorem formam reducat. Et hæc eſt expoſitio Auguſtini *in pſal.* 2. juxta illud *Act.* 10. *Occide, & manduca.* Vnde & *Apoc.* 20. Beatis cum Chriſto regnantibus dicitur: *Vidi animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, nec imaginem eius, &c. & regnauerunt cum Chriſto mille annis*, hoc eſt, vt omnes exponunt Interpretes, vſque ad conſummationem ſeculi. 707.

Habêt poteſtatem ſuper viatores ad regẽdos illos in virga ferrea, & quomodo.

Figulus vas frangit, vt in melioré formam reducat.

Præterea ſancti cum Chriſto regnantes dicuntur columnæ templi Dei, Apoc. 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Imò in eodem throno cum Chriſto dicuntur ſedere, ibidem 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Ergo Beati cum Chriſto regnantes, viuentes fideles paſcunt, protegunt, & defendunt, conſtituti ſuper omnia bona Domini, vt dicitur *Matth.* 24. 47. quæ bona illius ſunt Eccleſia, quam per Apoſtolos & ſanctos viros in cœlis beatos regit, & gubernat. Vnde in præfatione Apoſtolorum antiquiſſima, vt Pelagius Sancti Gregorij prædeceſſor *ep.* 4. *decretali* teſtatur, dicitur: *Gregem tuum Paſtor æterne non deſeras, ſed per Beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſtodias, &c.* Ergo & Eccleſiam ſuſtentant, tanquam illius columnæ firmiſſimæ; & tandem in eodem throno cum Chriſto ſedentes, non ſolùm Eccleſiæ, ſed toti mundo cum illo præſidentes, omnibus illos inuocantibus opem ferre ſine vlla dubitatione valent. Ergo bonum, & vtile, ac pium eſt Sanctos cum Chriſto regnantes, qui volunt, ſciunt, & poſſunt nobis opem ferre, inuocare. 708.

Sancti columnæ templi.

Bona Chriſti ſunt Eccleſia ſupra quam ad illã protegendam, & orationibus juuandam Beati conſtituuntur.

Sectio

Sectio III.

Inuocatio Sanctorum ampliùs ſtabilitur, & Nouatorum inſtantiæ refelluntur.

709. Verùm Chriſti Domini Saluatoris noſtri dignitati, bonitati, ac redemptioni minimè derogat Sanctorum cum illo in cœlis regnantium, quam propugnamus inuocatio: immò in eius maximam laudem & gloriam cedit; non enim Sanctos illos, quaſi à ſeipſis præcisè, & vt à Chriſto diuiſi, vel bonitatem, vel charitatem, vel authoritatem habeant, colimus; ſed vt in Chriſto, cuius tanquam filij, membraque exiſtunt, & vt omnem virtutem, bonitatem, ac poteſtatem ab illo, veluti à parente & capite trahunt, inuocamus.

Inuocatio Sanctorum Chriſto honorifica.

710. Sicuti enim arbor non ſolùm in radice, ſed etiam in ramis, foliis, gemmis, floribus & fructibus ſuam expandit virtutem: ita Chriſtus Dominus non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in ſanctis hominibus, ab eo veluti rami, frondes, flores & fructus procedentibus, & in eo manentibus poteſtatem ſuam extendit, & per illos redemptionem ſuam in viatores homines effundere delectatur. Quæ ſimilitudo in ſacris Literis non caret fundamento; nam Chiſtus *Ioan.* 15. 5. Apoſtolis loquens: *Ego ſum* (inquit) *vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et infrà 7. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Cùm autem hæc vera ſint de Iuſtis adhuc viatoribus, etiam de Sanctis in cœlo regnantibus verificabuntur; tunc enim Chriſto immobiliter adhærent, & gratiam inamiſſibiliter poſſident: gloria enim, quæ gratia conſummata dicitur, eſt inamiſſibilis. Tum ex parte Dei, qui ſemel collatum beneficium non reuocat ſine noua culpa, quæ talem exigat punitionem. Tum ex parte Beatorum, quorum voluntas, cùm ſit omninò in bono confirmata, nequit in malum flectere, nec à Deo recedere.

Chriſtus in Sanctis, dum iſti inuocantur, honoratur.

Beatitudo Sanctorum inamiſſibilis.

711. Præterea Rex non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in filiis, Principibus, ac miniſtris ſuis, quorum miniſterio in regni gubernatione, ac protectione vtitur, debet à ſubditis honorari; quod per ſe omnibus planum eſt. Atqui Chriſtus, qui eſt *Rex Regum, & Dominus dominantium*, vt dicitur *Apoc.* 19. 16. Sanctis tanquam filiis, Principibus & miniſtris in Eccleſiæ ſuæ gubernatione & protectione vtitur; nam & illius cohæredes ſunt, eius regni conſortes, illius throni participes. Vnde & *pſalm.* 44. qui eſt pro iis qui commutabuntur, hoc eſt pro hominibus qui è terra in cœlum tranſient, & ex mortalibus immortales in æterna felicitate euaderit, *num.* 17. de illis dicitur: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Et *pſal.* 138. 17. de eiſdem legitur: *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Vnde *Apoc.* 5. 10. Beati Chriſto Redemptori gratias agentes dicunt: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Ergo & ſancti honorandi ſunt, & colendi tanquam Regiæ dignitatis Chriſti participes: ergo & inuocandi ſunt, vt apud Regem regum pro nobis intercedant. Ergo ſicuti dum Sancti honorantur, in eis Chriſtus principaliter honoratur; ita dum inuocantur, Chriſti auxilium in eis, & per eos imploratur. Etenim cùm Chriſti & Eccleſiæ vna perſona æſtimetur, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 15. *art.* 1. *ad* 1. inuocatio, quæ ad Sanctos nobiles Eccleſiæ Triumphantis partes, & corporis myſtici Chriſti inclyta membra ab Eccleſia Militante dirigitur, ad ipſum Chriſtum Dominum dirigi cenſetur; ſemper enim ad illum tanquam ad bonorum omnium fontem inexhauſtum Eccleſiæ preces terminantur. Ergo tantùm abeſt, quod inuocatio Sanctorum Chriſti dignitati & authoritati derogat, quinimò eius authoritatem magis colit, dignitatem ac poteſtatem magis reueretur, maiori ſcilicet extenſione, quia non ſolùm in ſe, ſed in ſuis membris Chriſtus colitur, reueretur, & inuocatur. Vnde Auguſtinus *tract.* 28. *in Ioan.* docet ea quæ circa membra Chriſti geruntur, in ipſum Chriſtum redundare. *Non enim* (inquit) *Chriſtus in capite, & non in corpore; ſed Chriſtus totus in capite, & in corpore. Quod ergo membra eius ipſe: quod autem ipſe non continuò membra eius. Nam ſi ipſi non eſſent membra eius, non diceret Saulo, quid me perſequeris? Non enim Saulus ipſum, ſed membra eius, ideſt fideles eius, in terra perſequebatur.* Hæc Auguſtinus. Vnde ſicuti Chriſtus in membris perſequutus eſt, ita in membris ſuis colitur & honoratur, & conſequenter in Sanctis ipſi gloriâ & æternâ felicitate indiſſolubiliter coniunctis inuocatur, & rogatur. Quare Sanctorum inuocationem & honorem è medio tollere, & penitus abolere, ſicuti contendunt Nouatores, nihil aliud eſt, quàm gloriam Chriſti reſcindere, ac minuere, illumque in filiis ſuis, membris ac cohæredibus debito honore ſpoliare. Si enim *Deus honorauit Patrem in filiis*, vt dicitur Eccl. 3. 3. cur homines Chriſtum in Sanctis non honorabunt?

Chriſtus Rex per Sanctos, tanquam per filios & miniſtros regnat.

D. Thom.

D. Auguſt.

Chriſtus in Sanctis tanquam membris perſequutus eſt, & in illis colitur.

712. Opponunt nihilominus Nouatores Sanctorum inuocationem oppugnare conantes, primò: Chriſtus omnes homines ad ſe vocauit, Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ergo non licet ad Sanctos recurrere, neque illos inuocare.

Inſtant primò Nouatores.

713. Reſpondetur neg. conſequentiam, ſiquidem in verbis Chriſti relatis proximè vocantur omnes Iudæi, quibus Dominus loquebatur, ad fidem Chriſti amplectendam, & vt à lege Moyſis aſpera & rigida ad legem Chriſti ſuauem & leuem, in qua manſuetudo & humilitas multùm commendantur, cùm ipſe Legiſlator illarum ſe ponat in exemplum, tranſeant. Vnde Saluator ibidem ſubdit; *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Nullo autem modo ibidem prohibetur inuocatio Sanctorum; nam etſi vocentur ibidem homines ad Chriſtum, vt in ipſum credant, & Chriſtianam Religionem ſuſcipiant; hoc non impedit, quin per homines intermedios vocati ad Chriſtum accedant, eiuſque iugum ſuper ſe tollant, hoc eſt Fidei Chriſtianæ ſubdantur. Sic enim mundo datus eſt à Deo Ioannes Baptiſta, vt per illum Chriſtum Saluatorem indicantem, ac de eo teſtificantem homines in Chriſtum crederent, vt expreſsè habetur Ioan. 1. 6. & 7. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum.* Quo pacto etiam per Apoſtolos, qui virtute magnâ reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & repleti Spiritu Sancto prædicabant cum fiducia Verbum Dei, vniuerſus penè orbis in Chriſtum credidit.

Refelluntur.

Lex Moyſis aſpera: lex Chriſti iugû ſuaue, & onus leue.

Per Ioannem homines crediderunt, & per Sanctos ad Chriſtum accedunt.

Sicuti ergo omnes homines in Chriſtum venientes per Ioannem & Apoſtolos de Chriſto teſtificantes acceſſerunt; ita & nunc ad Chriſtum fideles adhuc in terris militantes poſſunt accedere, gratias & beneficia ab eo accepturi, mediantibus Sanctis cum Chriſto regnantibus, qui vtiliter poſſunt inuocari, vt inuocantes Chriſto commendent, offerant, præſentent.

714. Cuius rei exemplum non contemnendum in ſacris Literis obſeruare poſſumus, *Ioan. 12. à num. 20.* vbi narratur quoſdam Gentiles ex fama ingentis miraculi, quod Lazarum quatriduanum mortuum ac fœtidum ſuſcitando Dominus patrarat, illum videre cupientes, non immediatè ad Chriſtum, ſed ad Apoſtolos, vt per illos eorum magiſtrum viderent, acceſſiſſe. *Erant autem* (inquit Ioannes) *quidam Gentiles ex his qui aſcenderant vt adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt Ieſu: Ieſus autem reſpondit eis dicens, Venit hora, vt clarificetur Filius hominis, &c.* Vbi Chriſtus nec Andream, nec Philippum arguit, quòd Gentilium illum videre cupientium preces ſuſcepiſſent, ſibique detuliſſent; nec Gentilibus dixit, ad ſeipſum immediatè veniendum eſſe; ſed illis ſe viſendum præbuit, & coram illis de paſſione ſua, & poſt illam Gentilium vbere ad ſe conuerſione luculenter prædicauit. Ergo quamvis omnes laborantes & onerati ad Chriſtum vocentur, poſſunt ſanctos Apoſtolos, Martyres & alios inuocare, vt eorum precibus ac meritis adiuti, ad Chriſtum accedentes, eius propitiationem faciliùs impetrent, & obtineant.

Gentiles per Philippũ & Andream Chriſtum vident, & eius verba audiunt.

715. Opponunt ſecundò: Chriſtus ſolus eſt mediator hominum ad Deum, juxta illud Apoſtoli 1. Timot. 2. 5. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.* Ergo non licet Sanctos vt mediatores inuocare.

Inſtant ſecundò.

716. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Chriſtus ſolus eſt mediator hominum, redemptione, concedo; interceſſione, nego antecedens. Chriſtus igitur ſolus eſt Redemptor ac Saluator hominum: *Torcular enim calcauit ſolus, & de gentibus non fuit vir cum illo*, vt dicitur *Iſai. 63. 3.* hoc eſt, paſſionem & mortem pro omnibus ſolus ſuſtinuit hominibus, ac conſequenter ſolus eſt mediator redemptione, quod intendit Paulus, qui *loc. cit.* addit, *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Quamvis autem hoc modo ſolus Chriſtus ſit mediator principalis, immediatus, & primarius, quia ipſe ſolus immediatè per ſeipſum ad Patrem accedit, & ex jure meritorum ſuorum nobis gratiam depoſcit: attamen plures ſunt mediatores interceſſione, nempe omnes ſancti Angeli & homines jugiter Deum pro fratribus in fide Chriſti adhuc in terris militantibus obſecrantes, qui ideo poſſunt vocari mediatores minùs principales, ſecundarij & mediati, quia mediante Chriſto, cuius gratiâ & ſanguine cœlos introierunt, ad Patrem acceſſum habent, orantque pro viatoribus, gratiam illis poſtulantes, non ex jure aut meritis ſuis, quaſi illam gratiam mereantur, eamque nobis quaſi ex debito poſtulent; ſed per Chriſtum, & meritis Chriſti innixi.

Refelluntur.

Chriſtus ſolus mediator redemptionis.

Sancti mediatores interceſſionis ſecundarij, & dependentes à Chriſto.

717. Nec in hoc à Nouatoribus culpandi ſunt Catholici, quòd Sanctos cum Chriſto regnantes, mediatores interceſſionis appellent, cùm etiam Apoſtolus Moyſi ſæpiſſimè pro populo duræ ceruicis Deum roganti, nomen mediatoris tribuerit: ad Galat. 3. 19. *Lex ordinata* (inquit) *per angelos in manu mediatoris*, ideſt Moyſis. Vbi Theodorus à Beza Caluini Geneuæ in cathedra peſtilentiæ ſucceſſor, ipſum eundem anteceſſorem ſuum vehementer refellit, quòd dixerit, Apoſtolum nomine mediatoris Chriſtum intellexiſſe, non Moyſem: probatque illa verba de Moyſe eſſe intelligenda, ſicuti de facto ab omnibus intelliguntur, qui *Deut. 5. 5.* de ſe dicit: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.*

Moyſes mediator.

Adde quod Sancti non dicuntur mediatores eo modo quo Chriſtus; hic enim mediator Dei & hominum dicitur *loco cit.* Beati autem pro nobis intercedentes dicuntur mediatores ad mediatorem, quia ad Chriſtum, & per Chriſtum accedunt ad Deum, ac pro nobis orant. Quo pacto Melliſluus Abbas Bernardus *ſerm. de S. Maria*, in illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo*, ait: *Opus eſt mediatore ad mediatorem, nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Vnde quando Auguſtinus *lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 8.* ait: *Pro quo* (Chriſto) *nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus: hic vnus, veruſque mediator eſt*; loquitur de mediatore principali & immediato ad Deum: agebat enim contra Donatiſtas, qui putabant à Sacerdote gratiam Sacramenti pendere, ita vt bonus baptizando ſanctificaret, & malus baptizando pollueret; & ſic faciebant Sacerdotem quodammodo mediatorem redemptionis: ideoque S. D. docet Fideles nihil timere, ſiue à bono, ſiue à malo baptizentur, quia vnus eſt mediator Dei & hominum Chriſtus: non tamen intendit mediatores ad mediatorem, ſeu interceſſionis excludere. 718.

Sancti mediatores ad mediatorẽ.

D. Bernard.

Opponunt tertiò: Chriſtus eſt aduocatus noſter, vt dicitur 1. Ioan. 2. 1. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum.* Vnde & *Rom. 8. 34.* de Chriſto ait Paulus: *Qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Quod etiam inſinuat Hebr. 7. 25. dum de illo inquit: *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ergo fruſtrà Sancti inuocantur, vt pro nobis orent. 719.

Inſtant tertiò.

Reſp. negando conſequentiam; ſi enim ex hoc, quod Chriſtus ſit aduocatus noſter, & quotidie pro nobis interpellat, fruſtra Sancti inuocantur, vt pro nobis orent, etiam fruſtra commendamus Fidelibus adhuc in carne nobiſcum viuentibus, vt pro nobis Deum rogent; quod tamen ſemper factum fuiſſe in Eccleſia liquet ex hoc, quod Apoſtolus etiam illorum ſe precibus commendauit. *Rom. 15. 30. & 1. Theſſalon. 5. 25.* ipſique aduerſarij ſe fidelium orationibus commendare non dubitant. Vnde Ioannes in textu adducto tantùm vult, Chriſtum pro nobis eſſe aduocatum apud Patrem, quia vt ipſe ibidem addit, *Eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, hoc eſt, quia paſſione & morte ſuâ placauit Patrem, immò & juſto ſanguinis ſui pretio rigoroſè & abundè ſatisfecit. Sicque Chriſtus in cœlo jam beatus mente & corpore, voce & vulnerum ſuorum exhibitione, jure in via pro merito juſto titulo gratiam, & ſalutem noſtram ſolus poſtulat; nam vt inquit Apoſtolus Hebr. 9. 12. *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inuentâ.* Sancti autem non ex ſeipſis præciſè, ſed ex coniunctione charitatis, ac felicitatis ad Chriſtum, aduocati munus apud Deum pro nobis exercent, non quidem jus, ſeu 720.

Refelluntur.

Chriſtus ſe ipſo aduocatus noſter, quia eſt Redemptor ſanguine ſuo.

Sancti aduocati noſtri per Chriſtũ.

juſtitiam

juſtitiam poſtulantes, ſicuti Chriſtus; ſed Dei miſericordiam deprecantes, vt nobis gratiam & ſalutem concedat. Quod nequaquam Chriſti dignitati derogat, cùm maximum ſit diſcrimen in interpellatione Chriſti, & Sanctorum. Vnde Auguſtinus *lib. de fide & operibus*, verba Ioannis, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; legit, *Ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris*: quia dum orat pro nobis, nobis de facto propitiatur; ipſius enim exoratio noſtra eſt propitiatio, quia certò nobis obtinet, quod pro nobis petit: tanto enim patrono ſeu aduocato cauſâ cadere non poſſumus; eſt enim ex officio redemptor, & propitiator noſter, qui ex juſtitia pro peccatis noſtris ſatisfecit: quod Sanctis minimè conuenit, qui apud Deum pro nobis deprecantes, non juſtitiam, ſed miſericordiam, & gratiam petunt.

Maximum diſcrimen interpellationis Chriſti, & orationum Sanctorum.

721. Opponunt quartò: Ille ſolus inuocandus eſt, in quem credimus, juxta illud Rom. 10.14. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt*: ſed in ſolum Deum, & Chriſtum credimus, & non in Sanctos: ergo ſolus Deus inuocandus eſt, non autem Sancti.

Quartò inſtant.

722. Reſp. negando maiorem; Sancti enim vt opitulatores & interceſſores apud Deum, etſi in illos non credamus, hoc eſt, quamvis non ſint obiectum præcipuum fidei noſtræ, inuocandi ſunt: & viuentes juſtos de facto inuocauit Apoſtolus, dum ſe illorum precibus commendauit, vt ſuprà diximus: & Centurio abſque iniuria Chriſti, non per ſe, ſed per ſeniores Iudæorum à Chriſto auxilium petiit, vt refertur *Luc.* 7. Quare in loco adducto Apoſtolus tantùm vult neminem Deum inuocare, & per hanc inuocationem ſaluari, niſi in eum credat; niſi enim illum vt authorem gratiæ, & Redemptorem cognoſcat per fidem, non poterit vt Saluatorem illum inuocare, & ſaluari. Nec intendit Sanctorum inuocationem tanquam adiutorum & interceſſorum excludere. Hæc enim nullo modo pugnat cum illa, quâ Chriſtus vt Deus, & Saluator omnium inuocatur. Quæ adeò ipſi propria eſt, vt nullus Sanctorum ab Eccleſia hoc modo inuocetur, vt jam ſæpe à nobis dictum eſt.

Refelluntur.

Chriſtus vt Deus & Redemptor inuocatur.

Sancti autē ſine eius iniuria, vt interceſſores.

723. Deinde ex verbis Apoſtoli ad ſummum colligi poteſt, quod ſicuti nullus Deum inuocare poteſt vt Deum, niſi in illum credat, hoc eſt niſi in illum credendo ſperet in eo, eumque diligat: ita nemo Sanctos, vt tales & amicos Dei valet inuocare, niſi credat illos eſſe Sanctos, & in eis tanquam in patronis ſperet, atque vt tales diligat. Vnde inuocationis nomen etiam juſtis hominibus in Scriptura tribuitur; nam *Gen.* 48. 16. Iacob dixit: *Inuocetur nomen meum ſuper pueros hos, & nomina patrum meorum.* Hinc Auguſt. *libro loquutionum de Geneſi, num.* 200. docet non ſolùm Dei, ſed etiam hominum inuocationem eſſe. Vnde Apoſtolus *epiſt. ad Philemonem* 4. ait: *Gratias ago Deo meo audiens charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Ieſu, & in omnes Sanctos.* Vbi Hieronymus fusè oſtendit, etiam in Sanctos fidem haberi debere.

In Chriſtum ſperando credimus.

Non item in Sanctos, qui tantùm vt patroni & interceſſores inuocantur.

D. Auguſt.

Fides Philemonis in omnes Sanctos.

D. Hieron.

724. Cum hoc tamen ſtat, omnem gratiam, quam per Sanctos, quos inuocamus, à Chriſto petimus, ab eo vt ab authore ad nos proficiſci: ſicuti enim ſolus Chriſtus pro omnibus propitiatio fuit mundi, ita & ille ſolus miſericordiam & gratiam ad ſalutem largitur; Sancti autem illam precibus impetrant. Quod expreſſiſſe videtur S. Leo ſerm. 52. de paſſione. *Quamvis* (inquit) *in conſpectu Domini multorum Sanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi: acceperunt juſti, non dederunt coronas; & de Fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſoluit, cùm inter filios hominum ſolus Dominus noſter Ieſus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſint ſuſcitati.* Hæc ille.

S. Leo.

Nulla mors Sanctorum propitiatio fuit mundi, ſed ſola mors Chriſti.

725. Opponunt quintò: Sancti vnà cum Chriſto in cœlis regnantes neſciunt quæ apud nos fiunt, noſtraſque inuocationes non cognoſcunt; nam *Eccleſiaſtis* 9.5. dicitur: *Viuentes ſciunt ſe morituros; mortui verò nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltra mercedem.* Et *Iſai.* 63. 16. dicitur: *Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos.* Et tandem Iob. 14. 21. *Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget.* Ergo Sancti non ſunt inuocandi.

Quintò inſtant.

726. Reſp. negando antecedens; ſancti enim poſt mortem in cœlis vnà cum Chriſto regnantes ſciunt ea, quæ apud nos fiunt, noſtraſque inuocationes & orationes cognoſcunt, non quidem per ſcientiam, ſeu cognitionem naturalem, ſed ſupernaturalem, & beatificam, quâ diuinam eſſentiam facie ad faciem, & ſine ænigmate intuentur, in qua petitiones ad eos directas vel voce, vel corde cognoſcunt, vt docet S. Thomas 2.2.*q.*83. *art.* 4. *ad* 2. poſt D. Gregorium *lib.* 12. *Moral. cap.* 13. & hoc à principio ſuæ beatitudinis; nam ſi Beatis, in Verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de eis quæ circa nos aguntur, etiam quantùm ad interiores motus cordis, vt loquitur Gregorius *loc. cit.* quia ad eorum excellentiam maximè decet, vt cognoſcant inuocationes & orationes noſtras ad illos directas; ideo illas de facto, ſimul ac æternâ beatitudine, & diuinæ eſſentiæ viſione donantur, cognoſcunt.

Refelluntur.

D. Thom.

Per ſcientiā beatā ſciunt Sancti quæ apud nos fiunt.

D. Gregor.

727. Vnde ad teſtimonium ex Eccleſiaſtis 9. adductum dico, illum loqui in perſona impiorum, qui animæ immortalitatem negabant, & omnem cognitionem, & ſenſum hominis cum præſenti vita mortali ceſſare penitus exiſtimabant: cùm tamen ex pluribus Scripturæ locis liqueat, Sanctos poſt mortem ſcire ea, quæ hîc aguntur, vt patet *Apoc.* 6. 10. vbi animæ Martyrum clamant, & petunt à Domino vt vindicet ſanguinem ſuum de iis qui habitant ſuper terram: quod vtique non poſtularent, niſi profanatum ab illis ſuum ſanguinem ſcirent.

728. Ad ſecundum ex Iſaia reſp. Abraham, Iſraëlem, & cæteros Patres veteris Teſtamenti poſteros ſuos adhuc viuentes non cognouiſſe, quia in Lymbo detinebantur, & nondum viſione beatificâ gaudebant: poterant autem ex diuina reuelatione illos cognoſcere.

Qui in Lymbo erant, neſciebant ea quæ hîc fiūt.

729. Ad tertium ex Iob dico, debere intelligi de cognitione merè naturali, non autem de beatifica: vnde Gregor. *lib.* 12. *Moral. cap.* 13. illud exponens inquit: *Hoc de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Quod intelligendum eſt de his, quæ ad earum ſtatum & excellentiam ſpectant. Et hoc modo exponendi ſunt Sancti Patres, dum paſſim docent, mortuos, etiam Sanctos, neſcire quid apud viuentes agatur, quia neſciunt illud cognitione naturali, ſed ſciunt cognitione ſupernaturali & beatifica, quâ etiam tanquam diuinâ reuelatione ſecretas cordium cogitationes poſſunt cognoſcere.

D. Gregor.

Sancti per ſcientiam beatam cognoſcūt ea, quæ ad illorum ſtatū pertinent.

cognoſcere. Quod neutiquam ab aduerſatiis negati poteſt, cùm Deus multis hominibus occulta cordium, adhuc in via exiſtentibus reuelauerit: nam vt refertur 1. *Reg.* 9. Samuel cognouit omnia quæ Saül io corde ſuo habebat; nam dixir illi ibidem 19. *Ego ſum videns, & omnia quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi.* Et 4. *Reg.* 8. cogoouit Eliſeos omnia ſecreta cordis Regis Syriæ; dixit enim illi ibidem 12. *Scio quæ facturus ſis filiis Iſrael mala, ciuitates eorum munitas igne ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & pregnantes diuides.* Et tandem Danieli reuelauit Deus ſomnium Regis Nabuchodonoſor, quod ab ipſo Rege receſſerat, & Magi omnes id indicare non potuerant, vt dicitur *Daniel.* 2. vnde & Daniel *ibid.* 28. ait: *Eſt Deus in cælo reuelans myſteria, &c.* Si ergo viatoribus hominibus ſecreta cordium Deus manifeſtat, cur non poterit Beatis eius eſſentiam intuitiuè videntibus illa, & viatorum hominum vota explicare, & ſuæ diuinæ eſſentiæ viſione reuelare.

Viuentes aliorum ſecreta cordiũ cognoſcunt.

730. Cæterùm quamvis nullum in Scriptura inuocationis Sanctorum cum Chriſto regnantium inueniatur præceptum, adhuc tamen licitum eſt, ac vtile illos inuocare; maximè cùm nullibi in omnibus libris vtriuſque Teſtamenti hæc inuocatio ſit prohibita. Sufficit ergo propria neceſſitas, & perennis vſus Eccleſiæ, quæ ab initio Sanctos inuocauit, vt fas ſit ad illos recurrere, propter rationes ſuprà à nobis adductas. Sicuti ergo etiam Nouatores abſque præcepto diem Dominicum colunt, & à temporalibus ceſſant operibus, Sabbatho ab hoc cultu eliminato, quod antea colebatur, ex vſu & conſuetudine Eccleſiæ: & quamvis Dominus horâ veſpertinâ cœnam cum diſcipulis celebrauerit, ipſi nihilominus abſque præcepto, matutino illam tempore faciunt: & nullâ à præcepto Apoſtolico exiſtente in Scriptura diſpenſatione, non abſtinent à ſanguine & ſuffocato; immò & abſque præcepto ipſi ſe adhuc in terris viuentium Fidelium orationibus conſueuerunt commendare: ita ex vſu Eccleſiæ, & propria inſtigante neceſſitate rectè & vtiliter Sanctos in cœlis regnantes abſque mandato Catholici inuocant, & eorum ſuffragia, quatenus diuinam faciliùs impetrent propitiationem, humiliter & enixè petunt.

Inuocatio Sanctorum nullibi eſt prohibita.

731. Dum autem Apoſtolus *Coloſſ.* 2. 19. inquit, *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, &c.* tantùm vult excludere cultum Dei à quibuſdam exhibitum Angelis, tanquam huius mundi creatoribus, & noſtris etiam redemptionis ad Deum mediatoribus. Nam ſecundùm Ambroſium, Chryſoſtomum, Oecumenium, Theophylactum & Theoderetum, Simon Magus, Menander, Baſilides & Cerinthus Angelos mundi fabricatores, & per illos tantùm nos ad Deum ire exiſtimabant, illoſque tanquam minores Deos colebant cultu latriæ: quod reprobat hîc Apoſtolus. Hoc autem nunquam à Catholica Eccleſia factum eſt, quæ ſanctos Angelos tanquam Dei creaturas, ac miniſtros fideliſſimos honorat, & veluti interceſſores apud Deum, ſicut & ſanctos homines, piè & vtiliter in ſuis inuocat neceſſitatibus. Qua de re videndus Auguſt. *tom. 6. lib. 20. cont. Fauſtum Manich. cap.* 21. vbi etiam oſtendit Sanctos Martyres ab Eccleſia non tanquam Deos coli cultu latriæ, ſed veluti Dei amicos minori ab Eccleſia cultu honorari. *Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias Martyrum religioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur. Ita tamen, vt nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit.* Hæc Auguſtinus. Similiter & S. Hieronymus Eccleſiam Catholicam Angelos & ſanctos homines inuocantem, & Martyrum reliquias pio honore venerantem ab hæreſiarchæ Vigilantij calumnia propugnat *epiſt. aduerſus Vigilantium*, ſuprà à nobis citata: *Quis enim* (inquit) *ô inſanum caput, aliquando Martyres adorauit? Quis Martyrem putauit Deum, &c.* Subditque: *Dolet Martyrum reliquias pretioſe operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in ſterquilinium, vt ſolus Vigilantius ebrius, & Dormitantius adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores illorum Vigilantij ſe ſentire præſentiam confitentur. Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati Samuelis longo pòſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? &c.* Quibus & Sanctorum inuocationem, & eorum reliquiarum venerationem, religioſè in Eccleſia Catholica ſeruatas fuiſſe perhibetur, grauiſque Nouatores antiquum, & pium ritum hunc impugnare, quem vtique nuſquam oppugnare valebunt.

Simon Magus, & alij Angelos mundi creatores exiſtimabant, illoſque vt minores Deos colebant cultu latriæ.

D. Auguſt.

Martyribus nec altaria erigimus, nec ſacrificamus, ſed ſoli Deo.

D. Hieron.

Sectio IV.

Præ omnibus Sanctis Beatiſſima Virgo Maria Dei genitrix inuocanda eſt.

732. ILlos qui Mariam Virginem Deiparam vt Deum colebant, ipſique collyridem, ſiue placentam ſacrificantes offerebant, ſacra ipſa per mulieres in Arabia primùm celebrantes, hincque Collyridianos appellatos, tanquam hæreticos Catholica pronunciauit, & damnauit Eccleſia, ſicuti apud Epiphanium hæreſi 78. & 79. facile eſt videre. Etenim vnicum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum excellenti & primario cultu, quem latriam vocant, duntaxat colit, ipſamque Virginem Immaculatam, vnigeniti Dei Filij in noſtra carne veram, almamque genitricem, creaturam Deo ſubditam, & ab eo in omnibus dependentem docet & profitetur. Nobilem tamen, præclaram, præſtantiſſimam, ac omnibus diuinæ gratiæ donibus cumulatam agnoſcit, eamque apud Dominum pro cunctis hominibus, quorum in vtero concepit Redemptorem, intercedere ac patrocinari ſemper credidit, & à primis ſeculis in omnibus neceſſitatibus inuocauit.

Collyridiani B. Virginem vt Deum colentes ab Eccleſia damnati.

733. Quamvis Beatiſſimæ eiuſdem Virginis officium, quod publicè in Eccleſia eo ritu, quo Horæ Canonicæ, recitatur, authore S. Petro Damiani, in Monaſterio Gamungenſi tantùm inceperit anno Chriſti 1056. ac deinde in Concilio Claromontenſi ab Vrbano II. ad vniuerſum Clerum, tam ſecularem, quàm regularem,

A quo tempore officiũ paruum, & quotidiaũ B. Mariæ in Eccleſia.

immò

Digitized by Google

immò & ad laïcos, ipſaſque etiam mulieres, non ſine magno gratiarum fœnore propagatum anno 1095. fuerit: attameo longè anquior eiuſdem Deiparæ in Eccleſia eſt veneratio, & in omnibus anguſtiis, cùm ad Numen placandum, tum ad varias gratias obtineodas iouocatio.

734. Nam præterquam quod ab initio naſcentis Eccleſiæ in eius honorem, & ad illius patrocinium inuocandum etiam templa ſunt ædificata, ſiquidem & Trophimus Pauli Apoſtoli diſcipulus, cuius ipſe ad Timotheum ſcribens meminit, eliminato e ciuitate Arelatenſi idolorum cultu, & Chriſtianâ Religione feliciter ab ipſo ibidem plantatâ, à Præfecto Prouinciæ Logdunenſis eius manibus ſacto Baptiſmate renouato palatium obtinuit, in quo oratorium Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Stephani Protomartyris ædificauit, vt conſtans Eccleſiæ Arelatenſis traditio eſt, & in ſeptima lectione Officij diei feſti eiuſdem S. Trophimi refertur: narratque Vincentius Beluacenſis *lib. 8. ſpec. hiſtorial. cap. 92.* B. Martham Mariæ Magdalenæ, & Lazari ſororem, Chriſtique Saluatoris hoſpitam in Gallias diuino nutu in naui ſine velo ac remigio vnà cum fratre, ſorore, Maximino, & aliis appulſam duo templa à fundamentis erexiſſe, aliud Chriſto, aliud Mariæ Virgini eius genitrici dicatum, eaque præſentibus Maximino Aquenſi, Trophimo Arelatenſi, Eutropio Auriacenſi Epiſcopis conſecrata fuiſſe: ex quibus ſuſpicari licet, Eccleſiam quæ Aueoione in rupe ad Rhodani ripam imminente, Noſtræ Dominæ de Domnis vulgò nuncupatam, fuiſſe illam, quæ à B. Martha Sanctiſſimæ Dei Genitrici dedicata eſt; aliæque cùm in Galliis, tum in Italia, tum etiam in Hiſpania, vbi celeberrima eſt Eccleſia eidem ſanctiſſimæ Deiparæ ab Apoſtolo Iacobo, cui Virgo Maria ſe conſpicuam fecit, in ciuitate Cæſaraugustana ædificata, quæ vulgò Hiſpanico idiomate, *Nueſtra Señora del Pilar*, vocitatur; tum denique in Germania, & aliis orbis partibus à priſcis ſeculis ædificatæ in honorem Sanctæ Mariæ Virginis viſuntur Eccleſiæ.

A prima Eccleſiæ ætate oratoria B. Virgini Mariæ dicata.

Vinc. Belu.

Eccleſia noſtræ Dominæ de Domnis Aueniooe.

735. Præter iſta (inquam) antiquiſſimæ venerationis, & inuocationis Beatæ Virginis Indicia, expreſſæ habentur in primorum ſeculorum Eccleſiæ Doctorum ſcriptis huius Dei Genitricis inuocationes. Cùm enim peccatorum aduocata apud Deum cauſas hominum iugiter agens ac protegens credita ſit, nam vt loquitur Sanctus Irenæus *lib. 5. cap. 19.* contra hæreſes, *Virginis Euæ Virgo Maria facta eſt aduocata:* ideo omnes in anguſtiis ad illam ſanctiſſimam, potentiſſimamque patronam recurrerunt. Vnde Athanaſius acerrimus ille contra Arrianos diuinitatis Chriſti propugnator *in orat. de ſanctiſſima Deipara, vol. 1. tom. 3.* ſic Mariam interpellat: *Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquiis magna dona ex diuitiis gratiarum tuarum, tu quæ gratiâ plena es.* Cui concinit S. Ephrem Syrus *ſerm. de laudibus ſanctiſſimæ Deiparæ*, vbi Redemptoris noſtri Genitricem ſic inuocat: *Reple os meum gratiâ dulcedinis tuæ, ô Maria: & illumina mihi mentem, ô gratiâ plena.* Ipſeque Auguſtinus, cuius authoritatem ſe recipere fingunt Nouatores, *tom. 10. ſerm. 35. de Sanctis*, Mariæ Dei Genitricis inuocationem expreſsè docet: *Inter hæc igitur, Fratres* (inquit) *cum toto mentis affectu Beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus committamus, omnes eius patrocinia omni niſu imploremus, vt dum nos ſupplici eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedulâ prece commendare dignetur in cœlis: neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe aliis omnibus liberatis impendere ſuffragium.* Et *in orat. ad Beatiſſimam Virginem*, illam ſic deprecatur: *Sancta Maria Virginum piiſſima, ſuſcipe vota ſeruulorum aſſidua: lapſos erige, errantes corrige, trementes corrobora, puſillanimes conforta, vt tibi ſemper referamus laudem, quâ Dei ſummi colimus Genitricem.*

*Antiquiores Eccleſiæ Patres Beatam Mariã Virginem inuocant.

S. Irenæus.

D. Athan.

S. Ephrem.

D. Auguſt.

His qui quatuor primis Eccleſiæ ſeculis floruerunt Patribus accedunt alij, qui poſteriori tempore pietate, & doctrinâ Chriſtianam Religionem illuſtrarunt. Non omnes, ſed vnum vel alterum duntaxat recenſebo, & ex eorum doctrina adhuc Deiparæ inuocatio firmabitur. Primus erit Anſelmus, qui *lib. de excell. Virginis, cap. vlt.* illam inuocat hoc modo: *Rogamus te, Domina, per ipſam gratiam, quâ te pius & omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donauit, quatenus id apud ipſum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ quam meruiſti, in nobis ſic operetur, quo participium beati præmij nobis miſericorditer quandoque donetur.* Alter erit Bernardus, non minùs ſanctimoniâ, quàm Doctrinâ inſignis, qui *ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt*, Dei Genitricis inuocationem ſic eleganti ſtylo docet, & ſuadet: *In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum; ipſam ſequens non deuias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras: ipſâ tenente non corruis, ipſâ protegente non metuis, ipſâ duce non fatigaris.* Et in ſermone de Natiuitate Beatæ Mariæ: *Sed forſitan & in ipſo* (Chriſto) *maieſtatem vereare diuinam, quod licèt factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Aduocatum habere vis, & ad ipſum? Ad Mariam recurre: pura ſiquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua. Exaudiet vtique matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* Idem ferè docet *ſerm. 4. de Aſſumptione B. Mariæ, prope finem*, & alibi ſæpe deuotionem, & inuocationem Matris Dei ſanctiſſimæ inculcat. 736.

Anſelm.

D. Bernard.

Nec Chriſti Filij Dei ac Saluatoris noſtri dignitati derogat intemeratæ & ſanctiſſimæ eius Genitricis inuocatio; ſiquidem ad illam non recurrunt Fideles, vt gratiam & ſalutem ab illa propriâ authoritate recipiant; ſed vt illas a Deo eius meritis, precibus ac ſuffragiis patrociniantibus faciliùs impetrent. Vnde & huius Beatiſſimæ Virginis, ſicut & aliorum Sanctorum inuocatio non abſoluta eſt, ita vt in illa vota inuocantium terminentur; ſed reſpectiua, ita vt per illam ad Deum noſtræ aſcendant petitiones, & ab eo ſuum omninò ſortiantur effectum. Nam licèt poſſet Deus gratiam ſuam nobis immediatè tradere abſque vel Sanctorum, vel Reginæ illorum Mariæ Deiparæ interceſſionis mediatione; 737.

Inuocatio Deiparæ dignitati Chriſti eius Filij non derogat.

attamen vt ſanctorum charitatem nobis apertiùs demonſtraret, & illorum nos exemplis faciliùs inſtitueret, illos à nobis inuocari, eorumque ſanctitudinem, bonitatem, ac miſericordiam conſiderari voluit, & imitari, nobiſque illorum meritis, quæ nobis indignis denegaret, ingenti prouidentiâ ac bonitate largiri. Quod docuit idem Bernardus *ſerm. de Natiuit. Mariæ*, in fine: *Neque enim* (inquit) *impotens erat Deus & ſine hoc aquæductu* (Mariâ ſcilicet) *infundere gratiam prout vellet; ſed tibi vehiculum voluit prouidere: fortè enim manus tua aut ſanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quia non eas ab omni munere excuſſiſti; ideoque modicum iſtud, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.* Hæc ille.

D. Bernard.

738\. Dum ergo ſanctiſſima Dei genitrix publicis ab Eccleſia precibus inuocatur, & Ianua cœli, Mater miſericordiæ, Spes noſtra, & noſtræ ſalutis cauſa vocitatur, non propriè & principaliter his nominibus appellatur, ſed ſecundariò & impropriè, ideſt non quòd hæc omnia nobis ſit ex ſe præcisè, & propriâ authoritate, ſicuti Chriſtus, qui *proprio ſanguine introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*, & omnibus electis æternitatis aditum, deuictâ morte reſerauit; ſed quia ſuis precibus, meritis & interceſſione apud Chriſtum & Patrem cuncta illa nobis præſtat. Adde quod cùm Chriſtum Redemptorem noſtrum nobis pariendo donauerit, cùm ex illa in Filio ſuo gratiam, ſalutem, & miſericordiam habuerimus, mater gratiæ, ac miſericordiæ, necnon & ſalutis, ac ſpei noſtræ cauſa aliquatenus dici poteſt. Cùm tamen hoc non niſi ſecundariò, miniſterialiter, & in ordine ad filium ſuum debeat intelligi.

Maria Virgo, janua cœli, mater miſericordiæ, ſpes noſtra, &c. vocatur ſecundariò & impropriè, & dependenter à Chriſto.

739\. Non debent ergo Nouatores ex ſimilibus loquutionibus, quæ interdum hyperbolicè & metaphoricè in precibus Eccleſiæ, ex maxima erga Deiparam veneratione ac deuotione pronuntiantur, culpare Catholicos, cùm hæ in Concilio Epheſino tertio œcumenico contra Neſtorium anno 431. celebrato, etiam ab ipſis Nouatoribus recepto inueniantur: nec à publicis orationibus aliæ eliminandæ ſunt loquutiones, quibus & ſalutem ab ipſa ſanctiſſima Virgine videmur poſtulare, cùm & ipſe Apoſtolus, qui ſuis in epiſtolis Chriſtum Dominum ſolum hominum Saluatorem paſſim ſcripſit, ipſumque duntaxat nobis à Deo factum ſapientiam, & juſtitiam, & ſanctificationem, & redemptionem, 1. *Cor.* 1. 30. prædicauit, ſe ad alios ſaluandos laborare, dicere non dubitauerit; nam Rom. 11. 13. *Quamdiu*, inquit, *ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.* Vbi Paulus Iudæos, quos carnem ſuam vocat, quia ſibi ſecundùm carnem cognati erant, ſaluare cupit, hoc eſt myſterium Chriſti docere, & ad fidem conuertere prædicatione, zelo, & oratione. Quod eſt non propriâ authoritate, ſed miniſterialiter, & dependenter à Deo conuertere, & ſaluare. Niſi enim Deus cor auditoris aperuerit, verba concionatoris in illud intrare non poterunt, vt inſinuatur *Act.* 16. 14. vbi Lydia purpuraria colens Deum audiuit, *cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Nec ſimiliter verba vitæ diſpenſare valet Concionator, niſi ea in ore eius Dominus poſuerit. Idemque Apoſtolus 1. Cor. 9. 22. *Factus ſum* (inquit) *infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Sicut ergo Paulus Euangelij prædicatione, & animarum zelo cum omnibus conformitatem habere ſtuduit, omneſque ſaluare voluit, abſque præiudicio dignitatis Chriſti, vnici Saluatoris & Redemptoris hominum; ita & Virgo Deipara ab Eccleſia inuocatur vt ſuis precibus, meritis, ac interceſſione à Filio optimo Saluatore noſtro, nobis miſeris peccatoribus ſalutem obtineat. Nullumque inconueniens eſt, quod illa nos ſaluare dicatur, cùm non à ſe, & propriâ authoritate nobis ſalutem conferat, ſed illam à Filio ſuo nobis enixè precibus impetret. Nec inuſitatum eſt in Scriptura, nomen Saluatoris etiam hominibus pro fratrum ſuorum ſalute laborantibus tribui; ſed hoc in vtriuſque Teſtamenti paginis reperitur: nam Abdias *verſ.* 21. ait: *Et aſcendent ſaluatores in montem Sion judicare montem Eſau, & erit Domino regnum.* Vbi S. Hieronymus ait: *Ipſe Saluator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit ſaluatores.* Et *Iacobi* 5. 16. dicitur: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini; multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Vbi fideles orationibus, quas pro fratrum ſuorum ſalute Deo offerunt, mutui dicuntur ſaluatores: quod nequaquam redemptioni, quam Chriſtus generaliter omnibus obtulit morte ſuâ hominibus, derogat; per eum etenim, & in illo, & propriæ, & fratrum noſtrorum ſaluti collaboramus, maximè cùm *Dei adiutores ſimus*, vt dicitur 1. *Cor.* 3. 9. & ipſius Dei os reputemur, dum verbis vel à malo retrahimus, vel ad bonum fratres noſtros inſtigamus. Nam *Ierem.* 16. 19. inquit Deus: *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.*

Paulus ſe ad ſaluandum homines laborare affirmat, ſed dependenter à Chriſto, & medio illius adiutorio.

Eodē modo precibus & meritis ſuis ſaluat nos Deipara dependenter à Chriſto.

Apoſtoli in Scriptura vocantur Saluatores.

Saluat ergo ſe inuocantes precibus ſuis ſanctiſſima Dei Genitrix, dum eis à Filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto peccatorum hominum veniam impetrat, ſicuti patientiſſimus Iob juſſu Dei pro amicis orans, eis veniam impetrauit, *Iob vltimo* 8. Si enim Deus *voluntatem timentium ſe facit*, vt dicitur *pſal.* 144. 19. etiam ſanctiſſimæ ſuæ Genitricis, quæ *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*, Eccleſiaſtic. 24. 24. ab Eccleſia appellatur, preces exaudiet, & piam pro hominum ſalute voluntatem diuinæ ipſius voluntati conformem adimplebit. Etenim, vt loquitur D. Damaſcenus orat. 1. de dormit. Virg. *matris Dei, & ſeruorum Dei infinitum eſt diſcrimen*; hoc eſt, non ſolùm illis omnibus præſtat gratiâ, ſanctimoniâ & meritis cumulatior; ſed etiam erga Deum precibus & interceſſione potentior. Vnde ad illam tanquam ad centrum omnia elementa, omnis rationalis creatura feſtinat, vt ab illa auxilium in neceſſitatibus requirat & accipiat: ex quo enim Vnigeniti Dei parens immaculata, agente Spiritu ſancto, facta eſt, omnis hominis patrona ac protectrix euaſit, & ab ea in omnes Chriſti ſalus propagatur. Quod luculenter proſequutus eſt Bernardus *ſerm.* 2. *in feſto Pentecoſtes*, exponens illud Pſal. 37. 12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Ait enim: *Operabatur ſalutem in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, quæ* 740.

Saluat Beata Virgo Maria dum nobis à Filio gratiam ad ſalutem nobis impetrat.

D. Damaſc.

D. Bernard.

mirabili

mirabili proprietate terræ medium appellatur ; ad illam enim , ſicut ad medium , ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam , ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt , & qui in cœlo habitant , & qui in inferno , & qui nos præceſſerunt , & nos qui ſumus , & qui ſequentur , & nati natorum , & qui naſcentur ab illis : illi qui ſunt in Cœlo , vt reſarciantur : & qui in inferno (ideſt in Lymbo ante mortem Chriſti , & in Purgatorio ,) *vt eripiantur : qui præceſſerunt , vt Prophetæ fideles inueniantur : qui ſequuntur , vt glorificentur.* Et infrà ſubdit : *Ergo beatam te dicunt omnes generationes , Genitrix Dei, Domina mundi , Regina cœli , quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam , juſti gratiam , peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ , quia in te , & per te , & de te benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat , recreauit.* Hactenus Doctor Melliſluus.

741. Nec inſuper criminandi ſunt vel Eccleſiæ Doctores , vel Fideles , qui vel in precibus , vel in concionibus Beatiſſimam Virginem inuocantes, eam rogant , vt pro ipſis , ac pro tota Eccleſia gratias à Filio poſtulet : adduntque , vt jure materno vtens ipſi jubeat , & imperet , vt ſuam largiatur propitiationem , & veniam peccatoribus tribuat : huiuſmodi enim modi loquendi per auxeſin proferuntur , & ex intimo ac zeloſo corde ſalutis hominum cupidiſſimo , quod cùm charitate deflagret , mirum non eſt , quod in exceſſus effundatur ; amor enim ipſe exceſſus eſt : nam vt loquitur Ariſtoteles , *eſt quid nimium.* Vnde & exceſſus non ſolùm in votis , deſideriis, & operibus , ſed etiam in ſermonibus ſuggerit. Attamen Beatam Mariam Virginem Filio ſuo in cœlis imperare nuſquam Catholica vel docuit , vel credidit Eccleſia : ſed tantùm illum pro Fidelibus jugiter rogare exiſtimauit. Quomodo enim Creator omnium , mortis victor , aërearum poteſtatum debellator , æternâ gloriâ & perenni triumpho in cœlis ad Patris dexteram donatus , Matri Virgini tanquam jubenti , & imperanti propriè ſubderetur , qui in carne mortali adhuc cum hominibus in terris conuerſatus, tantùm ſecundum humanitatem , *non ex infirmitate , ſed ex pietate* ſubditus fuit ? Vt enim loquitur Ambroſius *lib. 2. in cap. 2. Luc.* exponens illud, *Et erat ſubditus illis : Non vtique infirmitatis , ſed pietatis iſta ſubiectio eſt.* Vnde Maria omnium creaturarum poſt Chriſti humanitatem excellentiſſima , ac maiori gloria in cœlis coronata , in omnibus Filio ſubditur , & ab eo ſupplex pro Militantis Eccleſiæ Fidelibus ſalutem petit. Ex quibus liquet , illos metaphoricè , & impropriè, ac per exceſſum loqui , qui illam rogant , vt Chriſto imperet ; qui tamen excuſandi ſunt, cùm etiam in ſacris Paginis modus loquendi ab iſto non omninò alienus reperiatur , *Ioſue* 10. 12. vbi juxta vulgatam editionem , quæ authentica eſt , & ab omnibus recepta , dum egregius ille Hebræorum Dux loquutus eſt Domino in die quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël , *Sol contra Gabaon ne mouearis , & Luna contra vallem Aialon* ; Deo ipſi imperare viſus eſt , quamvis dumtaxat ſupplex ipſum rogaſſet , & ipſi Deus quodammodò obediuit, ſubditur enim ibidem 14. *Non fuit antea , nec poſtea tam longa dies* , OBEDIENTE DOMINO VOCI HOMINIS , *& pugnante pro Iſrael.*

B. Virgo non poteſt filio ſuo imperare , ſed illũ rogare.

Modi loquendi improprij, & per auxeſin.

D. Ambroſ.

Deus dicitur obediiſſe Ioſue , ſed impropriè.

742. Minimè igitur Chriſto Domino filio ſuo ſanctiſſima Virgo imperat , ſed dum ſupplex illum pro nobis obſecrat , adeo efficacia ſunt eius vota, & gratæ illius orationes , vt ſuum omninò conſequantur effectum , ita vt juſſiones videantur illius preces , & non tantum matrem exaudire , ſed illi obedire filius videatur ; nuſquam enim rogantis genitricis non audit orationes. Quod expreſſit Bernardus ſermone in Natiuit. B. Mariæ : *Exaudiet vtique* (inquit) *Matrem Filius , & exaudiet Filium Pater. Filioli , hæc peccatorum ſcala , hæc mea maxima fiducia eſt , hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim ? Poteſtne Filius aut repellere , aut ſuſtinere repulſam : non audire , aut non audiri Filius poteſt ? Neutrum planè. Inueniſti* (ait Angelus) *gratiam apud Deum. Feliciter ſemper hæc inuenit gratiam , & ſola eſt gratia , quâ egemus.* Hæc Abbas Melliſluus , quibus alibi ſimilia fatur , & Filij Dei ac ſanctiſſimæ eius Parentis potentiſſimas pro nobis interceſſiones deſcribit. *Filius* , inquit , *oſtendit Patri carnem , & vulnera. Maria ſtat ante Filium , & oſtendit illi pectus & vbera : ibi ergo ſumus ſecuri de venia , vbi ſunt tot amoris inſignia.* Cùm ergo quæ pro nobis poſtulat Beatiſſima Deipara , ſemper obtineat , illâque pro nobis apud Filium patrocinante , veniam ab illo recipere ſimus ſecuri , mirum non eſt , aliquando Mariam à quibuſdam rogari , vt ſe Filij Dei genitricem exhibeat , ac Filio ſuo quodammodò jubeat , vt nobis gratiam largiatur. Quod tamen modo à nobis jam expoſito intelligendum eſt. Quo etiam ſenſu in hymno, quem in ſolennitatibus eiuſdem Virginis ad illius honorem canit Eccleſia, dicitur :

Monſtra te eſſe matrem ,
Sumat per te preces ,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus ,

Orationes Dei Genitricis à Deo exaudiuntur ob ſuam reuerentiam.

D. Bernard.

743. Cæterùm ampliori ac fuſiori ſtylo intemeratæ Dei Genitricis interceſſionem ac inuocationem ſtabilire nobis haudquaquam eſſet difficile ; ſimulque præ omnibus Sanctis illam , tanquam veram Dei parentem , optimam Angelorum , hominumque Reginam , ac potentiſſimam peccatorum patronam , ſeu aduocatam fore interpellandam , eſſet facile comprobare : ſed conſultò ab his temperamus , ne commentarij Sequentiæ , ſeu Cantici D. Thomæ metas tranſgrediamur , & in immenſum gratiarum Beatiſſimæ Virginis pelagus , quod minimè valet emeriti , ingrediamur : egregias enim Reginæ Virginum laudes proſequi , nec noſtri nunc eſt inſtituti , nec ſufficit ingenium ac eloquium. Forſitan aliquando , Chriſto donante , & Maria, *cuius præſentiâ totus illuſtratur orbis , adeo vt & ipſa cœleſtis patria clariùs rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore* , vt loquitur S. Bernardus *ſerm. 1. in Aſſumpt. B. Mariæ* , ſuccurrente , in eius honorem , *qui judicium diligit* , vt ait idem Bernardus *epiſt. 174. ad Canon. Lugdunenſes*, aliquid vberiùs ſcribemus.

Authoris excuſatio.

D. Bernard.

744. Interim hæc ad Sanctorum , illorumque Reginæ inuocationem contra Nouatores dicta ſufficiant , ſicut & de toto huius Operis Commentario , quem abſoluimus , non ſolùm ſanctiſſimæ Virginis Mariæ , & Beatorum omnium Angelorum & hominum in cœlis cum Chriſto regnantium inuocationem propugnantes , verùm etiam ipſam Beatiſſimam Dei Genitricem,

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

& Sanctos omnes ſuppliciter inuocantes, vt nos apud Dominum Regem regum de in hac noſtra lucubratione defectibus admiſſis, & aliàs delictis commiſſis excuſent.

Totius Commentarij Epilogus.

Tibi igitur Chriſte Rex Sanctorum, paſtor optime, panis viue, qui in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento mirabiliter deliteſcis, ſimulque ad Dexteram Patris glorioſus ſedens Beatos viſibili maieſtatis tuæ præſentiâ lætificas, reddo, dono, conſecro quæ Te donante, hoc in Commentario, minimus omnium tuorum operariorum ſcripſi. Si quæ vera, ſi quæ bona, ſi quæ denique recta ſunt, à Te profecta, ad me dimanarunt, & à Te per me ſunt exarata: quæ autem imperfecta, diſtorta, & minùs recta à me dicta ſunt, horum à Te ſupplex veniam peto, Tibique ſummo omnium Magiſtro, increatæ ac incarnatæ Veritati, necnon & Vicario tuo Romano Pontifici trado corrigenda, & rectificanda, paratus ſemper, tuâ fauente gratiâ, Fidei Catholicæ ſententiæ per Te à ſancta Sede Apoſtolica prodeunti adhærere; illam, quantum dederis, propagare; ac verbo, ſcripto, necnon & opere propugnare, in eaque vſque ad vltimum vitæ ſpiritum permanere, ac pro ea & ſanguinem fundere, ſi ad illam mea peccatorum omnium maximè contemptibilis vita aliquid conducere valeat. Ita coram Te, Redemptor meus, & Deus meus humilis & tremens profiteor, & vtinam in mortis diſcrimine mortale ſeculum relicturus, corde & ore profitear. Ad hoc faue, adiuua, & auxiliare Saluator optime, qui es Deus benedictus, & glorioſus in ſecula. Amen. Sic opus hoc, qualecumque ſit, terminare conatus ſum 3. idus Septembris, anno reparatæ ſalutis 1674.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
PRO CONCIONIBVS
in Euangelia Dominicarum totius anni, & præcipuorum Feſtorum.

Ex variis, qua in hoc Commentario, ſeu quatuor Solis Aquinatis ſplendorum Libris pertractantur, materiis.

Dominica I. Aduentus.

TRIPLEX eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentus: alius io nobis, alius inter nos, & alius poſt nos. Primus fit per fidem, charitatem, & gratiam Sanctificantem in impij juſtificatione: ſecundus factus eſt per miſericordiam redimentem in Incarnatione, quâ vt loquitur Propheta Baruch 3. 38. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Tertios fiet per juſtitiam, vel bonos præmiantem, vel malos punientem, in fine ſeculi, in extremo omnium hominum judicio.

Ille quem Eccleſia hac die incipit celebrare, ſecundi aduentus per miſericordiam redimentem, nempe Incarnationis ac Natiuitatis Chriſti, commemoratio eſt, ac repræſentatio: vnde & temporalis natiuitatis Chriſti ex intemerata Virgine feſtiuitate terminatur.

Cur ergo hodiernæ Dominicæ Euangelium non de ſecundo per miſericordiam redimentem, ſed de tertio per juſtitiam vindicantem Chriſti aduentu loquitur, ex illo Lucæ 21. 25. *Erunt ſigna in Sole, & Luna, &c.* Cur in celebratione Aduentus miſericordiæ proponitur Aduentus juſtitiæ? Vt ex timore quem nobis incutit aduentus juſtitiæ, amorem concipiamus erga eum qui ex infinita booitate priùs ad nos venit aduentu miſericordiæ; & ſtatim timore extremi judicij, & amore filij Dei incarnati illum in nobis per fidem, charitatem ac gratiam ſanctificantem aduenire ſentiamus. Seueritatis ergo ac juſtitiæ Dei in Euangelio hodierno propoſitio, magna eſt miſericordia; monet enim nos, vt ab illa juſtitia caueamus, & Dei in incarnatione Filij immenſam miſericordiam recipiamus. Etenim ſe judicem exhibet Chilſtus, non vt judicet, ſed vt ſaluet. Quod legitur Ioan. 3. 17. vbi habetur: *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt judicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Et notauit S. Auguſtinus *ſerm. 109. de temp. tom. 10.* vbi ait: *Chriſtus propterea ſe judicem venturum minatur, vt non inueniat quos puniat, cùm venerit. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire dicit, Obſerua. Totum quod audiuimus per ſcripturas, vox eſt Dei dicentis, Obſerua.*

Vt ergo vberes Incarnationis ac Natiuitatis Chriſti fructus recipiamus, ipſum tanquam venturum judicem formidemus; non enim eius miſericordiam ab eius juſtitia ſeparare debemus: hæc enim duo attributa Dei non ſeparantur. p.438.& ſeqq. à n.586

Meritò igitur extremi judicij Euangelium legitur primâ die aduentus miſericordiæ, quia Chriſtus ſimul nobis factus eſt pater & judex; ſimulque timendus eſt, & diligendus. ibid.n.588

Iuſtitia Dei ſimul cum miſericordia eſt cogitanda, & è conuerſo. p.439.n.592

Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis. Signa futurum judicium deſignantia, non ſolùm illud præcedent, ſed etiam comitabuntur; apparebunt enim in ipſo judicij die. Quod docet S. Thomas *ſupplem. 3.p.qu.73. art.1.ad 1.* vbi ait: *Poteſt dici, quod omnia illa* (ſigna) *quæ circa judicium erunt, infra tempus judicij computantur; vt ſic dies judicij omnia illa contineat.* Hæc autem ſigna non ſolùm in Sole, Luna, & ſtellis materialibus, quæ fulgent in cœlis corporeis, verùm etiam in Sole, Luna, & ſtellis ſpiritualibus ac myſticis apparebunt. Vnde & maiorem de extremo judicio terrorem concipero debemus; Sol etenim myſticus, nempe Chriſtus, obſcurabitur, hoc eſt radios miſericordiæ ſuæ non pandet ſuper malos; ſed eius juſtitia omninò in illos ſæuiet. p. 438. 439.& ſeq.

Chriſtus apis nuncupatur, quia juſtitiam per aculeum, & miſericordiam per mel adumbratam in ore gerit. Malis qui miſericordiam contempſerunt, aculeum juſtitiæ affiget in judicio. p.440.n.595

Iuſtitia Dei juſtè in homines peccatores in judicio ſæuiet, quæ in cœlis in Angelos ſæuiit. p.63.n.247

Luna myſtica, Maria Dei Genitrix eſt, peccatorum aduocata, quæ non dabit lumen ſuum, hoc eſt protectionis ſuæ radios continebit, & in peccatores non expandet. Cùm enim diuinæ voluntati ſit omninò conformis, diuinam juſtitiam laudabit, & peccatores derelinquet; licèt pro illis quamdiu in via exiſtunt, intercedat, & Euæ, omniumque eius filiorum ſit aduocata. p.465.n.694

Iuſtinam Virginem à Cypriano mago vexatam eripuit Maria, & peccatores dæmoniis traditos vt vexentur, in judicio derelinquet. ibid.p.466

Stellæ myſticæ ſunt vel Angeli cuſtodes, vel Sancti patroni & opitulatores noſtri: hi in judicio ab interceſſionibus, quas pro peccatoribus offerunt, ceſſabunt, p.466.& ſeqq.à n.698

Quàm ergo terribile erit judicium, vbi judex ſine miſericordia, Aduocata ſine protectione, & amici ſine interceſſione apparentes, reum peccatorem abſque refugio videbunt & condemnabunt.

Præfata autem teſtimonio, & authoritate S. Auguſtini

roborantur ſimul & illuſtrantur: nam ſerm. 134. de temp. tom.10. *Sol* (inquit) *Chriſtus eſt: Luna Eccleſia in orbe completa: ſtellæ quoque lucentes, Sanctorum ſunt millia, id eſt Apoſtoli, Patriarchæ, Martyres, Virgines, Sacerdotes, cuncti Iuſti pariter & Fideles virtutum ſuarum flammâ radiantes.*

Timeant ergo fideles extremum judicij diem cogitantes, & bonis operibus ſe ad miſericordiam Chriſti ex Virgine naſcentis ſuſcipiendam præparent; immò ſeipſos nunc judicent, condemnent, & puniant, vt ſeueriſſimum Chriſti judicium non accipiant; nam vt inquit Auguſtinus lib.50. homil. 50. cap. 4. circa init. tom.10. *Qui à ſeipſo judicatus eſt, non judicatur à Domino.*

Inſuper à peccatorum barathro extremi judicij timor reuocat homines; quod & expertus eſt Auguſtinus, qui *lib. 6. confeſſ. cap.16. tom.1.* inquit: *Non me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis & futuri judicij tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de corpore meo.*

Dominica II. Aduentus.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, Matth. 11. 2. Ioannes, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, vitæ innocentiâ præclarus, in carcere vinculis duriſſimis alligatus jacet: & Herodes impudicitiâ, aliiſque ſceleribus maculoſus, in throno ſedet indutus purpurâ & diademate coronatus; quia mali ex mundana felicitate in inferorum abyſſum detruduntur, juxta illud Iob 21. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Boni autem ex tormentis, & tribulationibus ad cœlos aſcendunt; crux enim & ærumnæ, veluti ſcalæ hominibus gradus præbent, vt in cœlum aſcendant. p. 179. num. 164

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti. Vincula quibus ligamur pro Chriſto, fulgentiora ſunt regum coronis. p.365.n.248

Ideo Ioannes ab Herode alligatus maieſtate coruſcat, & ſupra impij regis diadema refulget.

Catenæ, quibus alligabatur Ioannes, illum Petro ſimilem reddiderunt, & ſupra Angelos extulerunt. ibid.

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis, &c. Meritò Ioannes in vinculis opera Chriſti audiſſe perhibetur, quia tribulationes non ſolùm aures & oculos aperiunt corporis, ſed etiam oculos mentis, vt Dei opera intelligant. Vnde non ſolùm fidem perficiunt tribulationes; ſed & ipſa fide præſtantius donum reputantur. p.365. num. 246

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis, &c. Glorioſa Ioanni fuerunt hæc vincula, quæ ipſum ad martyrij coronam adduxerunt. De illis meritò dixerim, quæ de vinculis Petri aureo calamo ſcripſit Auguſtinus ſerm. 28. de Sanctis: *Felicia vincula, quæ reum ſuum vſque ad Chriſti crucem, non tam condemnatura, quam conſecratura miſerunt.* Siquidem tribulationes hominem Deiformem efficiunt. p.369.n.260

Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Ioannes Angelus fuit, non ſolùm quia nuntius, hoc enim Angeli nomen ſonat; Chriſtum enim annuntiauit, dum Indice prodidit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ioan. 1.30. Sed etiam quia vinculis alligatus, jam martyr fiebat, & velut Angelus extra carnem viuebat; Martyr ſiquidem exul eſt à corpore, non ſtupore, ſed amore. p.365.n.247

Primus flos Chriſtianæ militiæ ſanguine purpuratus fuit Ioannes, qui etiam ante Chriſtum Dominum ſanguinem fudit, cæteriſque Chriſtianis fuit in exemplum. Vnde meritò dixit Saluator: *A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 12. Immenſa igitur Eccleſiæ gloria, quam ex innumeris Martyrum ſuſcepit triumphis, ex Ioannis vinculis quodammodò dimanauit. Sicuti enim electus eſt Ioannes, vt per illum omnes homines in Chriſtum crederent: ita & ad eius exemplum diſcunt omnes fidem ſuam, & patientiâ roborare, & ſanguinis effuſione glorificare; vbique enim fulget gloria martyrij. Quod Auguſtinus eleganter expreſſit *in pſal. 118. conc. 30. poſt med. tom. 8.* dum ait: *Purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memoriis Martyrum, inſignita ſunt tempora natalibus Martyrum, crebreſcunt ſanitates memoriis Martyrum.*

Cùm audiſſet Ioannes in vinculis, &c. Prædicabat Ioannes Baptiſmum pœnitentiæ, immò & virtutem caſtitatis ſummoperè commendabat, dum *arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo Philippo vxorem.* Vt ergo optimi Concionatoris omni ex parte munus ageret, in carcerem mittitur, & vinculis alligatur; patientia enim ipſi neceſſaria erat, vt ſuam prædicationem nobilitaret, & conſummaret. Nam prædicator debet patientiâ Deum glorificare, & homines inſtruere. Vnde Apoſtolus inquit: *Prædica verbum, inſta opportunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* p.225. à num.39. & ſeq.

Dominica III. Aduentus.

Tu quis es? Ioan. 1. Seipſum debet homo cognoſcere, vt intra ſe maneat, & non ſupra ſe intumeſcat: hæc enim propria ſui cognitio, non tantùm humilitati, ſed etiam ſaluti multùm confert: vnde S. Bernardus lib. 2. de conſider. ad Eugenium, non longè à principio: *A te* (inquit) *incipiat tua conſideratio; non ſolùm autem, ſed & in te finiatur. Quocumque euagetur, ad te reuocaueris eam cum ſalutis fructu. Tu primus, tu vltimus, Sume exemplum de ſummo omnium Patre Verbum ſuum & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua. Quod ſi procedit, non recedat: ſic progrediatur, vt non egrediatur: ſic exeat, vt non deſerat.* Quod etiam Gentiles docuerunt, qui præ foribus Templi Delphici hæc verba, NOSCE TEIPSVM, exararunt, vt quiſquis ad templum veniens de propria ſui ipſius cognitione admoneretur. Hanc cognitionem docet nos Chriſtus Saluator, & Dux optimus, qui ducit nos intra nos. p.36. & ſeqq. à n.135

Tu quis es? Cognitio propria hominis ad eius ſalutem debet ordinari; infructuoſa enim, & ſterilis eſſet humilitas, niſi humilem ſaluando exaltaret, juxta verbum Domini: *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quare Bernardus poſtquam præfata ſuprà ad Eugenium ſuum ſcripſit *lib. 2. de conſider.* ſtatim ſubdit: *In acquiſitione ſalutis nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Contra ſalutem propriam cogites nihil. Minùs dixi. Contra: Præter, dixiſſe debueram. Quidquid ſe conſiderationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum.* Vt ergo conſiderata, & cogitata ad propriam ſalutem ordinet homo, fidem ſuam bonis operibus exornet; nullus enim adultus ſine fide formata charitate, & bonis actibus ditata ſaluatur. p.265.n.118

Tu quis es? In triplici ſtatu poteſt homo conſiderari: 1. in ſtatu naturæ integræ: 2. in ſtatu naturæ lapſæ: 3. in ſtatu naturæ reparatæ Chriſti beneficio ac paſſione. In primo ſtatu homo eſt aliquid, quia imago

Dei, rationalis, & juſtitiâ originali exornatus: eſt enim operum Dei epitome & miraculum, etiam in ſuo corpore. p.62.n.242

In homine quod non videtur, mirabilius eſt eo quod videtur. ibid.

Eius anima gratiâ fuit exornata in ſui infuſione in corpore Adami. ibid.

In ſecundo ſtatu, nempe naturæ lapſæ, homo nihil eſt, quia peccato omnibus bonis ſupernaturalibus exſpoliatus eſt, & in naturalibus ſauciatus, ac minoratus. Nam peccatum eſt maxima infirmitas, & ad nihilum ducit. p.86.n.330

Peccatum Dei imaginem deleuit ab homine, & à ſolo Deo hæc imago reſtituitur. p.90.n.347

In tertio ſtatu, nempe naturæ per Chriſtum reparatæ, homo fidelis multùm eſt, quia per Baptiſmum renaſcitur filius Dei. p.350.n.168.& ſeqq.

Homo baptizatus noua dicitur creatura, & in illo Chriſtus facit omnia noua. p.263.n.111

Homo Chriſtianus non ſolùm multùm eſt, ſed multùm habet; quia bonis Dei gaudet. p.361.à n.223.& ſeqq.

Ditior eſt Abraham fide, charitate, & gratiâ Chriſti nati, paſſi, ac rediuiui. p.362.n.231

Summo bono ditatur. p.363.n.238

Inſuper Chriſtianus homo multùm poteſt, quia ipſi ſuam Chriſtus tribuit virtutem. p.101.n.382.& ſeqq.

Cogitet ergo Chriſtianus quiſnam ſit: ſi Chriſto coniunctus inueniatur, multum eſt, multum habet, multum poteſt; ſi à Chriſto per peccatum ſeparetur, nihil eſt, nihil habet, nihil poteſt. p.97.n.370.& ſeq.

Ego vox Clamantis in deſerto. Meritò Ioannes ſe vocem dicit, quia eximius erat prædicator, & non tantùm verbis, ſed etiam operibus docebat populum, & Chriſtum indicabat. Itaque Ioannes totus erat vox, hoc eſt, lingua & manu, voce & opere prædicabat: audiebatur, dum videbatur; & dum videbatur, audiebatur. Vnde de eo ſcriptum eſt: *Erat lucerna ardens, & lucens.* Ioan. 5. 35. Dum enim totus ardebat, & lucebat, ardore, & luce omnibus loquebatur. Ioannem imitentur Concionatores & viri Apoſtolici: etiam non loquendo bonis operibus vocem emittant. Tunc eorum voces videbuntur, cùm eorum opera bona fulgebunt. p.215.n.343

Id etiam præſtent omnes Chriſtiani, & Chriſti voces bonis operibus euadant: de quolibet enim Chriſtiano dici debet, quod de Philoſopho dixit Tertullianus: *Philoſophus tunc auditur, cum videtur: etſi eloquium quieſcat, ipſe habitus ſonat: occurſu ſuo confundit vitia.* Ita planè fecit Noë, qui non loquendo, ſed operando, & arcam fabricando prædicabat. ibid. num. 344

Ego vox Clamantis in deſerto, &c. Vox ſanè fuit Ioannes, etiam in vtero matris, qui adhuc ſeipſum non ſentiens, dominicum ſenſit aduentum, & exultatione ac motu ſenſibili Chriſtum annuntiauit. pag.67. num. 259

Vox fuit Ioannes, & vocem emiſit adhuc in maternò concluſus vtero: nam vt de eo loquitur Chryſoſtomus apud Metaphraſtem menſe Iulio: *Nondum naſcitur, & ſaltibus loquitur: nondum apparet, & minas intentat; nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur; nondum ducit vitam, & Deum prædicat; nondum aſpicit lucem, & Solem indicat.* Non poſſunt homines in hoc Ioannem imitari, ſed ſaltem quamdiu fidei doctrinâ illuſtrati in gremio viuunt Eccleſiæ, ſancti Præcurſoris veſtigia ſequi ſtudeant ac ſatagant, Deique gloriam vel manifeſtare, vel augere, vel declarare contendant, ita vt ſint voces ſemper, & vbique Deum reſonantes, ſermone, actione, & paſſione: his enim tribus, & Ioannes, & Chriſtus Deum glorificauerunt, & debent viri Apoſtolici glorificare. p.222.à n.383.& ſeqq.

Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Rectè Chriſtus medius dicitur, quia lapis eſt angularis, qui Iudaicum, & Gentilem populum copulauit, & ex variis ac diſſonis nationibus vnicum Chriſtianum populum conflauit. Medius inſuper eſt in æterna ac increata Trinitate, vtpote ſecunda perſona, ac conſequenter inter Patrem & Spiritum ſanctum. Medius eſt in Incarnatione inter Angelos, à quibus aliquantulum minoratus; & inter homines, quorum caput, Saluator, & Redemptor eſt. Medius etiam fuit inter Mariam, & Ioſeph, tanquam lilium inter lilia. Medius in præſepi inter duo animalia. Medius in vita inter duodecim Apoſtolos, veluti Sol inter ſydera, veluti Rex inter Principes, & Dux inter milites. Medius in Cruce, inter duos latrones crucifixus. Medius poſt reſurrectionem, inter duos diſcipulos in Emmaus properantes: Semper igitur Chriſtus medius fuit, quia ſummus eſt Dei & hominum mediator redemptionis. p.470.n.716

Medius Chriſtus dicitur, quia operatus eſt ſalutem in medio Terræ. Cuius textûs pulcherrimas expoſitiones vide p.420.& ſeqq.n.519

Quem vos neſcitis. Mirum eſt ac ſtupendum, Deum ab hominibus neſciri; nam *non longè eſt ab vnoquoque noſtrûm; in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*, vt dicitur Act. 17. 28. Quare homo Deum, cuius eſt imago, ſemper intelligat, ac præſentem habeat. p.82. & 83. num. 318

Dominica IV. Aduentus.

Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ, &c. Luc. 3. A deſerto in regionem Iordanis venit Ioannes, vt Baptiſmum prædicet pœnitentiæ; quia à ſeculo ſegregatus, à vitiis purgatus, & vitæ auſteritate roboratus debet eſſe prædicator, vt homines ad pœnitentiam inducat: vnde & Chriſtus è deſerto veniens, poſt ieiunium quadraginta dierum, & non antea, cœpit prædicare, & dicere, *Pœnitentiam agite.* p.214.n.339

Prædicans Ioannes Baptiſmum pœnitentiæ terrebat auditores, & ipſos milites ad bonam frugem metu ſupplicij adigebat; quia prædicatores, vt tonitrua debent terrere auditores, & eos ad pœnitentiam impellere. p.216.n.345.& ſeqq.

Pœnitentiam prædicabat Ioannes, & audientes non ad riſum, ſed ad lacrymas mouebat, quod & debet præſtare vir Apoſtolicus; ideoque prædicatores nubes & columbæ appellantur, illorumque vox debet eſſe vox turturis. ibid.n.347

Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Infinita Dei bonitas duplex contra peccata hominum remedium ſuppeditat. Contra peccatum originale, & alia quæ ante ſuſceptam fidem perpetrantur, Baptiſmus ordinatur; contra verò peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa, pœnitentia tanquam remedium conceditur, vnde & *ſecunda poſt naufragium tabula* à ſanctis Patribus appellatur: nullum ergo peccatum homini viuenti eſt inſanabile, & Chriſto optimo medico nullum eſt immedicabile vulnus; nuſquam enim malitia hominum Dei ſuperare valet bonitatem. Vnde & Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. 12. de Niniue Aſſyriorum ſimul & flagitiorum metropoli, ſic ſcribit: *Niniue ciuitas erat inter Aſſyrios hominibus refertiſſima, peccatis naturæ terminos ſupergreſſa; non tamen diuina clementia metas exſuperabat.* Præſtantiſſimum igitur diuinæ Clementiæ munus eſt pœnitentia, quâ omne peccatum, licèt grauiſſimum, poteſt deleri. p.443.n.603

Semper

Semper poſt peccatum eſt pœnitendum. p.435.n.575

Videbit omnu caro ſalutare Dei. Ideſt, cognoſcet beneficium Incarnationis, & Chriſtum redemptorem confitebitur. Hoc certè impletum eſt Euangelij prædicatione, quâ in omnem Terram Apoſtolorum exiuit ſonus, & Chriſti miſericordia, ſeu Incarnatio in omnem orbis partem effuſa eſt. p.425.n.535

Omnis caro Dei ſalutare agnouit, dum Eccleſia Chriſti in omnem terram eſt dilatata, & vniuerſum in ſe concluſit mundum. p.16.n.48.& 49

Vnde, vt loquitur Hieronymus: *Totius mundi vna vox Chriſtus eſt.* Omnis caro ſalutare Dei videbit, quia Chriſtus ſpes omnium finium Terræ. p.425.n.535

In die Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Hodie intemerata ex Virgine naſcente Domino, totus cum authore ſuo renaſcitur orbis: cum illo denuo naſcuntur Angeli, quorum complentur deſideria, & ruinæ reſtaurantur. Enaſcuntur cœli, qui per totum mundum melliflui facti ſunt, & perennem diuinæ miſericordiæ rorem hominibus effundunt. Renaſcuntur ſydera, quæ noui ſolis fulgoribus, nouæ ſtellæ ſplendoribus etiam Reges ad tanti iubaris cunabula ducunt. Renaſcuntur homines, exoriuntur paſtores, quos lux cœlica circumfulſit, Angelica militia docuit, & ad Chriſti tranſmiſit præſepe. Naſcuntur iuſti cum iuſtitia miſericordiæ copulata. Naſcuntur peccatores cum Redemptore omnia peccata delente. Denique tota rerum omnium compago nouâ ſui Conditoris natiuitate iterum naſcitur, effloreſcit, reſtauratur. Meritò igitur magna cum exultatione ac ſummo cum gaudio feſtiuitas hæc ab hominibus celebratur, & Angelus paſtoribus ait: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* p.419.n.514

In Ioannis natiuitate multi gaudent, at in Chriſti natiuitate gaudium omni populo annuntiatur, quia Chriſtus Saluator omnium pro omnibus naſcitur. ibid. & p. 425. n. 534

Natus eſt vobis hodie Saluator. Chriſtus Dominus verè Saluator eſt hominum, quia per illum Dæmones ſuperantur, peccata remittuntur, & mors deſtruitur. p. 23. & ſeqq. à n. 81

Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Ciuitas Dauid erat Bethlehem: in illa natus eſt Chriſtus, iuxta vaticinium Micheæ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, ex te enim exibit Princeps: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Quod exponens Ambroſius *epiſt.* 18. inquit: *Bethlehem domus panis eſt; Ephrata domus furorem videntis: ecce tibi, vbi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna nocentium, ibi vniuerſorum redemptio;* nam Chriſtus ſummam bonitatis dulcedinem maximæ hominum furentium malitiæ oppoſuit: & in eodem loco vbi crudelitatem ſæuientem exercebant, miſericordiam effudit liberantem: ſiquidem de Virgine naſcens miſericordiam compaticorem induit, & exercuit. p.165.n.97

Summa Chriſti naſcentis miſericordia, quæ etiam ſeſe gentibus offerebat, Romæ viſibiliter apparuit in fonte olei transTyberim ipſo Chriſti natalis die ſcaturiente. p.154.n.50

Bethlehem vbi natus eſt Chriſtus, *Domus panis* interpretatur: vnde & Gregor. *hom.* 8. *in Euang.* de Chriſto inquit: *Bene etiam in Bethlehem naſcitur; Bethlehem quippe domus panis interpretatur: ipſe namque eſt, qui ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi.* Magna ſanè Filij Dei in homines dignatio: qui deitate panis eſt Angelorum, incarnatione factus eſt cibus viatorum. p.328.n.29. & ſeq.

Chriſtus factus eſt cibus hominum, vt ſingulos ſibi vniret. ibid.n.31

In Nazareth conceptus eſt, & in Bethlehem natus, & quare. p.329.n.32

In Ciuitate Dauid natus eſt, vt tanti Regis, ac Prophetæ, ex cuius ſtirpe ſecundùm carnem Chriſtus eſt natus, voto & deſideriis quodammodò ſatisfaceret: nam dum Dauid aquam de ciſterna Bethlehem poſtulabat, non aquam, ſed Chriſtum in carne ſitiebat. ibid. n. 33

Peperit filium ſuum primogenitum; non quidem poſitiuè, ita vt alios poſteà pepererit, ſed negatiuè: nam vt notat S. Thomas 3. *p. q.* 28. *art.* 3. *ad* 4. primogenitus vocatur non ſolùm quem fratres ſequuntur, ſed ille qui primus natus eſt. Nullum ergo alium præter Chriſtum Beata Maria peperit, cuius intemerata virginitas huic mundo edidit Saluatorem. Nam Virgo fuit ante partum, in partu, & poſt partum. Immò in partu non ſolùm eius Virginitas conſecrata fuit, ſed duplicata. p.160.n.80

Virgo Deum debuit parere. p.162.n.85

Vnde Auguſtinus ſic de illa eleganter ſcribit: *Concepit Virgo antequam ſponſum haberet; parit antequam nubat: & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & mater, & virgo cœpit eſſe poſt partum. Virgo enim concepit, virgo peperit, virgo poſt partum illibata permanſit. Quem cùm portaret, timuit: cùm pareret, adorauit: quem cùm peperiſſet, minor erat mater, quam filius.*

Ex Maria Virgine Chriſtus veluti Sol de ſtella natus eſt. p. 175. n. 144

Ex Virgine natus Chriſtus honorem carni reſtituit. p. 162. n. 86

Reclinauit eum in præſepio, vbi Chriſtus ſpecioſus formâ præ filiis hominum, ſplendor gloriæ Patris, & decus Virginitatis Matris, rapuit & attraxit cœlum & terram. p.161.n.85

Reclinauit eum in præſepio, vbi alimenta iumentorum poni conſueuerunt: vnde Beda de Chriſto ibidem collocato inquit: *Qui panis eſt Angelorum, in præſepio reclinatur, vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat.* Hoc præſtat Euchariſtiæ Sacramento, quo caro Chriſti, quam realiter etiam ore corporis manducamus, diuinam nobis vitam præſtat: vnde & communio dicitur Deifica, quia Deitatis conſortium tradit. p.77.n.301.& p.313.n.422.& p.317. n. 445.& ſeqq.

Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum. Regis ſui natiuitatem hymnis & canticis condecorant Angeli, quia Chriſti etiam vt hominis ſerui ſunt & famuli. p. 154. & ſeq. à n.52

Angelorum redemptor Chriſtus eſt, ſecundùm Bernardum. p.326.n.19

Et ideo Chriſto nato, ex abundanti gaudio cecinerunt. ibid.

Quomodo Chriſtus natus apparuit Angelis. ibid.

Chriſtum maximè laudabilem videntes Angeli, ipſum laudant. p.58.n.224

Verbum caro factum eſt. Vnio Verbi Diuini corpori & animæ, ac conſequenter toti humanitati Chriſti, hoc modo loquendi congruè exprimitur; quia caro eſt notior ac ſenſibilior pars humanitatis. Ex hac vnione caro Chriſti vitam communicat etiam mortuis, quos omnes ad vitam reuocabit. p.34.n.127

Verbum caro factum eſt. Ex Verbi incarnatione caro carni remedium præbuit, & ſupra ſpiritus Angelicos eſt exaltata. p.64.n.249

Verbum caro factum eſt. Ex quo caro Chriſti multùm prodeſt, quia diuino Verbo hypoſtaticè eſt vnita. p. 119. n. 450

Ex illa etiam vnione caro Chriſti eſt adoranda, etiam in Euchariſtia antequam manducetur. p.375.n.288

Dominica infra Octau. Natiuitatis Domini.

Et benedixit illi Simeon. Luc. 2. Hoc eſt, laudauit illum, ſeu vt exponit Hugo Cardinalis, *Gratias egit*, ob beneficium Incarnationis & Natiuitatis Chriſti. Simeonem imitentur Chriſtiani, & ob natiuitatis Chriſti beneficium gratias agant, Deumque hymnis & canticis laudent, immò & bonis operibus glorificent. p. 112. & ſeq. à n. 423

Gratiarum actio & laus Chriſti ſunt vituli labiorum. p. 112. n. 424.

Ad gratias agendum pro beneficio Incarnationis, anima Chriſti electa eſt. p. 113. n. 427

Et benedixit illi Simeon. Glorioſus ſenex diuinam in Chriſti incarnatione ac natiuitate miſericordiam ex intimo corde laudauit, dum Chriſto benedixit; quod illi ex ſpeciali gratia conceſſum eſt: nam miſericordiam Dei laudare magna eſt miſericordia. pag. 428. n. 549

Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. Non quidem ex ſeipſo, qui in bonum & ſalutem omnium venit, vtpote omnium Saluator; ſed ex praua habitudine, ac mala diſpoſitione accedentium ad illum: oculis enim ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis. Quod etiam patet in Sacramento Euchariſtiæ, vbi Chriſtus, qui vt vitam omnibus corpus ſuum manducantibus det, ſe cunctis exponit; tamen bonos fouet, & malos lædit ac interficit. p. 282. n. 223

Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum. Chriſtus omnibus vitam attulit, ſed plures illam recuſant. p. 309. n. 400

Etiam in Euchariſtia poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum, vbi duas facies habet. ibid. n. 401

Et in ſignum cui contradicetur. Chriſto corpus ſuum hominibus in Euchariſtia veraciter largienti, vt eius verba disertè oſtendunt, contradicunt hæretici, contra hoc Sacramentum adducentes ea quæ Gentiles contra Incarnationem opponebant. p. 345. n. 144

Et in ſignum, cui contradicetur. Huic ſigno contradicitur à falſis Chriſtianis, qui negant opere, quod voce confitentur, & Chriſti irriſores imitantur. Horum peccatum grauius eſt peccato crucifigentium. p. 266. à n. 122. & ſeqq.

In feſto Circumciſionis Domini.

Vt circumcideretur puer. Ad hoc venit Chriſtus, vt proprio ſanguine mundum in perſona hominis de maledicti fauce draconis eriperet, vnde octauo vitæ ſuæ temporalis die ſe Saluatorem oſtendit, dum ſanguinem fudit in Circumciſione. Eapropter non apud Gentiles, in quibus nulla erat circumciſionis lex, ſed apud Iudæos natus eſt, vt illorum legi obtemperans, citiùs & ſanguinem funderet, & dolorem ſentiret. Quod notauit D. Irenæus lib. 3. cap. 7. *Ideo*, inquit, *Chriſtus naſcitur in Iudæa, & non in Gentilibus, quia gentilitas carebat circumciſione.* Paſſionem igitur ſuam, & mundi redemptionem Chriſtus inchoauit in circumciſione. p. 415. & ſeq. n. 498. & 499

Vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſu. Sanguinis effuſione ac paſſionibus Chriſtus nomen Ieſu comparauit. p. 416. n. 500

Vocatum eſt nomen eius Ieſu. Nomen hoc Chriſtum pro peccatis omnium victimam, peccatoribus ſimilem, ac peccati charactere in Circumciſione ſignatum declarat. p. 415. n. 496

Vocatum eſt nomen eius Ieſu. Vt ſcilicet Chriſtum Saluatorem manifeſtaret, eiuſque miſericordiam declararet; nam propria Ieſu, ſeu Saluatoris operatio, eſt miſereri. p. 409. n. 469

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Hoc ergo nomen cœlum adorat, ſolum amat, infernus reueretur.

Primò cœlum adorat, quia boni Angeli Chriſtum huius nominis ſplendore veſtitum, Deum & hominem adorant. p. 64. n. 248

Chriſti maieſtatem & humilitatem in Incarnatione & Euchariſtia reuerentur. p. 65. n. 253

Angelorum panis Chriſtus, etiam vt homo poteſt dici. p. 326. n. 19

Chriſtus ruinæ Angelicæ reſtaurator, & Angelorum redemptor, ſecundùm D. Bernardum. ibid.

Angelorum caput Chriſtus, in quem omnes Angeli aſpiciunt. ibid.

Secundò nomen Ieſu ſolum amat; quia homines fideles in terra viuentes nomen hoc Saluatoris diligunt. Cùm enim nomina ſupponant pro rebus, Redemptorem & Saluatorem ſuum non poſſunt homines non amare: vnde in hoc nomine ſumma bonitas continetur. p. 410. n. 472

Dum Ieſum pronuntiamus, omne bonum in ſuo fonte nominamus. ibid.

Hoc nomen Ieſu, oleum effuſum eſt, quia lux, cibus, medicina; fouet ignem, nutrit carnem, vulnera ſanat. p. 159. n. 75

Nomen Ieſu magis honoratur, quàm nomen Deus. p. 417. n. 505

Ieſu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. p. 418. n. 508

Tertiò nomen Ieſu infernus reueretur, quia illud dæmones fugiunt, & timent: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Marc. 16. 17. illoque veluti ſigillo infernus obſeratus eſt, vt legitur in oratione Manaſſe regis Iuda. *Concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili & laudabili nomine tuo.* Vnde & Chriſtus dicitur habere claues mortis & inferni. p. 91. n. 348

Ieſu Chriſto cœlum, terra, & infernus, hoc eſt animæ in purgatorio ſub terra exiſtentes, genua flectunt, & laudes dicunt. p. 75. n. 291

In Epiphania Domini.

Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. Chriſtus Rex natus eſt ab æterno, æternâ ſuâ ex diuino Patris intellectu proceſſione. p. 145. & ſeqq. à n. 13

Chriſtus Rex etiam natus eſt temporali ex Virginis vtero natiuitate. p. 150. & ſeqq. à n. 32

Chriſtus in materno Virginis vtero Rex electus, vnctus & coronatus. p. 151. & ſeqq. à n. 35

Ibi integros habes diſcurſus.

Vidimus ſtellam eius, &c. Chriſtus verus iuſtitiæ Sol, inter homines naſcens, nouos vbique claritatis ſuæ ſplendores effudit, & non ſolùm ſpirituales confert hominibus illuſtrationes, ſed etiam corporales; nam vt loquitur Ambroſius: *Ipſo quodammodò tempora cùm Dominus naſcitur, conſequuntur augmentum, vno eodemque ortu lucem intulit hominibus & diebus.* p. 156. n. 61

Cur Chriſto naſcente, noua apparuit ſtella. ibid.

Chriſto naſcente tres in cœlo Soles viſi ſunt paulatim in vnum coëuntes. p. 135. n. 539

Dominica infra Octau. Epiphaniæ

Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Luc. 2. Vbi S. Ambroſ. lib. 2. in c. 2. Luc. *A duodecimo*, inquit, *anno Dominica ſumitur diſputationis exordium, hic enim prædicandæ fidei Euangelizantium numerus debebatur.* In duodeno Apoſtolorum numero Chriſti maieſtas ſplendeſcit, Eccleſiæ dignitas illuſtratur, & propria Apoſtolorum dignitas commendatur. p. 133. & ſeqq. à n. 530. ad 560

Poſt triduum inuenerunt illum in templo. Vbi Ambro-

ſtis loco elt. *Poſt triduum*, inquit, *repertitur in templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis, in ſede cæleſti, & honore diuino fidei noſtræ ſe ſuſcitatus offerret, qui mortuus credebatur.* Chriſtus ſæpe ſeipſum repræſentauit. p.391.n.376

Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Interrogat Chriſtus, vt doceat, & diuinæ doctrinæ pronuntiet oracula: omnis enim illuſtratio mentis, & feruor à Chriſto eſt. p.156.n.61

Interrogat Chriſtus, vt loquatur, & vt Verbum Diuinum ad homines miſſum doceat, ac paſtoris munus quod in Incarnatione aſſumpſit, incipiat exercere: homines enim tanquam oues proprias pauit verbo & exemplo. p.45.n.172. & p.50.n.192

Chriſtus doctrinâ, & verbo omnia reſtaurat. p. 47. n. 181

Felices qui Chriſti pueri in templo loquentis vocem audierunt: vox enim Chriſti conuertit peccatores, eorumque mentes illuſtrat, vt patet in Paulo & Centurione. p.48. n.184.& 185

Dolentes quærebamus te. Abſque culpa ſanctiſſimi Chriſti parentes illum amiſerant, & tamen ingenti eum dolore tantum theſaurum requirebant. Doleat ergo peccator, qui propriâ culpâ Chriſtum amiſit, & multis ſceleribus ſe ab illo ſubtraxit: *Neminem enim deſerit Deus, niſi prius ab illo deſeratur*; vt ex Auguſtino loquitur Concil. Tridentinum: ſeque miſerrimum abſque Chriſto agnoſcat; nam ſine gratia Chriſti inanis eſt homo. p.97.n.370

Dolentes quærebamus te. Non poſſunt non dolere, qui Chriſto carent; quippe ſine Chriſto eſſe, maximum eſt malum: vnde etiam qui regnat ſine Chriſto, miſer eſt, & malè regnat. p.169. n.115

Dolentes quærebamus te. Meritò dolet qui Chriſtum amiſit; omne enim bonum perdidit: nam Chriſtus eſt origo omnium bonorum. p.349. n.164

Priuatur inſuper omni benedictione, quia Chriſtus omnis benedictionis fons eſt, & ſubiectum, à quo in Chriſtianos multæ effunduntur benedictiones. p.362. n.232. & ſeq.

Dolentes quærebamus te. Qui dolendo, gemendo, ac flendo Chriſtum quærit, inuenit: quod enim contritione & lacrymis poſtulatur, obtinetur. pag. 448. num. 627

Dolentes quærebamus te. Dolendum dumtaxat pro peccato commiſſo, & pro Deo amiſſo. p.451. n.636

Et erat ſubditus illis. Quod exponens Bernardus *hom.* 1. *ſupra Miſſus eſt*, inquit: *Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare. Et erat ſubditus illis. Erubeſce ſuperbe cinis: Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit; & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori? Quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo.* Cùm ergo Deus parentibus mortalibus obediat, æquum eſt, vt nos in omnibus ipſi Deo obediamus: & tamen cùm pareant omnes creaturæ Domino, ſoli non obediunt peccatores. p. 149. & ſeq. à n. 28

Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe. Parentes carnales Chriſto ſunt poſtponendi, nec illis contra Chriſtum parendum. p.132.n.523. & ſeq.

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Deficiente vino dixit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent. Ioan. 2. Non rogata pro hominibus rogauit Filium ſanctiſſima Dei Genitrix, quia Euæ & omnium hominum filiorum eius eſt aduocata. p.465.n.694

Vinum non habent. Neceſſitatem oſtendit Filio B.Virgo & nihil aliud pronuntiauit, quia ſufficit indigentiam noſtram Deo humiliter, & confidenter exponere, vt ab illo adiuuemur. Sic etiam vſæ ſunt Lazari ſorores, dum Chriſto de fratre periculosè ægrotante dixerunt in epiſtola: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Ac ſi dicerent; vt notauit Auguſtinus tract. 34. in Ioan. *Sufficit vt noueris; non enim amas, & deſeris.* Nam oranti & venienti homini Deus magnâ ſe velocitate præbet. p.444.n.609

Vinum non habent. Dum oramus, imitemur mendicos, qui eleemoſynam petentes, vulnera & inopiam oſtendunt. p.454.n.646

Quid mihi, & tibi mulier: nondum venit hora mea. Hoc eſt, vt ibidem inquit Doctorum maximus S. Hieronymus, *nondum cognitus ſum ab his qui adſunt, ſed neque ſciunt; quoniam defecit vinum: ſine eos primùm hoc ſentire. Qui enim neceſſitatem non præſenſit, neque beneficij grandem ſuſcipiet ſenſum.* Vnde liquet in illis verbis nihil durum contra Genitricem Dominum fuiſſe loquutum: nam matrem Chriſtus nuſquam negauit, quam è cruce agnouit. p.132.n.523

Dixit mater eius miniſtris. Quodcumque dixerit vobis, facite. Quia ſciebat Filium ſuum propter illam magnum aliquid in fauorem conuiuarum operaturum: orationes enim Dei Genitricis exaudiuntur à Deo ob ſuam reuerentiam. p.475.n.742

Implete hydrias aquâ. Primum miraculum in aqua patrauit Chriſtus, quia nuſquam ſine aqua Chriſtus, & ſemper in aquis Chriſtus. p.355.n.196

Quæ in vinum conuerſa eſt. Prouidè, & ſapienter in primo omnium ſigno aquam Chriſtus mutauit in vinum, qui in vltima vitæ ſuæ cœna panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum omnipotenti ſermone transmutare volebat. Vnde conuerſio aquæ in vinum, præambulum fuit ad conuerſionem vini in ſanguinem ſuum. Nam miracula miraculis, & myſteria myſteriis comprobantur. p.249. n.27

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Ecce leproſus veniens adorabat eum. Matth. 8. Meritò leproſus beneficium à Chriſto petiturus ipſum adorat, quia qui orat, Dei maieſtatem, independentiam, bonitatem, ac miſericordiam debet agnoſcere, & propriam miſeriam ac indigentiam humiliter declarare. Sic enim oratio, quod petit, conſequitur; nam oratio humiliati, Deum attingit, & penetrat. p. 446. num. 616

Adorabat eum. Chriſti humanitas vt verbo Dei vnita, adoranda eſt adoratione latriæ. pag. 375. num. 287. & ſeq.

Vbicumque Chriſtus reperitur, eſt adorandus, quamvis ibi non ſit vt adoretur. p.376.n.292

Chriſtus in Euchariſtia eſt adorandus; in illa enim primò eſt vt manducetur; ſecundò vt adoretur. ibid.

Domine ſi vis, potes me mundare. Chriſtus vt Dominus & magiſter, bonorumque omnium propriâ authoritate diſpenſator, eſt inuocandus. p.464.n.689

Potes me mundare. Chriſtus eſt omnipotens, non præcisè vt homo, ſed vt homo-Deus. p.457.n.654

Extendens Ieſus manum tetigit eum dicens, volo, mundare. Ideo manum extendit, & leproſum tangit, quem vult ſanare, quia miracula Chriſti ab eius anima & humanitate, vt à Verbi Diuini inſtrumento procedebant. ibid.

Volo mundare. Chriſtus omnia verbo reſtaurat. pag. 47. num. 181

Et vt loquitur Sancta Agatha, ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa. p.331. n. 42

Chriſtus ſeipſo ſanat, medicus eſt, & medecina. p.157. num.67

Pue

Puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Quod exponens Chryſologus *ſerm.* 15. centurionem ſic loquentem inducit: *Puer meus. Meum dico, quia jacet: ſi tuus eſſet, Domine, non jaceret. Probat hoc Propheta cùm dicit*, pſal. 132. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini. Qui ſtatis, non jacetis, ait. Stant ſerui tui: hominum ſerui jacent. Puer meus, quia jacet: vt tuus ſit, ſurgat. Meus, quia paralyticus: vt tuus ſit, jam ſanetur. Meus, quia malè torquetur: vt tuus ſit, jam non ſit in pœna.* Maiori pœnâ torquetur anima peccatrix, quàm paralyticus ſeruus centurionis: peccatum enim eſt maxima infirmitas. p.86.n.330

Peccata animam faciunt paralyticam, & ab illa facultatem ſe mouendi ſupernaturaliter eripiunt. Vnde Prou. 5. 22. ſcriptum eſt: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Sicuti ergo corpus funibus alligatum & vinculis onuſtum nequit ambulare: ita anima peccatorum nexibus conſtricta, ſupernaturaliter nequit moueri. Dura igitur peccati ſeruitus. p.100. n.380

Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Humilitas in oratione Deum attingit & penetrat, immò & Deum ad ſe trahit. p.446.n.616

Non inueni tantam fidem in Iſraël. Fides Chriſtianæ ſalutis initium, eſt res pretioſa & diuina. p.251. n. 40

Fides eſt diſpoſitio ad gloriam, & pretioſum Dei donum. p.252. n.43. & ſeq.

Fides hominem errantem reuocat, & illum ad Deum dirigit. p.253.n.44

Multaque alia de fidei præſtantia & vtilitate habes ibid. à n.45. & ſeqq.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Aſcendente Ieſu in naviculam, ſequuti ſunt eum diſcipuli eius. Matth. 8. Sicuti milites Ducem, Principes Regem, filij parentem, radij ſolem, oues paſtorem, Diſcipuli Chriſtum ſequuntur. Illos imitentur Chriſtiani, & Chriſtum ſemper ſequantur cognitione, amore, & imitatione. Primò ſequantur cognitione, ipſumque ſemper præ oculis mentis habeant. Chriſtus enim totius ſanctitatis exemplar hominibus apparuit, vt eos ſanctificaret. p.51.n.195

Chriſtus operans nobis exhibetur, vt illum operantem videamus, & imitemur. ibid. n.196

Chriſtus totius ſanctitatis norma à nobis debet conſiderari, & vt Chriſtianorum, immò omnium hominum primus motor, princeps, & caput. p.52. num.198. & ſeq.

Conſideretur inſuper vt primogenitus in multis fratribus, & vt regula noſtra, in montibus Thabor, Caluariæ, & Oliuarum. p.53.n.202.& ſeqq.ad 205

Secundò ſequantur amore: cùm enim magnes amoris amor ſit, Chriſtum à quo tantoperè Chriſtianus diligitur, debet redamare. Chriſti amor erga homines in Incarnatione, Euchariſtia & paſſione infinitus. p.315. & 316. à n. 435. & ſeqq.

Chriſtum diligere debemus, quia nihil eo vel melius, vel pulchrius. p.316.n.439.& p.317. n.443

Tertiò ſequantur imitatione, eiuſque actiones quantùm in illis eſt ſtudeant exprimere. Quod etiam aliquando paſſione adimpletur, vt loquitur Apoſtolus 2. Cor. 4. 10. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Nihil enim Chriſtus vel egit, vel paſſus eſt, quod non ad noſtram ædificationem maximè conducat. Quare Auguſtinus *lib. de ver. Relig. c.* 16. inquit: *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit.* Vnde Chriſtianus debet Chriſtum imitari, & bonis operibus

R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Dei filiationem comprobare. p. 264 n.114.& p. 265 num. 115

Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ. p.264.n.112

Domine ſalua nos, perimus. Salus hominum duplex; alia in via, quæ juſtificat; alia in patria, quæ glorificat. p.246. n.12.

Vt homo ſalutem conſequatur, debet venire ad Deum motu ſupernaturali per fidem. p.247. n.15

Salus hominis gloria eſt Dei. p.346.n.146

Nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis. ibid.

Perimus. Deo miſeriam noſtram debemus exponere. p.443. n.605.

A Deo ſunt omnia bona hominis. p.452. n. 641

Homo eſt cuſtodiendus à Deo vt pupilla oculi, & quare. p.453.n.643

Deus in manu ſua tenet juſtos: ſi ab illa cadant, vt vaſa lutea confringentur. p.454. n.645

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Homo ille, qui bonum ſemen in agro ſuo ſeminauit, Chriſtus eſt, qui cùm Deus ſit, etiam creator exiſtit. p.82.n.315

Homini gratiam in creatione infudit, & conſequenter bonum ſemen in agro ſuo ſeminauit. p.62. n.242

Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici. Quod exponens S. Petrus Chryſol. ſerm. 96. *Ab inimico*, inquit, *ſuperſeminatum eſt malum. Malum non eſt à rerum parente procreatum. Et vidit Deus*, inquit Gen. 1. *omnia quæcumque fecerat, & erant valde bona. Bona, & valde bona: nam quem Deus faciens vocauit mundum, inficiens reddidit inimicus immundum. Et quid plura? poſteaquam eſt ipſe in dæmonem conuerſus ex Angelo, ne qua creatura in ſuo ſtatu conſiſteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit.* Vnde vt hominem perderet inimicus, falsò illi Deitatem cibi vetiti manducatione promiſit. p.24.n.83

Superſeminauit zizania. Diſſentiones & jurgia inter Chriſtianos ſeminare conatur dæmon, quia pax Chriſtianorum, dæmonum eſt bellum. p. 16. n.45

Superſeminauit zizania. Quia vt loquitur Auguſtinus, *Triumphus Dæmonum eſt diſſentio Chriſtianorum.* Vnde vt ſemper de dæmone triumpharent, mutuam dilectionem præcepit eis Dominus. p.126.n.488

Chriſtiani ſemper ad inuicem debent eſſe concordes; nam vna perſona cenſentur, & oculis propter maximam vnitatem comparantur. ibid.n.490

Superſeminauit zizania. Mirum eſt, ſeminata zizania ab inimico inter Chriſtianos creſcere & fructificare, cùm Dominus concordiam & charitatem in eis ſeminauerit: illos enim tanquam proprios filios ad inuicem fratres conſtituit, ex quadruplici capite. p.124. n.478. p.126. n.488.& p.127. n.491

Paci ergo ſtudeant Chriſtiani, vt æternam pacem conſequantur. p.132. n.521

Superſeminauit zizania in medio tritici: quia, vt inquit Chryſol. loco cit. *Diabolus hæreſes inter fideles, inter Sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſueuit.* At zizania, quod in perniciem Eccleſiæ ſeminat inimicus, Deus in bonum illius conuertit. Singulares enim Deus permittit defectus, vt bonum eliciat vniuerſale. p.90. n. 344

Dominica VI. poſt Epiphaniam.

Simile eſt Regnum cælorum grano ſinapis. Matth. 13. Quod exponens Hieronymus: *Regnum cælorum*, inquit, *prædicatio Euangelij eſt, & notitia ſcripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à*

vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ex qu a prædicatione fides in cordibus audientium oritur , tanquam planta ex grano ſinapis proueniens. Primò etenim minima videtur, ſed poſteà in excelſam & maximam arborem protenditur. Fides enim eſt ſalutis initium, & aliarum virtutum fundamentum. p.256.n.65

Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. Doctrina Chriſti in verborum ſimplicitate, & abſque ſecularis eloquentiæ fuco tradenda à Concionatoribus; non enim peregrino ſplendore, & alieno nitore indiget, vt recipiatur & ſuadeat: ſeipsâ pulchra eſt, quia vera & ſancta veritatem & ſanctitatem docet, & præbet: vnde Prædicatorum anteſignanis ſanctis Apoſtolis non floridas, ſed igneas linguas dedit Spiritus ſanctus. p.216.n.346

Fit Arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Per fidem ſupra omnem rem naturalem eleuatur homo, & per illam tanquam per oculum diuinum inacceſſa attingit. p.251.n.40

Per fidem etiam ſupra Angelos eleuatur homo; per illam enim attingit, quæ neſcit Angelus. p.252.n.42

Fides oſtendit in via inueſtigabiles diuitias Chriſti. p.257.n.68

Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Inter cætera Chriſtianæ Religionis arcana, nullum magis abſconditum videtur quàm Sacramentum Euchariſtiæ, à mundi conſtitutione omnibus hominibus naturali cognitione ignotum: eſt enim ſupra, præter, & contra naturam. p.245.n.5

Ad Euchariſtiam percipiendam magna fides requiritur. p.248.n.23

Euchariſtia *myſterium fidei* ab Apoſtolo appellatur, & non niſi poſt alia myſteria credenda proponitur. p.249.n.27

Euchariſtia eſt myſterium impenetrabile. p.271.n.145

Dominica in Septuageſima.

Simile eſt Regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. Quod exponens S. Gregor. hom. 19. in Euang. *Quis*, inquit, *patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet quam Conditor noſter, qui habet vineam, ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel juſto vſque ad vltimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot ſanctos protulit, tot palmites miſit.* Ad hanc ergo vineam primo mane mittit Dominus operarios, quos ab initio vitæ renatos fonte Baptiſmatis, Eccleſiæ ſuæ aggregauit: non enim illos poſuit, vt otioſi manerent, ſed vt per bona opera ſalutem ſuam, ac vocationē certam facere ſatagerēt. Nam fides ſine operibus mortua eſt. p.261.n.99

Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes, & dixit eis: Quid hic ſtatis totâ die otioſi? Horâ etiam vndecimâ, quæ ſenium deſignat, ad ſe Deus vocat homines. p.436.n.578

Nec ſenium, nec horæ extremitas excludunt à Dei miſericordia. p.435.n.570

Omni horâ diei operarios Deus vocat, & ad vineam ſuam mittit; quia omnibus, omni tempore, & omni loco miſericordiā offert. p.418. & ſeq. à n.509. ad 567

Voca operarios, & redde illis mercedem. Bonorum operum noſtrorum præmium æterna eſt felicitas: ſicut igitur *non coronatur, niſi qui legitime certauerit*, vt Apoſtolus ſcribit 2. *Tim.* 2.5. ita æternam gloriæ mercedem non recipiet, niſi qui bonis operibus illam meruerit: gloria etenim confertur adultis per modum præmij & coronæ. p.367.n.254

Merces bonorum operum eſt gloria, quæ ideo dicitur *Corona juſtitiæ.* p.413.n.487

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Quia vt notat ibidem S. Gregorius, *ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte regnum pauci perducunt. Ecce enim vox omnium Chriſtum clamat, ſed vita omnium non clamat: plerique Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* Illi igitur qui fidem habent, & illam bonis operibus non exornant, licèt vocati ſint, electi non ſunt: voce enim *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, vt dicitur *ad Tit.* 1. 16. Vnde & Chriſtiani non ſunt. p.263. & ſeqq. à n. 108. ad 121

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Vt vocatus ad Chriſti fidem & Eccleſiam electus ſit, debet eſſe noua Creatura, & tres projicere vetuſtates, & quas. p.263. n.111

Chriſtianus vt electus ſit, debet eſſe in Chriſto, & Chriſtus in Chriſtiano; ideſt, debet Chriſtum imitari, & bonis operibus Dei filiationem comprobare. p.264. n. 114. & p.265. n. 115

Dominica in Sexageſima.

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8. Quod exponens Doctor Angelicus in cap. 13. Matth. *Qui exiit*, inquit, *eſt Chriſtus; exiit enim tripliciter, ab occulto Patris, non mutans locum: item exiit ab Iudæa ad Gentes: item à profundo ſapientia ad publicum doctrinæ.* Nam Chriſtus, qui vt paſtor optimus venit in mundum, oues ſuas ſemine myſtico, nempe verbo & doctrinâ pauit. p.45. & ſeqq. à n. 173. ad 191

Seminare ſemen ſuum. Vbi S. Thomas inquit: *Chriſtus ſeminat, ſicut baptizat. Vnde omnis bona operatio eſt à Deo. Philip.* 1. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet. Et in hoc remouetur error dicentium, quod initium boni operis eſt à nobis.* Vnde liquet quod omnia bona noſtra ex Dei gratia proueniunt. p.97.n.371

Semen eſt verbum Dei. Vtique diuinum, & pretioſum, quo & Chriſtiani generamur, & geniti, tanquam cibo nutrimur. p.46.n.176. & 177

Nullus gregi Chriſti incorporatur, niſi per verbum Dei. p.48.n.186

Semen eſt verbum Dei. Diuinum ſanè, quo terreni homines Dij effecti, cœlos incolunt. p.49.n.187. & 188

Semen eſt verbum Dei. Vnde illud prædicando ſeminare, diuina eſt actio. p.212.n.329

Verba vitæ æternæ habent Euangelici prædicatores. ibid. n. 330

Verba Concionatorum ſint ſtimuli. p.217.n.347

Semen eſt verbum Dei. Immò & lac Apoſtolorum, quo geniti Chriſtiani verbo vitæ aluntur & ſuſtentantur. p.353.n.182

Verbum Dei, quod Chriſtianorum ſemen, & cibus eſt, magnâ cum reuerentiâ audiendum eſt, & ſuſcipiendum, quia *non minus eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti*, vt loquitur Auguſtinus. p.347.n.152

Aliud cecidit ſupra petram. Vbi Beda, *petram dicit durum & indomitum cor.* Peccatores enim obdurati, verbi Dei prædicatione non mouentur: cor namque eorum nec minis terretur, nec promiſſis emollitur, nec Deum timet, nec homines reueretur. Vide elegantem cordis duri deſcriptionem. p.88.n.339

Fructum afferunt in patientia. Vt verbum Dei, diuinum veluti ſemen germinet, creſcat & fructificet, in patientia eſt prædicandum. p.125.n.396

Hæreticos ad fidem adduxit S. P. Dominicus maximâ cum patientia verbum Dei prædicans. p.126.n.399

Verbum Dei etiam cum patientia audiendum, & ſuſcipiendum, quia patientes Chriſtiani Chriſto conjuncti. p.364.n.244

Patientiâ charitas conſummatur. p.365.n.247

Dominica in Quinquageſima.

Tradetur gentibus & illudetur, &c. & poſtquam flagellauerint,

Digitized by Google

rint, occident eum. Luc. 18. Chriſtum occidentes graviſſimè peccauerunt; Chriſtus tamen moriens fuit hoſtia præſtantiſſima. p.177.n.155

Poſtquam flagellauerint, occident eum. Mortem ſuam prædicit Redemptor noſter, quam etiam ab origine mundi pro nobis ſubire non dubitauit. Quomodo occiſus ſit ab origine mundi? p.311.n.414

Chriſti paſſio immenſum Dei amorem docuit homiues. p. 315. n. 437

Chriſtus amore traditus antequam à proditore traderetur, priùs amore mortuus, quàm paſſione. ibid.p.316

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Quod exponens Gregor. Magn. hom. 2. in Euang. *Iſte cæcus*, inquit, *eſt genus humanum, quod in parente primo claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur.* Vnde magna eſt cæcitas hominis peccatoris. p. 51. n. 294

Peccatores cæci, infirmi ac mortui. p.90.n.346

Clamanis dicens, Ieſu fili David, miſerere mei. Hoc eſt, vt Ambroſius interpretatur, *Homo pro hominibus factus miſerere hominis.* Rectè igitur cæcus Chriſti miſericordiam interpellat; eſt enim ſumma & immenſa, illamque Saluator optimus omnibus attulit, illamque omnibus, omni tempore, omni loco offert. p. 418. & ſeqq. à n. 509. ad 567

Miſerere mei. Dum à Deo miſericordia poſtulatur verbo *miſerere*, obtinetur, vt patet exemplis ex Scriptura depromptis. p.410.n.474

Domine, vt videam. Vbi S. Gregor. in homil. *Cæcus*, inquit, *à Domino non aurum, ſed lucem requirit.* Nam luce indigent peccatores, *vt quæ agenda ſunt, videant; & ad agenda quæ viderint, conualeſcant*, ſicut Eccleſia in collecta Dominicæ 1. poſt Epiphan. loquitur. Et ideo orandus eſt Deus, vt ſua fundat lumina. p. 453. num. 642

Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum. S. Gregor. *Videt, & ſequitur, qui bonum, quod intelligit, operatur. Videt autem, ſed non ſequitur, qui bonum quidem intelligit, ſed bona operari contemnit.* Non ſufficit ergo cæco illuminato videre, inſuper debet & Chriſtum ſequi: quia non ſufficit homini gratiâ Dei è peccatis eruto bona agnoſcere, niſi & bona opera ſtudeat Chriſtum ſequendo exercere. Chriſtiani igitur, qui de tenebris à Deo in admirabile lumen ſuum vocati ſunt, debent bonis operibus inſudare: inertes enim & pigri Chriſtiani non ſunt. p.263.n.111

Vt lucem, quam in juſtificatione recepit homo, valeat conſeruare, Chriſtum ſemper ſequatur, & imitetur, tanquam exemplar perfectiſſimum. Nam Chriſtiani vita pura debet eſſe vt pupilla oculi. p.453.n.643

Magnificans Deum. Quod exponens Chryſoſtomus: *Cæcus*, inquit, *& ante beneficium fidem oſtendis feruidam, & poſt beneficium beneuolentiam obſeruauit.* Nam gratitudo accepta beneficia multiplicat, & noua promeretur. p.6.n.2

Deum magnificantes, ſeu glorificantes à Deo glorificantur. p.377.n.299

Feria quarta Cinerum.

Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Ioël. 2. Immenſa planè bonitas Dei in hominem peccatorem: non ſolùm enim illum ad ſe reuertentem benignè ſuſcipit, ſed etiam errantem & fugientem, vt reuertatur, exorat. Vnde Tertull. lib. de pœnit. cap. 8. *Inauditum*, inquit, *miſericordiæ genus eſt, quod cum ſummo Dominus jure miſericordiam & veniam negare poſſet, non modò non neget, ſed ipſe etiam & velit, & roget, & minetur, niſi ad eum reuertaris, tanto ſalutis noſtræ tenetur amore. Tam pater nemo, tam pius nemo.* Maxima ergo Dei miſericordia, quæ peccatores anticipat, & non ſolùm per legatos, ſed & per ſeipſum obſecrat, vt ad illum redeant. p.444.& ſeq.à.n.610

Sola vox Dei hominem à peccato ſuſcitat, & ad Deum conuertit. p.91.n.349

Conuerſio peccatoris ad Deum eſt quædam reſtitutio. p. 441. n. 599

In toto corde veſtro, in jeiunio & fletu. Vbi S. Hieronym. inquit: *Vt nunc jeiunantes, poſteà ſaturemini: nunc flentes, poſteà rideatis: nunc plangentes, poſteà conſolemini.* Sic enim juxta Philoſophos omnia ex contrariis oriuntur, nempe ex motu quies, ex bello pax, ex triſtitia gaudium, ex opprobrio gloria, & ex humilitate exaltatio. Vnde cor noſtrum lacrymis liquefactum Deo debemus offerre. p.451.n.635

Lacrymæ priùs à corde fluant, quàm ab oculis: nam cum lacrymis compunctionis cor eſt effundendum. p. 447. n. 620

Lacrymis ſanguinem fundens anima mortis rea, in meliorem vitam reſurgit. ibid.n. 621

Lacrymis noxia vita funditur, & ſalubris recuperatur. p. 448. n. 623

In toto corde veſtro, & fletu. Cor ſine lacrymis contritionis, non modò durum, ſed impurum eſt. p. 451. n. 637

Ad Dei miſericordiam impetrandam, lacrymis poſtulanda eſt: vnde & Arbenis ſuſpiria & lacrymæ in ara Clementiæ offerebantur. ibid.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Matth. 4. Chriſtus tentari voluit, ſicut notat S. Thomas 3. *p. quæſt.* 41. *art.* 1. propter noſtram cautelam, vt nullus quantumcunque ſanctus ſe exiſtimet ſecurum, & immunem à tentatione: nam Chriſtiani vita, militia quædam eſt; debet enim ſemper militare contra tria, & quæ. p.265.n.115

Vt tentaretur à Diabolo. D. Auguſt. lib. 4. de Trin. cap. 13. *Chriſtus*, inquit, *diabolo ſe tentandum præbuit, vt ad ſuperandas eius tentationes mediator eſſet, non ſolùm per adiutorium, verùm etiam per exemplum.* Vt ergo tentantem diabolum vincat Chriſtianus, inuocare debet Chriſtum, & imitari, eiuſque auxilio & exemplo hoſtem infenſiſſimum ſuperare. Chriſtus enim clypeus Chriſtianorum, debet tanquam ſignaculum in fronte, corde & brachio Chriſtiani reperiri. p. 266. num. 119

Vt tentaretur à diabolo. Qui caput Eccleſiæ tentare auſus eſt, membra eius aggredi non formidat. Vnde ſi Chriſtus cum dæmone pugnauit, Chriſtiani cum illo certare non erubeſcant, illumque ſuperare conentur. Dum enim à diabolo tentantur & impugnantur, à Deo adiuuantur & roborantur. *Non ceſſat*, inquit Auguſtinus in pſal. 91. *Satanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum: ſatanas autem non cogit inuitum. In tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire.* Deus ſeruat hominem, & ipſi peccandi occaſionem eripit. p.453.n.643

Deus in manu ſua tenet juſtos: ſi ab illa cadant, ientante diabolo, vt vaſa lutea confringentur. p.454.n.645

Vt dæmon à nobis ſuperetur, Dei præſentia ſemper eſt quærenda, & diuinum auxilium jugiter implorandum. p.455.n.647

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Quod exponens Ambroſ. *lib.* 4. *in Luc. cap.* 14. inquit: *Quid ſibi vult talis ſermonis exorſus, niſi quia cognouerat Dei Filium eſſe venturum: ſed veniſſe per hanc infirmitatem corporis non putabat.* Cognoſcebat dæmon Chriſti futuram incarnationem ex oraculis Prophetarum, non ex propria ſcientia; Angeli enim cognitione naturali (quæ ſola in dæmonibus remanſit) non attingunt

myſterium Incarnationis. pag. 250. num. 36

Dic vt lapides iſti panes fiant. Sciebat dæmon Filium Dei poſſe ex lapidibus panes facere, quem nouerat *poſſe ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*, ex c. 3. Matth. Non petit diabolus homines, ſed panes fieri ex lapidibus: quia cibum diuinitati inuidebat; eſt enim homo cibus diuinitatis, panis verò humanitatis. Attamen lapides in homines tanquam in Dei panes gratiâ ſuâ Chriſtus tranſmutauit, dum illos in peccato veluti obduratos, ad pœnitendum excitauit: nam pœnitentiâ noſtrâ, nobiſque contritis Deus quodammodò paſcitur. p.327. n.25

Dic vt lapides iſti panes fiant. Sciebat diabolus Filium Dei, diuinâ, quâ pollet, virtute lapides in panes poſſe conuertere; vnde verbis ſuis hæreticos pſeudo-Chriſtianos confundit; hi enim Chriſtum, panem in corpus ſuum ſubſtantialiter poſſe in Euchariſtia conuertere, negare non verentur. Contra quos conuerſio panis in corpus Chriſti in Euchariſtia, quam Eccleſia Catholica tranſubſtantiationem meritò appellauit, ſtatuitur. p.117. à n.442.& ſeqq. & p.238. à n.448. & ſeqq.

Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Verbum Dei, cibus animæ, mentis reparat languores, & curat vulnera. p.46. n.177.& ſeq.

Vade Satana. Dæmoni ad exemplum Redemptoris debent reſiſtere Chriſtiani, vnde & ſcriptum eſt Iacobi 4. 7. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Roboratur autem Chriſtianus, vt pugnet contra diabolum ſanctiſſimo Euchariſtiæ myſterio. Nam Euchariſtia dæmonem torquet, vincit, ac confundit, vt gladius, ſcutum, & ignis. p.26. & 27. à n.91. & ſeqq.

Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Tanquam Regi ac Domino: etenim Angeli ſerui Dei ſunt: illorum Rex etiam vt homo Chriſtus eſt, illiſque dominatur. p.154. & ſeq. n.52

Angeli aſcendunt & deſcendunt ſupra Chriſtum, vt eius infirmitatem foueant, & ſtupeant maieſtatem. p.172. n.128

Non ſolùm Chriſto, ſed Chriſtianis miniſtrant Angeli, cuſtodientes Eccleſiam, per lilia aceruum tritici vallantia deſignati. p.16.& ſeq. n.51

Dominica II. Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius. Matth.17. vbi S.Thomas inquit: *Quare non omnes? Ad deſignandum, quod non omnes, qui vocati ſunt, peruenient ad gloriam.* Nam qui Chriſtum imitatione, & bonis operibus ad ſublimia aſcendentem non ſequuntur, coronam gloriæ non aſſequentur; fidelis etenim adultus bellare debet, vt gloriam conſequatur. p.350. n.171

Gloria confertur adultis per modum præmij & coronæ. p.367. n.254

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Vbi S. Anſelmus in homilia: *His tribus diſcipulis*, inquit, *per quos vniuerſi deſignantur electi, Dominus gloriam ſuam oſtenſurus, in montem eos ducit excelſum, vt doceant omnes qui hanc videre deſiderant, non in infimis jacere voluptatibus, non illecebris ſeruire carnalibus, non terrenis adhærere cupiditatibus, ſed æternorum amore ad ſuperna ſemper erigi, & angelicæ munditiæ, pietatis, & pacis, & dilectionis, & bonitatis, & juſtitiæ vitam, quantùm mortalibus poſſibile eſt, ſemper imitari debere.* Vnde de virtute in virtutem debemus procedere, & cum Chriſto ſemper à terra recedentes, ad excelſa properare. Ille enim totius ſanctitatis norma, regula noſtra, & exemplar noſtrum eſt, in montibus Thabor, Caluariæ, & Oliuarum. p.52.& 53. à n.198. ad 205

Transfiguratus eſt ante eos. In transfiguratione Chriſti, gloria animæ ad eius corpus extenſa eſt. p.169. n.89

In transfiguratione claritas corporis Chriſti, non fuit corporis glorioſi, ſed gloriæ. ibid.

Hic eſt filius meus dilectus. Vbi S.Leo Papa *hom. de transfigur.* eleganter ſic loquitur: *Hic eſt filius meus, non adoptiuus, ſed proprius; non aliunde creatus, ſed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: qui omnia quæ facio, ſimiliter facit, & quidquid operor, inſeparabiliter atque indifferenter operatur.* Chriſtus etenim eſt verus & naturalis Dei Filius, non autem adoptiuus. p. 151. n.36

Hic eſt filius meus dilectus. Vbi S. Leo citatus ſubdit: *Quem à me non ſeparat Deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas.* Etenim Chriſtus ſecundùm diuinam naturam Patri coæternus & conſubſtantialis exiſtit; eſt enim verus Filius Dei, lux, & omnis lucis origo. p.59. n.219

Prædicata quæ de Filio Dei dicuntur, etiam de Filio hominis dicuntur, & quomodo. p.81. n.315

Filij Dei, & Patris eadem eſt eſſentia, & potentia, cum diſtincta relatione. p.147. n.20

Hic eſt filius meus dilectus. Chriſtus æternus ac naturalis Dei Filius homines ſibi fratres, ac cohæredes adoptione quæſiuit. p.128. n.510

Ad filiationem naturalem Chriſtus electus eſt, ex quo homines ad adoptiuam filiationem electi ſunt. p.151. num.37

Filiationem adoptiuam per Chriſtum habemus, & filiationem eius naturalem participamus. p.349. n.165. & 166

Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. D. Auguſtinus in ſoliloquiis *cap.* 22. de Petro hæc verba proferente ſic ſcribit: *Omnium inferiorum oblitus clamauit, quaſi ebrius, dicens: Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Vnam ſtillam dulcedinis ille guſtauit, & omnem aliam faſtidiuit dulcedinem. Quid putas dixiſſet, ſi magnam illam dulcedinem diuinitatis deguſtaſſet.* Etenim omnem dulcedinem, & omnem delectationem recipit homo à gloria Dei, quæ magis illum delectat & ſatiat, quàm conuiuium. p.459. n.664

Beatitudo ſatiat omne hominis deſiderium: & per illam homo in gaudium Domini intrare dicitur. p. 462. num. 675

Dominica III. Quadrageſimæ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium. Luc. 11. Quis alius, niſi Ieſus Saluator optimus dæmonium poterat ejicere? Solus ille, qui nuſquam peccati labe pollutus fuit, nec conſequenter dæmonis ceſſit imperio, illum poterat debellare, & ex orbe terrarum, ac animabus, & corporibus hominum ejicere. Nam *in hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*, vt legitur 1. Ioan. 3. 8. Vnde à peccato, quo Chriſtianus diabolo ſubditur, nemo liberatur, niſi per Ieſum: ab illo etenim non ſurgit homo ſine diuina gratia. p. 90. num. 346

Erat Ieſus ejiciens dæmonium. Meritò Ieſum ejicere dæmonium dixit Euangeliſta: quamvis enim virtute diuina dæmones Chriſtus expulerit, tamen ad hoc non parum contulit titulus Saluatoris, & ſanctiſſimi nominis Ieſu maieſtas & potentia. Hinc Marc. 16. dixit: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Chriſtus ergo, quia Ieſus eſt, dæmonium ejicit, quia etiam ſuâ humanitate dæmones debellauit. Vnde & ſacro ſuo corpore in Sacramento Euchariſtiæ latitante, dæmones ſuperantur & ejiciuntur. pag. 23. & ſeqq. à num. 81. ad 97

Erat Ieſus ejiciens dæmonium. Dæmonem à corpore ſolus Ieſus ejicit, ſed peccatum nequit ab anima ſolus ejicere: gratia enim Chriſti, & cooperatio voluntatis humanæ ad hoc requiruntur. Vt enim ex Auguſtino tritum eſt: *Qui fecit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* Debet ergo peccator totis viribus gratiæ Dei collaborare, vt à peccato liberetur. Nam maius eſt à peccato, quàm à dæmone liberari. Vnde Chryſoſtomus hom. 28. in epiſt. ad Rom. *Peccatum*, inquit, *peius dæmone ejiciamus. Dæmon ſiquidem non omninò ſpoliat regno cælorum, ſed potius prodeſt modeſto & vigilanti: peccatum verò omninò excludit. Poteſt quis habere dæmonem ſine peccato, ſed non peccatum ſine dæmone.* Et hom. 41. in Act. idem Os aureum: *Non ita magnum eſt*, inquit, *à dæmone liberari, vt à peccato. Peccatum dæmone grauius eſt. Magnus dæmon peccatum eſt. Quod ſi abs te eieceris, maior tu eris, mihi crede, quàm qui dæmonia ejiciunt.* Maxima igitur, & dura eſt peccati ſeruitus. p. 100. n. 380

Peccati originalis remedium Baptiſmus: actualis verò eſt pœnitentia. p. 115. n. 437

Tenetur homo ſtatim à peccato recedere, & pœnitere. p. 441. n. 599

Pœnitentia, quâ à peccato liberamur, non debet differri vſque ad finem vitæ. p. 442. n. 601

Extollens vocem quædam mulier de turba dixit, Beatus venter qui te portauit. Non muta erat hæc mulier, ſed corde & animo Chriſtum extollere cupiens, etiam ſermone exaltauit, illumque beatiſſimum prædicauit, dum vel ipſum ventrem, in quo conceptus fuit, Beatum pronuntiauit. Hanc mulierem Chriſtiani imitentur, optimumque Redemptorem corde & ore, affectu & ſermone laudibus proſequantur: nam Chriſti laus ſonora ex intimo corde debet procedere. p. 106. n. 400

Mulier hæc, quæ Chriſtum laudat, ab Eccleſia omnibus in exemplum ponitur, vt ab omnibus imitetur; nam laudare Chriſtum eſt homini glorioſum. p. 108. num. 407

Laudes Dei laudantibus, & aliis cœlum aperiunt. ibid. num. 409

Laudantibus ſe Deus adeſt, & ſe glorificantes glorificat. p. 109. n. 410

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. De præſtantia, neceſſitate, & vtilitate verbi Dei, vide p. 45. & ſeqq. à n. 173. ad 191

Concionatorum ſermones, Dei ſermones cenſentur, quia omne verbum prædicatorum à Chriſto procedit. p. 211. n. 326

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Abiit Ieſus trans mare Galileæ, & ſequebatur eum multitudo magna. Ioan. 6. Mirum eſt maximam multitudinem in deſertum trans mare Galilææ Chriſtum Dominum ſequutam fuiſſe: & modò tam paucos Chriſtum in labore & bonis operibus ſequi. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, quia pauci ſunt, qui Chriſtum in deſertum ſequantur imitatione, & bonorum operum exercitio; nam laborauit ſemper Chriſtus. p. 264. num. 114

Et ideo in laboribus, tribulationibus, & paſſione Chriſtiani Chriſto debent conformari. p. 363. & ſeq. n. 239. & 240

Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum. Meritò Chriſtus Dominus ſubleuat oculos, vt hominum multitudinem ad ſe venientem intueretur. Erga illos maximum habebat affectum, ita vt illos in corde geſtare videretur. Cùm ergo oculi, animæ motus, & cordis affectiones ſequantur, vnde & de illis dixit Poëta, *ſunt in amore duces*: rectè ſuos ad illos, quos diligit homines, Redemptor noſter oculos conuertit; nam *vbi oculus, ibi amor; & vbi errat oculus, ibi errat affectus.* p. 387. num. 356

Oculi Domini fouent homines, ſicuti ſolis aſpectus fouet terram. p. 454. n. 644

Diuinæ huius conſeruationis typus eſt aſpectu ſuo ſtruthio; oua enim ſua fouet oculis. p. 93. n. 357

Vnde ememus panes, vt manducent hi. Rectè poſtquam multitudinem aſpexit, hæc verba profert, quibus erga illos homines amorem ſuum, & bonam voluntatem manifeſtat; amor enim ab oculis ad cor tranſit. Summus eſt Chriſti amor in homines, propter quos è cœlis in terram deſcendit, mortem paſſus eſt, & ſemetipſum ſub ſpecie panis præbuit alimentum. p. 315. & ſeq. n. 436. & 437

Accepit ergo Ieſus panes. Quia vt loquitur D. Gregorius: *Amor Dei nuſquam eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt.* Ideo poſtquam oculos aſpectu, & cor ſermone hominibus, quos Chriſtus diligit, dedit, etiam manus actione, & præſtanti munere donat, vt ex omni capite eius in illos dilectio perfecta videretur. At parum fuit Saluatori hordeaceos panes famelicis hominibus in corporalem erogare ſuſtentationem, eiſdem ſemetipſum in refectionem tradidit animarum; ipſe enim, & Incarnatione, & Euchariſtiâ panis factus eſt hominum. Primùm enim incarnatione panis ſpiritualis, qui fide, & amore recipitur: ſecundò in Euchariſtia panis ſacramentalis, qui etiam ore corporis ſub ſpecie panis materialis editur, vt animam reficiat, factus eſt. Quod oſtenditur. p. 328. & ſeqq. à n. 29

Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Ex quinque panibus hordeaceis, & duobos piſcibus ingentem illam moltitudinem amantiſſimus noſter ſatiauit Redemptor; verùm nobiliori modo Chriſtianos homines proprio corpore & ſanguine ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtiæ reficit Sacramento: nam mirabili hoc alimento triplicem vitam dignè ſuſcipientibus præſtat; dat enim vitam temporalem, ſpiritualem, & æternam. p. 311. à n. 413. & ſeqq.

In conuiuio Euchariſtiæ Chriſtus Aſſuerum regem ſuperat. p. 169. n. 118

Regis Salomonis magnificentia à Chriſto in Euchariſtia ſuperata. p. 372. n. 267

Accepit ergo Ieſus panes. Panis Euchariſtiæ præſtantiſſimus eſt; ſolus enim hic panis vinus poteſt appellari triplici ratione. p. 104. n. 393. & pag. 114. n. 432

Dominica in Paſſione.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. Nullum prorſus in Chriſto potuit eſſe peccatum; ſi enim vel minimum fuiſſet, Deus non fuiſſet. Dei etenim bonitati, ſapientiæ, ac omnipotentiæ peccatum omninò repugnat. p. 85. & ſeq. n. 328. & 329

Chriſtus eſt impeccabilis, & ideo robuſtus, & vir, etiam in materno vtero appellatur. p. 86. n. 331

Quis ex vobis arguet me de peccato? Chriſtiani Chriſtum ſequi, & eius veſtigia terere conentur, ac immunes à peccato viuant. Nam Chriſtianæ vitæ eſt declinare à malo, & facere bonum. p. 52. n. 197

Chriſtianus baptizatus in ſenſu compoſito non poteſt peccare. p. 352. n. 176

Ego honorifico patrem meum. Chriſtus ſplendor gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ eius, vt loquitur Apoſtolus *Hebr.* 1. Patris honorem per totum vitæ decurſum ampliare, ac propagare ſtuduit: vnde & ipſum glorificauit ſermone, actione, & paſſione. p. 22. n. 385.

Et

Index pro Concionibus.

Et vos inhonoraſtis me. Peccatum Deum inhonorat, eiuſque gloriam obnubilat, præſertim peccatum Chriſtianorum, quod cæteris, ipſoque crucifigentium peccato, grauius eſt. p.267.n.126

Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo; vt ſcilicet à Iudæis illum lapidare volentibus declinaret. Vbi aduertendum, quod Dominus à Iudæis non recederet, niſi priùs iſti ab illo odio, & inuidiâ receſſiſſent. Tanta enim in hominem Dei eſt bonitas, vt ab illo prior non recedat; neminem enim deſerit Deus, niſi priùs ab illo deſeratur. p.89.n.341

Hominem aliquando Deus indurat bonitate, & patientiâ ſuâ, & quomodo. ibid.n.343

Et exiuit de Templo. Homo Chriſtianus myſticum Dei templum eſt: nam *anima iuſti ſedes eſt ſapientia*; & vt inquit Apoſtolus 1. Cor. 3. 16. *Neſcitis quia Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* De hoc templo exit Chriſtus propter peccata, & longam in peccato conſuetudinem; & exeondo, gratiam à peccatore ſubtrahit: nam peccatoribus obduratis, & excæcatis aliquando Deus ſubtrahit auxilia, in pœnam præcedentium peccatorum. p.436.n.581

Aliquando dum vult peccator, non poteſt: quia dum potuit, noluit. p.437.n.584

Dominica in Ramis Palmarum.

Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi, &c. Matth.21. Chriſtus venit ad homines tanquam Rex gentium, & Saluator earum. Venit etiam vt Iudæorum Princeps, & illorum Redemptor: nam ad ſaluandum vtrumque populum *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Hodierna autem die Hieroſolymam ingrediens regio apparatu, Rex hominum apparuit, quia duo pro hominibus patrare veniebat miracula, quæ ipſum ſummum Regem declarant. Veniebat enim vt corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum in Sacramento Euchariſtiæ præberet hominibus feriâ quintâ ſequenti: & feriâ ſextâ immediatè venturâ totum humanum genus ſanguinis ſui effuſione, & morte in cruce redimeret: nam Chriſtus Rex eſt in paſſione, ſeu in cruce, & in Euchariſtia. p.170.n.123.& ſeqq.

Venit tibi manſuetus. Propter ingentem miſericordiam, quam omnibus hominibus obtulit, omni tempore, & omni loco. p.418.n.510

Alij cædebant ramos de arboribus. Vtique oliuarum, illoſque ante Chriſtum ciuitatem ingredientem deferebant. Vnde Eccleſia in antiphona: *Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum, &c.* Hoc autem ſpeciali prouidentiâ factum eſt, vt ſcilicet Chriſti miſericordiam poſtularent, & obtinerent. Antiquitus enim veniam poſtulantes, & oliuarum ramos offerentes impetrabant. p.196.n.248

Gloria Chriſti eſt quaſi oliua, quia ex maxima eius miſericordia in omnes effuſa eſt. p.422.n.526

Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, &c. quia omnes, ſiue qui Chriſti Incarnationem præceſſerunt, ſiue qui illam ſequuti ſunt, debent Chriſtum inuocare, & in ipſum credere, vt ſaluentur. Cùm enim omnium hominum ſit redemptor, in illum crediderant plurimi, etiam ante incarnationem: nullus enim homo ſaluatur, niſi per Chriſtum. p.66.n.255.& p.68.n.262

Clamabant dicentes: Hoſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini. Rectè turbæ canunt Chriſto, vt eum laudent, & ab eo neceſſaria ad ſalutem conſequendam accipiant, quia Chriſtus eſt maximè laudabilis, & vt talis ab Angelis & hominibus laudatur. p.58.n.224.& 225

Chriſto corde & linguâ canit Eccleſia Militans. p. 67. num. 256

Chriſto hymnos antelucanos primi Chriſtiani canebant. p.70.n.269

Benedictus qui venit in nomine Domini. Rectè à turbis Chriſtus benedicitur, quia omnis benedictionis fons eſt & ſubiectum, & ab illo in homines multæ dimanant benedictiones. p.362.n.232.& 233

Feria quinta in Cœna Domini.

Ante diem feſtum Paſchæ, &c. Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 13. Summa fuit profectò dilectio, quâ Chriſtus Filius Dei, filius hominis ex intemerata Virgine, vt ſaluaret homines, natus eſt: verùm maior fuit illa, quâ pridie quàm pateretur, ſemetipſum hominibus in Euchariſtia donauit in cibum. Hoc expreſſit Euangeliſta dicens, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Quando enim corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potum ſub ſpeciebus panis & vini hominibus contulit, ad vltimum ſui terminum, hoc eſt, ad omnem conſummationem & perfectionem ſuum perduxit amorem. Chriſti quippe amor in Euchariſtia fuit infinitus, & non minor quàm in paſſione. p.315.n.437

In Euchariſtia mors Chriſti renouatur amore. ibid.p.316

In finem dilexit eos. Hoc eſt, vltra finem; vt enim exponit Hieronymus illud pſal. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem*, ly *in finem*, ideſt ſine fine: ac ſi ibidem Pſalmiſta dicat, *ſine fine viuet vltra in ſempiternum.* In finem igitur Chriſtus in Euchariſtia homines dilexit, quia vltra finem, & vltra terminos, & ſine fine adamauit. Nam amor Chriſti in Euchariſtia metas omnes tranſgreditur. p.285.n 242

In finem dilexit eos. Hoc eſt, *ad victoriam* dilexit eos, iuxta Scripturæ phraſim: pſalmi enim qui inſcribuntur *in finem*, idem eſt, ac ſi *ad victoriam* inſcriberentur, vt paſſim in pſalmos notat Auguſtinus. Vnde Titulus pſalmi 4. *In finem in carminibus*, à Septuaginta vertitur, *Vincenti in carminibus, ſiue ei qui cæteros ſuperat.* Et D. Hieronymus ex Hebræo legit, *Triumphanti, vel victori.* Chriſtus igitur in die ante paſſionem homines dilexit in finem, quia vicit omnia amorem retardantia impedimenta. Illorum ſiquidem ſuperauit ingratitudinem munificentiâ, crudelitatem bonitate, ferocitatem patientiâ, & dum ab illis mortem crucis recipit, æternam eis diuinæ Euchariſtiæ edulio vitam parat. Vnde Euchariſtia eſt amor amorum, & per illum Chriſtus in nos amoris ſui ſagittas iaculatur. p.307.n.387

In finem dilexit eos; hoc eſt, omnem dilectionis ardorem, antequam moreretur, Euchariſtiæ munere hominibus contulit: vt enim Guerricus Abbas loquitur, *omnem vim amoris effudit, antequam ſicut aqua effunderetur.* Cùm ergo amor *magnes* ſit *amoris*, amore Chriſti ad illius trahamur amorem; & hoc ſacroſancto corporis Domini myſterio; nam Euchariſtia velut ignis diuinum amorem accendit. p.316.n.440

In finem dilexit eos: nam vt ait ibidem Venerabilis Beda, *in tantum dilexit eos, vt moreretur pro illis.* E duobus igitur ſumma Chriſti in homines elucet dilectio, ex maximo corporis & ſanguinis ſui dono, & ex acerbiſſima in cruce mortis paſſione. De primo loquens Auguſtinus tract.84. In Ioan. inquit: *Dicere audeo, quod Deus, cùm ſit potentiſſimus, plus dare non potuit; cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſciuit; cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Vnde Euchariſtia eſt donum omnium præſtantiſſimum, & affectu dantis, & dignitate rei datæ, & modo donandi. p.111.n.418. & 419

Secundum autem, nempe paſſio Chriſti, ex ſummo

amore

amore proceſſit : nam immenſitatem diuini amoris docuit homines. p.315.n.437

Lauit pedes eorum. Mirum eſt, Chriſtum Dominum ſuorum lauiſſe pedes diſcipulorum, à quibus tamen ſuos noluit pedes lauari, & quare. p.449.n.629

Feria VI. in Paraſceue.

Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron. Summâ velocitate ad mortem currit Chriſtus, ex ſumma charitate, quâ pro hominibus mortem ſubire cupit. Qui enim in Ieruſalem ad feſtum Paſchale, ceu vera victima, & verum paſcha venerat, nunc extra Ciuitatem exit, vt ibi immolandus inueniatur, & à turba in horto capiatur, & ad judices morti eum addicentes ducatur. Hinc eſt, quod ad Hieruſalem veniens, & ad paſſionem currens, non ſolùm Apoſtolos, ſed ſeipſum præceſſit deſiderio, affectu, & oculis. p.387. num. 355

Adeo Chriſtus pro nobis mori deſiderauit, vt Iudæorum mortem ſuam vehementer cupientium diligentiam ſuperauerit. p.388.n.356

Vt Chriſtus citiùs pateretur, & mortem in ſe veluti concitaret, Iudæorum excitauit inuidiam, dum triumphans, & palmarum, oliuarumque ramis ſtipatus in Ieruſalem venit. ibid.

Paſſio Chriſti longa & diuturna fuit; per totum enim vitæ decurſum paſſus eſt : nam eius paſſio incœpit in illius Circumciſione. p.416.n.499

Quod facis, fac citiùs. Summoperè mortem ſuam cupiebat : *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſquedum perficiatur*, dicebat Dominus *Luc.* 12. 50. Vnde ad paſſionem feſtinauit, & ideo diligentiam ſuaſit proditori. p.387.n.356

Paſſus eſt Chriſtus ab origine mundi in omnibus Martyribus, & tandem in ſe patiens, deſiderio expleto lætatur. p.388.n.359

Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quomodo Chriſtus triſtatur vſque ad mortem, dum morti appropinquat, qui vehementi adeo deſiderio mortem ſubire cupiebat? Sed triſtis fuit, non metu mortis ſuæ, ſed morâ redemptionis noſtræ. ibid.

Factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram. Sudor iſte, quidam fletus S. Bernardo viſus eſt : nam ſerm. 3. Dom. Palmar. *Factus*, inquit, *in agonia orabat. Vbi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleuiſſe videtur, vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius lachrymis corporis purgaretur.* B. autem Ioannes Taulerus noſter, ſudorem iſtum ex nimio Chriſti erga homines amore proceſſiſſe exiſtimauit, *de paſſ. Dom.* vbi inquit : *Amor validus ſanguinem fortiter extulit, ita vt in hac præclara victoria, ex ſubita violentia ſanguis ex poris omnibus nimio labore patefactis abundè deflueret in terram.* Si ergo pro nobis ex membris ſuis omnibus fletum ſanguineum, ſummo excitante amore, abundanter effudit, nonne ipſum toto corde diligere debemus? Tunc enim maximè amabilis apparet; nam Chriſtus quo pro nobis vilior, eo amabilior. p.346.n.145

Quæ Chriſtus tolit in paſſione, tanto eo digniora, quanto ſaluti humanæ conuenientiora. ibid.n.146

Sicut gutta ſanguinis decurrentis in terram. Quia Chriſtus non pro Angelis in Cœlo Empyreo productis, ſed pro hominibus terra genitis, & terram incolentibus patiebatur : hi enim dumtaxat redempti, & ſanguine eius mundati ſunt; nam Chriſti paſſionis effectum non recipiunt Angeli, ſed tantùm homines. p.66. num. 253

Ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos. Iudas electus eſt ad fundendum ſanguinem Dei, & Apoſtoli electi ſunt ad regnum Dei, ex *R. P. Car. Bonquin Comm. in Proſam D. Thom.*

Sancto Auguſtino. p.88.n.336

Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Oculi Domini vitam conferunt hominibus, & miſericordiam infundunt, vnde dicebat Pſalmiſta : *Reſpice in me, & miſerere mei*, pſal. 24. Vnde Chriſtus Petrum negantem aſpectu ſuo reuocauit. p.448.n.624

Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè. Foras Petrus egreditur, vt lachrymis delictum abluat, & ne veniam ante fletum poſtulans, plus offendat. ibid.

Petrus poſtquam Chriſtum negauit, linguâ illum non eſt confeſſus, ſed oculis : quod enim voce negauerat, lacrymis eſt confeſſus. ibid.n.625

Peccaui tradens ſanguinem juſtum, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Magis peccauit Iudas deſperatione, dum laqueo ſe ſuſpendit, quàm Chriſti proditione. p. 443. num. 603

Iudas ſuſpenſus crepuit medius, quia indignè, & non purgatus à ſcelere, ſacram Euchariſtiam acceperat. p.301. n. 350

Interrogabat autem eum Herodes multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Cur Chriſtus ab Herode multis ſermonibus interrogatus nihil illi reſpondet. p.166. num.102

Herodes vt Chriſtum ad loquendum, & patrandum miraculum inducat, ipſi blanditur, & coronam capiti eius imponit. ibid.n.103

Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ. Contra propriam mentem Chriſtum honorauit Herodes, dum illuſit, & illum albâ veſte induit; nam hoc veſtimento illum Regem, Victorem, Pontificem, & Deum declarauit. ibid. num. 104

Sedente autem Pilato pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens : Nihil tibi, & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Viſio vxoris Pilati tempore paſſionis Chriſti, fuit à Spiritu ſancto. p. 426. num. 541

Hæc vxor Pilati, quæ Claudia Procula dicebatur, & cuius meminit Apoſtolus, fidem & ſalutem conſequitur. ibid.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, acceptâ aquâ, lauit manus coram populo, dicens : Innocens ego ſum à ſanguine juſti huius. Pilatus Chriſtum abſoluit judicio, crucifixit myſterio. p.116.n.101

Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Coronæ ſpineæ Chriſti Domini egregium in annulo Salomonis ſymbolum, in cuius pala, corona aurea ſpineæ inſerta videbatur, cum hac epigraphe, *Victoria amoris.* p.167.n.106

Chriſtus ſpineâ coronâ redimitus omnia vincit, & Regiâ fulget maieſtate. ibid.n.108

Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum. Chriſtus à militibus Rex ſalutatur, coronatur vt victor, adoratur vt Deus. p.167.n.105

Et duxerunt eum vt crucifigerent. Supplicium crucis glorioſum fuit Chriſto, quia in illo triumphauit. p.165. num. 98. & 99

Crux Chriſtum exaltauit, & ab illo exaltata eſt; nam ex eius membris pulchra euaſit. ibid.n.100

Sublimitas, maieſtas, & fortitudo Chriſti in cruce. p.168. num. 112. & 113

In cruce Chriſtus Sacerdos & Pontifex, quam ſuo ſanguine dedicauit altare. p.177.n.154. & ſeq.

Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Regia dignitas Chriſti, illius mortis cauſa fuit : vnde & à Regia maieſtate cruci confixus fuit. p.165.n.101

Titulus crucis Chriſtum maximum Regem indicat. p.168.n.110

Cur titulus crucis Hebraïcè, Græcè & Latinè eſt

exaratus. p.426.n.540

Si Filius Dei es, deſcende de cruce. Cur Chriſtus de cruce noluit deſcendere. p.168.n.111

Chriſti fortitudo eſt crux, quâ orbem à peccato concuſſum firmauit. ibid.n.113

Chriſtus extra vrbem Crucifixus eſt, & quare. p. 178. num. 160

Chriſtus in cruce obtulit holocauſtum, in quo charitas loco ignis fuit. p.179.n.161

In cruce Chriſtus exaltatur, vt ſanctificet aërem: in ea manus expandens moritur, vt altera manu Iudæos, altera Gentiles ad ſe trahat. ibid.n.162.& 163

Chriſtus in alto mori voluit, vt morte ſuâ hominibus in cœlum paret aſcenſum. ibid.n.163

Per crucem captiuos liberauit, & ad cœlum ſubleuauit. ibid. n. 164

Chriſtus in cruce pro omnibus hominibus paſſus eſt, & pro illis, vt illorum caput ſatisfecit. p. 182. n. 178.& p. 420. n. 517

Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus blaſphemabat eum dicens, Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos. Quomodo his verbis pendentem in cruce Dominum blaſphemabat latro. p.369.n.261

Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. E duobus latronibus in cruce cum Domino pendentibus, vnus ſaluatur, vt ſperemus; & vnus damnatur, vt timeamus. p.440.n.596

Verba Chriſti ad latronem nobis timorem incutiunt. ibid. n. 597

Latronem illum conuertere, & ad cœlum deducere, non minus fuit, quàm concutere & ſcindere petras. ibid. p. 441

Ex ſingulari latronis conuerſione nemo confidat, vel inaniter ſperet. ibid.

Vt conſummaretur Scriptura, dixit, Sitio. Chriſtus deſiderium ſuum ſitim appellauit. p.459.n.662

Sitis Chriſti benedicta, & quare. ibid.

Chriſtus cur in cruce clamauit *Sitio.* ibid.

Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Emiſit ſpiritum Chriſtus Dominus, & crucifixus eſt in eodem loco, vbi Adamus ſepultus eſt, & quare. p.409.n.467

Chriſtus moriens in cruce pro nobis factus eſt peccatum, & quomodo. p.415.n.496

Moriens in cruce Chriſtus omnia attraxit, licèt omnia non fuerint attracta. p.421.n.520

Chriſtus ſanguinem ſuum crucifixoribus obtulit medicamentum. p.425.n.537

Sola mors Chriſti, non Sanctorum, fuit pro nobis propitiatio. p.471.n.724

Crux Chriſti ſimilis areæ, homines Chriſti cruore erigit, illiſque veluti ſcala, gradus præbet vt in cœlum aſcendant. p. 179.n.162.& 164

In die ſancto Paſchæ.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Matc. 16. Sanctarum ſolicitudo mulierum vnguentum ementium ad Chriſti corpus vngendum, ex ardenti procedebat amore; vnde & à Chriſto viſione Angelica, & reſurrectionis nuntio præmiatur, immò & illius apparitione. Verùm inter illas mulieres ſpeciali apparitione Chriſtus Magdalenam donauit, cui & loquutus eſt: & licèt illi ſe tangendum negauerit, illam tamen in fronte tetigit. p.207.n.305.& p.266.n.121

Viderunt iuuenem ſedentem in Dextris, coopertum ſtola candida. Quia mors Chriſti homines ab æterna morte eripuit, & illis obtinuit glorioſam immortalitatem, ideo Angelus omninò immortalis ac æterna gloria donatus, in Chriſti monumento ſedet. Vnde vt loquitur Chryſologus; *Domus mortis manſio fit vitalis.* Rectè autem Angelus ſtolâ candidâ coopertus apparuit, non ſolùm vt illius coloris ſplendore Chriſti Regis mortis victoris triumphum teſtaretur, ſed vt oſtenderet Angelos eſſe lilia aceruum tritici vallantia, hoc eſt puros ac fulgidos ſpiritus Eccleſiam cuſtodientes. p.16.n.51

Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum. Crucis, in qua pependit Chriſtus, meminit Angelus, dum glorioſam eius nuntiat reſurrectionem, quia crux Chriſtum exaltauit, & in ea nouæ gloriæ Rex Chriſtus apparuit. p.168.n.112

Chriſti fortitudo eſt crux, quâ orbem à peccato concuſſum firmauit. ibid.n.113

Surrexit, non eſt hîc. Si Chriſtus reſurrexit, ergo & homines, quorum caput Chriſtus eſt, ſine dubio reſurgent. Magna ſanè mortalibus conſolatio. Vnde Tertull. lib. de reſur. carn. *Spes*, inquit, *Chriſtianorum, reſurrectio eſt mortuorum.* Reſurrectio igitur Chriſti eſt cauſa efficiens, & exemplaris reſurrectionis hominum iuſtorum: peccatorum verò & infidelium eſt tantùm cauſa efficiens. p.34.n.128.& 129

Chriſtus vt Agnus occiſus eſt, vt leo reſurrexit. p.356. num. 196

Chriſto nomen Paſchæ meritò attribuitur. p.389.n.363

Feria ſecunda Paſchæ.

Et dixerunt de Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone. Luc. 24. Nazarenus, hoc eſt floridus, ſeu coronatus vocatur Chriſtus crucifixus; quia per crucem Chriſtus exaltatus eſt, & gloriâ & honore coronatus. Vnde Crux, quæ ei in opprobrium parata eſt, eius gloriam auxit. p.382.n.324

In cruce ſolus Chriſtus Pontifex & Sacerdos. p. 177. num. 15

Chriſtus potens fuit opere, quia ſemetipſum pro omnibus in cruce obtulit, & pro omnibus mortuus eſt. p. 420. n. 517

Potens fuit opere, quia omnia in cruce attraxit, licèt omnia non fuerint attracta. p.421.n.520

Potens fuit opere, quia Patres è Lymbo liberauit, & proprio ſanguine cœlum aperuit, & infernum clauſit. p.423.n.529.& 530

Potens fuit ſermone, quia verbo omnia reſtaurauit. p. 47. n. 181

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Maxima Chriſti gloria eſt pati pro hominibus. p. 165. n. 99

Patiendo Chriſtus ſe Dominum probauit ſermone, & ſilentio. p.166.n.101

Gloria in tribulationibus incluſa eſt, & quomodo. p. 317. n. 448

Gloria Dei eſt ſalus hominis. p.346.n.146

Gloriam corporis ſibi, & nobis animæ ſanctitatem, & gloriam meruit Chriſtus paſſione. p.349.n.164

Cognouerunt eum in fractione panis. Chriſtus in caſtello Emmaus Euchariſtiam in ſola ſpecie panis conſecrauit. p.290.n.274

Chriſtus verbo docuit, & miracula patrauit; & ideo potens opere & ſermone commendatur. p.331.n.42

Feria III. Paſchæ.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum. Luc. 24. rectè poſt reſurrectionem in medio diſcipulorum Chriſtus ſtetit, tanquam cor in medio corporis, vt virtutem ſuam membris omnibus effundat, omnium enim cupiebat ſalutem, qui pro omnibus paſſus eſt, & reſurrexit. p.418. n.510. & 511. & p.425. n.534.

In medio ſtetit, quia operatus eſt ſalutem in medio terræ. p.420. n.519

Et dixit eis, Pax vobis. Sicuti peracto diluuio, ramum

virentis

virentis olinæ, quæ pacis ſymbolum eſt, in ore geſtauit columba: ita peractâ Chriſti paſſione, in qua diluuio ſanguinis mundum à ſcelerum ſordibus expiauit, pacem ore præfert, profertque Saluator; ita vt de illo rediuiuo, veluti de columba olinæ ramum deferente, dici poſſit: Rediens fert omina pacis. Pax autem, quæ à Chriſto rediuiuo delata eſt, Deum mundo reconciliauit, & cœlum hominibus clauſum reſerauit; ſanguis enim Chriſti prima regni cœlorum clauis, primò cœlum aperuit. p. 368. n. 257

Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum: & cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Vulnera, mortis ſigna, in immortali corpore conſeruat Dominus, vt in perpetuum victoriæ ſuæ monumenta ſeruet, & nobis amoris immenſi oſtendat indicia, Patrique redemptionis hominum pignora monſtret, eiſque eius gratiam nobis conciliet. Dum ergo, vulnera diſcipulis oſtendit, illos, cæteroſque Chriſtianos ad pugnam patiendo, & victoriam accendit. Etenim in Chriſti vulneribus omnes hoſtes ſuperantur, & ab illis inuicta Martyrum fortitudo procedit. p. 365. n. 245

Chriſti volnera ſunt Roſæ ſpinis carentes, recreantes, & reficientes Angelos, & homines. p. 327. n. 24

Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Meritò Chriſto rediuiuo piſcis aſſus, & fauus mellis manducandi præbentur; quia ipſe, juxta Bedam, *Piſcis fuit in paſſione igne charitatis aſſatus; & poſt reſurrectionem fauus mellis nobis extitit.* Vnde à Sibylla *piſcis* appellatus fuit Chriſtus. p. 356. n. 196

Chriſtus fauos poſt fella guſtauit. p. 357. n. 265

Sumens reliquias dedit eis. Ideſt, vt notat Hugo Cardinalis, reliquias paſſionis ſuæ; Chriſtiani enim Chriſto conformari debent. p. 364. n. 240

Bona extrinſeca Chriſtianorum ſunt tribulationes. pag. 363. n. 239

Crux eſt patrimonium Chriſtianorum. p. 364. n. 241

Dominica in Albis.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Prædicatores, Dei adiutores, à Chriſto & per Chriſtum loquentes, à Chriſto mittuntur, ſicut Chriſtus miſſus eſt à Patre. p. 211. n. 327

Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. Ioan. 20. Non niſi deuictâ morte, orco ſuperato, mundoque ſuo ſanguine redempto, poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus Dominus Apoſtolis conceſſit poteſtatem abſoluendi à peccatis, & quare. p. 208. n. 314

Poteſtas remittendi peccata ſublimis, regia, immò & diuina. p. 210. n. 319

Cur Chriſtus Dominus Spiritum ſanctum dedit Apoſtolis, antequam eis poteſtatem remittendi peccata concederet. ibid.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Quare Chriſtus Dominus latus ſuum vulneratum S. Thomæ Apoſtolo palpandum, obtulit, qui Magdalenæ ſe tangendum denegauit. p. 207. n. 305. & 306

Chriſti vulnera tangens Thomas Apoſtolus infidelitatis noſtræ vulnera ſanauit. ibid. n. 306

Vulnera Chriſti tetigit Thomas, quia per Sacerdotium diuinâ manu gaudebat. ibid. n. 307

A corpore Chriſti Thomæ Apoſtolo fides & ſpes ſunt reſtitutæ. p. 314. n. 431

Beati qui non viderunt, & crediderunt. Fides importat ineuidentiam ſui obiecti: & charitas vnionem cum ſuo obiecto. p. 256. n. 66

Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chri-
R.P. Car. Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

ſtus Filius Dei. Chriſtus Dominus eſt Filius Dei, non adoptiuus, ſed proprius & naturalis. pag. 348. num. 562

Dominica II. poſt Paſcha.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 10. Non ſolùm bonus, ſed omnium paſtorum optimus Chriſtus eſt, qui oues ſuas verbo, exemplo, & proprio corpore paſcit. p. 45. & ſeqq. à n. 172. ad 222

Chriſtus in Euchariſtia parens & paſtor Chriſtianorum. p. 124. n. 475

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Solus Chriſtus bonus ille paſtor fuit, qui animam ſuam, hoc eſt vitam, pro omnibus ouibus ſuis poſuit: nam ſemetipſum in cruce hoſtiam perfectiſſimam pro omnibus hominibus obtulit. p. 182. n. 178

Meritò igitur Auguſtinus *in pſal. 86. tom. 8.* de Chriſto ſic loquitur: *Si Sacramenta cogites, Chriſtus ſanctus ſanctorum; ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus paſtor paſtorum; ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum.*

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Prælati, & Sacerdotes ſub Chriſto paſtores hominum totis viribus illorum ſalutem curare debent. pag. 229. n. 411

Paſtor paſcat fideles animo, ſermone, & pietatis operibus, nempe animi oratione, verbi exhortatione, & exempli exhibitione. ibid.

Paſtor etiam paſcat ſubditos temporali ſubſidio, & eleemoſynarum diſtributione. ibid. num. 412. & p. 230. num. 414

Paſtor ſubditos, ſicut oues proprias diligat. ibid.

Redditus paſtorum & Sacerdotum ſunt patrimonia pauperum. p. 230. n. 414

Vide in Indice rerum, verbo *Paſtor.*

Dominica III. poſt Paſcha.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit. Ioan. 16. Dum mundus inani gaudio conſolatur, triſtes lugent Chriſtiani, quia per triſtitiam in gaudium æternum, & per multas tribulationes in regnum cœlorum oportet intrare. Cuius rei exemplum habemus in Chriſto, qui vt inquit Apoſtolus Hebr. 12. 2. *Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Vt igitur cum Chriſto in gloria regnemus, cum illo in via lugeamus, & patiamur. Vide Auguſt. in pſal. 96. tom. 8. *Quare*, inquit, *amas habere quod Chriſtus, ſi times pati quod Chriſtus.* Chriſto igitur tanquam capiti conformari debent Chriſtiani, & conſequenter lugere & pati; illorum enim patrimonium crux eſt, & illorum vita, perpetua pœnitentia, ac martyrium. p. 364. n. 241

Plorabitis & flebitis vos. Lacrymæ hominum peccatorum priùs à corde fluant, quàm ab oculis: immò cum lacrymis compunctionis cor effundendum. p. 447. n. 620

Lacrymæ ſunt ſanguis animæ; & dum ab illa mortis rea hic ſanguis funditur, in meliorem vitam reſurgit; noxia enim vita amittitur, & ſalubris recuperatur. ibid. & n. 621

Noluit Chriſtus pedes ſuos à diſcipulis ſanari, vt noſtræ compunctionis lacrymis lauarentur, & ne lacrymæ Magdalenæ ſuper illos effuſæ, ac tanquam vniones & gemmæ coruſcantes tollerentur. p. 450. n. 631

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Tribulationes enim & cruciatus, quibus hac in via premimur, amoris diuini ſunt pignora, quibus in regnum Dei ingredimur. p. 365. n. 246. & p. 367. n. 255

Tribulationes & cruces qui fugit, à cœlo declinat; nam in tribulationibus gloria, & gaudium in triſtitia: per tribulationes quippe homines Deiformes euadunt. p.369.n.260

Dominica IV. poſt Paſcha.

Vado ad eum qui miſit me, &c. Sed quia hæc loquutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Ioan. 16. Triſtantur Apoſtoli de Chriſti receſſu, & de Dei abſentia debent lugere peccatores: Dei enim præſentia ſemper eſt quærenda, & diuinum auxilium jugiter implorandum. p.455.n.646.& ſeq.

Vt Deum ſemper nobis præſentem habeamus, à nobis recedere, & Deo omnino debemus inhærere. Deo enim adeſt, qui ſibi abeſt, & Deum tota mente cogitat. p.258.n.74

Deus à Chriſtianis dupliciter poſſidetur, per gratiam ſcilicet, & per gloriam. p.131.n.517

Deus hominem non deſerit, niſi priùs ab illo deſeratur. p.89.n.341

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Si Spiritus ſanctus à Dei Filio, ſimulque à Patre procedens, illum glorificat, annuntians hominibus, quæ à Chriſto audiuit; quantò magis Chriſtiani, & præſertim viri Apoſtolici, quidquid habent, à Chriſto recipientes, debent in omnibus Chriſtum glorificare? Debent ergo illum glorificare eo modo, quo ille Patrem ſuum glorificauit, ſcilicet ſermone, actione, & paſſione. p.221.& ſeqq. à n.379. ad 399

Dominica V. poſt Paſcha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16. Vanæ, ac inutiles ſunt hominum orationes, niſi in nomine Chriſti filij dilectiſſimi Dei fiant: nam Chriſtus orantium eſt os, oculus & dextera. p.463.n.683

Oratio, quæ non fit per Chriſtum, fit peccatum. ibid.

Omnium orationum Eccleſiæ vna vox Chriſtus eſt, quia per Chriſtum Deo offeruntur. p.464.n.68

Si quid petieritis Patrem. In orationibus non *quale*, hoc eſt temporalia, & caduca; ſed *quid*, hoc eſt bona ſpiritualia, nempe Dei gratiam, remiſſionem peccatorum, & in bono perſeuerantiam debemus poſtulare; orantes enim pro propria ſalute exaudiuntur. p.445.n.612

Petite, & accipietis. Oratio peccatorum non eſt meritoria, ſed impetratoria. p.444.n.608

Oratio nobis eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, & medij. p.443.n.606

Oratio quaſi oris ratio, debet ab intimo corde procedere. p.444.n.609

Orationes feruentiores, à pectore fracto vi contritionis aſcendunt ad Deum. p.446.n.616

Petite, & accipietis. Deus orandus eſt à peccatore, non ſolùm corde, & ore; ſed etiam oculis, & lacrymarum effuſione. ibid.& ſeq.n.681

Oranti duo ſunt neceſſaria, vt poſtulata aſſequatur, nempe feruens affectio, & dolor ſeu gemitus. p.450. n.632

Oratio Deum lenit, & lacryma cogit. pag. 451. numero 637

In Aſcenſione Domini.

Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum. Marc. 16. *Chriſti aſcenſio noſtra prouectio eſt, & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis;* ſicut proſequitur S. Leo Papa *ſerm. 1. de aſcenſ.* Cum Chriſto igitur Fideles in cœlum conſcendere oportet, & in terra corpore exiſtentes, ſuprema loca mente tenere: nam Chriſtus etiam morte ſuâ ad cœlum homines ſubleuauit; nam in alto mortuus eſt, vt in cœlum hominibus pararet aſcenſum. p.179.n.143

Chriſtus per crucem captiuos liberauit, & ad cœlum ſubleuauit. ibid.n.164

Chriſtus etiam in humanitate ſupra omnem principatum & poteſtatem exaltatus eſt. p.326.o.20

Chriſtum Dominum aſcendentem in cœlum omnes adorant creaturæ, ipſique genua flectunt; eius quippe humanitas vt Verbo Dei vnita adoranda eſt latriâ. p.375.n.285.& ſeqq.

Chriſtus ſibi gloriam corporis, nobis animæ ſanctitatem, & gloriam meruit. p.349.n.164

Sedet à dextris Dei. Vbi humanitatem vulnerum cicatricibus fulgidam ac formoſam, paterno offert conſpectui, vt apud illum cauſas hominum quos redemit, perpetuus patronus agat. Vnde Apoſtolus *Hebr.* 9.24. ait: *Non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit, exemplaria verorum; ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Chriſtus enim ſolus eſt mediator redemptionis, & ſeipſo aduocatus noſter, quia ſanguine ſuo nos redemit. p.470.n.720

Chriſtianus gratiâ Chriſti, & ſacrâ Euchariſtiâ ſupra ſe eleuatur, cum Chriſto in cœlum aſcendit, cum illo regnat, & glorificatur. p.44.n.169.& 171

Ad cœlum, vbi Chriſtus ad Patris ſedet dexteram, ſemper tendit Eccleſia, immò cœlo hæret, & terris lucet. p.21.n.66.& 67

Videntibus illis eleuatus eſt. Corpus Chriſti in cœlum aſcendere mirabilius eſt, quàm in terra ab hominibus manducari. p.119.n.449

Chriſtus veritatem Euchariſtiæ aſcenſione ſuâ firmauit. ibid.n.448

Aſcenſio Chriſti ad cœlum viſibiliter non impedit eius præſentiam in Euchariſtia, vbi eſt inuiſibiliter, inextensè, & ad modum ſubſtantiæ. p.406.n.455

Dominica infra Octauam Aſcenſionis.

Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Ioan. 16. Quod exponens Auguſtinus inquit: *Hora eorum, hora tenebroſa, hora nocturna; ſed nox Iudæorum ſeparatum à ſe diem Chriſtianorum nullâ confuſione fuſcauit.* Apoſtoli igitur, cæterique Chriſtiani à Iudæis, Gentilibus & aliis Chriſtianæ Religionis hoſtibus multa tormenta, immò & plurimi necem paſſi ſunt, quia crux patrimonium eſt Chriſtianorum. p.364.n.241.

In tormentis multas Deus patientibus conſolationes largitur; vnde Paulus in cruce gloriabatur, *in qua* plurimas inuenit diuitias. ibid.

Qui crucem fugit, à cœlo declinat, nam crux jugiter eſt ferenda, vt æternam vitam conſequamur. p.368. n.260

Venit hora, vt omnis qui interficit vos, &c. S. Auguſt. tract. 93. in Ioan. expendens, illud: *Venit hora,* inquit: *Quæ verba ita ſubiecit, tanquam ex hoc conſolaretur eos.* Nomine enim horæ breuitatem deſignauit paſſionum. Vnde Apoſtolus 2. *Cor.* 4. 17. inquit: *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, &c.* quod exponens Bernardus *ſerm. de fallac. præſ. vitæ*, ait: *Tranſit hora, tranſit & pœna.* Attamen ex breui pœna ingens conſolatio, & æterna oritur; nam per temporales tribulationes in regnum æternum Dei ingredimur. p.367.n.255

Omnes tribulationes, immò & hoſtes in Chriſti vulneribus ſuperantur. p.365.n.245

Tribulatio maius donum quàm fides, & quare. ibid. n.246

Index pro Concionibus.

Dominica Pentecoſtes.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Nam vt inquit Gregorius hom. 34. in Euang. *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis.* Et infrà: *Nunquam eſt amor Dei otioſus; operatur etenim magna, ſi eſt; ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Chriſtianus ergo non ſolâ fide innitatur, ſed etiam charitate, quæ eſt forma fidei: nam fides ſine operibus mortua eſt. p.261.n.99

Nec opera ſine fide, nec fides ſine operibus; ſed opera ex fide & charitate conferunt ad juſtificationem. ibid. & ſeq. à n. 100

Vt Chriſtianus ſe Deum diligere probet, mandata Dei debet ſeruare, & bonis operibus inſudare. p.263.n.111. & p. 265. n. 115

Apparuerunt diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. Spiritus ſanctus Apoſtolis non floridas, ſed igneas linguas conceſſit, & quare. p.216.n.346

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. Spiritus ſanctus Apoſtolos replendo docuit, & per eos mundum conuertit. p.138.n.555

Linguis omnium loquuntur Apoſtoli, quia Spiritus ſancti gratiâ repleti ſunt, vt illam in alios effunderent. ibid.n.556

Spiritus diuinus in homines effuſus, diuinos facit homines. p. 210.n.320

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Spiritus ſanctus Patris & Filij amor, concordia, centrum & ſuauitas, vnà cum Patre, & Filio menti infunditur adoptati & juſtificati. p.351.n.174

Spiritus ſanctus effuſus eſt eſt in cordibus noſtris ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum. p.362. n.233

Chriſtus Spiritum ſanctum de cœlis in Eccleſiam mittens, immenſi flammas amoris ſuper nos congeſſit. p.157.n.63

Feria II. Pentecoſtes.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3. Amoris diuini immenſitatem erga homines denotauit Euangeliſta aduerbio, *ſic*, ſecundùm Caietanum, vt in hominibus maximum erga Deum amorem accenderet. Sicut enim ex parte Dei omnis amor, omniſque modus eſt immenſus; etiam ex parte hominis nullo modo terminari, & nullâ menſurâ claudi debet erga Deum amor: nam magnes amoris amor. p.157.n.63

Summus Dei in homines amor, ex ſummo Filij ſui dono ſeipſum manifeſtauit; nam amor, primum donum, donis pater. p.315.n.436

Vt Filium ſuum vnigenitum daret. Ipſe etiam Filius Dei, cui cum Patre vna eſt diuinitas, vna voluntas, æqualis gloria, & coæterna maieſtas, ſemetipſum non ſemel, ſed pluries tradidit hominibus, nempe Incarnatione, Euchariſtiâ, & paſſione. pag. 361. n. 229

Incarnatione ſe totum Deus donauit hominibus. p. 79. n. 367

In Euchariſtia Chriſtus, *Deus tribuens omnia*, debet appellari. p.111.n.422

In Euchariſtia datur hominibus donum omnium præſtantiſſimum, & affectu dantis, & dignitate rei datæ. ibid.n.418. & 419

Paſſio Chriſti immenſum Dei amorem docuit homines. p.315.n.437

Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Chriſtus omnibus vitam attulit, ſed plures illam recuſant. p.309.n.400

A Chriſto vitam naturalem habuit Adamus, & quomodo. p.311.n.414

A Chriſti corpore vita naturalis hominum oritur. p.312. n. 416

Feria III. Pentecoſtes.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium. Oſtium ouilis Chriſtus eſt, qui etiam eiuſdem optimus eſt paſtor. Per Chriſtum igitur duntaxat in Eccleſiam intramus; ille enim non ſolùm janua, ſed etiam dux noſter eſt, quia ducit Chriſtianos in paſcua ſua, hoc eſt, ad participationem corporis, & ſanguinis ſui; vnde mirabili hoc Sacramento ducit nos intra nos, extra nos, & ſupra nos. pag. 306. & ſeqq. à num. 135. ad 171

Verbo ſuo attrahit nos Chriſtus ad ipſum, & per ipſum in eius ouile, hoc eſt Eccleſiam, ingredimur: nullus enim Chriſti gregi incorporatur, niſi per verbum Dei. p.48.n.186

Sed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Paſtores ſeu Sacerdotes ab oſtio, ideſt à Chriſti imitatione recedentes, & bona ſua pauperibus ſubditis non erogantes, fures ſunt & latrones; verus etenim paſtor ſubditos debet paſcere temporali ſubſidio, ſcilicet eleemoſynarum diſtributione. pag. 229. num. 411. & 412

Redditus, ſeu bona Paſtorum ſeu Sacerdotum ſunt patrimonia pauperum. p.212.n.414

Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Verus paſtor Chriſto ſemper adhæreat, eiuſque actiones imitetur, paſcatque fideles oratione, prædicatione, & exemplo. p.229.n.411

Ante eas vadit. Bonus paſtor debet oues bonis operibus præcedere, & ante illas virtutum exemplis ambulare, ſicut Chriſtus, Eccleſiæ oſtium, & Paſtor paſtorum, qui gregem ſuum pauit verbo & exemplo. p.50.n.192. & ſeq.

Oues vocem eius audiunt. Vox paſtoris oues ad paſcua dirigit, ab erroribus retrahit, & gregi aſſociat: debet ergo diuini verbi prædicatione paſtor ab erroribus oues retrahere, à periculis eripere, in Eccleſiæ vnitate ſeruare, & ad cœlum dirigere: etenim ouium ſalutem Paſtores, ſeu Sacerdotes debent diligenter curare, & præſertim diuini verbi pabulo, quod ſæpe tenentur præbere. p.229.n.411

Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis.

Euntes docete omnes gentes. Matth. vlt. Omnes populos docere præcepit Chriſtus, qui pro omnibus homo factus eſt, mortuus eſt, & reſurrexit. p.418. n.511. & ſeqq.

Docete omnes gentes. Verbum Dei initium eſt vitæ ſupernaturalis, & quomodo. p.45.n.175

Baptizantes eos. Natiuitas conceptionem præſupponit, & ſequitur: Doctrinâ, ſeu Catechiſmo, & diuini verbi prædicatione gignuntur, & veluti concipiuntur Chriſtiani, ac deinde Baptiſmate renaſcuntur. ibid. & ſeq. n.176.

Baptiſmus cætera Sacramenta neceſſitate ſuperat; nequit tamen à pueris in voto recipi. p.69.n.264

Baptiſmus culpæ originalis remedium, dicitur Sacramentum mortuorum. p.115.n.437

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. In forma Baptiſmi diuinarum trinitas Perſonarum, & vnitas eſſentiæ, per ly, *in nomine*, debet neceſſariò exprimi, ſicut & perſona baptizata, dicendo *Baptizo te*, vel *vos*. pag. 356. num. 200. & ſeqq.

Baptiſmus collatus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque, non eſſet validus; nec ſimiliter in nomine Chriſti, licèt initio Eccleſiæ hoc modo fuerit validus. p.357.n.203

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Rectè Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis hominis regeneratio, in nomine Trinitatis confertur, quia tota Trinitas in hominis formatione laborauit. p.81.n.313

Trinitatem perſonarum, & vnitatem diuinæ eſſentiæ anima hominis repræſentat. p.82.n.318

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quia tota Trinitas Chriſtianorum eſt parens. p.124.n.480

Adoptio Chriſtianorum toti Trinitati attribuitur, Patri vt Authori, Filio vt exemplari, & Spiritui ſancto vt imprimenti ſimilitudinem. p.128.n.511

Meritò in nomine Trinitatis baptizatur homo, quia tota Trinitas cordibus Iuſtorum infunditur. p.131.n.514

In expreſſa inuocatione Trinitatis Baptiſmus neceſſariò debet conferri, quia nouum eſſe gratiæ, quod recipit baptizatus, à tota Trinitate creatur. p.357.n.206

In ſolennitate Sacratiſſimi corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Ioan. 6. Chriſtus verus filius Dei, veritas increata & incarnata, carnem ſuam verè cibum, & ſanguinem ſuum verè potum hominibus contulit in ſacra Euchariſtia, vt illos ad vitam nutriret æternam. Vnde abſque typo, ſine figura, ſed in rei veritate corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini donauit hominibus. Vnde diuinum ſanctiſſimumque Euchariſtiæ myſterium, cuius honori diem hanc Vrbanus IV. conſecrauit, eſt Sacramentum veritatis, Sacramentum maieſtatis, & Sacramentum charitatis.

Primò eſt Sacramentum veritatis, quia verè, & realiter, & non figuratè continet corpus, & ſanguinem Chriſti; ideo enim panis viuus dicitur, quia nullum panem, ſed verum ac viuum Chriſti corpus continet. p. 114. n. 432

Verba Chriſti diſerta & perſpicua, eiuſque reſponſio ad Iudæos, indicant corpus eius verè & realiter, non autem figuratè eſſe in Euchariſtia. p.118.n.446

Realem præſentiam corporis ſui in Euchariſtia firmauit Chriſtus aſcenſione ſuá. p.119.n.448

De eadem præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, vide p.121.à n.456.& ſeqq.

Secundò eſt Sacramentum maieſtatis, quia in Euchariſtia Chriſtus eſt Rex. pag. 146. num. 13. & pag. 170. num. 119

Tertiò eſt Sacramentum charitatis, quia amor Dei in Euchariſtia omnes metas tranſgreditur. p.285.n.242

Amor amorum eſt Euchariſtia. p.307.n.387

Amoris ſuis ſagittas in nos jaculatur Chriſtus in Euchariſtia. ibid.

Amor Chriſti in Euchariſtia infinitus, & non minor quàm in illius paſſione. p.315.n.437

Feria 6. infrà Octauam corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Sacramentum Euchariſtiæ, in quo Chriſtus veritatem carnis ſuæ, maieſtatem; ac charitatem ſuam poſuit, pabulum eſt Chriſtianorum, in eoque Chriſtus paſtor bonus apparet, qui gregem paſcit verbo, exemplo, & proprio corpore. p. 45. & ſeqq. à n.173. ad 222

Sabbato infra Octauam corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Chriſtus verus paſtor Chriſtianorum, non ſolùm illos proprio corpore & ſanguine paſcit, ſed inſuper ante illos vadit, ipſumque Chriſtiani, vt oues paſtorem ſequuntur; vnde dux illorum eſt per ſacram Euchariſtiam. Itaque dum Chriſti corpore veſcimur, à Chriſto in viam ſalutis ducimur; ducit enim nos intra nos, extra nos, & ſupra nos per Euchariſtiam. p. 36.& ſeqq. à n. 135. ad 171

Dominica infra Octauam corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Chriſtus ſacram per Euchariſtiam non ſolùm ducit nos in viam ſalutis, ſed etiam de facto nos ſaluat. Etenim hoc Sacramento à peccato, quo impellimur ad tartara, nos liberat: nam ſacrâ Euchariſtiâ peccata præterita delentur, præſentia extinguuntur, futura cauentur. p.28.& ſeqq. à n. 99. ad 120

Ipſe Chriſtus in Euchariſtia hominum, quos paſcit, & ducit, Saluator eſt, quia per hoc Sacramentum peccata delentur, dæmones ſuperantur, & mors deſtruitur. p.23.& ſeqq. à n.80. ad 133

Feria II. infra Octauam Corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Non ſolùm Saluator, ſed etiam Rex hominum eſt Chriſtus Dominus in Euchariſtia; dum enim ſaluat homines, & illos regio paſcit cibo, ad regnum cœleſte & æternum illos euehit, ſicut inſinuatur Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt, &c.* Quare hoc in Sacramento Rex eſt, & princeps pacis: etenim hoc myſterium eſt Sacramentum corporis eius, ac conſequenter eius humanitatis. Carne enim, & animâ rationali homo eſt, qui diuino ſuppoſito ac immortali deitate Deus eſt. Cùm igitur Chriſtus homo Deus hoc in Sacramento veraciter exiſtat, verè Rex eſt; nam in materno Virginis vtero, dum homo factus eſt, Rex eſt ſublimatus: nam tunc ad regiam dignitatem electus, vnctus, & coronatus eſt. Quare cùm idem ſit Chriſtus in Euchariſtia, qui & in vtero Virginis, hoc in Sacramento Rex electus, vnctus, & coronatus apparet. p. 151.& ſeqq. à n.35. ad 97

Feria III. infra Octauam Corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Ne maieſtate Chriſti Regis in Euchariſtia terreantur Chriſtiani, paternam illis hoc in myſterio oſtendit bonitatem; nam & illorum Pater exiſtit: vnde non ſolùm *amor amorum*, ſed etiam *dulcedo dulcedinum*, vt loquitur Bernardus, eſt Euchariſtia, quia in illa recipimus realiter Chriſtum verum parentem Chriſtianorum; dat enim illis eſſe, alimenta, & hæreditatem.

Primò dat eſſe, quia Chriſtus genuit Chriſtianos, patris & matris perſonam gerens. p.124.n.480

Secundò dat Chriſtus lac Chriſtianis, nempe corpus ſuum ſub ſpecie panis: vnde & mammilla Patris dicitur. p.128.n.504

Tertiò dat hæreditatem, nempe gloriam, cuius pignus eſt Euchariſtia. p.127.n.508.& ſeqq.

Feria IV. infra Octauam Corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Sed ne bonitate Patris in Euchariſtia abutantur Chriſtiani, vel nimis confidant, perſonam judicis in ea aſſumit Chriſtus; juſtitiam quippe hoc in myſterio exercet, & malis indignè manducantibus juſtas infligit pœnas mortis temporalis, ſpiritualis, & æternæ. p. 309. & 310. n. 399. & ſeqq. & p. 319. à n. 457. & multis ſeqq. ad 472

Feria V. in Octaua Corporis Chriſti.

Caro mea verè eſt cibus, &c. Quia Iudex ſicuti malos punit, ita & bonos præmiatur; ideo Chriſtus, qui indignè manducantes Euchariſtiam triplici morte plectitur, ita & bonos, qui probati & purgati ad hoc Sacramentum accedunt, triplici vitâ donat; etenim vt loquitur S. Thomas, *mors eſt malis, vita bonis.* Iuſti ergo ab Euchariſtia triplicem vitam recipiunt, temporalem,

poralem, ſpiritualem, & æternam. p.311.& ſeqq.à n. 413

Dominica II. poſt Pentecoſten.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14. Hic homo, *quidam* vocatur, hoc eſt, *ſingularis*, vt notat Hugo Cardinalis: Chriſtus eſt, qui conceptus eſt ſine ſemine patris, natus ſine dolore matris, immuniſque ab omni peccato. Hic cœnam magnam fecit tripliciter, pabulo doctrinæ, Sacramento Euchariſtiæ, & conuiuio gloriæ.

Primò pabulo doctrinæ, quia verbum Dei eſt cibus animæ, & mentis reparat languores. p. 46. n. 177. & 178

Verbum Dei, pabulum & cibus Angelorum. p.50.n.190

Omne verbum Concionatorum à Chriſto procedit. p. 211. n. 326

Pabulum verbi denegare populo, ſacrilegium eſt. p.222. n. 386

Secundò Sacramento Euchariſtiæ, quia eſt verè panis viuus, & non vulgarem vitam tribuit. p.114.n.430

Sola Euchariſtia eſt viuum alimentum, & quare. ibid. n. 431. & p. 173. n. 136

Euchariſtia eſt cibus regius. p.169.n.116

Euchariſtia præſtat animæ ea quæ cibus corpori. p.277. n. 186

Superat cæteros cibos. p.285.n.241

In Euchariſtia corpus Chriſti poteſt tripliciter manducari. p.303.n.363

Euchariſtia eſt Sacramentum viuorum, ſeu juſtorum, non peccatorum: eſt panis filiorum, & non debet dari canibus, ſeu peccatoribus. p.321.n.466.& p.324 n. 7. & 8

Tertiò conuiuio gloriæ. Vltima cœna hæc eſt, quia in fine vitæ temporalis confertur, ſicuti cœna in fine diei. Huiuſmodi autem gloriæ conſummatio & collatio virtute Euchariſtiæ fiet. p.319.n.453

Conuiuium appellatur gloria æterna, impropriè & metaphoricè, & quare. p.458.n.661

Gloria magis ſatiat hominem, quàm conuiuium. p.459. n. 664

Conceſſa fuit SS. Auguſtino, & Dominico ad modum conuiuij. ibid.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Erant appropinquantes ad Ieſum publicani & peccatores. Luc. 15. Ad Redemptorem omnium publicani & peccatores veniunt, quia ad illos Redemptor venerat; niſi enim prior ad peccatores veniret Deus, peccatores ad Deum non venirent. Etenim miſericordia Dei anticipat peccatores. p.444.n.610

Peccatores fugientes miſericordia Dei ſequitur, vt faciat deſiderantes. ibid.n.611

Dum peccatores ad Deum appropinquant, ad illos Deus venit: dum enim ab hominibus deſideratur Chriſtus, & ipſe deſiderat homines. p.55.n.211

Erant appropinquantes ad Ieſum Publicani, & peccatores. Meritò ad Ieſum veniunt peccatores, vt perditi ad Saluatorem, vt captiui ad liberatorem, vt ſerui ad redemptorem, vt tenebræ ad lucem, vt diſſipentur: ſicut turpitudines & deformitates ad pulchritudinem, vt reformentur: ſicut opprobria ad gloriam, vt euacuentur. Chriſtus enim verus animarum medicus, & omnium noſtrarum infirmitatum curator, ſeipſo ſanat, medicus eſt & medicina. p.157.n.67

Vt audirent eum. Rectè ad audiendum Chriſtum properant peccatores, & publicani, quia verbum Dei eſt initium vitæ ſupernaturalis. p.45.n.175

Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Contra Chriſtum murmurabant Phariſæi, & Scribæ, ex maxima ſuperbia, quâ excæcabantur; peccator enim cæcus eſt. p.51.n.194.& p.93.n.354

Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Quod exponens Chryſol. ſerm. 168. *Recipit*, inquit, *peccatores Deus, ſed Deus peccatores eſſe non ſinit, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans: Deus peccatorem ſanctificat cùm propinquat.* Nam ad pœnitentiam vocat peccatores, & non ſolùm cum peccatoribus manducat, ſed etiam ipſos manducat peccatores. Peccator enim dum pœnitet, à Deo manducatur. p. 328. n. 25

Vadit ad illam, quæ perierat. Oues ex malis bonas facit Chriſtus optimus paſtor. p.45.n.173

Salus hominis eſt gloria Dei. p.346.n.146

Nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis. ibid.

Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Quia quando Deus hominem lapſum reparat, eum ſupra Angelos exaltat. p.62.n.244

Angeli ſciunt ea, quæ à nobis hîc fiunt. p.466.à n.698. & ſeqq.

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Aſcendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, & ſedens docebat de nauicula turbas. Chriſtus in nauem Petri aſcendit, ibique ſedet, vt doceat populum, vt innuat fideles à Petro, & ab Eccleſia Romana, cuius primus Epiſcopus fuit Petrus, doctrinam veram accipere: mirum enim non eſt, fideles à ſede Petri veræ doctrinæ pane paſci, cùm & ipſos Apoſtolos Petrus ipſe pauerit; fuit enim Princeps & Paſtor omnium Apoſtolorum. p.135.n.540

Duc in altum: hoc eſt, vt interpretatur S. Ambroſius, *in profundum diſputationum.* Chriſto jubente debent loqui Doctores, & Prædicatores, & aliquando, dum opus eſt, myſteria altiſſima exponere, aliquando familiaria & ſenſibilia explanare. Prædicatores enim à Chriſto, & per Chriſtum loquentes Dei ſunt adiutores. p.211.n.326

Per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Nihil poteſt homo ex ſeipſo, multùm autem poteſt cum gratia Dei. p.101.n.382

Ex hoc jam homines eris capiens. Etenim Apoſtolorum prædicatione homines in Chriſtum crediderunt, & aquâ renati baptiſmatis, veluti piſces prædicationis rete ſunt concluſi: nam Chriſtiani dicuntur piſciculi, quia naſcuntur in aquis. p.354.n.186

Relictis omnibus ſequuti ſunt eum. Vtique ex maxima gratitudine, vt ſe totos illi, à quo tanta beneficia receperant, traderent, & noua beneficia reciperent; gratitudo enim noua obtinet beneficia. p.6.n.2

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Niſi abundauerit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, &c. Matth. 5. Iuſtitia, hoc eſt omnis virtus Chriſtianorum, debet eſſe maior, quàm Scribarum & Phariſæorum, quia horum juſtitia, vt notat Hugo Cardin. *erat ſemiplena*, ideſt, verbis, & non operibus patebat. Virtus autem Chriſtianorum non ſolùm voce, ſed opere debet comprobari; fides enim ſine operibus inanis eſt & mortua. p. 265. num.17.& p.361.n.99

Chriſtianus improbus negat opere, quod voce confitetur. p.266.n.122

Si quis iraſcitur fratri ſuo, &c. Non debet Chriſtianus in fratrem ſuum iraſci, ſed mitis eſſe in illum, quia Chriſtus omnibus Chriſtianis mutuam dilectionem præcepit. p.126.n.488

Chriſtiani vna perſona cenſentur, & oculis propter maximam vnitatem comparantur: vnde illorum

vnitas

vnitas & dilectio Gentibus admirationi erant. ibid. o.489. & 490.& p.127.n.491

Si quis iraſcitur fratri ſuo. Chriſtiani debent eſſe pacifici ac mites,pacifico ac mihi Chriſto nutriti.p.285. n.240

Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. Vbi Chryſoſt. *Ecce*, inquit, *à diſcordantibus accipere non vult ſacrificium. Hinc ergo perpendite quantum ſit malum diſcordia, propter quod & illud abjicitur, per quod culpa relaxatur.* Etenim Chriſtiani vnitate fortiſſimi, ſola diſcordiâ ruunt. p.127. n.492. & 493

Chriſtianorum pax, dæmonum eſt bellum. p.16.n.45

Chriſtiani paci ſtudeant,vt æternam pacem conſequantur. p.132.n.521

Vade priùs reconciliari fratri tuo. Chriſtiani fratres ſunt, quia ex eiſdem parentibus nati,eodem lacte nutriti,& eiuſdem hæreditatis hæredes. p.124.& ſeqq.à n.479. ad 526

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Miſereor ſuper turbam, &c. Marc. 8. Chriſti miſericordia verè eſt vniuerſalis, quia in omnes homines, in omnem locum, & in omne tempus extenduntur. p.418. & ſeqq.à n.509.ad 553.

Et dabat diſcipulis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Panes materiales manibus Apoſtolorum tradit turbæ Dominus, vt oſtendat per diſcipulos, cæteroſque viros Apoſtolicos ſe fidelibus ſpiritualem doctrinæ panem miniſtrare: nam per Apoſtolos, tanquam per columnas nubis, immò & per columnas ignis loquitur Chriſtus. p.137.n.549

Dominica VII. poſt Pentecoſten.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Matth. 7. Falſi Prophetæ, qui veniunt in ouium veſtibus,virtutem mentientes, & tanquam lupi vaſtantes gregem Chriſti, hoc eſt Eccleſiam turbantes ac diuidentes, ſunt hæretici. Nulla in iſtis vera virtus eſt, etſi Eccleſiæ reformationem, & Euangelij puritatem ſectari videantur; nam libros Machabæorum calumniantur, quia contra illos docent orationem pro defunctis,licèt verè ſint canonici. p.74.n.285

Hæretici Iacobi Epiſtolam Canonicam negant,quia illorum ſententiam confodit. p.161.n.98

Hæretici Iudæos imitantur, & quomodo. pag. 233. num.429

Hæreticorum Lutheri,& Caluini impia ſententia.p.298. num.330

Pietas hæreticorum quænam ſit. p.336.n.78

Non omnis qui dicit mihi mi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Quia fides ſine operibus vacua eſt, inanis & mortua: vnde dici poteſt, quod Chriſtianus non eſt, cuius fides bonis operibus non exornatur. p.263.& ſeqq.à n.108.ad 121

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Quia Chriſtiani ex diuina adoptione habentes ius ad gloriam, ſummâ diligentiâ ac labore ad diuinam debent currere hæreditatem. p.366.n.252

Ad coronam gloriæ Chriſtiani nominis corona diſponit. p.265.n.115

Sine bonis operibus, ſeu ſine fide formata charitate nullus adultus ſaluatur. ibid.n.118

Vt benè operemur, & voluntatem Dei faciamus,Chriſtus nobis ſit ſignaculum in fronte, in corde, in brachio. 266.n.119

Improbus Chriſtianus negat opere, quod voce confitetur. ibid.n.122

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Diffamatus eſt apud illum. Luc. 16. Verùm à quo peccator iſte diffamatus eſt? Ab omnibus creaturis, quæ Deo de peccato illius perhibent teſtimonium. Vnde Chryſol.*ſerm*.125.de illo ſic loquitur: *Clamabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli, quando jam tota ſeculi fama loquebatur.* Si ergo vniuerſæ contra peccatum clamant creaturæ, à Deo & cognoſcitur, & punitur. Vnde peccatorem à peccato retrahere debet maxima Dei cognitio. p.456.n.650

Chriſtus videt adulterium committentem, qui videt adulterium cogitantem. ibid.

Redde rationem villicationis tuæ. Actionum noſtrarum exacta diſcuſſio & examen generale à ſapientiſſimo & oculatiſſimo judice Chriſto, cui omnia nuda & aperta ſunt, non paruum nobis vltimi judicij timorem debent incutere. Timendus ergo Chriſtus eſt, quia judex ſapientiſſimus. pag. 438. n.588.& p. 440. num.595

Per apem aculeum, & mel in eodem ore ferentem Chriſtus adumbratur, & ideo vt judex timendus. p.440.n.595

Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem. Gratiam aufert Deus à malis Chriſtianis in pœnam peccatorum præteritorum, ipſiſque ſua auxilia denegat. p.436.n.581

Chriſtianorum in domo Dei conuerſantium, & bonis eius vtentium delicta ſunt maiora, & grauiora peccato crucifigentium Chriſtum. p.267.n.126

Aufert à me villicationem. Vita temporalis à peccatoribus juſtè tollitur, quia eâ abutuntur; vnde & ſacra Euchariſtia, quæ eſt panis vitæ, ex prana recipientium diſpoſitione mortem præbet. p.281.n.215

Mors ab Euchariſtia in malos dimanat. p.309.n.399.& ſeqq.

Scio quid faciam, &c. Pœnitentia, ſecunda poſt naufragium tabula, & contra peccata actualia remedium,etiam in fine vitæ bona eſt. p.436.n.577

Pœnitentiâ omne peccatum in hac vita deleri poteſt. ibid. n.580

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Videns ciuitatem fleuit ſuper illam. Luc. 19. Ex nimio amore lacrymæ Chriſti procedunt; dolebat enim ſuper Ieruſalem propter cæcitatem ciuium illius; ſicuti enim ſuper mortem Lazari, quem maximè diligebat, fudit lacrymas; ita & ſuper peccatores Ieruſalem, & ſuper vaſtationem eiuſdem ciuitatis lacrymatur. Summa igitur fuit Chriſti in homines miſericordia, & ſummus amor, præſertim in Euchariſtia, & paſſione. p.316.n.438

Fleuit ſuper illam. Doloris, triſtitiæ ac compaſſionis lacrymæ indicia ſunt, & effectus. Dum ergo flet Chriſtus, ſupra ſe noſtras ſuſcipit infirmitates; & ideo noſtrum amorem à nobis exigit: nam quo pro nobis vilior, eo eſt amabilior. p.346.n.145.

Fleuit ſuper illam. Vt omnem ſanguinem ſuum pro hominibus funderet Saluator, antequam corporis ſui in paſſione cruorem effunderet, cordis ſui, immò & animæ ſuæ, lacrymando ſanguinem fudit. Lacrymæ enim ſunt ſanguis animæ. p.447.n.620

Fleuit ſuper illam. Amore priùs Chriſtus vulneratus eſt, quàm paſſione. Flagellis, ſpineâ coronâ, clauis, & lanceâ ſauciatus, è corpore ſanguinem fudit: ſed affectu, & compaſſione læſus ſpiritualem ſanguinem ex oculis dedit: nam vulnerum animi ſanguis lacrymæ ſunt. p.450.n.631

Chriſti lacryma, paſſionis eius vicaria eſt, & præſtat ante tormenta,quod ſanguis in paſſione. ibid.n.632

Videns, flenit. Quia oculi Dei fouent homines, ſicut ſolis aſpectus fouet terram. p.454.n.644

Lacrymatur Chriſtus dum aſpicit, vt quos fouet, in meliorem frngem, fletuum ſuorum aquis reducat: nam Chriſtiani in aquis renaſcuntur, & ex aquis pennati fideles oriuntur, ac de terra in cœlum eleuantur. p.354.n.186

Flet Saluator, quia nuſquam ſine aqua Chriſtus, & ſemper in aquis Chriſtus. p.355.n.196

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Prælati & Sacerdotes, qui in templis Chriſtianorum primatium locum obtinent, fures ſunt & latrones, niſi oues paſcant oratione, prædicatione, & exemplo. p.229. à n.411.& ſeqq.

Lattones ſunt, qui *quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti*, vt loquitur Apoſtolus *Philip.* 2. 21. quod ex inordinato, ac proprio amore procedit. Debent ergo Sacerdotes ouium, ſeu ſubditorum ſaluti ex amore Dei inuigilare, & pro illa totis viribus laborare; non enim poſſunt paſcere gregem Chriſti, niſi ament Chriſtum pluſquam ſua, pluſquam ſuos, pluſquam ſe. p.231.n.418

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Duo homines aſcendebant in templum, vt orarent. Templa domus Dei ſunt, & conſequenter domus orationis. Rectè ergo in templum vt orarent, aſcenderunt duo homines, quorum veſtigiis inhætentes Chriſtiani, non niſi ad orationem in Eccleſias venire debent; oratio enim nobis neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, & medij, & per illam, diuinam debemus poſtulare miſericordiam. p.443. & 444.n.606.& ſeqq.

Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Publicanus hic modum orandi omnes docuit homines; oportet enim cum humilitate, & cordis compunctione diuinam propitiationem implorare. Illum ergo nos decet imitari, quia oratione ſuâ publicanus cœlum inclinauit. p. 445. & ſeq.n.615

Deus propitius eſto mihi peccatori. Vbi Dionyſ. Cartuſianus: *Oratio*, inquit, *breuis verbo, ſed magna virtute; modica quantitate, ſed plena felicitatê. Frequenter hæc verba corde humillimo, ac feruenti dicamus.* Etenim oratio humiliati Deum attingit, & penetrat. p.446. n.616

Orationes feruentiores à pectore fracto vi contritionis ad Deum aſcendunt. ibid.

Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam. Quia oranti, & venienti peccatori ſe præbet Deus magna velocitate. p.444.n.609

Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Adducunt ei ſurdum & mutum. Marc.7. *Surdus eſt omnis homo, qui audiendi aures non habet, & qui Euangelij verba audire contemnit*, vt loquitur Euſebius Emiſſenus. Infelix ergo ille eſt, qui verbum Dei non audit; ſiquidem hoc verbum eſt initium vitæ ſupernaturalis. p.45 n.175

A verbo diuino illuminamur, & verbo Chriſtus omnia reſtaurat. p.47.n.181

Verbum Dei præbet vitam & immortalitatem, immò & Deitatem participatam. p.49.n.186

Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Manum ſuam imponit Chriſtus, dum amore, ſapientiâ, ac bonitate, quibus homo factus eſt, gratiam ſuam, & miſericordiam peccatoribus, & infirmis, illos juſtificando, & hos ſanando, effundit. Ipſe enim Chriſtus manus, & brachium Dei dicitur. p.457.n.655

Et ſuſpiciens in cœlum: vt inde mutus loquelam, inde auditum ſurdis, inde cunctis infirmantibus medelam doceret eſſe quærendam, ait Beda: ſiquidem *omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*, vt dicitur *Iacob.* 1. 17. Omnia igitur bona hominum à Deo procedunt. p.97.n.371.& p.451.n.638

Ingemuit, vt noſtram cauſam ſuſciperet, & noſtras infirmitates portaret, & portando ſanaret, ſicque ſe verum languorum noſtrorum medicum oſtenderet: nam vt ait Chryſol. ſerm.50. *Medicus, qui non fert infirmitatem, curare neſcit; & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* Vnde Chriſtus medicus eſt, & medicina, & ſeipſo ſanat. p.157.n.67

Et ait illi, Ephetа, quod eſt, Adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, &c. Sola vox Dei aures ſurdi aperit, & muti linguam ſoluit: ſola vox Dei à peccato ſuſcitat, & à pœnis peccati liberat. p.91.n.349

Deus voce Adamum ad pœnitentiam reuocauit. p. 46. n.180

Tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes, Benè omnia fecit, &c. Gratitudo poſt accepta beneficia juſtè exhibetur, & noua obtinet beneficia. p.6.n.a

Gratitudo erga Deum ad Religionem pertinet. p. 80. n.311

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Luc.10. Ac ſi diceret, quibus operibus æternam promereri potero beatitudinem? Etenim non ſolùm credendo, ſed diligendo, & benè operando, hoc eſt non ſolâ fide, ſed charitate, ac bonis operibus æterna felicitas obtinetur: & ideo bonis operibus ſemper debent inſudare Chriſtiani. p.263.n.111

Nullus adultus ſine fide formata charitate æternam vitam conſequitur. p.265.n.118

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Diligendus à nobis eſt Deus, qui prior dilexit; amor enim amoris eſt cauſa. p.39.n.147

Chriſtus *dilexit nos dulciter, ſapienter, & fortiter*, vt loquitur S. Bernardus *ſerm.20.in Cant.* Ideo vt amorem amore compenſemus, illum diligere debemus *dulciter, & ex toto corde; ſapienter & ex tota mente; fortiter, & ex omnibus viribus.* Gallicè: *Nous deuons aymer Ieſus-Chriſt d'un amour tendre, d'un amour éclairé, & d'un amour vigoureux.*

Primò amore dulci, & ex toto corde, quia ex toto corde, & ex viſceribus ſuis dilexit nos Chriſtus, & flammas amoris ſuper nos congeſſit. pag.157. numero 63

Secundò amore perſpicaci & ſapienti, vt Chriſti amori ſapientiſſimo reſpondeamus; adeo enim nos ſapienter dilexit, vt ſal fuerit in Euchariſtia ex deitate vt igne, & ex humanitate vt aqua compoſitus, vt nos à corruptione præſeruet. p.32.n.119

Sapientiâ ſuâ amorem & mortem ſuam in Euchariſtia collocauit. p.172.n.131

Tertiò amore forti & robuſto debemus diligere Chriſtum, quia & ipſe fortiter, & ex omnibus viribus ſuis nos dilexit. Quod Incarnatione, Euchariſtia, & paſſione teſtatus eſt. p.315.n.437.& ſeq.

Amore robuſto pro Chriſto moriatur Chriſtianus: nam *fortis eſt vt mors dilectio.* Si abſit mors, non adeſt amor. ibid.p.316

Amor fortis eſt, quia exceſſus eſt, & nullâ menſurâ clauditur. p.316.n.438

Amor Dei in homines magnus. p.285.n.238

Magnum amorem à nobis exigit; nam magnes amoris amor. p.157.n.63

Diliges Dominum Deum ex toto corde, &c. Cor noſtrum

amoris officina,nullo alio feruere debet amore, quàm Dei. Sicuti enim Deum ex corde noſtro laudare, ita & ipſum diligere ex toto corde debemus: dum enim diligimus Deum ex corde, illi confitemur, & clamamus. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, pſal. 110.1. *Clamaui in toto corde*, pſal.118. 145. Cor enim noſtrum amore, & charitate Deo clamat. pag. 108. n. 404

Cor noſtrum diuino feruens amore, in ipſum Deum fertur, ibique requieſcit, quia diuinus amor ecſtaſin facit, & amantem transfert in amatum. p. 22. n.72. & p. 40. n. 153

Et proximum tuum ſicut teipſum. Proximum ſicut ſeipſum diligat Chriſtianus, quia frater eius eſt. Frater autem ferè alterum ſonat. Ex triplici enim capite Chriſtiani fratres ſunt, & vnum cenſentur. p. 124.& ſeqq. à num. 479. ad 526

Chriſtianis initio Eccleſiæ erat cor vnum, & anima vna. p.126.n.489

Chriſtiani vna perſona cenſentur, & comparantur oculis, propter maximam vnitatem, quæ Gentilibus admirationi erat. p.127.n.491

Hoc fac, & viues. Vbi Saluator non dixit, Hoc cogita, hoc loquere, hoc crede, hoc ſcribe; ſed hoc fac, vt oſtendat, mandatum iſtud, non ſpeculatiuum eſſe, ſed practicum, ſiquidem illud adimplere oportet: illud enim ſcire, vel credere non ſufficit, ſed inſuper ad opus debemus reducere: fides enim ſine operibus mortua eſt. p.244.n.2.& p.261.n.99

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Cùm ingrederetur Ieſus quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi. Luc. 17. Peccatores leproſis iſtis adumbrantur. Meritò ergo Chriſto occurrunt, à quo vt occurrant, excitantur. Quia peccator à ſe ægrotat, à Deo tantùm ſanatur, à quo præuenitur, vt connertatur. p.93.n.355

Leuauerunt vocem ſuam. Peccatores ad precandum Deus excitat. p.445.n.613

Peccatorum oratio non eſt meritoria, ſed impetratoria. p. 444. n. 608

Ieſu præceptor miſerere noſtri. Meritò leproſi peccatores adumbrantes, à lepra, tanquam à maxima miſeria mundari cupientes, & propterea Saluatorem deprecantes, nomine Ieſu illum interpellant, quia maximam miſericordiam profert nomen Ieſu. pag. 414. num. 492

Miſericordiam ſecundùm effectum, & ſecundùm affectum, hoc eſt ſubleuantem, & compatientem exprimit nomen Ieſu. p.415.n.496.& p.416.n.499

Dum miſericordiam leproſi poſtulant, obtinent, & ſanantur, quia verbo *miſerere*, altâ voce prolato, petebant: nam dum verbo hoc à Deo miſericordia poſtulatur, obtinetur. p.410.n.474

Miſerere noſtri. Quia miſericordia nihil aliud ſonat, quàm ſubleuationem, ſeu liberationem à miſeria: ideò leproſi, peccatorum figuræ, miſericordiam poſtulant, vt à lepra liberentur. Sed maior miſeria, quàm lepra peccatum eſt, quia animam inficit. p.414. num. 492

Miſeriam noſtram debemus Deo orationibus exponere. p. 443. n. 605

Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Rectè ſanatus à lepra, dum Chriſto de tanto beneficio gratias agit, dare gloriam Deo dicitur, quia eius curatio, ſpiritualis lepræ, hoc eſt peccati curationis typus extitit. Mundatus ergo gratiâ Chriſti à peccato, & iuſtificatus, gratias agendo gloriam dat Deo, quia gloria Dei eſt ſalus hominis. p. 436. n. 146

Samaritanus iſte à leprâ mundatus, & Chriſto gratias agens magna voce à Chriſto laudatur, quia glorificantes Deum, à Deo glorificantur. p.109.n.410

Et daret gloriam Deo. Qui ſe à Chriſto ſanatum, & à miſeria lepræ mundatum oſtendit, & ob hoc gratias agit, Deum glorificat, quia magnam eius miſericordiam omnibus propalat: etenim miſericordia Dei eſt maxima eius gloria. p.422.n.524

Dominica XIV. poſt Pentecoſten.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Matth. 6. Hoc eſt, nullus poteſt ſeruire Deo, qui *Rex regum* eſt, *& Dominus Dominantium*; & Diabolo, qui *princeps huius mundi* vocatur. Cùm enim in omnibus opponantur, impoſſibile prorſus eſt illis obedire. Non debet ergo Chriſtianus per peccatum ſeruire Diabolo, qui & ipſe peccati ſeruus eſt, & falsò, ac iniuſtè huius mundi vſurpauit principatum: dura enim eſt hæc ſeruitus. p.500.n.380

Concordiam, & mutuam dilectionem ſectentur Chriſtiani, ne diabolo per diſſenſiones regnanti obediant; ille enim adeo debilis eſt, vt concordes Chriſtianos nequeat vincere, nec ſibi ſubiicere. Vnde filios Iob vnanimes, ac concordes faciliùs potuit interficere, quàm diuidere. p.132.n.322

Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Vni ergo, nempe Deo ſeruiamus. Illi enim ſeruitutem noſtram debemus, quia quidquid in nobis bonum eſt, ab ipſo proceſſit. p.452.n.642

Seruus eſt, vt docet S. Thomas, *qui ipſum quod eſt, alterius eſt*. Cùm ergo omne quod in nobis eſt, à Deo, & à Chriſto ſit, Dei & Chriſti ſerui ſumus, ideoque illis ſeruire oportet. p.81.n.312

Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Diuitiæ enim temporales egeſtatem noſtram non ditant, nec vacuitatem replent; tranſitoriæ etenim, caducæ, & externæ à nobis ſunt: vnde Gregor. hom. 13. in Euang. de diuitiis inquit: *Fallaces ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt: fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt*. Deo ergo ſoli ſeruiendum eſt; ipſe enim ditat, & ſatiat nos, quia eſt vera hæreditas noſtra. p.127.n.309

Deo ſeruire debemus, tanquam vero Regi, qui in nobis legibus regnat, ac præceptis. p.149.n.26

Deo ſeruiunt omnia, & patent res inſenſibiles: ſolus autem peccator Deo non ſeruit. p.149.& ſeq.à n.28. ad 30

Quærite primùm regnum Dei, &c. Deum ſibi in regem debent eligere homines, & ipſi ſpontaneâ, ac liberâ mente ſeruire. p.153.n.43

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum illo diſcipuli eius. Luc. 7. Chriſtum ſequuntur diſcipuli, & cum eo circumeunt ciuitates, vt doceant Paſtores, & Prælatos in diuerſa loca ire, vt ouium, & ſubditorum ſaluti inuigilent. Debent enim Paſtores, & Prælati ſuis ouibus & ſubditis præſentes eſſe, vt tanquam medici eorum curent infirmitates. p. 231. n. 419.& ſeqq.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. Magnus dolor matri ſuæ fuit mors corporalis huius adoleſcentis, ex maximo amore, quo erga filium flagrabat mater: nam diligebat illum quaſi animam ſuam: parentibus enim filij ſunt anima. p.228.n.407

Quantus dolor Chriſto debet eſſe mors ſpiritualis, ſeu peccatum mortiferum Chriſtianorum, quia illos plus diligit, quàm matres diligant filios. p.128.n.498

Ecce defunctus efferebatur. Extra ciuitates hominum ſepulchra olim, etiam apud Romanos videbantur: nunc

intra

Index pro Concionibus.

intra ciuitatum mœnia, immò & intra templorum ſepta, Chriſtianorum ſepulchra collocata ſunt ad animarum defunctorum ſolatium, & refrigerium: ibi enim pro illis orationes, & ſacroſancta Euchariſtia in Miſſæ ſacrificio offeruntur, & eleemoſynæ viuentibus fidelibus erogantur. p.76.n.299

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam dixit illi: Noli flere. Vitam filio ſuo defuncto, & miſericordiam poſtulabat à Chriſto mater vidua, non voce linguæ, ſed voce lacrymarum ſuarum. Cùm autem Chriſtus vocem iſtam lacrymarum audiuit, ſtatim miſericordiâ motus dixit illi, *Noli flere*, quia ſcilicet, quod poſtulabat, illi omninò concedere volebat, nempè vitam filio. Lacrymæ ergo ſuas voces habent. p.446.n.618

Noli flere, quia non pro morte corporea, vel pro jacturis temporalium lacrymæ fundi debent. p.451.n.636

Noli flere, quia dumtaxat flendum eſt pro peccato commiſſo, & pro amiſſo paradiſo. ibid.

Noli flere, quia jam me lacrymis tuis ad vitam filio tuo concedendam non ſolùm inclinaſti, ſed etiam quodammodo coëgiſti; ſiquidem oratio Deum lenit, lacryma cogit. ibid.n.637

Acceſſit, & tetigit loculum. Et hoc tactu vitam mortuo communicauit, quia caro Chriſti vnita Verbo Diuino omnis vitæ fonti vitam tribuit. p.34 n.127

Adoleſcens tibi dico, Surge: & reſedit qui erat mortuus, &c. Sola Chriſti vox defunctum adoleſcentem ad vitam reuocauit, quia ſola vox Dei hominem à peccato mortifero ſuſcitat. p.91.n.349

Et cœpit loqui, vt Chriſto nouæ vitæ ſuæ authori, & reſtitutori gratias ageret, in qoo actum religionis exercuit; nam gratitudo erga Deum ad Religionem pertinet. p.80.n.311

Et cœpit loqui, vt Chriſtum laudando, eique gratias agendo, nouæ vitæ conſeruationem, bonitatem, & ſanctitatem à Chriſto vitæ, bonitatis, & ſanctitatis authore obtineret: gratitudo enim noua beneficia obtinet. p.6.n.2

Et cœpit loqui, vt nouam quam à Chriſto habebat vitam, ad Chriſtum referret, & omnino Chriſto conſecraret; totam enim vitam illam Chriſto debebat, quam ab eius tactu, voce & virtute receperat. Nam homo debet ad Chriſtum referre vitam, quam ab illo accepit. p.319.n.452

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem, &c. Luc. 14. Cum Phariſæis manducare Chriſtus non dedignabatur, quamvis eorum in ſeipſum malitiam cognoſceret, quia bonitate & ſapientiâ ſuâ illorum malitiam & aſtutiam ſuperare volebat: nam etiam illos ad ſalutem conuerſatione, verbis & miraculis vocare volebat: pro omnibus enim in orbem terræ venerat omnium Saluator, omnibuſque ſe exhibebat, quia omnibus communis erat, ſicut ſol omni creaturæ corporeæ communis eſt. p.420.n.515.& 516

Sabbatho manducare panem. Non ſolùm panem, ſed & alios cibos manducare cum principe Phariſæorum Chriſtus venerat, quamvis ſolius panis ab Euangeliſta fiat mentio, quia nomine panis omnis cibus intelligitur. p.123.n.468

Communes cibos, v. g. panem, piſces & carnes animalium ab hominibus cum illis manducans, accepit Chriſtus: ſed diuinum cibum, & panem cœleſtem, ac panem viuum illis largitus eſt, vt illos ad vitam nutriret æternam; etenim illis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem in potom, in Euchariſtiæ ſacramento tradidit, in quo nulla ſubſtantia panis, ſed

R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.

ſolum & verum eius corpus ſub ſpecie panis reperitur. p.121.à n.456.& ſeqq.

Sola Euchariſtia panis viuus verè dicitur triplici ratione. p.117.à n.441.& ſeqq.

De pane fit caro Chriſti, quia panis in corpus, & vinum in ſanguinem Chriſti conuertuntur, quod nomine *Tranſubſtantiationis* exprimitur. p.122.n.460.& ſeqq. & p.234.& ſeqq. à n.433. ad 475

Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: & ideo illum ſanauit; Chriſtus enim qui ſanat omnes infirmitates noſtras, non poteſt ante ſe habere, & non curare: omne enim bonum hominis à præſentia Dei procedit; nam oculi Dei fouent homines, ſicut ſolis aſpectus fouet terram. p.454.n.644

Si licet Sabbatho curare? Licebat vtique: quod probat Chriſtus ex modo agendi Phariſæorum in boues, & aſinos. A fortiori igitur licebat in hominem eſſe beneficum die Sabbathi, & illum ab infirmitate liberare. Etenim etiam die feſto opera miſericordiæ licet exercere, quia ſeruilia non reputantur. pag. 341. n.114

Omni tempore licet homines à ſpiritualibus infirmitatibus, hoc eſt à peccato mortali liberare, & ad ſanitatem reuocare, reconciliatione cum Deo, quia nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis. p.346. n.146

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. Deus à nobis magis appetit amari, quàm timeri: *timere enim ſeruorum eſt, diligere filiorum*, vt loquitur Chryſoſtomus. Non vult ergo Deus, vt timeatur ſeruiliter ab hominibus, quaſi Dominus; ſed vt diligatur quaſi pater, quia ſpiritum adoptionis donauit hominibus. Debemus ergo Deum ex toto corde diligere, tanquam patrem noſtrum, à quo adoptati nouo nomine decoramur, nouis bonis ditamur, & nouam ac æternam hæreditatem recipimus. p. 357. & ſeqq. à n.210. ad 261.

Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c. hoc eſt, mente & corpore, ſpiritu & carne, cogitatione, & opere, affectu & effectu. Sicuti enim Chriſtus qui ab Apoſtolo vocatur *Filius dilectionis* Dei, *Coloſſ.* c. 13. Patrem omninò corde, & carne dilexit, hoc eſt, interiùs amauit, & exteriùs actione & paſſione amorem manifeſtauit, juxta illud Ioan. 14.31. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem.* Ita & nos Deum debemus ex intimo cordis affectu diligere, & dilectionem noſtram mandatorum Dei obſeruantiâ, & bonis operibus manifeſtare. Quia filiatio adoptiua communicat nobis ſimilitudinem filiationis naturalis Dei. p.349.n.162

Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Hoc nomen, *Chriſtus*, ſignificat vtramque naturam, diuinam ſcilicet, & humanam in ſuppoſito Verbi vnitas. p.81.n.315

Chriſtus non eſt filius Dei adoptiuus, ſed naturalis. p.151. n.36.& p.348.n.162

Chriſtus eſt etiam verus filius B. Mariæ Virginis, ex cuius puriſſimo ſanguine corpus eius formatum eſt, & ex qua ſicut ſol de ſtella natus eſt. p.151.n.36.& p.175.n.144

Dicunt ei, Dauid. Chriſtus filius Dauid, cuius manſuetudinem cum maiori perfectione poſſedit, ob maximam, & communem in omnes homines miſericordiam. Vnde Chriſtus ſol juſtitiæ, ſol puritatis, & ſol clementiæ dictus eſt. p.418.n.511

Chriſtum ex ſemine ſuo in Bethlehem naſciturum cognouit Dauid, & ideo dum aquam de ciſterna Beth-

lehem poſtulauit, non aquam, ſed Chriſtum ſitiebat. p.329.n.33

Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus, &c. Chriſtus etiam vt homo Dominus eſt, & *Princeps regum terra*, vt dicitur *Apoc.* 1. quia in vtero Virginis ad regiam dignitatem electus, vnctus, & coronatus eſt. p.150.& ſeqq. à n.32.ad 97

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

Aſcendens Ieſus in naniculam, tranſfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Matth.9. Ciuitas Chriſti erat Nazareth, in qua conceptus fuit de Spiritu ſancto, ex B. Maria Virgine, & in qua cum matre morabatur. Quamvis autem natus ſit in Bethlehem, ciuitatem iſtam non aſſumpſit in ſuam, ſed Nazareth: quia in iſta, & non illa Gentiles cum Iudæis promiſcuè habitabant: & Chriſtus qui in ſalutem omnium venerat, & Iudæorum, & Gentium, libenter inter vtroſque in Nazareth tanquam in patria ſua habitabat. pag. 419. n.513

Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Paralyticus eſt omnis homo motrifero peccato ſauciatus, in eius corpore velut in lecto jacet anima; moueri enim non poteſt motu ſupernaturali, vt ad Deum accedat, & à peccato recedat. Debet ergo huiuſmodi peccator Chriſto ſaluatori optimo offerri, vt ab illo ſanetur, & à peccato, cuius pondere premitur, & vinculis alligatur, ne moueatur, liberetur. Nam peccator à ſe ægrotat, à Deo ſanatur, & ab illo præuenitur, vt conuertatur. p.93.n.354

Offerebant ei, &c. quia aſpectu ſuo peccatores Deus viuificat, & ægrotos ſanat. p.94.n.357

Iacentem in lecto. Iacet peccator, & moueri non poteſt, quia ex ſe nihil poteſt, multùm autem cum gratia Dei. p.101.n.382

Confide fili. Chriſtus paralyticum, cui peccata vult dimittere, filium vocat, quia pater eſt omnium Iuſtorum, Fidelium, & Chriſtianorum; illos enim ſpecialiter genuit patris & matris perſonam gerens. p.124.n.480

Remittuntur tibi peccata tua. Quia Dei perfecta ſunt opera, dum à corporea paralyſi infirmum hominem Chriſtus ſanat, illum etiam à ſpirituali ægritudine, à qua corporea dimanabat, nempe à peccato curat; peccatum enim eſt maxima infirmitas. pag. 86. numero 330

Peccata non remittuntur ſine ſpeciali Dei miſericordia, quia à peccato non ſurgit homo ſine diuina gratia. p.90. n.346

Solus Chriſtus peccata dimittit, quia ſolus ille habet claues mortis & inferni. p.91.n.348

Poteſtas remittendi peccata ſublimis eſt, & Regia, immò & diuina. p.109.n.315.& ſeq.

Remittuntur tibi peccata tua. Nullum peccatum in hac vita eſt irremiſſibile, exceptâ finali impœnitentiâ. p.435.n.574

Semper poſt peccatum eſt pœnitendum, vt obtineatur remiſſio peccatorum. ibid.n.574

Dominica XIX. poſt Pentecoſten.

Simile factum eſt Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22. Vide ea quæ notata ſunt pro Dominica 2. poſt Pentecoſten.

Qui fecit nuptias filio ſuo. Quod exponens Gregorius hom.38. in Euang. ait: *Tunc Deus filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humana natura coniunxit, quando Deum ante ſecula fieri voluit hominem in fine ſeculorum.* Chriſtus enim ſibi humanitatem vt ſponſam copulauit, & per eam hominum mater factus eſt, qui Deitate pater extat. pag. 125. num.481

Chriſtus Eccleſiæ pater, caput, & ſponſus, peccatores in ſuis vulneribus reformat, & reparturit, eoſque lacte proprij corporis nutrit. p.126.n.485

Dominica XX. poſt Pentecoſten.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur. Ioan. 4. Filius Reguli, hominis inter homines ſublimis, & vrbis Capharnaum tetrarcha, ac pro Romano Imperatore Rectoris infirmatur, & mori incipit, quia à Deo elongabatur, quem non agnoſcebat, & cui non ſeruiebat: omnis enim vita & ſanitas à Deo eſt, præcipuè verò vita ſpiritualis: Deus enim eſt vita animæ. p.90.n.346

In filio infirmo Regulus pater infirmabatur, quia filius eſt aliquid patris, & de ſubſtantia patris. pag. 361. n.228

Hic cùm audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilaam, abiit ad eum. Infirmitate filij, & imminenti mortis illius periculo compellitur Regulus ad Chriſtum, vt ab ipſo ſanitatem, & vitam filio ſuo obtineat; omnia etenim bona hominis à Deo procedunt, & ab illo debent poſtulari. p.452.& ſeq.n.641.& 642

Nec per ſe ſurgere poteſt homo, nec per ſe ſtare; & ideo rectè ad Chriſtum venit Regulus, vt ab illo filij ſanitatem impetret. ibid.

Rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. Meritò Chriſtum rogat Regolus, vt deſcendat, & filium ſuum curet, quia in hoc venit Chriſtus, vt ægrotos ſanet. Nam vt inquit Auguſtinus ſerm. 9. de verb. Apoſtoli, cap.1. tom.10. *Si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terra jacebat agrotus.* Chriſtus ergo inuocandus, & rogandus eſt ad omnes infirmitates noſtras ſanandas, quia medicus eſt, & medicina, & ſeipſo ſanat. p.157.n.67

Rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. Rogat Regulus, & filium ſuum morti propinquum Chriſto exponit, quia miſeriam noſtram orationibus noſtris debemus exponere. p.443.n.605

Sanaret filium eius. Sibi ſanitatem petit, dum pro filij ſanitate Chriſtum obſecrat, quia illius anima filius eius erat: filij enim parentibus ſunt anima. p. 228. n.407

Filius tuus viuit. Magna fuit Chriſti miſericordia ægrotanti filio reguli ſubitò incolumitatem præſtare. Quod fecit, vt ſe etiam in pueros, & adoleſcentes miſericordem manifeſtaret, quod & in alios iuuenes præſtitit. p.430.n.558.& ſeqq.

Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit. Sanitas filij ægrotantis à verbis Chriſti procedens eo tempore incœpit, quo Chriſtus loquutus eſt, quia Chriſtus verbo omnia reſtaurat. p.47.n.181

Verbum Dei præbet vitam, & immortalitatem, & ideò loquente Chriſto ſanatur ægrotus. ibid.& ſeq.

Rectè loquente Chriſto febris dimittit filium infirmum reguli, quia verba Chriſti vitam conferunt, & ſanitatem. p.212.n.330

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Matth. 18. Cum hominibus omnibus, ac præſertim cum Chriſtianis, qui ſpecialiter ſerui eius ſunt, rationem ponet Chriſtus in extremo judicio; quod ideo ipſa morte terribilius videtur, ſicut innuit Apoſtolus Hebr. 9. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium.* Sibi ergo caueat Chriſtianus; mandata Dei ſedulò, ac diligenter obſeruet, ab omni malo, & ab omni ſpecie mali abſtineat, quia de omnibus actibus

actibus ſuis rationem debet reddere, ac judicium ſubire à perſpicaciſſimo, æquiſſimo, ac ſeueriſſimo judice Chriſto, qui ideo timendus eſt. pag. 438. num. 588

Timeat homo peccator Chriſtum Regem, cui de omni actu, ac de omni verbo debet rationem reddere; quia Angelis ſemel tantùm peccantibus non pepercit, ſed in illos in cœlis juſtitia eius primùm ſæuiit. pag. 63. n. 246. & ſeq.

Oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem millia talenta. Hoc debitore magis debet homo, qui peccati mortalis debito ac pondere premitur: peccatum enim eſt debitum infinitum, quia habet malitiam infinitam obiectiuè, ex eo quod contra bonum infinitum directè militet, vt docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 1. *art.* 2. quarè ſibi timeat peccator tanto debito prægrauatus, & ſe ſeruum miſerrimum agnoſcat: peccati enim dura eſt ſeruitus. p.100. n.380

Et quia peccatum eſt maxima miſeria. p.414. n.492

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Hoc eſt ſpatium pœnitentiæ concede, vt à debito peccatorum contritione, confeſſione, ac ſatisfactione exoneret. Seruum iſtum imitetur peccator, & Chriſtum roget, vt patientiâ ſuâ illum ad pœnitentiam adducat, & remiſſionem peccatorum concedat: nam docuit nos Chriſtus peccatorum remiſſionem oratione poſtulare. p.444. n.607

Oratio peccatorum non eſt meritoria, ſed impetratoria. ibid. n.608

Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Quia peccatori oranti & venienti, ſe Deus magnâ præbet velocitate. ibid. n.609

Miſericordia quæ peccata dimittit, magna eſt, quia ſummam expellit miſeriam. p.443. n.603

Nullum eſt peccatum, etiam atrociſſimum, quod non poſſit à Dei miſericordia deleri. p.435. n.574

Pœnitentia etiam in fine vitæ bona eſt, & à Deo recipitur. p.436. n.577

Tamen non debet differri vſque ad finem vitæ. p. 442. num. 601

Nonne oportuit te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. Iuxta illud à natura nobis inditum. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Debitoribus noſtris debemus dimittere, cùm Deus nobis dimittit debita noſtra; & hominibus parcere, quia Deus nobis parcit, maximè cùm Chriſtiani ſimus; Chriſtianus enim debet eſſe mitis, ac pacificus, pacifico ac miti Chriſto nutritus. Vnde Chryſoſtomus ait: *Quænam nobis erit excuſatio, cùm lupi ſiamus, agnum comedentes.* p.285. n.240

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Matth. 22. ingenua prorſus hæc eſt Phariſæorum confeſſio; ore verum proferunt, vt ſimul cum veritate venenum effundant. In ore verum, in corde virus habent, & vt Chriſtum in ſermone malitioſè & aſtutè capiant, de veritate doctrinæ ipſi increatæ, & incarnatæ Veritati blandiuntur. Chriſtus ergo verax, & veritas eſt, ac nuſquam potuit mentiri: vnde in inſtitutione Euchariſtiæ, verè & realiter, & non figuratè corpus & ſanguinem ſuum dedit hominibus. Tunc enim mentiri non potuit. p.117. n.443

Verax non eſſet Chriſtus, & verba eius eſſent falſa, ſi panis in Euchariſtia remaneret. p.121. n.458

Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt, Cæſaris. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Vbi Euſeb. Emiſſenus ait: *Sua ergo imago reddatur Deo.* Cùm ergo homines imagines Dei ſint, ſe totos Deo reddere debent perfectâ & integrâ ad Deum conuerſione. Nam conuerſio peccatoris ad Deum eſt quædam reſtitutio. p.441. n.599

Iubet Chriſtus, vt quæ ſunt Dei, reddantur Deo, & ſtatim miſericordia ſua præuenit peccatores, vt ad Deum redeant, immò & per ſuos legatos illos obſecrat Deus, vt ad illum redeant. p.445. n.611

Cuius eſt imago hæc. Si Cæſaris imago numiſma Cæſari addicit, nonne imago Dei in homine hominem Deo omninò tribuit? Non ergo ſemetipſum Deo ſubtrahat, ac iniuſtè ſibi detineat, vel mancipet creaturis: ſed Deo obſequio puro, & amore, ac pœnitentiâ omninò reddat; homo enim eſt vera imago Dei, immò & perfectior quàm Angelus. p.65. n.252

Homo imago eſt ſanctiſſimæ Trinitatis; eius enim anima diuinæ eſſentiæ vnitatem, & perſonarum Trinitatem repræſentat. p.82. n.318

Homo ſeipſum Deo, cuius eſt imago, reddere debet, hoc eſt, Deum debet intelligere, amare, & ſemper in memoria habere. ibid. p.83

Reddite quæ ſunt Dei Deo. Quod bonum in nobis eſt, à Deo eſt. Chriſtianus ergo totam vitam ſuam offerat. p.286. n.246

Chriſtianus vitam, quam à Chriſto in Euchariſtia habet, ad Chriſtum referat. p.319. n.452

Vt Chriſtianus ſemetipſum reddat Chriſto, debet Chriſtum imitari, & bonis operibus Dei filiationem comprobare. p.264. n.114. & p.265. n.115

Vt verè imaginem Dei habeat, & ſeipſum Deo reddat Chriſtianus, Chriſtum vt ſignaculum habeat in fronte, brachio, & corde. p.266. n.119

Reddite quæ ſunt Dei Deo. Chriſtiani ſi à Deo defecerint, tenentur quamcitiùs ad Deum ſe conuertere. p.432. n.566

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, &c. Matth. 9. Statim, & abſque vlla mora poſt mortem filiæ ad Chriſtum venit pater illius princeps Synagogæ, obſecrans illum, vt manus impoſitione mortuam ad vitam reuocet, vt doceat omnes ſummâ diligentiâ à peccato, quod animæ mortem præſtat, ſtatim recedere, & ad Chriſtum properare, eiuſque gratiam implorare ad deletionem culpæ. Nam à peccato tenetur homo ſtatim recedere. p.441. n.599

Impone manum tuam ſuper illam, & viuet. Quod de facto accidit; nam cùm Chriſtus tenuiſſet manum mortuæ, ſurrexit puella; carne etenim ſua Verbo Dei hypoſtaticè vnita vitam communicat, etiam temporalem. p.34. n.127. & p.57. n.219

Mirum non eſt Chriſtum tactu manus puellæ defunctæ vitam illi reſtituiſſe, cùm ab illo omnis vita hominum procedat; ille enim eſt, qui Adamo omnium hominum parenti poſt lapſum vitam temporalem donauit. p.311. à n.411. & ſeqq.

Tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero. Si à Chriſti veſtimentis corpoream ſanitatem ſperat mulier, & de facto recipit, quid non debemus ab ipſo Chriſti corpore ſperare, & recipere? Salutem ergo à corpore Chriſti in Euchariſtia recipimus, quia per hoc Sacramentum vita confertur homini, & dæmon torquetur. p.24. n.81. & ſeqq.

Salua facta eſt mulier ex illa hora. A profluuio ſanguinis tactu fimbriæ veſtis Chriſti hæc mulier liberata eſt: ſed virtus quâ ſanata eſt à corpore Chriſti in veſtimentum redundauit. Cum fiducia ergo ac reuerentia, non ad fimbriam veſtis, ſed ad ſacrum Chriſti corpus in Euchariſtia accedamus, quia per illud peccata venialia, & aliquando mortalia delentur, & omnes animæ infirmitates diſſipantur. p.28. n.100. & 101

Profluuium myſticum ſanguinis in Euchariſtia ſacrum Chriſti corpus ſinit, quia ſacra Euchariſtia dum auget charitatem, minuit cupiditatem. p.31.n.113

Sacrum Chriſti corpus in Euchariſtia eripit nos à voluntate peccandi. p.30.n.111

Euchariſtia dat vires ad non peccandum, Claræuallenſes Monachos à peccatis præſeruat, & inordinatas appetitus motiones ſedat. p.31.& 32.n.116.& ſeq.

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Vide quæ notata ſunt pro Dominica 1. Aduentus. *Orate ut non fiat fuga veſtra hyeme, vel Sabbatho.* Fuga noſtra, vitæ noſtræ finis eſt, & mors corporea. Orandum eſt ſimul, & cauendum, ne nobis accidat, dum ardore charitatis priuamur, & bonis operibus deſtituimur: frigiditas enim hyemis abſentiam denotat charitatis; & requies Sabbathi bonarum inſinuat defectum operationum. Vnde ne fuga noſtra, hoc eſt, mors abſque charitate, & bonis operibus eueniat, debemus, dum tempus habemus, operari bona, & nuſquam ab amore Dei, & bonorum operum exercitio ceſſare; maximè quia ſine bonis operibus nullus adultus ſaluatur. p.265.n.118

Ne fiat fuga veſtra in hyeme, vel Sabbatho. Pœnitentia contra actuale peccatum remedium, debet citò exerceri, & non differri vſque ad finem vitæ. pag.441.& ſeq.num.599

Peccatoribus obduratis, & excæcatis in pœnam præcedentium peccatorum Deus aliquando ſubtrahit auxilia ſua. p.436.n.581

Aliquando dum vult peccator, non poteſt, quia dum potuit, noluit. p.437.n.584

Erit tunc tribulatio magna. Tribulationes ſunt bona extrinſeca Chriſtianorum. p.363.n.239

Tribulationes & cruces ſunt patrimonium Chriſtianorum. p.364.n.241

Tribulationes, & cruciatus diuini amoris ſunt pignora, & maius donum Dei, quàm fides, & quare. p. 365. num. 246

Tribulatio eſt clauis cœli ignea, quâ porta ignea cœli aperitur. p.368.n.257

Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Verba hæc nihil faciunt contra præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia: notandum enim eſt illud, *Tunc*; hoc eſt, in fine ſeculi, tempore quo Antichriſtus regnabit, & abominatio prædicta à Daniele, videbitur, &c. p.407.n.459

Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo. Hoc ſignum eſt crux Chriſti, ſecundùm Auguſtinum, Hieronymum, Hilariom, Chryſoſtomum, & alios SS. PP. Vnde Eccleſia ſic canit, *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Apparebit autem Crux, quia in illa Chriſtus omnia attraxit, licèt non omnia fuerint attracta. Vt ergo nemo de Redemptore conqueratur, lignum in quo omnes redemit, & attraxit, omnibus apparebit. p.383.n.332

Crux in judicio apparebit, quia ſimilis Arcæ, Chriſti cruore homines erexit, & velut ſcala myſtica, gradus præbet hominibus, vt in cœlum aſcendant. p. 179. n. 164

PRO FESTIS SANCTORVM.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream, &c. erant enim piſcatores. Matth. 4. Vt ſuam Chriſtus fundaret Eccleſiam, *non elegit Reges, aut Senatores, aut Philoſophos, aut oratores; ſed plebeios, pauperes, & indoctos piſcatores*, vt loquitur S. Auguſtin. in catena aurea; nam vt proſequitur idem S. Doctor, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed priùs Petrus piſcator.* Adeo enim potens eſt Deus, vt per infirma mundi confundat fortia: eodem enim modo in Eccleſiæ fundatione vſus eſt, ac in mundi creatione. Ex nihilo mundum creauit nihili magiſter; & ex nihilo morali, hoc eſt, ex hominibus contemptibilibus, indoctis & piſcatoribus Eccleſiam inſtituit. p.81.n.312

Vidit duos fratres, &c. Vidit illos Deus, vt illi viderent Deum; nam Deus venit ad homines, vt homines veniant ad Deum. p.93.n.356

Ex Dei gratia omnia bona noſtra proueniunt. pag. 97. n.371

Venite poſt me. Non tam pedibus, quàm affectu, & imitatione, vt ait ibi gloſſa. Chriſtianus enim, & præſertim Sacerdos, ſeu Apoſtolus, Chriſtum debet imitari. p.53.n.204

Venite poſt me, vt filij poſt parentem, vt ſerui poſt Dominum, vt milites poſt Regem. Apoſtoli enim filij, ſerui, & milites Chriſti extiterunt, illique adhæſerunt, vt filij parenti, vt ſerui domino, vt milites Regi.

Primò filij Chriſti ſunt Apoſtoli, & ille iſtis veluti Iacob duodecim filiis coronatur. pag. 133. num. 530. & 532

Secundò ſerui ſunt Chriſti, & dum illi ſeruiunt, cæteris dominantur; etenim ſeruire Deo, regnare eſt. p. 100. n.378

Et ideo ſedentes cum Chriſto orbem judicabunt. p.134. n.534

Tertiò milites Chriſti ſunt, gloriam eius vbique propagantes. ibid.n.535

Vnde ſunt Chriſti legati, & vt tales coram Regibus mirabilia patrarunt. p.138.n.557.& ſeqq.

Sunt duodecim leones, in duodecim leunculis ſolij Salomonis adumbrati, & per illos vincit Chriſtus. p.139.n.559

Sunt inſuper oſſa Chriſti, eiuſque participant fortitudinem. ibid.n.560

Venite poſt me. Nullus poſt Chriſtum venit, niſi poſt illum crucem ferat; ait enim Matth. 15. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &c.* Poſt Chriſtum iuit B. Andreas, qui ſemetipſum abnegauit parentes & nauim deſerens, & Chriſti mancipio ſe addicens: ac crucem ſuam tulit, quam vehementer dilexit, concupiuit, & pulchram ex contectu membrorum Chriſti appellauit. p. 165. n.100

Crucem aliquando Andreas fugerat, dum ſcilicet optimus eius magiſter Chriſtus ad illã properabat; nam de Apoſtolis ſcriptum eſt Matth. 26. 56. *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Verùm poſtquam Chriſtus in cruce moriens crucis opprobrium abſtulit, & gloriam in ea collocauit, ad illam jam formoſam cucurrit Andreas, cucurrit & Petrus eius germanus, ſimulque fratres crucis ſupplicio priſtinæ fugæ reatum expiarunt. Quod eleganti ſtylo S. Chryſologus expreſſit ſerm. 133. *Æquauit*, inquit, *fratres venia, quos ſic diſcreuerat culpa: nam crucem, quam refugerant, poſtea coniunctis viribus ardenter inuadunt; vt vnde reatum ſumpſerant, inde conſcenderent cœlum, inde præmium ſumerent, & coronam. Petrus namque crucem, arborem conſcendit Andreas; vt qui Chriſto compati geſtiebant, in ſemetipſis figuram formamque ipſius exprimerent paſſionis, & redempti ligno conſummarentur ad palmam.* Quare ad

crucem

Digitized by Google

Index pro Concionibus.

crucem vt ad triumphum cucurrit Andreas. p. 382. num.325

Venite poſt me. Huic voci obediuit Andreas, præſertim dum in teſtimonium Chriſtianæ Fidei ad crucem lætabundus acceſſit, & exclamans: *Securus, & gaudens venio ad te.* Cùm enim in cruce *oportuerit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*; ad illam Andreas & Petrus, vt ad ſcalam cœli, immò & ad matrem, ex cuius viſceribus in æternam cœlorum gloriam effunderentur, gaudentes acceſſerunt. Quod notauit S. Petrus Damiani ſerm. 5. de S. Andrea: *Crux*, inquit, *quæ Regem præmiſit ad ſceptrum, eadem vtrumque militem* (Petrum & Andream) *ſubſequenter erexit ad præmium. Eadem triumphalis mors victores ad aſtra tranſmiſit; & quos in hac vita vnius generis protulit naturæ conſortes, in illam beatitudinem ſempiternam crux parturiuit æquales: eiuſdem nobilitatis in terra eandem proſapiæ celſitudinem ſortiuntur in cœlo; qui enim hîc ſunt filij Ioannis, illic ſunt filij crucis.* Ad crucem igitur, tanquam ad januam cœli, cucurrit Andreas; nam qui cruces fugit, à cœlo declinat. p.368.n.260

Venite poſt me. In vita, & in morte. In vita per obſequium, & in morte per crucis martyrium. Hoc præſtitit B. Andreas, qui Chriſto in vita fidele exhibuit obſequium, ac præſertim ei adhærens, dum inter homines viſibilis conuerſabatur; eius gloriam prædicans, poſtquam in cœlum conſcendit; & ſacrificium ei quotidie offerens: quod vltimum intrepidè confeſſus eſt, idolis ſacrificare renuens, & generoſa voce coram Ægea Proconſule reſpondens, ſe quotidie agnum immaculatum immolare, qui manducatus integer perſeuerat ac viuus. p.280.& ſeq.n.208.& 209

In morte per crucis martyrium, quod vehementer deſiderauit, & feliciter aſſequutus eſt, ita vt de illo dici poſſit, quod legitur Sap. 18. 11. *Simili pœna ſeruus cum Domino afflictus eſt, & popularis homo Regi ſimilia paſſus eſt.* Vnde per ſupplicium crucis Andreas fuit in Throno, Altari, Tribunali, & Curru triumphali Chriſti. Crux enim hæc omnia fuit Chriſto. p. 382. n. 330

In feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Thomas vnus de duodecim non erat cum eis, quando venit Ieſus. Ioan. 20. Ex ſpeciali prouidentia Dei abfuit Thomas, quando Chriſtus rediuiuus ad diſcipulos venit, vt ſcilicet eius dubitatio de Chriſti reſurrectione tactu vulnerum corporis eius deinde ſanata, vniuerſæ Eccleſiæ fidem firmaret ac ſolidaret. Venit autem iterum Ieſus januis clauſis, cùm Thomas eſſet cum aliis diſcipulis. Aduentus iſte ſummoperè fuit neceſſarius ad ſanandum Thomam, & fidem Eccleſiæ roborandam; diuina enim gratia eſt neceſſaria, vt homo à peccato ſurgat. p.90.n.346

Dei præſentia ſemper eſt quærenda, & diuinum auxilium jugiter implorandum. p.455.n.647

Mitte manum tuam in latus meum. Summa Chriſti bonitas erga diſcipulum incredulum admiranda eſt; vt enim illius, & noſtræ infidelitatis vulnera ſanaret, vulnera ſua tangenda conceſſit. p.207.n.306

Chriſtus calcatâ morte rediuiuus fideliſſimæ Magdalenæ ſe tangendum negauit; & tamen Thomæ infideli non ſolùm vulnera carnis ſuæ tangenda præbuit, ſed & eius manum in latus ſuum lanceâ apertum mitti voluit, & hoc in reuerentiam dignitatis ſacerdotalis. Cùm enim Thomas Apoſtolus eſſet Sacerdos, diuinâ propterea manu gaudebat, & ideo dignus fuit, qui in latus Chriſti manum mitteret. ibid.n.307

Dominus meus, & Deus meus. Thomas Hebraïcè abyſſum, græcè os ſignificat. Vtrumque & abyſſi, & oris munus præſtat Thomas Apoſtolus, dum tangendo Chriſti humanitatem, eius Diuinitatem attingit, & magna voce confitetur. Abyſſus fuit, dum Deum cognouit; ſed os abyſſi, dum Deum, & Dominum hominem mortuum & rediuiuum disertè pronuntiauit. Quare illi optimè quadrant verba Habacuch 3. 10. *Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.* Quod ideo præſtitit Thomas, quia ipſi à corporis Chriſti tactu fides, & ſpes ſunt reſtitutæ. p.314. num. 431

Fides Thomæ, poſtquam Saluatoris vulnera tetigit, tanta fuit, vt ex illius ardore ad illam propagandam, & Gentiles docendam in Indiam profectus fuerit, vbi ſemper in mente, & in ore crucem Chriſti habuit; vnde & martyrio coronatus eſt, ſagittis confoſſus ſuper lapidem, in quo crux Chriſti inciſa erat. p.380. num. 310

In feſto S. Stephani Protomartyris.

Cùm eſſet Stephanus plenus gratiâ. Gratia ſanctificans, quâ plenus erat S. Stephanus, illum maximè gratum Deo reddebat, ac juſtum faciebat, illumque Deo ipſo replebat, quia tota Trinitas replet, & inhabitat mentem juſti per cognitionem, & amorem. p.261.n.97

Gratia habitualis, & ſanctificans in ſubſtantia animæ recipitur, & nouum eſſe tribuit. p.358.n.214

Et fortitudine. Stephani fortitudo à Diuina gratia procedebat; homo enim qui ex ſe nihil, multùm poteſt cum gratia Dei. p.100.n.382

Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris, &c. Chriſtum videt Stephanus, dum lapidatur, & pro Chriſto ſanguinem fundit, ipſumque ſtantem aſpicit, vt faciliùs omnia quinque vulnera corporis Chriſti intueatur, & ab illis inuictam accipiat fortitudinem. Nam martyrum fortitudo eſt inuicta à vulneribus Chriſti. p.365.n.245

Video cœles apertos. Immò & jam cœlos tenebat Stephanus, cùm lapidum ictus pro Chriſto ſuſtinebat, & jam amore cœlum poſſidebat vehementi Chriſti deſiderio & ardore: martyr enim exul eſt à corpore, & à terra, non ſtupore, ſed amore. ibid.n.247

Et Ieſum ſtantem. Stabat Ieſus, dum lapidabatur Stephanus; quia *cum bellante bellabat*, vt loquitur S. Petr. Damian. *ſerm. de S. Steph.* vel vt ait Bernardus ſerm. 5. in pſal. 43. *quia juuabat.* Vnde & Ambroſ. *ep. ad Eccleſ. Vercell.* dicit, Chriſtum ſtetiſſe, *vt ſollicitus juuaret athletam, quem & paratus coronaret.* Quod non mirum eſt, quia Chriſtus in Stephano patiebatur: nam ab origine mundi in martyribus paſſus eſt Chriſtus, & adhuc patitur: vnde & dixit Saulo: *Quid me perſequeris.* p.388.n.359

Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Mira, & magna Sancti Stephani charitas, quâ & pro ſe lapidantibus deprecatur: hac diuinâ armaturâ tortores, tormenta, & ſeipſum vicit. Charitas igitur pro armis fuit Stephano, & per illam vicit & triumphauit. p.365.n.246

In feſto S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.

Vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus. Ioan. 21. Inter cæteros Chriſti diſcipulos Ioannes à Chriſto fuit magis dilectus, & ideo magis quàm alij Chriſtum dilexit; nam magnes amoris amor: & amor amoris cauſa. p.39.n.146. & p.157. n.63. & p.307. n.387

Non intra ſe manebat Ioannes, ſed in Chriſto, quem vehementer diligebat. Siquidem diuinus amor ecſtaſin facit, & amantem ad amatum transfert. p.22.n.72. & p.40.n.153

In Ioanne Chriſtus, & Ioannes in Chriſto, ex mutuo

ac

ac vehementi amore: duo etenim amici, quaſi vnicam dumtaxat perſonam conſtituunt; vnde & amicus dicitur dimidium animæ amici. ibid.n.151

Qui recubuit in cœna ſuper pectus eius. Ex vehementi amore cecidit ſupra pectus Chriſti in cœna Ioannes, quia tunc ex Sacramento corporis & ſanguinis ſui, quod à Bernardo *amor amorum* appellatur, amoris ſui ſagittas in Ioannem jaculatus eſt Chriſtus. pag.307. n. 387

Ex maiori, quo Ioannes Chriſtum proſequutus eſt amore, maiorem cæteris cognitionem ac ſcientiam eſt aſſequutus, & in Euangelio ſuo profundiora ac ſublimiora myſteria propalauit. Amore enim veluti pondere in Chriſtum ferebatur, & ſimul cum illo mente & ſpiritu in cœlis manebat, licèt corpore adhuc in terra maneret. p.40.n.152. & ſeqq. & p.44. num. 169

Per Ioannem, tanquam per columnam nubis loquitur Chriſtus; & per linguam eius, tanquam per columnam ignis Eccleſiam illuminat. p.137.n.548

Ioannes fuit Boanerges, hoc eſt, filius tonitrui, quia ſimul ſanctitate & doctrinâ, pietate & ſermone, charitate & Euangelio coruſcauit. p.215.n.342

In Conuerſione Sancti Pauli Apoſtoli.

Saule, Saule, quid me perſequeris? Act. 9. Optimi paſtoris eſt ouem errantem ad gregem reuocare: hoc præſtitit Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum Chriſtus Dominus, qui Saulum non ſolùm errantem, ſed ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos ſuos propriâ voce vocauit, & ad Eccleſiam, tanquam ad gregem ſuum reuocauit; nam ſola vox Dei à peccato ſuſcitat. p.91.n.349

Paulus ex Eccleſiæ perſequutore non ſolùm ad fidem conuerſus, ſed etiam egregius factus eſt prædicator voce Chriſti. p.47.n.182

Domine, quid me vis facere? Mira de Paulo verbi Dei victoria. ibid.n.183

Mira Pauli per gratiam conuerſio. p.95.n.362

Surrexit Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Paulus excutit oculis carnis, vt clariùs videat oculis mentis. p.48.n.184

Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, &c. Paulus conuerſus ad Chriſtum, vas electionis eſt, vt Gentes, & Reges, & filios Iſraël conuertat ad Chriſtum. Vnde Bernard. ſerm. 1. in conuerſ. S. Pauli, inquit: *Conuerſus Paulus conuerſionis miniſter factus eſt vniuerſo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, ſed non jam ſecundùm carnem ambulans, prædicationis officio conuertit ad Deum; nunc quoque in ipſo feliciùs viuens, & apud ipſum, nec adhuc quidem ceſſat ab hominum conuerſione. Dico autem exemplo, oratione, doctrinâ.* Sic enim ex lupo rapaci Paulus paſtor fidelis effectus eſt. p.47.n.183

Quia paſcit fideles, & illos ad Deum conuertit exemplo, oratione, & doctrinâ. p.229.n.411

Vas electionis eſt mihi iſte, &c. S. Bernard. loc.cit. *Quis deſperet*, inquit, *vltrà pro magnitudine cuiuſlibet criminis; quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis? Magnificè ſiquidem in hac vna conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & EFFICACIA gratiæ commendatur.* Nam Paulus adoleſcens potenti miſericordiâ ad Chriſtum conuerſus eſt. p.431.n.561

Paulo ſanato, & ad Chriſtum conuerſo, nemo deſperet. ibid.

Ego oſtendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. Paulus vas electionis patientiâ clarum, Apoſtolatum ſuum patientiâ nobilitauit. p.225.n.396

In feſto Purificationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis.

Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino. Luc. 2. S. Bern. ſerm.1. in Purif. B. Mariæ: *Hodie*, inquit, *templi Dominum in templum Domini Virgo Mater inducit: Ioſeph quoque ſiſtit Domino, non ſuum, ſed eius filium dilectum, in quo ei benè complacuit.* Siſtitur ergo Domino in eius templo templi Dominus, & ſanctificator, illumque offerunt Deo Maria, & Ioſeph, Virgo Deipara, & virgo eius ſponſus, vt de tanto beneficio collato hominibus ad eorum redemptionem, gratias agant: nihil enim gratius Deo poterant offerre ad gratias agendum pro Chriſto conceſſo; ſicut ad gratias agendum pro Euchariſtia, ipſum ſacrificium Euchariſtiæ conuenientiſſimum eſt. p.112.n.425

Ipſe Chriſtus, qui Deo offerebatur, pro ſeipſo conceſſo hominibus gratias agebat; nam ad gratias agendum pro beneficio Incarnationis, anima Chriſti electa eſt. p.113.n.427

Vt ſiſterent eum Domino. Meritò à Deipara Virgine Chriſtus Domino ſiſtitur, & offertur, vt per illum omnibus hominibus à Domino veniam & miſericordiam obtineat; tunc enim Mariæ optimè conuenit illud pſalmi 51. 10. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Nam vt oliua fructifera, & virgo mitiſſima, oliuam profert, manibus geſtat, & Domino offert Chriſtum filium, hominem, ſimulque Deum optimum ac mitiſſimum, cui quadrat illud Eccl.24. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Antiquitus etenim oliuarum ramos offerentes, & veniam poſtulantes, poſtulata impetrabant. p.196.n.248

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Rectè à ſancta Eccleſia in introitu Miſſæ huius diei verba hæc proferuntur: dum enim in medio templi Filium Dei hominem factum Deo obtulit, ab eo in omnes homines, pro quibus offerebat, miſericordiam obtinuit. Antiquitus namque Reges veniam poſtulantibus concedebant, dum poſtulantes filios eorum eis offerebant: Moloſſi enim Regi filium ſuum offerentes, poſtulata, & veniam obtinebant. p.195.n.247

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Illa miſericordia, quam in medio templi hodie ſuſcipiunt homines, Chriſtus eſt, qui & omnis eſt miſericordia, & omnem hominibus attulit miſericordiam. p.424.n.533.& ſeq.

Miſericordiam ſecundùm effectum, ſeu ſubleuantem Chriſtus habet à Patre; ſed ſecundùm affectum, ſeu compatientem habet à matre Virgine, à qua miſericordia coronatus eſt, & vt miſericors, ac ipſa miſericordia, in medio templi pro omnibus oblatus hominibus. p.160.à n.76. & ſeqq.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Quod exponens Bernardus ſerm. 1. in Purific. B. Mariæ: *Suſcepit*, inquit, *hanc miſericordiam Domini David, ſuſcepit Simeon: ſuſcepimus & nos, & quicunque ſunt præordinati ad vitam. Siquidem Chriſtus heri, & hodie, & in æternum. In medio etiam templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diuerſorio, quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum. In communi poſita eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit.* Chriſtus etenim miſericordiam communem omnibus, omni tempore, & omni loco offert. pag. 418, n.509

Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. A lege purificationis immunis erat B. Virgo, quia vt inquit Bernardus ſerm.3. in Purific. *Nihil*

in

in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cùm proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem veneris facere delictorum. Vnde Maria virgo concepit, virgo peperit, & virgo poſt partum inuiolata permanſit; & ideo naſcens ex Maria Chriſtus, *matris virginitatem non minuit, ſed ſacrauit*, immò & duplicauit. p.160.n.80

In feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

Sors cecidit ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Act. 1. Expulſo è ſacro Apoſtolorum collegio proditore Iuda, qui in pœnam commiſſi ſceleris ſuſpenſus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius, in eius locum, ne ſacratus Apoſtolorum numerus perfectione careret, Mathias, Deo ſortes declarante, ſuffectus eſt; voluit enim Deus vt duodenus remaneret numerus Apoſtolorum, quia hoc numero Chriſti maieſtas ſplendeſcit, Eccleſiæ honor, ſeu decor exornatur, & propria Apoſtolorum dignitas illuſtratur. p.133.n.530.& ſeqq.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. 11. Mites, pacifici, ac humiles debent eſſe omnes Chriſtiani, qui à Chriſto virtutum omnium magiſtro debent virtutes diſcere; ſed præſertim Apoſtoli, qui à Chriſto ſicut oues in medio luporum miſſi ſunt, vt manſueti eſſent & patientes. p.225.n.395

Mitis ſum. Chriſtus mitis eſt, quia miſericors, immò & miſericordia. p.417.n.506

Sed juſtus etiam eſt, & ideo per apem adumbratur, quæ in eodem ore mel habet, & aculeum. pag. 440. n.595

Diſcite à me, quia mitis ſum. Chriſtiani debent eſſe pacifici, ac mites, pacifico ac miti Chriſto nutriti. p.285. n.240

Mitis ſum. Chriſtus mitiſſimus, quia eſt petra fundens mel, & ſaxum duriſſimum, ex quo oleum dulciſſimum manat. In cruce oleum charitatis effudit, vt nobis ſcintillas largiretur amoris. p.157.n.63

Mitis eſt Chriſtus, quia ſeipſo ſanat, medicus eſt, & medicina. ibid.n.67

Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Omnes vocat Chriſtus, quia ſicut Sol, omnibus venit, paſſus eſt, & reſurrexit, eiuſque miſericordia in omnem orbis partem Euangelij prædicatione eſt effuſa. p. 425. n.535

Spes omnium finium terræ Chriſtus eſt. ibid.

Non ſolùm omnes laborantes & oneratos vocat Chriſtus, ſed ad illos vadit, & ideò in Ægyptum diuerſis plagis laborantem mox natus fugit. ibid.n.536

In feſto S. Thomæ Doctoris Angelici, Ordinis Prædicatorum.

Vos eſtis lux mundi. Matth. 5. Lucis nomine Apoſtolos decorauit Dominus, qui & ipſo eodem nomine gloriatus eſt. Ioan.8. *Ego ſum lux mundi.* Lux igitur mundi Chriſtus eſt, quia Filius Dei, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Lux mundi eſt, quia veritas, & veritatis præco. *Ego ſum via*, inquit Ioan. 14. 6. *& veritas, & vita.* Apoſtoli autem lux mundi dicuntur, quia Dei coadiutores facti ſunt, & veritatis prædicatores, ac Doctores Eccleſiæ. Vnde S. Thomas Doctor Angelicus, ac perpetuus, ore & calamo, verbis & ſcriptis veritatis propugnator, lucis mundi nomine poteſt inſigniri. Deinde lux puritatem deſignat, vnde & Chriſtus, qui à Patre in ſplendoribus Sanctorum ex vtero mentis ante Luciferum genitus, & à Matre puriſſima, intemerata ſemper ac inuiolata Virgine, veluti ſplendidiſſimus flos caſtitatis erupit, lux de luce, & lumen de lumine appellatur. Cùm ergo S. Thomas mentis, & corporis puritate inſignis virginitatem perpetuò illibatam ſeruauerit, morum puritate, & ſplendore doctrinæ lux mundi eſt, & conſequenter Doctor Angelicus meritò dicitur, cùm ſanctimoniæ, tum doctrinæ nitore, quibus non ſolùm Angelis æqualis eſt, ſed etiam illos tranſcendit. pag.2

R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D. Thom.

Vidi vnum Angelum ſtantem in Sole. Apoc. 19. 17. Nihil pulchrius, nihil ſplendidius à Ioanne potuit videri, quàm Angelus ſtans in Sole, quo vtique adumbratur Sanctus Thomas Aquinas, qui & virginitatis flore, & ſcientiæ ſublimitate Angelus fuit. Sed Angelus ſtans in Sole, à quo nuſquam receſſit, hoc eſt Angelus Chriſto Soli juſtitiæ ſemper adhærens; nuſquam enim poſt ſuſceptam Baptiſmi gratiam à Chriſto diſceſſit Thomas, nec peccati labe, nec erroris caligine: cùm nuſquam mortiferi criminis reus in tota vita extiterit, nec minimum errorem vel docuerit, vel propugnarit. Angelus ergo Thomas & corpore, & mente, & puritate vitæ, & puritate doctrinæ, ſemper in Sole ſtetit, quia ſemper in ſplendoribus virginitatis, ſanctitatis, & doctrinæ, nulliſque vſquam fuit obuolutus tenebris. Sicuti ergo ex Greg. Nazianz. *orat. 2. de pace*, Angeli ſunt *ſplendores, qui in Eccleſia Triumphante fulgent*; Thomas Angelus fuit ſplendens in Sole, qui in Eccleſia Militante refulſit, fulgurauit, coruſcauit. Fuit etiam Solis ſplendore donatus: cùm enim eſſet vir omninò Apoſtolicus, Apoſtolorum dotibus exornatus fuit, & Chriſti juſtitiæ Solis fuit radius, odor, & ſcintilla. Si enim Chriſtus ſol, roſa, & ignis eſt, Apoſtolici viri ſunt eius radij, odor, & ſcintillæ. pag. 212. num. 327

Vos eſtis ſal terræ: vos eſtis lux mundi. Viri Apoſtolici, & ſancti Eccleſiæ Doctores pietate & doctrinâ conſpicui, inter quos ſplendet S. Thomas, ſunt ſal terræ, lux mundi, & hominum Saluatores. ibid. numero 331

Vos eſtis lux mundi. Doctori Angelico optimè quadrant hæc verba. Cùm enim juxta Auguſtinum, Angelorum creatio productione lucis in primo capite Geneſis ſit expreſſa, dum dicitur, *Fiat lux:* rectè S. Thomas, qui virginitate, ſanctimoniâ, & ingenij ſublimitate, & acumine Angelus fuit, antequam Doctor eſſet Angelicus, lux mundi dici poteſt. pag. 59. n.230

Vos eſtis lux mundi. Splendore ſuo virgineam puritatem lux deſignat. Virgo fuit S. Thomas, & virginitate Angelus: nam vt inquit Chryſol. ſerm. 143. *ſemper eſt Angelis cognata virginitas.* Immò Angelo maior, ac illuſtrior: nam vt ait Ambr. lib.2.de hab. Virginum: *Maior eſt victoria Virginum, quàm Angelorum. Angeli ſine carne vincunt, Virgines in carne triumphant.* Vnde S. Thomas impudenti ſcorto à ſe titione fugato, & concupiſcentiâ omni ex parte ſubactâ, in glorioſæ ſignum victoriæ ab Angelis, vt maior à minoribus, ad lumbos præcinctus eſt. Quare non ſolùm lux mundi, ſed lilium Eccleſiæ Doctor Angelicus poteſt appellari. Ille enim non vt ſponſa, *ſicut lilium inter ſpinas*; ſed ſicut lilium inter lilia, Virgo inter Virgines, Angelus inter Angelos emicuit. Nam Chriſtus *inter lilia paſcitur*, quia vt notat D. Gregor. in cap. 2. Cant. *per lilia mundæ animæ deſignantur, quæ dum caſtitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibuſque ſuauiter olent.* Nam Angeli & lux ſunt, & lilia. pag. 16. numero 51

Vos eſtis lux mundi. Lux fuit Sanctus Thomas, ſed meridiana, ardoris ſcilicet, & fulgoris plenitudine inclyta. Arſit enim pietate, charitate, & zelo diuini

honoris & gloriæ. Vnde & officium Euchariſtiæ jubente Vrbano IV. compoſuit. p.2

In feſto Annunciationis B. Mariæ Virginis.

Miſſus eſt Angelus, &c. in ciuitatem Galilææ. Luc.1. Galilææ prouinciam, vt in ea à Virgine in vtero conciperetur, & homo fieret, elegit Filius Dei, quia Galilæa ſimul à Gentibus & Iudæis habitabatur, vt innuitur Iſai. 9. *Trans Iordanem Galilææ Gentium.* Vt oſtenderet ſe in ſalutem omnium, & Gentium, & Iudæorum hominem fieri. Vnde S. Antonin. 4. p. tit.15. cap.9. §. 15. *In regione communi*, inquit, *concipi voluit, qui pro omnibus naſci voluit. Non eſt Iudæorum Deus tantùm, ſed etiam Gentilium.* pag. 419. n.513

Cui nomen Nazareth. In Nazareth Chriſtus conceptus eſt, & in Bethlehem natus, quia triticum priùs floret, quàm in dura grana, ex quibus panis efficitur, conſurgat. p.329.n.32

Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Gratiâ plena, omnique ſanctitate referta debuit eſſe B. Virgo, vt Deum in ſuo vtero conciperet. Vnde de illa Gregor. Magnus inquit: *Meritorum verticem vſque ad ſolium diuinitatis erexit.* Maxima enim Virginis charitas fecit illam Dei genitricem. p.163.n.91

Dominus tecum. Vbi Bernardus: *Tecum in mente, & tecum in ventre.* Maria namque priùs concepit corde, quàm carne; & mente, quàm ventre. Tamen Dominum Filium Dei verè habuit in vtero; nam Virgo non alium niſi Deum, & ſummum Regem potuit concipere. p.151.n.35

Dominus tecum. Maxima fuit Chriſti in ſinu Matris humilitas. p.150.n.32

Attamen ibi verè fuit Dominus, quia jam ad regiam dignitatem electus, ibi fuit vnctus Rex, ac coronatus. p.153.& ſeqq.à n.45.ad 97

Quoniam virum non cognoſco. Mariæ Virginitas Chriſti conceptione & natiuitate conſecrata & duplicata. p. 160. n. 80.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Humilitas B. Mariæ Virginis Filium Dei intra eius attraxit viſcera. p.555.n.35

Charitas B. Mariæ Virginis fecit illam Dei Genitricem. p.163.n.91

In feſto S. Petri Martyris Ordinis FF. Prædicatorum.

Tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 15. Crucem Domini tanquam ſuam tulit S. Petrus Martyr, qui à pueritia fidem publicè propugnauit, illamque fortiter profeſſus eſt. Hercules Chriſtianus fuit inuictus hic Fidei pugil; adhuc enim velut in cunabulis ſerpentes extinxit, & monſtra trucidauit Fidei Symboli diſtinctâ, clarâ, & animoſâ pronunciatione, ſimilis Spiridioni Tremithuntis Epiſcopo, qui ſolius Symboli Fidei pronunciatione eruditum, & verboſum Philoſophum Chriſtianæ Religionis impugnatorem ſuperauit, & ad Chriſtianam fidem adduxit. p. 12. n. 28

Tollat Crucem ſuam, & ſequatur me. Chriſtum Cruce onuſtus S. Petrus Martyr ſequutus eſt, quia obſeruantiâ regulari, & vitæ Religioſæ profeſſione, quæ Crux eſt, & diuturnum Martyrium, deuicit ſæculum, Eccleſiam ampliauit, & glorioſam Martyrij coronam fuſo ſanguine eſt aſſequutus. Primò, ſeculum deuicit, quod contempſit, & reliquit, & votorum obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis fideliſſimus obſeruator, mundi pompas, voluptates, & diuitias victoriâ inclytus triumphauit. Secundò, Eccleſiam ampliauit verbi Dei prædicatione, & Chriſtianæ Fidei defenſione, ac propagatione, hæreticos ab erroribus liberans, & ad Eccleſiæ gremium adducens. Tertiò tandem, fuſo ſanguine purpuratus, & in extremo vitæ ſpiritu Symbolum Fidei conſtanti pectore, & verbo diſtincto proferens, Martyris coronam accepit: ſicque Chriſto conformis, qui mundum vicit, fidem, & Eccleſiam inſtituit, & tandem pro omnibus hominibus ſanguinem ſuper crucis lignum effudit, in cruce gloriabatur Petrus, in qua plurimas diuitias inuenit. p.364.n.241.& ſeq.

Tollat crucem ſuam, &c. Ardentiſſimo deſiderio crucem ferre cupiuit S. Petrus, qui à Chriſto quotidie enixè poſtulabat, vt ipſi pro illo mori concederetur. p.368. num. 259

Vnde à Chriſto ſummoperè dilectus eſt, dum ab ipſo quod deſiderabat, obtinuit; & verbo Dei à ſe feruenti zelo ac conſtantiſſimè per Quadrageſimam diſſeminato, poſt Paſcha rediens ab iniquis interfectus eſt. Nam tribulationes & cruciatus amoris diuini ſunt pignora. p.365.n.246

Sequatur me. Chriſtum non ſolùm ſequutus eſt S. Petrus martyr innocentiâ vitæ, morum ſanctimoniâ, ſalutis animarum zelo, Diuini Verbi prædicatione, & tandem ſanguinis ſui pro fide effuſione; ſed etiam eſt aſſequutus, ipſique omninò vnitus: nam martyrium ſubiens pro Chriſto Deiformis quodammodò effectus eſt; homines enim per tribulationes Deiformes euadunt. p.369.n.260

In feſto S. Catharinæ Senenſis Virginis.

Hanc amaui, & exquiſiui ſponſam mihi aſſumere. Sap. 8. Seraphica Chriſti ſponſa inclyta Virgo S.Catharina Senenſis, à Saluatore gratiarum vbertate præuenta, & diuini amoris igne accenſa, vt vera illius ſponſa triplici coronâ donata eſt, virginitate, patientiâ, & gloriâ. Geminam accepit in via, & tertiam in gloria: nam virgo immaculata ſpeciali Dei munere per totam vitam permanſit, dolores, tormenta, calumnias, alioſque cruciatus, immò & Chriſti crucifixi vulnera paſſa eſt, & tandem peracto breui vitæ curriculo, & glorioſo de omnibus hoſtibus reportato triumpho, immarceſſibilem æternæ vitæ coronam in cœlis accepit. In præmium fuit hoc generoſæ actionis, quam præſtitit Virgo Senenſis, dum coronam gemmis coruſcantem à Chriſto in hac vita oblatam reſpuit, & ſpineam elegit & accepit. p.368.n.259

Viuo ego, jam non ego: viuit verò in me Chriſtus. In Catharina Senenſi viuebat Chriſtus, cui cor proprium dederat, corde Virginis ablato, & in commutationem ab ipſo Saluatore recepto. Magnum prorſus, & incredibile miraculum: ſine proprio corde, quod vitæ eſt principium, viuebat Catharina; ſed ex corde hominis Dei nobiliſſimam, immò & diuinam vitam trahebat. Viuebat ergo Catharina, & non viuebat ipſa, ſed in illa Chriſtus viuebat: immò illa per Chriſtum, cum Chriſto, & in Chriſto per cor Chriſti viuebat. Quare cùm cogitationes de corde exeant, juxta illud Chriſti Matth. 15. 18. *De corde exeunt cogitationes*; Chriſtus dicebat Catharinæ, cui cor ſuum dederat, & cuius cor acceperat: *Cogita de me, & ego cogitabo de te.* p.109.n.410

Viuit in me Chriſtus. Non ſolùm à corde Chriſti, ſed etiam ab eius corpore S. Catharina Senenſis vitam trahebat; nam à ſacra Euchariſtia etiam temporalem habuit vitam. p.312.n.410

Ex corde Chriſti vehementi, & ardenti in Chriſtum amore flagrabat, nec propterea timorem amiſerat; nam amore ſæpe ad Euchariſtiam accedebat Catha-

rina

Digitized by Google

rina Senenſis, & aliquando ab hoc Sacramento timore recedebat. p.298.n.327

In feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

Creditis in Deum, & in me credite. Ioan. 14. Cùm juxta D. Thomam 2. 2. *queſt.* 2. *art.* 2. poſſit aliquis credere Deo, credere Deum, & credere in Deum; fideſque non ſit perfecta, niſi per vltimum actum, quâ quis credit in Deum, & credendo amat Deum; ideo ſine charitate, & bonis operibus fides inanis eſt, & ille Chriſtianus non eſt, cuius fides bonis operibus non exornatur. p.263.à n.108.& ſeqq.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ob diuerſa merita diuerſa erunt Sanctorum præmia in domo Dei, hoc eſt in cœlis. Cùm autem meritum in gratia & charitate fundetur, maius procul dubio eſt meritum Apoſtolorum, quàm aliorum fidelium; quia maior eſt gratia à Chriſto illis conceſſa, maiorque illorum charitas: nam Apoſtoli poſt Chriſtum, eiuſque genitricem, gratiam & tempore priùs, & cæteris abundantiùs receperunt. p.138.n.556

Dicit ei Philippus, Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Beatitudo obiectiua hominis, Deus eſt. p.127. & ſeq. n. 509

Beatitudo formalis hominis conſiſtit in viſione diuinæ eſſentiæ. p.412.n.483

Qui vides me, videt & Patrem meum. Cognitio beatifica hominis, quâ Deum contemplatur, eſt intuitiua, & quidditatiua, attingens Deum vt eſt in ſe. Cùm autem in ſe ſit vnus in eſſentia, & trinus in perſonis, quæ conſtituuntur relationibus, quæ ſe habent vt modi reales eſſentiæ diuinæ; ideo non poteſt videri vna perſona ſine alia, nec eſſentia ſine perſonis. Etenim eſſentia diuina vt eſt in ſe, vnitur intellectui beato ad modum ſpeciei intelligibilis. p.418.n.450

Pater in me manens, ipſe facit opera. Ab humanitate Chriſti, vt Diuini Verbi inſtrumento, procedebant Chriſti miracula. p.457.n.654

Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipſe faciet, &c. Apoſtoli Chriſto Domino coniuncti ſunt, & eiſdem prorſus dotibus exornantur: nam ſunt duodecim ianuæ, duodecim fundamenta, & duodecim columnæ Eccleſiæ, immò & duodecim ſtellæ Eccleſiam coronantes. p.136.n.543.& ſeqq.

Philippus, & Andreas Apoſtoli Gentiles Chriſtum videre cupientes ad Chriſtum adducunt. p.470.n.714

In feſto Inuentionis ſanctæ Crucis.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3. Baptiſmus eſt Chriſtianæ Religionis initium; per illum enim homo regeneratur, recipit nouum eſſe, & fit filius Dei. p. 350. n. 168

Ex aqua & Spiritu ſancto. Aqua Baptiſmi Chriſtianos regenerans, cum vtero B. Virginis confertur. p.126. n.486.& p.353.n.181

Aqua Baptiſmi virgo à Spiritu ſancto fœcundatur, cuius virtute filios Dei adoptiuos generat. pag. 353. n. 181

Virtus paſſionis Chriſti cum virtute Spiritus ſancti, in aqua Baptiſmi. ibid.

Oportet exaltari filium hominis. In cruce Chriſtus exaltatus eſt: crux ipſum, & ipſe crucem exaltauit. p.165. n. 100

Chriſtus à Regia Maieſtate cruci confixus eſt, vbi ex crucis titulo rex apparuit. ibid.& ſeq.& p.168.n.110

De cruce Chriſtus noluit deſcendere, & quare. p.168. n. 111

Rex nouæ gloriæ Chriſtus in cruce, quæ illius ſublimitas, maieſtas, & fortitudo fuit. ibid.n.112

R.P.Car.Bouquin Comm. in Proſam D.Thom.

Oportet exaltari filium hominis. In cruce Chriſtus non ſolùm Rex eſt, ſed & Sacerdos, ac Pontifex. p. 177. n. 154.& ſeq.

Crux altare Chriſti ſuo ſanguine dedicatum. ibid. p.178. & ſeq. n. 160

In cruce perfectiſſimum ſacrificium, nempe holocauſtum obtulit Chriſtus. p.179.n.161

Crux altare, & ara dicitur, & quare. ibid.n.162

Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hominibus fidelibus maximè vtilis eſt crux Domini, quia arcæ Noë ſimilis, cruore Chriſti illos erigit. ibid.n.163

Crux velut ſcala hominibus præbet gradus, vt in cœlum aſcendant. ibid.n.164

Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Crux Chriſti Chriſtianorum eſt patrimonium, & ideo in illa gloriandum. p.364.n.242

Debemus in cruce Domini gloriari, quia in illa, ſicut Paulus Apoſtolus, multas diuitias inuenimus. ib.n.242

In cruce gloriandum, quia nos ad cœlum ducit; nam qui cruces fugit, à cœlo declinat; & qui crucem fert, vitam æternam conſequitur. p.368.n.259

In Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ.

Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Luc. 1. Mira res. Sterilis parit, & infœcundæ fœminæ omnibus maior hominibus fructus exiſtit. Quod ſanè factum videtur, vt tanti viri natiuitas non attribuatur naturæ, ſed gratiæ. Decebat enim vt Redemptoris omnium Filij Dei, & Virginis præcurſor ex ſterili naſceretur, vt ex infœcundæ partu ad virginis partum credendum orbis diſponeretur. Nam miracula miraculis, & myſteria myſteriis ſunt comprobanda. p.249.n.27

Audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa. Suam Dominus cum matre Ioannis magnificat miſericordiam, quia ex eius vtero ſuum extrahit Præcurſorem, qui ipſum ex Virgine natum, agnum debebat nominare & demonſtrare, vt illum incarnatione ſuâ ſuam auxiſſe miſericordiam oſtenderet. Chriſtus enim, qui in ſinu Patris miſericordiam habet ſecundùm effectum, & ſubleuantem; in ſinu matris habuit ſecundùm affectum, & compatientem: ibi enim à Virgine matre miſericordia fuit coronatus. p.160.à n.76.& ſeqq.

Multi in natiuitate eius gaudebunt. In Ioannis Baptiſtæ natiuitate multi, & non omnes, ſicut in natiuitate Chriſti, gauiſi ſunt, vt oſtenderetur diſcrimen inter natiuitatem Saluatoris omnium, & illius præcurſoris. p.419.n.514

Vocabitur Ioannes. A Deo, Angelo pronuntiante, nomen Ioannis filio Zachariæ impoſitum eſt: nam vt ait Ambroſius: *Habent hoc merita Sanctorum, vt à Deo nomen accipiant.* Cùm ergo Deus Ioanni nomen dederit, & ſignificationem nominis conceſſit: nam *qui dat nomen, dabit & meritum.* Vnde cùm *Ioannes* idem ſit ac *gratioſus, pius, & miſericors*: à Deo Ioannes gratiæ vbertatem, pietatem, & in omnes bonitatem ac manſuetudinem obtinuit; nomen enim illi non profuiſſet, niſi & rem per nomen ſignificatam habuiſſet. Etenim quid prodeſt nomen, vbi res non eſt. p.351.n.173

Erat lucerna ardens, & lucens. Verè lucerna fuit Ioannes. Lucebat verbo, & doctrinâ: ardebat charitate, & pietate. Nam Apoſtolicus Prædicator debet lucere, & ardere; quia in Prædicatore debent eſſe doctrina, & veritas, hoc eſt, illuminationes, & perfectiones. Etenim illorum magis mouent exempla, quàm verba. p. 214. n. 338

Vide *Dom. 3. Aduentus.*

Index pro Concionibus.

In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
De Sancto Petro.

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16. Magna proculdubio Chriſti Domini in S. Petrum dignatio, cui non ſolùm claues regni cœlorum tradidit, ſed inſoper illum petram ſolidam effecit, & ſtabile Eccleſiæ ſuæ conſtituit fundamentum. Apoſtoli enim omnes numero duodecim, januæ ſunt, fundamenta, & columnæ Eccleſiæ. p.136.à n.543.& ſeqq.

Sed præſertim S. Petrus, qui omnium Apoſtolorum voce Domini dicentis Ioan. 21. *Paſce oues meas*, Paſtor & Princeps conſtitutus eſt. p.135.n.540

Tibi dabo claues regni cœlorum. Claues regni cœlorum traditæ ſunt Petro à Chriſto in poteſtate ligandi, & ſoluendi, hoc eſt in poteſtate remittendi, & retinendi peccata. Illa enim, quæ peccata dimittit poteſtas, abſoluit hominem à vinculis ſpiritualibus, & cœlum illi aperit: illa autem quæ peccatum retinet, cœlum claudit. Petrus ergo in Eccleſia ſublimis eſt, cui claues regni cœlorum à Domino traditæ ſunt. Poteſtas enim ligandi, & ſoluendi ſublimis eſt, & regia, immò & diuina. p.209.n.315.& ſeq.& p.210. n.319

Magna poteſtas Petri, cui claues regni cœlorum tradidit Chriſtus; nam ſententia Petri præcedit ſententiam cœli. p.211.n.324

Reſpexit Ieſus Petrum, &c. Chriſtus Petrum errantem, & illum negantem reſpexit, & aſpectu ad ſe reuocauit. p.448.n.624

Egreſſus Petrus foras fleuit amarè. Petrus quod voce negauerat, lacrymis confitetur. ibid.n.625

Foras egreditur, vt lacrymis delictum abluat, & ne ante fletum veniam poſtulans, plus offendat. ibid. numero 624

Ceciderunt catenæ de manibus eius. De Petri manibus Angelo jubente catenæ cadunt, & quare. pag. 215. n.341

Petrus vinctus pro fide Chriſti, maior, & illuſtrior Angelo ſoluente vincula. p.366.n.248

Petrus in carcere Mamertino Romæ Proceſſum, & Martinianum à ſe baptizatos ſtatim ſacrâ refecit Euchariſtiâ. p.128.n.499

De S. Paulo Apoſtolo.

Poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, Doctor gentium, &c. 1.Tim.2. Omnium Prædicatorum anteſignanus, magiſter, & norma eſt Paulus Apoſtolus, qui pro concione docens populum fulgurabat, & tonabat: cuius voces non erant verba, ſed tonitrua. pag.216. n.346

Paulus docens & prædicans, Architectum ſe dicit, & quare. p.214.n.338

Quia Paulus fulgurabat & tonabat, loquens de juſtitia, caſtitate, & judicio terruit Felicem. p.216.n.346

Vas electionis eſt mihi iſte, &c. Paulus vas electionis patientiâ clarum. p.225.n.396

Apoſtolatum ſuum patientiâ nobilitauit. ibid. n.397

Abundantiùs omnibus laboraui. Quia Paulus ibi accurrebat, vbi erat plus laboris. p.226.n.398

Paulus donis diuinis ita fuit cumulatus, vt omnipotens factus fuerit; nam in Chriſto omnia poterat. p.350.0.172

In Paulo Chriſtus loquebatur. p.211.n.326

Paulus ad ſaluandum homines laborabat. pag. 474. num.739

Paulus & Silas in carcere laudes Dei canentes à vinculis liberati ſunt. p.79.n.307

Paulus adhuc in via ad cœlum raptus, diuinam vidit eſſentiam. p.162.n.88

Paulus Gentium Doctor pro Chriſti fide Romæ capite truncatus, non ſanguinem, ſed lac dedit, vt Gentibus tanquam filiis è corpore ſuo præberet alimentum. p.127.n.505

De Sanctis Petro, & Paulo ſimul.

Iſti ſunt duæ oliuæ, &c. Patres, Doctores, & protectores Eccleſiæ ſunt Petrus & Paulus. Illam verbo genuerunt, exemplo ædificarunt, & oratione conſeruant. Vnde oliuæ dicuntur, quia per illos, tanquam per geminum oliuæ ramum, à Deo veniam & miſericordiam obtinemus. Ramos quippe oliuarum offerentes antiquitus, & veniam poſtulantes, impetrabant. p.196.n.248

Et duo candelabra lucentia ante Dominum. Non tantùm duo candelabra lucentia ante Dominum ſunt Apoſtoli Petrus & Paulus; ſed & duæ columnæ nubis, per quas loquitur Chriſtus; & duæ columnæ ignis, ab omnibus hoſtibus, tenebris, & erroribus protegentes Eccleſiam. Immò & duo totius Eccleſiæ ſunt oculi, lucentes doctrinâ, videntes filios, & hoſtes Eccleſiæ; hos impugnantes, & illos propugnantes. Vnde & Solis Iuſtitiæ radij poſſunt appellari. p.137. n.548.& 550

Habent poteſtatem claudere cœlum nubibus, & aperire portas. Quia habent poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, peccata remittendi, & cœlos aperiendi in poteſtate judicandi, quam cum Chriſto exercebunt in die judicij. p.206.n.302

Linguæ eorum claues cœli factæ ſunt. Petri & Pauli Apoſtolorum linguæ igneæ cœlos aperiunt doctrinâ, increpatione, & oratione. Primâ omnes Fideles viam cœli docuerunt: ſecundâ peccatores obiurgarunt: & tertiâ pro omni Eccleſia rogant. Zelo ergo ardens eorum lingua ignea eſt, & ideo aptiſſima ad aperiendam januam cœli, quæ etiam ignea eſt. p.368. n.257

In feſto S. Mariæ Magdalenæ.

Vt cognouit quod Ieſus accubuiſſet, &c. attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius. Luc.7. Magdalena, diuinæ gratiæ, & humanæ cooperationis miraculum, omnibuſque veræ pœnitentiæ exemplar, amore, & timore ad Chriſtum acceſſit. pag. 438. num.589

Citò ad Deum Magdalena conuerſa eſt, & ad virtutum numerum conuertit numerum criminum; dumque adhuc poſſet peccare, omninò à peccato ceſſauit. p.442.n.599

Ad pedes Chriſti ſtabat, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. pag. 439. num.590

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Lacrymis ſupra pedes Chriſti fuſis, culparum ſuarum veniam poſtulabat Magdalena, & ideo à Chriſto publicam accepit inindulgentiam. p.445.n.612

Cor ſuum lacrymis reſolutum ſupra pedes effudit Chriſti. p.449.n.628

Tacita loquebatur, non ore, ſed oculis; non verbis, ſed lacrymis. ibid.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Magdalenæ lacrymæ, velut vniones & gemmæ coronam nectunt pedibus Saluatoris; & ideo Chriſtus noluit ſibi à diſcipulis lauari pedes, ne lacrymæ Magdalenæ tollerentur. p.450.n.632

Dum lacrymæ Magdalenæ à Chriſto eius ſanguini copulantur, conſecrantur. ibid.

Et oſculabatur pedes eius. Magdalena geminos Chriſti pedes

pedes eſt oſculata, & quare. p.438.n.590

Fides tua te ſaluam fecit. Fides Magdalenæ amore, & operibus animata. p.266.n.118

Noli me tangere. Cur Chriſtus rediuiuus ſe tangendum denegauit Magdalenæ. p.207.n.305

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, &c. Chriſtum vt ſignaculum in corde, fronte, & brachio habuit Magdalena. p.266.n.125

Etiam poſt mortem hoc ſigillum in fronte ſeruat Magdalena, quia eius caput auro, gemmiſque refulgens, in fronte exhibet tactum manus Saluatoris. ibid.

In feſto S. Iacobi Apoſtoli.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. Matth.20. Calix quem bibit Dominus, eius deſignat paſſionem. Dum ergo in paſſionibus Chriſto conformamur, eius calicem bibimus. Chriſti calicem bibit Iacobus Apoſtolus, biberuntque cæteri Martyres, quia in Chriſto & pro Chriſto paſſi ſunt, ſicuti Chriſtus in omnibus Martyribus paſſus eſt. p.388.n.359

Dicunt ei, Poſſumus. Mira filiorum Zebedæi fortitudo, non ab illis, ſed ab optimomagiſtro procedebat, à quo vt membra à capite, vt milites à Rege, vt filij à parente vires accipiebant. p.365.n.246

Chriſtiani ſummâ diligentiâ ac labore, necnon & patientiâ ad diuinam currant hæreditatem. pag. 367. num.254

Apoſtoli ſunt ſal terræ, lux mundi, & hominum ſaluatores. p.212.& ſeq.n.331

Impoſuit eis nomen Boanerges, quod eſt, filij tonitrui. Filius tonitrui, ideſt fulgur, fuit S. Iacobus: ſicut enim *fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem*, vt dicitur *Matth.* 24. 27. ita Iacobus à Iudæa orientali parte exiens, ad Hiſpaniam partem occidentalem peruenit. Vbique autem ſicut fulgur coruſcauit; Apoſtoli enim ſunt filij tonitrui, & fulgura. p.138.n.554. p.212.n.328. & p.215.n.342

Non paruum fructum fecit in Hiſpania Iacobus Apoſtolus, vbi fuit ſicut ouis in medio luporum. p. 225. n.395

Chriſtus Sol, roſa, ignis: Apoſtoli eius radij, odor, & ſcintillæ. p.212.n.327

Non eſt meum dare vobis. Apoſtoli ad perfectam adoptionem, nempe gloriam, ſuſpirabant. pag. 366. num.251

Vt gloriæ coronam aſſequantur Iacobus & Ioannes, debent militare. Homo enim adultus gloriam non obtinet, niſi priùs bellauerit. p.350.n.171

In feſto S. P. N. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum.

Vos eſtis ſal terræ: vos eſtis lux mundi. Matth. 5. Prædicatorum nouam familiam ad hæreſes debellandas, vitia extirpanda, fidem & pietatem propagandas S. P. Dominicus inſtituit in Eccleſia, ipſe inclytus & feruentiſſimus Prædicator: quo munere vt vir Apoſtolici pectoris ac ſpiritûs planè enituit, & ſal terræ, lux mundi, & Saluator hominum extitit. p.212. & ſeq. n.331

Summa S. Dominici gloria prædicationis munere refulget; nam hæreticos ad fidem, & peccatores ad bonam frugem conuertens, Chriſti Redemptoris euaſit collega; nam prædicatores illius ſunt adiutores. p.211. n.326

S. Dominicus verbi Dei miniſterio errorum & impietatis mônſtra confodit: nam vt inquit Gregor. IX. in Bulla Canonizationis illius: *Sagittante Dominico delitias cordium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum ſecta contremuit, omnis fidelium Eccleſia exultauit.* Vnde de illo loquente dici poterat: *Fulmen ab ore venit.* Non enim ſolùm fulgurabat, ſed & tonabat, ſimilis Paulo, cuius voces non erant verba, ſed tonitrua. p.216.n.346

Vos eſtis lux mundi. Hoc nomine Chriſtus inſignitur. Ioan.1. *Erat lux vera illuminans omnem hominem, &c.* Et ibidem *cap.*8. de ſe inquit Chriſtus: *Ego ſum lux mundi.* Sanctus ergo Dominicus lux mundi eſt, quia Chriſto animarum zelo, & verbi Dei prædicatione coniungitur, eiuſque munus exequitur: nam prædicare verbum Dei, diuina eſt actio. p.212.n.329

Prædicatores os Dei ſunt, & ideo Dei nomine decorantur, & in illis Deus auditur, & veneretur. p.213.n.335

Prædicatorum verba, quæ ſunt verba Chriſti, vitam conferunt, habentque concionatores verba vitæ æternæ. p.212.n.330

Vos eſtis lux mundi. Sicut lux in Eccleſia B. Dominicus reſplenduit. Vnde in eius fronte, ſacro ſuſcepto Baptiſmate, fulgentiſſima apparuit ſtella, Dominicum futurum ſplendorem Eccleſiæ deſignans. Vnde de eo in officio illius canit Eccleſia: *Stella micans in fronte paruuli nouum iubar præmonſtrat ſeculi.* Lux ergo, immò & Sol fuit Dominicus virginitate, quam perpetuò illibatam ſeruauit: charitate, quâ erga Deum & proximum ardentiſſimè deflagrabat: & verbi Dei prædicatione, quâ ſacram doctrinam, & catholicam veritatem per ſe, ſuoſque vbique tanquam lucem fulgentiſſimam effundebat. Nam viri Apoſtolici, & concionatores ſunt ſtellæ primæ magnitudinis, ſoles & propugnacula Eccleſiæ, necnon cœli intellectu præditi, Chriſti gloriam enarrantes, augentes, propagantes. p.134.& 136.à n.533

Luceat lux veſtra coram hominibus, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. S. Dominicus puritate, pietate, & doctrinâ fulgens lucem ſuam hominibus manifeſtauit, & illos ad glorificandum Deum, à quo præclaras illas dotes acceperat, incitauit. Vnde Eccleſia de hac re canit: *Benedictus Redemptor omnium, qui ſaluti prouidens hominum, mundo dedit ſanctum Dominicum.* Verùm & ipſe S. Dominicus per totum vitæ decurſum Apoſtolicus vir Deum glorificauit opere, ſermone, & patientiâ. p.221.à n. 379. & ſeqq.

Primò opere Deum glorificauit S. Dominicus, hæreticos ad fidem, & peccatores ad pietatem adducendo, Ordinem Prædicatorum inſtituendo, & Societatem Sanctiſſimi Roſarij in honorem Chriſti & Mariæ inſtituendo.

Secundò ſermone Deum glorificauit, errores hæreticorum refellendo, veritates Catholicas prædicando, & fideles optimis præceptis ad praxim virtutis inſtituendo.

Tertiò patientiâ, quâ hæreticos perſequentes, inſultantes, ac irridentes conſtantiſſimè tolerauit; corporis proprij inediâ, flagris & vigiliis macerationem procurauit; & labores maximos paupertate, peregrinationibus, & incredibili abſtinentiâ exantlauit: vnde mirâ patientiâ Dominicus hæreticos ad fidem reduxit. p.226.n.399

S. Dominico gloria ad modum conuiuij conceſſa fuit. p.459.n.664

Maxima in die judicij Sancti Dominici erit gloria, quia tunc coronabitur animabus, quas exemplo, & ſermone ab hæreſi, & impietate ad bonam frugem & ſanctimoniam, vel per ſe, vel per filios ſuos Prædicatores, Hiacynthum, Vincentium, Raymundum, Thomam Aquinatem, Petrum Martyrem, Ludouicum Albertum, Ambroſium, alioſque ſexcentos, conuertit. p.223.n.389

In feſto S. Laurentij Martyris.

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum afferet. Ioan.12. Triumphus Martyris Laurentij in eius nomine ſignificabatur. Laurus enim, ſiue laurea, inclyto ac animoſo pro Chriſti fide Laurentio debebatur, & vt juſtè deberetur, ſortiter debebat militare, tormenta, & ipſam mortem ſuperare: ſic enim Chriſtiani pugiles Fidem & Religionem propugnantes, moriendo vincunt, quia moriendo multiplicantur, & nouos, eoſque innumeros, ſanguinis effuſione Fidei ſucceſſores producunt. Quod notauit Tertullianus *in Apologet.* dum ait: *Plures efficimur, quoties metimur.* Sanguis eſt ſemen Chriſtianorum: vnde Eccleſia hoſtium impetu roboratur, & augetur. p.12. num. 29

Eccleſiam Chriſtus ſanguine genuit. p.17.n.52

S. Laurentius ignem, mortem, tyrannum ſuperauit pro Chriſto patiens, vbi maximam à Deo gratiam accepit; nam pro Chriſto patiens, Chriſto coniunctus fuit. p.364.n.244

S. Laurentij charitas, ignis & tormentorum tolerantiâ fuit perfecta & conſummata; nam ſine patientia omninò deſolata eſt charitas. p.365.n.247

Dum omnes Eccleſiæ theſauros pauperibus diſtribuit, tunc maximum theſaurum accepit Laurentius, quia ex eo à Tyranno diriſſimè cruciatus, & in craticula aſſatus eſt pro Chriſto. At pati pro Chriſto, non modicus eſt Theſaurus. ibid.n.248

Aſſatum eſt jam, verſa & manduca. Mirabile ſanè eſt hoc Laurentij verbum, ita vt de illo dici valeat, quod de S. Vincentio dixit Auguſtinus *ſerm. 12. de Sanctis*, ſcilicet: *Laurentio patiente, alium loqui, & alium torqueri. Caro enim patiebatur, & ſpiritus loquebatur.* Nam aſſatâ Laurentij carne, membriſque corporis exuſtis, adeo fortis & inuictus eſt animus, vt ipſum tyrannum aggrediatur, & ſæuiſſimum tortorem ad carnem aſſatam manducandam inuitet. Tunc Laurentius fortis erat, & omninò inſuperabilis; quia in vulneribus Chriſti, pro quo patiebatur, morabatur. pag. 365. num. 245

Gaudeo planè, quia januas tuas ingredi merui. Mœrebant tortores Martyrum, & gaudebant in tormentis Martyres. Gaudebat & Laurentius in craticula poſitus, dum aſſaretur, quia ignis, qui carnem eius comburebat, januam cœli illi aperiebat: nam porta cœli ignea claue igneâ tribulationis, vel martyrij aperitur. p.368. num. 257

Aſſatus gratias ago. Martyrij pœnam veluti maximum Dei munus, Laurentius accepit, & ideo gratias agit. Nam tribulatio eſt pignus diuini amoris, & donum Dei majus, quàm fides. p.365.n.246

Gratias agit Deo S. Laurentius igne cruciatus, & aſſatus. p. 76. n. 295

Gaudet, & gratias agit in tormentis S. Laurentius, quia *ſegnior fuit ignis, qui foris vſſit, quam qui intus accendit*, vt loquitur S. Leo Papa *ſerm. in natal. S. Laurent.* & quia corpus eius dolorem ignis ex ardore feruentiſſimæ in corde charitatis non ſentiebat: nam vt ait S. Maximus hom. 2. de S. Laurent. *Vbi cor ardet, flammam membra non ſentiunt.* Vnde poteſt dici, quod martyr Laurentius exul erat à corpore, non ſtupore, ſed amore. p.365.n.247

S. Laurentij Martyris ſupplicij inſtrumenta in gloriam eius tranſierunt. p.382.n.324

In Aſſumptione B. Mariæ Dei Genitricis, & Virginis.

Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quadam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Luc. 10. Non ſolùm in domum, ſed in cor, & corpus Mariæ Virginis Filius Dei intrauit, vbi ex puriſſimo eius ſanguine corpus puriſſimum virtute Spiritus ſancti efformatum accepit, illamque non ſolùm veri hominis, ſed etiam veri Dei fecit Genitricem. Chriſtus enim verus Deus, & verus homo, verus Mariæ Virginis filius eſt, illáque vera Mater Dei exiſtit. p.151. num. 36

Chriſtus à Maria Virgine in eius vtero coronatur, & viciſſim ille matrem ſuam Virginem coronat. p. 161. num. 83

Excepit illum in domum ſuam. In Domum Mariæ, hoc eſt, in eius vterum exceptus eſt Deus, ibique naturam aſſumpſit humanam, in qua pro omnibus hominibus mortem ſubiit omnium hominum Redemptor. Meritò ergo Mariam hodie in domum ſuam, hoc eſt in cœlum recipit Deus, illamque in corpore, & anima immortalitate donatam ſupra omnes Angelorum choros collocat. p.28.n.102

Mariæ Virgini Dei Genitrici aſſumptæ in cœlum, infra Deum, & ſupra omnes Sanctos debetur honor *hyperduliæ*. p.384.n.339

In cœlum aſſumpta eſt, vt diuinâ gloriâ in æternum fruatur, & pro Fidelibus perpetuò oret, & intercedat. Nam Euæ, omniúmque peccatorum eſt aduocata. p. 465. n. 694

Mariam Virginem Dei Genitricem inuocare debemus, tanquam patronam noſtram: illam vt matrem Dei inuocauerunt Patres Concilij Epheſini anno 431. ibid. p. 466

Illam inuocauit S. Athanaſius, & antiquiores Eccleſiæ Patres. p.467.n.700. & p.473.n.735

B. Mariæ Virginis inuocatio filij eius dignitati non derogat. p.473.n.737

Maria Virgo janua cœli, mater miſericordiæ, & ſpes noſtra rectè dicitur, & quomodo. p.474.n.738

Maria Virgo ſaluat nos, dum nobis à filio ſuo gratiam ac ſalutem ſuis precibus imperrat. ibid.n.740

Orationes B. Virginis ob ſuam reuerentiam à Deo exaudiuntur. p.475.n.742

In feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

Erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. Chriſtus noſtrum exemplar eſt, cui omninò conformati debemus. Vnde Ambr. lib. 5. in Luc. *Species*, inquit, *tibi datur, forma praſcribitur, quam debeas æmulari. Quid enim pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat.* Debemus ergo orare, quia oratio nobis neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, & medij. pag. 443. num.606

Chriſtus nos docuit remiſſionem peccatorum orationibus poſtulare. p.444.n.607

Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit. Duodecim diſcipulos in duodecim Apoſtolos elegit Chriſtus. Numerus hic ſacratus eſt; nam ex illo Chriſti maieſtas ſplendeſcit, Eccleſiæ dignitas exornatur, ipſaque Apoſtolorum virtus commendatur. p. 133. & ſeqq. à n.529. ad 560

Apoſtoli ſunt duodecim fundamenta, duodecim januæ, & duodecim columnæ Eccleſiæ. pag.136.num.543. & ſeqq.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Iob 1. Non ſolùm pellem carnis ſuæ, ſed & ipſam carnem, & totum corpus, immò & vitam ſuam dedit S. Bartholomæus Apoſtolus, qui inuicto animi robore, & incredibili patientiâ, pellem ſibi viuo extralli pro Chriſto paſſus eſt; ſicque charitatem ſuam, & zelum pro animarum ſalute, & fidei Chriſtianæ dilatatione patientiâ conſummauit. p.365.n.247

Apoſtola

Apoſtolatum ſuum paſſione illuſtrauit S. Bartholomæus, quia pati pro Chriſto maius eſt, quàm eſſe Apoſtolum. p.226.n.397

In feſto Natiuitatis B. Mariæ Virginis.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Matth.1. Ex Virgine intemerata naſcens Chriſtus, illam ex Regibus & Sacerdotibus naſci voluit, vt & ipſe ſecundùm carnem ex eiſdem ortus, ſe Regem & Sacerdotem demonſtraret. p.175.n.147
Chriſti genealogiam deſcendendo Matthæus texuit: Lucas autem aſcendendo, & quare. p.176.n.147
Filij Dauid. Non ſolùm pater Chriſti, ſed & figura fuit Dauid: dum enim in Regem vnctus eſt, Chriſti vnctionem deſignabat. p.153.n.47
Dauid aquam de Bethlehem non ſitiebat, ſed Chriſtum. p.329.n.33
Filij Abraham. Obedientia Abrahæ filium immolantis, Deum incitauit, vt filium ſuum hominibus daret. p.387.n.354
Abraham ditiſſimus ſpe Meſſiæ, & fide Incarnationis Chriſti, qui ex eius ſemine naſci debebat. p.362. n.231
De qua natus eſt Ieſus. Ex Maria Virgine natus eſt Chriſtus verus eius filius, cuius corpus ex puriſſimo eiuſdem Virginis ſanguine formatum eſt, & ideo eſt verè mater Dei. p.151.n.36
Mater Dei appellatur MARIA à mari, & quare. p.355. n.196
Caro Chriſti ex Virgine eſt terra de terra. p.375.n.288
Maria Virgo panem Angelorum fecit panem viatorum, dum corpus Filio Dei præbuit. p.328.n.31

In feſto S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.

Vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Matth. 9. Vidit Matthæum Dominus, vt Matthæus videret Dominum; omne enim bonum hominis à Dei oculis procedit: nam oculi Domini fouent homines, ſicuti ſolis aſpectus fouet terram. pag.454. n.644
Dei oculi fouent homines, ſicut ſtruthio oculis ſuis fouet oua ſua. p.93.n.357
Oculi Domini in Matthæum illum ad ſummum honoris gradum euexerunt; nam Chriſti diſcipulus, Apoſtolus, & Euangeliſta primus omnium effectus eſt; ille etenim primus omnium Chriſti Euangelium Hebraïcè conſcripſit, & totius Eccleſiæ Doctor extitit, ac conſequenter pater, & mater Eccleſiæ cenſendus eſt: nam Magiſter, ſeu Doctor, pater & mater cenſetur diſcipulorum. p.127.n.505
Sequere me. Chriſtus ſequendus eſt per imitationem, omneſque Chriſtiani illum tenentur imitari; nam Chriſtianiſmus eſt imitatio diuinæ naturæ. pag.264. n.112
Et ſurgens ſequutus eſt eum. Matthæus à telonio ſurgens, & Chriſtum ſequens, totum ſe tradidit Chriſto, noua que effectus eſt creatura, ac res proiecit vetuſtates. p.263.n.111
Sequens Chriſtum Matthæus ſanctimoniam ſectatus eſt, tanquam verus diſcipulus Chriſti: nam Chriſtianiſmus eſt publica profeſſio ſanctitatis. p.358.n.213
Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Maximam hominibus Chriſtus attulit miſericordiam, illamque cum ſuo nomine omnibus effudit. p.414. à n.492. & ſeqq.
Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Maxima Chriſti fuit miſericordia erga peccatores, quos vt ſaluaret, ipſe factus eſt peccatum. p.415.n.496

In feſto Sancti Michaëlis, & Sanctorum Angelorum.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Matth.18. Magna eſt Angelorum erga homines, quos cuſtodiunt, amicitia; & ideo Angeli eorum appellantur, vniuerſam cuſtodiunt Eccleſiam, & ſunt circa eam, ſicut lilia aceruum tritici vallantia. p.16. & ſeq.n.51
Angeli nobiliſſimæ, & omninò ſpirituales creaturæ ſunt, vnde aſtra matutina, Filij Dei, & lux appellantur. p.58. à n.227. & ſeqq.
Veloces, & fideles Dei ſunt miniſtri. p.59.n.232
Semper vident faciem Patris mei. Angeli, & homines eodem obiecto beantur, & ſub eodem Rege eodem modo ſimul in cœlis regnant. p.61.n.239
Angelorum, & hominum ſanctimoniæ Chriſtus eſt origo. p.63.n.244
Angeli adorant Chriſtum Deum & hominem. pag.64. n.248
Semper vident faciem Patris mei. Diuinam eſſentiam & perſonas, tanquam rerum omnium principium, & finem, ac proinde obiectum beatificatiuum creaturarum Angeli beati ſemper, & abſque intermiſſione contemplantur, quia beatitudo Sanctorum eſt omninò inamiſſibilis. p.469.n.709
Quamvis Angeli Deum videant, tamen ſerui Dei ſunt, illorum Rex Chriſtus eſt, etiam vt homo, illiſque dominatur. p.154. & ſeq.n.52
Angeli Chriſtum Regem in Euchariſtia adorant. p.171. n.126
Angeli corpus Chriſti in Euchariſtia, velut ramum oliuæ Deo offerunt, pro hominibus obſecrantes. p.196. n.250
Panis Angelorum eſt Filius Dei in gloria, viſione diuinæ ſuæ eſſentiæ ac perſonæ Angelos beans, & reficiens. p.325.n.14. & p.326.n.19
Sancti Angeli honorandi ſunt duliâ. p.385.n.343
Ex Angelis & hominibus ſocietas Sanctorum in cœlis conflatur. p.461.n.673
Sancti Angeli ab hominibus ſunt inuocandi; & Iacob, & Iob illos inuocauerunt. p.465.n.695. & ſeqq.
Angeli præſunt orationibus fidelium, & eas Deo offerunt. p.467.n.699
Angeli in cœlis gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. ibid.num.703

In feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 15. Diuino vinculo Apoſtolos & Chriſtianos omnes, tanquam optimus parens filios ſuos Chriſtus Dominus colligauit, dum mutuam illis præcepit dilectionem. Nam charitas fideles omnes Deo, & ad inuicem connectit. p.13.n.35
Vt Chriſtiani faciliùs inuicem diligerentur, Eccleſia, cuius ſunt filij, in gemina fraternitate à Chriſto fundata eſt. p.15.n.42
Dilectionem præcipit Chriſtus, quia in ea vniuerſa lex conſiſtit. p.157.n.63
Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Non enim ad ſalutem ſufficit credere: oportet inſuper diligere; nam *qui non diligit, manet in morte*, vt dicitur 1. *Ioan.*3. 14. Etenim ſine charitate & operibus inanis & mortua eſt fides. p.261.n.97. & 99
Dilectionem præcipit Chriſtus, quia charitas omnium bonorum eſt radix, & in illa cæteræ coadunantur virtutes. p.264.n.112. & ſeq.
A charitate, & à concordia Chriſtiani fratres dicuntur. p.358.n.213
Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Quia Chriſtus pater eſt omnium Chriſtianorum, quibus tanquam

filij

filiis mutuam præcipit dilectionem : fratres enim eiuſdem parentis filij, idem debent cor babere, cùm omnia alia illis ſint communia ; nam vt inquit Ariſtoteles 8. Ethic. cap.15. *Fratribus communes ſunt parentes, vterus, ſanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, diſciplina, mores.* Cùm ergo fratres ſint Chriſtiani, & appellentur, vnde Minutius in Octauio inquit, *Fratres vocamur, vt vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei coharedes* ; rectè dilectionem & concordiam præcipit Dominus, quia ſolâ diſcordiâ ruunt. pag. 127. n.493

In feſto omnium Sanctorum.

Beati pauperes ſpiritu. Matth. 5. Terrena deſpicere debent homines, qui cupiunt cœleſtia poſſidere. Quod Sancti, quorum hodie memoria celebratur, feliciter præſtiterunt. Etenim in hac peregrinatione ſolo corpore conſtituti, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuerſati ſunt, calcatis mundi diuitiis ac voluptatibus, vnde contemptus temporalium eſt prima beatitudo. p.363.n.237

Fideles terrena debent deſpicere, & ad cœlum tendere, immò & cœlum tenere ; nam Eccleſia, cuius partes ſunt, cœlum tenet, & ad cœlum tendit : cœlo hæret, & terris lucet. p.21.n.67

Beati pacifici. Quia Chriſtianorum pax dæmonum eſt, bellum. p.16.n.45

Chriſtiani debent eſſe pacifici, pacifico ac miti Chriſto nutriti. p.285.n.240

Beati eſtis Cùm maledixerint vobis, & peſequuti vos fuerint, &c. Quia tribulationes, perſequutiones, & cruciatus ſunt amoris diuini pignora. p.365.n.246

Cruciatus & perſequutiones ſunt maius donum, quàm fides. ibid.

Cruciari, & pati pro Domino, non modicus eſt theſaurus. Per Cruciatus fiunt homines deiformes. p.369. n.260

Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Quia Deus ipſe eſt hæreditas, & merces noſtra. p.127.n.508. & 509. & p.366.n.249

Sancti in cœlis regnantes à nobis honorandi ſunt duliâ, tanquam filij Dei, membra Chriſti, noſtrique amici, & interceſſores. p.385.n.343

Sanctorum corpora honoranda ſunt duliâ, nec hoc honori Chriſti detogat ; nam in Sanctis Chriſtus honoratur. p.186.n.348

Sancti Dei ſodales, & ſocij, inuocandi ſunt vt filij, membra, & amici Chriſti. p.463.n.684

Deus in Sanctis inuocatur, & honoratur, quia Sanctorum inuocatio eſt relatiua, & ad Deum terminatur. p.465.n.689

Per Sanctos ad Chriſtum accedimus, ſicuti per Ioannem homines crediderunt. p.469.n.715

Sancti ſunt mediatores interceſſionis ſecundarij, & dependentes à Chriſto : ſunt mediatores ad mediatorem. p.470.n.716.& 718

Sancti in cœlis ſciunt, volunt, & poſſunt precibus & meritis ſuis viuentes in terra adiuuare. p.467.n.701

In commemoratione Fidelium Defunctorum.

Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare. 2. Mach.12.46. Salubris ſanè, & ſancta res eſt oratio pro animabus defunctorum : pro illis ſemper orauit Eccleſia ex ordinatione Apoſtolorum. p.73.n.282

S. Auguſtinus orauit pro matre defuncta, & ſimiliter Theodoſius Imperator pro defunctis parentibus. ibid. num. 283

Dauid orare juſſit pro Saul & Ionatha vitâ functis. ibid. num. 284

Tobias juſſit orare pro mortuis eleemoſynis. ibid.

Oratio pro defunctis à variis Conciliis ordinatur. p.74. num. 288

Salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare. Canonica eſt hæc authoritas, nec poteſt à Nouantibus rejici, quia libri Machabæorum, ex quibus depromitur, ſunt Canonici, & in Canone ſacrorum librorum edito anno 394. recenſentur, illoſque vt Canonicos recepit S. Auguſtinus. ibid.n.285.& ſeq.

Datur Purgatorium, vt ibi poſt mortem pro pœna temporali fiat ſatis, & peccatum veniale conſumatur. p.71.n. 278

Purgatorij exiſtentia ex verbis Chriſti, & Apoſtoli probatur. ibid.n.279

In purgatorio eſt ignis acutiſſimus, & baptiſmus ignis. p.72.n.278.& ſeq.

Purgatorij igne etiam capitalia peccata remitti, falsò aliqui crediderunt. ibid.n.285

Oratio pro animabus purgatorij ſine fundamento à Nouantibus impugnatur. p.74.n.289

In purgatorio elucent juſtitia & miſericordia Dei. p.76. num. 296

Animas Purgatorij incendium ad cœlos euebit. ibid.

Tempus à Deo præfixum animabus Purgatorij præuenitur precibus viuorum. ibid.n.298.

Animæ à Purgatorio liberantur oratione, eleemoſynâ, & ſacrificio Euchariſtiæ. ibid.n.299

Purgatorij animæ cum oblatione altaris ad cœlos aſcendunt. p.77.n.301

Aqua cum ſanguine exiens è latere Chriſti, flammas extinguit purgatorij. ibid.n.302

Gentiles Romani menſe Februario, Athenienſes, Maſſilienſes & Argiui pro mortuis ſacrificia obtulerunt. p.308.n.305.& ſeqq.

S. Ambroſius ſacra myſteria obtulit pro anima defuncti Valentiniani Imperatoris. p.78.n.303

INDEX

Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
NOTABILIVM
Iuxta ordinem Alphabeti diſpoſitus.

Prior numerus paginam literâ p ; *poſterior verò marginales notas arithmeticas literâ* n, *deſignat.*

A

Aaron.

AARON filij igne conſumpti ob ſacrificium non ritè oblatum. p. 320. n. 460

ab Aaron capite ad barbam, & ad oram veſtimenti eius fluens vnguentum, quid ſignificet. p.159. num. 74

Abagarus.

ad Abagarum Regem Chriſti imago ab ipſo Chriſto tranſmiſſa. p.379.n.305

Abel.

in Abel Chriſtus eſt interfectus. p.388.n.359

Abnegare.

Abnegare impietatem & ſecularia deſideria, quid ſit. p. 52. n. 197

Abraham.

Abraham Rex, quia juſtus. p.152.n.41

Abraham fide & operibus juſtificatus eſt. p.261.n.99

Fide obtulit Iſaac, eiuſque obedientia fuit magna fides, & magnum opus. p.162.n.100

Si Abraham filium immolare recuſaſſet, inanis fuiſſet eius fides. ibid.n.101

Obedientia Abrahæ filium immolantis, Deum vt Filium ſuum hominibus daret, incitauit. p.386.n.354

Abraham à Deo in exemplum eſt aſſumptus. ibid.p.387

Abraham aſpiciens montem vbi filium debebat immolare, ſeipſum mente præcedebat. p.387.n.355

Abraham licèt ſenex, viſûs erat acutiſſimi. ibid.

In monte Moria filium immolauit voluntate & affectu, ibid. n. 355

Non ſtatim, ſed poſt tres dies à præcepto Domini, & quare. p.388.n.357

Perfectiſſima Abrahæ & filij eius obedientia. ibid.n.358

Iſaac pepercit Deus propter Abrahæ obedientiam. ibid.

Gaudentes ad immolandum properabant. ibid.n 359

Mira Iſaac lignum portantis, & ſeipſum alligari permittentis obedientia. ibid.n.358

Abraham ditiſſimus ſpe Meſſiæ, & fide incarnationis Chriſti. p.362.n.231

Abraham erat Sacerdos. p.184.n.186

Abraham ditiſſimus, quia ab illo Dominus non recedebat. p.412.n.481

Abſalon.

Abſalon in Dauid malitiâ; & Dauid in Abſalonem bonitate pugnabat. p.427.n.549

Abſtinens.

Abſtinentes à vino Nazaræi, poſtea ad fidem conuerſi, ſub ſpecie panis dumtaxat communicabant. p.292. n. 285

Accidens.

Accidens non eſt verum ens, ſed entis ens: vnde & ſignum rei dicitur. p.245.n.6

Accidentia immutata remanent in Euchariſtia. ibid.

Sunt ſigna vel ſubſtantiæ præteritæ, vel corporis & ſanguinis Chriſti. p.246.n.6

Congruum fuit accidentia panis & vini remanere in Euchariſtia, & quare. p.266.à n.130.& ſeqq.

Sine ſubiecto ſubſtantiali exiſtunt in Euchariſtia. p.271. n. 147

A diuina virtute infinita ſine ſubiecto conſeruantur. ibid. n. 150

Quantitas eſt ſubiectum accidentale aliorum accidentium in Euchariſtia, & ipſa quantitas miraculosè per ſe in hoc myſterio ſubſiſtit. p.272.n.155.& ſeq.

Accidentia poſſunt poſt conſecrationem ea, quæ poterant anteà, & hoc diuinâ virtute eis conferente. ibid. num. 158

Poſt conſecrationem non ſignificant ſubſtantiam panis & vini, ſed corpus & ſanguinem Chriſti: & ſufficit quod hoc à Fidelibus intelligatur. ibid.n.159

Poſſunt alterari, & dum ſic immutantur, vt non ſub eis remaneret ſubſtantia panis, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti. p.273.n.160.& ſeq.

Dum ex eis aliquid generatur, producitur à Deo materia prima ex vi præcedentis miraculi, ex conuerſione ſcilicet quantitatis in materiam primam. ibid. num.162

Verè nutriunt, & in corpus humanum conuertuntur: non verò corpus Chriſti, quod animam tantùm nutrit. ibid.n.164

Acetum.

Acetum non eſt materia ſanguinis Chriſti, neque agreſta. p.342.n.123

Aceti ſupplicium, quo citiùs interiret, Chriſtus deſiderauit, dum dixit, *Sitio.* p.459.n.662

Actio.

Actio diuina eſt verbum Dei prædicate. p.212.n.329

Actione priùs deinde verbo Chriſtus docuit homines. p.214.n.339

Actiones Chriſti theandricæ ſunt infiniti valoris. p.79. num.310

Ttt *Actus.*

Digitized by Google

Actus.

Actos actiuorum fiunt in patiente diſpoſieo.p.281.n.213
Actus eliciti ab homine gratiâ efficaci moto, à Deo totaliter, & ab homine etiam totaliter procedunt. p.97.n.369

Adam.

Adam omnium hominum origo, illorum pater & matet eſt. p.125.n.481
Adam formatus ex puluere, puluis vocatur.p.123.n.466
Diuina voce ad pœnitentiam vocatus eſt. p.46.n.180
Verbo Dei viſum mentis per peccatum amiſſum recuperauit. ibid.p.47
Vltimus omnium formatus eſt, vt omnium operum Dei epitome. p.62.n.242
Corpus eius mirabile eſt. ibid.
In eo quod non videbatur, nobilius erat eo, quod videbatur. ibid.
Eius anima in infuſione in corpus gratiâ & juſtitiâ originali fuit donata. ibid.
Ab eo timorem abſtulit, & in eo ſpem erexit dæmon, vt illum in peccatum deturbaret. p.439.n.592
Peccauit cogitans de diuina miſericordia. ibid.
Poſt peccatum vitam naturalem, quam debebat amittere, à Chriſto habuit. p.311.n.414
Primus omnium Deo ſacrificium obtulit, quod tacetur à Scriptura, & quare. p.92.n.351
Gratiâ Dei præueniente indiget peccator, vt ad Deum redeat. p.93.n.354
ſine Gratia Deus non habetur. ibid.n.356
Gratiâ efficaci peccator indiget, vt actu conuertatur. p.94.n.358
Gratia alia ſufficiens, alia efficax, ex S. Thoma. ibid. n.359
Gratia ex ſe eſt efficax, & quomodo. ibid.
Gratia efficax ſemper eſt congrua. ibid.n.361
per Gratiam mira Pauli conuerſio. p.95.n.362
Gratiâ efficaci homo à peccato recedit. ibid.n.364
Gratia intus mutat mentem virtute creandi, ideſt efficaci. p.96.n.367
Actus eliciti ab homine Gratiâ efficaci moto, à Deo totaliter, & ab homine etiam totaliter procedunt. p.97. n.399
ſine Gratia Chriſti inanis eſt homo. ibid.n.370
ex Dei Gratia, noſtro cooperante arbitrio, proueniunt omnia bona noſtra. ibid.n.371
Gratia efficax phyſicè mouet voluntatem noſtram, & quomodo. p.98.n.373
à Gratia efficaci liberum arbitrium non læditur. ibid. n.374
Non libertate Gratiam, ſed gratiâ libertatem homo conſequitur. ibid.
Gratiâ efficaci libertas noſtra augetur, & perficitur. p.99.n.377
Gratia non abolet, ſed adolet liberum arbitrium. ibid.
Gratia natiua cordis humani regina. p.100.n.378
Multùm poteſt homo cum Gratia Dei. p.101.n.382
Gratia dicitur naturalis, ideſt naturæ congrua, & conſentanea. p.247.n.18
ſine Gratia Dei non poſſumus in Deum credere. p.253 num.4
Gratia Chriſtianorum validior gratiâ Adami. pag.351. n.176
In quo conſiſtat Gratia ſufficiens. p.437.n.584
diuinæ Gratiæ opus eſt, dum non delinquimus. p.452. n.640
Gratia juſtificans dicitur vita æterna. p.260.n.89
Gratiam cauſat Euchariſtia. p.295.n.306
Gratiæ vnius bonum maius eſt, quàm bonum naturæ totius vniuerſi. p.213.n.332
Gratiam maiorem non recipit qui ſub vtraque, quàm qui

qui ſub vna ſpecie communicat. p.295.n.307
Gratia cauſatur in recipientibus Euchariſtiam, ab eo quod eſt ex vi verborum, & ab eo quod eſt per concomitantiam æqualiter. ibid.n.310
Gratia cauſatur in ſumptione ſpeciei panis. ibid.n.312
Gratia quæ tribuitur per modum potus, eſt eadem cum illa quæ per modum cibi datur, & quare. p.296. num.315
Gratia maior habetur ex vtraque ſpecie ex maiori diſpoſitione, & feruentiori deuotione recipientis. ibid.
Augmentum gratiæ, & refectio actualis ſpiritualis dulcedinis ſunt effectus Euchariſtiæ. p.305.n.376
vt Gratiæ augmentum habitualis præciſè recipiatur à communicante, ſufficit ſtatus gratiæ excludentis lethalia. ibid.n.378
Intenſio Gratiæ peccatis venialibus, & diſtractionibus mentis impeditur. p.306.n.380
vt Gratiæ augmentum non impediatur, peccata venialia debent eſſe leuia. ibid.n.382
Gratia per modum nutritionis & augmenti in vita ſpirituali eſt primarius effectus Euchariſtiæ.p.307.n.385
Gratia ſanctificans interdum ſeparatur à dulcedine, ſeu lætitia ſpirituali in ſuſcipientibus Euchariſtiam, vt in B. Thereſia. p.308.n.390.& ſeq.
Dulcedo, ſeu lætitia ſpiritualis ſeparatur ab augmento gratiæ, vt patet in Chriſto, qui ex receptione Euchariſtiæ lætitiam, ſed non gratiam recepit. ibid.
Gratiam producit Euchariſtia, hoſtiâ receptâ in ſtomacho. p.309.n.395
Gratia maior confertur quandiu manent ſpecies in ſtomacho ex feruentioribus actibus charitatis. ibid. num.396
Vita Gratiæ ab Euchariſtia conſeruatur, & augetur. p.313.n.422
in Gratia gloria, ſicut fructus in ſemine clauditur.p.317. n.447
per Gratiam, quam vt filij adoptiui habemus, participamus filiationem Dei naturalem imperfectè in via, & per gloriam perfectè in patria. p.349.n.166
Gratia adoptionis confertur in Baptiſmo, & cæteris Sacramentis, & conſummatur in patria. ibid.n.167
Gratia habitualis in ſubſtantia animæ recipitur, & nouum eſſe tribuit. p.358.n.211
Nouum eſſe Gratiæ à tota Trinitate, & à Chriſto creatur. ibid.n.212
Ne à Gratia adoptionis recedamus, copiam gratiæ per Euchariſtiam Deus nobis elargitur. p.370.n.264
per Gratiam Dei naturam obſcuro modo in via participamus, illam per manifeſtam viſionem in patria habituri. ibid.n.265
Vt in Gratia ſtemus, diuino egemus auxilio, quod orationibus implorandum eſt. p.411.n.479
Triplex Gratia à Chriſto nobis miſericorditer collata, nempe vocatio, iuſtificatio, & glorificatio. p.424. num.531
Gratia ſupponit naturam. p.448.n.616
Gratiæ Dei deputanda quæ non fecimus mala. p.453. num.642
Gratiæ author, & diſpenſator eſt Chriſtus. pag. 463. num.680

Gratitudo.

Gratitudo noua obtinet beneficia. p.6.n.2
Gratitudinem ſuadet nomen Euchariſtiæ. p.110.n.416
Semper Gratiæ agendæ ob donum Euchariſtiæ. p.111. num.423
à Gratiarum actione inchoabatur olim, & terminabatur Miſſæ ſacrificium. ibid.p.112
Gratias ſemper agunt Beati. ibid.
Gratias agendo de dono Euchariſtiæ Deum laudamus. ibid.n.424
Gratiarum actio, & laus Chriſti ſunt vituli labiorum. ibid.
ad Gratias agendum Deo nullum conuenientius ſacrificium Euchariſtiâ. p.112.n.425
ad Gratias agendum pro beneficio Incarnationis, anima Chriſti electa eſt. p.113.n.427
ad Gratias agendum pro Euchariſtia, ipſa Euchariſtia offerenda. p.113.n.428
Gratitudo erga Deum ad Religionem pertinet. pag. 80. num.311
Gratitudo erga nomen Ieſu. p.409.& 410.à n.471.& ſeqq.

Gregorius.

S. Gregorius Magnus Angelum, & Chriſtum Dominum peregrini ſpecie hoſpitio recepit. pag.231. numero 417
S Gregorius Nazianzenus S. Athanaſium poſt mortem inuocauit. p.467.n.700

Grex.

Gregi Chriſti nullus incorporatur, niſi per Verbum Dei. p.48.n.186

Gubernatio.

Gubernatione, & regimine creaturarum regnat Chriſtus. p.148.n.25

H

Hæretici.

HÆretici calumniantur libros Machabæorum. p.74.n.285
ab Hæreticis ſine fundamento oratio pro defunctis reijcitur. ibid.n.289
Hæretici Deum authorem peccati blaſphemant. p.84. n.325
Hæretici deteſtantur feſtum ſanctiſſimi Corporis Chriſti. p.139.n.562
Heretici aliquos in Sacerdotes ordinare voluerunt.p.193. num.239
Hæretici Iudæos imitantur, & quomodo. pag. 233. num.429
Hæreticorum, & præſertim Lutheri mendacium de authore tranſubſtantiationis. p.234.n.434
Hæretici triplicem fidem excogitarunt. p.258.n.78
Hæreticorum Lutheri & Caluini impia ſententia.p.298. n.330.& ſeq.
Hæreticorum pietas quænam ſit. p.336.n.76
Hæreticorum varij errores exploduntur. ibid.n.80
ob Hæreticos Ebionitas conſecratio in azymo, paruo tempore ceſſauit in Eccleſia. p.337.n.87
Hæreticorum propria ſententia, cui pertinaciter adhærent, viam claudit veritati. p.345.n.140
Heretici contra Euchariſtiam adducunt ea, quæ Gentiles contra Incarnationem. ibid.n.144
Hæretici Sacramentarij adorationem Euchariſtiæ vocant idololatriam. p.374.n.281
Hæretici Caluiniſtæ crucem abhorrent, Angli hæretici illam venerantur, & Lutherani cruces in ſuis templis ſeruant. p.383.n.336.& ſeq.
Hæreticorum omnes typicæ interpretationes de Euchariſtia verbis Chriſti trucidantur. p.400.n.419
ab Hæreticis docetur realis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. p.403.n.434.& ſeqq.
Hæretici contra eandem præſentiam corporis Chriſti opponunt, & refelluntur. p.404.& ſeqq.à n.437
Hæretici opponunt contra inuocationem Sanctorum, & confutantur. p.469.à n.719 & ſeqq.
Hæretici iniuſtè culpant Eccleſiam de inuocatione Sanctorum, & quare. p.464.n.687
Hæretici Iacobi epiſtolam canonicam negant, quia illorum ſententiam confodit. p.261.n.98

Harmonia.

Harmonia.

Harmonia Agamemnoni vxorem caſtam cuſtodiuit. p.71.n.273

Hebræus.

Hebræi imaginem & figuram dumtaxat Euchariſtiæ habuerunt. p.56.n.214

Vide *Iudæus.*

S. Helena.

S. Helena Conſtantini mater crucem Domini è terra eruit,& clauum crucis in filij galea collocauit.p.382. num.331

Helena crucis effigiem in filij diademate collocauit. p.383.n.332

Heliotropion.

Heliotropium ſolâ radice terram, voto cœlum tenet. p.44.n.170

Heraclius.

Heraclius Imperator milites excitabat,victoriam à Deo expectando, ac publicè profitendo. p.103.n.390

Heraclius Perſas deuicit, & crucem Domini recuperauit. ibid.

Hereditas.

Hereditas vnica omnibus Chriſtianis paratur. pag. 129. num.508

Hereditas illa Deus eſt. ibid. n.509.& p.366.n.249

Hereditatem diuinam non minuit adoptatorum multitudo. p.131.n.518

Hereditatem ad eandem vti fratres tendunt Chriſtiani. ibid.n.519

Hereditatem temporalem non vult diuidere Chriſtus, & quare. ibid.n.520

Hereditas dumtaxat filiis datur. p.324.n.7

ad nouam Hereditatem jus habent filij adoptiui Dei. p.357.n.208

ad diuinam Hereditatem ſummâ diligentiâ ac labore currant Chriſtiani. p.357.n.64

Hereditas Chriſti, & Chriſtianorum eſt gloria,& quomodo. p.460.n.668

Ad modum Hereditatis gloria confertur pueris,& etiam adultis, & quomodo. ibid.& ſeq.

Gloriam tantùm vt Hereditatem S. Bernardus ſperabat. p.461.n.672

Hereditas Dei eſt homo ; & Deus hæreditas hominis. ibid.

Herodes.

Herodes multis ſermonibus Chriſtum interrogat, qui tamen noluit illi reſpondere, & quare. pag. 166. num.102

Herodes Chriſto blanditur, & coronam capiti eius imponit. ibid.

Herodes Chriſtum ſpernit,& veſte albâ indutum irridet. ibid.n.104

Herodes veſte alba Chriſtum glorificauit, ipſumque Regem, victorem, & Pontificem declarauit. ibid.

Hierarchia.

Hierarchiæ primæ Angeli dicuntur aſſiſtentes. pag.60. num.232

Hierotheus.

Hierotheus ſummæ perfectionis vir, hymnos compoſuit. p.70.n.271

Hieronymus.

S.Hieronymus inſtante morte Sacram Euchariſtiam poſtulauit, adorauit, & in viaticum recepit. p. 288. num.256

Hilarius.

S. Hilarius Pictauorum Epiſcopus hymnos docuit canere in Eccleſia Gallicana. ibid.

Holocauſtum.

Holocauſtum eſt Euchariſtia ad purgandas iniquitates, & Deum placandum. p.198.n.257

Homo.

Homo intra ſe humilitate,extra ſe charitate fertur.p.59. num.146

quia Homo peior, Deus melior. p.75.n.143

Homo ad finem ſupernaturalem ordinatus, ſupernaturali indiget cibo, ſcilicet verbo Dei. ibid.n.175

Homo per peccatum dæmoniis ſimilis, immò & abiectior. p.46.n.179

Homines terreni per verbum Dei dij effecti cœlos incolunt. ibid.n.188

non Hominem, ſed peccatum conſumit verbum Dei, quaſi ignis. p.49.n.189

Hominis votum implet Chriſtus, dum ſe illi præbet in exemplum. p.50.n.192

Hominem à Deo ſeparauit ſcientiæ appetitus. pag. 51. num.193

Homines ſceleratos in Deos erexerunt, vt criminoſos reuerentes faciliùs & audacter crimini indulgerent. ibid.n.194

Hominis peccatoris cæcitas. ibid.

vt Homines ſanctificaret, Chriſtus totius ſanctitatis exemplar hominibus apparuit. ibid.n.195

cum Hominibus Deus vixit, vt homines cum Deo doceret viuere. ibid.

Hominum omnium primus motor, Sol, Princeps, & caput Chriſtus. p.52.n.200

ab Hominibus dum deſideratur Chriſtus, & ipſe deſiderat homines. p.55.n.211

Homines magis debent Chriſto, quàm Angeli,propter tria. p.62.n.241

Homo operum Dei epitome & miraculum, etiam in ſuo corpore. ibid.n.242

in Homine quod non videtur, mirabilius eo quod videtur. ibid.

Hominis anima gratiâ exornata in ſui infuſione in corpore Adami. ibid.

Homini gratia vberior conceſſa, quàm Angelo, & quare. ibid.n.243

Homo ſupra Angelum exaltatus. ibid.n.244

Homini gemina gratia conceſſa eſt. ibid.

Hominum redemptor Chriſtus, qui cadentem reliquit Angelum,& hominem labentem erexit. p.63.n.244. & ſeq.

propter Homines juſtitia, & pax oſculatæ, & ſociatæ ſunt. ibid.n.247

Homini maior gratia conceſſa, quàm fuerit eius peccatum. p.64.n.248

Homo Deus factus eſt, vt homo fieret Deus. ibid.

Homines ſuperant Angelos, etiam ſanctos propter Dei Incarnationem. p.64.n.250

Hominem fugientem Deus ſequutus eſt, & indignum ſibi copolauit, & Angelum reliquit. ibid.

ſi Homo non peccaſſet, Deus Incarnatus non fuiſſet. ibid.n.251

Homo perfectior imago Dei, quàm Angelus,& quare. p.65.n.252

Homo in throno Dei ſedet, & Angeli ante thronum ſtant. ibid.

Homines ſupra Angelos ſacra extollit Euchariſtia.ibid. num.252

Homines ſoli corpus Chriſti in Euchariſtia poſſunt ſumere, non verò Angeli. p.65.n.254

Soli Homines paſſionis Chriſti effectum recipiunt,non verò Angeli. ibid.& ſeq.n.255

Soli Homines Euchariſtiam recipiunt, & aliis tradunt, quia ſunt Sacerdotes, & non Angeli. p.66.n.254

Homines animam diuinam debent habere, & quare. ibid.

Hominum liberator, frater, & paſtor Chriſtus. ibid. num.255

Homines ante Incarnationem in Chriſtum crediderunt, & fidem de Euchariſtia habuerunt. p.66.n.255
Omne quod eſt in homine, à Deo eſt. p.81.n.312
Homo nequit ſeipſum producere, quia eſſet antequam eſſet, quod implicat. ibid.
Ex quo Hominis corpus formatum eſt, limus beatus factus eſt ex contactu Dei. ibid.
Hominis formatio à tota Trinitate. p.81.n.313
Homo à Chriſto, vt eſt Deus, proceſſit. p.82.n.316
Hominum creator Chriſtus vt Deus: hominum redemptor vt Deus homo. ibid.
Homo ad imaginem Dei, & Chriſtus imago Dei. ibid. num.318
Hominem dum Chriſtus ſeparat, iterum ſignat. ibid.
Hominis anima vnitatem diuinæ eſſentiæ, & Trinitatem perſonarum repræſentat. ibid.
Homo Deum, cuius eſt imago, debet intelligere, amare, & ſemper in memoria habere. p.83.n.318
Totum quod Homo eſt, à Chriſto eſt. ibid.n.319
dum Hominis corpus è limo formabatur, Chriſtus, qui finis eſt omnium hominum, cogitabatur. pag.83. num.319
Homo finis omnium creaturarum, & ideo nouiſſimus producitur. ibid.& n.320
propter Hominem valdè bona ſunt, quæ ex ſe bona ſunt. ibid.n.320
Homo eſt cœlum myſticum. ibid.n.321
Homo Dei imagine eſt inſignitus propter Chriſtum. ibid. n.322
Homo eſt prior Chriſto in genere cauſæ materialis; & Chriſtus prior Homine in genere cauſæ finalis. ibid.
Hominis ſubſtantia eſt effectus prædeſtinationis illius. p.84.n.323
Hominum prædeſtinationis cauſa & exemplar eſt prædeſtinatio Chriſti. ibid.
Homines nuſquam niſi cum Chriſto. ibid.
Hominem non deſerit Deus, niſi priùs ab illo deſeratur. p.89.n.341
Hominem aliquando Deus indurat bonitate & patientiâ ſuâ, & quomodo. ibid.n.342
Homo non ſurgit à peccato ſine diuina gratia. pag.90. num.346
ad Homines venit Deus, vt homines veniant à Deum. p.93.n.356
Homo gratiâ efficaci à peccato recedit. p.95.n.364
actus ab Homine gratia efficaci moto eliciti, ab illo totaliter, & à Deo etiam totaliter procedunt. p.97. num.369
in Homine duplex libertas, potentialis, & actualis, quæ niſi à gratia moueantur, non exercetur. pag.98. num.373
Homo non libertate gratiam, ſed gratiâ conſequitur libertatem. ibid.n.374
Homines adoptans Deus illos dignos facit, vt æternam capiant hæreditatem. p.128.n.511
pro Hominibus caro Chriſti congruè oblata eſt. p.182. num.178
Pro omnibus Hominibus Chriſtus paſſus eſt, ac pro illorum culpis ſatisfecit. ibid.
Hominis manus juxta ſolium Dei. p.206.n.304
Hominem juſtificare maius eſt, quàm creare. pag.213. num.332
vt Homines à peccato eripiat verbi miniſterio venit Chriſtus. p.213.n.334
Hominum ſalus eſt finis Incarnationis. p.221.n.377
Hominem ſaluare eiuſdem eſt, cuius eſt creare. p.227. n.401
qui Hominem Chriſto genuit, debet illum in Chriſto conſeruare. ibid.n.404
vt Homo ſalutem conſequatur, debet ad Deum venire motu ſopernaturali per fidem. p.247.n.15
Homo obſeruans legem naturalem, à Deo, vel per Angelum illuminabitur de rebus fidei, vt credat, & ſaluetur. ibid.n.20
ad Hominis productionem à rerum omnium creatione tranſiit Creator. p.248.n.24
infra Homines deſcendit Chriſtus in Euchariſtia. p.250. n.32
Hominibus per incarnationem conglutinatus eſt Deus, & eiſdem intimè vnitur per Euchariſtiam. ibid.n.33
Homo primùm per fidem ordinatur in Deum, & viuit vitâ ſupernaturali. p.258.n.73
vt Hominem in ſe conuertat Chriſtus, ipſi per Euchariſtiam commiſcetur. p.286.n.242
Chriſti in hominem, & hominis in Chriſtum effuſio per Euchariſtiam. ibid.n.244
Hominum redemptor Chriſtus, & ruinæ Angelicæ reſtaurator. p.326.n.19
Hominis ſalus eſt gloria. p.346.n.146
Salus hominis maximè Deo digna. ibid.
Hominibus eſt neceſſarium, quod Deo videtur indignum. ibid.
Homines in Baptiſmate renaſcuntur filij Dei. pag.352. n.178
Homines ex ſummo amore ſibi filios adoptat Deus. ibid.n.79.& ſeq.
Homines per tribulationes Deiformes euadunt. p.369. n.260
Homines infinito ſuo corpore Chriſtus nutrit, & corpus eius nec laceratur, nec minuitur. p.372.n.267
pro Hominibus rogant Angeli, & quomodo. pag.377. n.298
Ad liberandum Hominem Deus factus eſt miſericors ſecundùm paſſionis affectum. p.414.n.494
In omnes homines Chriſtus Saluator omnium eſt miſericors. p.418.n.510
nullum Hominem reſpuit Chriſtus, qui omnes condidit. ibid.n.511
Pro omnibus Hominibus mortuus eſt Chriſtus, quod Scripturâ, & Sanctis Patribus firmatur. pag.420.à n.517.& ſeqq.
Hominibus omnibus fidem Chriſti venturi obtulit Deus. p.429.n.550
Hominibus omnibus factâ incarnatione fides Chriſti prædicatione Euangelij oblata eſt. ibid.n.553
In omnem ætatem Hominis miſericordia Dei porrigitur. p.430.n.554
Omnis ætas Hominis Chriſto ſubditur, & eius miſericordiâ poteſt liberari. ibid.
Hominem Dei miſericordia ſubſequitur omnibus diebus vitæ ſuæ. ibid.n.555
à malitia Hominum bonitas Dei vinci non poteſt. p.433.n.570
Homo debet ſemper in Domino ſperare. p.434.n.573
Homo non debet actus contrarios ſpei elicere, nec in deſperationem cadere. ibid.
Homines ad bonum inſtigat Deus, & ipſi ſe ad malum excitant, & Dei bonitate abutuntur. p.437.n.583
Homo tenetur à peccato ſtatim recedere, & bona alterius, quæ iniuſtè occupat, reſtituere. p.441.n.599
omnia Hominis bona à Deo. p.452.n.641.& pag.454. n.644
Homo per ſe nequit ſtare, qui per ſe ſurgere non potuit. ibid.p.453
Homo à Deo cuſtodiendus vt pupilla oculi, & quare. p.453.n.643
Hominem ſeruat Deus, & ipſi peccandi occaſionem eripit. ibid.
Homines fouent oculi Dei, ſicut ſolis aſpectus fouet terram. p.454.n.644

Homini

Hominis magnitudo à virtute, paruitas à vitio. ibid.
ab Homine receſſerat Deus, quia homo erat caro maculoſa: ſed ad ſe hominem reuocat carne puriſſima Chriſti. p.458.n.658
Tria pro Hominibus poſtulat D. Thomas in fine huius proſæ, & quæ. ibid.n.660
Hominibus in via comeſtio eſt neceſſaria, non verò in patria. p.459.n.661
Hominem magis ſatiat gloria, quàm conuiuium. ibid. n.664
Hominem paſcit Deus, & ab homine paſcitur. p.460. n.667
Homo Dei hæreditas, & Deus hæreditas hominis. p.461. n.672
Hominis omne deſiderium ſatiat beatitudo. p.462.n.675
Homo in gaudium Domini intrare dicitur, & quare. ibid.
Homines beati ſunt ſicut Angeli Dei, & preces noſtras vident, ſciunt, & Deo offerunt. p.467.n.700
Homines viatores poſſunt iuuari à Beatis. p.468.n.706

Honor.

Honor eſt illoſtris meritorum fama in multos homines peruagata. p.107.à n.401.& ſeqq.
Honoris emphaſis eſt adoratio. p.373.n.274
Honor ex Philoſopho eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis. ibid.
Honor exhibitus imaginibus ad prototypa refertur. p.380.n.314
Honor debetur imagini Beatæ Mariæ Virginis, & ad ipſam Virginem refertur. p.384.n.341.& ſeq.
Honor debetur Sanctis vt membris, filiis & amicis Chriſti. p.385.n.343
Honor Sanctis, & eorum imaginibus redditus, ad Chriſtum terminatur. ibid.n.374
Honor qui nomine geritur, debet moribus exhiberi. p.410.n.471
Magis honoratur nomen Ieſu, quàm nomen *Deus*, & quare. p.427.n.505.

Hora.

Horæ extremitas non excludit à miſericordia Dei. p.435.n.576
Horâ etiam vndecimâ, quæ ſenium deſignat, Deus vocat homines. p.436.n.578

Hoſtia.

Hoſtia in Miſſa in tres partes diuiditur, & quare. p.78. n.304.& p.283.n.328
Hoſtia conſecrata vſque ad medietatem in carnem conuerſa. p.408.n.462
Hoſtia dicitur Euchariſtia, & quare. p.173.n.137
eadem Hoſtia in Euchariſtia quæ in cruce, ſed diuerſo modo. ibid.
Hoſtia vnica, & vnicum Sacramentum eſt Euchariſtia. p.174.n.139
Hoſtia præſtantiſſima Chriſtus moriens. p.177.n.155
ſine Hoſtia Sacerdos & altare inutilia. p.180.n.168
Hoſtia Chriſtus in cruce. ibid.n.169
Hoſtiæ, & victimæ nomen vnde deriuetur. ibid.n.170
Hoſtia nulla gratior Deo, quàm Chriſtus. p.181.n.174
Hoſtia triplex, ſcilicet pro peccato, pacifica, & holocauſtum. ibid.n.174
Hoſtiarum omnium ritus in oblatione Chriſti includuntur. ibid.n.176
Hoſtias omnes conſummauit oblatio Chriſti. ibid.n.177
Hoſtia quæ à Chriſto ſemel ad ſalutem omnium oblata eſt, offertur quotidie ab Eccleſia pro omnium ſalute. p.195.n.246
Hoſtia poſt conſecrationem eleuatur, vt à circumſtantibus adoretur, & hoc ab initio Eccleſiæ. p.377.n.298
Hoſtia quæ proponitur adoranda ſemper ſub conditione adoratur, ſi eſt ritè conſecrata. p.378.n.304

Humanitas.

Humanitas Virginis Chriſtum attraxit. p.151.n.35
Humanitas Chriſti corona fuit, & calceus. p.153.n.42.
in Humanitate Chriſtus ſupra omnem principatum, & poteſtatem. p.326.n.20
Humanitas, & diuinitas Chriſti eadem ratione adorantur. p.375.n.287
Humanitas vt Verbo vnita adoratur latriâ. p.374.n.277
ab Humanitate Chriſti vt Diuini Verbi inſtrumento procedebant Chriſti miracula. p.457.n.654

Humilitas.

Humilitate homo intra ſe fertur. p.39.n.149
Humilitati Chriſti laus debetur. p.61.n.240
Humilitatem ac maieſtatem Chriſti in Euchariſtia Angeli reuerentur. p.65.n.253
Humilitas Chriſti in ſinu matris. p.150.n.32
Humilitas B. Virginis Chriſtum attraxit. p.155.n.31
Humilis Deus per Virginem. p.160.n.80
Humilitas in oratione Deum attingit, & penetrat, immò & Deum ad ſe trahit. p.146.n.615.& ſeq.

Hymnidicus, & Hymnus.

Hymnus quid ſit. p.69.n.268
Hymnos antelucanos Chriſto canebant primi Chriſtiani. p.70.n.269
Hymnos olim vno inchoante cæteri proſequebantur. ibid.n.270
Hymnos Eccleſia ſemper habuit. ibid.n.271
Hymnos Hierotheus compoſuit. ibid.
Hymnos in Gallia canere docuit Hilarius. ibid.
Hymnos Ambroſius edidit, & in Eccleſia cecinit, vt afflictum populum recrearet Deum laudando. ibid.
Hymnos canere præcipiunt Concilium Toletanum, & Agathenſe. ibid.n.272
Hymnos rejicientes excommunicandi. ibid.
Hymnidici Angeli appellantur ab Auguſtino. pag.61. n.236

I

Iacob.

IAcob Dominum in Deum ſibi elegit ob alimenta ab ipſo conceſſa. p.113.n.428
Iacob Iſraël appellatus, ideſt Princeps cum Deo. p.133. n.130
Iacob cum Deo lachrymis, & precibus pugnauit, & ſuperauit. p.450.n.633
Iacob Angelum inuocauit. p.465.n.642
Iacob duodecim filios habens Chriſtum cum duodecim Apoſtolis præſignabat. ibid.

Iacobus.

Iacobi Apoſtoli Epiſtola ab hæreticis cur reprobata. p.261.n.98
Iacobus Apoſtolus in præfata epiſtola Paulo Apoſtolo non contradicit. ibid.n.99

Iaculum.

Iaculum charitatis electum & formoſum. p.317.n.442
Iaculum hoc vulnus facit, amorem præbens & vitam. ibid.
Iaculi charitatis ſagittarius eſt ipſa ſagitta. ibid.n.443

Idolum.

Idola fieri prohibentur, non imagines. p.380.n.316

Ieiunium, & Ieiunus.

Ieiuni communicabant priſci Chriſtiani. p.170.n.126
Ieiunos debet eſſe homo, vt communicet. p.302.n.353
Ieiunium hoc incipiat à media nocte diei, in qua communicamus. ibid.n.356
non Ieiunis in periculo mortis, & infirmis ad modum viatici ſacra præbetur Euchariſtia. ibid.n.357
Vt non Ieiunus aliquis communicet, poteſt Romanus Pontifex diſpenſare. ibid.n.358

Ieſus.

Ieſus venit cum ſalute; ipſe enim eſt ſalus. p.558.n.67. & ſeq.
Ieſu nomen lux, cibus, medicina, omnia vitia fugat. p.159.n.75
Ieſus, hoc eſt Saluator, miſericors eſt. p.409.n.468
Ieſu Saluatoris propria operatio eſt miſereri. ibid.n.469
In nomine Ieſu ſumma bonitas. p.410.n.471
dum Ieſum pronuntiamus, omne bonum in ſuo fonte nominamus. ibid.n.473
in Ieſu omnia bona. ibid.
Quod in nomine Ieſu poſtulatur, à Deo recipitur. ibid. n.475
nomen Ieſu profert miſericordiam. pag.414.n.492.& p.417.n.506
nomen Ieſu geminam ſignificat miſericordiam, & quomodo. ibid.n.496
Ieſu nomen Chriſtum pro peccatis omnium victimam, peccatoribus ſimilem, ac peccati charactere in circumciſione ſignatum declarat. p.415.& 416.n.496. & ſeqq.
nomini Ieſu in publicis precibus caput inclinatur, & aperitur ex decreto Concil. Lugdunenſis. pag.417. n.503
nomen Ieſu ſanctius nomine Iehoua, & quare. p.417. n.504
Iehoua ænigma Ieſu. ibid.
nomen Ieſu magis honoratur, quàm nomen Deus. ibid. n.505
nomini Ieſu omnis creatura inclinatur, & quare. p.418 n.508
Ieſu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Ibid.

Ignatius.

Ignatius Epiſcopus Antiochenus pſalmos alternis vicibus canere fideles docuit, & quare. p.70.n.270

Ignis.

Ignis eſt verbum Dei, & illu paſcuntur Angeli. p.50. n.190
Ignis purgatorij grauiſſimus. p.72.n.278
Particula, *quaſi per Ignem*, ab Apoſtolo adducta, non minuit, ſed confirmat veritatem, & virtutem ignis purgatorij. ibid.
Baptiſmus ignis in purgatorio. ibid.n.279
Igne purgatorij etiam peccata capitalia expiari crediderunt aliqui. p.72.n.281
In igne fornacis tres pueri, & in igne purgatorij animæ patientes, & venialia expiantes Deum laudant. p.75. n.290.& ſeq.
Igne cruciatus Laurentius animabus purgatorij ſimilis. p.76.n.295
Ignis patientes animas ad cœlum euehit. ibid.n.296
Ignem patiendo animæ quodammodo requieſcunt. ibid. n.297
Ignem purgatorij extinguit aqua cum ſanguine è latere Chriſti exiens. p.77.n.302
In eodem igne reprobus crematur, & electus purgatur. p.78.n.305
In igne apparuit Filius Dei antequam in carne appareret, & quare. p.109.n.410
Ignis & nubis columbæ ſunt Apoſtoli. p.137.n.548
Ignis Deo obediens ſoluit vincula, & non lædit corpora puerorum in fornace Babyloniæ. p.149.n.28
Ignem fouet oleum, & quid hoc ſignificet. p.156.n.58. & p.327.n.21
Ignem diuini amoris accendit Chriſtus, flammas amoris ſupra nos congerens. p.156.n.62
Ignis carbo, quo labia Iſaiæ purgata ſunt, Chriſtus eſt. p.163.n.92
Loco Ignis materialis in holocauſto Chriſti in cruce fuit ignis charitatis. p.179.n.162
Ignis Chriſtus eſt, cuius ſcintillæ ſunt Apoſtoli. p.212. n.327
Igneas linguas, & non floridas Spiritus ſanctus conceſſit Apoſtolis, & quare. p.216.n.346
Ignea lex in dextera Dei, & quare. p.224.n.391
In igne eſſe, aut in vite, competit palmiti. p.227.n.401
Eodem Igne aurum rutilat, & palea fumat. p.309.n.402
Ignis non nocet matri, & eius filio in clibanum iniectis ob ſuſceptam Eucharistiam. p.312.n.459
Ignis non comburit puerum Hebræum à patre vitriario in ardentem clibanum iniectum, ob deguſtatam Euchariſtiæ particulam. ibid.
Ignis eſt amorem accendens Euchariſtia. p.316.n.440
Igne conſumpti filij Aaron ob ſacrificium non ritè oblatum. p.320.n.460

Imago.

Imagines Dei ſunt Angeli. p.59.n.230
Imago Dei Chriſtus, homo Imago, & ad imaginem Dei. p.82.n.318
Imagines Chriſti ab initio fuerunt in Eccleſia. pag.379. n.305
Antiquior Imago Chriſti ab ipſo efformata, illa eſt, quam ad Abagarum Regem miſit. ibid.
alia Imago Chriſti ab eodem Saluatore ad montem Caluariæ crucem geſtante in ſudario Veronicæ efformata. ibid.n.306
Imago Chriſti Cæſareæ Philippi fabricata à muliere à profluuio ſanguinis per Chriſtum liberata. ib.n.307
Iuxta hanc imaginem herba naſcens ſtatim ac fimbriam veſtis illius tangebat, miram ad ſanandas infirmitates virtutem habebat. ibid.
Imagines Chriſti, & B. Virginis primùm à ſancto Luca depictæ. ibid.n.308
Imago Chriſti paſtoris ſpecie in ſacris calicibus ab initio Eccleſiæ ſculpta. ibid.n.309
Imago Chriſti vt talis adoranda adoratione latriæ. p.380.n.313
Idem eſt motus in imaginem, & in rem, cuius eſt imago. ibid.
Chriſtus in ſua imagine adoratur. ibid.
honor Imaginibus exhibitus ad prototypa refertur. ibid. n.314
Imagines non prohibentur fieri à Scriptura, ſed idola. ibid.n.316
Imaginem inter, & idolum diſcrimen. ibid.
Imagines aureas Cherubim Deus præcepit fieri. ibid.
ad Imagines fabricandas datus eſt à Deo Beſeleel cum Oliab. ibid.n.317
Imagines non prohibentur fieri à Scriptura, licèt non iubeantur. ibid.n.325
vt Imagines in Eccleſia haberentur, præceperunt Apoſtoli, & nunc Apoſtolica traditio iubet. ibid.
adoratio Imaginis Chriſti ſuadetur ex Scriptura. ibid. n.322
Imaginem Chriſti æneam Cæſareæ Philippi abſtulit Iulianus apoſtata, vt ſuam ibi collocaret: ſed hæc igne cœleſti concuſſa, capite à reliquo corpore auulſo contrita eſt. p.381.n.323
Imaginibus B. Virginis, & Sanctorum debetur honor, & quomodo. p.384.n.341
honor Sanctis, & eorum Imaginibus exhibitus, ad Deum terminatur. p.385.n.342
Sanctis, & eorum Imaginibus honorem nullus verus Chriſtianus denegauit. ibid.n.345
Primi Iconomachi Imagines Chriſti, & Sanctorum vaſtantes fuerunt Iudæi. ibid.
In ſacras imagines actus eſt à Iudæis Leo Iſaurus Imperator. ibid.
Chriſtus inter Petrum & Paulum Apoſtolos initio Eccleſiæ pingebatur. ibid.n.346

Serenus

Serenus Maſſiliæ Epiſcopus à S. Gregorio reprehenſus, quòd ſacras Imagines abſtulerit; & eas reſtituere juſſus. ibid.
Imagines vt ſunt res quædam, purà lignum, &c. non ſunt adorandæ, ſed vt Imagines ſunt, & repræſentant. p.386.n.346
ſola Imago Chriſti eſt adoranda adoratione latriæ: imagines autem Sanctorum inferiori honore ſunt adorandæ. ibid.n.347

Incarnatio.

Incarnatio non fuiſſet ſine peccato. p.45.n.174
Primi qui Euchariſtiam impugnarunt, fuerunt illi qui Incarnationem negauerunt. p.251.n.39
ex Incarnatione veritas probatur Euchariſtiæ. ibid.
Incarnatio Chriſti facta Nazareth. p.419.n.513
ante Incarnationem homines crediderunt in Chriſtum, qui eorum liberatos, frater, & paſtor factus eſt. p.66. n.255
per Incarnationem ſe totum Deus donauit hominibus. p.79.n.307
Incarnatione Chriſtus in propria ſpecie eſt cibus hominum, & ab illis ſpiritualiter tantùm manducatur per fidem, & charitatem. p.328.n.30
Incarnatione & Sacerdotio homines ſuperant Angelos. p.205.n.301

Infans.

Infantibus olim, & nunc phreneticis vſu rationis carentibus datur Euchariſtia. p.306.n.379
Infantes Dei miſericordiâ ad Deum vocati. p.430.n.558
Infans quinque annorum Spiritu ſancto inſtigante ſe in ignem vbi mater pro Chriſto ardebat, dedit præcipitem in Ciuitate Nagran. p.431.n.559

Infidelis.

Infidelis manducans Euchariſtiam non dicitur manducare corpus Chriſti ſacramentaliter, & quare. p.304. n.371

Inſolitum.

Inſolitis operationibus Deo regnanti obediunt creaturæ. p.149.n.27

Inſtrumentum.

Inſtrumenta ſupplicij in gloriam S. Laurentij Martyris tranſierunt. p.382.n.324

Intenſio.

Intenſio gratiæ in ſuſcipiente Euchariſtiam venialibus, & diſtractionibus impeditur. p.306.n.380

Intentio.

ex Intentione formali volens cum torpore, & diſtractione ad Euchariſtiam accedere, peccat mortaliter. p.306.n.382

Inuocatio.

Inuocatio Chriſti, B. Mariæ, & Sanctorum, Vide *Chriſtus*, *Maria*, *Sancti*.

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta in matris vtero ſeipſum non ſentiens, Chriſtum agnouit. p.67.n.259
Ioannes B. nuſquam ſumpſit Euchariſtiam. ibid.p.68.
per Ioannem homines in Chriſtum crediderunt. p.469. n.713

Ioannes Eleemoſynarius.

Ioannis Eleemoſynarij Epiſcopi Alex. egregium dictum. p.231.n.415

Iob.

Iob ærumnis oppreſſus Deum laudabat. p.75.n.294
Iob Gentilis in Chriſtum credidit. p.429.n.550

Ionathas.

Ionathas dilexit Dauid quaſi animam ſuam, quia erat ex Bethlehem. p.316.n.439

Ioſeph.

Ioſeph vbique gratioſus, ſed magis in conuiuio. p.2
Ioſeph nomen ab aquis deriuatur: Vide *Aqua*.

Ioſeph ab Arimathæa.

Ioſeph ab Arimathæa audaciam & diuitias fidei ſuſcepit à corpore Chriſti, quod in ſuo monumento ſepeliuit. p.314.n.428

Iſaac.

Iſaac immolatio illuſtris figura Euchariſtiæ. pag.386. num.350
Iſaac immolatus Chriſtum oblatum deſignabat. ibid. num.353
Iſaac & Abrahæ obedientiam Chriſtus in ſe complexus eſt. ibid.
Iſaac immolatus fuit in monte Moria, ſeu latriæ, & adorationis. p.387 n.355
Iſaac poſt tres dies à Patre immolatur, & quare. p.388. n.357
Iſaac perfectiſſima obedientia. ibid.
Iſaac voluntate patris ſui jugulatus. ibid.n.358
Iſaac pepercit Deus propter Abrahæ obedientiam. ibid.
mira Iſaac lignum portantis, & ſeipſum alligari permittentis obedientia, Chriſti in paſſione obedientiam deſignauit. ibid.
Iſaac & Abraham gaudentes pergebant ad immolandum. ibid.n.359

Iudæus.

Iudæi Euchariſtiam eſurierunt. p.55.n.212
Iudæorum Sacramenta vaſa vacua, infirma, & egena, immò & mortua, & quare. p.114.n.432
Iudæi verba Chriſti *Ioan.* 6. de veri & realis corporis Chriſti manducatione intellexerunt. p.118.n.446
Iudæi ante arcam, ad illius venerationem ſacrificabant. p.141.n.571
Iudæorum caligines Chriſti ſplendoribus diſſipantur. p.144.n.9
Iudæi noctis, & Chriſtiani diei nomine inſigniuntur. p.145.n.9
Iudæi famelici, & ſitientes. ibid.
Iudæi figuris Euchariſtiæ ditati ipſam Euchariſtiam repulerunt. ibid.n.11
Iudæos faſtidioſos diuites Chriſtus dimittit inanes. ibid.
Iudæis Chriſtus non eſt oleum effuſum. p.156.n.60
Iudæorum victimis deſignabatur victima, quam Chriſtus obtulit, & ſacerdotes poſt ipſum. p.197.n.254
Iudæi antiqua credebant miracula, & noua reſpuebant; quod & faciunt hæretici. p.233.n.429
Iudæi Chriſtum reſpuentes famelici. p.329.n.34
Iudæi, & Gentiles in duobus fratribus adumbrati. ibid.n.35
Iudæi dixerunt, *Non licet nobis interficere quemquam*, ob feſtum Paſchæ, quod tunc agebatur. pag.340. num.106
Iudæi ea nocte, ſeu veſpera diei 14. agnum manducauerunt, quâ etiam Chriſtus agnum manducauit. ibid. num.110
Iudæi adorauerunt Deum, & Regem, & quomodo. p.377.n.299
Iudæi primi Iconomachi, Chriſti & Sanctorum imagines vaſtantes. p.385.n.345
Iudæi Leonem Iſaurum Imperatorem aduerſus ſacras imagines concitarunt. ibid.
Iudæi patres Chriſtianorum. p.389.n.364
Iudæi manna manducantes panem cœli manducauerunt. p.390.n.365
Iudæi Euchariſtiæ typum manducauerunt. ibid.n.369
Iudæi eandem eſcam ac nos ſpiritualiter, ſed non ſacramentaliter manducauerunt. p.391.n.373
à Iudæis non fuit adimpletum præceptum manducationis Agni Paſchalis, quod à Chriſtianis adimpletur. p.393.n.385
Iudæi manna manducantes nobiliori modo paſti fuiſſent, quàm Chriſtiani, ſi corpus Chriſti non eſſet

verè, & realiter ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia. p.393.n.389
Iudæi agnum & manna manducantes præſtantiorem figuram corporis Chriſti manducauerunt, quàm Chriſtiani panem communem dumtaxat manducantes. ibid.
Iudæi panes & carnes, vt figuras Euchariſtiæ manducauerunt. p.394.n.393
Iudæos Chriſtianis nobiliores faciunt Caluiniſtæ negantes realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. ibid.n.395
Iudæos querulos, & murmuratores diuina miſericordia non deſerebat. p.432.n.562

Iudas.

Iudas electus ad fundendum ſanguinem Dei, & Apoſtoli electi ad regnum Dei, ex S. Auguſtino. p.88.n.336
Iudam imitatur peccator. p.150.n.31
Iudas in propriam perniciem indignè ſuſcepit Euchariſtiam, & ideo crepuit medius. p.301.n.350
Iudas verè corpus Chriſti recepit. p.304.n.367
Iudas panem Domini, & cæteri Apoſtoli panem Dominum manducanerunt, quia iſti corpus Chriſti, & gratiam receperunt: ille autem corpus recepit, ſed non gratiam. ibid.
Iudæ venenum fuit buccella Dominica, & in illum Diabolus intrauit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. p.310.n.409
Iudas magis peccauit ſuâ deſperatione, quàm Chriſti proditione. p.443.n.603

Iulianus.

Iulianus Auguſtus apoſtata Fidelibus edicto vetuit vti nomine Chriſtiano. p.359.n.217
Iulianus imaginem Chriſti amouit, & ſuam in eodem loco collocauit, vbi ab igne cœleſti concuſſa, fracta & contrita eſt. p.381.n.323

Iulitta.

Iulitta mater Quiricij Martyris ſe Chriſtianam clamabat in ſuppliciis. p.360.n.220

Ius.

Ius ad gloriam fundatur in miſericordia Dei. pag.413. num.487

Iuſtificare, & Iuſtificatio.

Iuſtificare hominem maius eſt, quàm orbem create. p.213.n.332
nemo Iuſtificatur ſine fide. p.247.n.14
Fides eſt tantùm diſpoſitio ad Iuſtificationem. p.258. num.76
Fides juſtificans eſt aſſenſus firmus circa omnia credenda, non verò fiducia de Dei miſericordia. p.259. num.80
Iuſtificatur eunuchus Reginæ Æthiopum credens in Chriſtum. ibid.n.82
Iuſtificatur publicanus ſine fiducia miſericordiæ Dei. ibid.
Iuſtificationem ſequitur fiducia de peccatis dimiſſis. ibid.n.84
vt quis Iuſtificetur, non omnia eodem modo credenda. p.260.n.92
Iuſtificato dat fides juſtificans Filium Dei, immò & totam Trinitatem per cognitionem & amorem. p.261. num.97
in Iuſtificatione cum motu fidei debet eſſe motus charitatis. p.262.n.104
Iuſtificamur gratis, quia nihil præcedens juſticationem illam promeretur. ibid.n.107
Iuſtificatus bonis operibus in juſtitia conſeruatur. p.263. num.108

Iuſtina.

Iuſtina virgo à Cypriano Mago præſtigiis vexata, Mariam Virginem inuocat, & liberatur, Magumque ad fidem & martyrium adducit. p.466.n.694

Iuſtitia.

Iuſtitia Dei in cœlo primùm ſæuiit. p.63.n.247
Iuſtitia, & pax oſculatæ, & ſociatæ ſunt propter homines. ibid.
Iuſticia & miſericordia Dei in animabus purgatorij. p.76. num.296
Iuſtè Deus denegat auxilia ad vitandum peccata. p.86. num.329
Iuſtitiæ corona eſt gloria. p.413.n.487
Iuſtitiam manus Dei; miſericordiam dextera deſignat. p.423.n.528
Iuſtitia & miſericordia in omnibus Dei operibus fulgent. p.438.n.586
Iuſtitia & miſericordia in Chriſto vnitæ. ibid.n.587
Iuſtitia nobis factus eſt Chriſtus, & quomodo. ibid.
Iuſtus judex, & pater Chriſtus, & ideo timendus & diligendus. ibid.n.588
Iuſtitia & miſericordia adumbrantur in duobus pedibus Chriſti, & ideo vnum ſine altero oſculari non expedit. p.439.n.590
Iuſtitia & miſericordia in reproborum damnatione, & impij juſtificatione elucent. ibid.n.591
Iuſtitiæ Dei obliuio, & nimia miſericordiæ eius cogitatio nocent. ibid.n.592
Iuſtitia Dei ſimul cum miſericordia cogitanda. ibid.
Iuſtitia & miſericordia duo Dei oculi, duo brachia, duæ manus, duo latera, & duo pedes. ibid.n.593
omnis Iuſtitia ſupernaturalis hominis à fide procedit. p.257.n.72
Iuſtitiam & miſericordiam Dei Dauid ſimul inuocauit. p.440.n.594
Iuſtitiam cum miſericordia oſtendit Chriſtus in cruce, & quare. ibid.n.596
Iuſtitia Chriſti in malum latronem attendenda. p.441. n.599
vera Iuſtitia eſt pœnitentia. p.447.n.621

Iuſtus, & Paſtor.

Iuſtus & Paſtor germani pueri Compluti martyrio coronati. p.431.n.560
Iuſtus etiam puer in Gallia in territorio Beluacenſi martyrij coronam accepit. ibid.

Iuſtus.

Iuſti Reges ſunt, & quomodo. p.152.n.41
Iuſtus fit prædicator, & ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum. p.214.n.337
Iuſtus ex communione fit Deiformis. p.318.n.451
Juſtorum, ſeu viuorum Sacramentum eſt Euchariſtia, non verò mortuorum, ſeu iniuſtorum, ac peccatorum. p.321.n.466
Iuſtorum panis eſt Euchariſtia. p.324.n.6
Iuſti manus lauant in ſanguine peccatorum, & quomodo. p.23.n.528
Iuſtos in manu ſua tenet Deus: ſi ab illa cadant, vt vaſa lutea confringentur. p.454.n.644
Iuſti adhuc viuentes abſque iniuria Redemptoris inuocantur: ergo & Sancti poſt mortem poſſunt inuocari. p.466.n.697
Iuſtus oret, diuinamque imploret miſericordiam, vt in gratia ſtet & perſeueret. p.451. & ſeqq. à n.638

K

Kyrie.

Kyrie eleyſon voce Græcâ ſonante, *Domine miſerere*, diuinâ miſericordia in ſacrificij Euchariſtiæ celebratione poſtulatur. p.410.n.475
Kyrie eleyſon nouies in miſſa pronuntiatur, & quare. p.411.n.476
Kyrie eleyſon vox patrandis miraculis aptiſſima, vt de facto

facto comprobatum eſt à B. Baſilio, & à B. Geminiano. ibid.

Kyrie eleyſon in Miſſarum celebratione etiam in Galliis pronuntiari præcepit Concilium Vaſionenſe. ibid.

L

Labarum.

LAbarum in Romanorum exercitu geſtari ſolitum, ad formam crucis redegit Magnus Conſtantinus. pag.383.num.332

Labia.

Labia palmo junguntur, quia voces debent operibus ſociati. p.224.n.393

Labor, & Laborare.

Laborauit ſemper Chtiſtus. p.264.n.114

Labores, & tribulationes bona extrinſeca Chriſtianorum. p.363.n.239

in Laboribus, & paſſione debet homo Chriſtianus Chriſto conformati. ibid.& ſeq.n.240

Labore ac ſummâ diligentiâ currant Chtiſtiani ad diuinam hæreditatem, & coronam gloriæ. p.367.n.254

Lac.

Lac eſt Euchariſtia, & Chtiſtus nutritius. p.42.n.161

Lac viatores, & Beati vinum deguſtare dicuntur, & quare. ibid.

Lac in patria, nec vinum in via potuit hominibus exhiberi, & quare. ibid.n.163

Lac & vinum, ideſt corpus Chriſti, & deitatem in Euchariſtia Chriſtiani racipiunt. p.43.n.165

Lac ſanguis eſt calore natiuo decoctus. p.127.n.496

eodem Lacte & à Chriſto, & ab Eccleſia Chriſtiani nutriuntur. ibid.n.497

veluti Lac olim infantibus mox baptizatis Euchariſtia dabatur; quod & nunc Græci faciunt. p.128.n.499

Lac inter, & Euchariſtiam analogiæ. ibid.n.500

Lac dulciſſimum eſt, & innocentium cibus: ita & Euchariſtia, in qua dulcedo in ſuo fonte guſtatur. ibid. n.501.& ſeq.

Lac exteriùs albeſcit. ibid.n.503

Lac, & mel olim dabantur baptizatis. ibid.

Lacte doctrinæ alit nos Eccleſia. ibid.n.504

Lac poſt mortem, abſciſſis ceruicibus, præbuerunt Paulus Apoſtolus, & Catharina Virgo Alexandrina, & quare. p.127.n.505.& ſeq.

Lac miſericordiæ creuit in Maria Virgine. pag.165.numero 197

in Lac ſanguis tranſmutatur, ne infantes abhorreant. p.270.n.144

Lac ſuaue. p.308.n.389

Lac optimum Euchariſtia. ibid.

Lac factus eſt Chriſtus, vt cibus hominum eſſet in Euchariſtia. ibid.

Lacrymæ.

Lacrymæ ſuas voces habent. p.446.n.618

Lacrymas ſuas à Deo audiri rogabat Propheta. p. 407. num.619

Lacrymarum loquela altior & maior eſt, quàm labiorum. ibid.

Lacrymæ priùs à corde fluant, quàm ab oculis. ibid.

cum Lacrymis compunctionis cor effundendũ. ib.n.620

Lacrymæ ſanguis animæ. ibid.

Lacrymis ſanguinem fundens anima mortis rea, in meliorem vitam reſurgit. ibid.n.621

Lacrymis noxia vita funditur, & ſalubris recuperatur. p.448.n.623

Lacrymis Petrus confitetur quod voce negauerat. ibid. num.625

Lacrymis Petri ſpiritualis orbis fundatus, ac ſtabilitus. ibid.

Lacrymis ſuſtentatur totius orbis machina. ibid.n.626

quod Lacrymis poſtulatur, obtinetur. ibid.n.627

ad Lacrymas fundendum & poſtulandum, mouet nos Spiritus ſanctus. p.449.n.627

Lacrymarum vox, turturis vox. ibid.

Lacrymis reſolutum cor ſuum ad pedes Chriſti effudit Magdalena. ibid.n.628

vt Lachrymis noſtræ compunctionis ſui pedes lauarentur, noluit Chriſtus illos à diſcipulis lauari. ibid. n.629

Lacrymæ vulnerum animæ ſanguis. p.450.n.631

Lacrymæ liquefacta ſunt deſideria. ibid.

ne Lacrymæ Magdalenæ tollerentur, Chriſtus noluit ſuos pedes lauari. ibid.n.632

Lacrymæ Magdalenæ vniones & geminas nectunt pedibus Saluatoris. ibid.

Lacrymæ Magdalenæ in pedibus Chriſti, dum eius ſanguini copulantur, conſecrantur. ibid.

Lacryma paſſionis Domini vicaria. ibid.

Lacrymas & preces ſanguini Chriſti copulatas offerant peccatores. ibid.n.632

Lacrymis & precibus Iacob cum Deo pugnauit, & ſuperauit. ibid.n.633

Lacrymarum vi regnum cœlorum expugnatur. ibid. num.634

Lacrymis liquefactum cor pro peccato ad mortem Deo offerendum. p.451.n.635

Lacrymandum pro fratribus in peccato exiſtentibus. ibid.

Lacrymarum maior vox, quàm orationis. ibid.n.636

Lacrymandum dumtaxat pro peccato commiſſo, vel pro amiſſo paradiſo. ibid.

non Lacrymandum pro jacturis temporalium. ibid.

Lacryma Deum cogit, & oratio lenit. ibid.n.637

Lacrymæ, & ſuſpiria Athenis in ara Clementiæ offerebantur. ibid.

Lacrymandum ante Dei miſericordiam, quam imploramus. ibid.

Sine Lacrymis cor non modò durum, ſed impurum eſt. ibid.

Lætitia.

Lætitia in Chriſto perpetua; in ſeculo vana. p.68.n.261

Lætitia & firmitas Eccleſiæ in Euchariſtia continetur. ibid.n.262

Lætitiam tribuit Eccleſiæ ſanguis Chriſti. p.69.n.266

Lancea.

Lancea Conſtantini Imperatoris, quâ in præliis vtebatur, ab ipſo in crucem conuerſa. p.380.n.311

Latro.

Latro Dominum in cruce pendentem blaſphemabat, & quomodo. p.369.n.261

E Duobus latronibus in cruce vnus ſaluatur, vt ſperemus; & vnus damnatur, vt timeamus. pag.440. num.596

Verba Chriſti ad Latronem nobis timorem incutiunt. ibid.n.597

Latronis conuerſio miraculoſa & ſingularis. pag.441. num.597

Latronem illum conuertere, & ad cœlum deducere, non minus fuit, quàm concutere & ſcindere petras. ibid.

Ex ſingulari Latronis couerſione nemo confidat, vel inaniter ſperet. ibid.

Latronis conuerſionis circumſtantiæ ſingulares nemini præbent anſam ſperandi. ibid.n.598

Latroni beato, nec dies feſtus aſſignatus, nec imagines, nec altaria eriguntur, & quare. ibid.

Laus, & laudare.

Laudibus & hymnis nos omnes Chriſto reddimus, & conſecramus. p.58.n.223

Laudibus

Laudibus celebratur Chriſtus ab Angelis & Sanctis animabus in cœlo, à viatoribus in terra, & à mortuis in purgatorio. ibid.
Laudabilem videntes Chriſtum Angeli & Beati, ipſum maximè laudant. ibid n.224
omni Laude maior Deus, omnem ſuperat laudationem. ibid.n.225
Laudatur ſilentio, colitur, & honoratur Deus. ibid. n.226
non Laudant Deum mali Angeli. p.59.n.231
Laudant Deum boni Angeli, & laudando Deo loquuntur, & clamant. p.60.n.233
Laudant verè Deum Angeli in corporibus aſſumptis, in quibus nun propriè loquuntur, ibid.n.234.& ſeq.
Laudant Deum cum Angelis Beati homines. p.61.n.238
Laus debetur Chriſti humilitati, ac maieſtati. ibid.n.240
Laudes depromamus Chriſto, à quo paſcimur. pag.67. n.257
Laudare debent Chriſtum Chriſtiani, ipſique exultare, quia recipiunt Euchariſtiam, quam Ioannes Baptiſta nuſquam recepit. p.68.n.259.& ſeq.
Laudantes & canentes primi Chriſtiani ſumebant Euchariſtiam. p.69.n.267
Laudabant Chriſtum ante lucem hymnos canentes primi Chriſtiani. p.70.n.269
Laudari non poteſt Deus à nobis noſtris conatibus. p.79.n.309
Laudari nequeunt optima, ſed admirari. p.80.n.310
Nec B.Virgo Deum perfectè laudauit. ibid.
ad Laudandum Deum ſemper debemus conari. ib.n.311
Laudem puriſſimam poſtulat puriſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. p.106.n.398
qui Laudat Chriſtum in Euchariſtia, purus ſit mente, labiis, ac manibus. ibid.n.399
Laus ſonora ex intimo corde debet procedere. ib.n.400
Laudantes Chriſtum internam lætitiam recipiunt. p.108.n.405
Laudare Chriſtum, eſt homini glorioſum. ibid.n.407
Laudes Dei alternis vicibus canunt Seraphin, vt ſingulis tantus honor concedatur. ibid.
Laus ipſa Dei ſibi eſt merces. ibid.n.408
Laudes Dei cœlum laudantibus, & aliis aperiunt. ibid. n.409
Laudantibus ſe Deus adeſt, & ſe glorificantes glorificat. p.109.n.410.
Laus Dei eſt illius bonitatis manifeſtatio. p.435.n.573
Laudant Deum animæ purgatorij. p.71.n.276
Laudabant Deum in fornace tres pueri. p.75.n.290
Animæ purgatorij ſub terra laudes dicunt Chriſto.ibid. n.291
Laudant Deum animæ patientes, quia per ignem comm delicta conſumit. ibid.n.292
Laudabat Deum Iob æmmnis oppreſſus. ibid.n.294
Laudandi, & diligendi Deum modus eſt ſine modo. p.79.n.307
Laudandus Chriſtus audacter, & lætanter. p.101.n.385
Laudes Dei celebrantur, dum bona noſtra ad illum referuntur. p.102.n.387
Laudat Dei fortitudinem Dauid, dum fortitudinem ſuam illi attribuit. p.103.n.389
Laudamus Deum gratias agendo de dono Euchariſtiæ. n.112.n.424
Laudatur Deus à Virtutibus facientibus eius voluntatem. p.224.n.393
Laus Dei eſt illius bonitatis manifeſtatio. p.435.n.573
Laus Chriſti, & gratiarum actio ſunt vituli labiorum. p.112.n.424

Laurentius.

S. Laurentius igne cruciatus, & aſſatus gratias agit. p.76.n.295
S. Laurentij Martyris ſupplicij inſtrumenta in gloriam eius tranſierunt. p.382.n.324

Leo Pontifex.

Leo IX. Pontifex hoſpitalitate inſignis, Chriſtum ſpecie pauperis & leproſi in lecto ſuo collocauit. p.231. n.417

Leo Iſaurus.

Leo Iſaurus Imperator à Iudæis in ſacras Imagines concitatus, publico edicto eas à Templis eliminauit. p.385.n.345

Leo Armenus.

Leo Armenus Imperator Iſauri impietatem ſequutus. ibid.

Leo.

Leones ſunt Apoſtoli in duodecim leunculis ſolij Salomonis adumbrati. p.139.n.558.& ſeq.
Leo occidens Prophetam, & corpus eius non manducans, vt Deo obediat. p.149.n.27
vt Leo Chriſtus reſurrexit, qui vt agnus occiſus eſt. p.356.n.196

Leuita.

Leuitæ ſoli Arcam tangebant, in eius reuerentiam. p.381.n.323

Lex.

ante Legem gratiæ homines fidem habuerunt de Euchariſtia, & illam ſpiritualiter receperunt. p.66.n.255
Lex vniuerſa in charitate conſiſtit. p.157.n.63
Legibus & præceptis regit, & regnat Deus in hominibus. p.149.n.26
Lex ignea cur in dextera Dei. p.224.n.398
Lex cur data per Angelos in manu mediatoris, ſcilicet Moyſis. ibid.
Lex Moyſis aſpera; Lex Chriſti jugum ſuaue, & onus leue. p.469.n.713

Libertas, Liberum Arbitrium.

Liberum arbitrium hominis gratiæ Dei cooperatur, & ideo ex gratia Dei arbitrio noſtro cooperante, bona noſtra proueniunt. p.97.n.371
Libertatis creatæ prima, & remota radix eſt efficacia diuinæ voluntatis. p.98.n.372
Libertatis eiuſdem ſecunda & proxima radix eſt indifferentia obiectiua judicij. ibid.
Libertas non contrarietatis, ſed contradictionis eſt de intrinſeca ratione noſtri liberi arbitrij. ibid.n.373
Libertas duplex in homine, alia potentialis, alia actualis, quæ niſi à gratia moueatur, non exercetur. ibid.
Liberum arbitriū a gratia efficaci non læditur.ib.n.374
non Libertate gratiam, ſed gratiâ libertatem homo conſequitur. ibid.
Liberum primum eſt Deus. ibid.n.375
Libertas humana ſuſpenſa, & otioſa manet abſque motione diuina. p.99.n.375
Liberum arbitrium creatum à Deo habet operari, à quo habet eſſe. ibid.
Liberum arbitrium vt tale debet tantùm ſe determinare per modum ſecundi liberi, & dependenter à primo. p.99.n.376
Libertas noſtra gratiâ efficaci augetur, & perficitur. ibid.n.377
Gratia nun abolet, ſed adolet liberum arbitrium. ibid.

Liber.

Libri Machabæorum non ſunt in canone Hebræorum illis antiquiore. p.74.n.285
Libri Machabæorum ſunt canonici, & in canone factorum librorum edito anno 394. poſiti. ibid.n.286
Libros Machabæorum vt canonicos recepit Auguſtinus. ibid.

Lingua.

Linguá & manu exequantur verbi miniſterium Concionatores. p.214.n.338

Linguis Apoſtolorum, vt columnâ ignis, Eccleſiam Chriſtus illuminat. p.137.n.549
Linguæ Deum laudantes cœlum laudantibus aperiunt. p.108.n.409
Linguas igneas, non floridas Apoſtolis conceſſit Spiritus ſanctus, & quare. p.216.n.346
Linguam poſtulatus tertius Machabæus citò protulit, & manus conſtanter extendit, & quare. p.225.n.394

Litania.

in Litaniis à tribus diuinis Perſonis miſericordia poſtulatur. p.463.n.684
Litaniæ, ſeu Rogationes, vel proceſſiones à Sancto Mamerto Viennenſi Epiſcopo vel inſtitutæ, vel reſtitutæ. p.466.n.696
Litaniæ à Gregorio Magno inſtitutæ graſſante lue in Vrbe. ibid.

Liturgia.

ex Liturgiis variis, variæ formæ conſecrationis. p.334. n.68
ex Liturgiis antiquiſſimis formæ conſecrationis calicis ſimiles ſunt formæ, quâ nunc vtimur in Eccleſia Latina. p.335.n.69
Liturgia, ſeu ritus, quo nunc vtimur ad conficiendam Euchariſtiam, à S. Petro Apoſtolo proceſſit. pag.336. n.77

Loquutio.

Loquutio Chriſti in inſtitutione Euchariſtiæ eſt practica & operatiua. p.401.n.425

S. Lucia.

S. Lucia virgo pro Chriſto agonizans, de manibus Sacerdotum ſacra myſteria prælibauit. p.288.n.256

Lucianus.

S. Lucianus Presbyter Antiochenus in carcere ſupra pectus ſuum veluti ſupra altare viuum conſecrauit Euchariſtiam, quâ ſe contra mortis impetum, & alios pro Chriſto patientes roborauit. p.287.n.255

Ludouicus.

Ludouicus Pius Imperator ab Euchariſtia per quadraginta dies naturalem vitam habuit. p.312.n.421
Ludouicus XIII. Chriſtianiſſimus Galliarum & Nauarræ Rex, Euchariſtiâ ab imminenti mortis periculo liberatus, & vitâ ac incolumitate donatus. ibid.n.422
Eius gratitudo ob ſoſpitatem recuperatam. ibid.p.313

Lutherus.

Lutherus Chriſti ſermone conuictus corpus eius verè & realiter eſſe in Euchariſtia credit. p.122.n.465

Lux.

Lux dicuntur Chriſtiani. p.145.n.10
